POETAE

LATINI VETERES

AD FIDEM

OPTIMARUM EDITIONUM

EXPRESSI

Pars Secunda

FLORENTIAE
TYPIS IOSEPHI MOLINI
ad signum Dantis
M DCCC XXIX

PUBLIUS PAPINIUS STATIUS.

P. Papinius Statius, doctissimi rhetoris et poetæ filius, Domitiani tempore floruit. Summa polluit ex tempore dicendi carmina facultate, et maximo studio audiebatur. Varia poemata confecit, et in Sylvis eruditus, in Thebaide sublimis, in Achilleide blandus, sæpe turgidus, Virgilii impar æmulator, et in Domitianum periculosus assentator apparet. In Albanis ludis cum aliis poetis congressus pluries coronam obtinuit; at in Romanis quinquennalibus ludis, primo victor, altero concursu fuit victus. Paupertate, quamvis vir summa laude cumulatus, laborabat, et carmina in sceuis recitanda, ut viveret, venditabat; quamobrem Iuvenalis:

Esurit intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Anno I. C. 96. periisse fertur.

P. Papinii Statii opera ex editione Bipontina.

SYLVARUM LIBRI V.

Liber primus

Statius Stellæ suo salutem.

Diu multumque dubitavi, Stella iuvenis optime, et in studiis nostris eminentissime qua parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt, cum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem. Quid enim [*oportet hujus*] quoque auctoritate editionis onerari, cum adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo? Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus; nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore præluserit. Quid, quod hæc serum erat continere, cum illa vos certe, quorum honori data sunt, haberetis? Sed, apud ceteros, necesse est, multum illis pereat ex venia, cum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis. Nullum enim ex illis biduo longius tractum; quædam et singulis diebus effusa: quamvis metuo, ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem: sumendum enim erat a Iove principium. Ceterum, hos versus, quos in Equum Maximum feci, indulgentissimo Imperatori postero die, quam dedicatum erat opus tradere iussus sum. Potuisti illud (dicet aliquis) et ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi iniunxeras, scis biduo scriptum. Audacter, mehercule; sed tamen CCLXXVII hexametros habet. At fortasse tu pro collega mentieris. Manlius certe Vopiscus, vir eruditissimus, et qui præcipue vindicat a situ literas iam pæne fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari, et villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus: de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. Nam Claudi Hetrusci testimonium est, qui Balneolum a me suum intra moram cœnæ recepit. In fine sunt Calendæ Decembres; quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam.

I. *Equus Maximus Domitiani.*

Quæ superimposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum? Cælone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies, lassum Steropem Brontemque reliquit?
An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem modo frena tenentem
Rhenus, et attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age, fama prior notum per secula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon, et cæsis decrevit frondibus Ida:
Hunc neque divisis cepissent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens, sævosque amplexus Achivos;
Hunc mitis commendat eques: iuvat ora tueri
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.
Nec veris maiora putes; par forma decorque,
Par honor: exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere; nec tardo raptus prope flumina cursu
Fumat, et ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi sedes: hinc obvia limina pandit,
Qui, fessus bellis, adscitæ munere prolis,
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.
Discitur e vultu, quantum tu mitior armis;
Qui, nec in externos facilis sævire furores,
Das Cattis Dacisque fidem. Te signa ferente,
Et minor in leges iret gener, et Cato castris.
At laterum passus hinc Iulia tecta tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Pauli.
Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.
Ipse autem, puro celsum caput aere septus,
Templa superfulges, et prospectare videris,
An nova contemtis surgant Pallatia flammis
Pulchrius: an tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas iam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo
Non gravat, et sectæ prætendit colla Medusæ,
Ceu stimulis accendat equum: nec dulcior usquam
Lecta Deæ sedes; nec si, Pater, ipse teneres.
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,
Et quis se totis Temese dedit hausta metallis.
It tergo demissa chlamys: latus ense quieto
Securum: magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, et sidera terret, Orion.
At sonipes, habitus animosque imitatus equestres,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur:
Cui rigidis stant colla iubis, vivusque per armos
Impetus; et tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent. Vacuæ pro cespite terræ,
Ærea captivi crinem terit ungula Rheni.
Hunc et Adrastæus visum extimuisset Arion;
Et pavet adspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas
Perpetuus frenis; atque uni serviet astro.

Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio; teneat quamvis æterna crepido,
Quæ superingesti portaret culmina montis,
Cæliferique attrita genu durasset Atlantis.
Nec longæ traxere moræ: iuvat ipsa labores
Forma Dei præsens; operique intenta iuventus
Miratur plus posse manus. Strepit ardua pulsu
Machina continuo: septem per culmina montes
It fragor, et magnæ vincit vaga murmura Romæ.
Ipse loci custos, cuius sacrata vorago
Famosique lacus nomen memorabile servant,
Innumeros æris sonitus, et verbere crebro
Ut sensit mugire forum, movet horrida sancto
Ora situ, meritaque caput venerabile quercu.
Ac primum ingentes habitus lucemque coruscam
Expavit maioris equi; terque ardua mersit
Colla lacu trepidus: lætus mox præside viso,
Salve, magnorum proles genitorque Deorum,
Auditum longe numen mihi! Nunc mea felix,
Nunc veneranda palus, cum te prope nosse, tuumque
Immortale iubar vicina sede tueri
Concessum. Semel auctor ego inventorque salutis
Romuleæ; tu bella Iovis, tu prœlia Rheni,
Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem,
Longo Marte domas. Quod si te nostra tulissent
Secula, tentasses, me non audente, profundos
Ire lacus: sed Roma tuas tenuisset habenas.
Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones
Cæsarei stat sede fori; [quem tradere es ausus
Pellæo, Lysippe, duci, mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit]; vix lumine fesso
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.
Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum distare regentes?
Non hoc imbriferas hiemes opus, aut Iovis ignem
Tergeminum, Æolii non agmina carceris horret,
Annorumve moras: stabit dum terra, polusque,
Dum Romana dies. Huc et sub nocte silenti,
Cum Superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cœlo, miscebitque oscula iuxta:
Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,
Et soror: una locum cervix dabit omnibus astris,
Utere perpetuum populi magnique senatus
Munere: Apelleæ cuperent te scribere ceræ,
Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elæi senior Iovis; et tua mitis
Ora Taras, tua sidereas imitantia flammas
Lumina, contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.
Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus
Ipse colas; nec te cœli iuvat aula; tuosque
Lætus huic dono videas dare thura nepotes.

II. *Epitalamion Stellæ et Violantillæ.*

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves, humeroque comanti
Facundum suspendis ebur? Procul ecce canoro
Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena
Lampade solennem thalamis coeuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.
Quas inter vultu petulans Elegia propinquat,
Celsior assueto; Divasque hortatur, et ambit
Alternum factura pedem; decimamque videri
Se cupit, et medias fallit permixta sorores.
Ipsa manu nuptam genitrix Æneia ducit,
Lumina demissam, et dulci probitate rubentem:
Ipsa toros et sacra parat; cinctaque Latino
Dissimulata Deam, crinem, vultumque, genasque
Temperat, atque nova gestit minor ire marita.
Nosco diem, causamque sacri: te concinit iste,
(Pande fores) te, Stella, chorus: tibi Phœbus et Evan,
Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra,
Serta ferunt: nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ coniugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.
Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta,
Excipis; et dominæ niveis a vultibus obstas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ Violantillæque professus
Clamaretur Hymen. Cedant curæque, metusque:
Cessent mordaces obliqui carminis astus;
Fama, tace: subiit leges, et frena momordit,
Ille solutus amor: consumta est fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oscula cives.
Tu tamen attonitus (quamvis data copia tantæ
Sortis) adhuc optas, permissaque numine dextro
Vota paves. Pone o dulcis suspiria vates,
Pone, tua est: licet expositum per limen aperto
Ire, redire, gradu: iam nusquam ianitor, aut lex,
Aut pudor: amplexu tandem satiare petitæ
Coniugis, et duras pariter reminiscere noctes.
Digna quidem merces, et si tibi Iuno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per æstus.
Hanc propter, tanti Pisæa lege trementem
Currere, et Œnomai fremitus audire sequentis.
Nec, si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, hæc dona forent: nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Tithonia biga.
Sed, quæ causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum, dum fervent agmine postes
Atriaque, et multa pulsantur limina virga,
Hic, Erato iucunda, doce: vacat apta movere
Colloquia: et docti norunt audire Penates.
Forte, serenati qua stat plaga lactea cœli,
Alma Venus thalamo, pulsa modo nocte, iacebat,
Amplexu duro Getici resoluta mariti. (rum
Fulcra, torosque Deæ, tenerum premit agmen Amo-
Signa petunt: quas ferre faces, quæ pectora figi
Imperet; an terris sævire, an malit in undis,
An miscere Deos, an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum, nec cordi fixa voluntas:
Fusa iacet stratis, ubi quondam, conscia culpæ,
Lemnia repserunt depreenso vincula furto.
Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta,
Agmine de medio, tenera sic dulce profatus
Voce: (pharetrati pressere silentia fratres:)
Scis, ut, mater, ait, nulla mihi dextera segnis
Militia: quemcumque hominum Divumque dedisti,
Uritur: at tandem lacrymis et supplice dextra,
Et votis precibusque viri concede moveri,
O genitrix; duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba sumus. Clarus de gente Latina
Est iuvenis, quem, patritiis maioribus ortum,
Nobilitas gavisa tulit; præsagaque formæ
Protinus e nostro posuit cognomina cœlo.
Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra
Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi.
Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum; dominæque potentis
Ferre iugum, et longos iussi sperare per annos.
Ast illam summa leviter (sic namque iubebas)
Lampade, parcentes, et inerti strinximus arcu.
Ex illo quantos iuvenis premat anxius ignes
Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
Urgentem ferat: haud ulli vehementior unquam
Incubui, genitrix, iterataque vulnera fixi.

Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima:
Vidi et Abydeni iuvenis certantia remis
Brachia; laudavique manus, et sæpe natanti
Præluxi: minor ille calor, quo sæva tepebant
Æquora: tu veteres, iuvenis, transgressus amores:
Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus,
Firmavique animos, blandisque madentia plumis
Lumina detersi. Quoties mihi questus Apollo,
Sic vatem mœrere suum! Iam, mater, amatos
Indulge thalamos: noster comes ille, piusque
Signifer; armiferos poterat memorare labores,
Claraque facta virum, et torrentes sanguine campos:
Sic tibi plectra dedit, mitisque incedere vates
Maluit, et nostra laurum subtexere myrto.
Hic iuvenum lapsus, suaque, haud extrema, revolvit
Vulnera. Pro quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic nostræ deflevit fata Columbæ.
Dixerat; et tenera matris cervice pependit
Blandus, et admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non adspernata rogari:
Grande quidem, rerumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum iuvenis capit: hanc ego, formæ
Egregium mirata decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos, tellure cadentem
Excepi, fovique sinu; nec colla genasque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo,
Cessavit mea, nata, manus. Mihi dulcis imago
Prosiluit: celsæ procul adspice frontis honores
Suggestumque comæ: Latias, metire, quid ultra
Emineat matres; quantum Latonia nymphas
Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exsto.
Hæc et cæruleis mecum consurgere digna
Fluctibus, et nostra potuit considere concha:
Et, si flammiferas potuisset scandere sedes,
Hasque intrare domos, ipsi erraratis, Amores.
Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo: queritur iam Seras avaros
Angustum spoliasse nemus, Clymeneaque deesse
Germina, nec virides satis illacrimare sorores:
Vellera Sidonio iam pauca rubescere tabo,
Raraque longævis nivibus crystalla gelari.
Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo,
(Nec satis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum
Proteaque, atque omnem Nereida, quærere iussi.
Hanc si Thessalicos vidisses, Phœbe, per agros,
Erraret Daphne secura: in litore Naxi
Theseum iuxta foret hæc conspecta cubile,
Gnossida desertam profugus liquisset et Evan.
Quod nisi me longis placasset Iuno querelis,
Falsas huic pennas et cornua sumeret æthræ
Rector; in hanc vero cecidisset Iuppiter auro.
Sed dabitur iuveni, cui tu, mea summa potestas,
Nate, cupis: thalami quamvis iuga ferre secundi
Sæpe neget mœrens. Ipsam iam cedere sensi,
Inque vicem tepuisse viro. Sic fata, levavit
Sidereos artus; thalamique egressa superbum
Limen, Amyclæos ad frena citavit olores.
Iungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. Iam Tybridis arces
Iliacæ: pandit nitidos Venus alma penates;
Claraque gaudentes plauserunt limina cygni.
Digna Dea sedes, nitidis nec sordet ab astris.
Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, et concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, quis purpura sæpe
Œbalis, et Tyrii moderator livet aheni.
Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
Robora Dalmatico lucent satiata metallo:
Excludunt radios sylvis decussa vetustis
Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes.
Nec servat Natura vices; hic Sirius alget,
Bruma tepet, versumq; domus sibi temperat annum.
Exsultat visu, tectisque potentis alumnæ (to,
Non secus alma Venus, quam si Paphon æquore ab al-
Idaliasve domos, Erycinave templa, subiret.
Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
Quonam hic usque sopor, vacuique modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum fideique modus? nunquamne virili
Submittere iugo? veniet iam tristior ætas;
Exerce formam, et fugientibus utere donis.
Non ideo tibi tale decus vultusque superbos,
Meque dedi, viduos ut transmittas per annos,
Ceu non cara mihi. Satis, o, nimiumque, priores
Despexisse procos: at enim hic, tibi sanguine toto
Deditus, unam omnes inter miratur amatque,
Nec formæ, nec stirpis egens: nam docta per urbem
Carmina qui iuvenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc et bissenos (sic Indulgentia pergat
Præsidis Ausonii) cernes attollere fasces
Ante diem: certa iam nunc Cybeleia novit
Limina, et Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.
Iamque parens Latius (cuius prænoscere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, iuvenique curule
Indulgebit ebur: Dacas (quæ gloria maior)
Exuvias, laurosque dabit celebrare recentes.
Ergo age, iunge toros, atque otia deme iuventæ.
Quas ego non mentes, quæ non face corda iugavi?
Alituum pecudumque mihi, duriqua ferarum
Non renuere greges: ipsum in connubia terræ
Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo:
Sic rerum series, mundique revertitur ætas.
Unde novum Troiæ decus, ardentumque Deorum
Raptorem, Phrygio si non ego iuncta marito?
Lydius unde meos iterasset Tybris Iulos?
Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ,
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem (nec me prohibente) sacerdos?
His mulcet dictis, tacitumque inspirat amorem
Connubii: redeunt animo iam vota precesque,
Et lacrymæ, vigilesque viri prope limina questus,
Asteris at, vati totam cantata per urbem;
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu;
Quantum non clamatus Hylas: iamque aspera cœpit
Flectere corda libens, et iam sibi dura videri.
Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Qui, durum permensus iter cœptosque labores,
Prendisti portus. Tumidæ sic transfuga Pisæ
Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demersa trahit intemerata canali,
Donec Sicanios, tandem prolatus, anhelo
Ore bibat fontes: miretur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.
Quis tibi tunc alacri, cœlestum munere, clare
Stella, dies? quanto salierunt pectora voto,
Dulcia cum dominæ dexter connubia vultus
Annuit? Ire polo, nitidosque errare per axes,
Visus. Amyclæis minus exsultavit arenis
Pastor, ad Idæas Helena veniente carinas:
Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Cum Thetin Æmoniis Chiron accedere terris
Erecto prospexit equo. Quam longa morantur
Sidera! quam segnis votis Aurora maritis!
At, procul ut Stellæ thalamos sensere parari
Latous vatum pater, et Semeleius Evan;
Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysæ;
Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ,

Et, Parnasse, sonas; illi Pangea resultant;
Ismaraque, et quondam genialis litora Naxi.
Tunc caras iniere fores, comitique canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
Hic thyrsos, hic plectra, ferunt: hic enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit illa corona.
Vixdum emissa dies, et iam socialia præsto
Omina; iam festa fervet domus utraque pompa:
Fronde virent postes; effulgent compita flammis;
Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces:
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu;
Hic eques, hic iuvenum cœtu stola mixta laborat.
Felices utrosque vocant: sed in agmine plures
Invidere viro. Iamdudum poste reclinis
Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat: dat Iuno verenda
Vincula, et insigni geminat Concordia tæda.
Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus,
Quantum nosse licet. Sic, victa sopore doloso,
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa:
Non talis niveos strinxit Lavinia vultus,
Cum, Turno spectante, rubet: non Claudia talis
Respexit populos, mota iam virgo carina.
Nunc opus, Aonidum comites, tripodumq; ministri,
Diversis certare modis. Eat enthea, vittis
Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra: sed præcipue, qui nobile gressu
Extremo fraudatis epos, date carmina festis
Digna toris: hunc ipse, Coo plaudente, Philetas,
Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro,
Ambissent laudare diem; nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.
Me certe non unus amor, simplexque canendi
Causa trahit: tecum similes iunctæque Camœnæ,
Stella, mihi; multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.
At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti. Nitidum consurgat ad æthera tellus
Eubois, et pulchra tumeat Sebetos alumna:
Nec tibi sulfureis Lucrinæ Naides antris,
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Eia age, præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra regant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia mensem;
Sed parcat Lucina, precor: tuque ipse parenti
Parce, puer; ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora. Cumque tuos tacito Natura recessu
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre, feras. At tu, pulcherrima forma
Italidum, tandem merito possessa marito,
Vincla diu quæsita fove. Sic damna decoris
Nulla tibi; longæ virides sic flore iuventæ
Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat.

III. *Villa Tiburtina Manlii Vopisci.*

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis, et inserto geminos Aniene penates,
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ,
Certantesque sibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Sirius astro,
Nec gravis aspexit Nemeæ frondentis alumnus:
Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem
Frigora, Pisæoque domus non æstuat anno.
Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas;
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis,
Permulsitque comis, blandumque reliquit honorem
Sedibus, et volucres vetuit discedere natos.
O longum memorande dies! quæ mente reporto
Gaudia! quam lassos per tot miracula visus!
Ingenium quam mite solo! quæ forma beatis
Arte manus concessa locis! non largius usquam
Indulsit Natura sibi. Nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus, et longas eadem fugit unda per umbras.
Ipse Anien, (miranda fides) infraque superque
Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, et habentes carmina somnos.
Litus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
Dividit; alternas servant prætoria ripas
Non externa sibi; fluviumve obstare queruntur.
Sestiacos nunc fama sinus, pelagusque natatum,
Iactet, et audaci iunctos delphinas ephebo:
Hic æterna quies; nullis hic iura procellis;
Nusquam fervor aquis. Datur hic transmittere visus,
Et voces et pæne manus. Sic Chalcida fluctus
Expellunt fluvii: sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.
Quid primum mediumve canam? quo fine quiescam?
Auratasne trabes, an Mauros undique postes,
An picturata lucentia marmora vena,
Mirer, an emissas per cuncta cubilia nymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. Venerabile dicam
Lucorum senium? te, quæ vada fluminis infra
Cernis? an ad silvas quæ respicis, aula, tacentes?
Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo
Nox silet, aut teneros invitant murmura somnos.
An, quæ graminea suscepta crepidine fumant
Balnea, et impositum ripis algentibus ignem?
Quique vaporiferis iunctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas?
Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis: labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quidquid et argento primum vel in ære Myronis
Lusit, et enormes manus est experta Colossos.
Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam necopinus opes: nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aera testæ
Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus superare novis asarota figuris.
Expavere gradus. Quid nunc ingentis mirer,
Aut quid partitis distantia tecta trichoris?
Quid te, quæ, mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per et postes liquidas emergis in auras,
Quo non sub domino sævas passura bipennes?
Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino super aggere nymphas,
Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes?
Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?
Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus.
Illis ipse antris Anienus, fonte relicto,
Nocte sub arcana, glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco;
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra,
Illic sulfureos cupit Albula mergere crines.
Hæc domus Ægeriæ Nemoralem abiungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia possit
Taygeta, et silvis accersere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores,
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque,

Qui unquam vacui prodistis in æthera, rami?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ: cedant vitreæ iuga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi
Anxuris, et sedes, Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant, quæ te, iam solibus arctis,
Antia nimbosa revocabunt littora bruma.
Scilicet hic illi meditantur pondera mores:
Hic premitur fœcunda quies, virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis,
Mallet deserto senior Gargettius horto.
Hæc per et Ægæas hiemes, Pliadumque nivosum
Sidus, et Oleniis dignum petiisse sub astris.
Si Maleæ credenda ratis, Siculosque per æstus
Sit via, cur oculis sordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys, et iuvat ipsum
Alciden, dictumque lyra maiore Catillum:
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive
Liventem Satiram nigra rubigine turbes:
Seu tibi non alta splendescat epistola cura.
Digne Midæ Crœsique bonis, et Perside gaza,
Macte bonis animi! cuius stagnantia rura
Debuit et flavis Hermus transcurrere ripis,
Et limo splendente Tagus: sic docta frequentes
Otia; sic omni detersus pectora nube,
Finem Nestoreæ, precor, egrediare senectæ.

IV. *Soteria Rutilii Gallici.*

Estis, io Superi, nec inexorabile Clotho
Vulvit opus: videt alma pios Astræa, Iovique
Conciliata redit; dubitataque sidera cernit
Gallicus. Es cœlo, Dis es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum: stat proxima cervix
Ponderis immensi, damnosaque fila senectæ
Exuit, atque plios melior revirescit in annos.
Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes,
Inque sinum quæ sæpe tuum fora turbida questum
Confugiunt, leges, urbesque ubicumque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant iura querelis,
Certent lætitia; nosseque ex ordine collis
Confremat, et sileant peioris murmura famæ:
Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.
Nec tantum induerint fatis nova secula crimen,
Aut instaurati peccaverit ara Terenti.
Ast ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias, decima cum Pallade Divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum;
Ipse veni, viresque novas animumque ministra,
Qui caneris: dextro nec enim sine numine tantus
Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti
Iudicium mentemque viris: licet enthea vatis
Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirene, largos potior mihi gurges in haustus,
Qui rapitur de fonte tuo: seu plana solutis
Quæ struis orsa modis, seu quæ tibi dulcis in artem
Frangitur, et nostras curat facundia leges.
Quare age, si Cereri sua dona, merumque Lyæo,
Reddimus, et dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens; nec tu, quando tibi, Gallice, maius
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas,
Sperne coli tenuiore lyra: vaga cingitur astris
Luna, et in oceanum rivi cecidere minores.
Quæ tibi sollicitus persolvit præmia morum
Urbis amor? quæ tum Patrumque Equitumque nota-
Lumina, et ignaræ plebis lugere potentes? (vi
Non labente Numa timuit sic curia felix,
Pompeio nec celsus eques, nec femina Bruto.
Hoc illud; tristes invitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec qua iubet alta potestas
Ire, sed armatas multum sibi demere vires,
Dignarique manus humiles, et verba precantum;
Reddere iura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere toga: sic itur in alta
Pectora, sic mixto reverentia se dat amori.
Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati
Terruit, et subiti præceps iuvenile pericli,
Nil cunctante malo. Non illud culpa senectæ,
(Quippe ea bissenis vix dum orsa excedere lustris)
Sed labor intendens, animique in membra vigentia
Imperium, vigilesque suo pro Cæsare curæ,
Dulce opus: hinc fessos penitus surrepsit in artus
Insidiosa quies, et pigra oblivia vitæ.
Tunc Deus, Alpini qui iuxta culmina dorsi
Signat Apollineo sanctos cognomine lucos,
Respicit, heu tanti pridem securus alumni
Perpessusque moras: huc mecum, Epidauria proles,
Huc, altis gaudens; datur aggredienda facultas
Ingentem recreare virum: teneamus adorti
Tendentes iam fila colos: nec fulminis atri
Sit metus; has ultro laudabit Iuppiter artes:
Nam neque plebeiam, aut dextro sine numine cretam
Servo animam: atque adeo, breviter, dum tecta subi-
Expediam. Genus ipse suis, præmissaque retro (mus,
Nobilitas: nec origo latet, sed luce sequente
Vincitur, et magno gaudet cessisse nepoti.
Prima togæ virtus: illa quoque clarus, et ingens
Eloquio: mox, innumeris exercita castris,
Occiduas, primasque domos, et sole sub omni
Promeruit iurata manus: nec in otia pacis
Permissum laxare animos, ferrumque recingi.
Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello: (ses
Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia mes-
Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci
Armenia, et patiens Latii iam pontis Araxes.
Quid geminos fasces, magnæque iterata revolvam
Iura Asiæ? velit illa quidem ter habere, quaterque
Hunc sibi; sed revocant fasti, maiorque curulis,
Nec permissa semel. Libyci quid mira tributi
Obsequia, et missum media de pace triumphum
Laudem, et opes quantas nec qui mandaverat ausus
Exspectare fuit? Gaudet Trasimenus, et Alpes,
Cannensesque animæ: primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.
Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ, et (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus arcem
Pandere; cum tanti, lectus, rectoris habenas,
Gallice, fortuna non adversante, subisti.
Hunc igitur (si digna loquor) rapiamus iniquo,
Nate, Iovi: rogat hoc Latiæ pater inclytus urbis;
Et meruit (neque enim frustra mihi nuper honora
Carmina patritio pueri sonuistis in ostro)
Si qua salutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quodcumque tibi Troiana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat; Idæa profert quam Creta sub umbra
Dictamni florentis opem, quoque anguis abundat
Spumatu: iungam ipse manus, atque omne benignum
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis
Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi.
Dixerat: inveniunt positos iam segniter artus
Pugnantemque animam; ritu se cingit uterque,

Pæonio, monstrantque simul, parentque volentes;
Donec letiferas vario medicamine pestes,
Et suspecta mali ruperunt nubila somni.
Adiuvat ipse Deus, morboque valentius omni
Occupat auxilium: citius non arte refectus
Telephus Æmoniis; nec, quæ metuentis Atridæ
Sæva Machaonio coierunt vulnera succo.
Quis mihi, tot questus inter populique patrumque,
Sit curæ votique locus? tamen ardua testor
Sidera, teque, pater vatum Thymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor; dum, postibus hærens
Assiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
Aucupor: immensæ veluti connexa carinæ
Cymba minor, cum sævit hiems, pro parte, furentes
Parva receptat aquas, et eodem volvitur Austro.
Nectite nunc lætæ candentia fila sorores,
Nectite: nemo modum transmissi computet ævi:
Hic vitæ natalis erit. Tu Troica dignus
Secula, et Euboici transcendere pulveris annos,
Nestoreosque situs. Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam: sed sæpe Deis, hos inter honores
Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.

V. *Balneum Claudii Etrusci.*

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te, Phœbe, choris, et te dimittimus, Evan:
Tu quoque muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas: alios poscunt mea carmina cœtus.
Naidas undarum dominas, regemque corusci
Ignis, adhuc fessum, Siculeque incude rubentem,
Elicuisse satis. Paulum arma nocentia Thebæ,
Ponite: dilecto volo lascivire sodali.
Iunge, puer, cyathos, sed ne numerare labora,
Cunctantemque intende chelyn: discede, laborque,
Curaque, dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea; dumque procax, myrtis hederisque soluta
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etrusco.
Ite, Deæ virides, liquidosque advertite vultus,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veste nihil tectæ: quales emergitis altis
Fontibus, et visu Satyros torquetis amantes.
Non vos, quæ culpa decus infamastis aquarum,
Sollicitare iuvat: procul hinc, et fonte doloso
Salmacis, et viduæ Cebrenidos arida luctu
Flumina, et Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi, quæ Latium, septenaque culmina, Nymphæ
Incolitis, Tybrimque novis attollitis undis,
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo iuvat, Marsasque nives et frigora ducens
Marcia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, et innumero pendens transmittitur arcu,
Vestrum opus aggredimur; vestra est, quam carmine molli
Pando, domus: non unquam aliis habitastis in antris
Ditius. Ipse manus tenuit Cythereа mariti,
Monstravitque artes: neu vilis flamma caminos
Ureret, ipse faces volucrum succendit Amorum.
Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos;
Mœret onyx longe; queriturque exclusus ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attys;
Quasque Tyrus niveas secat, et Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat: non limina cessant;
Effulgent cameræ; vario fastigia vitro
In species animosque nitent: stupet ipse beatas
Circumplexus opes, et parcius imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis
Æra; sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat,
Delicias mirata suas, et abire recusat.
Extra autem niveo qui margine cœrulus amnis
Vivit, et in summum fundo patet omnis ab imo,
Cui non ire lacu, pigrosque exsolvere amictus,
Suadeat? Hoc mallet nasci Cytherea profundo;
Hic te perspicuum melius, Narcisse, videres;
Hic velox Hecate velit, et deprensa, lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec, si Baianis veniat novus hospes ab oris,
Talia despiciat; (fas sit componere magnis
Parva) Neronea nec qui modo lotus in unda,
Hic iterum sudare neget. Macte, oro, nitenti
Ingenio, curaque, puer: tecum ista senescant;
Et tua iam melior discat fortuna renasci.

VI. *Calendæ Decembres* [*Saturnales.*]

Et Phœbus pater, et severa Pallas,
Et Musæ procul ite feriatæ:
Iani vos revocabimus Calendis.
Saturnus mihi compede exsoluta,
Et multo gravidus mero December,
Et ridens Iocus, et Sales protervi,
Adsint, dum refero diem beatum
Læti Cæsaris, ebriamque noctem.
Vix Aurora novos movebat ortus,
Iam bellaria adorea pluebant.
Hunc rorem veniens profudit Eos.
Quidquid nobile Ponticis nucetis
Fœcundis cadit aut iugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebosia cannis,
Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles caseoli, lucunculique,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, et latente palma
Prægrandes caryotides cadebant.
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Pleias,
Quali per cuneos hiems Latinos
Plebem grandine concutit sedentem.
Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluvias minetur agris,
Dum nostri Iovis hi ferantur imbres.
Ecce autem caveas subit per omnes,
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera non minor sedente.
Hi panaria, candidasque mappas,
Subvectant, epulasque lautiores;
Illi marcida vina largiuntur:
Idæos totidem putes ministros.
Orbem, qua melior severiorque est,
Et gentes alis insimul togatas;
Et, cum tot populos beata pascas,
Hunc, Annona, diem superba nescis.
I nunc, secula compara, Vetustas,
Antiqui Iovis, aureumque tempus:
Non sic libera vina tunc fluebant.
Nec tardum seges occupabat annum.
Una vescimur omnis ordo mensa,
Parvi, Femina, Plebs, Eques, Senatus.

Libertas reverentiam remisit.
Et tu quin etiam (quis hoc rogare,
Quis promittere posset hoc Deorum?)
Nobiscum socias dapes inisti.
Iam se (quisquis is est) inops, beatus,
Convivam ducis esse gloriatur,
Hos inter fremitus, novosque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas.
Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumve Phasin,
Thermodontiacas calere turmas.
Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peractos
Nodosum semel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conseruntque dextras,
Et mortem sibi (qua manu!) minantur.
Ridet Mars pater, et cruenta Virtus:
Casuræque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.
Iam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illic cymbala, tinnulæque Gades:
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulfur.
Inter quæ, subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant; sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.
Tollunt innumeras ad astra voces,
Saturnalia Principis sonantes;
Et dulci Dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vixdum cærula nox subibat orbem,
Descendit media nitens arena
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnosiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obscuræ patitur licere nocti.
Fugit pigra Quies; inersque Somnus,
Hæc cernens, alias abit in urbes.
Quis spectacula, quis iocos licentes,
Quis convivia, quis dapes inemtas,
Largi flumina quis canat Lyæi?
Iamiam deficio, tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.
Quos ibit procul hic dies per annos!
Quam nullo sacer exolescet ævo!
Dum montes Latii, paterque Tybris,
Dum stabit tua Roma, dumque terris
Quod reddis, Capitolium manebit.

Liber secundus

Ad Meliorem Atedium

Et familiaritas nostra, qua gaudeo, Melior vir optime, nec minus in iudicio litterarum, quam in omni vita colore tersissime, et ipsa opusculorum, quæ tibi trado, conditio sic posita est, ut totus hic alter liber meus etiam sine epistola exspectetur. Primum enim habet Glauciam nostrum, cuius gratissimam infantiam, et qualem plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus amabam. Iam vero tibi bolus amissi recens vulnus (ut scis) Epicedio prosecutus sum, adeo festinante, ut excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem: nec nunc eam apud te iacto, qui nosti; sed et ceteris indico; ne quis asperiore lima carmen examinet, et a confuso scriptum, et dolenti datum; cum pæne supervacua sint tarda solatia. Pollii mei Villa Surrentina, quæ sequitur, debuit a me vel in honorem eloquentiæ eius diligentius dici: sed amicus ignovit. In Arborem certe tuam, Melior, et Psittacum, scis a me leves libellos, quasi epigrammatis loco, scriptos. Eamdem exigebat stili facilitatem Leo mansuetus, quem in Amphitheatro prostratum, frigidum erat sacratissimo Imperatori ni statim traderem. Ad Ursum quoque nostrum, iuvenem candidissimum, et sine iactura desidiæ doctissimum, scriptam de puero amisso Consolationem, super ea, quæ ipsi debeo, huic libro libenter inserui, quia honorem eius tibi laturus acceptum. Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria, clarissima uxorum, cum hunc diem forte consecraremus, imputari sibi voluit. Ego non potui maiorem tanti auctoris habere reverentiam, quam quod, laudes eius dicturus, hexametros meos timui. Hæc, qualiacumque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; sin minus, ad me revertantur.

I. *Glaucias Atedii Melioris delicatus.*

Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni,
Improbus ante rogos, et adhuc vivente favilla,
Ordiar? Abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.
Cum iam egomet cantus et verba medentia sævus
Confero, tu planctus, lamentaque fortia mavis;
Odistique chelyn, surdaque averteris aure.
Intempesta cano: citius me tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones.
Nec, si tergeminum Sicula de virgine carmen
Affluat, aut sylvis chelys intellecta ferisque,
Mulceat insanos gemitus: stat pectore demens
Luctus, et admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat: satiare malis; ægrumque dolorem
Libertate doma: iam flendi expleta voluptas?
Iamne preces fessus non indignaris amicas?
Iamne canam? lacrymis en et mea carmina in ipso
Ore natant, tristesque cadunt in verba lituræ.
Ipse etenim tecum nigræ solennia pompæ,
Spectatumque urbi scelus, et puerile feretrum
Produxi: et sævos damnati thuris acervos,
Plorantemque animam supra sua funera vidi; (trum,
Teque, patrum gemitus superantem et brachia ma-
Complexumque rogos, ignemque haurire parantem,
Vix tenui, similis comes, offendique tenendo.
Et nunc (heu) vittis, et frontis honore soluto,
Infaustus vates, verso mea pectore tecum
Plango lyra. En! duri comitem sociumque doloris
(Si merui, luctusque tui consortia sensi)
Iam lenis patiare, precor. Me fulmine in ipso
Audivere patres: ego iuxta busta profusis
Matribus, atque piis cecini solatia natis,
Et mihi; cum proprios gemerem defectus ad ignes
(Quem, Natura!) patrem. Nec te lugere severos
Arceo: sed confer gemitus, pariterque fleamus.
Iamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O merito dilecte puer, primordia quærens,
Distrahor: hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit; rapit inde modestia præcox,
Et pudor et tenero probitas maturior ævo.

O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina caelo,
Et castigatæ collecta modestia frontis,
Ingenuique super crines, mollisque decoræ
Margo comæ? blandi ubinam ora arguta querelis,
Osculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ risu lacrymæ penitusque loquentis
Hyblæis vox tincta favis? cui sibila serpens
Poneret, et sævæ vellent servire novercæ,
Nil veris affingo bonis: ubi lactea colla,
Brachiaque, et nunquam domini sine pondere cervix?
O ubi venturæ spes non longinqua iuventæ,
Atque genis optatus honos, iurataque multum
Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora,
Hostilisque dies: nobis meminisse relictum.
Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas, mentisque arcana remittet?
Accensum quis bile fera, famulisque tumentem,
Leniet, ardentique in se deflectet ab ira?
Inceptas quis ab ore dapes, libataque vina,
Auferet, et dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis, abitusque morabitur arctis
Nexibus, atque ipso revocabit ad oscula poste?
Obvius intranti rursus quis in ora, manusque,
Prosiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus pariter, desolatique penates,
Et situs in thalamis, et mœsta silentia mensis.
Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere? tu domino requies, portusque senectæ;
Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ.
Non te barbaricæ versabat turbo catastæ,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales, meditataque verba locutus,
Quæsisti lascivus herum, tardeque parasti:
Hinc domus, hinc ortus: dominique penatibus olim
Carus uterque parens atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus. Raptum te protinus alvo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicavit,
Amplexusque sinu tulit, et genuisse putavit.
Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum,
Tuque, oro, Natura, sinas, cui prima per orbem
Iura animis sociare datum: non omnia sanguis
Proximus, aut serie generis demissa propago,
Alligat: interius nova sæpe adscitaque serpunt
Pignora connexis: natos genuisse necesse est,
At legisse iuvat: tenero sic blandus Achilli
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.
Nec genitor Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longe reditus Pallantis ovantes
Evander, fidus pugnas spectabat Acœtes.
Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris,
Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.
Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te, post cineres, deceptaque fulmina matris,
Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
Iam secura parens Thuscis regnabat in undis
Ilia, portantem lassabat Romulus Accam.
Vidi ego transertos aliena in robora ramos,
Altius ire suis. Et te iam fecerat illi
Mens animusque patrem; necdum mores ve, decor ve:
Tu tamen et notas etiam tum in murmura voces,
Vagitumque rudem, fletusque infantis amabas.
Ille, velut primos expiraturus ad Austros,
Mollibus in pratis alte flos improbus extat,
Sic tener, ante diem, vultu gressuque superbo
Vicerat æquales, multumque reliquerat annos.
Sive catenatis nudatus membra palæstris
Staret, Amyclæa conceptum matre putares;
Œbaliden illo præceps mutaret Apollo,
Alcides pensaret Hylan: seu, Graius amictu,
Attica facundi decurreret ora Menandri,
Laudaret gavisa sonum, crinemque decorum
Pressisset rosea lasciva Thalia corona:
Mæonium sive ille senem, Troiæque labores,
Diceret, aut casus tarde remeantis Ulyssei;
Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri.
Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra
Attigit; et gremio puerum complexa fovebat
Invidia: illa genas et adultum comere crinem,
Et monstare artes, et verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cœperat assurgens, et adhuc infantia iuxta;
Iam tamen et validi gressus, mensuraque maior
Cultibus, et visæ puero decrescere vestes.
Cum tibi, quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas iactare lacerna
Enormi non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens, modo Puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat; non turba comes, non munera censu,
Sola verecundo deerat prætexta decori.
Hæc fortuna domus: subitas inimica levavit
Parca manus: quo Diva feros gravis exeris ungues?
Non te forma movet? non te lacrymabilis ætas?
Hunc nec sæva viro potuisset carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras,
Editus Æolia nec si foret iste Creusa:
Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus.
Hunc, quanquam Hectoreos cineres Troiamque perosus
Turribus e Phrygiis flesset missurus Ulysses. (sus,
Septima lux: et iam frigentia lumina torpent,
Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.
Ille tamen, Parcis fragiles urgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguaque cadente
Murmurat: in te omnes vacui iam pectoris efflat
Relliquias: solum meminit, solumque vocantem
Exaudit: tibique ora movet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, consolaturque dolentem. (tis
Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta iacen-
Exedit puerile decus, manesque subivit
Integer, et nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat. Quid ego exequias, et prodiga flammis
Dona loquar, mœstoque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo tristis torus aggere crevit:
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores,
Arsuram lavere comam: cupit omnia ferre
Prodigus, et totos Melior succendere census,
Desertas exosus opes: sed non capit ignis
Invidus, atque arctæ desunt in munera flammæ.
Horror habet sensus: qualem te funere summo,
Atque rogum iuxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tune ille hilaris, comisque videri?
Unde animi, sævæque manus, et barbarus horror?
Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam?
Nunc torvus, pariter vestes et pectora rumpis,
Dilectosque premis visus, et frigida libas
Oscula: erant illic genitor, materque iacentis
Mœsta; sed attoniti te spectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, et prævia flerunt
Agmina, Flaminioque limite Mulvius agger (fans
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus in-
Traditur, et gemitum formæque ævoque meretur.

Talis, in Isthmiacos prolatus ab æquore portus,
Naufragus imposita iacuit sub matre Palæmon:
Sic et in anguiferæ ludentem gramine Lernæ,
Præcisum squammis, rabidus tulit anguis Ophelten.
Pone metus, letique minas desiste vereri:
Illum nec terno latrabit Cerberus ore:
Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris
Terrebit; quin ipse avidæ trux navita cymbæ
Interius steriles ripas et adusta subibit
Litora, ne puero dura ascendisse facultas.
Quid mihi gaudenti proles Cyllenia virga
Nuntiat? estne aliquid tam sævo in tempore lætum?
Noverat effigiem, generosique ardua Blæsi
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt, et similes tergentem pectore curas.
Hunc ubi Lethæi lustrantem gurgitis oras,
Ausonios inter proceres seriemque Quirini
Agnovit, timide primum vestigia iungit
Accessu tacito, summosque lacessit amictus;
Inde magis sequitur; neque enim magis ille trahentem
Sprevit, et ignota credit de stirpe nepotum.
Mox, ubi delicias, et rari pignus amici
Sensit, et amissi puerum solatia Blæsi;
Tollit humo, magnaque ligat cervice, diuque
Ipse manu gaudens vehit; et, quæ munera mollis
Elysii, steriles ramos, mutasque volucres
Porxit, et obtuso pallentes germine flores.
Nec prohibet meminisse tui; sed pectora blandus
Miscet, et alternum puero partitur amorem.
Hic finis rapto: quin tu iam vulnera sedas,
Et tollis mersum luctu caput? omnia functa,
Aut moritura vides; obeunt noctesque, diesque,
Astraque; nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? Hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his, et sæva cupido.
Ut sileam morbos; hos ora rigentia Brumæ,
Illos implacido letalis Sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quidquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus ulnis.
Ast hic, quem gemimus, felix, hominesque Deosque,
Et dubios casus et cæca lubrica vitæ,
Effugit, immunis fati: non ille rogavit,
Non timuit, meruitve mori. Nos, anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum; quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent. Nil flecteris istis?
Sed flectere libens. Ades huc emissus ab atro
Limite, cui soli cuncta impetrare facultas,
Glaucia; (nam insontes animas nec portitor arcet,
Nec diræ comes ille feræ) tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas; noctesque beatas
Dulcibus alloquiis, et vivis vultibus imple:
Et periisse nega, desolatamque sororem,
Qui potes, et miseros perge insinuare parentes.

II. *Villa Surrentina Pollii Felicis.*

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Uritur, et prælis non invidet uva Falernis.
Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
Cum stadio iam pigra quies, canusque sederet
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit, et nitidæ iuvenilis gratia Pollæ,
Flectere iam cupidum gressus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
Sed iuvere moræ. Placido lunata recessu
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes:
Dat Natura locum; montique intervenit udum
Litus, et in terras, scopulis pendentibus, exit.
Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea; at e terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari. Levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.
Ante domum tumidæ moderator cæruleus undæ
Excubat, innocui custos laris: huius amico
Spumant templa salo: felicia rura tuetur
Alcides; gaudet gemino sub numine portus.
Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat.
Mira quies pelagi: ponunt hic lassa furorem
Æquora, et insani spirant clementius Austri.
Hic præceps minus audet hiems; nulloque tumultu
Stagna modesta iacent, dominique imitantia mores.
Inde per obliquas erepit porticus arces,
Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.
Qua prius obscuro permixti pulvere soles,
Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas:
Qualis, si subeas Ephyres Baccheiados altum
Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo.
Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos
Phemonoe fontes, vel quos meus, auspice Phœbo,
Altius immersa turbavit Pollius urna,
Innumeras valeam species cultusque locorum
Pieriis æquare modis: vix ordine longo
Suffecere oculi; vix dum per singula ducor,
Suffecere gradus. Quæ rerum turba! locine
Ingenium, an domini, mirer prius? hæc domus Ortus
Prospicit, et Phœbi tenerum iubar; illa cadentem
Detinet, exactamque negat dimittere lucem,
Cum iam fessa dies, et in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant prætoria ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta sonoros
Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.
His favit Natura locis: his victa, colenti
Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.
Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt,
Quæ nunc tecta subis. Ubi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit: domuit possessor, et illum
Formantem rupes, expugnantemque, secuta
Gaudet humus: nunc cerne iugum discentia saxa,
Intrantesque domos, iussumque recedere montem.
Iam Methymnæi vatis manus, et chelys una
Thebais et Getici cedat tibi gloria plectri.
Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.
Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellei gaudent animasse colores;
Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa
Phidiacæ rasere manus; quod ab arte Myronis,
Aut Polycleteo iussum est quod vivere cælo.
Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;
Ora ducum, et vatum, sapientumque ora priorum,
Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis,
Expers turbarum, atque animum virtute quieta
Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam
Culmina, visendique vices? sua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare: transque iacentem
Nerea, diversis servit sua terra fenestris.
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret:
Armiger hinc magni patet Hectoris: inde malignum
Aera respirat pelago circumflua Nesis:
Inde vagis omen felix Euplœa carinis,
Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus.

Augitur et domino contra recubante, procul qui
Surrentina tuus spectat prætoria Limon.
Ante tamen cunctas procul eminet una diætas,
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit: hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa: quod Eoæ respergit vena Syenes;
Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.
Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
Macta animo, quod Graia probas, quod Graia frequentas
Arva: nec invideant, quæ te genuere Dicarchi
Mœnia: nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam
Iniecta, et madidas Baccheo nectare rupes?
Sæpe per autumnum, iam pubescente Lyæo,
Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereis, et dulces rapuit de collibus uvas.
Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu;
Et Satyri cecidere vadis; nudamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis: nec nobile mutes
Servitium; nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarcheique sinus: nec sæpius istis
Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.
Hic seu sidereas exercet Pollius artes,
Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor,
Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon;
Hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren
Advolat, hinc motis audit Tritonia cristis.
Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur
Obstrepere: emergunt pelago, doctamque trahuntur
Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant.
Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro,
Troica et Euphratæa super diademata felix:
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent; quid pectore magno
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemtus fatis, indignantemque refellens
Fortunam: dubium quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies; sed abire paratum,
Ac plenum vita. Nos, vilis turba, caducis
Deservire bonis, semperque optare parati,
Spargimur in casus: celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.
Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsusque duas veherere per urbes;
Inde Dicarchæis multum venerande colonis,
Hinc adscite meis; pariterque his largus et illis,
Ac iuvenile calens, plectrique errore superbus.
At nunc, discussa rerum caligine, verum
Adspicis: illo alii rursus iactentur in alto;
At tua securos portus, blandamque quietem
Intravit non quassa ratis: sic perge; nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.
Vivite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces, sanctusque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor: ite per annos
Seculaque, et priscæ titulos præcedite famæ.
Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cuius
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas:
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidive animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census, et docta fruendi
Temperies: non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

III. *Arbor Atedii Melioris.*

STAT, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
Arbor aquas, complexa lacus: ea robore ab imo
Curvata, enodis redit inde, cacumine recto
Ardua: ceu mediis iterum nascatur ab undis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas,
Naides, et faciles (satis est) date carmina, Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
Ille quidem it, cunctas tamquam velit; it tamen unam
In Pholoen: sylvis ea fluminibusque sequentis
Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
Iamque et belligerum Iani nemus, atraque Caci
Rura, Quirinalesque fuga suspensa per agros
Cœlica tecta subit: tum demum, victa labore,
Fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti
Stant sine fraude lares, fluidos collegit amictus
Arctius, et niveæ posuit se margine ripæ.
Insequitur velox pecorum Deus et sua credens
Connubia, ardenti iamiam suspiria librat
Pectore, iam prædæ levis imminet: ecce citatos
Advertit Diana gradus, dum per iuga septem
Errat, Aventinæque legit vestigia cervæ.
Pœnituit vidisse Deam; conversaque fidas
Ad comites: Nunquamne avidis arcebo rapinis
Hoc petulans fœdumque pecus? semperne pudici
Decrescet mihi turba chori? Sic deinde locuta
Depromit pharetra telum breve, quod neque flexis
Cornibus, aut solito torquet stridore; sed una
Emisit contenta manu, lævumque soporem
Naidos aversa fertur tetigisse sagitta.
Illa Deam pariter, surgens, hostemque protervum,
Vidit; et in fontem, niveos ne panderet artus,
Sicut erat, cum veste ruit: stagnisque sub altis,
Pana sequi credens, ima latus implicat alga.
Quid faceret subito deceptus prædo? Nec altis
Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
Pellis, et a tenero nandi rudis. Omnia questus,
Immitem Brimo, stagna invida, et invida tela;
Primævam visu platanum, cui longa propago,
Innumeræque manus, et iturus in æthera vertex,
Deposuit iuxta, vivamque aggessit arenam,
Optatisque aspergit aquis; et talia mandat:
Vive diu, nostri pignus memorabile voti,
Arbor; et hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ
Tu saltem declinis ama; et preme frondibus undam.
Illa quidem meruit; sed ne, precor, igne superno
Æstuet aut dura feriatur grandine: tantum
Spargere tu laticem, et foliis turbare memento.
Tunc ego teque diu recolam, dominamque benignæ
Sedis, et illæsa tutabor utramque senecta.
Et Iovis, et Phœbi frondes, et discolor umbra
Populus, et nostræ stupeant tua germina pinus.
Sic ait. Illa Dei veteres imitata calores,
Uberibus stagnis, obliquo pendula trunco,
Incubat; atque umbris tutatur amantibus undas.
Sperat et amplexus; sed aquarum spiritus arcet,
Nec patitur tactus. Tandem eluctata sub auras,
Libratur fundo, rursusque enode cacumen
Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
Stirpe lacus alia. Iam nec Phœbeia Nais
Odit, et exclusos invitat gurgite ramos.
Hæc tibi, parva quidem, genitali luce paramus

Dona, sed ingenti forsan victura sub ævo,
Tu, cuius placido posuere in pectore sedem
Blandus Honos, hilarisque, tamen cum pondere, Virtus:
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba; sed medius per honesta et dulcia limes;
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et secrete palam; qui digeris ordine vitam;
Idem auri facilis contemtor, et optimus idem
Comere divitias, opibusque immittere lucem.
Hac longum florens animi morumque iuventa,
Iliacos æquare senes, et vincere persta,
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos.
Hoc illi duras exoravere sorores;
Hoc, quæ te sub teste, situm fugitura tacentem,
Ardua magnanimi revirescit gloria Blæsi.

IV. *Psittacus Melioris.*

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ solers imitator, Psittace, linguæ,
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
Nobiscum; et, gratæ carpentem munera mensæ,
Errantemque toris, mediæ plus tempore noctis
Vidimus: affatus etiam, meditataque verba,
Reddideras: at nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus habes. Cedat Phaethontia vulgi
Fabula; nec soli celebrant sua funera cygni.
At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,
Argutumque tuo stridentia limina cornu?
En querulæ iam sponte fores! vacat ille beatus
Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.
Huc doctæ stipentur aves, quis nobile fandi
Ius Natura dedit: plangat Phœbeius ales;
Auditasque memor penitus demittere voces
Sturnus, et Aonio versæ certamine picæ:
Quique refert iungens iterata vocabula perdix;
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili.
Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis
Funera; et hoc cunctæ miserandum addiscite carmen:
Occidit, aeriæ celeberrima gloria gentis,
Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ;
Quem non gemmata volucris Iunonia cauda
Vinceret aspectu, gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro.
Ille salutator regum, nomenque locutus
Cæsareum, et queruli quondam vice functus amici;
Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba
Tam facilis; quo tu, Melior dilecte, recluso,
Nunquam solus eras. At non inglorius umbris
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant gramina plumæ,
Sicaniosque crocos: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

V. *Leo mansuetus Imp.*

Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus humanasque animo dedidicisse cædes,
Imperiumque pati, et domino parere minori?
Quid, quod abire domo, rursusq; in claustra reverti
Suetus, et a capta iam sponte recedere præda,
Insertasque manus laxo dimittere morsu?
Occidis, altarum vastator sæve ferarum,
Non grege Massylo curvaque indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu;
Sed victus fugiente fera. Stat cardine aperto
Infelix cavea; et clausis circum undique portis,
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.
Tunc cunctis cecidere iubæ, puduitque relatum
Aspicere, et torvas duxere in lumina frontes.
At te non primo fusum novus obruit ictu
Ille pudor; mansere animi, virtusque cadenti
A media iam morte redit: nec protinus omnes
Terga dedere minæ. Sicut, sibi conscius alti
Vulneris, adversum moriens it miles in hostem
Attollitque manum, et ferro labente minatur:
Sic piger ille gradu, solitoque exutus honore
Firmat hians oculos animumque, hostemque requirit.
Magna tamen subiti tecum solatia leti,
Victe, feres, quod te mœsti populusque Patresque,
Ceu notus caderes tristi gladiator arena,
Ingemuere mori: magni quod Cæsaris ora,
Inter tot Scythicas, Libycasque, et litore Rheni,
Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est,
Unius amissi tetigit iactura leonis.

VI. *Consolatio ad Flavium Ursum de amissione pueri delicati.*

Sæve nimis, lacrymis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos: miserum est primæva parenti
Pignora, surgentesque (nefas) accendere natos:
Durum et deserti, prærepta coniuge, partem
Conclamare tori: mœsta et lamenta sororum,
Et fratrum gemitus: arcte tamen, et procul intrat
Altius in sensus, maioraque vulnera vincit
Plaga minor. Famulum (quoniam rerum omnia casus
Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit)
Sed famulum gemis, Urse, pium: sed amore fideque
Has meritum lacrymas; cui maior stemmate iuncto
Nobilitas ex mente fuit: ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frenos dolor iste, (Deisque
Si tam dura placent) hominem gemis (hei mihi! subdo
Ipse faces) hominem, Urse, tuum cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil: qui sponte, sibique
Imperiosus erat. Quisnam hæc in funera missos
Castiget luctus? gemit inter bella peremtum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum, cervusque Maronis.
Quid si nec famulus? vidi ipse, animosque notavi
Te tantum capientis herum: sed maior in ore
Spiritus, et tenero manifesti in sanguine mores.
Optarent multum Graiæ, cuperentque Latinæ,
Sic peperisse nurus. Non talem Cressa superbum
Callida sollicito revocavit Thesea filo:
Nec Paris Œbalios talis visurus amores
Rusticus invisas deiecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus assueta licentia ducit:
Vidi, et adhuc video, qualem nec bella caventem
Litore virgineo Thetis occultavit Achillem:
Nec, circum sævi fugientem mœnia Phœbi,
Troilon Æmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis eras procul heu! cunctis puerisque virisque
Pulchrior, et tantum domino minor! illius unus
Ante decor, quantum præcedit clare minores
Luna faces, quantumq; alios premit Hesperus ignes.
Non tibi femineum vultu decus, oraque supra
Mollis honos; (quales dubiæ discrimine formæ
De sexu transire iubent) parvoque virilis
Gratia, nec petulans acies, blandique severo
Igne oculi; (qualis, bellis iam casside missa
Parthenopæus erat) simplexque horrore decoro
Crinis, et obsessæ nondum, primoque micantes
Flore genæ: talem Ledæo gurgite pubem
Educat Eurotas; teneri sic integer ævi
Elin adit, primosque Iovi puer approbat annos.
Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum
Temperies, teneroque animus maturior ævo,

Carmina quæ donaste queant? Sæpe ille volentem
Castigabat herum, studioque altusque iuvabat
Consiliis; tecum tristisque, hilarisque, nec unquam
Ille suus, vultumque tuo sumebat ab ore;
Dignus et Æmonium Pyladen præcedere fama,
Cecropiamque fidem: sed laudum terminus esto,
Quem fortuna sinit. Non mente fidelior ægra
Speravit tardi reditus Eumæus Ulyxi.
Quis Deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus
Eligit? unde manus Fatis tam certa nocendi?
O quam, divitiis censuque exutus opimo,
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus;
Seu Lucanus ager, seu Tybridis impetus, altas
In dextrum torsisset aquas, paterere serena
Fronte Deos: siva alma fidem messesque negasset
Cretaque, Cyreneque, et qua tibi cumque beato
Larga redit Fortuna sinu. Sed, gnara dolorum,
Invidis infelix animi vitalia vidit,
Lædendique vias. Vitæ modo limine adultæ
Nectere tendebat iuvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.
Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu:
Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem
Addidit, et solito sublimius ora levavit,
(Heu! misero letale favens) seseque videndo
Torsit, et invitam Mortem complexa, iacenti
Iniecit nexus, carpsitque immitis adunca
Ora verenda manu: quinta vix Phosphorus hora
Rorantem sternebat equum; iam litora duri
Sæva, Philete, senis, dirumque Acheronta videbas,
Quo domini clamate sono! non secius atros
Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos,
Nec pater: et certe, qui vidit funera, frater
Erubuit vinci: sed nec servilis adempto
Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos
Et Cilicum messes, Phariæque exempta volucri
Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos,
Et domini fletus: hos tantum hausere favillæ,
Hos bibit usque rogus: nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris,
Quam gemitus: sed et ipse iuvat. Quid terga dolori,
Urse, damus? quid damna foves, et pectore iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?
Quid caram crucias tam seris luctibus umbram?
Eximius licet ille animi, meritusque dolorem,
Solvisti: subit ille pios, carpitque quietem
Elysiam; carosque illic fortasse parentes
Invenit: aut illi per amœna silentia Lethes
Forsan Avernales alludunt undique mixtæ
Naides, obliquoque notat Proserpina vultu.
Pone, precor, questus; alium tibi Fata Phileton,
Forsan et ipse dabit; moresque habitusque decoros
Monstrabit gaudens, similemque ducebit amorem.

VII. *Genethliacon Lucani.*

LUCANI proprium diem frequentet,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones,
Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
Ipsi, quos penes est honor canendi,
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu, Bassaridum rotator Evan,
Et Pæan, et Hyantiæ sorores,
Lætæ purpureas novate vittas:
Crinem comite; candidamque vestem
Perfundant hederæ recentiores.
Docti largius evagentur amnes,
Et plus Aoniæ virete sylvæ;
Et, si qua patulam diem recepit,
Sertis mollibus expleatur umbra.
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,
Quas Dirce lavat, aut alit Cithæron.
Lucanum canimus: favete linguis:
Vestra est ista dies; favete, Musæ,
Dum, qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
Felix, heu, nimis, et beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis:
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris;
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Meleta Bætis.
Bætin, Mantua, provocare noli.
Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem,
Blando Calliope sinu recepit.
Tum primum posito remissa luctu,
Longos Orpheos exuit dolores:
Et dixit: Puer o dicate Musis,
Longævos cito transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem iuga, Martiumque Tybrim,
Et doctos Equites, et eloquenta
Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tarde reducis vias Ulyxi,
Et puppem temerariam Minervæ,
Trita vatibus orbita, sequantur:
Tu, carus Latio, memorque gentis,
Carmen fortior exeres togatum.
Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum.
Tu sedes reserabis inferorum.
[Ingratus Nero dulcibus theatris]
Et noster tibi præferetur Orpheus.
Dices, culminibus Remi vagantes,
Infandos domini nocentis ignes.
Tu castæ titulum decusque Pollæ
Iucunda dabis allocutione.
Mox, cœpta generosior iuventa,
Albos ossibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis,
Quod fulmen ducis inter arma Divi;
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius; et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.
Hæc primo iuvenis canes sub ævo,
Ante annos Culicis Maronianì,
Cedet Musa rudis ferocis Ennî,
Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui per freta ducit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin maius loquor: ipsa te Latinis
Æneis venerabitur canentem.

Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio suo decoram;
Qualem blanda Venus, daretque Iuno.
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.
Et vestros Hymenæon ante postes
Faustis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimium gravesque Parcæ!
O nunquam data festa longa summis!
Cur plus, ardua, casibus patetis?
Cur, læva vice magna non senescunt?
Sic natum Nasamonii Tonantis,
Post ortus obitusque fulminatos,
Angusto Babilon premit sepulcro.
Sic fixum Paridis manu trementi
Peliden Thetis horruit cadentem.
Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.
Sic et tu (rabidi nefas tyranni!)
Iussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulcris,
(O dirum scelus! o scelus!) tacebis.
Sic fata est, leviterque decidentes
Abrasit lacrymas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, et sepulcra rides;
Seu pacis merito nemus reclusum
Felix Elysiis tenes in oris,
Quo Pharsalica turba congregatur;
Et te nobile carmen insonantem
Pompeii comitantur, et Catones;
Seu magna sacer et superbus umbra
Nescis Tartaron, et procul nocentum
Audis verbera pallidmque visa
Matris lampade respicis Neronem,
Adsis lucidus; et, vocante Polla,
Unum, quæso, diem Deus silentum
Exoras: solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.
Hæc te non thiasis procax dolosis
Falsi numinis induit figuras;
Ipsum sed colit, et frequentat ipsum
Imis altius insitum medullis:
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui, simili notatus auro,
Stratis prænitet, excubatque somno
Securæ. Procul hinc abite, mortes;
Hæc vitæ genitalis est origo:
Cedat luctus atrox, genisque manent
Iam dulces lacrymæ; dolorque festus,
Quidquid fleverat ante, nunc adoret.

Liber tertius

Statius Pollio suo Salutem.

Tibi certe, Polli dulcissime, et hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime, non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem, cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos, et hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus, altius literas intro, et in omnes e te studiorum sinus ducor. Securus itaque tertius hic Sylvarum nostrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem et secundus testem; sed hic habet auctorem. Nam primum limen eius Hercules Surrentinus aperit, quem, in litore tuo consecratum, statim ut videram, his versibus adoravi. Sequitur libellus, quo splendidissimum et mihi iucundissimum iuvenem, Metium Celerem, a sacratissimo Imperatore missum ad legionem Syriacam, quia sequi non poteram, sic prosecutus sum. Merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium, cum lugeret veris (quod amarissimum est) lacrymis senem patrem. Earinus præterea, Germanici nostri libertus, scit quamdiu desiderium eius moratus sim, cum petiisset, ut Capillos suos, quos, cum gemmata pyxide et speculo, ad Pergamenum Asclepium mittebat, versibus dedicarem. Summa est Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, si verum dicimus, sermo est; et quidem securus, ut cum uxore, et qui persuadere malit, quam placere. Huic præcipue libello favebis, cum scias habere destinationem quietis meæ, et tibi maxime intendere; meque non tam in patriam, quam ad te, secedere.

I. *Hercules Surrentinus Pollii Felicis.*

Intermissa tibi renovat, Tirynthie, sacra
Pollius; et causas designat desidia anni,
Quod coleris maiore tholo; nec litora pauper
Nuda tenes, tectumque vagis habitabile nautis,
Sed nitidos postes, Graiisque effulta metallis
Culmina; ceu, tædis iterum lustratus honesti
Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma.
Vix oculis animoque fides: tune ille reclusi
Liminis, et parvæ custos inglorius aræ?
Unde hæc aula recens, fulgorque inopinus agresti
Alcidæ? sunt fata Deum, sunt fata locorum.
O velox pietas! steriles hic nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras,
Cernere erat: quonam subito fortuna rigentes
Divisit scopulos? Tyrione hæc mœnia plectro,
An Getica venere lyra? Stupet ipse labores
Annus, et angusto bisseni limite menses
Longævum mirantur opus. Deus affuit, arces
Erexitque suas, atque obluctantia saxa
Submovit nitens, et magno pectore montem
Reppulit; immitem credas iussisse novercam.
Ergo, age, seu patrios, liber iam legibus, Argos
Incolis, et mersum tumulis Eurysthea calcas;
Sive tui solium Iovis, et virtute parata
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris excluso melior Phryge, porrigit Hebe:
Huc ades, et genium templis nascentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis;
Sed felix simplexque domus, fraudumque malarum
Inscia, et hospitibus Superis dignissima sedes.
Pone truces arcus, agmenque immite pharetræ,
Et regum multo perfusum sanguine robur,
Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem.
Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur; et signis crescit torus asper eburnis.
Pacatus mitisque veni; nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Mænalis Auge
Confectum thiasis, et multo fratre madentem,
Detinuit; qualemque vagæ post crimina noctis
Thestius obstupuit, toties socer. Hic tibi festa
Gymnas, et insontes iuvenum sine cæstibus iræ,
Annua veloci peragunt certamina lustro.
Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos
Parvus adhuc, similisque tui, cum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.

Sed quænam subiti veneranda exordia templi,
Dic age, Calliope: socius tibi grande sonabit
Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.
  Tempus erat, cœli cum torrentissimus axis
Incumbit terris, ictusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Iamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinium Triviæ nemus, et face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat
Emeritos Diana canes, et spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras; omnisque pudicis
Itala terra focis Hecateias excolit idus.
Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Unda domi, curas mulcere, æstusque levare
Sufficerent; notas Sirenum nomine rupes,
Facundique larem Polli non hospes habebam;
Assidue moresque viri, pacemque novosque
Pieridum flores, intactaque carmina discens.
Forte diem Triviæ dum litore ducimus udo,
Angustasque fores assuetaque tecta gravati
Frondibus et patula defendimus arbore soles;
Delituit cœlum; et subitis lux candida cessit
Nubibus; et tenuis graviore Favonius Austro
Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
Donatur, testesque ululant per devia Nymphæ.
Diffugimus; festasque dapes redimitaque vina
Abripiunt famuli: nec quo convivia migrent;
(Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
Insedere domus, et multo culmine dives
Mons nitet) instantes sed proxima quærere nimbi
Suadebant, læsique fides reditura sereni.
Stabat dicta sacris tenuis casa nomine templi,
Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi,
Vix operire capax: huc omnis turba coimus;
Huc epulæ, ditesque tori, cœtusque ministrum
Stipantur, nitidæque cohors gratissima Pollæ.
Non cepere fores, angustaque deficit ædes.
Erubuit risitque Deus, dilectaque Polli
Corda subit, blandisque animum complectitur ulnis:
Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa
Tecta Dicarcheæ pariter, iuvenemque replesti
Parthenopen? nostro qui tot fastigia monti,
Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,
Æraque, tot scripto viventes lumine ceras
Fixisti? quid enim ista domus, quid terra, priusquam
Te gauderet, erant? longo tu tramite nudos
Texisti scopulos; fueratque ubi semita tantum,
Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis,
Ne sorderet iter: curvi tu litoris ora
Clausisti calidas gemina testudine nymphas.
Vix opera enumerem: mihi pauper et indigus uni
Pollius? et tales ilaris tamen intro penates,
Et litus, quod pandis, amo: sed proxima sedem
Despicit, at tacite ridet mea numina, Iuno.
Da templum, dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint transire secundis;
Quo Pater ætherius, mensisque accita Deorum
Turba, et ab excelso veniat soror hospita tecto.
Nec te, quod solidus contra riget umbo maligni
Montis, et immenso non unquam excisus ab ævo,
Terreat; ipse adero, et conamina tanta iuvabo,
Asperaque invitæ perfringam viscera terræ.
Incipe, et, Herculeis fidens hortatibus, aude.
Non Amphioniæ steterint velocius arces,
Pergameusve labor. Dixit, mentemque reliquit.
Nec mora, conscripta formentur imagine templa:
Innumeræ coiere manus: his cædere sylvas,
Et levare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta solo. Coquitur pars uvida terræ,
Protectura hiemes, atque exclusura pruinas;
Indomitusque silex curva fornace liquescit.
Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes, et saxa negantia ferro.
Hic pater ipse loci positis Tirynthius armis
Insudat, validaque solum deforme bipenni,
Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra,
Ipse fodit: dites Capreæ, viridesque resultant
Taurubulæ, et terris ingens redit æquoris echo.
Non tam grande sonat motis incudibus Ætna,
Cum Brontes Steropesque ferit: nec maior ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, et castis exornat Pallada donis.
Decrescunt scopuli; et rosea sub luce reversi
Artifices mirantur opus. Vix annus anhelat
Alter, et ingenti dives Tirynthius arce
Despectat fluctus, et iunctæ tecta novercæ
Provocat, et dignis invitat Pallada templis.
Iam placidæ dant signa tubæ; iam fortibus ardens
Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores
Iupiter, aut Cirrhæ pater aspernetur opacæ.
Nil his triste, locis: cedat lacrymabilis Isthmos,
Cedat atrox Nemee: litat hic felicior infans.
Ipsæ pumiceis virides Nereides antris
Exsiliunt ultro, et scopulis umentibus hærent;
Nec pudet occulte nudas spectare palæstras.
Spectat et Icario nemorosus palmite Gaurus,
Sylvaque, quæ cinctam pelago Nesida coronat;
Et placidus Limon, omenque Euplœa carinis,
Et Lucrina Venus; Phrygioque e vertice Graias
Asciscis, Misene, tubas: ridetque benigna
Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum
Certatus, et parvæ suæ simulacra coronæ.
Quin age, et ipse libens proprii certaminis actus
Invicta dignare manu: seu nubila disco
Findere, seu volucres Zephyros prævertere telo,
Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras,
Indulge his sacris: et si tibi poma supersunt
Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ;
Nam capit, et tantum non degener ambit honorem.
Quod si dulce decus viridesque resumeret annos,
(Da veniam, Alcide,) fors huic et pensa tulisses.
Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras
Libamenta tuli: nunc ipsum in limine cerno
Solventem voces, et talia dicta ferentem:
  MACTE animis opibusque, meos imitate labores,
Qui rigidas rupes, infecundæque pudenda
Naturæ deserta domas, et vertis in usum
Lustra habitata feris, fœdeque latentia profers
Numina. Quæ tibi nunc meritorum præmia solvam?
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendamque colus: duram scio vincere mortem:
Avertam luctus, et tristia damna vetabo;
Teque nihil læsum viridi renovabo senecta;
Concedamque diu iuvenes spectare nepotes:
Donec et hic sponsæ maturus, et illa marito;
Rursus et ex illis soboles nova, grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurret ad oscula Pollæ.
Nam templis nunquam statuetur terminus ævi,
Dum me flammigeri portabit machina cœli.
Nec mihi plus Nemee, priscumve habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, Solisve cubilia Gades.
  Sic ait, et, tangens surgentem altaribus ignem,
Populeaque movens albentia tempora sylva,
Et Styga et ætherei iuravit fulmina patris.

II. *Propempticon Metio Celeri.*

Di, quibus audaces amor est servare carinas,
Sævaque ventosi mulcere pericula ponti,
Sternite molle fretum, placidumque advertite votis
Concilium, et lenis non obstrepat unda precanti.
Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo
Depositum: iuvenis dubiæ committitur alno
Metius, atque animæ partem super æquora nostræ
Maiorem transferre parat: proferte benigna
Sidera, et antennæ gemino considite cornu,
Œbalii fratres: vobis pontusque polusque
Luceat: Iliacæ longe nimbosa sororis
Astra fugate, precor, totoque excludite cœlo.
Vos quoque, cæruleum, divæ Nereides, agmen,
Quis honor, et regni cessit fortuna secundi,
(Dicere quas magni fas sit mihi sidera ponti)
Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,
Baianosque sinus, et fœta tepentibus undis
Litora tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes ubi celsa ratis, quam scandere gaudet
Nobilis Ausoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærenda diu: modo nam, trans æquora, terris
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum:
Prima salutavit Capreas, et margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.
Huius utrumque latus molli præcingite gyro;
Partitæque vices, vos stuppea tendite mali
Vincula, vos summis annectite suppara velis;
Vos Zephyris aperite sinus: pars transtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.
Sint, quibus exploret rupes gravis arte molybdis,
Quæque secuturam religent post terga phaselon,
Uncaque submersæ penitus retinacula vellant.
Temperet hæc æstus, pelagusque inclinet ad Ortus:
Officio careat glaucarum nulla sororum.
Hinc multo Proteus, geminoque hinc corpore Triton
Prænatet; et subitis qui perdidit inguina monstris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Litoream blanda feriens Anthedona cauda.
Tu tamen ante omnes, Diva cum matre Palæmon,
Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas,
Nec cano degeneri Phœbeum Amphiona plectro.
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii flatus, omnisque per æquora ponti
Spiritus, atque hiemes nimbosaque nubila parent,
Arctius obiecto Borean, Eurumque, Notumque
Monte premat: soli Zephiro sit copia cœli;
Solus agat puppes, summasque supernatet undas
Assiduus pelago; donec tua, turbine nullo,
Læta Parætoniis assignet carbasa ripis.
Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes
Increpat: inde meum timido iam frigore pectus
Labitur, et nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.
Iamque ratem terris divisit fune soluto
Navita, et angustum deiecit in æquora pontem:
Sævus et e puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit;
Nec longum cara licet in cervice morari.
Attamen in terras e plebe novissimus omni
Ibo, nec egrediar nisi iam cedente carina.
Quis rude et abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii; nec enim temeraria virtus
Illa magis, summæ gelidum quæ Pelion Ossæ
Iunxit, anhelantemque iugis bis pressit Olympum.
Usque adeone parum lentas transire paludes,
Stagnaque et angustos submittere pontibus amnes?
Imus in abruptum; gentilesque undique terras
Fugimus, exigua clausi trabe, et aere nudo.
Inde furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cœli fremitus, et fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora somno;
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus
Audebant: visis tumuerunt puppibus undæ,
Inque hominem surrexit hiems. Tunc nubila Pleias,
Oleniumque pecus: solito tunc peior Orion.
Iusta queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas,
Paulatim minor, et longe servantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores;
Teque super reliquos, te, nostri pignus amoris,
Portatura, Celer: quos nunc ego pectore somnos,
Quosve queam perferre dies? quis cuncta paventi
Nuntius, an facili te prætermiserit unda
Lucani rabida ora maris? num torva Charybdis
Fluctuet, aut Siculi populatrix virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?
Quæ pax Carpathio? quali te subvehat aura
Doris, Agenorei furtis blandita iuvenci?
Sed merui questus: quid enim, te castra petente,
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos,
Cimmeriumque Chaos? starem prope bellica regis
Signa mei, seu tela manu, seu frena teneres,
Armatis seu iura dares; operumque tuorum,
Etsi non socius, certe mirator adessem.
Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli
Litus ad Iliacum Thymbræaque Pergama venit
Imbellis, tumidoque nihil iuratus Atridæ,
Cur nobis ignavus amor? sed pectore fido
Nusquam abero; longisque sequar tua carbasa votis.
Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro:
Ac iuvenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæstinasque dedit frenare cohortes,
Ipsa manu placida per limina festa sacrosque
Duc portus, urbesque tuas: te præside, noscat
Unde paludosi fœcunda licentia Nili:
Cur vada desidant, et ripa coerceat undas
Cecropio signata luto; cur invida Memphis,
Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi;
Cur servet Pharias Lethæus ianitor aras;
Vilia cur magnos æquent animalia Divos;
Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix,
Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.
Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor, Hyblæo perfusus nectare, durat:
Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.
Usque et in Assyrias sedes mandataque castra
Prosequere, et Marti iuvenem, Dea, trade Latino.
Nec novus hospes erit: puer his sudavit in arvis,
Notus adhuc tantum maioris munere clavi:
Iam tamen et turmas facili prævertere gyro
Fortis, et Eoas iaculo damnare sagittas.
Ergo erit illa dies, qua te, maiora daturus,
Cæsar ab emerito iubeat discedere bello?
At nos, hoc iterum stantes in litore, vastos
Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras.
O tum quantus ego! aut quanta votiva movebo
Plectra lyra! cum me magna cervice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primum
Incumbes e puppe novus, servataque reddes
Colloquia, inque vicem medios narrabimus annos:
Tu, rapidum Euphraten, et regia Bactra, sacrasque

Antiquæ Babylonis opes, et Zeugma, Latinæ
Pacis iter; qua dulce nemus florentia Idumes;
Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco
Sidoniis iterata cadis: quo germine primum
Candida felices sudent opobalsama virgæ:
Aut ego, devictis dederim quæ iusta Pelasgis,
Quæque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

III. *Lacrymæ Claudii Etrusci.*

Summa Deum, Pietas, cuius, gratissima cœlo,
Rara profanatas inspectant numina terras,
Huc, vittata comam, niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc præsens, nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos atque aurea regna colebas,
Mitibus exequiis ades; et lugentis Etrusci
Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora questu,
Complexumque rogos, incumbentemque favillis,
Aspiciens, non aut primævæ funera plangi
Coniugis, aut nati modo pubescentia credat
Ore rapi flammis? Pater est, qui fletur: adeste,
Dique hominesque, sacris: procul hinc, procul ite, nocen-
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus (tes;
Longa patris; si quis pulsatæ conscius umbram
Matris, et infernam rigidum timet Æacon urna.
Insontes castosque voco. Tenet ecce seniles
Leniter applicitos vultus, sanctamque parentis
Canitiem spargit lacrymis, animæque supremum
Frigus amat: celeres genitoris filius annos,
(Mira fides) pigrasque putat properasse sorores.
Exultent placidi Lethæa ad flumina Manes,
Elysiæ gaudete domus: date serta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, heu nimium felix, ploratque nato,
Umbra venit. Longe Furiarum sibila, longe
Tergeminus custos. Penitus via longa patescat
Manibus egregiis: eat, horrendumque silentis
Accedat domini solium, gratesque supremas
Perferat, et totidem iuveni roget anxius annos.
Macte pio gemitu! dabimus solatia dignis
Luctibus; Aoniasque tuo sacrabimus ultro
Inferias, Etrusce, seni. Tu largus Eoa
Germina, tu messes Ciliciumque Arabumque superbis
Merge rogis: ferat ignis opes hæredis; et alto
Aggere, missuri nitido pia nubila cœlo,
Stipentur cineres: nos non arsura feremus
Munera; venturosque tuus durabit in annos, (tem
Me monstrante, dolor: neque enim mihi flere paren-
Ignotum, et similes gemui proiectus ad ignes.
Ille mihi tua damna dies compescere cantu
Suadet; et ipse tuli, quos nunc tibi confero, questus.
Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis
Linea, nec proavis demissum stemma: sed ingens
Supplevit fortuna genus, culpamque parentum
Occuluit: neque enim dominos de plebe tulisti,
Sed, quibus Occasus pariter famulantur et Ortus.
Nec pudor iste tibi: quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? vice cuncta reguntur,
Alternisque regunt. Propriis sub regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma;
Hanc ducibus frenare datum: mox crescit in illos
Imperium Superis: sed habent et numina legem:
Servit et astrorum velox chorus, et vaga servit
Luna, nec iniussi toties redit orbita solis.
Et (modo si fas est æquare iacentia summis)
Pertulit et sævi Tirynthius horrida regis
Pacta; nec erubuit famulantia fistula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:
Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles, Hermique vadum; quo Lydius intrat
Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo.
Læta dehinc series, variisque ex ordine curis (per
Auctus honos; semperque gradus prope numina, sem-
Cæsareum coluisse latus, sacrisque Deorum
Arcanis hærere datum. Tibereia primum
Aula tibi, vix dum ora nova mutante iuventa,
Panditur: hic, annis multa super indole victis,
Libertas oblata venit: nec proximus hæres,
Immitis quanquam et furiis agitatus, abegit.
Hunc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum,
Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant, mersasque iubent iam sanguine tacto
Reddere ab ore manus, et nulla vivere præda.
Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem
Claudius, et longo transmisit habere Neroni.
Quis, Superos metuens, pariter tot templa, tot aras,
Promeruisse datur? summi Iovis aliger Arcas
Nuntius; imbrifera potitur Thaumantida Iuno:
Stat celer obsequio iussa ad Neptunia Triton:
Tu toties mutata ducum iuga rite tulisti
Integer; inque omni felix tua cymba profundo.
Iamque piam lux alta domum, præcelsaque toto
Intravit Fortuna gradu: iam creditur uni
Sanctarum digestus opum, sparsæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi.
Quidquid ab auriferis eiectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, æstiferi quidquid terit area Nili,
Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi,
Perspicuæque nives Massylaque robora, et Indi
Dentis honos: uni parent commissa ministro,
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Au-
invehit; hiberno scitius numeraveris imbres, (ster
Silvarumque comas. Vigil iste animique sagacis
Exitus evolvit, quantum Romana sub omni
Pila die, quantumque Tribus: quid templa, quid alti
Undarum cursus, quid propugnacula poscant
Æquoris, aut longe series porrecta viarum;
Quod Domini celsis niteat laquearibus aurum,
Quæ Divum in vultus igni formanda liquescat
Massa: quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ,
Hinc tibi rara quies, animoque exclusa voluptas,
Exiguæque dapes, et nunquam læsa profundo
Cura mero: sed iure tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, et iungere festa
Connubia, et fidos domino genuisse clientes.
Quis sublime decus formamque insignis Etruscæ
Nesciat? haud unquam proprio mihi cognita visu:
Sed decus eximium formæ par reddit imago
Vultibus, et simili natorum gratia monstrat.
Nec vulgare genus: fasces, summamque curulem
Frater, et Ausonios enses, mandataque fidus
Signa tulit, cum prima truces amentia Dacos
Impulit, et magno gens est damnata triumpho.
Sic, quidquid patrio cessatum e sanguine, mater
Reddidit; obscurumque latus clarescere vidit
Connubio gavisa domus: nec pignora longe:
Quippe bis ad partus venit Lucina: manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fœcunda labores.
Felix, oh! si longa dies, si cernere vultus
Natorum, viridesque genas, tibi iusta dedissent
Stamina! sed media cecidere abrupta iuventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos:
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesve rosæ primos moriuntur ad Austros,

Aut uti verna novis expirat purpura pratis.
Illa sagittiferi circumvolitastis, Amores,
Funera, maternoque rogos unxistis amomo:
Nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem
Spargere, collataque pyram struxere pharetræ.
Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dedisses
Maternis, Etrusce, rogis, qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?
Illum et, qui nutu superas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus et astris,
Lætus Idumæi donavit honore triumphi:
Dignatusque loco victricis et ordine pompæ
Non vetuit; tenuesque nihil minuere parentes.
Atque idem, in cuneos populum cum duxit equestres,
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, et celse natorum æquavit honori.
Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris,
Atque avi sine nube tenor. Quam dives in usus
Natorum, totoque volens excedere censu,
Testis adhuc largi nitor inde assuetus Etrusci,
Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.
Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas
Blandus, et imperio nunquam pater: huius honori
Pronior ipse etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti iuvenes, pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?
Tu (seu tarda situ rebusque exhausta senectus
Erravit; seu blanda diu Fortuna regressum
Maluit) attonitum, et venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum lenique procella
Contentus monuisse senem: cumque horrida supra
Æquora, curarum socius, procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani litoris oras,
Et Diomedeas concedere iussus in arces,
Atque hospes, non exul erat: nec plura moratus,
Romuleum reseras iterum, Germanice, limen,
Mœrentemque foves, inclinatosque penates
Erigis: haud mirum, Ductor placidissime; quando
Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem:
Quæ modo Marcomanos post horrida bella vagosque
Sauromatas, Latio non est dignata triumpho.
Iamque in fine dies, et inexorabile pensum
Deficit. Hic mœsti pietas me poscit Etrusci,
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati iam certus olor, sævique marita
Tereos: heu quantis lassantem brachia vidi
Planctibus, et prono fusum super oscula vultu!
Vix famuli, comitesque tenent; vix arduus ignis
Submovet: haud aliter gemuit periuria Theseus
Litore, quo falsis deceperat Ægea velis.
Tunc immane fremens, fœdatusque ora, tepentes
Affatur cineres: Cur nos, fidissime, linquis,
Fortuna redeunte, pater? Modo numina magni
Præsidis, atque breves Superum pacavimus iras,
Nec frueris; tantique orbatus muneris usu,
Ad Manes, ingrate, fugis: nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aspera numina Lethes?
Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ!
Quique tener sævis genitorem Scipio Pœnis
Abstulit, et Lydi pietas temeraria Lausi.
Ergo et Thessalici coniux pensare mariti
Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex
Threicius? ah quanto melius pro parte liceret!
Non totus rapiere tamen, nec funera mittam
Longius: hic Manes, hic intra tecta tenebo.
Tu custos dominusque laris: tibi cuncta tuorum
Parebunt: ego rite minor, semperque secundus,
Assiduas libabo dapes et pocula sacris
Manibus, effigiesque colam: te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ:
Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum.
Inde viam morum, longæque examina vitæ,
Affatusque pios, monituraque somnia, poscam.
Talia dicentem genitor dulcedine læta
Audit, et immites lente descendit ad umbras;
Verbaque dilectæ fert narraturus Etruscæ.
Salve supremum, senior mitissime patrum,
Supremumque vale: qui nunquam, sospite nato,
Triste Chaos, mœstique situs patiere sepulcri.
Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
Semper et Assyrios felix bibet urna liquores,
Et lacrymas, qui maior honos: hic sacra litabit
Manibus, inque tua tumulum tellure levabit.
Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit,
Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

IV. *Capilli Flavii Earini.*

ITE, comæ, facilemque precor transcurrite pontum;
Ite, coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit cursus mitis Cytherea secundos,
Placabitque Notos: fors et de puppe timenda
Transferet, inque sua ducet super æquora concha.
Accipe laudatos, iuvenis Phœbeie, crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer: accipe lætus,
Intonsoque ostende patri: sine, dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet esse Lyæi.
Forsan et ipse comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro.
Pergame, pinifera multum felicior Ida!
Illa licet sacræ placeat sibi laude rapinæ;
(Nempe dedit Superis illum, quem turbida semper
Iuno videt, refugitque manum, nectarque recusat:)
At tu, grata Deis, pulchroque insignis alumno,
Misisti Latio, placida quem fronte ministrum
Iuppiter Ausonius pariter Romanaque Iuno
Aspiciunt, et uterque probant. Nec tanta potenti
Terrarum Domino Divum sine mente voluptas.
Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
Dum petit, et molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adest, et, festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.
Hic puerum egregiæ præclarum sidere formæ
Ipsius ante Dei ludentem conspicit aras.
Ac primum, subita paulum decepta figura,
Natorum de plebe putat: sed non erat illi
Arcus, et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ.
Miratur puerile decus; vultumque comasque
Aspiciens, Tune Ausonias, ait, ibis ad arces,
Neglectus Veneri? tu sordida tecta, iugumque
Servitii vulgare, feres? procul absit: ego isti,
Quem meruit, formæ dominum dabo. Vade age mecum,
Vade, puer; ducam volucri per sidera curru
Donum immane duci: nec te plebeia manebunt
Iura; Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil, fateor, toto tam dulce sub orbe
Aut vidi aut genui. Cedat tibi Latmius ultro
Sangariusque puer; quemque irrita fontis imago,
Et sterilis consumsit amor. Te cœrula Nais
Mallet, et apprensa traxisset fortius urna.
Tu, puer, ante omnes; solus formosior ille,
Cui daberis. Sic orsa, leves secum ipsa per auras
Tollit, olorinaque iubet considere biga.
Nec mora: iam Latii montes, veterisque penates
Evandri, quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit, et summis æquat Germanicus astris.

Tunc propior iam cura Deæ, quæ forma capillis
Optima, quæ vestis roseos accendere vultus
Apta; quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Norat cœleste, oculos ducis; ipsaque tædas
Iunxerat, et plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines, Tyrios sic fundit amictus;
Dat radios, ignemque suum: cessere priores
Deliciæ, famulumque greges: hic pocula magno
Prima duci, myrrhasque graves crystallaque portat
Candidiore manu: crescit nova gratia Baccho.
Care puer, Superis qui prælibare verendum
Nectar, et ingentem toties contingere dextram
Electus, quam nosse Getæ, quam tangere Persæ,
Armeniique, Indique, petunt! O sidere dextro
Edite! multa tibi Divum indulgentia favit!
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes
Spargeret, et pulchræ fuscaret gratia formæ,
Ipse Deus patriæ celsam trans æquora liquit
Pergamon: haud ulli puerum mollire potestas
Credita; sed tacita iuvenis Phœbeius arte
Leniter, et nullo concussum vulnere corpus
De sexu transire iubet: tamen anxia curis
Mordetur, puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum,
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit Natura videt; nec lege sinistra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque, nunc iuvenis, genitus si tardius esses,
Umbratusque genas, et adultos fortior artus,
Non unum gaudens Phœbea ad limina munus
Misisses: patrias nunc vertex solus ad aras
Naviget: hunc multo Paphie saturabat amomo,
Hunc nova tergemina repetebat Gratia dextra.
Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi,
Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.
Ipsi, cum primum niveam præcerpere frontem
Decretum est, humerosque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas, et serica pectore ponunt
Pallia: tunc iunctis crinem incidere sagittis,
Atque auro gemmisque locant: rapit ipsa cadentes
Mater, et arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer e turba, manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portaverat auro,
Hoc quoque demus, ait; patriis nec gratius ullum
Munus erit templis, ipsoque potentius auro.
Tu modo fige aciem, et vultus hos usque relinque.
  Sic ait, et speculum seclusit imagine rapta.
At puer, egregias tendens ad sidera palmas,
His mihi pro donis, hominum mitissime custos,
(Si merui) longa dominum renovare iuventa,
Atque orbi servare velis! Hoc sidera mecum,
Hoc undæ terræque rogant: eat, oro, per annos
Iliacos, Pyliosque situs; propriosque penates
Gaudeat, et secum Tarpeia senescere templa.
Sic ait, et motas miratur Pergamos aras.

V. *Ad Claudiam uxorem.*

Quin mihi mœsta die, sociis quid noctibus, uxor,
Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
Non metuo, ne læsa fides, aut pectore in isto
Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
(Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu)
Non datur: et si egomet patrio de litore raptus,
Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares;
Non intersectas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamisque orbata, negasses.
Dic tamen, unde alia mihi fronte, et nubila vultus?
Anne quod Euboicos fessus remeare penates
Auguror, et patria senium componere terra?
Cur hoc triste tibi? certe lascivia cordi
Nulla; nec aut rapidi mulcent te prœlia Circi,
Aut intrat sensus clamosi turba theatri;
Sed probitas, et opaca quies, et sordida nunquam
Gaudia. Quas autem comitem te rapto per undas?
Quanquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos,
Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules,
Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias. Etenim tua, (nempe benigna
Quam mihi sorte Venus iunctam florentibus annis
Servet et in senium;) tua, (quæ me vulnere primo,
Intactum thalamis, et adhuc iuvenile vagantem,
Fixisti) tua frena libens docilisque recepi;
Et, semel insertas non mutaturus habenas,
Usque premo. Tu me nitidis Albana ferentem
Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro,
Visceribus complexa tuis; sertisque dedisti
Oscula anhela meis. Tu, cum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum ingratumque dolebas,
Mecum victa, Iovem: tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, motasque in murmura voces
Aure rapis vigili: longi tu sola laboris
Conscia, cumque tuis crevit mea Thebais annis.
Qualem te nuper, Stygias prope raptus ad undas,
Cum iam Lethæos audirem comminus amnes,
Aspexi! tenuique oculos iam morte cadentes.
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati
Te tantum miserata dedit, Superique potentes
Invidiam timuere tuam; post ista, propinquum
Nunc iter, optatosque sinus, comes ire moraris?
Heu ubi nota fides, totque explorata per usus,
Qua veteres Latias Graiasque Heroidas æquas?
Isset ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gavisa domos, si passus Ulyxes.
Questa est Ægiale, questa est Melibœa, relinqui;
Et quanquam sævi fecerunt Mænada planctus.
Nec minor his tu nosse fidem, firmamque maritis
Reddere: sic certe cineres, umbramque priorem
Quæris adhuc: sic exequias amplexa canori
Coniugis, ingentes iteras de pectore planctus,
Iam mea. Nec pietas alia est tibi, curaque natæ:
Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit
Nata tuo; fixamque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes: non sic Trachinia nidos
Alcione veros, non sic Philomela penates, (fert.
Circuit, amplexuque animamque in pignora trans-
Et nunc illa tenet viduum quod sola cubile,
Otia tam pulchræ terit infœcunda iuventæ:
Sed venient, plenis venient connubia tædis.
Sic certe, formæque bonis, animique meretur:
Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit,
Candida seu molli diducit brachia motu;
Ingenium probitas, artemque modestia vincit.
Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
Hoc cessare decus? Nec tantum Roma iugales
Conciliare toros, festasque accendere tædas
Fertilis; et nostra generi tellure dabuntur.
Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hiems, trepidas exhausit civibus urbes:
Stant, populisque vigent: hic auspice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, et litora mundo
Hospita: et hic, magnæ tractus imitantia Romæ,
Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris.
Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ

Ipse Dionæa monstravit Apollo columba.
Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Libye, natale solum) transferre laboro:
Quas et mollis hiems, et frigida temperat æstas:
Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.
Pax secura locis, et desidis otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, somnique peracti.
Nulla foro rabies, aut strictæ iurgia leges
Norunt: iura viris solum, et sine fascibus, æquum.
Quid nunc magnificas species, cultusque locorum,
Templaque, et innumeris spatia interstincta colu-
Et geminam molem nudi tectique theatri, (mnis,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris;
Quid laudem risus, libertatemque Menandri,
Quam Romanus honos et Graia licentia miscent?
Nec desunt variæ circum oblectamina vitæ;
Sive vaporiferas, blandissima litora, Baias,
Enthea fatidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce sit, Iliacoque iugum memorabile remo:
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri,
Teleboumque domos; trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ:
Caraque non molli iuga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget:
Ænariæque lacus medicos, Statinasque renatas.
Mille tibi nostræ referam telluris amores:
Sed satis hoc, coniux, satis hoc dixisse, creavit
Me tibi, me socium longos astrinxit in annos.
Nonne hæc amborum genitrix altrixque videri
Digna? sed ingratus qui plura adnecto, tuisque
Moribus indubito: venies, carissima coniux,
Præveniesque etiam: sine me, tibi ductor aquarum
Tybris, et armiferi sordebunt tecta Quirini.

Liber quartus

Ad Marcellum.

Inveni librum, Marcelle carissime, quem pietati tuæ dedicarem. Reor equidem aliter, quam invocato numine maximi Imperatoris, nullum opusculum meum cœpisse. Sed hic liber tres habet. Sequitur quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo autem septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi. Secundo, gratias egi, sacratissimis eius epulis honoratus. Tertio Viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit; cuius beneficio tu quoque maturius epistolam eam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. Proximum est lyricum carmen ad Septimium Severum, iuvenem (uti scis) inter ornatissimos secundi ordinis, tuum quidem etiam condiscipulum; sed mihi, contra hoc quoque ius, arctissime carum: nam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion, secundum honorem quem de me et de ipsis studiis meretur, imputare etiam tibi possum. Maximum Iunium dignitatis et eloquentiæ nomine a nobis diligi, satis eram testatus epistola, quam ad illum de editione Thebaidos meæ publicavi: sed nunc quoque eum reverti maturius e Dalmatia rogo. Iuncta est Ecloga ad municipem meum Iulium Menecratem, splendidum iuvenem, et Pollii mei generum; cui gratulor, quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypho, maioris gradus iuveni, dignius opusculum reddam: sed interim hendecasyllabos, quos Saturnalibus una risimus, huic volumini inserui. Quare ergo plura in quarto Sylvarum, quam in prioribus? Ne se putent aliquid egisse, qui reprehenderunt (ut audio), quod hoc stili genus edidissem. Primum, supervacuum est dissuadere rem factam. Deinde, multa ex illis iam Domino Cæsari dederam; et quanto hoc plus est, quam edere? Exercere autem iocos non licet? si secreto, inquit. Sed et sphæromachias spectamus, et pilaris lusio admittitur: novissime, quisquis ex meis invidus aliquid legit, statim se profitetur adversum: itaque consilio eius accedam? In summa, nempe ego sum, qui traducor: taceat, et gaudeat. Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes. Et, si videtur, hactenus: sin minus, reprehendemur.

I. *XVII Consulatus Imp. Aug. Germanici Domitiani.*

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris
Clarius ipse nitens, et primo maior Eoo.
Exultent leges Latiæ: gaudete, curules;
Et septemgemino iactantior æthera pulset
Roma iugo: plusque ante alias Evandrius arces
Collis ovet: subiere novi Palatia fasces,
Et requiem bissextus honos, precibusque receptis,
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.
Ipse etiam immensi reparator maximus ævi
Attollit vultus, et utroque a limine grates
Ianus agit: quem tu, vicina Pace ligatum,
Omnia iussisti componere bella, novique
In leges iurare fori: levat, ecce, supinas
Hinc atque inde manus, geminaque hæc voce profatur:
Salve, magne parens: mundi, qui sæcula mecum
Instaurare paras: talem te cernere semper
Mense meo tua Roma cupit: sic tempora nasci,
Sic annos intrare decet: da gaudia fastis
Continua; hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
Aspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ.
Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribusque,
Purpureique Patres; lucemque a consule ducit
Omnis honos: quid tale, precor, prior annus habebat?
Dic age, Roma potens; et mecum longa Vetustas
Dinumera fastos; nec parva exempla recense,
Sed quæ sola meus dignetur vincere Cæsar.
Ter Latios deciesque tulit, labentibus annis,
Augustus fasces; sed cœpit sero mereri
Tu iuvenis prægressus avos. En quanta recusas,
Quanta vetas! flectere tamen; precibusque senatus
Permittes hanc sæpe diem: manet insuper ordo
Longior, et totidem felix tibi Roma curules
Terque quaterque dabit: mecum altera sæcula condes
Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.
Mille trophæa feres: tantum permitte triumphos.
Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frenari; nondum in gremio Iovis Indica laurus,
Nondum Arabes, Seresque rogant; nondum omnis honorem
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses.
Sic Ianus, clausosque libens se poste recepit.
Tunc omen plausere fores, lætoque dederunt
Signa polo; longamque tibi, Dux magne, iuventam
Annuit, atque suos promisit Iupiter annos.

II. *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum.*

Regia Sidoniæ convivia laudat Elissæ,
Qui magnum Ænean Laurentibus intulit arvis:
Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat,
Æquore qui lento reducem consumsit Ulixen:
Ast ego, cui sacræ Cæsar nova gaudia cœnæ
Nunc primum, dominaque dedit consurgere mensa,

Qua celebrem mea vota lyra, quas solvere grates
Sufficiam? non, si pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas et Smyrna et Mantua lauros,
Digna loquar: mediis videor discumbere in astris
Cum Iove, et iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum: steriles transmisimus annos;
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Tene ego, regnator terrarum, orbisque subacti
Magne parens, te, spes hominum, te, cura Deorum,
Cerno iacens? Datur hæc iuxta, datur ora tueri
Vina inter mensasque, et non assurgere fas est? (mnis,
Tectum augustum, ingens, non centum insigne colu-
Sed quantæ Superos cœlumque, Atlante remisso,
Sustentare queant: stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes escendere cœlum:
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ
Liberior, campi multumque amplexus aperti
Ætheros, et tantum domino minor: ille penates
Implet, et ingenti Genio iuvat. Æmulus illic
Mons Libys Iliacusque nitent, et multa Syene,
Et Chios, et glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species: fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cœli.
Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul iussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque, laborant
Sufficere: ætherei felix sic orbita fluxit
Triptolemi: sic vitifero sub palmite nudos
Umbravit colles et sobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulas, Indiave innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas;
Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vacavit
Tranquillum vultus, et maiestate serena
Mulcentem radios, summittentemque modeste
Fortunæ vexilla suæ: tamen ore nitebat
Dissimulatus honos: talem quoque barbarus hostis
Posset, et ignotæ conspectum agnoscere gentes.
Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
Dimissis Gradivus equis: sic lubrica ponit
Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux:
Sic iacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan:
Sic gravis Alcides, post horrida iussa novercæ
Gaudebat strato latus acclinare leoni.
Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Æthiopum, sacros diffusus nectare vultus,
Dux Superum, secreta iubet dare carmina Musas,
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.
Di tibi (namque animas sæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ bis terque exire senectæ
Annuerint fines! rata numina miseris astris,
Templaque des, habilesque domos! sæpe annua pandas
Limina, sæpe novo Ianum lictore salutes;
Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris!
Qua mihi felices epulas mensæque dedisti
Sacra tuæ, talis longo post tempore venit
Lux mihi; Troianæ qualis sub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prœlia, Palladio tua me manus induit auro.

III. *Via Domitiana.*

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?
Certe non Libycæ sonant catervæ,
Nec dux advena, peierate bello,
Campanos quatis inquietus agros:
Nec frangit vada, montibusque cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.
Sed qui limina bellicosa Iani
Iustis legibus, et foro coronat:
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit iugera, sobriasque terras:
Qui fortem vetat interire sexum;
Et censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ:
Qui reddit Capitolio Tonantem;
Et Pacem propria domo reponit;
Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flaviumque cœlum;
Hic, cœno bibulo viam gravante,
Et campis iter amne detinente,
Longos eximit ambitus, novoque
Iniectu solidat graves arenas;
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque sinus, et æstuantes
Septem montibus admovere Baias.
Hic quondam piger, axe vectus udo
Nutabat cruce pendula viator;
Sorbebatque rotas maligna tellus;
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis:
Nec cursus agiles, et impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum, pondus nimium querens sub alta
Repit languida quadrupes statera:
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis, carinæ.
Hic primus labor inchoare sulcos,
Et rescindere limites, et alto
Egestu penitus cavare terras:
Mox, haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium parare dorso,
Ne nutent sola, ne maligna sedes,
Et pressis dubium cubile saxis.
Tunc umbonibus hinc et hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exuuntque montes,
Hi ferro scopulos trabesque levant;
Illi saxa ligant, opusque texunt
Cocto pulvere sordidoque topho:
Hi siccant bibulas manu lacunas,
Et longe fluvios agunt minores.
Hæ possent et Athon cavare dextræ,
Et mœstum pelagus gementis Helles
Intercludere ponte non natanti.
His parvos, Lecheo nihil vetante,
Inous freta miscuisset Isthmos.
Fervent litora, mobilesque sylvæ;
It longus medias fragor per urbes:
Atque echo simul hinc et inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Savo.
At flavum caput humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulvis,
Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæsarei reclinis arcu
Raucis talia faucibus redundat:
Camporum bone conditor meorum,
Qui me, vallibus aviis refusum,
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti;

Et nunc ille ego turbidus, minaxque,
Vix passus dubias prius carinas,
Iam pontem fero, perviusque calcor;
Qui terras rapere, et rotare sylvas
Assueram (pudet), amnis esse cœpi:
Et grates ago, servitusque tanti est,
Quod sub te duce, te iubente cessi;
Quod tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legere ripæ.
Et nunc limite me colis beato,
Nec sordere sinis, malumque late
Deterges sterilis soli pudorem;
Nec me pulvereum, gravemque cœno
Tyrrheni sinus obruet profundi;
(Qualis Cinyphius, tacente ripa,
Pœnos Bagrada serpit inter agros)
Sed talis ferar, ut nitente cursu
Tranquillum mare proximumque possim
Puro gurgite provocare Lirim.
Hæc amnis: pariterque se levabat
Ingenti plaga marmorata dorso:
Huius ianua, prosperumque limen
Arcus, belligeri ducis tropæis
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus, nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur exitus viarum;
Illic Appia se dolet relinqui.
Tunc velocior acriorque cursus,
Tunc ipsos iuvat impetus iugales.
Ceu fessis ubi remigum lacertis
Primæ, carbasa ventilatis, auræ.
Ergo omnes, age, quæ sub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes.
Eoæ citius venite laurus;
Nil obstat cupidis; nihil moratur.
Qui primo Tyberim reliquit ortu,
Primo vespere navigat Lucrinum.
Sed quam fine viæ recentis imo,
Qua monstrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus infulisque cerno?
Visu fallimur? an sacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus; chely, iam repone cautus:
Vates sanctior incipit: tacendum est.
En! et colla rotat, novisque late
Bacchatur spatiis, viamque replet.
Tunc sic virgineo profatur ore:
Dicebam, veniet (manete, campi,
Atque amnis) veniet, favente cœlo,
Qui fœdum nemus et putres arenas
Celsis pontibus et via levabit.
En! hic est Deus; hunc iubet beatis,
Pro se, Iuppiter imperare terris,
Quo non dignior has subit habenas,
Ex quo, me duce, præscios Averni
Æneas, avide futura quærens,
Lucos et penetravit, et reliquit.
Hic paci bonus, hic timendus armis,
Natura melior, potentiorque.
Hic si flammiferos teneret axes,
Largis, India, nubibus maderes,
Undaret Libye, teperet Æmus.
Salve, dux hominum, at parens Deorum,
Prævisum mihi, cognitumque numen!
Nec iam putribus evoluta chartis
Solenni prece Quindecim virorum
Perlustra mea dicta; sed canentem
Ipsam cominus (ut mereris) audi:
Vidi quam seriem morantis ævi
Pronectant tibi candidæ sorores:
Magnos te manet ordo sæculorum.
Natis longior abnepotibusque,
Annos perpetua geres iuventa,
Quot fertur placidos obisse Nestor,
Quot Tithonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.
Iuravit tibi iam nivalis Arctos;
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis, qua vagus Hercules et Evan,
Ultra sidera, flammeumque solem,
Et Nili caput, et nives Atlantis:
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, abnuesque currus:
Donec Troicus ignis, et renatæ
Tarpeius Pater intonabit aulæ;
Hæc donec via, te regente terras,
Annosa magis Appia senescat.

IV. *Ad Victorium Marcellum Epistola.*

Curre per Euboicos non segnis, epistola, campos;
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit
In latus, et molles solidus premit agger arenas.
Atque, ubi Romuleas velox penetraveris arces,
Continuo dextras flavi pete Tybridis oras,
Lydia qua penitus stagnum navale coercet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.
Illic egregium formaque animisque videbis
Marcellum, et celso præsignem vertice nosces.
Cui primum, solito vulgi de more salutem,
Mox inclusa modis hæc reddere verba memento:
Iam terras volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, et Icariis cœlum latratibus urit:
Ardua iam densæ rarescunt mœnia Romæ.
Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra:
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora, captant.
Te quaqua clamosæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æstivos quo decipis aere soles?
Quid, tuus ante omnes, tua cura potissima Gallus,
Nec non noster amor (dubium, morumne probandus
Ingeniine bonis) Latiis æstivat in oris?
Anne metalliferæ repetit iam mœnia Lunæ,
Tyrrhenasque domos? Quod si tibi proximus hæret,
Non ego nunc vestro procul a sermone recedo:
Certum est: inde sonus geminas mihi circuit aures.
Sed tu, dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi iuba sideris, exue curis
Pectus, et assiduo temet furare labori.
Et sontes operit pharetras, arcumque retendit,
Parthus; et Eleos auriga, laboribus actis,
Alpheo permulcet equos: et nostra fatiscit
Laxaturque chelys: vires instigat, alitque
Tempestiva quies: maior post otia virtus.
Talis, cantata Briseide, venit Achilles
Acrior, et positis erupit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit tacite repetita parumper
Desidia, et solitos novus exultabis in actus.
Certe iam Latiæ non miscent iurgia leges;
Et pacem piger annus habet; messesque reversæ
Dimisere forum: nec iam tibi turba reorum
Vestibulo, querulive rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix iudicis hasta,
Qua tibi sublimi iam nunc celeberrima fama
Eminet, et iuvenes facundia præterit annos.
Felix curarum! cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnasi e vertice laurus:
Sed viget ingenium, et, magnos accinctus in usus

Fert animus quascumque vices: nos otia miti
Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ
Quærimus. En egomet, somnum et geniale secutus
Litus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine templi,
Sumo animum, et magni tumulis adcanto magistri:
At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
(Detque, precor) Latiique ducis si numina pergent,
(Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante
Quique tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ)
Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ litora Thules,
Aut Istrum servare latus, metuendave portæ
Limina Caspiacæ: nec enim tibi sola potentis
Eloquii virtus; sunt membra accommoda bellis,
Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti.
Seu campo pedes ire paras, est agmina supra
Nutaturus apex; seu frena sonantia flectes,
Serviet asper equus. Nos, facta aliena canendo,
Vergimur in senium: propriis tu pulcher in armis
Ipse canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magnus pater, dignosque etiamnum belliger actus
Poscit avus, præstatque domi novisse triumphos.
Surge agedum, iuvenemq; puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Iam te blande sinu Tyrio sibi Curia felix
Educat, et cunctas gaudet spondere curules.
Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Litoribus, fractas ubi Vesbius erigit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.
Mira fides! credetne virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum iam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi, proavitaque toto
Rura abiisse mari? nec dum letale minari
Cessat apex. Procul ista tuis, Tifata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.
Nunc si forte meis quæ sint exordia Musis
Scire petis, iam Sidonios emensa labores,
Thebais optato collegit carbasa portu:
Parnasique iugis, sylvaque Heliconide, festis
Thura dedit flammis, et virginis exta iuvencæ;
Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio subit infula nexu:
Troia quidem, magnusque mihi tentatur Achilles;
Sed vocat arcitenens alio pater, armaque monstrat
Ausonii maioris ducis: trahit impetus illo
Iampridem, retrahitque timor: stabuntne sub illa
Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix?
Dic, Marcelle, feram? fluctus an sueta minores
Nosse, ratis nondum Ioniis credenda periclis?
Iamque vale, et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta: nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ: cedit tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa mœnia Troiæ
Priamiden cæso solatia traxit amico.

V. *Carmen Lyricum ad Septimium Severum.*

Parvi beatus ruris honoribus,
Qua prisca Teucros Alba colit lares,
Fortem atque facundum Severum
Non solitis fidibus saluto.
Iam trux ad Arctos Parrhasias hiems
Concessit, altis obruta solibus:
Iam pontus ac tellus renident,
Iam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta vernans frondibus annuis
Crinitur arbos; nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.
Nos parca tellus, pervigil et focus,
Culmenque multo lumine sordidum,
Solantur, exemtusque testa,
Qua modo ferbuerat, Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero:
Unique si quando canenti
Mutus ager domino reclamat.
Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis: hic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo decoravit auro:
Cum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres,
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.
Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? iam feret Indicas
Messes, odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet?
Quis fonte Iuturnæ, relictis
Uberibus, neget esse pastum?
Nec mira virtus: protinus Ausonum
Portus, dolosæ nescius Africæ,
Intras; adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti.
Hic parvus, inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,
Crescis; sed immensos labores
Indole patricia secutus.
Non sermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens: Italus, Italus,
Sunt Urbe Romanisque turmis,
Qui Libyam decorant alumni?
Est et frequenti vox habilis foro;
Venale sed non eloquium tibi;
Ensisque vagina quiescit,
Stringere ni iubeant amici.
Sed rura cordi sæpius et quies,
Nunc in paternis sedibus et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.
Hic plura pones vocibus et modis
Passu solutis: sed, memor interim
Nostri, verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro.

VI. *Hercules Epitrapezios Nonii Vindicis.*

Forte remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia Septis
Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis. Hæc, imos animi perlapsa recessus,
Inconsumta manet: neque enim ludibria ventris
Hausimus, aut epulas diverso e sole petitas,
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.
Ah miseri! quos nosse iuvat, quid Phasidis ales
Distet ab hiberna Rhodopes grue; quis magis anser
Exta ferat: cur Tuscus aper generosior Umbro;
Lubrica qua recubent conchylia mollius alga.
Nobis verus amor, medioque Helicone petitus
Sermo, hilaresque ioci, brumalem absumere noctem
Suaserunt, mollemque oculis expellere somnum;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter
Castor, et hesternas risit Tithonia mensas.
O bona nox! iunctaque utinam Tirynthia luna!

Nox et Erythræa Thetidis signanda lapillis,
Et memoranda diu, geniumque habitura perennem.
Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti,
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici: quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis, artificum veteres cognoscere ductus,
Et non inscriptis auctorem reddere signis?
Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis, quod ebur Pisæo pollice rasum,
Quod Polycleteis iussum est spirare caminis,
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem,
Monstrabit: namque hæc, quoties chelyn exuit ille,
Desidia est; hic Aoniis amor avocat antris.
Hæc inter, festæ Genius tutelaque mensæ
Amphitryoniades, multo mea cepit amore
Pectora, nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi, finesque inclusa per arctos
Maiestas! Deus ille, Deus; seseque videndum
Indulsit, Lysippe, tibi, parvusque videri
Sentirique ingens: et, cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit,
(Si visus per membra feras,) Hoc pectore pressus
Vastator Nemees; hæc exitiale ferebant
Robur, et Argoos frangebant brachia remos.
Hoc spatio, tam magna, brevi, mendacia formæ!
Quis modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere, et ingentes animo versare colossos!
Tale nec Idæis quidquam Telchines in antris,
Nec solidus Brontes, nec qui polit arma Deorum
Lemnius, exigua potuisset ludere massa.
Nec torva effigies, epulisque aliena remissis;
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos:
Qualis ab Œtæis emissus in astra favillis
Nectar adhuc torva lætus Iunone bibebat:
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas: tenet hæc marcentia fratris
Pocula; at hæc clavæ meminit manus: aspera sedes
Sustinet occultum Nemeæo tegmine saxum.
Digna operi fortuna sacro: Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis,
Et comitem Occasus secum portabat et Ortus:
Prensabatque libens, modo qua diademata dextra
Abstulerat dederatque, et magnas verterat urbes.
Semper ab hoc animos in crastina bella petebat,
Huic acies victor semper narrabat opimas,
Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clausam magna Babylona refregerat hasta,
Seu Pelopis terras libertatemque Pelasgam
Obruerat bello: magnoque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.
Ille etiam, magnos fatis rumpentibus actus,
Cum traheret letale merum, iam mortis opaca
Nube gravis, vultus alios in numine caro,
Æraque supremis timuit sudantia mensis.
Mox Nasamoniaco decus admirabile regi
Possessum; fortique Deo libavit honores
Semper atrox dextra, periuroque ense superbus
Hannibal: Italicæ perfusum sanguine gentis,
Diraque Romuleis portantem incendia tectis
Oderat, et cum epulas, et cum Lenæa dicaret
Dona, Deus castris mœrens, comes isse nefandis.
Præcipue cum sacrilega face miscuit arces
Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti
Polluit, et populis furias immisit honestas.
Nec, post Sidonii letum ducis, ære potita
Egregio plebeia domos: convivia Syllæ
Ornabat, semper claros intrare penates
Assuetum, et felix dominorum stemmate, signum.
Nunc quoque (si mores humanaque pectora curæ
Nosse Deis) non aula quidem, Tirynthie, nec te
Regius ambit honos; sed casta, ignaraque culpæ,
Mens domini, cui prisca fides, cœptæque perenne
Fœdus amicitiæ: scit adhuc florente sub ævo
Par magnis Vestinus avis, quem nocte dieque
Spirat, et in caræ vivit complexibus umbræ.
Hic igitur tibi læta quies, fortissime Divûm
Alcide: nec bella vides pugnasque feroces,
Sed chelyn, et vittas, et amantes carmina laurus.
Hic tibi solenni memorabit carmine quantus
Iliacas Geticasque domos, quantusque nivalem
Stymphalon, quantusque iugis Erimanthon aquosis
Terrueris; quem te pecoris possessor Iberi,
Quem tulerit sævæ Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi spoliataque limina Mortis
Concinet, et flentes Libyæ Scythiæque puellas.
Nec te regnator Macetum, nec barbarus unquam
Hannibal, aut sævi posset vox horrida Syllæ
His celebrare modis. Certe tu, muneris auctor,
Non aliis malles oculis, Lysippe, probari.

VII. *Lyricum ad Maximum Iunium.*

IAM diu lato spatiata campo,
Fortis heroos, Erato, labores
Differ: atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Tuque, regnator lyricæ cohortis,
Da novi paulum mihi iura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.
Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto
Serta; nec maior sitis; et bibendus
Castior amnis.
Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi, Dite viso,
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro.
Ecce me, natum propiore terra,
Non tamen portu retinent amœno
Desides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis.
Torpor est nostris, sine te, Camœnis;
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector, et primis meus ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe, te fido monitore, nostra
Thebais, multa cruciata lima,
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundasti vacuos penates.
O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda nisu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens (pudet heu) propinquum
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu.
Stat domo capta cupidus superstes,
Imminens leti spoliis, et ipsum
Computat ignem.
Duret in longum generosus infans,
Perque non multis iter expeditum
Crescat in mores patrios, avumque
Provocet actis!

Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem
Signa frenatæ moderatus alæ
Castore dextro:
Ille ut invicti rapidum secutus
Cæsaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit, sub uno
Vivere cælo.
Sed tuas artes puer ante discat.
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

VIII. *Ad Iulium Menecratem ob prolem.*

Pande fores Superum, vittataque templa Sabæis
Nubibus et pecudum fibris spirantibus imple,
Parthenope: clari genus ecce Menecratis auget
Tertia iam soboles: procerum tibi nobile vulgus
Crescit, et insani solatur damna Vesevi.
Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat: et socii portus, dilectaque mitis
Terra Dicarcheæ, nec non plaga cara madenti
Surrentina Deo, sertis altaria cingat;
Materni qua litus avi, quem turba nepotum
Circuit, et similes contendit reddere vultus.
Gaudeat et Libyca præsignis avunculus hasta;
Quæque sibi genitos putat, attollitque benigno
Polla sinu: macte, o iuvenis, qui tanta merenti
Lumina das patriæ. Dulci fremit ecce tumultu
Tot domiuis clamata domus: procul atra recedat
Invidia, atque alio liventia pectora flectat.
His senium, longæque decus virtutis, et alba
Atropos, et patrius lauros promittit Apollo.
Ergo, quod Ausoniæ pater augustissimus urbis
Ius tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat: venit toties Lucina, piumque
Intravit repetita larem: sic fertilis, oro,
Stet domus, et donis nunquam nudata sacratis:
Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili
Robore: se iuveni lætam dat virgo parenti:
Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes.
Qualis maternis Helene iam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres;
Vel qualis cœli facies, ubi nocte serena
Admovere iubar mediæ duo sidera lunæ.
Sed queror haud faciles, iuvenum rarissime, questus,
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare, iuberet,
Albanoque cadum sordentem promere fumo,
Et creta signare diem? sed tardus inersque
Nunc demum mea vota cano? Tua culpa, tuusque
Hic pudor. Ulterius sed enim producere questus
Non licet: en hilaris circumstat turba tuorum,
Defensatque patrem: quem non hoc agmine vincas?
Di patrii, quos auguriis super æquora magnis
Litus ad Ausonium devexit Abantia classis;
Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cuius adhuc volucrem, læva cervice sedentem,
Respiciens, blande felix Eumelis adorat;
Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ:
Et vos, Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbrosæve magis coluere Therapnæ,
Hos, cum plebe sua, patrii servate Penates.
Sint, qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem
Voce opibusque iuvent, viridique in nomine servent.
His placidos genitor mores, largumque nitorem
Monstret avus; pulchræ studium virtutis uterque.
Quippe et opes et origo sinunt, hanc lampade prima
Patritias intrare fores; hos, pube sub ipsa,
(Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina) Romulei limen pulsare senatus.

IX. *Risus Saturnalitius ad Plotium Gryphum.*

Est sane iocus iste, quod libellum
Misisti mihi, Gryphe, pro libello.
Urbanum tamen hoc potest videri,
Si, post hoc, aliquid mihi remittas;
Nam, si ludere, Gryphe, perseveras,
Non ludis: licet, ecce, computemus:
Noster, purpureus novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis,
Præter me, mihi constitit decussis.
Tu rosum tineis, situque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut thus Niliacum piperve servant,
Aut Byzantiacos olent lacertos;
Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuvenis foro tonabas,
Aut centum prope iudices, prius quam
Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit, omninmque late
Præfecit stationibus viarum;
Sed Bruti senis oscitationes,
De capsa miseri libellionis
Emtum, plus minus, asse Caiano,
Donas: usque adeone defuerunt
Scissis pilea suta de lacernis?
Vel mantilia, luridæve mappæ?
Chartæ, Thebaicæve, caricæve?
Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque coctanorum?
Non ellychnia sicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec ova tantum?
Non leves alicæ, nec asperum far?
Nusquam Cinyphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum breve, debilisve perna?
Non Lucanica, non graves Falisci,
Non sal, oxygarumve, caseusve,
Aut panes viridantis aphronitri,
Vel passum psythiis suis recoctum,
Dulci defruta vel lutosa cœno?
Quantum vel dare cereos olentes,
Cultellum, tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas vel orbe tortas,
Aut unam dare synthesin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?
Sed, certa velut æquus in statera,
Nil mutas, sed idem nihil rependis.
Quid? si cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes?
Aut, cum me dape iuveris opima,
Expectes similes et ipse cœnas?
Irascor tibi, Gryphe. Sed valebis:
Tantum ne mihi, quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas.

Liber quintus

Ad Abascantium.

Omnibus affectibus prosequenda sunt bona exempla,

cum publice prosint. Pietas, quam Priscillæ tuæ præstas, et morum tuorum pars est, et nulli non conciliare te, præcipue marito, potest. Uxorem enim vivam amare, voluptas est, defunctam, religio. Ego tamen huic operi non ut unus a turba, nec tantum quasi officiosus, assilui: amavit enim uxorem meam Priscilla, et amando fecit mihi illam probatiorem. Post hoc, ingratus sum, si lacrymas tuas transeo. Præterea, latus omne divinæ domus semper demereri pro mea mediocritate conitor: nam, qui bona fide Deos colit, amat et sacerdotes. Sed, quamvis propiorem nexum amicitiæ tuæ iampridem cuperem, mallem tamen nondum intervenisse materiam. * * *

Reliqua desunt.

I. *Abascantii in Priscillam pietas.*

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur impressis aurumve animare figuris:
Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito
Conciperem: namque egregia pietate meretur,
Ut, vel Apelleo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti:
Sic auferre rogis umbram conatur, at ingens
Certamen cum Morte gerit; curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat.
Nos tibi, laudati iuvenis rarissima coniux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare iusta lyra; modo dexter Apollo,
Quique venit iuncto mihi semper Apolline Cæsar,
Annuat: haud alio melius condere sepulcro.
Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera cum volucrem Phœbi rota torqueat annum:
Sed cum plaga recens, et adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu, miseramque accessus ad aurem
Coniugis orbati, tunc flere at scindere vestes
Et famulos lassare greges, et vincere planctus,
Fataque, at iniustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat: licet ipse, levandos
Ad gemitus, sylvis comitatus et amnibus, Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;
Nil cantus, nil fila, Deis pallentia Averni
Eumenidumque audita comis, mulcere valerent:
Tantus in attonito regnabat pectore luctus!
Nunc etiam ad planctus refugit iam plana cicatrix
Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
Imber: habetne pios etiamnum hæc lumina fletus?
Mira fides! citius genitrix Sipylea feretur
Exhausisse genas; citius Tithonida mœsti
Deficient rores, aut exsiccata fatiscet
Mater Achilleis hiemes affrangere bustis.
Macte animi: notat ista Deus, qui flectit habenas
Orbis, et humanos, propior Iove, digerit actus;
Mœrentemque videt, lectique arcana ministri
Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram,
Et colis exequias: hic est castissimus ardor;
Hic amor a domino meritus censore probari.
Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Iunxit inabrupta Concordia longa catena.
Illa quidem, nuptuque prior, tædasque marito
Passa alio; sed te ceu virginitate iugatum
Visceribus totis, animoque amplexa fovebat.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Ulmus amat, miscetque nemus, ditemque precatur
Autumnum, et caris gaudet redimita racemis.
Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, falsaque potentes
Laudis egent veræ: tibi, quamquam et origo niteret
Et felix species, multumque optanda maritis,
Ex te maior honos, unum novisse cubile,
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.
Illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem,
Dulichiive proci; nec qui fraternus adulter
Casta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ,
Indorumque dares Serumque Arabumque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque rependere famæ.
Nec frons triste rigens, nimiusq; in moribus horror;
Sed simplex hilarisque fides, et mixta pudori
Gratia: quod si anceps metus ad maiora vocasset,
Illa vel armiferas pro coniuge læta catervas,
Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti,
Exciperet: melius, quod non adversa probarunt,
Quæ tibi cura tori, quantus pro coniuge pallor.
Sed meliore via dextros tua vota marito
Promeruere Deos; dum nocte dieque fatigas
Numina, dum cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem Genium Domini præsentis adoras.
Audita es: venitque gradu Fortuna benigno.
Vidit quippe pii iuvenis navamque quietem,
Intactamque fidem, succinctaque pectora curis,
Et vigiles sensus, et digna evolvere tantas
Sobria corda vices; vidit, qui cuncta suorum
Novit, et inspectis ambit latus omne ministris.
Nec mirum: videt ille ortus obitusque; quid Auster,
Quid Boreas hibernus agat; ferrique togæque
Consilia; atque ipsam mentem probat: ille subactis
Molem immensam humeris, et vix tractabile pondus
Imposuit, (nec enim numerosior altera sacra
Cura domo) magnum late dimittere in orbem
Romulei mandata Ducis; viresque modosque
Imperii tractare manu; quæ laurus ab Arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Istri,
Quid Rheni vexilla ferant; quantum ultimus orbis
Cesserit, at refluo circumsona gurgite Thule.
Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaque famosa signatur lancea pinna.
Præterea, fidos Dominus si dividat enses,
Pandere, quis centum valeat frenare maniplis
Intermixtus equos: quis præcepisse cohorti;
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni:
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.
Mille etiam prænosse vices: an merserit agros
Nilus, an imbrifero Libya sudaverit Austro:
Cunctaque si numerem, non plura interprete virga
Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris;
Quæque cadit liquidas Iunonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat aera gyro;
Quæque tuas laurus volucri, Germanice, curru
Fama vehit, prægressa diem, tardumque sub astris
Arcada, et in medio linquens Thaumantida cœlo.
Qualem te Superi, Priscilla, hominesque benigno
Aspexere die, cum primum ingentibus actis
Admotus coniux! Vicisti gaudia certe
Ipsius, affuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide Domini tam magna merentis
Volveris. Aonio non sic in vertice gaudet,
Quam pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui ius venerabile thyrsi
Bacchus, et attonitæ tribuit vexilla catervæ.
Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit: tenor idem animo, moresque modesti,
Fortuna crescente, manent: fovet anxia curas
Coniugis, hortaturque simul, flectitque labores.
Ipsa dapes modicas et sobria pocula tradit,
Exemplumque ad herile monet: velut Appula coniux

Agricolæ parci, vel sole infecta Sabina,
Quæ videt emeriti, iam prospectantibus astris,
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, expectatque sonum redeuntis aratri.
Parva loquor: tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticasque hiemes, Istrumque, et pallida Rheni
Frigora tecum omnes animo durare per æstus,
Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta;
Dum te pulverea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, divinaque tela
Librantem, et magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Hactenus alma chelys: tempus nunc ponere frondes,
Phœbe, tuas, mœstaque comam damnare cupresso.
Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deas? Nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, et sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares inconcussique penates;
Nil mœstum: quid enim, quamvis infida levisque,
Cæsare tam dextro, posset Fortuna timeri?
Invenere viam liventia Fata, piumque
Intravit vis sæva larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi
Invidet, et velis annubilat aura secundis.
Carpitur eximium fato Priscilla decorem:
Qualiter alta comam, sylvarum gloria, pinus,
Seu Iovis igne malo, seu iam radice soluta,
Deficit, et nulli spoliata remurmurat auræ.
Quid probitas, aut casta fides, quid numina prosunt
Culta Deûm? furvæ miseram circum undique leti
Vallavere plagæ: tenuantur dura sororum
Licia, et exacti superest pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis: comites tamen undique fleto
Spem simulant vultu: flentem notat illa maritum.
Ille modo infernæ nequidquam flumina Lethes
Incorrupta rogat: nunc anxius omnibus aris
Illacrymat, signatque fores, et pectore terget
Limina: nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris. Heu durus Fati tenor! estne quod illi
Non liceat? quantæ poterant mortalibus annis
Accessisse moræ, si tu, Pater, omne teneres
Arbitrium? cæco gemeret Mors clusa barathro,
Longius et vacuæ posuissent stamina Parcæ.
Iamque cadunt vultus, oculisque novissimus error,
Obtusæque aures, nisi cum vox sola mariti
Noscitur: illum unum, media de morte reversa,
Mens videt; illum ægris circumdat fortiter ulnis;
Immotas obversa genas; nec sole supremo
Lumina, sed dulci mavult satiare marito.
Tunc sic unanimum moriens solatur amantem:
Pars animæ victura meæ, cui linquere possem
O utinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos,
Parce, precor, lacrymis; sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem coniugis umbram.
Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœ-
Quod prior: exegi longa potiora senecta (sti,
Tempora; vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ.
Non iu te Fatis, non iam Cœlestibus ullis
Arbitrium: mecum ista fero. Tu limite cœpto
Tende libens, sacrumque latus Geniumque poten-
Irrequietus ama: nunc, quod cupis ipse iuberi, (tem
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, et propriæ signa cultricis amorem.
Sic ego nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, et Elysias felix admittar in oras.
Hæc dicit labens, sociosque amplectitur artus;
Hærentemque animam non tristis in ora mariti
Transtulit, et cara pressit sua lumina dextra.
At iuvenis, magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sævo viduos clamore penates;
Nunc ferrum laxare cupit; nunc ardua tendit
In loca: vix retinent comites: nunc ore ligato
Incubat amissæ, mersumque in corde dolorem
Sævus agit: qualis, conspecta coniuge segnis,
Odrysius vates, positis ad Strymona plectris,
Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.
Ille etiam certæ rupisset tempora vitæ,
Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires:
Sed prohibet mens fida Duci, iurataque sacris
Imperiis, et maior amor. Quis carmine digno
Exequias et dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic, stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Tura, Palæstini simul Hebræique liquores,
Coryciæque comæ, Cinyreaque germina. At altis
Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit
Tegmine: sed toto spectatur in agmine coniux
Solus; in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ,
Ceu iuvenes natos suprema ad busta ferentem:
Is dolor in vultu; tantum crinesque genæque
Sordis habent. Illam tranquillo fine solutam,
Felicemque vocant; lacrymas fudere marito.
Est locus ante Urbem, qua primum surgitur ingens
Appia; quaque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit, et Idæos iam non reminiscitur amnes.
Hic te, Sidonio velatam molliter ostro,
Eximius coniux (nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro: nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris; tantas venerabile marmor
Spirat opes: mox in varias mutata novaris
Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,
Illo Maia tholo, Venus hoc non improba saxo.
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina: circumstant famuli, consuetaque turba
Obsequiis: tum rite tori mensæque parantur
Assiduæ. Domus ista, domus; quis triste sepulcrum
Dixerit? Hac merito visa pietate mariti,
Protinus exclames: Est hic, agnosco, minister
Illius, æternæ, modo qui sacraria genti
Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo.
Sic, ubi magna novum Phario de litore puppis
Solvit iter, iamque innumeros utrimque rudentes
Lataque veliferi porrexit brachia mali,
Invasitque vias; in eodem angusta phaselus
Æquore, et immensi partem sibi vindicat Austri.
Quid nunc immodicos, Iuvenum lectissime, fletus
Corde foves, longumque vetas exire dolorem?
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille piis: ne tardior adsit
Navita, proturbetque vadis? vehit ille merentes
Protinus, et manes placidus locat hospite cymba.
Præterea, si quando pio laudata marito
Umbra venit, iubet ire faces Proserpina lætas,
Egressasque sacris veteres Heroidas antris
Lumine purpureo tristes laxare tenebras,
Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.
Sic Manes Priscilla subit; ubi supplice dextra
Pro te Fata rogat; reges tibi tristis Averni
Placat, ut expletis humani finibus ævi,

Pacantem terras Dominum, iuvenemque, relinquas
Ipse senex: certæ iurant in vota Sorores.

II. *Protrepticon ad Crispinum.*

Rura meus Tyrrhena petit, saltusque Tagetis,
Crispinus: nec longa mora est, aut avia tellus;
Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
Udaque turgentes impellunt lumina guttæ,
Ceu super Ægeas hiemes abeuntis amici
Vela sequar, spectemque ratem iam fessus ab altis
Rupibus, atque oculos longo querar aere vinci.
Quod si militiæ iam te, puer inclyte, primæ
Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret
Auspicium, quanto manarent gaudia fletu,
Quosve darem amplexus! et nunc optanda propin-
Tristia? Et octonos bis iam tibi circuit orbes (quant
Vita; sed angustis animus robustior annis,
Succumbitque oneri, et mentem sua non capit ætas.
Nec mirum: non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem,
Plebeia de stirpe tulit; non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi; nec paupere clavo
Augustam sedem et Latii penetrale senatus
Advena pulsasti; sed præcedente tuorum
Agmine. Romulei qualis per munera Circi,
Cum, pulcher visu et titulis generosus avitis,
Expectatur equus, cuius de stemmate longo
Felix, emeritos habet admissura parentes:
Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem
Pulvis et incurvæ gaudent agnoscere metæ:
Sic te, clare puer, genitum sibi Curia sensit,
Primaque patritia clausit vestigia luna.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem,
Agnovere humeri. Sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater: quippe ille, iuventam
Protinus ingrediens, pharetratum invasit Araxem
Belliger, indocilemque fero servire Neroni
Armeniam: rigidi summam Mavortis agebat
Corbulo; sed comitem belli sociumque laborum
Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum; atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus: quod tempus amicum
Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides aut quæ fuga vera ferocis
Armenii. Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis iuga quærere commoda castris,
Metari Bolanus agros, aperire malignas
Tot veprum nemorumque moras, tantamque verendi
Mentem implere ducis, iussisque ingentibus unus
Sufficere: ipsa virum norat iam barbara tellus:
Ille secundus apex bellorum, et proxima cassis.
Sic Phrygias attoniti, quamquam Nemeæa viderent
Arma, Cleonæusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen et Telamona timebant.
Disce, puer: nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos: alios Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem; quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit, mandata gerens; quantusque potentis
Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga. Bibe talia pronis
Auribus: hæc certent tibi conciliare propinqui:
Hæc iterent comites præcepta, senesque paterni.
Iamque adeo moliris iter, nec desidet passu
Ire paras: nondum validæ tibi signa iuventæ
Irrepsere genis: et adhuc decor integer ævi.
Nec genitor iuxta; fatis namque haustus iniquis
Occidit, heu! geminam prolem sine præside linquens.
Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.
Quem non corrumpit pubes effrena, novæque
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Sylva comas tollit, fructumque expirat in umbras.
At tibi Pieriæ tenero sub pectore curæ,
Et pudor, et docti legem sibi dicere mores;
Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla, nitorque
Luxuriæ confine timens, pietasque per omnes
Dispensata modos; æquævo cedere fratri,
Mirarique patrem, miseræque ignoscere matri.
Admonuit fortuna domus: tibine illa nefanda
Pocula, letalesque manu componere succos
Evaluit, qui voce potes prævertere morsus
Serpentum, atque omnes vultu placare novercas?
Infestare libet Manes, meritoque precatu
Pacem auferre rogis: sed te, puer optime, cerno
Flectentem iustis, et talia dicta parantem:
Parce, precor, cineri: fatum illud, et ira nocentum
Parcarum, crimenque Dei, mortalia quisquis
Pectora sero videt, nec primo in limine sistit
Conatus scelerum, atque animos infanda parantes.
Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Sæcula! nos certe taceamus; et obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.
Exegit pœnas, hominum cui cura suorum,
Quo Pietas auctore redit terrasque revisit,
Quem timet omne nefas: satis hæc, lacrymandaque
Ultio; quin sævas utinam exorare liceret (nobis
Eumenidas, timidæque avertere Cerberon umbræ,
Immemoremque tuis citius dare Manibus amnem.
Macte animo, iuvenis! sic crescunt crimina matris.
Nec tantum pietas, sed protinus ardua virtus
Affectata tibi: nuper cum forte sodalis
Immeritæ falso palleret crimine famæ,
Erigeretque forum, succinctaque iudice multo
Surgeret, et castum libraret Iulia fulmen;
Tu, quamquam non ante forum legesque severas
Passus, sed tacita studiorum occultus in umbra,
Defensare metus, adversaque tela subisti
Pellere, inermis adhuc et tiro, paventis amici.
Haud umquam tales aspexit Romulus annos
Dardaniique senes, medii bellare togata
Strage fori: stupuere Patres tentamina tanta,
Conatusque tuos; pro te reus ipse timebat.
Par vigor et membris; promtæque ad fortia vires
Sufficiunt animo, atque ingentia iussa sequuntur.
Ipse ego te nuper Tyberino ut litore vidi,
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda,
Pendentem in cursus, vexantemque ilia nudo
Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem;
Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi.
Getulo sic pulcher equo, Troianaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros
Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam.
Troilus haud aliter gyro breviore minantes
Eludebat equos: aut quem de turribus altis,
Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas,
Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.
Ergo age, nam magni Ducis indulgentia pulsat,
Certaque dat votis hilaris vestigia frater,
Surge, animo et fortes castrorum concipe curas.
Monstrabunt acies Mavors, Actæaque virgo; (nus,
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quiri-
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clypeos, intactaque cædibus æra.
Quasnam igitur terras, quem Cæsaris ibis in orbem?
Arctoosne amnes, et Rheni fracta natabis
Flumina? an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?

An iuga Pannoniæ mutatoresque domorum
Sauromatas quaties? an te septenus habebit
Ister, et undoso circumflua coniuge Peuce?
An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis
Non sibi felices sylvas ponentis Idumes?
Quod si te magno tellus frenata parenti
Accipiat, quantum ferus exultabit Araxes!
Quanta Calydonios attollet gloria campos!
Cum tibi longævus referet trucis incola terræ,
Hic suetus dare iura parens; hoc cæspite turmas
Affari: vigiles speculas, castellaque longe
Prospicis? ille dedit; cinxitque hæc mœnia fossa:
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit;
Cernis adhuc titulos: hunc ipse, vocantibus armis,
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.
Qualiter in Teucros victricia bella paranti,
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.
Felix, qui viridi fidens cœptaque iuventa,
Durabis quascumque vices, vallumque subibis
Forsan et ense latus (si numina principis adsint)
Cinctus, et unanimi comes indefessus amici;
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
Bella Menœtiades: quippe hæc concordia vobis,
Hic amor est; duretque, precor! nos fortior ætas
Iam fugit; hinc votis animum precibusque iuvabo.
Hei mihi, sed cœtus solitos si forte ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris, Crispine, mihi; cuneosque per omnes
Te meus absentem circumspectabit Achilles.
Sed venies melior; (vatum non irrita currunt
Omina) quique aquilas tibi nunc et castra recludit,
Idem omnes perferre gradus, cingique superbis
Fascibus, et patrias dabit insedisse curules.
Sed quis ab excelsis Troianæ collibus Albæ,
(Unde suæ iuxta prospectat mœnia Romæ
Proximus ille Deus) fama velocior intrat
Nuntius, atque tuos implet, Crispine, penates?
Dicebam certe, vatum non irrita currunt
Auguria: en! ingens reserat tibi limen honorum
Cæsar, et Ausonii committit munia ferri.
Vade, puer, tantisque enixus suffice donis.
Felix, qui magno iam nunc sub præside iuras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem!
Non minus hoc, fortis quam si tibi panderet ipse
Bellipotens aquilas torvaque induceret ora
Casside: vade alacer, maioraque disce mereri.

III. *Epicedion in patrem suum.*

Ipse malas vires, et lamentabile carmen
Elysio de fonte mihi, pulsumque sinistræ
Da, genitor perdocte, lyræ: neque enim antra movere
Delia, nec solitam fas est impellere Cirrham,
Te sine. Corycia quidquid modo Phœbus in umbra,
Quidquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan,
Dedidici: fugere meos Parnasia crines
Vellera; funestamque hederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum,
Ille ego, magnanimum qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque æquare canendo.
Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso,
Frigida damnatæ præduxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes
Nec digitis nec voce Deæ: dux ipsa, silenti
Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum
Adstitit, Hebre, tibi, cernens iam surda ferarum
Agmina, et immotos sublato carmine lucos.
At tu, seu membris emissus in ardua tendis,
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, quæ ducat semita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Causa queat doctique modos extendis Arati:
Seu tu Lethæi secreto in gramine campi
Concilia heroum iuxta Manesque beatos,
Mæonium Ascræumque senem, non segnior umbra
Accolis, alternumque sonas, et carmina misces;
Da vocem magno, Pater, ingeniumque dolori.
Nam me ter relegens cœlum, terque ora retexens,
Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes
Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis
Irrubuit, cineremque oculis humentibus hausi.
Vilis honos studiis: vix hæc in munera solvo
Primum animum; tacitisque situm depellere curis
Nunc etiam trepidante manu nec lumine sicco,
Ordior, acclinis tumulo, quo molle quiescis,
Iugera nostra tenens; ubi post Æneia fata,
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, et infaustæ regnum dotale novercæ.
His ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, dites nec sicubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas)
Insertum cum laude locis, te carmine plango
Pierio: sume hos gemitus, et munera nati,
Et lacrymas, cari quas nunquam habuere parentes.
Atque utinam fortuna mihi dare Manibus aras,
Par templis opus, aeriamque educere molem,
Cyclopum scopulos ultra, atque audacis saxa
Pyramidum, et magno tumulum prætexere luco!
Illic et Siculi superassem dona sepulcri.
Et Nemees lucum, et Pelopis solennia trunci.
Illic Œbalio non finderet aera disco
Graiorum vis ulla virum; non arva rigaret
Sudor equum, aut putri sonitum daret ungula campo.
Sed Phœbi simplex chorus. Hic frondentia vatum
Præmia laudato, genitor, tibi rite dicarem. (dos,
ipse, madens lacrymis, umbrarum animæque sacer-
Præciperem reditum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orphei quirent avertere leges:
Meque, habitus moresque tuos et facta canentem,
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et torvo pietas æquare Maroni.
Cur magis incessat Superos et aena Sororum
Stamina, quæ tepido genitrix super aggere nati
Orba sedet? vel quæ primævi coniugis ignem
Aspicit, obstantesque manus, turbamque tenentem
Vincit, in ardentem (liceat) moritura maritum?
Maior certe illis Superos et Tartara pulsem
Invidia: externis etiam miserabile visu
Funus est. Sed nec modo se Natura dolenti,
Nec Pietas iniusta dedit: mihi limine primo
Fatorum, et viridi, genitor, ceu raptus ab ævo,
Tartara dura subis: nec enim Marathonia virgo
Parcius extinctum sævorum crimine agrestum,
Fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens. Laqueo quin illa supremos
Inclusit gemitus: at te, post funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor est servisse marito.
Non ego quas fati certus sibi voce canora
Inferias præmittit olor; nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos; non murmure trunco
Quod gemit, et diræ queritur Philomela sorori:
Nota nimis vati: quis non in funera cunctos
Heliadum ramos, lacrymosaque germina duxit,
Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fœda gavisam Pallada buxo?
Te pietas oblita virum, revocataque cœlo
Iustitia, et gemina planget facundia lingua;

Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi,
Queis honor Aonios seno pede ducere cantus,
Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyræ, nomenque fuit: quosque orbe sub omni
Ardua septena numerat Sapientia fama:
Qui furias, regumque dolos, aversaque cœlo
Sidera terrifico super intonuere cothurno:
Et queis lasciva vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos gressu truncare tenores.
Omnia namque animo complexus, et omnibus auctor
Qua fandi via lata patet: sive orsa libebat
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere et effrenos nimbos æquare profatu.
Exsere semiustos Vesuvino fulgere vultus,
Parthenope, crinemque afflatu monte sepulti
Pone super tumulos, et magni funus alumni,
Quo non Munychiæ quidquam præstantius arces,
Doctave Cyrene, Spartave animosa creavit.
Si tu stirpe vetus, famæque obscura iaceres,
Nil gentile tumens, illo te cive probares
Graiam atque Euboico maiorum sanguine duci.
Ille tuis toties pressit sua tempora sertis,
Cum stata laudato caneret Quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
Dulichii, speciemque comam subnexus utraque.
Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus,
Nec sine luce genus; (quanquam fort una parentum
Arctior expensis) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, et nobile pectoris aurum.
Protinus exorto dextrum risere sorores
Aonides, pueroque chelyn summisit, et ora
Imbuit amne sacro, iam tum tibi blandus, Apollo.
Nec simplex patriæ decus, et natalis origo
Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente suum Latiis ascita colonis
Graia refert Selle (Phrygius qua puppe magister
Excidit, et mediis miser evigilavit in undis);
Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.
* * * * * * * *
Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus: alit victos immanis gloria falsi.
Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas,
Protinus ad patrii raperis certamina lustri
Vix implenda viris, laudum festinus, et audax
Ingenii: stupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa et natis te monstravere parentes.
Inde frequens palmæ, nulloque ingloria sacro
Vox tua. Non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ.
Sit pronum vicisse domi; quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantea protectum tempora pinu?
Cum toties lassata, tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem.
Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, moresque et facta priorum
Discere: quis casus Troiæ: quam tardus Ulixes;
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Mæonides, quantumque pios ditarit agrestes
Ascræus, Siculusque senex: qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrumque precator
Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Stesichorusque ferox, actusque egressa viriles,
Non formidata temeraria Leucade Sappho:
Quosque alios dignata chelys: tu pandere docti
Carmina Battiadæ, latebrasque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinnæ;
(Sed quid parva loquor?) tu par assuetus Homero
Ferre iugum, senosque pedes æquare solutis
Vocibus, et nunquam passu breviore relinqui.
Quid mirum, patria si te petiere relicta,
Quos Lucanus ager, rigidi quos iugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidæ, vel quos e vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi;
Quos propriore sinu lituo remoque notatus
Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme;
Quosque Dicarchei portus Baianaque mittunt
Litora, qua mediis alte permixtus anhelat
Ignis aquis, et operta animos incendia servant.
Sic ad Avernales scopulos, et opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes.
Illa minas Divum, Parcarumque acta canebat,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo.
Mox et Romuleam stirpem, proceresque futuros
Instruis, inque patrum vestigia ducere perstas.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedei celat penetralia furti,
Crevit, et inde sacrum didicit puer. Arma probare
Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis
Auguribus; cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma flaminis; et tua multum
Verbera succincti formidavere Luperci.
Et nunc ex illo forsan grege, gentibus alter
Iura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achæmenium secludit Zeugmate Persen:
Hi dites Asiæ populos, hi Pontica frenant,
Hi fora pacificis emendant fascibus: illi
Castra pia statione tenent: tu laudis origo.
Non tibi certassent iuvenilia fingere corda
Nestor, et indomiti Phœnix moderator alumni;
Quique tubas acres, lituosque audire volentem,
Æaciden alio frangebat carmine Chiron.
Talia dum celebras, subitam civilis Erinnys
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit
Prœlia. Sacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ sumsere cohortes.
Vix requies flammæ; nec dum rogus ille Deorum
Siderat, excisis cum tu solatia templis,
Impiger, et multum facibus velocior ipsis,
Concipis ore pio, captivaque fulmina defles.
Mirantur Latii proceres, ultorque Deorum
Cæsar, et e medio Divum Pater annuit igni.
Iamque et flere pio Vesuvina incendia cantu
Mens erat, et gemitum patriis impendere damnis;
Cum Pater exemtum terris ad sidera montem
Sustulit, et late miseras deiecit in urbes.
Me quoque, vocales lucos lustrataque Tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admisere Deæ: nec enim mihi sidera tanti,
Æquoraque et terras, quam vos, debere parenti.
Tu decus hoc quodcunque lyræ, primusque dedisti
Non vulgare loqui, et famam sperare sepulcro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris! heu quali confusus gaudia fletu,
Vota piosque metus inter, lætumque pudorem!
Quam tuus ille dies! quam non mihi gloria maior!
Talis, Olympiaca iuvenem cum spectat arena,
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Cæditur: attendunt cunei; spectatur athletes
Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, et prensa vovet exspirare corona.
Hei mihi! quod tantum patrias ego vertice frondes,
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ,
Te sub teste tuli! qualem te Dardanus Albæ

Vix cepisset ager, si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu! quod subdere robur
Illa dies, quantum potuit demsisse senectæ?
Heu quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum Lustra parentis
Invida Tarpeii canerem! Te nostra magistro
Thebais urgebat priscorum exordia vatum:
Tu cantus stimulare meos, tu pandere facta
Heroum, bellique modos, positusque locorum
Monstrabas. Labat incerto mihi limite cursus
Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ.
Nec solum larga memet pietata fovebas:
Talis et in thalamos: una tibi cognita tæda
Connubia, unus amor: certe seiungere matrem
Iam gelidis nequeo bustis; te sentit, habetque,
Te videt, et tumulos ortuque obituqua salutat
Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt, et non sua funera plorant.
Quid referam expositos servato pondere mores?
Quæ pietas? quam vile lucrum? quæ cura pudoris?
Quantus amor recti? rursusque, ubi dulce remitti,
Gratia quæ dictis? animo quam nulla senectus?
His tibi pro meritis, famam laudesque benignas
Index cura Deum, nulloque e vulnere tristes,
Concessit: raperis, genitor, non indigus ævi,
Non nimius; trinisque decem quinquennia lustris
Iuncta ferens: sed me pietas numerare, dolorque
Non sinit: o Pylias ævi transcendere metas,
Et Teucros æquare senes, o digne videre
Me similem! sed nec leti tibi ianua tristis:
Quippe leves causæ; nec segnis tabe senili
Exitus instanti præmisit membra sepulcro;
Sed te torpor iners, et mors imitata quietem,
Explicuit, falsoque tulit sub Tartara somno.
Quos ego tunc gemitus! comitum manus anxia vidit:
Vidit et exemplum genitrix, gavisaque vovit
Quæ lamenta tuli: veniam concedite, Manes;
Fas dixisse, Pater: non tu mihi plura dedisses.
Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis,
Vellet et, Elysia quamvis in sede locatum,
Abripere, et Danaas iterum portare per umbras;
Tentantem et vivos molitum in Tartara gressus,
Detulit infernæ vates longæva Dianæ.
Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras,
Si coniux retro Phylaceida rettulit umbram,
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes,
Aut mea? Fas mihi sit patrios contingere vultus,
Fas iunxisse manus; et lex quæcumque sequatur.
At vos, umbrarum reges, Ennæaque Iuno,
(Si laudanda precor) tædas auferte comasque
Eumenidum: nullo sonet asper ianitor ore: (stra
Centaurosque, Hydræque greges, Scylleaque mon-
Aversæ celent valles; umbramque senilem
Invitet ripis, discussa plebe, supremis
Vector, et in mediis componat molliter alga.
Ite, pii Manes, Graiumque examina vatum,
Illustremque animam Lethæis spargite sertis;
Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies, cœloque simillimus aer.
Inde tamen venias melior, qua porta malignum
Cornea vincit ebur; somnique in imagine monstra,
Quæ solitus. Sic sacra Numæ, ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro:
Scipio sic plenos Latio Iove ducere somnos
Creditur Ausoniis, et non sine Apolline Sylla.

IV. *Ad Somnum.*

Crimine quo merui iuvenis, placidissime Divum,
Quove errore miser, donis ut solus egerem, (que,
Somne, tuis? Tacet omne pecus, volucresque, feræ-
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Æquoris, et terris maria acclinata quiescant.
Septima iam rediens Phœbe mihi respicit ægras
Stare genas; totidem Œtææ Paphiæque recursant
Lampades, et toties nostros Tithonia questus
Præterit, et gelido tangit miserata flagello.
Unde ego sufficiam? non, si mihi lumina mille,
Quæ sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, et haud unquam vigilabat corpore toto.
Et nunc fors aliquis, longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit.
Inde veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; (hoc turba precetur
Lætior) extremo me tange cacumine virgæ,
(Sufficit) aut levior suspenso poplite transi.

V. *Epicedion in puerum suum.*

Me miserum (neque enim verbis solennibus ulla
Incipiam nunc, Castaliæ vocalibus undis
Invisus, Phœboque gravis) quæ vestra, Sorores,
Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?
Dicite: post pœnam liceat commissa fateri.
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa? quis error,
Quem luimus tantis mœroribus? ecce, lacertis
Viscera nostra tenens animamque, avellitur infans;
Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
Oraque; non fueram genitor: sed cernite fletus,
Liventesque genas; et credite planctibus orbi,
Orbus ego. Huc patres, et aperto pectore matres,
Conveniant, cineresque oculis, et munera ferte.
Si qua sub uberibus plenis ad funera natos
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, et ardentes restinxit lacte favillas;
Quisquis adhuc teneræ signatum flore iuventæ
Immersit cineri iuvenem, primaque iacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas,
Adsit, et alterno mecum clamore fatiscat:
Vincetur lacrymis, et tu, Natura, pudebit.
Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus.
Hoc quoque cum [*meditor*] ter dena luce peracta,
Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
Discordesque modos, et singultantia verba
Molior. Ora [*dolor prohibet*] est: atque ira tacendi
Impatiens: sed nec solitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos, en taxea marcet
Sylva comis, hilaresque hederas plorata cupressus
Excludit ramis: ignavo pollice chordas
Pulso: sed incertum digitis errantibus amens
Tundo chelyn: iuvat heu, iuvat illaudabile carmen
Fundere, et incomte miserum laudare dolorem.
Sic merui; sic me cantuque habituque nefastum
Aspiciant Superi: pudeat Thebasque novumque
Æaciden: nil iam placitum manabit ab ore.
Ille ego, qui toties blandus matrumque patrumque
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores;
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis, et descendentibus umbris,
Deficio, medicasque manus fomentaque quæro
Vulneribus (sed summa) meis. Nunc tempus, amici,
(Quorum ego manantes oculos et saucia tersi
Pectora) reddere opem, sævasque exsolvere grates.
Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mœstos
Increpui: nunc, damna dolens alterna, reposco
Infelix lacrymas, et mitia carmina quæro.
Verum erat: absumtæ vires, et copia fandi

Nulla mihi, dignumque nihil mens fulmine tanto
Repperit. Inferior vox omnis, et omnia sordent
Verba. Ignosce, puer: tu me caligine mersum
Obruis ah dira: viso sic vulnere caræ
Coniugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi: sic busta Lini complexus Apollo
Non tacuit. Nimius fortasse, avidusque doloris
Dicar, et in lacrymis iustum excessisse pudorem.
Quisnam autem gemitus lamentaque nostra repren-
O nimium felix, nimium crudelis, et expers (dit?
Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet censere dolendi!
Incitat (heu) planctus: potius fugientia ripas
Flumina detineas, rapidis aut ignibus obstes,
Quam miseros lugere vetes: tamen ille severus
(Quisquis is est) nostræ cognoscat vulnera causæ.
Non ego, mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, lingua nimium, salibusque protervum
Dilexi: meus ille, meus: tellure cadentem
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi;
Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ: quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatemque sub ipsis
Uberibus tibi, parve, dedi: tu munera nostra
Ridebas, ignarus adhuc. Properaverit ille,
Sed merito properabat, amor; ne perderet ullum
Libertas tam parva diem: nonne horridus ipsos
Invidia Superos iniustaque Tartara pulsem?
Nonne gemam te, care puer? quo sospite, natos
Non cupii: primo gremium cui protinus ortu
Applicui, fixique meum: cui verba, sonosque
Monstravi, questusque et murmura cæca resolvens;
Reptantemque solo, demissus ad oscula, dextra
Erexi; blandique sinus iam iamque natantes
Excepisse genas, dulcesque arcessere somnos.
Cui nomen vox prima meum, ludusque tenello
Risus, et e nostro veniebant gaudia vultu.
Desunt cætera.

THEBAIDOS LIBRI XII.

ARGUMENTA LIBRORUM XII. THEBAIDOS
Ex vetustissimo Codice Toletano.

SOLVITUR in *Primo* fratrum concordia libro.
Denegat et fœdus, repetitaque regna *Secundus.*
Tertius in Thebas inflammat Dorica castra.
In *Quarto* Mavors bello rapit undique Graios.
Quintus et Hypsipyles luctus, narratque dolores.
Archemori *Sextus* ludos ad funera ducit.
Septimus obsessas Thebas, vatisque sepulcrum.
Occidit *Octavo* Menalippi cuspide Tydeus.
Hippomedonta soto dat *Nonus* et Arcada telo.
Cuspide fulminea *Decimus* Capanea terebat.
Undecimus parili germanos funere iungit.
Ultimus Ogygias dat vincere Thesea Thebas.

Liber primus

FRATERNAS acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis, sontesque evolvere Thebas,
Pierius menti calor incidit. Unde iubetis
Ire, Deæ? Gentisne canam primordia diræ?
Sidonios raptus, et inexorabile pactum
Legis Agenoreæ? scrutantemque æquora Cadmum?
Longa retro series, trepidum si Martis operti
Agricolam infandis condentem prœlia sulcis
Expediam, penitusque sequar, quo carmine muris
Iusserit Amphion Tyrios accedere montes.
Unde graves iræ cognata in mœnia Baccho,
Quod sævæ Iunonis opus, cui sumserit arcum
Infelix Athamas, cur non expaverit ingens
Ionium, socio casura Palæmone, mater.
Atque adeo iam nunc gemitus et prospera Cadmi
Præteriisse sinam: limes mihi carminis esto
Œdipodæ confusa domus: quando Itala nondum
Signa, nec Arctoos ausim sperare triumphos,
Bisque iugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum,
Et coniurato deiectos vertice Dacos;
Aut defensa prius vix pubescentibus annis
Bella Iovis. Tuque, o Latiæ decus addite famæ,
Quem, nova maturi subeuntem exorsa parentis,
Æternum sibi Roma cupit: licet arctior omnes
Limes agat stellas, et te plaga lucida cœli,
Pleiadum Boreæque et hiulci fulminis expers,
Sollicitet; licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Iuppiter æqua
Parte poli; maneas hominum contentus habenis,
Undarum terræque potens, et sidera dones.
Tempus erit, cum Pierio tua fortior œstro
Facta canam: nunc tendo chelyn: satis arma referre
Aonia, et geminis sceptrum exitiale tyrannis,
Nec furiis post fata modum, flammasque rebelles
Seditione rogi, tumulisque carentia regum
Funera, et egestas alternis mortibus urbes.
Cœrula cum rubuit Lernæo sanguine Dirce,
Et Thetis, arentes assuetum stringere ripas,
Horruit ingenti venientem Ismenon acervo.
Quem prius heroum, Clio, dabis? immodicum iræ
Tydea? laurigeri subitos an vatis hiatus?
Urget et hostilem propellens cædibus amnem
Turbidus Hippomedon, plorandaque bella protervi
Arcados, atque alio Capaneus horrore canendus.
Impia iam merita scrutatus lumina dextra,
Merserat æterna damnatum nocte pudorem
Œdipodes, longaque animam sub morte tenebat.
Illum, indulgentem tenebris, imæque recessu
Sedis, inaspectos cœlo radiisque penates
Servantem, tamen assiduis circumvolat alis
Sæva dies animi, scelerumque in pectore Diræ.
Tunc vacuos orbes, crudum ac miserabile vitæ
Supplicium, ostentat cœlo; manibusque cruentis
Pulsat inane solum, sævaque ita voce precatur:
  DI, sontes animas, angustaque Tartara pœnis,
Qui regitis, tuque, umbrifero Styx livida fundo,
Quam video multumque mihi consueta vocari,
Annue, Tysiphone, perversaque vota secunda:
Si bene quid merui, si me de matre cadentem
Fovisti gremio, et traiectum vulnere plantas
Firmasti: si stagna petii Cyrrhæa bicorni
Interfusa iugo possem cum degere falso
Contentus Polybo, trifidæque in Phocidos arcto
Longævum implicui regem, secuique trementis
Ora senis, dum quæro patrem; si Sphingos iniquæ
Callidus ambages, te præmonstrante, resolvi;
Si dulces furias, et lamentabile matris
Connubium gavisus ini; noctemque nefandam
Sæpe tuli, natosque tibi (scis ipsa) paravi;
Mox, avidus pœnæ, digitis cædentibus ultro
Incubui, miseraque oculos in matre reliqui;
Exaudi, si digna precor, quæque ipsa furenti
Subiiceres. Orbum visu regnisque parentem
Non regere, aut dictis mœrentem flectere adorti
Quos genui, quocumque toro: quin ecce superbi,
(Pro dolor!) et nostro iamdudum funere reges,
Insultant tenebris, gemitusque odere paternos.
Hisne etiam funestus ego? et videt ista Deorum

Ignavus genitor? tu saltem, debita vindex,
Huc ades, et totos in pœnam ordire nepotes.
Indue, quod madidum tabo diadema cruentis
Unguibus arripui, votisque instincta paternis
I media in fratres, generis consortia ferro
Dissiliant: da, Tartarei regina barathri,
Quod cupiam vidisse nefas. Nec tarda sequetur
Mens iuvenum, modo digna veni, mea pignora nosces.
Talia iactanti crudelis Diva severos
Advertit vultus. Inamœnum forte sedebat
Cocyton iuxta resolutaque vertice crines,
Lambere sulfureas permiserat anguibus undas.
Ilicet igne Iovis, lapsisque citatior astris,
Tristibus exsilit ripis. Discedit inane
Vulgus, et occursus dominæ pavet: illa per umbras,
Et caligantes animarum examine campos,
Tenariæ limen petit irremeabile portæ,
Sensit adesse dies: piceo nox obvia nimbo
Lucentes turbavit equos: procul arduus Atlas
Horruit, et dubia cœlum cervice remisit.
Arripit extemplo, Maleæ de valle resurgens,
Notum iter ad Thebas: neque enim velocior ullas
Itque reditque vias, cognataque Tartara mavult.
Centum illi stantes umbrabant ora cerastæ,
Turba minor diri capitis: sedet intus abactis
Ferrea lux oculis: qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte labor: suffusa veneno
Tenditur, ac sanie gliscit cutis: igneus atro
Ore vapor; quo longa sitis, morbique, famesque,
Et populis mors una venit: riget horrida tergo
Palla, et cœrulei redeunt in pectore nodi.
Atropos hos atque ipsa novat Proserpina cultus.
Tum geminas quatit illa manus: hæc igne rogali
Fulgurat, hæc vivo manus aera verberat hydro.
Ut stetit, abrupta qua plurimus arce Cithæron
Occurrit cœlo, fera sibila crine virenti
Congeminat, signum terris, unde omnis Achæi
Ora maris late, Pelopeiaque regna resultant.
Audiit et medius cœli Parnassus, et asper
Eurotas, dubiamque iugo fragor impulit Œten
In latus, et geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.
Ipsa suum genitrix, curvo delphine vagantem,
Arripuit frenis, gremioque Palæmona pressit.
Atque ea Cadmeo præceps ubi limine primum
Constitit, assuetaque infecit nube penates:
Protinus attoniti fratrum sub pectore motus,
Gentilisque animos subiit furor, ægraque lætis
Invidia, atque parens odii metus: inde regendi
Sævus amor: ruptæque vices, iurisque secundi
Ambitus impatiens, et summo dulcius unum
Stare loco; sociisque comes discordia regni.
Sic, ubi delectos per torva armenta iuvencos
Agricola imposito sociare affectat aratro:
Illi indignantes, quis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, et vario confundunt limite sulcos:
Haud secus indomitos præceps discordia fratres
Asperat: alterni placuit sub legibus anni
Exsilio mutare ducem: sic iure maligno
Fortunam transire iubent, ut sceptra tenentem
Fœdere præcipiti semper novus angeret heres.
Hæc inter fratres pietas erat: hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura secundum.
Et nondum crasso laquearia fulva metallo,
Montibus aut alte Graiis effulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes.
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,
Atque aurum violare cibis: sed nuda potestas
Armavit fratres: pugna est de paupere regno.
Dumque, uter angustæ squalentia iugera Dirces
Verteret, aut Tyrii solio non altus ovaret
Exulis, ambigitur; periit ius, fasque, bonumque,
Et vitæ mortisque pudor. Quo tenditis iras,
Ah miseri? quid, si peteretur crimine tanto
Limes uterque poli, quem Sol emissus Eoo
Cardine, quem porta vergens prospectat Ibera?
Quasque procul terras obliquo sidere tangit
Avius, aut Borea gelidas, madidive tepentes
Igne Noti? quid, si Tyriæ Phrygiæve sub unum
Convectentur opes? loca dira, arcesque nefandæ,
Suffecere odio, furtisque immanibus emtum est
Œdipodæ sedisse loco. Iam sorte carebat
Dilatus Polynicis honos: quis tum tibi, sæve,
Quis fuit ille dies, vacua cum solus in aula
Respiceres ius omne tuum, cunctosque minores,
Et nusquam par stare caput? Iam murmura serpunt
Plebis Echioniæ, tacitumque a principe vulgus
Dissidet, et (qui mos populis) venturus amatur.
Atque aliquis, cui mens humili læsisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volenti
Ferre duces: Hancne Ogygiis, ait, aspera rebus
Fata tulere vicem? toties mutare timendos,
Alternoque iugo dubitantia subdere colla!
Partiti versant populorum fata, manuque
Fortunam fecere levem: semperne vicissim
Exulibus servire dabor? tibi, summe Deorum
Terrarumque sator, sociis hanc addere mentem
Sedit? an inde vetus Thebis extenditur omen,
Ex quo, Sidonii nequidquam blanda iuvenci
Pondera, Carpathio iussus sale quærere Cadmus
Exsul Hyanteos invenit regna per agros:
Fraternasque acies fœtæ telluris hiatu
Augurium seros dimisit adusque nepotes?
Cernis, ut erectum torva sub fronte minetur,
Sævior assurgens, demto consorte, potestas?
Quas gerit ore minas! quanto premit omnia fastu!
Hicne unquam privatus erit? Tamen ille precanti
Mitis, et affatu bonus et patientior æqui.
Quid mirum? non solus erat: non vilis in omnes
Promta manus casus, domino cuicumque parati.
Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
Vela trahunt, nutat mediæ fortuna carinæ.
Heu dubio suspensa metu, tolerandaque nullis
Aspera sors populis! hic imperat: ille minatur.
At, Iovis imperiis, rapidi super atria cœli
Lectus concilio Divum convenerat ordo
Interiore polo. Spatiis hinc omnia iuxta
Primæque occiduæque domus, effusa sub omni
Terra atque unda die: mediis sese arduus infert
Ipse Deis, placido quatiens tamen omnia vultu,
Stellantique locat solio: nec protinus ausi
Cœlicolæ, veniam donec pater ipse sedendi
Tranquilla iubet esse manu: mox turba vagorum
Semideum, et summis cognati nubibus amnes,
Et compressa metu servantes murmura venti,
Aurea tecta replent, mixta convexa Deorum
Maiestate tremunt: radiant maiore sereno
Culmina, et arcano florentes lumine postes.
Postquam iussa quies, siluitque exterritus orbis,
Incipit ex alto (grave et immutabile sanctis
Pondus adest verbis, et vocem Fata sequuntur):
Terrarum delicta, nec exsuperabile Diris
Ingenium mortale queror: quonam usque nocentum
Exigar in pœnas? Tædet sævire corusco
Fulmine: iam pridem Cyclopum operosa fatiscunt

Brachia, et Æoliis desunt incudibus ignes.
Atque ideo toleram falso rectore solutos
Solis equos, cœlumque rotis errantibus uri,
Et Phaethontea mundum squalere favilla.
Nil actum est; neque, tu valida quod cuspide late
Ire per illicitum pelago, germane, dedisti.
Nunc geminas punire domos, quis sanguinis auctor
Ipse ego, descendo. Perseos alter in Argos
Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.
Mens cunctis imposta manet: quis funera Cadmi
Nesciat; et toties excitam a sedibus imis
Eumenidum bellasse aciem? mala gaudia matrum,
Erroresque feros nemorum, et reticenda Deorum
Crimina? Vix lucis spatio, vix noctis abactæ,
Enumerare queam mores, gentemque profanam.
Scandere quin etiam talamos hic impius heres
Patris, et immeritæ gremium incestare parentis
Appetiit, proprius monstro revolutus in ortus.
Ille tamen Superis æterna piacula solvit
Proiecitque diem: nec iam amplius æthere nostro
Vescitur: at nati (facinus sine more!) cadentes
Calcavere oculos: iam iam rata vota tulisti,
Dire senex: meruere tuæ, meruere, tenebræ
Ultorem sperare Iovem. Nova sontibus arma
Iniiciam regnis, totumque a stirpe revellam
Exitiale genus: belli mihi semina sunto
Adrastus socer, et Superis adiuncta sinistris
Connubia. Hanc etiam pœnis incessere gentem
Decretum: neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus, et sævæ periit in iniuria mensæ.
Sic Pater omnipotens: ast illi, saucia dictis,
Flammato versans inopinum corde dolorem,
Talia Iuno refert: Mene, o iustissime Divum,
Me bello certare iubes? scis semper ut arces
Cyclopum, magnique Phoroneos inclyta fama
Sceptra viris, opibusque iuvem, licet improbus illic
Custodem Pharïæ, somno letoque, iuvencæ
Extinguas, septis et turribus aureus intres.
Mentitis ignosco toris: illam odimus urbem,
Quam vultu confessus adis; ubi, conscia magni
Signa tori, tonitrus agis, et mea fulmina torques.
Facta luant Thebæ: cur hostes eligis Argos?
Quin age, si tanta est thalami discordia sancti,
Et Samon, at veteres armis exscinde Mycenas:
Verte solo Spartem: cur usquam sanguine festo
Coniugis ara tuæ, cumulo cur thuris Eoi,
Læta calet? melius votis Mareotica fumat
Coptos, et ærisoni lugentia flumina Nili.
Quod si prisca luunt auctorum crimina gentes,
Subvenitque tuis sera hæc sententia curis,
Percensere ævi senium; quo tempore tandem
Terrarum furias abolere, et sæcula retro
Emendare sat est? Iamdudum ab sedibus illis
Incipe, fluctivaga qua præterlabitur unda
Sicanos longe relegens Alpheus amores.
Arcades hic tua (nec pudor est?) delubra nefastis
Imposuere locis: illic Mavortius axis
Œnomai, Geticoque pecus stabulare sub Æmo
Dignius; abruptis, etiamnum inhumata procorum
Reliquiis trunca ora rigent: tamen hic tibi templi
Gratus honos: placet Ida nocens, mentitaque Manes
Creta tuos: me Tantaleis consistere tectis,
Quæ tandem invidia est? belli deflecte tumultus,
Et generis miseresce tui. Sunt impia late
Regna tibi, melius generos passura nocentes.
Finierat miscens precibus convicia Iuno.
At non ille gravis, dictis, quamquam aspera, motus,
Reddidit hæc: Equidem haud rebar te mente secunda
Laturam, quodcumque tuos (licet æquus) in Argos
Consulerem; neque me (detur si copia) fallit
Multa super Thebis Bacchum, ausuramque Dionem
Dicere, sed nostri reverentia ponderis obstat.
Horrendos etenim latice, Stygia æquora fratris
Obtestor, mansurum et non revocabile verum,
Nil fore quo dictis flectar: quare impiger ales
Portantes præcede Notos Cyllenia proles,
Aera per liquidum, regnisque illapsus opacis,
Dic patruo: superas senior se tollat ad auras
Laius, extinctum nati quem vulnere, nondum
Ulterior Lethes accepit ripa, profundi
Lege Erebi: ferat hæc diro mea iussa nepoti:
Germanum exilio fretum, Argolicisque tumentem
Hospitiis, quod sponte cupit, procul impius aula
Arceat, alternum regni infitiatus honorem:
Hinc causæ irarum: certo reliqua ordine ducam.
Paret Atlantiades dictis genitoris; et inde
Summa pedum propere plantaribus illigat alis,
Obnubitque comas, et temperat astra galero.
Tum dextræ virgam inseruit, qua pellere dulces
Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire
Tartara, et exsangues animare assueverat umbras.
Desiluit; tenuique exceptus inhorruit aura.
Nec mora, sublimes raptim per inane volatus
Carpit, et ingenti designat nubila gyro.
Interea patriis olim vagus exul ab oris,
Œdipodionides furto deserta pererrat
Aoniæ: iam iamque animis male debita regna
Concipit; et longum signis cunctantibus annum
Stare gemit: tenet una dies noctesque recursans
Cura virum, si quando humilem decedere regno
Germanum, et semet Thebis, opibusque potitum
Cerneret, hac ævum cupiat pro luce pacisci.
Nunc queritur ceu tarda fugæ dispendia: sed mox
Attollit flatus ducis, et sedisse superbum
Deiecto se fratre putat: spes anxia mentem
Extrahit, et longo consumit gaudia voto.
Tunc sedet Inachias urbes, Danaeiaque arva,
Et caligantes abrupto sole Mycenas,
Ferre iter impavidum: seu prævia ducit Erinnys,
Seu fors illa viæ, sive hac immota vocabat
Atropos, Ogygiis ululata furoribus antra
Deserit, et pingues Bacchæo sanguine colles.
Inde plagam, qua molle sedens in plana Cithæron
Porrigitur, lassumque inclinat ad æquora montem,
Præterit: hinc arcte scopuloso in limite pendens,
Infames Scirone petras, Scyllæaque rura
Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
Linquit, et in mediis audit duo litora campis.
Iamque per emeriti surgens confinia Phœbi
Titanis, late mundo subvecta silenti
Rorifera gelidum tenuaverat aera biga.
Iam pecudes volucresque tacent: iam somnus avaris
Inserpit curis, pronusque per aera nutat,
Grata laboratæ referens oblivia vitæ.
Sed nec puniceo rediturum nubila cœlo
Promisere iubar, nec rarescentibus umbris,
Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.
Densior a terris, et nulli pervia flammæ
Subtexit nox atra polos: iam claustra rigentis
Æoliæ percussa sonant; venturaque rauco
Ore minatur hiems, venti transversa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum sibi quisque rapit: sed plurimus Auster
Inglomerat noctem, et tenebrosa volumina torquet,
Defunditque imbres: sicco quos asper hiatu
Persolidat Boreas: nec non abrupta tremiscunt
Fulgura, et attritus subita face rumpitur æther.
Iam Nemea, iam Tænareis contermina lucis

Arcadiæ capita alta madent: ruit agmine facto
Inachus, et gelidas surgens Erasinus ad Arctos.
Pulverulenta prius calcandaque flumina nullæ
Aggeribus tenuere moræ; stagnoque refusa est
Funditus, et veteri spumavit Lerna veneno.
Frangitur omne nemus: rapiunt antiqua procellæ
Brachia silvarum, nullisque aspecta per ævum
Solibus, umbrosi patuere æstiva Lycæi.
Ille tamen modo saxa iugis fugientia ruptis
Miratur, modo nubigenas e montibus amnes
Aure pavens, passimque insano turbine raptas
Pastorum pecorumque domos; non segnius amens,
Incertusque viæ, per nigra silentia, vastum
Haurit iter: pulsat metus undique, et undique frater.
Ac velut hiberno deprensus navita ponto,
Cui neque temo piger, neque amico sidere monstrat
Luna vias, medio cœli, pelagique tumultu
Stat rationis inops; iam iamque aut saxa malignis
Expectat submersa vadis, aut vertice acuto
Spumantes scopulos erectæ incurrere proræ:
Talis, opaca legens nemorum, Cadmeius heros
Accelerat, vasto metuenda umbone ferarum
Excutiens stabula, et prono virgulta refringit
Pectore: dat stimulos animo vis mœsta timoris,
Donec ab Inachiis victa caligine tectis
Emicuit lucem devexa in mœnia fundens
Larissæus apex: illo, spe concitus omni,
Evolat: hinc celsæ Iunonia templa Prosymnæ
Lævus habet, hinc Herculeo signata vapore
Lernæi stagna atra vadi: tandemque reclusis
Infertur portis: actutum regia cernit
Vestibula: hic artus imbri ventoque rigentes
Proiicit, ignotæque acclinis postibus aulæ
Invitat tenues ad dura cubilia somnos.
Rex ibi, tranquillæ medio de limite vitæ
In senium vergens, populos Adrastus habebat,
Dives avis, et utroque Iovem de sanguine ducens.
Hic sexus melioris inops, sed prole virebat
Feminea, gemino natarum pignore fultus.
Cui Phœbus generos (monstrum exitiabile dictu!
Mox adaperta fides), ævo ducente, canebat
Setigerumque suem, et fulvum adventare leonem.
Hæc volvens, non ipse pater, non, docte futuri
Amphiarae, vides: etenim vetat auctor Apollo.
Tantum in corde sedens ægrescit cura parentis.
Ecce autem, antiquam fato Calydona relinquens,
Olenius Tydeus (fraterni sanguinis illum
Conscius horror agit) eadem sub nocte sopora
Lustra terit, similesque Notos dequestus et imbres,
Infusam tergo glaciem, at liquentia nimbis
Ora comasque gerens, subit uno tegmine, cuius,
Fusus humo gelida, partem prior hospes habebat.
Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit: haud passi sociis defendere noctem
Culminibus: paulum alternis in verba minasque
Cunctantur: mox ut iactis sermonibus iræ
Intumuere satis, tum vero erectus uterque
Exertare humeros, nudamque lacessere pugnam.
Celsior ille gradu procera in membra, simulque
Integer annorum: sed non et viribus infra
Tydea fert animus; totosque infusa per artus,
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.
Iam crebros ictus ora et cava tempora circum
Obnixi ingeminant, telorum aut grandinis instar
Rhipheæ, flexoque genu vacua ilia tundunt.
Non aliter quam Pisæo sua lustra Tonanti
Cum redeunt, crudisque virum sudoribus ardet
Pulvis, et hinc teneros caveæ dissensus ephebos
Concitat, exclusæque expectant præmia matres.
Sic alacres odio, nullaque cupidine laudis
Accensi incurrunt, scrutatur et intima vultus
Unca manus; penitusque oculis cedentibus instat.
Forsan et accinctos lateri (sic ira ferebat)
Nudassent enses, meliusque hostilibus armis
Lugendus fratri, iuvenis Thebane, iaceres,
Ni rex insolitum clamorem, et pectore ab alto
Stridentes gemitus, noctis miratus in umbris,
Movisset gressus; magnis cui sobria curis
Pendebat somno iam deteriore senectus.
Isque ubi progrediens numerosa luce, per alta
Atria, dimotis adverso limine claustris
Terribilem dictu faciem, lacera ora, putresque
Sanguineo videt imbre genas: Quæ causa furoris,
Externi iuvenes? (neque enim meus audeat istas
Civis in usque manus) quisnam implacabilis ardor
Exturbare odiis tranquilla silentia noctis?
Usque adeone angusta dies? et triste, parumper
Pacem animo somnumque pati? sed prodite tandem,
Unde orti? quo fertis iter? quæ iurgia? nam vos
Haud humiles tanta ira docet, generisque superbi
Magna per affusum clarescunt signa cruorem.
Vix ea, cum mixto clamore obliqua tuentes
Incipiunt una: Rex o mitissime Achivum,
Quid verbis opus? ipse undantes sanguine vultus
Aspicis: hæc passim turbatis vocis amaræ
Confudere sonis: inde orsus in ordine Tydeus
Continuat, mœsti cupiens solatia casus:
Monstriferæ Calydonis opes, Acheloiaque arva
Deserui: vestris hic me ecce in finibus ingens
Nox operit: tecto cœlum prohibere quis iste
Arcuit? an quoniam prior hæc ad limina forte
Molitur gressus? pariter stabulare bimembres
Centauros, unaque ferunt Cyclopas in Ætna
Compositos, sunt et rabidis iura insita monstris,
Fasque suum: nobis sociare cubilia terræ?
Sed quid ego? Aut hodie spoliis gavisus abibis,
Quisquis es, his: aut me, si non effœtus oborto
Sanguis hebet luctu, magni de stirpe creatum
Œneos, et Marti non degenerare paterno
Accipies. Nec nos animi nec stirpis egemus,
Ille refert contra, sed mens, sibi conscia facti,
Cunctatur proferre patrem: tunc mitis Adrastus,
Immo agite, et positis, quas nox inopinaque suasit
Aut virtus, aut ira, minis, succedite tecto.
Iam pariter coeant animorum in pignora dextræ.
Non hæc incassum, Divisque absentibus, acta:
Forsan et has venturus amor præmiserit iras,
Ut meminisse iuvet: nec vana voce locutus (iunctis
Fata senex: siquidem hanc perhibent post vulnera
Esse fidem, quanta partitum extrema protervo
Thesea Pirithoo, vel inanem mentis Orestem
Opposito rabidam Pylade vitasse Megæram.
Tunc quoque mulcentem dictis corda aspera regem
Iam faciles (ventis ut decertata residunt
Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes
Immoritur velis) passi subiere penates.
Hic primum lustrare oculis cultusque virorum,
Telaque magna vacat, tergo videt huius inanem
Impexis utrimque iubis horrere leonem,
Illius in speciem, quem per Theumesia Tempe
Amphitryoniades fractum iuvenilibus armis
Ante Cleonæi vestitur prœlia monstri.
Terribiles contra setis ac dente recurvo
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuviæ, Calydonis honos: stupet omine tanto
Defixus senior, divina oracula Phœbi
Agnoscens, monitusque datos vocalibus antris.
Obtutu gelida ora premit, lætusque per artus

Horror iit. Sensit manifesto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo
Portendi generos, vultu fallente ferarum,
Ediderat: tunc sic tendens ad sidera palmas:
Nox, quæ, terrarum cœlique amplexa labores,
Ignea multivago transmittis sidera lapsu,
Indulgens reparare animum, dum proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus,
Tu mihi perplexis quæsitam erroribus ultro
Advehis alma fidem, veterisque exordia fati
Detegis: assistas operi, tuaque omina firmes.
Semper honoratam dimensis orbibus anni
Te domus ista colet: nigri tibi, Diva, litabunt
Electa cervice greges; lustraliaque exta
Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.
Salve, prisca fides tripodum, obscurique recessus,
Deprendi, Fortuna, Deos. Sic fatus; et, ambos
Innectens manibus, tecta ulterioris ad aulæ
Progreditur: canis etiamnum altaribus ignes
Sopitum cinerem, et tepidi libamina sacri
Servabant: adolere focos, epulasque recentes
Instaurare iubet: dictis parere ministri
Certatim accelerant: vario strepit icta tumultu
Regia: pars ostro tenues auroque sonantes
Emunire toros, altosque inferre tapetas,
Pars teretes levare manu ac disponere mensas.
Ast alii tenebras et opacam vincere noctem
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.
His labor inserto torrere exsanguia ferro
Viscera cæsarum pecudum: his cumulare canistris
Perdomitam saxo Cererem. Lætatur Adrastus
Obsequio fervere domum: iamque ipse superbis
Fulgebat stratis, solioque effultus eburno.
Parte alia iuvenes, siccati vulnera lymphis
Discumbunt: simul ora notis fœdata tuentur,
Inque vicem ignoscunt: tunc rex longævus Acesten
(Natarum hæc altrix, eadem et fidissima custos
Lecta sacrum iustæ Veneri occultare pudorem)
Imperat acciri, tacitaque immurmurat aure.
Nec mora præceptis; cum protinus utraque virgo,
Arcano egressæ thalamo, (mirabile visu)
Pallados armisonæ, pharetratæque ora Dianæ
Æqua ferunt, terrore minus. Nova deinde pudori
Visa virum facies: pariter pallorque, ruborque
Purpureas hausere genas: oculique verentes (sæ
Ad sanctum rediere patrem: postquam ordine men-
Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare Deis seniorque Phoroneus
Assueti. Tenet hæc operum cælata figuras:
Aureus anguicomam præsecto Gorgona collo
Ales habet: iam iamque vagas (ita visus) in auras
Exilit: illa graves oculos languentiaque ora
Pæne movet, vivoque etiam pallescit in auro.
Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis:
Gargara desidunt surgenti, et Troia recedit:
Stant mæsti comites, frustraque sonantia laxant
Ora canes, umbramque petunt, et nubila latrant.
Hanc undante mero fundens, vocat ordine cunctos
Cælicolas: Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad a-
Laude ciet comitum, famulumque evincta pedica (ras
Fronde manus: cui festa dies, largoque refecti
Thure, vaporatis lucent altaribus ignes.
Forsitan, o iuvenes, quæ sint ea sacra, quibusque
Præcipuum causis Phœbi obtestamur honorem,
Rex ait, exquirunt animi. Non inscia suasit
Religio: magnis exercita cladibus olim
Plebs Argiva litant: animos advertite, pandam:
Postquam cærulei sinuosa volumina monstri,
Terrigenam Pythona, Deus septem orbibus atris
Amplexum Delphos, squammisque annosa terentem
Robora, Castaliis dum fontibus ore trisulco
Fusus hiat, nigro sitiens alimenta veneno,
Perculit, absumtis numerosa in vulnera telis,
Cirrhæique dedit centum per iugera campi
Vix tandem explicitum, nova deinde piacula cædi
Perquirens, nostri tecta haud opulenta Crotopi
Attigit: huic primis, et pubem ineuntibus annis
Mira decore pio servabat nata penates
Intemerata toris; felix, si Delia nunquam
Furta, nec occultum Phœbo sociasset amorem.
Namque, ut passa Deum Nemeæi ad fluminis undam,
Bis quinos plena cum fronte resumeret orbes
Cynthia, sidereum Latonæ fœta nepotem
Edidit: ac pœnæ metuens (neque enim ille coactis
Donasset thalamis veniam pater) avia rura
Eligit, ac natum septa inter ovilia furtim
Montivago pecoris custodi mandat alendum.
Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, et vimine querno
Texta domus: clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent, suadetque leves cava fistula somnos,
Et pecori commune solum, sed fata nec illum
Concessere larem: viridi nam cespite terræ
Proiectum temere, et patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies, morsu depasta cruento,
Disiicit: hic vero attonitas ut nuntius aures
Matris adit, pulsi ex animo genitorque pudorque,
Et metus: ipsa ultro sævis plangoribus amens
Tecta replet, vacuumque ferens velamine pectus,
Occurrit confessa patri; nec motus, et atro
Imperat, infandum! cupientem occumbere leto.
Sero memor thalami, mœstæ solatia morti,
Phœbe, paras: monstrum infandis Acheronte sub imo
Conceptum Eumenidum thalamis: cui virginis ora,
Pectoraque, æternum stridens a vertice surgit,
Et ferrugineam frontem discriminat anguis.
Hæc tam dira lues nocturno squalida passu
Illabi thalamis, animasque a stirpe recentes
Abripere altricum gremiis, morsuque cruento
Devesci, et multum patrio pinguescere luctu.
Haud tulit armorum præstans animique Corœbus,
Seque ultro lectis iuvenum, qui robore primi,
Famam posthabita faciles extendere vita,
Obtulit: illa novos ibat populata penates
Portarum in bivio: lateri duo corpora parvum
Dependent, et iam unca manus vitalibus hæret,
Ferratique ungues tenero sub corde tepescunt.
Obvius huic latus omne virum stipante corona
It iuvenis, ferrumque ingens sub pectore diro
Condidit: atque imas animæ mucrone corusco
Scrutatus latebras, tandem sua monstra profundo
Reddit habere Iovi. Iuvat ire, et visere iuxta
Liventes in morte oculos, uterique nefandam
Proluviem, et crasso squalentia pectora tabo,
Qua nostræ cecidere animæ: stupet Inacha pubes:
Magnaque, post lacrymas, etiamnum gaudia pallent.
Hi trabibus duris solatia vana dolori,
Proterere exanimes artus, asprosque molares
Deculcare genis, nequit iram explere potestas.
Illam et nocturno circum stridore volantes,
Impastæ fugistis, aves, rabidamque canum vim,
Oraque sicca ferunt trepidorum inhiasse luporum:
Sævior in miseros fatis ultricis ademtæ
Delius insurgit, summaque bivarticis umbra
Parnassi residens, arcu crudelis iniquo
Pestifera arma iacit, camposque, et celsa Cyclopum
Tecta, superiecto nebularum incendit amictu.

Labuntur dulces animæ: mors fila Sororum
Ense metit, captamque tenens fert Manibus urbem.
Quærenti, quæ causa, duci; quis ab æthere lævus
Ignis, et in totum regnaret Sirius annum?
Idem auctor Pæan rursus iubet ire cruento
Inferias monstro iuvenes, qui cæde potiti.
Fortunate animi, longumque in sæcula digne
Promeriture diem! non tu pia degener arma
Occulis, aut certæ trepidas occurrere morti.
Cominus ora ferens, Cirrhæi in limine templi
Constitit, et sacras ita vocibus asperat iras:
Non missus, Thymbræe, tuos supplexve penates
Advenio: mea me pietas, et conscia virtus
Has egere vias. Ego sum, qui cæde subegi,
Phœbe, tuum mortale nefas, quem nubibus atris
Et squalente die, nigra quem tabe sinistri
Quæris, inique, poli: quod si monstra effera magnis
Cara adeo Superis, iacturaque vilior orbis,
Mors hominum, et sævo tanta inclementia cœlo est;
Quid meruere Argi? Me, me, Divum optime, solum
Obiecisse caput fatis præstabit: an illud
Lene magis cordi, quod desolata domorum
Tecta vides? ignique datis cultoribus, omnis
Lucet ager? sed quid fando tua tela manusque
Demoror? Expectant matres, supremaque fundunt
Vota mihi: satis est: merui, ne parcere velles.
Proinde move pharetras, arcusque intende sonoros;
Insignemque animam leto demitte: sed illum
Pallidus Inachiis qui desuper imminet Argis,
Dum morior, depelle globum. Fors æqua merentes
Respicit: ardentem tenuit reverentia cædis
Latoidem, tristemque viro summissus honorem
Largitur vitæ: nostro mala nubila cœlo
Diffugiunt: at tu stupefacti a limine Phœbi
Exoratus abis: inde hæc stata sacra quotannis
Solennes recolunt epulæ, Phœbeiaque placat
Templa novatus honos. Has forte invisitis aras
Vos, quæ progenies? quamquam Calydonius Œneus,
Et Parthaoniæ (dudum si certus ad aures
Clamor iit) tibi iura domus; tu pande, quis Argos
Advenias, quando hæc variis sermonibus hora est.
Deiecit mœstos extemplo Ismenius heros
In terram vultus, taciteque ad Tydea læsum
Obliquare oculos; tum longa silentia movit:
Non super hos Divum tibi sum quærendus honores
Unde genus, quæ terra mihi: quis defluat ordo
Sanguinis antiqui, piget inter sacra fateri.
Sed, si præcipitant miserum cognoscere curæ,
Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebe,
Et genitrix Iocasta mihi. Tum motus Adrastus
Hospitiis (agnovit enim), Quid nota recondis?
Scimus, ait; nec sic aversum fama Mycenis
Volvit iter. Regnum, et furias, oculosque pudentes
Novit, et Arctois si quis de solibus horret,
Quique bibit Gangen, aut nigrum occasibus intrat
Oceanum, et si quos incerto littore Syrtes
Destituunt, ne perge queri, casusque priorum
Annumerare tibi. Nostro quoque sanguine multum
Erravit pietas: nec culpa nepotibus obstat.
Tu modo dissimilis rebus mereare secundis
Excusare tuos: sed iam temone supino
Languet Hyperboreæ glacialis portitor Ursæ.
Fundite vina focis, servatoremque parentum
Latoiden votis iterumque iterumque canamus.
Phœbe parens, seu te Lyciæ Pataræa nivosis
Exercent dumeta iugis, seu rore pudico
Castaliæ flavos amor est tibi mergere crines;
Seu Troiam Thymbræus habes, ubi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris subiisse molares;
Seu iuvat Ægæum feriens Latonius umbra
Cynthus, et assiduam pelago non quærere Delon:
Tela tibi, longeque feros lentandus in hostes
Arcus, et ætherii dono cessere parentes
Æternum florere genas: tu doctus iniquas
Parcarum prænosse manus, fatumque quod ultra est,
Et summo placitura Iovi; quis letifer annus,
Bella quibus populis, mutent quæ sceptra cometæ.
Tu Phryga submittis citharæ: tu matris honori
Terrigenam Tityon Stygiis extendis arenis:
Te viridis Python, Thebanaque mater ovantem
Horruit in pharetris: ultrix tibi torva Megæra
Ieiunum Phlegyam, subter cava saxa iacentem,
Æterno premit accubitu, dapibusque profanis
Instimulat: sed mixta famem fastidia vincunt.
Adsis o memor hospitii, Iunoniaque arva
Dexter ames; seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mitram.

Liber secundus

INTEREA gelidis Maia satus aliger umbris
Iussa gerens magni remeat Iovis: undique pigræ
Ire vetant nubes, et turbidus implicat aer:
Nec Zephyri rapuere gradum: sed fœda silentis
Aura poli. Styx inde novem circumflua campis,
Hinc obiecta vias torrentum incendia cludunt.
Pone senex trepida succedit Laius umbra
Vulnere tardus adhuc: capulo nam largius illi
Transabiit costas cognatis ictibus ensis
Impius, et primas Furiarum pertulit iras.
It tamen, et medica firmat vestigia virga.
Tum steriles luci, possessaque Manibus arva,
Et ferrugineum nemus adstupet, ipsaque tellus
Miratur patuisse retro: nec livida tabes
Invidiæ, functis quamquam et iam lumine cassis,
Defuit: unus ubi ante alios, cui læva voluntas
Semper, et ad Superos hinc est gravis exitus, ævi
Insultare malis, rebusque ægrescere lætis:
Vade, ait, o felix, quoscumque vocaris in usus,
Seu Iovis imperio, seu maior adegit Erinnys
Ire diem contra, seu te furiata sacerdos
Thessalis arcano iubet emigrare sepulcro,
Heu dulces visure polos, solemque relictum,
Et virides terras, et puros fontibus amnes;
Tristior has iterum tamen intrature tenebras.
Illos ut cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus;
Sævus et intranti populo: iam nigra tumebat
Colla minax, iam sparsa solo turbaverat ossa:
Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens
Ferrea tergemino domuisset lumina somno.
Est locus Inachiæ, dixerunt Tænara gentes,
Qua formidatum Maleæ spumantis in auras
It caput, et nullos admittit culmine visus.
Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus
Despicit, et tantum fessis insiditur astris.
Illic exhausti posuere cubilia venti;
Fulminibusque iter est: medium cava nubila montis
Insumsere latus: summos nec præpetis alæ
Plausus adit colles, nec rauca tonitrua pulsant.
Ast ubi prona dies, longos super æquora fines
Exigit, atque ingens medio natat umbra profundo.
Interiore sinu frangentia litore curvet
Tænaros, expositos non audax scandere fluctus.
Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos: prior haurit arenas
Ungula; postremi solvuntur in æquora pisces.

Hoc (ut fama) loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigrique Iovis vacua atria ditat
Mortibus. Arcadii perhibent si vera coloni,
Stridor ibi, et gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager. Sæpe Eumenidum vocesque manusque
In medium sonuere diem, letique triformis
Ianitor agricolas campis auditus abegit.
Hac et tunc fusca volucer Deus obsitus umbra
Exsilit ad Superos, infernaque nubila vultu
Discutit, et vivis afflatibus ora serenat.
Inde per Arcturum, mediæque silentia Lunæ
Arva super, populosque meat. Sopor obvius illi
Noctis agebat equos, trepidusque assurgit honori
Numinis, et recto decedit limite cœli.
Inferior volat umbra Deo, præreptaque noscit
Sidera, principiumque sui. Iamque ardua Cirrhæ,
Pollutamque suo despectat Phocida busto.
Ventum erat ad Thebas: gemuit prope limina nati
Laius, et notos cunctatur inire penates.
Ut vero excelsis suamet iuga nixa columnis
Vidit, et infectos etiamnum sanguine currus,
Pene retro turbatus abit: nec summa Tonantis
Iussa, nec Arcadiæ retinent spiramina virgæ.
Et tunc forte dies noto signata Tonantis
Fulmine, prærupti cum te, tener Evie, partus
Transmisere patri. Tyriis ea causa colonis
Insomnem ludo certatim educere noctem
Suaserat. Effusi passim per tecta, per agros,
Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce Deum: tum plurima buxus,
Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus.
Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas
Impulerat matres Baccho meliore Cithæron.
Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Bistones, aut mediæ ponunt convallibus Ossæ.
Illis semianimum pecus, excussæque leonum
Ore dapes, et lacte novo domuisse cruorem
Luxus: at Ogygii si quando afflavit Iacchi
Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulchrum
Spargere, et, immerito sociorum sanguine fuso,
Instaurare diem, festasque reponere mensas.
Nox ea, cum tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionii stratis allapsus, ubi ingens
Fuderat Assyriis exstructa tapetibus alto
Membra toro. Pro! gnara nihil mortalia fati
Corda sui! capit ille dapes, habet ille soporem.
Tunc senior quæ iussus agit, neu falsa videri
Noctis imago queat, longævi vatis opacos
Tiresiæ vultus, vocemque, et vellera nota
Induitur: mansere comæ, propexaque mento
Canicies, pallorque suus: sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus olivæ
Vittarum provenit honos: dehinc tangere ramo
Pectora, et has visus Fatorum expromere voces:
Non somni tibi tempus iners, qui nocte sub alta
Germani secure iaces: ingentia dudum
Acta vocant, rerumque graves, ignave, paratus.
Tu veluti, magnum si iam tollentibus Austris
Ionium nigra iaceat sub nube magister,
Immemor armorum, versantisque æquora clavi,
Cunctaris: iamque ille, novis (scit fama) superbus
Connubiis, viresque parat, quis regna capessat,
Quis neget: inque sua senium sibi destinat aula.
Dant animos socer augurio fatalis Adrastus,
Dotalesque Argi: necnon in fœdera vitæ
Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.
Hinc tumor, et longus fratri promitteris exul.
Ipse Deum genitor tibi me, miseratus, ab alto
Mittit. Habe Thebas; cæcumque cupidine regni,
Ausurumque eadem, germanum expelle; nec ultra
Fraternos inhiantem obitus sine fidere cœptis
Fraudibus, aut Cadmo dominas inferre Mycenas.
Dixit, et abscedens, (etenim iam pallida turbant
Sidera lucis equi) ramos ac vellera fronti
Deripuit, confessus avum, dirique nepotis
Incubuit stratis: iugulum mox cæde patentem
Nudat, et undanti perfundit vulnere somnum.
Illi rupta quies: attollit membra, toroque
Erigitur plenus monstris; vanumque cruorem
Excutiens, simul horret avum, fratremque requirit.
Qualis ubi, audito venantum murmure, tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes;
Bella cupit, laxatque genas, et temperat ungues:
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: sic excitus ira
Ductor, in absentem consumit prœlia fratrem.
Et iam, Mygdoniis elata cubilibus alto
Impulerat cœlo gelidas Aurora tenebras,
Rorantes excussa comas, multumque sequenti
Sole rubens: illi roseus per nubila seras
Advertit flammas, alienumque æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipsi radios vetet esse sorori;
Cum senior Talaonides, nec longa morati
Dircæusque gradum pariterque Acheloius heros
Corripuere toris: illos, post verbera fessos
Exceptamque hiemem, cornu perfuderat omni
Somnus: at Inachio tenuis sub pectore regi
Tracta quies, dum mente Deos, inceptaque versat
Hospitia, et quæ sint generis adscita repertis
Fata movet: postquam mediis in sedibus aulæ
Congressi, inque vicem dextras iunxere, locumque,
Quo serere arcanas aptum atque evolvere curas,
Insidunt; prior his dubios compellat Adrastus:
Egregii iuvenum; quos, non sine numine, regnis
Invexit nox dextra meis, quibus ipse per imbres,
Fulminibus mixtos, intempestumque Tonantem,
Has meus usque domos vestigia fecit Apollo;
Non equidem obscurum vobis plebique Pelasgæ
Esse reor, quantis connubia nostra procorum
Turba petant studiis: geminæ mihi namque, nepotum
Læta fides, æquo pubescunt sidere natæ.
Quantus honos, quantusque pudor, (ne credite patri)
Et super hesternas licuit cognoscere mensas.
Has tumidi solio, et late dominantibus armis
Optavere viri (longum enumerare Pharæos
Œbaliosque duces), et Achæa per oppida matres,
Spem generis, nec plura tuus despexerat Œneus
Fœdera, Pisæusque socer metuendus habenis.
Sed mihi nec Sparta genitos, nec ab Elida missos,
Iungere fas generos: vobis hic sanguis, et aulæ
Iura meæ, longo promittitur ordine fati.
Di bene, quod tales stirpemque animosque venitis,
Ut responsa iuvent: hic duro tempore noctis
Partus honos: hæc illa venit post verbera merces.
Audierant: fixosque oculos per mutua paulum
Ora tenent, visque inter sese ordine fandi
Cedere: sed cunctis Tydeus audentior actis
Incipit: O quam te parcum in præconia famæ
Mens agitat matura tuæ, quantumque ferentem
Fortunam virtute domas! cui cedat Adrastus
Imperiis? quis te solio Sicyonis avitæ
Excitum infrænos componere legibus Argos
Nesciat? atque utinam his manibus permittere gen-
Iupiter æque, velis, quas Doricus alligat undis (tes,
Isthmos, at alterno quas margine submovet infra:
Non fugeret diras lux intercisa Mycenas,
Sæva nec Eleæ gemerent certamina valles,

Eumenidesque aliis allæ sub regibus, et quæ
Tu potior, Thebane, queri: nos vero voleutes,
Expositique animis. Sic interfatus: et alter
Subiicit: Anne aliquis soceros accedere tales
Abnuat? exulibus quamquam patriaque fugatis
Nondum læta Venus, tamen omuis corde resedit
Tristitia, affixique animo cessere dolores.
Nec minus hæc læti trahimus solatia, quam si
Præcipiti convulsa Noto prospectet amicam
Puppis humum. Iuvat ingressos felicia regni
Omina, quod superest fati vitæque laborum
Fortuna transire tua. Nec plura morati,
Consurgunt: dictis impensius aggerat omne
Promissum Inachius pater; auxilioque futurum,
Et patriis spondet reduces iuducere regnis.
Ergo alacres Argi, fuso rumore per urbem
Advenisse duci generos, primisque Hymenæis
Egregiam Argian, uec formæ laude secundam
Deipylen, tumida iam virginitate, iugari,
Gaudia mente parant. socias it fama per urbes,
Finitimisque agitatur agris, procul usque Lycæos
Partheniosque super saltus, Ephyreaque rura.
Nec minus Ogygias eadem Dea turbida Thebas
Insilit, et totis perfundit mœnia pennis;
Labdaciumque ducem, præmissæ consona nocti
Territat, hospitia, et thalamos, et fœdera regni,
Permixtumque genus, (quæ tanta licentia moustro?
Quis furor est?) iam bella canit. Diffuderat Argos
Espectata dies: læto regalia cœtu
Atria complentur: species est cernere avorum
Cominus, et vivis certautia vultibus æra:
Tantum ausæ perferre manus; pater ipse bicornis
In lævum prona nixus sedet Inachus urna.
Hunc tegit Iasiusque senex, placidusque Phoroneus,
Et bellator Abas, indignatusque Tonantem
Acrisius, nudoque ferens caput ense Corœbus,
Torvaque iam Danai facinus meditantis imago:
Exin mille duces; foribus cum immissa superbis
Unda fremit vulgi: procerum manus omnis, et alto
Quis propior de rege gradus, stant ordine primi;
Interior sacris calet, et souat aula tumultu
Femineo: casta matres cinxere corona
Argolides: pars virginibus circum undique fusæ
Fœdera conciliant nova, solanturque timorem.
Ibant insignes vultuque habituque verendo,
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Deiectæque genas; tacite subit ille supremus
Virginitatis amor; primæque modestia culpæ
Confundit vultus: tunc ora rigantur honestis
Imbribus, et teneros lacrymæ iuvere parentes.
Non secus ac supero pariter si cardine lapsæ
Pallas et asperior Phœbi soror, utraque telis,
Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo
Illa suas Cynthi comites agat, hæc Aracynthos
Tunc, si fas oculis, non unquam longa tuendo
Expedias, cui maior honos, cui gratior, aut plus
De Iove, mutatosque velint transumere cultus,
Et Pallas deceat pharetras, et Delia cristas.
Certant lætitia, Superosque in vota fatigant
Inachidæ, quæ cuique domus, sacrique facultas.
Hi fibris, animaque litant, hi cespite nudo:
Nec minus auditi, si mens accepta meretur
Thure Deos, fractisque obtendunt limina sylvis.
Ecce metu subito (Lachesis sic dira iubebat)
Impulsæ mentes; excussaque gaudia patris,
Et turbata dies; innuptam limine adibant
Pallada; Munychiis cui non Argiva per urbes
Posthabita est Larissa iugis: hic, more parentum,
Iasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosque solebant
Excusare toros: celsam subeuntibus arcem
In gradibus summi delapsum culmine templi,
Arcados Evippi spolium, cadit æreus orbis;
Præmissasque faces, festum nutentibus ignem,
Obruit, eque adytis simul exaudita remotis,
Nondum ausos firmare gradum tuba terruit ingens.
In regem conversi omnes formidine prima,
Mox audisse negant: cunctos tamen omina rerum
Dira movent, variisque metum sermonibus augent.
Nec mirum: nam tu infaustos, donante marito,
Ornatus, Argia geris, dirumque monile
Harmonies: longa est series, sed nota malorum
Prosequar, unde novis tam sæva potentia donis.
Lemnius hæc, ut prisca fides Mavortia longum
Furta dolens, capto postquam nihil obstat amori
Pœna, uec ultrices castigavere catenæ,
Harmonies dotale decus sub luce iugali
Struxerat: hoc, docti quamquam maiora, laborant
Cyclopes, notique operum Telchines amica
Certatim iuvere manu: sed plurimus ipsi
Sudor: ibi arcano florentes igne smaragdos
Cingit, et infaustas percussum adamanta figuras,
Gorgoneosque orbes, Siculaque incude relictos
Fulminis extremi cineres, viridumque draconum
Lucentes a fronte iubas: hic flebile germen
Hesperidum, et dirum Phryxei velleris aurum.
Tum varias pestes, raptumque interplicat atro
Tisiphones de crine ducem, et quæ pessima ceston
Vis probat: hæc circum spumis Lunaribus ungit
Callidus, atque hilari perfundit cuncta veneno.
Non hoc Pasithea, blandarum prima sororum,
Non Decor, Idaliusque puer, sed Luctus et Iræ,
Et Dolor, et tota pressit Discordia dextra.
Prima fides operi, Cadmum comitata iacentem
Harmonie, versis in sibila dira querelis,
Illyricos longo sulcavit pectore campos.
Improba mox Semele vix dona nocentia collo
Induit, et fallax intravit limina Iuno.
Teque etiam, infelix, perhibent, Iocasta, decorum
Possedisse nefas: vultus hac laude colebas,
Heu quibus! heu placitura toris! post longior ordo.
Tum donis Argia nitet, vilesque sororis
Ornatus sacro præculta supervenit auro.
Viderat hoc coniux perituri vatis, et aras
Ante omnes epulasque trucem secreta coquebat
Invidiam, sævis detur si quando potiri
Cultibus, heu nihil auguriis adiuta propinquis.
Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades!
Digna quidem, sed quid miseri decepta mariti
Arma? quid insontes nati meruere furores?
Postquam regales epulas et gaudia vulgi
Bisseni clusere dies, Ismenius heros
Respicere ad Thebas, iamque et sua quærere regna:
Quippe animum subit illa dies: qua, sorte benigna
Fratris, Echionia steterat privatus in aula:
Respiciens descisse Deos, trepidoque tumultu
Dilapsos comites, nudum latus omne, fugamque
Fortunæ; namque una soror producere tristes
Exulis ausa vias, etiam hanc in limine primo
Liquerat, et magna lacrymas incluserat ira.
Tunc quos excedens hilares, quis cultus iniqui
Præcipuus ducis, et profugo quos ipse notarat
Ingemuisse sibi, per noctem ac luce sub omni
Digerit: exedere animum dolor iraque demens,
Et, qua non gravior mortalibus addita cura,
Spes, ubi longa venit: talem sub pectore nubem
Consilio volvens, Dircen, Cadmique negatas
Apparat ire domos: veluti dux taurus, amata

Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Iussit ab erepta longe mugire iuvenca:
Cum profugo placuere tori, cervixque recepto
Sanguine magna redit, fractæque in pectora vires:
Bella cupit, saltusque, et capta armenta reposcit,
Iam pede, iam cornu melior; pavet ipse reversum
Victor, et attoniti vix agnovere magistri.
Non alias tacitis iuvenis Theumesius iras
Mente acuit; sed fida vias, arcanaque, coniux
Senserat: utque toris primo complexa iacebat
Auroræ pallore virum, Quos, callide, motus,
Quamve fugam moliris? ait: nil transit amantes.
Sentio, pervigiles acuunt suspiria questus,
Nunquam in pace sopor: quoties hæc ora natare
Fletibus, et magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu? Nil, fœdere rupto
Connubiisve super; moveor, viduaque iuventa;
(Etsi crudus amor, nec dum post flammea toti
Intepuere tori) tua me, properabo fateri,
Angit a mala salus. Tunc, incomitatus, inermis,
Regna petes? poterisque tuis decedere Thebis,
Si neget? atque illum solers deprendere semper
Fama duces, tumidum narrat, raptoque superbum,
Difficilemque tibi: nec dum consumserat annum.
Me quoque nunc vates, nunc exta minantia Divos,
Aut avium lapsus, aut turbida noctis imago
Territat. Ah, memini, nunquam mihi falsa per umbras
Iuno venit. Quo tendis iter? ni conscius ardor
Ducit, et ad Thebas melior socer. Hic breve tandem
Risit Echionius iuvenis, tenerumque dolorem
Coniugis amplexu solatur, et oscula mœstis
Tempestiva genis posuit, lacrymasque repressit:
Solve metus animo, dabitur, mihi crede, merentum
Consiliis tranquilla dies: te fortior annis
Nondum cura decet. Sciat hæc Saturnius olim
Fata parens, oculosque polo dimittere si quos
Iustitia, et rectum terris defendere curat.
Fors aderit lux illa tibi, qua mœnia cernes
Coniugis, et geminas ibis regina per urbes.
Sic ait, et caro raptim se limine profert.
Tydea iam socium cœptis, iam pectore fidum
Æquantem curas (tantus, post iurgia, mentes
Vinxit amor), socerumque affatur tristis Adrastum.
Fit mora consilio: cum, multa moventibus, una
Iam potior cunctis sedit sententia, fratris
Prætentare fidem, tutosque in regna precando
Explorare aditus. Audax ea munera Tydeus
Sponte subit. Nec non et te, fortissime gentis
Ætolum, multum lacrymis conata morari
Deiphyle, sed iussa patris, tutique regressus
Legato, iustæque preces vicere sororis.
Iamque emensus iter sylvis ac litore durum,
Qua Lernea palus, ambustaque sontibus alte
Intepet Hydra vadis, et qua vix carmina raro
Longa sonat Nemea, nondum pastoribus ausis,
Qua latus Eoos Ephyres quod vergit ad Euros,
Sisypheique sedent portus; irataque terræ
Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.
Hinc prætervectus Nisum, et te, mitis Eleusin,
Lævus habet: iamque arva gradu Theumesia, et arces
Intrat Agenoreas: ibi durum Eteoclea cernit
Sublimem solio, septumque horrentibus armis.
Iura ferus populo, trans legem ac tempora regni,
Iam fratris de parte, dabat. Sedet omne paratus
In facinus, queriturque fidem tam sero reposci.
Constitit in mediis: ramus manifestat olivæ
Legatum, causasque viæ nomenque, rogatus,
Edidit: utque rudis fandi, pronusque calori
Semper erat, iustis miscens tamen aspera, cœpit:
Si tibi plana fides, et dicti cura maneret
Fœderis, ad fratrem, completo iustius anno
Legatos hinc ire fuit; teque ordine certo
Fortunam exuere, et lætum descendere regno;
Ut vagus ille diu, passusque haud digna per urbes
Ignotas, pactæ tandem succederet aulæ.
Sed, quia dulcis amor regni, blandumque potestas,
Posceris: astriferum velox iam circulus orbem
Torsit, et amissæ redierunt montibus umbræ,
Ex quo frater inops, ignota per oppida tristes
Exul agit casus, et te iam tempus aperto
Sub Iove ferre dies, terrenaque frigora membris
Ducere, et externos, summissum ambire penates.
Pone modum lætis. Satis auro dives, et ostro
Conspicuus, tenuem germani pauperis annum
Risisti. Moneo, regnorum gaudia temet
Dedoceas; patiensque fugæ, mereare reverti.
Dixerat. Ast illi tacito sub pectore dudum
Ignea corda fremunt: iacto velut aspera saxo
Cominus erigitur serpens, cui subter inanes
Longa sitis latebras, totosque agitata per artus,
Convocat in fauces et squammea colla venenum:
Cognita si dubiis fratris mihi iurgia signis
Ante forent, nec clara odiorum arcana paterent,
Sufficeret vel sola fides, qua torvus, et illum
Mente gerens, ceu septa novus iam mœnia laxet
Fossor, et hostiles inmiceut classica turmas,
Præfuris: in medios si cominus orsa tulisses
Bistonas, aut refugo pallentes sole Gelonos,
Parcior alloquio, et medii reverentior æqui
Inciperes; neque te furibundæ crimine mentis
Arguerim, mandata refers: nunc, omnia quando
Plena minis, nec sceptra fide nec pace sequestra
Poscitis, at capulo propior manus; hæc mea regi
Argolico, nondum æqua tuis, vice dicta reporta:
Quæ sors iusta mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicavit honos, teneo, longumque tenebo.
Te penes Inachiæ dotalis regia dono
Coniugis, et Danaæ (quid enim maioribus actis
Invideam?) cumulentur opes. Felicibus Argos
Auspiciis, Lernamque regas: nos horrida Dirces
Pascua, et Euboicis arctatas fluctibus oras,
Non indignati miserum dixisse parentem
Œdipoden. Tibi larga (Pelops, et Tantalus auctor)
Nobilitas, propiorque fluat de sanguine iuncto
Iupiter: anne feret, luxu consueta paterno,
Hunc regina larem? nostræ cui iure sorores
Anxia pensa trahant? longo quam sordida luctu
Mater, et eximis auditus forte tenebris,
Offendat socer ille senex: iam pectora vulgi
Assuevere iugo. Pudet, heu, plebisque patrumque,
Ne toties incerta ferant, mutentque gementes
Imperia, et dubio pigeat parere tyranno.
Non parcit populis regnum breve. Respice quantus
Horror, et attoniti nostro in discrimine cives.
Hosne ego, quis certa est sub te duce pœna, relinquam?
Iratus, germane, venis: fac velle; nec ipsi
(Si modo notus amor, meritique est gratia) patres
Reddere regna sinent. Non ultra passus, et orsa
Iniecit mediis sermonibus obvia: Reddes,
Ingeminat, reddes: non, si te ferreus agger
Ambiat; aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat: nil tela nec ignes
Obstiterint, quin ausa luas, nostrisque sub armis
Captivo moribundus humum diademate pulses.
Tu merito: ast horum miseret, quos sanguine viles,
Coniugibus natisque infanda ad prœlia raptos
Proiicis excidio, bone rex. O quanta Cithæron
Funera, sanguineisque vadis, Ismene, rotabis!

Hæc pietas, hæc magna fides: nec crimina gentis
Mira equidem duco: sic primus sanguinis auctor,
Incestique patrum thalami; sed fallit origo:
Œdipodes tu solus eris: hæc præmia morum
Ac sceleris, violente, feres nos poscimus unum.
Sed moror. Hæc audax etiamnum in limine retro
Vociferans, iam tunc impulsa per agmina præceps
Evolat. Œneæ vindex sic ille Dianæ
Erectus setis, et aduncæ fulmine malæ,
Cum premeret Pelopea phalanx, saxa obvia volvens,
Fractaque perfossis arbusta Acheloia ripis,
Iam Telamona solo, iam stratum Ixiona linquens,
Te, Meleagre, subit: ibi demum cuspide lata
Hæsit, et obnixo ferrum laxavit in armo.
Talis adhuc trepidum liquit Calidonius heros
Concilium, infrendens, ipsi ceu regna negentur:
Festinatque vias, ramumque precantis olivæ
Abiicit: attonitæ tectorum ex culmine summo
Prospectant matres, sævoque infanda precantur
Œnidæ, tacitoque simul sub pectore regi.
Nec piger ingenio scelerum fraudisque nefandæ
Rector eget. Iuvenum fidos, lectissima belli
Corpora nunc pretio, nunc ille hortantibus ardens
Sollicitat dictis, nocturnaque prælia sævus
Instruit, et sanctum populis per secula nomen
Legatum insidiis, tacitoque invadere ferro
(Quid regnis non vile?) cupit: quas quæreret artes,
Si fratrem, Fortuna, dares? O cæca nocentum
Consilia! o semper timidum scelus! exit in unum
Plebs ferro iurata caput: ceu castra subire
Apparet, aut celsum crebris arietibus urbis
Inclinare latus: densi sic agmine facto,
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.
Macte animi, tantis dignus qui crederis armis.
Fert via per dumos propior, qua calle latenti
Præcelerant, densæque legunt compendia sylvæ.
Lecta dolis sedes: gemini, procul urbe, malignis
Faucibus urgentur colles, quos umbra superni
Montis, et incurvis claudunt iuga frondea sylvis:
Insidias natura loco, cæcamque latendi
Struxit opem: medias arcte secat aspera rupes
Semita, quam subter campi, devexaque latis
Arva iacent spatiis: contra importuna crepido,
Œdipodioniæ domus alitis: hic fera quondam,
Pallentes erecta genas, suffusaque tabo
Lumina, concretis infando sanguine plumis,
Reliquias amplexa virum, semesaque nudis
Pectoribus stetit ossa premens, visuque trementi
Collustrat campos, si quis concurrere dictis
Hospes inexplicitis, aut cominus ire viator
Audeat, et diræ commercia iungere linguæ.
Nec mora, quin acuens exertos protinus ungues,
Liventesque manus, fractosque in vulnere dentes,
Terribili applausu circum hospita surgeret ora.
Et latuere doli, donec, de rupe cruenta
Heu simili deprensa viro, cessantibus alis
Tristis inexpletam scopulis affligeret alvum.
Monstrat sylva nefas, horrent vicina iuvenci
Gramina; damnatis avidum pecus abstinet herbis.
Non Dryadum placet umbra choris, non commoda (sacris
Faunorum; diræque etiam fugere volucres
Prodigiale nemus: tacitis huc gressibus acti
Deveniunt peritura cohors: hostemque superbum,
Annixi iaculis; at humi posita arma tenentes,
Expectant, densaque nemus statione coronant.
Cœperat humenti Phœbum subtexere palla
Nox, et cæruleam terris infuderat umbram.
Ille propinquabat sylvis; et ab aggere celso,
Scuta virum galeasque videt rutilare comantes,
Qua laxant rami nemus, adversaque sub umbra
Flammeus æratis lunæ tremor errat in armis.
Obstupuit visis: ibat tamen, horrida tantum
Spicula, et inclusum capulo tenus admovet ensem.
Ac prior, unde viri? quidve occultatis in armis?
Non humili terrore rogat: nec reddita contra
Vox, fidamque negant suspecta silentia pacem.
Ecce autem, vasto Chthonii contorta lacerto,
Quo duce freta cohors, fuscas intervolat auras
Hasta: sed audenti Deus et Fortuna recessit.
Per tamen Olenii tegimen suis, atraque setis
Terga, super lævos humeros, vicina cruori,
Effugit, et viduo iugulum ferit irrita ligno.
Tunc horrere comæ, sanguisque in corde gelari.
Huc ferus atque illuc animum: pallentiaque ira
Ore ferens, nec tanta putat sibi bella parari.
Ferte gradum contra, campoque erumpite aperto.
Quis timor audendi? quæ tanta ignavia? solus, (res,
Solus in arma voco: neque in his mora; quos ubi plu-
Quam ratus, innumeris videt excursare latebris,
Hos prodire iugis, illos e vallibus imis
Crescere, nec paucos campo, totumque sub armis
Collucere iter, (ut clausas indagine profert
In medium vox prima feras) quæ sola medendi,
Turbata ratione vis est, petit ardua diræ
Sphingos, et abscisis infringens cautibus uncas
Exsuperat iuga dira manus, scopuloque potitus,
Unde procul tergo metus, et via prona nocendi,
Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre iuvenci,
Rupibus avellit: dein toto sanguine nixus
Sustinet, immanem quærens librare ruinam;
Qualis in adversos Lapithas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus: stupet obvia leto
Turba super stantem, atque emissi turbine montis
Obruitur; simul ora virum, simul arma, manusque,
Fractaque commixto sederunt pectora ferro.
Quatuor hic adeo, deiecti mole sub una
Congemuere: fuga tremefactum protinus agmen
Excutitur cœptis: neque enim temnenda iacebant
Funera, fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
Æquabat virtus, Martisque e semine Theron,
Terrigenas confisus avos; nec vertere cuiquam
Frena secundus Halys, sed tunc pedes occubat arvis;
Pentheumque trahens nondum te Phædimus æquo,
Bacche, genus: quorum ut subitis exterrita fatis
Agmina turbatam vidit laxare catervam;
Quæ duo sola manu gestans acclinia monti
Fixerat, intorquet iacula, et fugientibus addit.
Mox in plana libens, nudo ne pectore tela
Inciderent, saltu præceps defertur: et orbem,
Quem procul oppresso vidit Therone volutum,
Corripuit, tergoque et vertice tegmine noto
Septus, et hostili propugnans pectora parma
Constitit: inde iterum densi glomerantur in unum
Ogygidæ, firmantque gradum: trahit ocyus ensem
Bistonium Tydeus, Mavortia munera magni
Œneos: et partes pariter divisus in omnes,
Hos obit, atque illos, ferroque micantia tela
Decutit: impeditant numero, seque ipsa vicissim
Arma premunt: nec vis conatibus ulla; sed ipsæ
In socios errare manus, et corpora turba
Involvi prolapsa sua: manet ille cruentis
Angustus telis, et inexpugnabilis obstat.
Non aliter (Geticæ si fas est credere Phlegræ)
Armatum immensus Briareus stetit æthera contra;
Hinc Phœbi pharetras, hinc torvæ Palladis angues,
Inde Pelethroniam præfixa cuspide pinum
Martis; at hinc lasso mutata Pyracmone temnens

Fulmina, cum toto nequidquam obsessus Olympo,
Tot queritur cessare manus: non segnius ardet
Huc illuc clypeum obiectans, seque ipse recedens
Circuit, interdum trepidis occurrit, et instat
Spicula divellens, clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armantque virum, sæpe aspera passum
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
Nec mortem sperare valet. Rotat ipse furentem
Deilochum, comitemque illi iubet ire sub umbras
Phegea, sublata minitantem bella securi,
Dircæumque Gyan, et Echionium Lycophontem.
Iam trepidi sese quærunt, numerantque, nec idem
Cædis amor; tantamque dolent rarescere turbam.
Ecce Chromis, Tyrii demissus origine Cadmi,
(Hunc utero quondam Dryope Phœnissa gravato,
Rapta repente choris, onerisque oblita ferebat:
Dumque trahit prensis taurum tibi cornibus Evan,
Procidit impulsus nimiis conatibus infans)
Tunc audax iaculis, et capti pelle leonis,
Pinea nodosæ quassabat robora clava,
Increpitans: Unusne, viri, tot cædibus unus
Ibit ovans Argos? vix credet fama reverso.
Heu socii nullæne manus, nulla arma valebunt?
Hæc regi promissa, Cydon, hæc, Lampe, dabimus?
Dum clamat, subit ore cavo Theumesia cornus,
Nec prohibent fauces: atque illi, voce repleta,
Intercepta natat prorupto in sanguine lingua.
Stabat adhuc, donec transmissa morte per artus
Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta.
Vos quoque, Thespiadæ, cur infitiatus honora
Arcuerim fama? fratris moribunda levabat
Membra solo Periphas, (nil indole clarius ille,
Nec pietate fuit) læva marcentia colla
Sustentans, dextraque latus. Singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor: nec vincla coercent
Undantem fletu galeam, cum multa gementi
Pone gravis curvas perfringit lancea costas.
Exit et in fratrem, cognataque pectora telo
Conserit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, et adspecta germani morte, resolvit.
At, cui vita recens, et adhuc in vulnere vires,
Hos tibi complexus, hæc dent, ait, oscula nati.
Procubuere pares fatis (miserabile votum
Mortis) et alterna clauserunt lumina dextra.
Protinus idem ultro iaculo parmaque Menœtem
Proterrebat agens, trepidis vestigia retro
Passibus urgentem, donec defecit iniqua
Lapsus humo, pariterque manus distractus in ambas
Orat, et a iugulo nitentem sustinet hastam:
Parce per has stellis interlabentibus umbras,
Per Superos, noctemque tuam. Sine, tristia Thebis
Nuntius acta feram, vulgique per ora paventis
Contempto te rege canam. Sic irrita nobis
Tela cadant, nullique tuum penetrabile ferro
Pectus, et optanti victor reveharis amico.
Dixerat. Ille, nihil vultum mutatus, inanes
Perdis, ait, lacrymas, et tu (ni fallor) iniquo
Pollicitus mea colla duci. Nunc arma, diemque
Proiice: quid sequeris timidæ compendia vitæ?
Bella manent. Simul hæc, et crassum sanguine telum
Iam redit. Ille super dictis infensus amaris
Prosequitur victos: Non hæc Trieterica vobis
Nox patrio de more venit; non Orgia Cadmi
Cernitis, aut avidas Bacchum scelerare parentes.
Nebridas et fragiles thyrsos portare putastis
Imbellem ad sonitum, maribusque incognita veris
Fœda Celenæa committere prœlia buxo?
Hic aliæ cædes, alius furor: ite sub umbras
O timidi, paucique! Hæc intonat: ast tamen illi
Membra negant, lassusque ferit præcordia sanguis.
Iam sublata manus cassos defertur in ictus,
Tardatique gradus: clypeum nec sustinet umbo
Mutatum spoliis: gelidus cadit imber anhelo
Pectore: tum crines, ardentiaque ora cruentis
Roribus, et tetra morientum aspergine manant.
Ut leo, qui campis, longe custode fugato
Massylas depastus oves, ubi sanguine multo
Luxuriata fames, cervixque, et tabe gravatæ
Consedere iubæ, mediis in cædibus adstat
Æger hians, victusque cibis: nec iam amplius iræ
Crudescunt: tantum vacuis ferit aera malis,
Molliaque eiecta delambit vellera lingua.
Ille etiam Thebas, spoliis et sanguine plenus,
Isset, et attonitis sese populoque ducique
Ostentasset ovans, ni tu, Tritonia virgo,
Flagrantem, multaque operis caligine plenum,
Consilio dignata virum. Sate gente superbi
Œneos, absentes cui dudum vincere Thebas
Annuimus, iam pone modum, nimiumque secundis
Parce Deis. Huic una fides optanda labori.
Fortuna satis usus, abi. Restabat, acerbis
Funeribus, socioque gregi non sponte superstes,
Hemonides (ille hæc præviderat, omina doctus
Aeros, et nulla deceptus ab alite) Mæon,
Nec veritus prohibere ducem: sed fata monentem
Privavere fide: vita miserandus inerti
Damnatur: trepido Tydeus immitia mandat:
Quisquis es Aonidum, quem crastina, munere nos-
Manibus exemtum mediis Aurora videbit, (tro,
Hæc iubeo perferre duci: cinge aggere portas;
Tela nova: fragiles ævo circumspice muros:
Præcipue stipare viros, densasque memento
Multiplicare acies: fumantem hunc aspice late
Ense meo campum: tales in bella venimus.
Hæc ait, et meritæ pulchrum tibi, Pallas, honorem
Sanguinea de strage parat, prædamque iacentem
Comportat gaudens, ingentisque acte recenset.
Quercus erat, teneræ iam longum oblita iuventæ,
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit
Frondibus incurvis et crudo robore cortex;
Huic leves galeas; perfossaque vulnera crebro
Inserit arma ferens, huic truncos ictibus enses
Subligat, et fractas membris spirantibus hastas.
Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans
Incipit: oranti nox et iuga longa resultant.
Diva ferox, magni decus, ingeniumque parentis
Bellipotens, cui torva genis horrore decoro
Cassis, et asperso crudescit sanguine Gorgon,
Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnæ
Impulerit Bellona tubas; huic annue sacro:
Seu Pandionio nostras invisere cædes
Monte venis, sive Aonia devertis Ithone
Læta choris, seu tu Libyco Tritone repexas
Lota comas, qua te biiugo temone frementem
Intemeratarum volucer rapit axis equarum:
Nunc ibi fracta virum spolia informesque dicamus
Exuvias; at, si patriis Parthaonis arvis
Inferar, et reduci pateat mihi Martia Pleuron;
Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus, Ioniasque despectare procellas
Dulce sit, et flavo tollens ubi vertice pontum,
Turbidus obiectas Achelous Echinadas exit.
Hic ego maiorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimum effingam regum, figamque superbis
Arma tholis: quæque ipse meo quæsita revexi
Sanguine, quæque dabis captis, Tritonia, Thebis.
Centum ibi virgineis votæ Calydonides aris
Actæas tibi rite faces, et ab arbore casta

Nectent purpureas niveo discrimine vittas:
Pervigilemque focis ignem longæva sacerdos
Nutriet, arcanum nunquam inspectura pudorem.
Tu bellis, tu pace feres de more frequentes
Primitias operum, non indignante Diana.
Dixerat; et dulces iter instaurabat ad Argos.

Liber tertius

At non Aoniæ moderator perfidus aulæ,
Nocte sub ancipiti, quamvis humentibus astris
Longus ad Auroram superet labor, otia somni
Accipit: invigilant animo, scelerisque parati
Supplicium exercent curæ: tunc plurima versat,
Pessimus in dubiis augur timor: hei mihi! clamat,
Unde moræ? (nam prona ratus, facilemque tot armis
Tydea, nec numero virtutem animumque rependit)
Num regio diversa viæ? num missus ab Argis
Subsidio globus? an sceleris data fama per urbes
Finitimas? paucosne, pater Gradive, manuve
Legimus indecores? at enim fortissimus illic
Et Chromis, et Dorylas, at nostris turribus æqui
Thespiadæ, totos raperent mihi funditus Argos.
Nec tamen ille meis reor impenetrabilis armis,
Ære gerens solidoque datos adamante lacertos,
Venerat: heu segnes, quorum labor hæret in uno,
Si conserta manus: vario sic turbidus æstu
Angitur, ac sese culpat super omnia, qui non
Orantem in mediis legatum cœtibus ense
Perculerit, fœdasque palam satiaverit iras.
Iam pudet incepti, iam pœnitet: ac velut illa
Fluctibus Ionii Calabræ datus arbiter alno,
Nec rudis undarum, portus sed linquere amicos
Purior Olenii frustra gradus impulit astri;
Cum fragor hiberni subitus Iovis, omnia mundi
Claustra tonant, multusque polos inclinat Orion;
Ipse quidem mallet terras, pugnatque reverti;
Fert ingens a puppe Notus: tunc, arte relicta,
Ingemit, et cæcas sequitur iam nescius undas:
Talia Agenoreus ductor, cœloque morantem
Luciferum, et seros mœrentibus increpat ortus.
Ecce, sub occiduas versæ iam noctis habenas,
Astrorumque obitus, ubi primum maxima Tethys
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto,
Ima flagellatis, signum lugubre malorum,
Ponderibus trepidavit humus, motusque Cithæron
Antiquas dedit ire nives: tunc visa levari
Culmina, septenæque iugo concurrere portæ.
Et prope sunt causæ: gelido remeabat Eoo
Iratus fatis, et tristis morte negata,
Hemonides: necdum ora patent; dubiusque notari,
Signa dabat magnæ longe manifesta ruinæ,
Planctuq; et gemitu: lacrymas nam protinus omnes
Fuderat: haud aliter saltu devertitur orbus
Pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
Cuius herile pecus sylvis inopinus abegit
Imber, et hibernæ ventosa cacumina lunæ.
Luce patent cædes: domino perferre recentes
Ipse timet casus; haustaque informis arena,
Questibus implet agros, stabulique silentia magni
Odit, et amissos longo ciet ordine tauros.
Illum congestæ portarum ad limina matres
Ut solum videre, (nefas!) nulla agmina circum,
Magnanimosque duces nihil ausæ quærere, tollunt
Clamorem, bello qualis supremus apertis
Urbibus, aut pelago iam descendente carina.
Ut primum invisi cupido data copia regis:
Hanc tibi de tanto donat ferus agmine Tydeus
Infelicem animam, sive hæc sententia Divum,
Seu fortuna fuit: seu, quod pudet ire fateri,
Vis invicta viri: vix credo et nuntius, omnes,
Procubuere omnes: noctis vaga lumina testor,
Et socium Manes, et te, mala protinus ales,
Qua redeo: non hanc lacrymis meruisse, nec astu
Crudelem veniam, atque inhonoræ munera lucis.
Sed mihi iussa Deum, placitoque ignara moveri
Atropos, atque olim non hæc data ianua leti,
Eripuere necem. Iamque ut mihi prodiga vitæ
Pectora; et extremam nihil horrescentia mortem
Aspicias; bellum infandum, ominibusque negatam
Movisti, funeste, aciem, dum pellere leges,
Et consanguineo gliscis regnare superbus
Exule: te series orbarum excisa domorum
Planctibus assiduis, te diro horrore volantes
Quinquaginta animæ circum, noctesque diesque,
Assilient: neque enim ipse moror. Iam moverat iras
Rex ferus, et tristes ignescunt sanguine vultus.
Inde ultro Phlegyas, et non cunctator iniqui
Labdacus, (hos regni ferrum penes) ire, manuque
Proturbare parant: sed iam nudaverat ensem
Magnanimus vates; et nunc trucis ora tyranni, (ina
Nunc ferrum aspectans, nunquam tibi sanguinis hu-
lus erit, aut magno feries imperdita Tydeo
Pectora. Vado equidem exultans, ereptaque fata
Insequor, et comites feror expectatus ad umbras.
Te Superis, fratrique: et iam media orsa loquentis
Abstulerat plenum capulo latus: ille dolori
Pugnat, et ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit: extremisque animæ singultibus errans,
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere, sanguis.
Excussæ procerum mentes, turbataque mussant
Concilia: ast illum coniux fidique parentes,
Servantem vultus, et torvum in morte peracta,
Nec longum reducem lætati, in tecta ferebant.
Sed ducis infandi rabidæ non hactenus iræ
Stare queunt: vetat igne rapi; pacemque sepulcri
Impius ignaris nequidquam Manibus arcet.
Tu tamen egregius fati, mentisque, nec unquam
Indignum passure situm, qui comminus ausus
Vadere contemtum regis, quaque ampla veniret
Libertas, sancire viam; quo carmine dignum,
Quo satis ore tuis famam virtutibus addam,
Augur amata Deis? Non te cœlestia frustra
Edocuit, lauroque sua dignatus Apollo est,
Et nemorum Dodona parens, Cirrhæaque virgo
Audebit tacito populos suspendere Phœbo.
Nunc quoque Tartareo multum divisus Averno
Elysias, i, carpe plagas: ubi Manibus axis
Invius Ogygiis, nec sontis iniqua tyranni
Iussa valent. Durant habitus et membra cruentis
Inviolata feris, nudoque sub axe iacentem
Et nemus, et tristis volucrum reverentia servat.
At nuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes,
Mœnibus effusi per plana, per invia, passim
Quisque suas avidi ad lacrymas miserabile currunt
Certamen: quos densa gradu comitantur euntes
Millia solandi studio; pars visere flagrant
Unius acta viri, et tantos in nocte labores.
Fervet iter gemitu, et plangoribus arva reclamant.
Ut vero infames scopulos sylvamque nefandam
Perventum, ceu nulla prius lamenta, nec atri
Manassent imbres, sic ore miserrimus uno
Exoritur fragor; aspectuque accensa cruento
Turba furit. Stat sanguineo discissus amictu
Luctus atrox, cæsoque invitat pectore matres.
Scrutantur galeas frigentum, inventaque monstrant
Corpora, procidue super externosque, suosque.
Hæ pressant in tabe comas, hæ lumina signant,
Vulneraq; alta replent lacrymis. Pars spicula dextra

Nequidquam parcente trahunt; pars molliter aptant
Brachia trunca loco, et cervicibus ora repouunt.
At vaga per dumos, vacuique in pulvere campi
Magna parens iuvenum, gemini tunc funeris, Ide
Squallentem sublata comam, liventiaque ora
Ungue premens, nec iam infelix miseranda, q; verum
Terror inest lacrymis, per et arma et corpora passim
Canitiem impexam dira tellure volutans,
Quærit inops uatos, omnique iu corpore plangit.
Thessalis haud aliter bello gavisa recenti,
Cui gentile nefas hominem revocare canendo
Multifida attollens antiqua lumina cedro,
Nocte subit campos, versatque in sanguine functum
Vulgus, et explorat Manes, cui plurima busto
Imperet ad Superos: animarum mœsta queruntur
Concilia, et nigri pater indignatur Averni.
Illi in secessu pariter sub rupe iacebant
Felices, quos una dies, manus abstulit una;
Pervia vulneribus media trabe pectora nexi.
Ut vidit, lacrymisque oculi patuere profusis:
Hosne ego complexus, genitrix, hæc oscula, nati,
Vestra tuor? sic vos extremo in fine ligavit
Ingenium crudele necis? quæ vulnera tractem,
Quæ prius ora premam? vosne illa potentia matris,
Vos uteri fortuna mei? qua tangere Divos
Rebar, et Ogygias titulis anteire parentes.
At quanto melius, dextraque in sorte iugatæ,
Quis steriles thalami, nulloque ululata dolore
Respexit Lucina domum: mihi quippe malorum
Causa labor: sed nec bellorum in luce patenti
Conspicui factis, æternaque gentibus ausi,
Quæsitis miseræ vulnus memorabile matri:
Sed mortem obscuram, miserandaque funera passi.
Heu quantus furto cruor, et sine laude iacetis!
Quin ego non dextras miseris complexibus ausim
Dividere, et tanti consortia rumpere leti:
Ite diu fratres, indiscretique supremis
Ignibus, et caros urna confundite Manes.
Nec minus interea, digesta strage suorum,
Hinc Chthonium coniux, hinc mater Penthea clamat
Astyoche, puerique rudes tua, Phædime, proles,
Amissum didicere patrem, Marpissaque pactum
Phyllea: sanguineumque lavant Acamanta sorores.
Tunc ferro retegunt sylvas, collisque propinqui
Annosum truncant apicem, qui, conscius actis
Noctis, et inspexit gemitus: ibi grandior ævo,
Ante rogos, dum quisque suo nequit igne revelli,
Concilium infaustum dictis mulcebat Alethes:
Sæpe quidem infelix, varioque exercita ludo
Fatorum gens nostra ruit, Sidonius ex quo
Hospes in Aonios iecit sata ferrea sulcos;
Unde novi fœtus, et formidata colonis
Arva suis: sed nec, veteris cum regia Cadmi
Fulmineum in cinerem monitis Iunonis iniquæ
Consedit, neque funerea cum laude potitus
Infelix Athamas trepido de monte veniret,
Semianimem heu læto referens clamore Learchum;
Hic gemitus Thebis: nec tempore clarius illo
Phœnissæ sonuere domus, cum lassa furorem
Vicit, et ad comitum lacrymas expavit Agave.
Una dies similis fato specieque malorum
Æqua fuit, qua magniloquos luit impia flatus
Tantalis, innumeris cum circumfusa ruinis,
Corpora tot raperet terra, tot quæreret ignes.
Talis erat vulgi status; et sic, urbe relicta,
Primævique senes, et longo examine matres,
Invidiam planxere Deis, miseroque tumultu
Bina per ingentes stipabant funera portas.
Meque ipsum memini (nec dum apta doloribus ætas)
Flesse tamen, gemituque meos æquasse parentes.
Illa tamen Superi: nec quod tibi Delia castos
Prolapsum ad fontes, specula temerante profanas,
Heu dominum insani non agnovere Molossi,
Deflerim magis, aut verso quod sanguine fluxit
In subitos regina lacus. Sic dira Sororum
Pensa dabant, visumque Iovi: nunc, regis iniqui
Ob noxam, immeritos patriæ tot culmina cives
Exuimus, nec adhuc calcati fœderis Argos
Fama subit, et iam bellorum extrema dolemus.
Quantus equis, quantusque viris, in pulvere crasso
Sudor! io quanti crudele rubebitis amnes!
Viderit hæc bello viridis manus: ast ego donec,
Dum licet igne meo, terraque insternar avita.
Hæc senior: multumque nefas Eteoclis acerbat,
Crudelem infandumque vocans, pœnasque daturum.
Unde ea libertas? iuxta illi finis, et ætas
Tota retro, seræque velit decus addere morti.
Hæc sator astrorum iamdudum e vertice mundi
Prospectans, primoque imbutas sanguine gentes,
Gradivum acciri propere iubet. Ille furentes
Bistonas, et Geticas populatus cædibus urbes,
Turbidus ætherias currus urgebat ad arces,
Fulmine cristatum galeæ iubar, armaque in auro
Tristia, terrificis monstrorum animata figuris,
Incutiens: tonat axe polus, clypeique cruenta
Lux rubet, et solem longe ferit æmulus orbis.
Hunc ubi Sarmaticos et iamnum efflare labores
Iuppiter, et tota perfusum pectora belli
Tempestate videt: talis mihi, nate, per Argos,
Talis abi: sic ense madens, ac nubilus ira.
Exturbent resides frænos; et cuncta perosi,
Te cupiant; tibi præcipites animasque manusque
Devoveant: rape cunctantes, et fœdera turba,
Quæ dedimus: tibi fas ipsos incendere bello
Cœlicolas, pacemque meam: iam semina pugnæ
Ipse dedi: remeat portans immania Tydeus
Ausa ducis, scelus et turpis primordia belli,
Insidias, fraudesque, suis quas ultus in armis.
Adde fidem: vos, o Superi, meus ordine sanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando
Certetis: sic fata mihi, nigræque Sororum
Iuravere colus: manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populique in prœlia nati.
Quid ni me veterum pœnas sancire malorum
Gentibus, et diros sinitis punire nepotes?
Arcem hanc æternam, mentis sacraria nostræ,
Testor, et Elysios etiam mihi numina fontes,
Ipse manu Thebas, correptaque mœnia fundo
Excutiam; versaque solo super Inacha tecta
Effundam turres, ac stagna in cœrula vertam
Imbre superiecto: licet ipsa in turbine rerum
Iuno suos colles templumque amplexa laboret.
Dixit; et attoniti iussit, (mortalia credas
Pectora) sic cuncti vocemque animosque tenebant.
Non secus ac longa ventorum pace solutum
Æquor, et imbelli recubant ubi litora somno,
Sylvarumque comas, et abacto flumine nubes
Mulcet iners æstas: tunc stagna, lacusque sonori
Detumuere: tacent exhausti solibus amnes.
Gaudet ovans iussis, et adhuc temone calenti
Fervidus, in lævum torquet Gradivus habenas.
Iamque iter extremum, cœlique abrupta tenebat,
Cum Venus ante ipsos nulla formidine gressum
Figit equos: cessere retro, iam iamque rigentes
Suppliciter posuere iubas: tunc pectora summo
Acclinata iugo, vultumque obliqua madentem,
Incipit (interea, dominæ vestigia iuxta
Spumantem proni mandunt adamanta iugales):

Bella etiam in Thebas, socer o pulcherrime, bella
Ipse paras, ferroque tuos abolere nepotes?
Nec genus Harmonies, nec te connubia cœlo (tur?
Festa, nec hæc quidquam lacrymæ, furibunde, moran-
Criminia hæc merces? hoc fama, pudorque relictus,
Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ?
Perge libens. At non eadem Vulcania nobis
Obsequia, et læsi servit tamen ira mariti.
Illum ego perpetuis mihi desudare caminis
Si iubeam, vigilesque operi transmittere noctes,
Gaudeat, ornatusque novos, ipsique laboret
Arma tibi: tu: sed scopulos et ahena precando
Flectere corda paro: solum hoc tamen anxia, solum
Obtestor, quid me Tyrio sociare marito
Progeniem caram, infaustisque dabas Hymenæis?
Dum fore præclaros armis, et vivida rebus
Pectora, vipereo Tyrios de sanguine iactas,
Demissumque Iovis serie genus: ah mea quanto
Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto
Trans Boream, Thracasque tuos: indigna parumne
Pertulimus? divæ Veneris quod filia longum
Reptat, et Illyricas eiectat virus in herbas?
Nunc gentem immeritam. Lacrymas non pertulit ul-
Bellipotens: hastam læva transumit, et alto (tra
(Haud mora) desiluit curru; clypeoque receptam
Lædit in amplexu, dictisque ita mulcet amicis:
O mihi bellorum requies, et sacra voluptas,
Unaque pax animo; soli cui tanta potestas
Divorumque hominumque meis occurrere telis
Impune, et media quamvis in cæde frementes,
Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextra.
Nec mihi Sidonii genitalia fœdera Cadmi,
Nec tua cara fides (ne falsa incessere gaude)
Exciderunt: prius in patrui Deus infera mergar
Stagna, et pallentes agar exarmatus ad umbras.
Sed nunc Fatorum monitus, mentemque supremi
Iussus obire Patris, (neque enim Vulcania tali
Imperio manus apta legi) quo pectore contra
Ire Iovem, dictasque parem contemnere leges?
Cui modo, pro vires! terras, cœlumque, fretumque,
Attremere oranti, tantosque ex ordine vidi
Delituisse Deos: sed ne mihi corde supremos
Concipe: cara, metus: quando hæc mutare potestas
Nulla datur: cum iam Tyriis sub mœnibus ambæ
Bellabunt gentes, adero, et socia arma iuvabo.
Tunc me sanguineo late defervere campo
Res super Argolicas, haud sic deiecta, videbis.
Hoc mihi ius, nec Fata vetant. Sic orsus, aperto
Flagrantes immisit equos. Non ocyus alti
In terras cadit ira Iovis, si quando nivalem
Othryn, et Arctoæ gelidum caput institit Ossæ,
Armavitque in nube manum: volat ignea moles
Sæva Dei mandata ferens, cœlumque trisulca
Territat omne coma, iamdudum aut ditibus agris
Signa dare, aut ponto miseros involvere nautas.
Iamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus
Arva gradu, viridisque legit devexa Prosymnæ,
Terribilis visu. Stant fulti pulvere crines:
Squallidus ex humeris cadit alta in vulnera sudor;
Insomnesque oculos rubor excitat, oraque retro
Sorbet anhela sitis: mens altum spirat honorem
Conscia factorum. Sic nota in pascua taurus
Bellator redit, adverso cui colla, suoque
Sanguine, proscissisque natant palearibus armi.
Tunc quoque lassa tumet virtus, multumque super-
Pectore despecto: vacua iacet hostis arena (bit
Turpe gemens, crudosque vetat sentire dolores.
Talis erat: medias atiam non destitit urbes,
Quidquid et Asopon veteresque interiacet Argos
Inflammare odiis: multumque et ubique retexens,
Legatum sese Graia de gente petendis
Isse super regnis profugi Polynicis, at inde
Vim, noctem, scelus, arma, dolos, ea fœdera passum
Regis Echionii, fratri sua iura negari.
Prona fides populis. Deus omnia credere suadet
Armipotens, geminatque acceptos Fama pavores.
Utque introgressus portas (et forte verendos
Concilio pater ipse duces cogebat Adrastus)
Improvisus adest, iam illinc a postibus aulæ
Vociferans: Arma, arma, viri, tuque, optime Lernæ
Ductor, magnanimum si quis tibi sanguis avorum,
Arma para. Nusquam pietas, non gentibus æquum
Fas, aut cura Iovis: melius legatus adissem
Sauromatas avidos, servatoremque cruentum
Bebrycii nemoris. Nec iussa incuso, pigetve
Officii: iuvat isse, iuvat, Thebasque nocentes
Explorasse manu. Bello me, credite, bello,
Ceu turrim validam, aut arctam compagibus urbem,
Delecti insidiis, instructique omnibus armis,
Nocte doloque viri, nudum ignarumque locorum,
Nequidquam clausere: iacent in sanguine mixti
Ante urbem vacuam. Nunc, o, nunc tempus in hostes,
Dum trepidi, exanguesq; metu, dum funera portant,
Dum capulo nondum manus excidit: ipse ego, fessus
Quinquaginta illis heroum immanibus umbris,
Vulneraque ista ferens putri insiccata cruore
Protinus ire peto. Trepidi de sedibus adstant
Inachidæ; cunctisque prior Cadmeius heros
Accurrit, vultum deiectus, et, En ego Divis
Invisus, vitæque nocens, hæc vulnera cerno
Integer? hosne mihi reditus, germane, parabas?
In me hæc tela dabas? pro vitæ fœda cupido!
Infelix, facinus fratri tam grande negavi.
Et nunc vestra quidem maneant in pace serena
Mœnia; nec vobis tanti sim causa tumultus,
Hospes adhuc: scio, nec me adeo res dextra levavit,
Quam durum natis, thalamoque quam triste revelli,
Quam patria. Non me ullius domus anxia culpet,
Respectentque truces obliquo lumine matres.
Ibo libens certusque mori; licet optima coniux
Auditusque iterum revocet socer: hunc ego Thebis,
Hunc, germane, tibi iugulum, et tibi, maxime Ty-
Debeo. Sic variis prætentat pectora dictis, (deu,
Obliquatque preces: commotæ questibus iræ,
Et mixtus lacrymis caluit dolor: omnibus ultro,
Non iuvenum modo, sed gelidis et inertibus ævo
Pectoribus mens una subit, viduare penates,
Finitimas adhibere manus; iamque ire: sed altus
Consiliis pater, imperiique haud flectere molem
Inscius: Ista quidem Superis, curæque medenda
Linquite quæso meæ: nec te germanus inulto
Sceptra geret: neque vos avidi promittere bellum.
At nunc egregium, tantoque in sanguine ovantem,
Excipite Œniden, animosque et pectora laxet
Sera quies, nobis dolor haud rationis egebit.
Turbati extemplo comites, et pallida coniux,
Tydea circum omnes fessum bellique viæque
Stipantur: lætus mediis in sedibus aulæ
Constitit, ingentique exceptus terga columna,
Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis
Mitior; ipse alta seductus mente renarrat
Principia irarum, quæque orsus uterque vicissim,
Quis locus insidiis, tacito quæ tempora bello:
Qui contra, quantique duces, ubi maximus illi
Sudor, et indicio servatum Mæona tristi,
Exponit: cui fida manus proceresque, socerque
Adstupet oranti, Tyriusque incenditur exul.

Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lavabat
Oceani sub fonte comam: cui turba profundi
Nereos, et rapidis accurrunt passibus Horæ;
Frenaque, et auratæ textum sublime coronæ
Deripiunt: laxant roseis humentia loris
Pectora: pars meritos vertunt ad molle iugales
Gramen, et erecto currum temone supinant.
Nox subiit, curasque hominum motusque ferarum
Composuit, nigroque polos involvit amictu.
Illa quidem cunctis, sed non tibi mitis, Adraste,
Labdacioque duci: nam Tydea largus habebat
Perfusum magna virtutis imagine somnus.
Et iam noctivagas inter Deus armiger umbras
Desuper Arcadiæ fines, Nemeæaque rura,
Tænariumque cacumen, Apollineasque Therapnas,
Armorum tonitru ferit, et trepidantia corda
Implet amore sui: comunt Furor Iraque cristas,
Fræna ministrat equis Pavor armiger: at vigil omni
Fama sono, varios rerum succincta tumultus,
Ante volat currum; flatuque impulsa gementum
Alipedum, trepidas denso cum murmure plumas
Excutit: urget enim stimulis auriga cruentis
Facta, infecta loqui; curruque infestus ab alto
Terga, comasque Deæ Scythica pater increpat hasta.
Qualis ubi Æolio dimissos carcere ventos
Dux præ se Neptunus agit, magnoque volantes
Iniicit Ægæo; tristis comitatus eunti
Circum lora fremunt, nimbique hiemesque profundæ
Nubilaque, et vulso terrarum sordida fundo
Tempestas: dubiæ motis radicibus obstant
Cyclades: ipsa tua Myconο Gyaroque revelli,
Dele, times, magnique fidem testaris alumni.
Septima iam nitidum terris Aurora Deisque
Purpureo vehit ore diem; Perseius heros
Cum primum arcana senior sese extulit aula.
Multa super bello generisque tumentibus amens,
Incertusque animi, daret armis iura, ferosque
Gentibus incuteret stimulos, an freua teneret
Irarum et motos capulis adstringeret enses.
Hinc pacis tranquilla movent, atque inde pudori
Fœda quies, flectique nova dulcedine pugnæ
Difficiles populi. Dubiis sententia tandem
Sera placet, vatum mentes ac provida veri
Sacra movere Deum: solers tibi cura futuri,
Amphiarae, datur; iuxtaque Amythaone cretus,
Iam senior, sed mente virens Phœboque, Melampus
Associat passus: dubium, cui dexter Apollo,
Oraque Cirrhæa satiarit largius unda.
Principio fibris pecudumque in sangine Divos
Explorant: iam tum pavidis maculosa bidentum
Corda negant, diraque nefas minitantia vena.
Ire tamen, vacuoque sedet petere omina cœlo.
Mons erat audaci seductus in æthera dorso,
(Nomine Lernæi memorant Aphesanta coloni)
Gentibus Argolicis olim sacer: inde ferebant,
Nubila suspenso celerem temerasse volatu
Persea, cum raptos pueri perterrita mater
Prospexit de rupe gradus ac pene secuta est.
Huc gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, et niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter: madidos ubi lucidus agros
Ortus, et algentes laxavit sole pruinas.
Ac prior Œclides solita prece numen amicat:
Iuppiter omnipotens: nam te pernicibus alis
Addere consilium, volucresque implere futuri,
Ominaque, et causas cœlo deferre latentes
Accipimus: non Cirrha Deum promiserit antro
Certius, aut frondens lucis quas fama Molossis
Chaonias sonuisse tibi: licet aridus Hammon
Invideat, Lyciæque parent contendere sortes,
Niliacumque pecus, patrioque æqualis honori
Branchus, et undosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra.
Ditior ille animi: cui tu, Dictæe, secundas
Impuleris manifestus aves: mirum unde, sed olim
Hic honor alitibus: superæ seu conditor aulæ
Sic dedit, effusum Chaos in nova semina texens;
Seu quia mutatæ, nostraque ab origine versis
Corporibus subiere Notos; seu purior axis,
Amotumque nefas, et rarum insistere terris,
Vera docent; tibi summa, sator terræque Deumque,
Scire licet: nos Argolicæ primordia pugnæ,
Venturamque sinas cœlo prænosse laborem.
Si datur, et duris sedet hæc sententia Parcis,
Solvere Echionias Lernæa cuspide portas,
Signa feras, lævusque tones: tunc omnia in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras: dextrisque profundum
Alitibus prætexe diem. Sic fatus, et alto
Membra locat scopulo: tunc plura ignotaque iungit
Numina, et immensi fruitur caligine mundi.
Postquam rite diu partiti sidera, cunctas
Perlegere animis oculisque sequacibus auras:
Tunc Amythaonius longo post tempore vates,
Nonne sub excelso spirantis limite cœli,
Amphiarae, vides, cursus ut nulla serenos
Ales agat? liquidoque polum complexa meatu
Pendeat, aut fugiens placabile planxerit omen?
Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens
Vector adest, flavæque sonans avis unca Minervæ,
Non venit auguriis melior: quin vultur, et altis
Desuper accipitres exsultavere rapinis.
Monstra volant, diræ strident in nube volucres,
Nocturnæque gemunt striges, et feralia bubo
Damna canens: quæ prima Deum portenta sequemur
Hinc dari, Thymbræe, polum? Simul ora recurvo
Ungue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros, et plumea pectora cædunt.
Ille sub hæc: Equidem varii, pater, omina Phœbi
Sæpe tuli: iam tunc primæ cum pube virentem
Semideos inter pinus me Thessala reges
Duceret: hic casus terræque marisque canentem
Obstupuere duces: nec me ventura locuto
Sæpius, in dubiis, auditus Iasone Mopsus.
Sed similes non ante metus, aut astra notavi
Prodigiosa magis: quamquam maiora parantur.
Huc adverte animum: clara regione profundi
Ætheros, innumeri statuerunt agmina cygni:
Sive hos Strymonia Boreas eiecit ab Arcto;
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili.
Fixerunt cursus; hae rere in imagine Thebas.
Nam sese immoti gyro, atque in pace silentes,
Ceu muris valloque tenent: sed fortior ecce
Adventat per inane cohors septem ordine fulvo
Armigeros summi Iovis exsultante caterva
Intuor. Inachii sunt hi tibi (concipe) reges.
Invasere globum nivei gregis, uncaque pandunt
Cædibus ora novis, et strictis unguibus instant.
Cernis inexperto rorantes sanguine ventos,
Et plumis stillare diem? quam sæva repente
Victores agitat leto Iovis ira sinistri?
Hic, excelsa petens, subita face Solis inarsit,
Submisitque animos: illum vestigia adortum
Maiorum volucrum, teneræ deposuit alæ.
Hic hosti implicitus, pariter ruit; hunc fuga retro
Volvit agens, sociæ linquentem fata catervæ.
Hic nimbo glomeratus obit: hic præpete viva

Pascitur immoriens: spargit cava nubila sanguis.
Quid furtim lacrymas? illum, venerande Melampu,
Qui cadit, agnosco. Trepidos sic mole futuri,
Cunctaque iam rerum certa sub imagine passos
Terror habet vates: piget irrupisse volantum
Concilia, et cœlo mentem insertasse vetanti.
Auditique odere Deos. Unde iste per orbem
Primus venturi miseris animantibus æger
Crevit amor? Divumne feras hoc munus, an ipsi
Gens avida, et parto non unquam stare quieti?
Eruimus quæ prima dies ubi terminus ævi,
Quid bonus ille Deum genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet: hinc fibræ, et volucrum per nubila sermo,
Astrorumque vices, numerataque semita Lunæ,
Thessalicumque nefas. At non prior aureus ille
Sanguis avum, scopulisque satæ vel robore gentes
Mentibus hoc ausæ. Sylvas amor unus, humumque
Edomuisse manu: quid crastina volveret ætas
Scire nefas homini. Nos pravum ac debile vulgus,
Scrutati penitus Superos. Hinc pallor et iræ,
Hinc scelus, insidiæque, et nulla modestia voti.
Ergo manu vittas, damnataque vertice serta
Deripit, abiectaque inhonorus fronde sacerdos
Inviso de monte redit. Iam bella tubæque
Cominus, absentesque fremunt sub pectore Thebæ.
Ille neç aspectum vulgi, nec fida tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, sed atra
Sede tegi, et Superum clausus negat acta fateri.
Te pudor et curæ retinent per rura, Melampu.
Bisseno premit ora die, populumque ducesque
Extrahit incertis: et iam suprema Tonantia
Iussa fremunt, agrosque viris, annosaque vastant
Oppida: bellipotens præ se Deus agmina passim
Mille rapit: liquere domos, dilectaque læti
Connubia, et primo plorantes limine natos.
Tantus in attonitos cecidit Deus. Arma paternis
Postibus, et fixos Superum ad penetralia currus,
Vellere amor: tunc fessa putri rubigine tela,
Horrentesque situ gladios in sæva recurvant
Vulnera, et attrito cogunt iuvenescere saxo.
Hi teretes galeas, magnorumque ærea suta
Thoracum, et tunicas chalybum squalore crepantes,
Pectoribus tentare, alii Gortynia lentant
Cornua. Iam falces avidis et aratra caminis,
Rastraque, et incurvi sævum rubuere ligones.
Cædere nec validas sanctis e stirpibus hastas,
Nec pudor emerito clypeum vestisse iuvenco.
Irrupere Argos, mœstique ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt; it clamor ad auras,
Quantus Tyrrheni gemitus salis, aut ubi tentat
Enceladus mutare latus: procul igneus antria
Mons tonat: exundant apices, fluctusque Pelorus
Contrahit, et sperat tellus abrupta reverti.
Atque hic ingenti Capaneus Mavortis amore
Excitus, et longam pridem indignantia pacem (sco
Corda tumens, (huic ampla quidem de sanguine pri-
Nobilitas: sed enim ipse manu prægressus avorum
Facta, diu tuto Superum contemtor, ut æqui
Impatiens, largusque animæ, modo suaserit ira)
Unus ut e sylvis Pholoes habitator opacæ
Inter et Ætnæos æquus consurgere fratres,
Ante fores, ubi turba ducum, vulgique frementis,
Amphiarae, tuas, Quæ tanta ignavia, clamat,
Inachidæ? vosque o socio de sanguine Achivi
Unius (heu pudeat) plebeia ad limina civis,
Tot ferro accinctæ gentes, animisque paratæ,
Pendemus? non si ipse cavo sub vertice Cirrhæ,
Quisquis is est timidis, famæque ita visus, Apollo
Mugiat, insano penitus seclusus in antro,
Expectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages. Virtus mihi numen, et ensis,
Quem teneo: iamque huc timida cum fraude sacerdos
Exeat, aut hodie volucrum quæ tanta potestas
Experiar. Lætum fremit, assensuque furentem
Implet Achæa manus. Tandem prorumpere adactus
Œclides, alio curarum agitante tumultu:
Non equidem effreno iuvenis clamore profani,
Dictorumque metu, licet hic insana minetur,
Elicior tenebris: alio mihi debita fato
Summa dies, vetitumque dari mortalibus armis.
Sed me vester amor, nimiusque arcana profari
Phœbus agit. Vobis ventura, atque omne, quod ultra
Pandere mœstus eo: nam te, vesane, moneri (est,
Ante nefas, unique silet tibi noster Apollo.
Quo miseri, Fatis Superisque obstantibus, arma,
Quo rapitis? quæ vos Furiarum verbera cæcos
Exagitant? Adeone animarum tædet? et Argos
Exosi? nil dulce domi? nulla omina curæ?
Quid me Persei secreta ad culmina montis
Ire gradu trepido superosque irrumpere cœtus
Egistis? potui pariter nescire, quis armis
Casus, et atra dies, quæ fati exordia cunctis,
Quæ mihi. Consulti testor penetralia mundi,
Et volucrum afflatus, et te, Thymbræe, vocanti
Non alias tam sæve mihi, quæ signa futuri
Pertulerim: vidi ingentis portenta ruinæ:
Vidi hominum, Divumque nefas, hilaremque Megæ-
Et Lachesim putri vacuantem sæcula penso. (ram,
Proiicite arma manu. Deus ecce furentibus obstat;
Ecce Deus. Miseri quid pulchrum sanguine victo
Aoniam et diri saturare novalia Cadmi?
Sed quid vana cano? quid fisos arceo casus?
Ibimus. Hic presso gemuit simul ore sacerdos.
Illum iterum Capaneus: Tuus o furor, augur, et uni
Ista tibi, ut serves vacuos inglorius Argos;
Et tua non unquam Tyrrhenus tempora circum
Clangor eat. Quid vota virum meliora moraris?
Scilicet ut vanis avibus, natoque, domoque,
Et thalamis potiare iacens sileamus inulti
Tydeos egregii perfossum pectus? et arma
Fœderis abrupti? quod si bella effera Graios
Ferre vetas, i Sidonias legatus ad urbes.
Hæc pacem tibi serta dabunt, tua prorsus inani
Verba polo causas, abstrusaque semina rerum
Eliciunt? miseret Superum, si carmina curæ,
Humanæque preces. Quid inertia pectore terres?
Primus in orbe Deos fecit timor: et tibi tuto
Nunc eat iste furor. Sed prima ad classica cum iam
Hostilem Ismenon galeis Dircenque bibemus;
Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti,
Obvius ire pares, ventisque aut alite visa
Bellorum proferre diem. Procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi:
Illic augur ego, et mecum quicumque parati
Insanire manu. Rursus fragor intonat ingens
Hortantum, et vasto subter volat astra tumultu.
Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant
Flumina, et exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos frustra prohibentibus exit
Obiicibus, resonant permixto turbine tecta,
Arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto
Colle minor, magnoque invenit in aggere ripas.
Hæc alterna ducum nox interfusa diremit.
At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, sociumque animo miserata dolorem,
Sicut erat pridem laceris turbata capillis,
Et fletu signata genas, ad celsa verendi
Ibat tecta patris, parvumque sub ubere caro

Thessandrum portabat avo, iam nocte suprema
Ante novos ortus, ubi sola superstite plaustro,
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet astris.
Utque fores init, magnoque affusa parenti est:
Cur tua cum lacrymis, mœsto sine coniuge, supplex
Limina nocte petam, cessem licet ipsa profari,
Scis genitor: sed iura Deum genitalis testor,
Teque pater, non ille iubet; sed pervigil angor,
Ex quo primus Hymen, movitque infausta sinistram
Iuno facem, semper lacrymis gemituque propinquo
Exturbata quies. Non, si mihi tigridis horror,
Æquoreæque super rigeant præcordia cautes,
Ferre queam: tu solus opem, tu summa medendi
Iura tenes: da bella, pater, generique iacentis
Aspice res humiles, atque hanc, pater, aspice prolem
Exulis. Huic olim generis pudor, obvia prima
Hospitia, et iunctæ testato numine dextræ.
Hic certa est, quem Fata dabant, quem dixit Apollo.
Non egomet tacitos Veneris furata calores,
Culpatamve facem, tua iussa verenda, tuosque
Dilexi monitus. Nunc qua feritate dolentis
Despiciam questus? nescis, pater optime, nescis,
Quantus amor causæ misero nupsisse marito.
Et nunc mœsta quidem grave et illætabile munus
Ut timeam, doleamque, rogo. Sed, cum oscula rum-
Mœsta dies, cum rauca dabunt abeuntibus armis (pet
Signa tubæ, sævaque genas fulgebitis auro,
Hei mihi care parens, iterum fortasse rogabo.
Illius humenti carpens pater oscula vultu,
Non equidem has unquam culparim, nata, querelas:
Pone metus: laudanda rogas, nec digna negari.
Sed mihi multa Dei (nec tu sperare, quod urges,
Desine) multa metus, regnique volubile pondus,
Subiiciunt animo. Veniet, qui debitus istis,
Nata, modus: nec te incassum flevisse quereris.
Tu solare virum: neu sint dispendia iustæ
Dura moræ: magnos cunctamur, nata, paratus.
Proficitur bello. Dicentem talia nascens
Lux movet, ingentesque iubent assurgere curæ.

Liber quartus

Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
Phœbus, at angustum cogebat limite verno
Longius ire diem, cum fracta impulsaque fatis
Consilia, et tandem miseris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Ostendit Bellona facem, dextraque trabalem
Hastam intorsit agens; liquido quæ stridula cœlo
Fugit, et adversæ celso stetit aggere Dirces.
Mox et castra subit, ferroque, auroque coruscis
Mixta viris, turmale fremit: dat euntibus enses:
Plaudit equos: vocat ad portas: hortamina fortes
Præveniunt, timidisque etiam brevis addita virtus.
Dicta dies aderat: cadit ingens rite Tonanti
Gradivoque pecus; nullisque secundus in extis,
Pallet, et armatis simulat sperata sacerdos.
Iamque suos circum pueri, innuptæque, patresque,
Funduntur mixti, summisque a postibus obstant.
Nec modus est lacrymis: rorant clypeique, iubæque
Triste salutantum, et cunctis dependet ab armis
Suspiranda domus: galeis iuvat oscula clausis
Inserere, amplexuque truces deducere conos.
Illi, quis ferrum modo, quis mors ipsa placebat,
Dant gemitus, fractæque labant singultibus iræ.
Sic ubi forte viris longum super æquor ituris,
Cum iam ad vela Noti, et scisso redit ancora fundo,
Hæret amica manus; certant innectere collo
Brachia, manantesque oculos: hinc oscula turbant,
Hinc magni caligo maris: tandemque relicti,
Stant in rupe tamen: fugientia carbasa visu
Dulce sequi, patriosque dolent crebrescere ventos:
Stant tamen, et notam puppem de rupe salutant.
Nunc mihi, fama prior, mundique arcana vetustas,
Cui meminisse ducum, vitasque extendere curæ,
Pande viros: tuque o nemoris regina sonori,
Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma
Gradivus, quantas populis solaverit urbes,
Sublata molire lyra: nec enim altior ulli
Mens hausto de fonte venit. Rex tristis, et æger
Pondere curarum, propiorque abeuntibus annis,
Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastus,
Contentus ferro cingi latus: arma manipli
Pone ferunt: volucres portis auriga sub ipsis
Comit equos, et iam inde iugo luctatur Arion.
Huic armat Larissa viros, huic celsa Prosymne,
Aptior armentis Midea, pecorosaque Phyllos,
Quæque pavet longa spumantem valle Charadron
Neris, et ingenti turritæ mole Cleonæ,
Et Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.
Iunguntur memores transmissi ab origine regis,
Qui Drepani scopulos, et oliviferæ Sicyonis
Culta serunt, quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, et anfractu riparum incurvus Elissos.
Sævus honos fluvio: Stygias lustrare severis
Eumenidas perhibetur aquis: huc mergere suetæ
Ora, et anhelantes tuto Phlegethonte cerastas;
Seu Thracum vertere domos, seu tecta Mycenis
Impia, Cadmeumve larem: fugit ipse natantes
Amnis, et innumeris livescunt stagna venenis.
It comes Inoas Ephyre solata querelas,
Cenchreæque manus, vatum qua conscius amnis
Gorgoneo percussus equo, quaque obiacet alto
Isthmos, et a terris maria inclinata repellit.
Hæc manus Adrastum numero ter mille secuti
Exultant: pars gesa manu, pars robora flammis
Indurata diu, (non unus namque maniplis
Mos, neque sanguis inest) teretes pars vertere fundas
Assueti, vacuoque diem præcingere gyro.
Ipse annis sceptrisque subit venerabilis æque:
Ut possessa diu taurus meat arduus inter
Pascua, iam laxa cervice, et inanibus armis,
Dux tamen: haud illum bello attentare iuvencis
Sunt animi, nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, et ingentes plagarum in pectore nodos.
Proxima longævo profert Dircæus Adrasto
Signa gener, cui bella favent; cui commodat iras
Cuncta cohors. Huic et patriis de sede volentes
Advenere viri; seu quos movet exul, et hæsit
Tristibus aucta fides, seu quis mutare potentes
Præcipuum: multi, melior quos causa querenti
Conciliat. Dederat nec non socer ipse regendas
Ægion, Arenenque, et quas Theseia Trœzen
Addit opes, ne rara movens inglorius iret
Agmina, neu raptos patriæ sentiret honores.
Idem habitus, eadem arma viro, quæ debitus hospes
Hiberna sub nocte tulit. Theumesius implet
Terga leo; gemino lucent hastilia ferro:
Aspera vulnifico subter latus ense riget Sphynx.
Iam regnum, matrisque sinus, fidasque sorores,
Spe votisque tenet: tamen et de turre suprema
Attonitam, totoque extantem corpore longe
Respicit Argian: hæc mentem oculosque reducit
Coniugis, et dulces avertit pectore Thebas.
Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus: iam lætus, et integer artus,
Ut primum strepuere tubæ: ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, et squallentibus annis

Exutus, lætique minax interviret herbis:
Ah miser, agrestum si quis per gramen hianti
Obvius, et primo siccaverit ora veneno.
Huic quoque præstantes Ætolis urbibus affert
Belli fama viros: sensit scopulosa Pylene,
Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron,
Et præceps Calydon, et quæ Iove provocat Iden
Olenos. Ioniis et fluctibus hospita portu
Chalcis, et Herculea turpatus gymnade vultus
Amnis: adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis, glaucoque caput submersus in antro,
Mœret: anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.
Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Pilaque sæva manu, patrius stat casside Mavors.
Undique magnanimum pubes delecta coronant
Œniden, hilarem bello, notisque decorum
Vulneribus. Non ille minis Polynicis, et ira
Inferior, dubiumque adeo, cui bella gerantur.
Maior at inde novis it Doricus ordo sub armis,
Qui ripas, Lyrice, tuas, tua litora multo
Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivum,
Inache: (Persea neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hausit aquosas
Spumeus, et genero tumuit Iove) quos celer ambit
Asterion, Dryopumque trahens Erasinus aristas:
Et qui rura domant Epidauria: dexter Iaccho
Collis, at Ennææ Cereri negat. Avia Dyme
Mittit opes, densæque Pylos, Neleia turmas,
Nondum nota Pylos, iuvenisque ætate secunda
Nestor, et ire tamen peritura in castra negavit.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
Arduus Hippomedon. Capiti tremit ærea cassis,
Ter nivea scandente iuba: latus omne sub armis
Ferrea suta terunt: humeros ac pectora late
Flammeus orbis habet, perfectaque vivit in auro
Nox Danai: sontes furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
In foribus laudatque nefas, atque inspicit enses.
Illum Palladia sonipes Nemeæus ab arce
Devehit arma pavens, umbraque immane volanti
Implet agros, longoque attollit pulvere campum.
Non aliter sylvas humeris et utroque refringens
Pectore, montano duplex Hyleus ab antro
Præcipitat: pavet Ossa vias, pecudesque, feræque
Procubuere metu: non ipsis fratribus horror
Abfuit, ingenti donec Peneia saltu
Stagna subit, magnumque obiectus detinet amnem.
Quis numerum ferri, gentesque, et robora dicto
Æquarit mortale sonans? suus excit in arma
Antiquam Tiryntha Deus: non fortibus illa
Infœcunda viris, famaque immanis alumni
Degenerat: sed lapsa situ fortuna, neque addunt
Robur opes. Rarus vacuis habitator in arvis
Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.
Dat tamen hæc iuvenum tercentum pectora, vulgus
Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enses
Triste micant: flavent capiti tergoque leonum
Exuviæ, gentilis honos, et pineus armat
Stipes, inexhaustis arctantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt, vastataque monstris
Omnia: frondosa longum Deus audit ab Œta.
Dat Nemea comites, et quas in prœlia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.
Gloria nota casæ, foribus simulata salignis
Hospitis arma Dei, parvoque ostenditur arvo,
Robur ubi et laxos qua reclinaverit arcus
Ilice, quæ cubiti sedeant vestigia terra.
At pedes, et toto despectans vertice bellum,
Quatuor indomitis Capaneus erepta iuvencis
Terga, superque rigens iniectu molis ahenæ
Versat onus: squallet triplici ramosa corona
Hydra recens obitu: pars anguibus aspera vivis,
Argento cælata micat: pars arte reperta
Conditur, et fulvo moriens ignescit in auro.
Circum amnis torpens, et ferro cærula Lerne.
At laterum tractus, spatiosaque pectora servat
Nexilis innumero chalybum subtemine thorax,
Horrendum, non matris opus, galeæque coruscæ
Prominet arce gigas, atque uni missilis illi
Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus.
Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia,
Planaque Messene, montanaque nutrit Ithome,
Quos Thrion, et summis ingestum montibus Æpy,
Quos Helos, et Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion. Hic, fretus doctas anteire canendo
Aonidas, mutos Thamyris damnatus in annos,
Ore simul, citharaque (quis obvia numina temnat?)
Conticuit præceps, qui non certamina Phœbi
Nosset, et illustres Satyro pendente Celænas.
Iamque et fatidici mens expugnata fatiscit
Auguris. Ille quidem casus, et dira videbat
Signa, sed ipsa manu cunctanti iniecerat arma
Atropos, obrueratque Deum: nec coniugis absunt
Insidiæ, vetitoque domus iam fulgurat auro.
Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico: scit et ipse nefas, sed perfida coniux
Dona viro mutare velit, spoliisque potentis
Imminet Argiæ, raptoque excellere cultu.
Illa libens (nam regum animos et pondera belli
Hac nutare videt, pariter ni provida heros
Militat) ipsa sacros gremio Polynicis amati
Deposuit nexus haud mœsta, atque insuper addit:
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit,
Tempora, nec miseræ placeant insignia formæ
Te sine: sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, et incultos aris adverrere crines.
Scilicet (heu Superi) cum tu cludare minaci
Casside, ferratusque sones, ego divitis aurum
Harmoniæ dotale geram? Dabit aptior ista
Fors Deus, Argolicasque habitu præstabo maritas,
Cum regis coniux, cum te mihi sospite, templa
Votivis implenda choris: nunc induat illa,
Quæ petit, et bellante potest gaudere marito.
Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, scelerumque ingentia semina movit,
Et grava Tisiphone risit gavisa futuris.
Tænareis hic celsus equis, quam dispare cœtu
Cyllarus, ignaro generarat Castore prolem,
Quassat humum: vatem cultu Parnassia monstrant
Vellera, frondenti crinitur cassis oliva,
Albaque puniceas interplicat infula cristas.
Arma simul, prensasque iugo moderatur habenas.
Hinc atque inde moræ iaculis, et ferrea curru
Sylva tremit: procul ipse gravi metuendus in hasta
Eminet, et clypeo victum Pythona coruscat.
Huius Apollineæ currum comitantur Amyclæ,
Quos Pylos, et dubiis Malea vitata carinis,
Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ,
Quos Pharis, volucrumque parens Cytheria Messe,
Taygetique phalanx, et oliviferi Eurotæ
Dura manus. Deus ipse viros in pulvere crudo
Arcas alit, nudæque modos virtutis, et iras
Ingenerat: vigor inde animis, et mortis honoræ
Dulce sacrum: gaudent natorum fata parentes,
Hortanturque mori; deflet iamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta est funere mater.
Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,
Exerti ingentes humeros: chlamys horrida pendet,

Et cuno Ledæus opes: non hi tibi solum,
Amphiarae, merent: auget resupina maniplos
Elis: depressæ populus subit incola Pisæ,
Qui te, flave, natant terris, Alphee, Sicanis
Advena, tam longo non unquam infecte profundo.
Curribus innumeris late putria arva lacessunt,
Et bellis armenta domant: ea gloria genti
Infando de more, et fracta durat ab usque
Axibus Œnomai: strident spumantia morsu
Vincula, et effusus niveus rigat imber arenas.
Tuquoque Parrhasias ignara matre catervas
Attrahis annorum, (tantum nova gloria suadet)
Parthenopæe, rapis: tum saltus forte remotos
Torva parens (neque enim hæc iuveni foret ire potestas)
Pacabat cornu, gelidique aversa Lycei.
Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro
Vultus, et egregiæ tanta indulgentia formæ:
Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.
Quas non ille duces nemorum, fluviisque dicata
Numina, quas magno non impulit igne Napæas?
Ipsam, Mænalia puerum cum vidit in umbra,
Dianam, tenero signantem gramina passu,
Ignovisse ferunt comiti, Dictæaque tela
Ipsam, et Amyclæas humeris aptasse pharetras.
Prosilit audaci Martis percussus amore,
Arma, tubas audire calens, et pulvere belli
Flaventem sordere comam, captoque referri
Hostis equo: tædet nemorum, titulumque nocentem
Sanguinis humani pudor est nescire sagittas.
Igneus ante omnes auro micat, igneus ostro,
Undantemque sinum nodis irrugat Iberis,
Imbellis parma pictus Calydonia matris
Prælia: trux læva sonat arcus, et aspera plumis
Terga, Cydonea corytos arundine pulsat,
Electro pallens, et iaspide clarus Eoa.
Cornipedem trepidos suetum prævertere cervos
Velatum geminæ deiecta lyncis, et arma
Mirantem gravioris heri sublimis agebat,
Dulce rubens, viridique genas spectabilis ævo.
Arcades huic veteres astris Lunaque priores,
Agmina fida datis: nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit: nondum arva, domusque, nec urbes,
Connubiisque modus: quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, et fœta viridis puer excidit orno.
Hi lucis stupuisse vices, noctisque feruntur
Nubila, et occiduum longe Titana secuti,
Desperasse diem. Rarescunt alta colonis
Mænala: Parthenium fugitur nemus: agmina bello
Rhipeque, et Stratie, ventosaque donat Enispe.
Non Tegea, non ipsa Deo vacat alite felix
Cyllene, templumque Aleæ nemorale Minervæ,
Et rapidus Clitor, et qui tibi, Pythie, Ladon
Pæne socer, candensque iugis Lampia nivosis,
Et Pheneus nigro Styga mittere credita Diti.
Venit et Idæis ululatibus æmulus Azan,
Parrhasiique duces, et quæ risistis, Amores,
Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti,
Dives et Orchomenos pecorum, et Cynosura ferarum.
Æpytios idem ardor agros, et Psophida celsam
Vastat, et Herculeo vulgatos robore montes, (phalon:
Monstriferumque Erymanthon, et ærisonum Stym-
Arcades hi, gens una viris, sed dissona cultu
Scinditur: hi Paphias myrtos a stirpe recurvant,
Et pastorali meditantur prœlia trunco:
Hi arcus, his tela sedent: hic casside crines
Integit: Arcadii morem tenet ille galeri:
Ille Lycaonæ rictu caput asperat ursæ.
Hos belli cœtus, iurataque pectora Marti,
Milite vicinæ nullo iuvere Mycenæ.
Funereæ tum namque dapes, mediique recursus
Solis, et hic alii miscebant prœlia fratres.
Iamque Atalantæas implerat nuntius aures
Ire ducem bello, totamque impellere natum
Arcadiam: tremuere gradus, elapsaque iuxta
Tela: fugit sylvas pernicior alite vento,
Saxa per et plenis obstantia flumina ripis,
Qualis erat, correpta sinus, et vertice flavum
Crinem sparsa noto: raptis velut aspera natis
Prædatoris equi sequitur vestigia tigris.
Ut stetit, adversisque impegit pectora frenis:
(Ille ad humum pallens) Unde hæc furibunda cupido,
Nate, tibi? teneroque unde improba pectore virtus?
Tu bellis aptare viros? tu pondera ferre
Martia, et ensiferas inter potes ire catervas?
Quanquam utinam vires! nuper te pallida vidi,
Dum premis obnixo venabula comminus apro,
Poplite succiduo resupinum, ac pæne ruentem:
Et ni curvato torsissem spicula cornu,
Nunc ubi bella tibi? nil te mea tela iuvabunt,
Nec teretes arcus, maculis nec discolor atris
Hic, cui fidis, equus: magnis conatibus instas,
Vix Dryadum thalamis Erymanthiadumque futuri
Nympharum mature puer: sunt omina vera.
Mirabar, cur templa mihi tremuisse Dianæ
Nuper, et inferior vultu Dea visa, sacrisque
Exuviæ cecidere tholis: hinc segnior arcus,
Difficilesque manus, et nulla in vulnere certæ.
Expecta, dum maior honos, dum firmius ævum,
Dum roseis venit umbra genis, vultusque recedunt
Ore mei: tunc bella tibi, ferrumque, quod ardes,
Ipsa dabo, et nullo matris revocabere fletu.
Nunc refer arma domum: vos autem hunc ire sinetis,
Arcades? o saxis nimirum, et robore nati!
Plura cupit: fusi circum natusque, ducesque
Solantur, minuuntque metus, et iam horrida clangunt
Signa tubæ: nequit illa pium dimittere natum
Complexu, multumque duci commendat Adrasto.

At parte ex alia Cadmi Mavortia plebes,
Mœsta ducis furiis, nec molli territa fama,
(Quando his vulgatum descendere viribus Argos)
Tardius illa quidem, regis, causæque pudore,
Verum bella movet: nulli distringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clausisse paterno
Dulce, nec alipedum iuga comere, qualia belli
Gaudia: deiecti trepidas sine mente, sine ira,
Promisere manus: hic ægra in sorte parentem
Unanimum, hic dulces primævæ coniugis annos,
Ingemit, et gremio miseros accrescere natos.
Bellator nulli caluit Deus: ipsa vetusto
Mœnia lassa situ, magnæque Amphionis arces,
Iam fessum senio nudant latus, et fide sacra
Æquatos cœlo, surdum, atque ignobile, muros
Firmat opus: tamen et Bœotia urbibus ultrix
Aspirat ferri rabies, nec regis iniqui
Subsidiis, quantum socia pro gente moventur.
Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie gravis, hirtaque setis
Ora cruentata deformis hiantia lana,
Decedit stabulis, huc, illuc turbida versans
Lumina, si duri comperta clade sequantur
Pastores, magnique fugit non inscius ausi.
Accumulat crebros turbatrix fama pavores.
Hic iam dispersos errare Asopide ripa
Lernæos equites: hic te, bacchate Cithæron,
Ille rapi Theumeson, ait, noctisque per umbras
Nuntiat excubiis vigiles arsisse Plateas.

Nam Tyrios sudasse lares, et sanguine Dircen
Irriguam, fœtusque novos, iterumque locutam
Sphinge petris, cui non et scire licentia passim,
Et vidisse fuit? novus his super anxia turbat
Corda metus: sparsis subito correpta canistris,
Silvestris regina chori, decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio, trifidamque huc tristis, et illuc,
Lumine sanguineo pinum deiectat, et ardens
Erectam attonitis implet clamoribus urbem:
Omnipotens Nisææ pater, cui gentis avitæ
Pridem lapsus amor, tu nunc horrente sub arcto
Bellica ferrato rapidus quatis Ismara thyrso,
Pampineumque iubes nemus irreptare Lycurgo,
Aut tumidum Gangen, aut claustra novissima rubræ
Tethyos, Eoasque domos flagrante triumpho
Perfuris, aut Hermi de fontibus aureus exis.
At tua progenies, positis gentilibus armis
Quæ tibi festa litat, bellum, lacrymasque, metumque,
Cognatumque nefas, iniusti munera regni, (que,
Pendimus: æternis potius me, Bacche, pruinis
Trans et Amazoniis ululatum Caucason armis, (nam
Siste ferens, quam monstra ducum stirpemque profa-
Eloquar: en urges: alium tibi, Bacche, furorem
Iuravi; similes video concurrere tauros:
Idem ambobus honos, unusque ab origine sanguis:
Ardua collatis obnixi cornua miscent
Frontibus, alternaque truces moriuntur in ira.
Tu peior, tu cede nocens, qui solus avita
Gramina, communemque petis defendere montem.
Ah miseri morum! bellatis sanguine tanto,
Et saltus dux alter habet: sic fata, gelatis
Vultibus, et Baccho iam demigrante quievit.
 At trepidus monstro, et variis terroribus impar,
Longævi rex vatis opem, tenebrasque sagaces
Tiresiæ (qui mos incerta paventibus) æger
Consulit: ille Deos non larga cæde iuvencum,
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis,
Nec tripode implicito, numerisque sequentibus astra,
Thurea nec supra volitante altaria fumo,
Tam penitus, duræ quam mortis limite manes
Elicitos patuisse, refert, Lethæaque sacra
Et mersum Ismeni subter confinia ponto
Miscentis, parat ante ducem circumque bidentum
Visceribus laceris, et odori sulfuris aura,
Graminibusque novis, et longo murmure purgat.
Sylva capax ævi, validaque incurva senecta,
Æternum intonsæ frondis stat pervia nullis
Solibus. haud illam brumæ minuere, Notusve
Ius habet, aut Getica Boreas impactus ab Ursa.
Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
Horror, et exclusæ pallet mala lucis imago.
Nec caret umbra Deo: nemori Latonia cultrix
Additur: hanc piceæ, cedrique, et robore in omni
Effictam, sanctis occultat sylva tenebris.
Huius inaspecta luco stridere sagittæ,
Nocturnique canum gemitus, ubi limina patrui
Effugit, inque novæ melior redit ora Dianæ.
Ast ubi fessa iugis, dulcesque altissima somnos
Lux movet, hic late iaculis circum undique fixis,
Effusam pharetra cervicem excepta quiescit.
Extra immane patent, tellus Mavortia, campi,
Fœtus ager Cadmo, durus qui vomere primo
Post consanguineas acies sulcosque nocentes,
Ausus humum versare, et putria sanguine prata
Eruit: ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, solaque in nocte per umbras
Expirat, nigri cum vana in prœlia surgunt
Terrigenæ: fugit incepto tremebundus ab arvo
Agricola, insanique domum rediere iuvenci.
Hic senior vates (Stygiis accommoda quippe
Terra sacris, multoque placent sola pinguia tabo)
Velleris obscuri pecudes armentaque sisti
Atra monet: quæcumque gregum pulcherrima cervix
Ducitur: ingemuit Dirce, mœstusque Cithæron,
Et nova clamosæ stupuere silentia valles.
Tum fera cæruleis intexit cornua sertis
Ipse manu tractans, notæque in limine sylvæ
Principio largos novies tellure cavata
Inclinat Bacchi latices, et munera verni
Lactis, et Actæos imbres, suadumque cruorem
Manibus: aggeritur, quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora advolvit, mœstusque sacerdos
Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus iubet esse focos: tibi, rector Averni,
Quanquam infossus humo, superet tamen agger inen-
Pineus: hunc iuxta cumulo minor ara profundæ (ras
Erigitur Cereri: frondes, atque omne cupressus
Intexit plorata latus: iamque ardua ferro
Signati capita, et frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges. Tunc innuba Manto
Exceptum pateris prælibat sanguinem, et omnes
Ter circum acta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras, et adhuc spirantia reddit
Viscera: nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectare faces: atque ipse sonantia flammis
Virgulta, et tristes crepuisse ut sensit acervos
Tiresias (illi nam plurimus ardor anhelat
Ante genas, impletque cavos vapor igneus orbes)
Exclamat: (tremuere rogi, et vox impulit ignem)
Tartareæ sedes, et formidabile regnum
Mortis inexpletæ, tuque, o sævissime fratrum,
Cui servire dati Manes, æternaque sontum
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi,
Solvite pulsanti loca muta, et inane severæ
Persephones, vulgusque cava sub nocte repostum
Elicite, et plena redeat Styga portitor alno.
Ferte simul gressus: nec simplex Manibus esto
In lucem remeare modus: tu separe cœtu
Elysios Persei pios, virgaque potenti
Nubilus Arcas agat: contra per crimina functis,
Qui plures Erebo, pluresque e sanguine Cadmi,
Angue ter excusso, et flagranti prævia taxo,
Tisiphone, dux pande diem, nec lucis egentes
Cerberus occursu capitum detorqueat umbras.
Dixerat: et pariter senior Phœbeaque virgo
Erexere animos: illi formidine nulla,
(Quippe in corde Deus) solum tremor obruit ingens
Œdipodioniden, vatisque horrenda canentis
Nunc humeros, nunc ille manus, et vellera pressat
Anxius, inceptisque velit desistere sacris.
Qualis Gætulæ stabulantem ad confraga sylvæ,
Venator longo motum clamore leonem
Expectat, firmans animum, et sudantia nisu
Tela premens: gelat ora pavor, gressusq; tremiscunt
Quis veniat, quantusq; sed horrida signa frementis
Accipit, et cæca metitur murmura cura.
Atque hic Tiresias nondum adventantibus umbris,
Testor, ait, Divæ, quibus hunc saturavimus ignem,
Lævaque convulsæ dedimus carchesia terræ,
Iam nequeo tolerare moram: cassusne sacerdos
Audior? an rabido iubeat si Thessala cantu,
Ibitis? et Scythicis quoties armata venenis
Colchis aget, trepido pallebunt Tartara motu?
Nostri cura minor, si non attollere bustis
Corpora, nec plenas antiquis ossibus urnas
Egerere, et mixtos cœlique, Erebique sub unum
Funestare Deos libet? aut exsangue ferro
Ora sequi, aut ægras functorum carpere fibras?

Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacæ,
Spernite ne, moneo, et nobis sævire facultas.
Scimus enim et quidquid dici, noscique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbræe, vererer:
Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum
Illum sed taceo: prohibet tranquilla senectus. (est.
Iamque ego vos avide subicit Phœbeia Manto:
Audiris, genitor, vulgusque exsangue propinquat.
Panditur Elysium Chaos, et telluris opertæ
Dissilit umbra capax, sylvæque, et nigra patescunt
Flumina, liventes Acheron eiectat arenas.
Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit,
Et Styx discretis interfluа Manibus obstat.
Ipsum pallentem solio, circumque ministras
Funestorum operum Eumenidas, Stygiæque severos
Iunonis thalamos, et mœsta cubilia cerno.
In speculis Mors atra sedet, dominisque silentes
Annumerat populos: maior superemanet ordo.
Arbiter hos dura versat Gortynius urna,
Vera minis poscens, adigitque expromere vitas
Usque retro, et tandem pœnarum lucra fateri.
Quid tibi monstra Erebi, Scyllas, et inane furentes
Centauros, solidoque intorta adamante gigantum
Vincula, et angustam centeni Ægæonis umbram?
Immo, ait, o nostræ regimen, viresque senectæ,
Ne vulgato mihi. Quis enim remeabile saxum,
Fallentesque lacus, Tytionque alimenta volucrum,
Et caligantem longis Ixiona gyris
Nesciat? ipse etiam, melior cum sanguis, opertas
Inspexi sedes, Hecate ducente, priusquam
Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem
Detulit. Argolicas magis huc appelle precando,
Thebanasque animas: alias avertere gressus
Lacte quater sparsas, mœstoque excedere luco,
Nata, iube, tunc quis vultus, habitusque, quis ardor
Sanguinis affusi, gens utra superbior adsit,
Dic agedum, nostramque nova per singula noctem.
Iussa facit, carmenque serit, quo dissipet umbras,
Quo regat et sparsas: qualis si crimina demas,
Colchis, et Ææa simulatrix litore Circe.
Tunc his sacrificum dictis affata parentem:
Primus sanguineo summittit inertia Cadmus
Ora lacu, iuxtaque virum Cythereia proles.
Effluit amborum geminus de vertice serpens.
Terrigenæ comites illos, gens Martia, cingunt.
His ævi mensura dies: manus omnis in armis,
Omnis et in capulo: prohibent, obstantq., ruuntque
Spirantum rabie: nec tristi incumbere sulco
Cura, sed alternum cuperent haurire cruorem.
Proxima natarum manus est, fletique nepotes.
Hic orbam Autonoen, et anhelam cernimus Ino
Respectantem arcus, et ad ubera dulce prementem
Pignus, et oppositis Semelen a ventre lacertis.
Penthea iam fractis genitrix Cadmeia thyrsis,
Iam dimissa Deo, pectusque adaperta cruentum,
Insequitur planctu: fugit ille per avia Lethes,
Et Stygios superosque lacus, ubi mitior illum
Flet pater, et lacerum componit corpus Echion.
Tristem nosco Lycum, dextramq. in terga reflexum
Æoliden, humero iactantem funus onusto.
Nec dum ille aut habitus, aut versæ crimina formæ
Mutat Aristæo genitus: frons aspera cornu,
Tela manu, reiicitque canes in vulnus hiantes.
Ecce autem magna subit invidiosa caterva
Tantalis, et tumido percenset funera luctu,
Nil deiecta malis: iuvat effugisse Deorum
Numina, et insanæ plus iam permittere linguæ.
Talia dum patri canit intemerata sacerdos,
Illius elatis tremefacta assurgere vittis
Canities, tenuique impelli sanguine vultus.
Nec iam firmanti baculo, nec virgine fida
Nititur: erectusque solo, Desiste canendo,
Nata, ait, externæ satis est mihi lucis, inertes
Discedunt nebulæ, et voltum niger exuit aer.
Umbrisne, an supero me missus Apolline complet
Spiritus? en video quæcumque audita: sed ecce
Mœrent Argolici deiecto lumine Manes.
Torvus Abas, Prœtusque nocens, mitisq. Phoroneus,
Truncatusque Pelops, et sævo pulvere sordens
Œnomaus, largis humectant imbribus ora.
Auguror hinc Thebis belli meliora: quid autem
Hi grege condenso (quantum arma et vulnera mon-
Pugnaces animæ) nobis in sanguine multo (strant,
Oraque, pectoraque, et falso clamore levatas
Intendunt sine pace manus? Rex, fallor, an hi sunt
Quinquaginta illi? cernis Chthoniumque Chromin-
Phægeaque, et nostra præsignem Mæona lauro. (que,
Ne sævite, duces: nihil hic mortalibus ausum
Credite consiliis: hos ferrea neverat annos
Atropos: existis casus: bella horrida nobis,
Atque iterum Tydeus. Dixit, vittaque ligatis
Frondibus instantes abigit, monstratque cruorem.
Stabat inops comitum Cocyti in litore mœsto
Laius, immiti quem iam Deus ales Averno
Reddiderat, dirumque tuens obliqua nepotem,
(Noscit enim vultu) non ille aut sanguinis haustus,
Cetera ceu plebes, aliumve accedit ad imbrem,
Immortale odium spirans: sed proiicit ultro
Aonius vates: Tyriæ dux inclyte Thebes,
Cuius ab interitu non ulla Amphionis arces
Vidit amica dies: o iam satis ulte cruentum
Exitium, et multum placata minoribus umbra,
Quos, miserande, fugis? iacet ille in funere longo,
Quem premis, et iunctæ sentit confinia mortis,
Obsitus exhaustos pedore et sanguine vultus,
Eiectusque die: sors leto durior omni,
Crede mihi: quænam immeritum vitare nepotem
Causa tibi? confer vultum, et satiare litanti
Sanguine, venturasque vices, et funera belli
Pande, vel infensus, vel res miserate tuorum.
Tunc ego te optata vetitam transmittere Lethen
Puppe dabo, placidumque pia tellure reponam,
Et Stygiis mandabo Deis. Mulcetur honoris
Muneribus, tingitque genas, dehinc talia reddit:
Cur tibi versanti manes, æquæve sacerdos,
Lectus ego augurio? tantisque potissimus umbris,
Qui ventura loquar? satis est meminisse priorum.
Nostrane præclari (pudeat) consulta nepotes
Poscitis? illum illum sacris adhibete nefastis,
Qui læto fodit ense patrem, qui semet in ortus
Vertit, et indignæ regerit sua pignora matri.
Et nunc ille Deos, furiarumque atra fatigat
Concilia, et nostros rogat hæc in prœlia Manes.
Quod si adeo placui deflendo in tempora vates,
Dicam equidem, quo me Lachesis, quo torva Megæra
Usque sinunt: bellum innumero venit undique bel-
Agmine, Lernæosque trahit fatalis alumnos (lum
Gradivus stimulis: hos terræ monstra, Deumque
Tela manent, pulchrique obitus, et ab igne supremo
Sontes lege moræ: certa est victoria Thebis,
Ne trepida, nec regna ferox germanus habebit.
Sed furiæ, geminumque nefas, miseroque per enses
(Hei mihi) crudelis vincet pater. Hæc ubi fatus,
Labitur, et flexa dubius ambage reliquit.

Interea gelidam Nemeen, et conscia laudis
Herculeæ dumeta, vaga legione tenebant
Inachidæ: iam Sidonias avertere prædas,
Sternere, ferre domos ardent, instantque. Quis iras

Flexerit, unde moræ, medius quis euntibus error,
Phœbe, doce: nos rara manent exordia famæ.
Marcidus edomito bellum referebat ab Hæmo
Liber, ibi armiferos geminæ iam sidere brumæ
Orgia ferre Getas, canumque virescere dorso
Othryn, et Icaria Rhodopen assueverat umbra,
Et iam pampineus materna ad mœnia currus
Promovet: effrænæ dextra lævaque sequuntur
Lynces, et uda mero lambunt retinacula tigres.
Post exultantes spolia armentalia portant
Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas.
Nec comitatus iners, sunt illic Ira, Furorque,
Et Metus, et Virtus, et nunquam sobrius Ardor,
Succiduique gradus, et castra simillima regi.
Isque ubi pulverea Nemeen effervere nube
Conspicit, et solem radiis ignescere ferri,
Necdum compositas belli in certamina Thebas:
Concussus visis, quanquam ore et pectore marcet,
Æraque tympanaque, et biforem reticere tumultum
Imperat, attonitas qui circum plurimus aures. (tem
Atque ita: Me manus ista, meamque exscindere gen-
Apparat: et longe recalet furor: hoc mihi sævum
Argos, et indomitæ bellum ciet ira novercæ.
Usque adeone parum cineri data mater iniquo?
Natalesque rogi? quæque ipse micantia sensi
Fulgura? reliquias etiam fuscque sepulcrum
Pellicis, et residem ferro petit improba Theben.
Nectam fraude moras: illum, illum tendite campum,
Tendite, io, comites. Hyrcanæ ad signa iugales
Intumuere iubas, dicto prius adstitit arvis.
Tempus erat, medii cum solem in culmina mundi
Tollit anhela dies, ubi tardus hiantibus arvis
Stat vapor, atque omnes admittunt æthera luci.
Undarum vocat ille Deas, mediusque silentum
Incipit: Agrestes, fluviorum numina Nymphæ,
Et nostri pars magna gregis, perferte laborem,
Quem damus. Argolicos paulum mihi fontibus am-
Stagnaque, et errantes obducite pulvere rivos. (nes,
Præcipuus Nemees, qua nostra in mœnia bellis
Nunc iter, ex alto fugiat liquor, adiuvat ipse
Phœbus ad hoc summo (cesset ni vestra voluntas)
Limite: vim cœptis indulgent astra, meæque
Æstifer Erigones spumat canis: ite volentes,
Ite in operta soli: post vos ego gurgite pleno
Eliciam, et quæ dona meis amplissima sacris
Vester habebit honos: nocturnaque furta licentum
Cornipedum, et cupidas Faunorum arcebo rapinas.
Dixerat: ast illis tenuior percurrere visus
Ora situs, viridisque comis exhorruit humor.
Protinus Inachios haurit sitis ignea campos.
Diffugere undæ: squallent fontesque, lacusque,
Et cava ferventi durescunt flumina limo.
Ægra solo macies, tenerique in origine culmi
Inclinata seges; deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta natatos.
Sic, ubi se magnis refluus suppressit in antris
Nilus, et Eoæ liquentia pabula brumæ
Ore premit, fumant desertæ gurgite valles,
Et patris undosi sonitus expectat hiulca
Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnumque inducat messibus annum.
Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, et ingens
Inachus, advolvensque natantia saxa Charadrus,
Et nunquam in ripis audax Erasinus, et æquus
Fluctibus Asterion: illeuita per avia notus
Audiri, et longe pastorum rumpere somnos.
Una tamen tacitas (sed iussu numinis) undas,
Hæc quoque secreta, nutrit Langia, sub umbra.
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus, nec famæ Deæ; tamen avia servat
Et nemus, et fluvium: manet ingens gloria nympham,
Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achæis
Ludus, et atra sacrum recolit trieteris Ophelten.
Ergo, nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum sitis horrida torquet)
Sufficiunt: non ora modo, angustique perusti
Faucibus, interior sed vis quatit: aspera pulsu
Corda: gelant venæ, et siccis cruor æger adhæret
Visceribus: tunc sole putris, tunc pulvere tellus
Exhalat calidam nubem: non spumeus imber
Manat equum: siccis illudunt ora lupatis,
Ora catenatas procul exertantia linguas;
Nec legem dominosve pati, sed perfurit arvis
Flammatum pecus: huc illuc impellit Adrastus
Exploratores, si stagna Lycimnia restent,
Si quis Amymones superet liquor: omnia cæcis
Ignibus hausta sedent; nec spes humentis Olympi;
Ceu flavam Libyen desertaque pulveris Afri
Collustrent, nullaque umbratam nube Syenen.
Tandem inter sylvas (sic Evius ipse parabat)
Errantes, subitam pulchro in mœrore tuentur
Hypsipylen: illi quamvis ut ab ubere Opheltes
Non sua, Inachii proles infausta Lycurgi
Dependet, neglecta comam, nec dives amictu;
Regales tamen ore notæ, nec mersus acerbis
Exstat honos: tunc hæc adeo stupefactus Adrastus:
Diva potens nemorum, (nam te vultusque pudorque
Mortali de stirpe negant) quæ læta sub isto
Igne poli non quæris aquas, succurre propinquis
Gentibus: arcitenens seu te Latonia casto
De grege transmisit thalamis, seu lapsus ab astris
Non humilis fecundat amor (neq; enim ipse Deorum
Arbiter, Argolidum thalamis novus) aspice mœsta
Agmina: nos ferro meritas exscindere Thebas
Mens tulit: imbelli sed nunc sitis arguit fato,
Submittitque animos, et inertia robora carpit.
Da fessis in rebus opem, seu turbidus amnis,
Seu tibi fœda palus: nihil hac in sorte pudendum,
Nil humile est: tu nunc ventis pluvioque rogaris
Pro Iove: tu refugas vires, et pectora bello
Exanimata reple: sic hoc tibi sidere dextro
Crescat onus: tantum reduces det flectere gressus
Iupiter, o quanta belli donabere præda!
Dircæos tibi Diva greges, numerumque rependam
Plebis, et hic magna lucus signabitur ara.
Dixit, et orantis media inter anhelitus ardens
Verba rapit, cursuque animæ labat arida lingua.
Idem omnes pallorque viros, flatusque soluti
Oris habet: reddit demisso Lemnia vultu:
Diva quidem vobis, et si cœlestis origo est,
Unde ego? mortales utinam haud transgressa fuissem
Luctibus! altricem mandati cernitis orbam
Pignoris: at nostris an quis sinus, uberaque ulla,
Scit Deus: et nobis regnum tamen, et pater ingens.
Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror undis?
Mecum age nunc: si forte vada Langia perennes
Servat aquas: solet et rapidi sub limite cancri
Semper, et Icarii quamvis iuba fulgoret astri,
Ire tamen: simul hærentem, ne tarda Pelasgis
Dux foret, ah miserum vicino cespite alumnum
(Sic Parcæ voluere) locat, ponitque negantem
Floribus aggestis, et amico murmure dulces
Solatur lacrymas: qualis Berecyntia mater,
Dum circa parvum iubet exultare Tonantem
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide.
At puer in gremio vernæ telluris, et alto
Gramine, nunc faciles sternit procursibus herbas

In vultum nitens: carum modo lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illuctantia labris,
Miratur nemorum strepitus, aut obvia carpit,
Aut patulo trahit ore diem: nemorisque malorum
Inscius, et vitæ multum securus inerrat.
Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
Vertice Mænalio, talis per litora reptans
Improbus Ortygiæ latus inclinabat Apollo.
Illi per dumos, et opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arcta plebe sequuntur,
Præcelerantq; ducem. Medium subit illa per agmen,
Non humili festina modo: iamque amne propinquo
Rauca sonat vallis, saxosumque impulit aures
Murmur: ibi exultans conclamat ab agmine primo,
Sicut erat, levibus tollens vexilla maniplis,
Argus, aquæ: longusque virum super ora cucurrit
Clamor, aquæ: sic Ambracii per litora ponti
Nauticus in remis iuvenum monstrante magistro
Fit sonus, inque vicem contra percussa reclamat
Terra, salutatus cum Leucada pandit Apollo.
Incubuere vadis passim discrimine nullo
Turba simul, primique: nequit secernere mixtos
Æqua sitis. Frenata suis in curribus intrant
Armenta, et pleni dominis armisque feruntur
Quadrupedes: hos turbo rapax, hos lubrica fallunt
Saxa: nec implicitos fluvio reverentia reges
Proterere, aut mersisse vado clamantis amici
Ora: fremunt undæ, longusque a fontibus amnis
Diripitur, modo lene virens, et gurgite puro
Perspicuus, nunc sordet aquis egestus ab imo
Alveus. Inde toros riparum et proruta turbant
Gramina: iam crassus cœnoque et pulvere torrens,
Quanquam expleta sitis, bibitur tamen: agmina bel-
Decertare putes, iustumque in gurgite Martem (lo
Perfurere, et captam tolli victoribus urbem.
Atque aliquis regum, medio circumfluus amni:
Sylvarum, Nemee, longe regina virentum,
Lecta Iovi sedes, quam nunc, non Herculis actis
Dura magis, rabidi cum colla minantia monstri
Augeret, et tumidos animam angustaret in artus:
Hac sævisse tenus populorum incepta tuorum
Sufficiat: tuque o cunctis insuete domari
Solibus, æternæ largitor corniger undæ,
Lætus eas; quacumque domo gelida ora resolvis
Immortale tumens: neque enim tibi cana repostas
Bruma nives, raptasque alio de fonte refundit
Arcus aquas; gravidive indulgent nubila Cori:
Sed tuus, et nulli ruis expugnabilis astro.
Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus uterque,
Sperchiusque minax, centaureusque Lycormas
Præstiterint: tu pace mihi, tu nube sub ipsa
Armorum, festasque super celebrabere mensas.
Ab Iove primus honos: bellis modo lætus ovantes
Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas
Flumina, defensasque velis agnoscere turmas.

Liber quintus

Pulsa sitis fluvio, populataque gurgitis alveum
Agmina linquebant ripas, amnemque minorem:
Acrior et campum sonipes rapit, et pedes arva
Implet ovans: rediere viris animique minæque,
Votaque, sanguineis mixtum ceu fontibus ignem
Hausissent belli, magnasque in prœlia mentes.
Dispositi in turmas rursus, legemque severi
Ordinis, ut cuique ante locus, ductorque, moventur
Instaurare vias: tellus iam pulvere primo
Crescit, et armorum transmittunt fulgura sylvæ.
Qualia trans Pontum Phariis defensa serenis
Rauca Parætonio decedunt agmina Nilo,
Cum fera ponit hiems: illæ, clangore fugaci,
Umbra fretis arvisque volant: sonat avius æther.
Iam Borean imbresque pati, iam nare solutis
Amnibus, et nudo iuvat æstivare sub Hæmo.
Hic rursus, simili procerum vallante corona,
Dux Talaionides, antiqua ut forte sub orno
Stabat, et admoti nixus Polynicis in hastam:
At tamen o quæcumque es, ait, cui gloria tanta
Venimus innumeræ fatum debere cohortes,
Quem non ipse Deum sator aspernetur honorem,
Dic age, quando tuis alacres adsistimus undis, (tris?
Quæ domus, aut tellus, animam quibus hauseris as-
Dic, quis et ille pater? neq; enim tibi numina longe,
Transierit fortuna licet: maiorque per ora
Sanguis, et afflicto spirat reverentia vultu.
Ingemit, et paulum fletu cunctata modesto,
Lemnias orsa refert: Immania vulnera, rector,
Integrare iubes, Furias, et Lemnon, et arctis
Arma inserta toris, debellatosque pudendo
Ense mares: redit ecce nefas, et frigida cordi
Eumenis. O miseræ, quibus hic furor additus! o nox!
O pater! illa ego sum (pudeat ne forte benignæ
Hospitis) illa, duces, raptum quæ sola parentem
Occului. Quid longa mali exordia necto?
Et vos arma vocant, magnique in corde paratus.
Hoc memorasse sat est; claro generata Thoante,
Servitium Hypsipyle vestri fero capta Lycurgi.
Advertere animos, maiorque, et honora videri
Parque operi tanto. Cunctis tunc noscere casus
Ortus amor: pater ante alios hortatur Adrastus.
Immo age, dum primi longe damus agmina vulgi,
Nec facilis Nemee latas evolvere vires,
Quippe obtenta comis, et ineluctabilis umbra,
Pande nefas, laudesque tuas, gemitusque tuorum,
Unde hos advenias regno deiecta labores.
Dulce loqui miseris, veteresque reducere questus.
Incipit: Ægeo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab Ætna
Mulciber: ingenti tellurem proximus umbra
Vestit Athos, nemorumq; obscurat imagine pontum.
Thraces arant contra: Thracum fatalia nobis
Litora, et inde nefas: florebat dives alumnis
Terra, nec illa Samo fama, Delove sonanti
Peior, et innumeris quas spumifer assilit Ægon.
Dis visum turbare domos: nec pectora culpa
Nostra vacant: nullos Veneri sacravimus ignes:
Nulla Deæ sedes. Movet et cœlestia quondam
Corda dolor, lentoque irrepunt agmine pœnæ.
Illa, Paphon veterem centumque altaria linquens,
Nec vultu, nec crine prior, solvisse iugalem
Ceston, et Idalias procul ablegasse volucres
Fertur. Erant certe, media quæ noctis in umbra
Divam alios ignes, maioraque tela gerentem,
Tartareas inter thalamis volitasse sorores
Vulgarent: utque implicitis arcana domorum
Anguibus, et sæva formidine cuncta replevit
Limina, nec fidi populum miserata mariti;
Protinus a Lemno teneri fugistis Amores:
Motus Hymen, versæque faces, et frigida iusti
Cura tori. Nullæ redeunt in gaudia noctes;
Nullus in amplexu sopor est. Odia aspera ubique,
Et Furor, et medio recubat Discordia lecto.
Cura viris tumidos adversa Thracas in ora
Eruere, et sævam bellando frangere gentem.
Cumque domus contra, stantesque in litore nati,
Dulcius Edonas hiemes Arctonque frementem
Excipere, aut tandem tacita post prælia nocte,
Fractorum subitas torrentum audire ruinas.

Illæ autem tristes (nam me tunc libera curis
Virginitas, eunuque tegunt) sub nocte, diuque
Assidua ægræ lacrymis, solantia miscent (cen.
Colloquia, aut sævum spectant trans æquora Thra-
Sol operum medius summo librabat Olympo
Lucentes, ceu staret, equos: quater axe sereno
Intonuit: quater antra Dei fumantis anhelos
Exeruere apices; ventisque absentibus Ægon
Motus, et ingenti percussit litora ponto:
Cum subito horrendas ævi matura Polyxo
Tollitur in furias, thalamisque insueta relictis
Evolat: insano veluti Theumesia Thyas
Rapta Deo, cum sacra vocant, Idæaque suadet
Buxus, et a summis auditus montibus Evan:
Sic erecta genas, aciemque effusa trementi
Sanguine, desertam rabidis clamoribus urbem
Exagitat, clausasque domos et limina pulsans,
Concilium vocat: infelix comitatus eunti
Hærebant nati; atque illæ non segnius omnes
Erumpunt tectis; summasque ad Pallados arces
Impetus: huc propere stipamur, et ordine nullo
Congestæ: stricto mox ense silentia iussit
Hortatrix scelerum, et medio sic ausa profari est:
Rem summam instinctu Superum, meritique doloris,
O viduæ (firmate animos, et pellite sexum)
Lemniades, sancire paro: si tædet inanes
Æternum servare domos, turpemque iuventæ
Flore situm, et longis steriles in luctibus annos:
Inveni, promitto viam, nec numina desunt,
Qua renovanda Venus: modo par insumite robur
Luctibus; atque adeo primum hoc mihi noscere detur.
Tertia canet hiems, cui connubialia vincla,
Aut thalami secretus honos? quod coniuge pectus
Intepuit? cuius vidit Lucina labores?
Dicite; vel iustos cuius pulsantia menses
Vota tument? qua pace feras volucresque iugari
Mos datus: heu segnes! potuitne ultricia Graiis
Virginibus dare tela pater, lætusque dolorum,
Sanguine securos iuvenum perfundere somnos?
At nos vulgus iners; quod si propioribus actis
Est opus, ecce animos doceat Rhodopeia coniux,
Ulta manu thalamos, pariterque epulata marito.
Nec vos immunis scelerum, securave cogo.
Plena mihi domus, atque ingens, en cernite, sudor.
Quatuor hos una, decus et solatia patris,
In gremio (licet amplexu lacrymisque morentur)
Transadigam ferro; saniemque et vulnera fratrum
Miscebo, patremque super spirantibus addam.
Ecqua tot in cædes animum promittit? Agebat
Pluribus; adverso nituerunt vela profundo.
Lemnia classis erat: rapuit gavisa Polyxo
Fortunam, atque iterat: Superiane vocantibus ultro
Desumus? Ecce rates! Deus hos, Deus ultor in iras
Apportat, cœptisque favet: nec imago quietis
Vana meæ: nudo stabat Venus ense, videri
Clara mihi, somnosque super. Quid perditis ævum?
Inquit: age aversis thalamos purgate maritis.
Ipsa faces alias, melioraque fœdera iungam.
Dixit: et hoc ferrum stratis, hoc (credite) ferrum
Imposuit: quin o miseræ, dum tempus agit rem,
Consulite: en validis spumant eversa lacertis
Æquora. Bistonides veniunt fortasse maritæ.
Hinc stimuli ingentes, magnusque advolvitur astris
Clamor. Amazonio Scythiam fervere tumultu,
Lunatumque putes agmen descendere, ubi arma
Indulget pater, et sævi movet ostia belli.
Nec varius fremor, aut studia in contraria rapti
Dissensus, ut plebe solet: furor omnibus idem,
Idem animus solare domos, iuvenumque senumque
Præcipitare colos, plenisque affrangere parvos
Uberibus, ferroque omnes exire per annos.
Tunc viridis late lucus, iuga celsa Minervæ (gens
Propter, opacat humum niger ipse, sed insuper in-
Mons premit, et gemina pereunt caligine soles:
Hic sanxere fidem, tu Martia testis Enyo,
Atque inferna Ceres; Stygiæque, Acheronte recluso,
Ante preces venere Deæ. Sed fallit ubique
Mixta Venus: Venus arma tenet: Venus admonet iras.
Nec de more cruor: natum Caropeia coniux
Obtulit: accingunt sese, et mirantia ferro
Pectora, congestisque avidæ simul undique dextris,
Perfringunt, ac dulce nefas in sanguine vivo
Coniurant, matremque recens circumvolat umbra.
Talia cernenti mihi quantus in ossibus horror!
Quisve per ora color! qualis cum cerva cruentis
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur, et in veloci tenuis fiducia cursu,
Præcipitat suspensa fugam: iam iamque teneri
Credit, et elusos audit concurrere morsus.
Illi aderant: primis iamque offendere carinæ
Litoribus: certant saltu contingere terram
Præcipites: miseri, quos non aut horrida virtus
Marte sub Odrysio, aut medii inclementia ponti
Hauserit! alta etiam Superum delubra vaporant,
Promissasque trahunt pecudes. Niger omnibus aris
Ignis, et in nullis spirat Deus integer extis.
Tardius humenti noctem deiecit Olympo
Iupiter, et versum miti, reor æthera cura
Sustinuit, dum fata vetant: nec longius unquam
Cessavere novæ perfecto sole tenebræ.
Sera tamen mundo venerunt astra; sed illis
Et Paros, et nemorosa Thasos, crebræque relucent
Cyclades: una gravi penitus latet obruta cœlo (ne
Lemnos: in hanc tristes nebulæ, et plaga cæca super-
Texitur: una vagis Lemnos non agnita nautis.
Iam domibus fusi, et nemorum per opaca sacrorum
Ditibus indulgent epulis, vacuantque profundo (gnæ,
Aurum immane mero: dum quæ per Strymona pu-
Quis Rhodope, gelidove labor sudatus in Hæmo,
Enumerare vacat. Necnon manus impia, nuptæ
Serta inter, festasque dapes, quo maxima cultu
Quæque iacent: dederat mites Cytherea suprema
Nocte viros, longoque brevem post tempore pacem
Nequidquam, et miseros perituro afflaverat igni.
Conticuere chori: dapibus ludoque licenti
Fit modus, et primæ decrescunt murmura noctis,
Cum consanguinei mixtus caligine leti,
Rore madens Stygio, morituram amplectitur urbem
Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu;
Secernitque viros: vigilant nuptæque, nurusque
In scelus, atque hilares acuunt fera tela Sorores.
Invasere nefas: cuncto sua regnat Erinnys
Pectore: non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanæ clausere leæ, quas exigit ortu
Prima fames, avidique implorant ubera nati.
Quos tibi (nam dubito) scelerum de mille figuris
Expediam casus? Helimum temeraria Gorge
Evinctum ramis, altaque in mole tapetum
Efflantem somno crescentia vina, superstans
Vulnera disiecta rimatur veste: sed illum
Infelix sopor admota sub morte refugit.
Turbidus, incertumque oculis vigilantibus hostem
Occupat amplexu, nec segnius illa tenentis
Pone adigit costas, donec sua pectora ferro
Tangeret: is demum sceleri modus: ora supinat
Blandus adhuc, oculisque tremens et murmure Gor-
Quærit, et indigno non solvit brachia collo. (gen
Non ego nunc vulgi, quanquam crudelia, pandam

Funera, sed propria luctus de stirpe recordor:
Quod te, flava Cydon, quod te per colla refusis
Intactum, Crenæe, comis (quibus ubera mecum
Obliquumque a patre genus) fortemque, timebam
Quem desponsa, Gyan, vidi lapsare cruentæ
Vulnere Mirmydonis: quodque inter serta chorosque
Barbara ludentem fodiebat Opopea mater?
Flet super æquævum soror exarmata Lycasta
Cydimon: heu similes perituro in corpore vultus
Aspiciens, floremque genæ, et quas finxerat auro,
Ipsa comas. Tum sæva parens, iam coniuge fuso,
Adstitit, impellitque minis, atque inserit ensem.
Ut fera, quæ placido rabiem desueta magistro,
Tardius arma movet, stimulisque, et verbere crebro
In mores negat ire suos: sic illa iacenti
Incidit, undantemque sinu collapsa cruorem
Excipit, et laceros premit in nova vulnera crines.
Ut vero Alcimeden etiamnum in murmure truncos
Ferre patris vultus, at egentem sanguinis ensem
Conspexi, riguere comæ, atque in viscera sævus
Horror iit. Meus ille Thoas, mea dira videri
Dextra mihi. Extemplo thalamis turbata paternis
Inferor: ille quidem dudum (quis magna tuenti
Somnus?) agit versans secum (etsi lata recessit
Urbe domus) quinam strepitus? quæ murmura noctis?
Cur fremebunda quies? Trepido scelus ordine pando,
Quis dolor, unde animi: vis nulla arcere furentes:
Hac sequere, o miserande: premunt, aderuntque mo-
Et mecum fortasse cades. His motus, et artus (ranti,
Erexit stratis. Ferimur per devia vastæ
Urbis, ubi ingentem nocturnæ cædis acervum
Passim, ut quosque sacris crudelis vespera lucis
Straverat, occulta speculamur nube latentes.
Hic impressa toris ora, exstantesque reclusis
Pectoribus capulos, magnarum et fragmina trunca
Hastarum, et ferro laceras per corpora vestes,
Crateras pronos, epulasque in cæde natantes
Cernere erat, iugulisque modo torrentis apertis
Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.
Hic iuvenum manus, et nullis violabilis armis
Turba senes: positique patrum super ora gementum
Semineces pueri, trepidas in limine vitæ
Singultant animas. Gelida non sævius Ossa
Luxuriant Lapitharum epulæ, siquando profundo
Nubigenæ caluere mero: vix primus ab ira
Pallor, et impulsis surgunt ad prælia mensis.
Tunc primum sese trepidis sub nocte Thyoneus
Detexit, nato portans extrema Thoanti
Subsidia, et multa subitus cum luce refulsit.
Agnovi. Non ille quidem turgentia sertis
Tempora, nec flava crinem distinxerat uva,
Nubilus, indignumque oculis liquentibus imbrem
Alloquitur: Dum fata dabant tibi, nate, potentem
Lemnon, et externis etiam servare timendam
Gentibus, haud unquam iusto mea cura labori
Destitit. Absciderunt tristes crudalia Parcæ
Stamina, nec dictis, supplex quæ plurima fudi
Ante Iovem frustra, lacrymisque avertere luctus
Contigit: infandum natæ concessit honorem.
Accelerate fugam. Tuque, o mea digna propago,
Hac rege, virgo, patrem, gemini qua brachia muri
Littus eunt, illa, qua rara silentia, porta
Stat funesta Venus, ferroque accincta furentes
Adiuvat: (unde manus? unde hæc Mavortia Divæ
Pectora?) tu lato patrem committe profundo.
Succedam curis. Ita fatus, in aera rursus
Solvitur: et nostrum, visus arcentibus umbris,
Mitis iter longæ claravit limite flammæ.
Qua data signa sequor: deinc curvo robore clausum
Dis pelagi, ventisque, et Cycladas Ægæoni
Amplexo, commendo patrem: nec fletibus unquam
Sit modus alternis, ni iam dimittat Eoo
Lucifer astra polo: tum demum litore rauco,
Multa metu reputans, et vix confisa Lyæo
Dividor, ipsa gradu nitens, sed et anxia retro
Pectora, nec requies, quin et surgentia cœlo
Flamina, et e cunctis prospectem collibus undas.
Exoritur pudibunda dies; cœlumque retexens,
Aversum Lemno iubar, et declinia Titan
Opposita iuga nube refert. Patuere furores
Nocturni, lucisque novæ formidine cunctis (ris
(Quanquam inter similes) habitus rubor. Impia ter-
Infodiunt scelera, aut festinis ignibus urunt.
Iam manus Eumenidum, captasque refugerat arces
Exsaturata Venus: licuit sentire, quid ausæ,
Et turbare comas, et lumina tingere fleto.
Insula dives agris, opibusque, armisque, virisque,
Nota sito, et Getico nuper ditata triumpho,
Non maris incursu, non hoste, nec æthere lævo,
Perdidit una omnes orbata, excisaque mundo
Indigenas: non arva viri, non æquora vertunt:
Conticuere domus: cruor altus, et oblita crasso
Cuncta rubent tabo: magnæque in mœnibus urbis
Nos tantum: et sævi spirant per culmina Manes.
Ipsa quoque arcanis tecti in penetralibus alto
Molior igne pyram: sceptrum super armaque patris
Iniicio, et nota regum gestamina vestes
Ac prope mœsta rogum confusis ignibus adsto
Ense cruentato, fraudemque et inania busta
Plango metu; si forte premant, cassumque parenti
Omen et hac dubios leti precor ire timores.
His mihi pro meritis, (ut falsi criminis asto
Parta fides) regno, et solio considere patris
Supplicium datur: anne illis obsessa negarem?
Accessi, sæpe ante Deos testata, fidemque,
Immeritasq; manus. Subeo, pro dira potestas! (non,
Exsangue imperium, et mœstam sine culmine Lem-
Iam magis atque magis vigiles dolor angere sensus,
Et gemitus clari, et paulatim invisa Polyxo,
Iam meminisse nefas: iam ponere Manibus aras
Concessum, et multum cineres iurare sepultos.
Sic ubi ductorem trepidæ stabuli qua maritum,
Quem penes et saltus et adultæ gloria gentis,
Massylo frangi stupuere sub hoste iuvencæ,
It truncum sine honore pecus, regemque peremtum
Ipse ager, ipsi amnes, et muta armenta queruntur.
Ecce autem ærata dispellens æquora prora,
Pelias intacti late subit hospita ponti
Pinus: agunt Minyæ: geminus fragor ardua canet
Per latera, abruptam credas radicibus ire
Ortygiam, aut fractum pelago decurrere montem.
Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis,
Mitior et senibus cygnis et pectine Phœbi,
Vox media de puppe venit; maria ipsa carinæ
Accedunt (post nosse datum est) Œagrius illic,
Acclinis malo, mediis intersonat Orpheus
Remigiis, tantosque iubet nescire labores.
Illis in Scythicum Borean iter, oraque primum
Cyaneis arctata vadis: nos Thracia visu
Bella ratæ, vario tecta incursare tumultu,
Densarum pecudum aut fugientum mare volucrum.
Hac ubi nunc furiæ? portus, amplexaque litus
Mœnia, qua longe pelago despectus aperto,
Scandimus, et celsas turres: huc saxa, sudesque,
Armaque mœsta virum, atque infectos cædibus enses
Subvectant trepidæ. Quin et squallentia texta
Thoracum, et vultu galeas infrunte soluto,
Non pudet. Audaces stupuit mirata catervas

Pallas, et adverso risit Gradivus in Hæmo.
Tunc primum ex animis præceps amentia cessit:
Nec ratis illa salo, sed Divum sera per æquor
Iustitia, et pœnæ scelerum adventare videntur.
Iamque aderant terræ, quantum Gortynia currunt
Spicula: cæruleo gravidam cum Iupiter imbri
Ipsa super nubem, ratis armamenta Pelasgæ
Sistit agens: inde horror aquis, et raptus ab omni
Sole dies, miscet tenebras, quis protinus unda
Concolor obnixi lacerant cava nubila venti,
Diripiuntque fretum: nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumque Notis portantibus æquor
Pendet, et æquato iam iam prope sidera dorso
Frangitur: incertæ iam nec prior impetus alno,
Sed labat, extantem rostris modo gurgite in imo,
Nunc cœlo Tritona ferens: nec robora prosunt
Semideum heroum, puppemque insana flagellat
Arbor: et instabili procumbens pondere curvas
Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.
Nos quoque per rupes, murorumque aggere ab omni,
Dum labor ille viris, fretaque indignantur, et Austri,
Desuper invalidis fluitantia tela lacertis,
(Quid non ausa manus?) Telamona et Pelea contra
Spargimus, et nostro petitur Tirynthius arcu.
Illi quippe simul bello pelagoque laborant.
Pars clypeis munire ratem: pars æquora fundo
Egerere: ast alii pugnant; sed inertia motu
Corpora, suspensæque carent conamine vires.
Instamus iactu telorum, et ferrea nimbis
Certat hiems: vastæque sudes, fractique molares
Spiculaque, et multa crinitum missile flamma,
Nunc pelago, nunc puppe cadunt. Dat operta frago-
Pinus, et abiunctis regemunt tabulata cavernis. (rem
Talis Hyperborea virides nive verberat agros
Iupiter: obruitur campis genus omne ferarum;
Deprensæque cadunt volucres; et messis amaro
Strata gelu: fragor inde iugis, inde amnibus iræ.
Ut vero elisit nubes Iove tortus ab alto
Ignis, et ingentes patuere in limine nautæ,
Diriguere animi; manibusque horrore remissis
Arma aliena cadunt; redeunt in pectora sexus.
Cernimus Æacidas, murisque immane minantem
Ancæum, et longa pellentem cuspide rupes
Iphiton. Attonito manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades, puppemque alternus utrimque
Ingravat, et medias ardet descendere in undas.
At levis, et miseræ nondum mihi notus, Iason
Transtra per et remos, impressaque terga virorum,
Nunc magnum Œniden, nunc ille hortatibus Idam,
Et Talaum, et cana rorantem aspergine ponti
Tyndariden iterans, gelidique in nube parentis
Vela laborantem Calain subnectere malo,
Voce manuque rogat: quatiunt impulsibus illi
Nunc freta, nunc muros, sed nec spumantia cedunt
Æquora, et incussæ redeunt a turribus hastæ.
Ipse graves fluctus, clavumque audire negantem
Lassat agens Tiphys, palletque, et plurima mutat
Imperia, ac lævas dextrasque obtorquet in undas
Proram, navifragis avidam concurrere saxis:
Donec ab extremo cuneo ratis, Æsone natus
Palladios oleæ, Mopsi gestamina, ramos
Extulit, et socium turba prohibente poposcit
Fœdera: præcipites vocem involvere procellæ.
Tunc modus armorum, pariterque exhausta quierunt
Flamina, confusoque dies respexit Olympo.
Quinquaginta illi, trabibus de more revinctis,
Eminus abrupto quatiunt nove litora saltu:
Magnorum decora alta patrum, iam fronte sereni,
Noscendique habitu, postquam timor, iraque cessit
Vultibus: arcana sic fama erumpere porta
Cœlicolas, si quando domus litusque rubentum
Æthiopum, et mensas amor est intrare minores.
Dant fluvii montesque locum: tum terra superbit
Gressibus, et paulum respirat cœlifer Atlas.
Hic et ab asserto nuper Marathone superbum
Thesea, et Ismarios Aquilonia pignora fratres,
Utraque quis rutila stridebant tempora penna,
Cernimus: hic, Phœbo non indignante priorem
Admetum, et duræ similem nihil Orphea Thracæ:
Tunc prolem Calydona satam, generumque profundi
Nereos. Ambiguo visus errore lacessunt
Œbalidæ gemini: chlamys huic, chlamys ardet et illi:
Ambo hastile gerunt: humeros exertus uterque,
Nudus uterque genas, simili coma fulgurat astro.
Audet iter, magnique sequens vestigia mutat
Herculis, et tarda quamvis se mole ferentem,
Vix cursu tener æquat Hylas: Lernæaque tollens
Arma, sub ingenti gaudet sudare pharetra.
Ergo iterum Venus, et tacitis corda aspera flammis
Lemniadum pertentat amor: tunc regia Iuno
Arma, habitusque virum, pulchrasque insignia gentis
Mentibus insinuat; certatimque ordine cunctæ
Hospitibus patuere fores: tunc primus in aris
Ignis, et infandis venere oblivia curis:
Tunc epulæ, felixque sopor, noctesque quietæ:
Nec Superum sine mente, reor, placuere fatentes.
Forsitan et nostræ fatum excusabile culpæ
Noscere cura, duces: cinerem, furiasque meorum
Testor, ut externas non sponte aut crimine tædas
Attigerim (scit cura Deum) etsi blandus Iason
Virginibus dare vincla novis: sua iura cruentum
Phasin habent: alios Colchi generatis amores.
Iamque exuta gelu tepuerunt sidera longis
Solibus, et velox in terga revolvitur annus.
Iam novæ progenies, partusque in vota soluti,
Et non speratis Lemnos clamatur alumnis.
Nec non ipsa tamen, thalami monumenta coacti,
Enitor geminos, duroque sub hospite mater
Nomen avi renovo: nec, quæ fortuna relictis
Nosse datum: iam plena quater quinquennia pergunt,
Si modo fata sinunt, aluitque rogata Lycaste.
Detumuere animi maris, et clementior Auster
Vela vocat; ratis ipsa moram portusque quietos
Odit, et assueti tendit retinacula saxi:
Inde fugam Minyæ, sociosque appellat Iason
Efferus, o utinam iam tum mea litora rectis
Prætervectus aquis, cui non sua pignora cordi,
Non promissa fides: certe stat fama remotis
Gentibus, æquorei redierunt vellera Phryxi.
Ut stata lux pelago, venturumque æthera sensit
Tiphys, et occidui rubuere cubilia Phœbi:
Heu iterum gemitus, iterumque novissima nox est.
Vix reserata dies, et iam rate celsus Iason
Ire iubet, primoque ferit dux verbere pontum.
Illos, e scopulis et summo vertice montis,
Spumea porrecti dirimentes terga profundi
Prosequimur visu, donec lassavit euntes
Lux oculos longuinque polo contexere visa est
Æquor, et extremi pressit freta margine cœli.
Fama subit portus, vectum trans alta Thoanta
Fraterna regnare Chio: mihi crimina nulla,
Et vacuos arsisse rogos: fremit impia plebes
Sontibus accensæ stimulis, facinusque reposcunt.
Quin etiam occultæ vulgo increbrescere voces:
Solane fida suis? nos autem in funera læta?
Non Deus hæc, fatumque, quod imperat urbe nefan-
Talibus exanimis dictis (at triste propinquat (da.
Supplicium, nec regna iuvant) vaga litora furto

Incomitata sequor, funestaque mœnia linquo,
Qua fuga nota patris; sed non iterum obvius Evan:
Nam me prædonum manus huc appulsa tacentem
Arripuit, et vestras famulam transmittit in oras.
Talia Lernæis iterat dum regibus exul
Lemnias, et longa solatur damna querela,
Immemor absentis (sic Di suasistis) alumni:
Ille graves oculos, languentiaque ora comanti
Mergit humo, fessusque diu puerilibus actis,
Labitur in somnos, prensa manus hæret in herba.
Interea campis, nemoris sacer horror Achæi,
Terrigena erigitur serpens, tractuque soluto
Immanem sese vehit, ac post terga relinquit.
Livida fax oculis: tumidi stat in ore veneni
Spuma virens, ter lingua vibrat, terna agmina adun-(ci
Dentis, et auratæ crudelis gloria frontis
Prominet. Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, et sylvestribus aris
Pauper honos. Nunc ille Dei circumdare templa
Orbe vago labens, miseræ nunc robora sylvæ
Atterit, et vastas tenuat complexibus ornos.
Sæpe super fluvios geminæ iacet aggere ripæ
Continuus, squamisque incisus adæstuat amnis.
Sed nunc Ogygii iussis quando omnis anhelat
Terra Dei, trepidæque latent in pulvere Nymphæ,
Sævior anfractu laterum sinuosa retorquens
Terga solo, siccique nocens furit igne veneni.
Stagna per, arentesque lacus, fontesque repressos
Volvitur, et vacuis fluviorum in vallibus errat:
Incertusque sui, liquidum nunc aera lambit
Ore supinato, nunc arva gementia radens
Pronus adhæret humo, si quid viridantia sudent
Gramina: percussæ calidis afflatibus herbæ,
Qua tulit ora, cadunt, moriturque ad sibila campus.
Quantus ab Arctois discriminat æthera plaustris
Anguis ad usque Notos, alienumque exit in orbem.
Quantus et ille sacri spiris intorta movebat
Cornua Parnassi, donec tibi, Delie, fixus
Vexit arundineam centeno vulnere sylvam.
Quis tibi, parve, Deus tam magni pondera fati
Sorte dedit? tune hoc vix prima ad limina vitæ,
Hoste iaces? an ut inde sacer per sæcula Graiis
Gentibus, et tanto dignus morerere sepulcro?
Occidis extremæ destrictus verbere caudæ
Ignaro serpente puer: fugit ilicet artus
Somnus, et in solam patuerunt lumina mortem.
Cum tamen attonitu moriens vagitus in auras
Excidit, et ruptis immutuit ore querelis,
(Qualia non totas peragunt insomnia voces,)
Audiit Hypsipyle, facilemque negantia cursum
Exanimis genua ægra rapit: iam certa malorum
Mentis ab augurio, sparsoque per omnia visu,
Lustrat humum quærens, et nota vocabula parvo
Nequidquam ingeminans: nusquam ille, et prata re-
Amisere notas: viridi piger accubat hostis (centes
Collectus gyro, spatiosaque iugera complet,
Sic etiam obliqua cervicem expostus in alvo.
Horruit infelix visu, longoque profundum
Incendit clamore nemus: nec territus ille,
Sed iacet. Argolicas ululatus flebilis aures
Impulit. Extemplo monitu ducis advolat ardens
Arcas eques, causamq; refert. Tum squamea demum
Torvus ad armorum radios fremitumque virorum
Colla movet. Rapit ingenti conamine saxum,
Quo discretus ager, vacuasque impellit in auras,
Arduus Hippomedon, quo turbine bellica quondam
Librati saliunt portarum claustra molares.
Cassa duci virtus: nam mollia colla refusus
In tergum serpens venientem exhauserat ictum.
Dat sonitum tellus, nemorumque per aera densi
Dissultant nexus. At non mea vulnera, clamat,
(Et trabe fraxinea Capaneus subit obvius,) unquam
Effugies, seu tu pavidi ferus incola luci,
Sive Deis, utinamque Deis concessa voluptas:
Non, si consertum super hæc mihi membra Giganta
Subveheres: volat hasta tremens, et hiantia monstri
Ora subit, linguamque secat fera vincla trisulcæ:
Perque iubas stantes, capitisque insigne corusci
Emicat, et nigri sanie perfusa cerebri,
Figitur alta solo: longus vix tota peregit
Membra dolo, rapido celer ille volumine telum
Circuit, avulsumque ferens, in opaca refugit
Templa Dei: hic magno tellurem pondere mensus,
Implorantem animam dominis assibilat aris.
Illum et cognatæ stagna indignantia Lernæ,
Floribus et vernis assuetæ spargere Nymphæ,
Et Nemees raptatus ager, lucusque per omnes
Sylvicolæ, fracta, gemuistis, arundine, Fauni.
Ipse etiam summa iam tela poposcerat æthra
Iupiter, et dudum nimbique hiemesque coibant,
Ni minor ira Deo, gravioraque tela mereri
Servatus Capaneus: moti tamen aura cucurrit
Fulminis, et summas libavit vertice cristas.
Iamque pererratis infelix Lemnia campis,
Liber ut angue locus, modico super aggere longe
Pallida sanguineis infectas roribus herbas
Prospicit. huc magno cursum rapit effera luctu,
Agnoscitque nefas: terræque illisa nocenti
Fulminis in morem, non verba in funera primo,
Non lacrymas habet: ingeminat misera oscula tantum
Incumbens, animæque fugam per membra tepentem
Quærit hians. Non ora loco, non pectora restant.
Rapta cutis, tenuia ossa patent, nexusque madentes
Sanguinis imbre novi, totumque in vulnere corpus.
Ac velut aligeræ sedem fœtusque parentis
Cum piger umbrosa populatus in ilice serpens,
Illa redit, querulæque domus mirata quietem
Stat super impendens, advectosque horrida mœsto
Excutit ore cibos: cum solus in arbore cara
Sanguis, et errantes per capta cubilia plumæ.
Ut laceros artus gremio miseranda recepit,
Intexitque comis, tandem laxata dolore
Vox invenit iter, gemitusque in verba soluti:
O mihi desertæ natorum dulcis imago,
Archemore: o rerum et patriæ solamen ademtæ,
Servitiique decus, qui te, mea gaudia, sontes
Extinxere Dei? modo quem digressa reliqui
Lascivum et prono vexantem gramina cursu?
Heu ubi siderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta sonis? risusque et murmura soli
Intellecta mihi? Quoties tibi Lemnon, et Argo
Sueta loqui, et longa somnum suadere querela?
Sic equidem luctus solabar, et ubera parvo
Iam materna dabam, cui nunc venit irritus ori
Lactis, et infelix in vulnera liquitur imber.
Nosco Deos: o dura mei præsagia somni,
Nocturnique metus, et nunquam impune per umbras
Attonitæ mihi visa Venus! Quos arguo Divos?
Ipse ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
Exposui fatis: quæ mentem insania traxit?
Tantane me tantæ tenuere oblivia curæ?
Dum patrios casus, famæque exorsa retracto
Ambitiosa meæ, pietas hæc magna, fidesque!
Exsolvi tibi, Lemne, nefas. Ubi letifer anguis,
Ferte, duces; meriti si qua est mihi gratia dari,
Si quis honos dictis: aut vos extinguite ferro,
Ne tristes dominos, orbamque inimica revisam
Eurydicen: quanquam haud illi mea cura dolendo

Cessarit: hocne ferens onus illætabile matris
Transfundam gremio? quæ me prius ima sub umbras
Mergat humus? Simul hæc terraque, et sanguine vul-
Sordida, magnorum circa vestigia regum (tum
Vertitur, et tacita mœrentibus imputat undas.
Et iam sacrifici subitus per tecta Lycurgi
Nuntius impleret lacrymis ipsumque domumque,
Ipsum adventantem Persei vertice sancto
Montis, ubi adverso dederat prosecta Tonanti,
Et caput iratis rediens quassabat ab extis.
Hic sese Argolicis immunem servat ab armis
Haud animi vacuus, sed templa, aræque tenebant.
Necdum etiam responsa Deum, monitusque vetusti
Exciderant, voxque ex adytis accepta profundis,
Prima, Lycurge, dabis Dircæo funera bello.
Id cavet, et mœstus vicini pulvere Martis,
Angitur ad lituos, perituri sque invidet armis.
Ecce fides Superum! laceras comitata Thoantis
Advenit exequias; contra subit obvia mater,
Femineos cœtus plangentinque agmina ducens.
At non magnanimo pietas ignava Lycurgo:
Fortior ille malis; lacrymasque insana resorbet
Ira patris: longo rapit arva morantia passu
Vociferans: Illa autem ubinam, cui parva cruoris
Lætave damna mei? vivitne? impellite raptam,
Forte citi, comites: faxo, omnis fabula Lemni,
Et pater, et tumidæ generis mendacia sacri
Exciderint: ibat, letumque inferre parabat
Ense furens rapto: venienti Œneius heros
Impiger obiecta proturbat pectora parma.
Ac simul infrendens: Siste hunc, vesane, furorem
Quisquis es: at pariter Capaneus, acerque reducto
Affuit Hippomedon, rectoque Erymanthius ense;
Ac iuvenem multo perstringunt lumine: at inde
Agrestum pro rege manus: quos inter Adrastus
Mitior, et sociæ veritus commercia vittæ
Amphiaraus ait: Ne, quæso; absistite ferro
Unus avum sanguis; neve indulgete furori:
Tuque prior: sed non sedato pectore Tydeus
Subiicit: Annc ducem, servatricemque cohortis
Inachiæ ingratis coram tot millibus, audes
Mactare in tumulos? (quanti pro funeris ultor!)
Cui regnum, genitorque Thoas, et lucidus Evan
Stirpis avus: timidone parum, quod gentibus actis
Undique in arma tuis, inter rapida agmina pacem
Solus habes? habeasque, et te victoria Graium
Inveniat tumulis etiamnum hæc fata gementem.
Dixerat: et tandem cunctante modestior ira
Ille refert: Equidem non vos ad mœnia Thebes
Rebar, et hostiles huc advenisse catervas.
Pergite in excidium socii (si tanta voluptas)
Sanguinis, imbuite arma domi, atq; hæc irrita dudum
Templa Iovis (quid enim haud licitum?) ferat impius
Si vilem, tanti premerent cum pectora luctus, (ignis
In famulam ius esse ratus, dominoque ducique.
Sed videt hoc, videt ille Deum regnator, et ausis
Sera quidem, manet ira tamen. Sic fatus, et arces
Respicit, atque illic alio certamine belli
Tecta fremunt: volucres equitum præverterat alas
Fama recens, geminos alis amplexa tumultus,
Illi ad fata rapi, atque illi iam occumbere leto,
Sic meritam Hypsipylen iterant, creduntq;, nec iræ
Fit mora: iamque faces et tela penatibus instant.
Vertere regna fremunt, raptum.q; auferre Lycurgum,
Cum Iove, cum aris: resonant ululatibus ædes
Femineis, versusque dolor dat terga timori.
Alipedum curru sed enim sublimis Adrastus
Secum, ante ora virum fremebunda, Thoantida por-
It medius turmis, et, Parcite, parcite, clamat. (tans,
Nil actum sævo: meritus nec tale Lycurgus
Excidium, gratique inventrix fluminis ecce.
Sic ubi diversis maria evertere procellis
Hinc Boreas, Eurusq;, illinc niger imbribus Auster,
Pulsa dies, regnantque hiemes, venit æquoris alti
Rex sublimis equis, geminusque ad spumea Triton
Frena natans, late pelago dat signa cadenti:
Et iam plana Thetis, montesque et litora crescunt.
Quis Superum tanto solatus funera voto
Pensavit lacrymas? inopinaque gaudia mœstæ
Rettulit Hypsipylæ? Tu gentis conditor, Evan,
Qui geminos iuvenes Lemni de litore vectos
Intuleras Nemeæ, mirandaque fata parabas.
Causa viæ genitrix; nec inhospita tecta Lycurgi
Præbuerant aditus; at protinus illa tyranno
Nuntius extinctæ miserando vulnere prolis.
Ergo adsunt comites, (pro fors, et cæca futuri (rer
Mens hominum!) regiq; favent: sed Lemnos ad au-
Ut primum, dictusque Thoas; per tela, manusque
Irruerunt, matremque avidis complexibus ambo
Diripiunt flentes, alternaque pectora mutant.
Illa velut rupes immoto saxea visu
Hæret, et expertis non audet credere Divis.
Ut vero et vultus, et signa Argus relictis
Ensibus, atque humeris amborum intextus Iason;
Cesserunt luctus, turbataque munere tanto
Corruit, atque alio maduerunt lumina fletu.
Addita signa polo; lætoque ululante tumultu
Tergaque et æra Dei motas crepuere per auras.
Tunc pius Œclides, et prima silentia vulgi
Mollior Ira dedit, placidasque accessit ad aures:
Audite, o ductor Nemeæ; lectique potentes
Inachidæ, quæ certus agi manifestat Apollo.
Iste quidem Argolicis haud olim indebitus armis
Luctus adest: recto descendunt limite Parcæ.
Et sitis interitu fluviorum, et letifer anguis,
Et puer, heu nostri signatus nomine fati,
Archemorus; cuncta hæc Superum demissa suprema
Mente fluunt: differte animos, festinaque tela
Ponite: mansuris donandus honoribus infans.
Et meruit: det pulchra suis libamina virtus
Manibus, atque utinam plures innectere pergas,
Phœbe, moras, semperque novis bellare vetemur
Casibus, et semper Thebe funesta recedat.
At vos, magnorum transgressi fata parentum,
Felices, longum quibus hinc per secula nomen,
Dum Lernæa palus, et dum pater Inachus ibit,
Dum Nemee tremulas campis iaculabitur umbras;
Ne fleta violate sacrum, ne plangite Divos:
Nam Deus iste, Deus; Pyliæ nec fata senectæ
Maluerit, Phrygiis aut degere longius annis.
Finiarat, cœloque cavam nox induit umbram.

Liber sextus

Nuntia multivago Danaas perlabitur urbes
Fama gradu, sancire novo solamnia busto
Inachidas, ludumque super, quo Martia bellis
Præsudare paret, seseque accendere, virtus.
Graium ex more decus: primus Pisæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereamque fera crinem detersit oliva.
Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
Mox circum tristes servata Palæmonis aras
Nigra superstitio, quoties animosa resumit
Leucothoe gemitus, et amica ad litora festa
Tempestate venit: planctu conclamat uterque
Isthmos; Echioniæ responsant flebile Thebæ.
Et nunc eximii regum, quibus Argos alumnis

Connexum cœlo, quorumque ingentia tellus
Aonis et Tyriæ suspirant nomina matres,
Concurrunt, nudasque movent in prœlia vires.
Ceu primum ausuræ trans alta ignota biremes,
Seu Tyrrhenam hiemem, seu stagna Ægæa lacessunt,
Tranquillo prius arma lacu, clavumque, levesque
Explorant remos, atque ipsa pericula discunt.
At cum experta cohors, tum pontum irrumpere fretæ
Longius, ereptasque oculis non quærere terras.
Clara laboriferos cœlo Tithonia currus
Extulerat, vigilesque Deæ pallentis habenas
Et Nox, et cornu fugiebat Somnus inani.
Iam plangore viæ, gemitu iam regia mugit
Flebilis: acceptos longe nemora avia frangunt,
Multiplicantque sonos: sedet ipse exutus honoro
Vittarum nexu genitor squalentiaque ora
Sparsus, et incultam ferali pulvere barbam.
Asperior contra, planctusque egressa viriles
Exemplo famulas premit, hortaturque volentes
Orba parens, lacerasque super procumbere nati
Relliquias ardet, totiesque avulsa refertur:
Arcet et ipse pater: mox, ut mœrentia dignis
Vultibus Inachii penetrarunt limina reges,
Ceu nova tunc clades, et primo saucius infans
Vulnere, letalisve irrumperet atria serpens:
Sic alium ex alio, quanquam lassata, fragorem
Pectora congeminant; integratoque resultant
Accensæ clamore fores. Sensere Pelasgi
Invidiam, et lacrymis excusant crimen obortis.
Ipse, datum quoties, intercisoque tumultu
Conticuit stupefacta domus, solatur Adrastus
Alloquiis genitorem ultro; nunc fata recensens
Resque hominum duras, et inexorabile pensum;
Nunc aliam prolem, mansuraque numine dextro
Pignora: nondum orsis modus, et lamenta redibant.
Ille quoque affatus non mollius audit amicos,
Quam trucis Ionii rabies clamantia ponto
Vota virum, aut tenues curant vaga fulmina nimbos.
Tristibus interea ramis teneraque cupresso
Damnatus flammæ torus, at puerile feretrum
Texitur: ima virent agresti stramina cultu.
Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo,
Eoas complexus opes, incanaque glebis
Thura, et ab antiquo durantia cinnama Belo.
Summa crepant auro, Tyrioque attollitur ostro
Molle supercilium: teretes hoc undique gemmæ
Irradiant, medio Linus intertextus acantho,
Letiferique canes: opus admirabile semper
Oderat, atque oculos flectebat ab omine mater.
Arma etiam et veterum exuvias circumdat avorum
Gloria mixta malis, afflictæque ambitus aulæ,
Ceu grande exequiis onus, atque immensa ferantur
Membra toro: sed cassa tamen sterilisque dolentes
Fama iuvat, parvique augescunt munere Manes.
Inde ingens lacrymis honor, et miseranda voluptas,
Muneraque in cineres annis graviora feruntur,
Namque illi et pharetras breviaque tela dicarat
Festinus voti pater, insontesque sagittas.
Iam tunc et nota stabulis de gente probatos
In nomen pascebat equos, cinctusque sonantes,
Armaque maiores expectatura lacertos.
Spes avidæ! quas non in nomen credula vestes
Urgebat studio? cultusque insignia regni
Purpureos, sceptrumque minus? Cuncta ignibus atris
Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina ferri,
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.
Parte alia gnari monitis exercitus instat
Auguris, aeriam truncis nemorumque ruina
Montis onus cumulare pyram; quæ crimina cæsi
Anguis, et infausti cremet atra piacula belli.
His labor accisam Nemeen, umbrosaque Tempe
Præcipitare solo, lucosque ostendere Phœbo.
Sternitur extemplo veteres incidua ferro
Sylva comas, largæ qua non opulentior umbræ,
Argolicos inter saltusque educta Lycæos,
Extulerat super astra caput: stat sacra senecta
Numine, nec solos hominum transgressa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes,
Faunorumque greges: aderat miserabile luco
Excidium: fugere feræ, nidosque tepentes
Absiliunt (metus urget) aves: cadit ardua fagus:
Chaoniumque nemus, brumæque illæsa cupressus;
Procumbunt piceæ, flammis alimenta supremis,
Ornique, iliceæque trabes, metuendaque succo
Taxus, et infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque situ non expugnabile robur.
Hinc audax abies, at odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonsa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus ulmus.
Dat gemitum tellus. Non sic eversa feruntur
Ismara, cum fracto Boreas caput extulit antro:
Non grassante Noto citius nocturna peregit
Flamma nemus. Linquunt flentes dilecta locorum
Otia, cana Pales, Silvanusque arbiter umbræ,
Semideumque pecus: migrantibus adgemit illis
Sylva, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.
Ut cum possessas avidis victoribus arces
Dux raptare dedit, vix signa audita, nec urbem
Invenias: ducunt, sternuntque, abiguntque, feruntque
Immodici: minor ille fragor, quo bella geruntur.
Iamque pari cumulo geminas, hanc tristibus Umbris,
Ast illam Superis æquus labor auxerat aras,
Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere Manes
Lege Phrygum mœsta. Pelopem monstrasse ferebant
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile, quo geminis Niobe consumta pharetris
Squallida bissenas Sipylon deduxerat urnas.
Portant inferias arsuraque fercula primi
Graiorum, titulisque pios testantur honores
Gentis quisque suæ. Longo post tempore surgit
Colla super iuvenum (numero dux legerat omni)
Ipse fero clamore torus: cinxere Lycurgum
Lernæi proceres, genitricem mollior ambit
Turba, nec Hypsipyle raro subit agmine: vallant
Inachidæ memores; sustentant livida nati
Brachia, et inventæ concedunt plangere matri.
Illic infaustos ut primum egressa penates
Eurydice, nudo vocem de pectore rumpit,
Planctuque, et longis præfata ululatibus infit:
Non hoc Argolidum cœtu circumdata matrum
Speravi te, nate, sequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum,
Nil sævum reputans: etenim, his in finibus ævi,
Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem?
Cui Superum nostro committere sanguine pugnas
Dulce? quis hoc armis vovit scelus? at tua nondum,
Cadme, domus, nullus Tyrio grege plangitur infans.
Primitias egomet lacrymarum, et cædis acerbæ
Ante tubas ferrumque tuli, dum desida cura
Credo sinus fidos altricis, et ubera mando.
Quidni ego? narrabat servatum fraude parentem,
Insontesque manus: en! quam ferale putamus
Abiurasse sacrum, et Lemni gentilibus unam
Immunem furiis. Hæc illa, et creditis ausæ?
Hæc pietate potens? solis abiecit in arvis,

Non regem, domi numve; alienos impia partus.
Hoc tantum, sylvæque infamis tramite liquit;
Quem non anguis atrox (quid enim hac opus, hei mi-
Mole fuit?) tantum cæli violentior aura (hi, leti
Impulsæque Noto frondes, cassusque valeret
Exanimare timor: nec vos incessere luctu
Orba habeo: fixum matri immotumque manebat
Hac altrice nefas: at quin et blandus ad illam,
Nate, magis, solam nosse, atque audire vocantem,
Ignarusque mei: nulla ex te gaudia matri.
Illa tuos questus lacrymososque impia risus
Audiit, et vocis decerpsit murmura primæ.
Illa tibi genitrix semper, dum vita manebat,
Nunc ego: sed miseræ mihi nec punire potestas
Sic meritam: quid dona, duces, quid inania fertis
Iusta rogis? illam (nil poscunt amplius umbræ)
Illam (oro) cineri simul excisæque parenti
Reddite, quæso, duces: per ego hæc primordia belli,
Cui peperi: sic æqua gemant mihi funera matres
Ogygiæ: sternit crines, iteratque precando,
Reddite: nec vero crudelem, avidamque vocate
Sanguinis: occumbam pariter, dum vulnere iusto
Exsaturata oculos, unum impellamur in ignem.
Talia vociferans alia de parte gementem
Hypsipylen (neq; enim illa comas nec pectora servat)
Agnovit longe, et socium indignata dolorem,
Hoc saltem, o proceres, tuque o cui pignore nostro
Partus honos, prohibete nefas: auferte supremis
Invisam exequiis: quid se funesta parenti
Miscet? et in nostris spectatur et ipsa ruinis?
Cui luget, complexa suos? Sic fata repente
Concidit, abruptisque obmutuit ore querelis.
Non secus ac primo fraudatum lacte iuvencum,
Cui trepidæ vires, et solus ab ubere sanguis,
Seu fera, seu duras avexit pastor ad aras;
Nunc vallem spoliata parens, nunc flumina questu,
Nunc armenta movet, vacuosque interrogat agros:
Tunc piget ire domum, mœstoque novissima campo
Exit, et oppositas impasta avertitur herbas.
At genitor sceptrique decus, cultusque Tonantis
Iniicit ipse rogis, tergoque et pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque iacentis
Obnubit tenuia ora comis, ac talia fletu
Verba pio miscens: Alio tibi, perfide, pacto,
Iupiter, hunc crinem voti reus ante dicaram,
Si pariter virides nati libare dedisses
Ad tua templa genas: sed non ratus ore sacerdos,
Damnatæque preces: ferat hæc, quæ dignior umbra
Iam face subiecta primis in frondibus ignis (est.
Exclamat: labor insanos arcere parentes.
Stant iussi Danai, atque obtentis eminus armis
Prospectu visus interclusere nefasto.
Ditantur flammæ: non unquam opulentior illic
Ante cinis: crepitant gemmæ, atq; immane liquescit
Argentum, et pictis exsudat vestibus aurum;
Necnon Assyriis pinguescunt robora succis,
Pallentique croco strident ardentia mella;
Spumantesque mero pateræ verguntur, et atri
Sanguinis et rapti gratissima cymbia lactis.
Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenæ reges, lustrantque, ex more, sinistro
Orbe rogum, et stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos urgere sinus, illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.
Semianimes alter pecudes spirantesque ignis
Accipit armenta: hic luctus abolere, novique
Funeris auspicium, vates (quanquam omina sentit
Vera) iubet, dextri gyro; et vibrantibus hastis,
Hac redeunt, raptumque suis libamen ab armis
Quisque iacit, seu frena libet, seu cingula flammis
Mergere, seu iaculum, summæ seu cassidis umbram.
Multa gemunt contra raucis concentibus agri,
Et lituis aures circum pulsantur acutis.
Terretur clamore nemus: sic Martia vellant
Signa tubæ, nondum ira calet, nec sanguine ferrum
Irrubuit, primo bellorum comitur illo
Vultus, honoris opus: stat adhuc incertus in alta
Nube, quibus sese Mavors indulgeat armis.
Finis erat, lapsusque putres iam Mulciber ibat
In cineres: instant flammis, multoque soporant
Imbre rogum, posito donec cum sole labores
Exhausti: seris vix cessit cura tenebris.
Roscida iam novies cœlo dimiserat astra
Lucifer, et totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato Nocturnus equo: nec conscia fallit
Sidera, et alterno deprenditur unus in ortu:
(Mirum opus accelerasse manus) stat saxea moles,
Templum ingens, cineri, rerumque effectus in illo
Ordo docet casus: fessis hic lumina monstrat
Hypsipyle Danais? hic reptat flebilis infans;
Hic iacet: extremum tumuli circum asperat orbem
Squammeus expectes morientis ab ore cruenta
Sibila, marmorea sic volvitur anguis in hasta.
Iamque avidum pugnas visendi vulgus inermes
Fama vocat: cunctis arvis, ac mœnibus adsunt
Exciti: illi etiam, quis belli incognitus horror,
Quos effœta domi, quos prima reliquerat ætas,
Conveniunt: non aut Ephyreo in litore tanta
Unquam, aut Œnomai fremuerunt agmina circo.
Collibus incurvis viridique obsessa corona
Vallis in amplexu nemorum sedet: hispida circum
Stant iuga: et obiectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat, longo quem tramite planum
Graminea frondes, sinuataque cespite vivo
Mollia non subitis augent fastigia clivis.
Illic conferti, iam sole rubentibus arvis,
Bellatrix sedere cohors: ibi corpore mixto
Metiri numerum, vultusque, habitusque suorum,
Dulce viris, tantique iuvat fiducia belli.
Centum ibi nigrantis, armenti robora, tauros
Lenta mole trahunt, idem numerusque colorque
Matribus, et nondum lunatis fronte iuvencis.
Exin magnanimum series antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens
Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.
Haud illum impavidi, quamvis et in ære, suumque
Inachidæ videre decus. Pater ordine iuncto
Lævus, arundineæ recubansque sub aggere ripæ,
Cernitur, emissæque indulgens Inachus urnæ.
Io post tergum, iam prona, dolorque parentis
Spectat inoccidui stellatum visibus Argum.
Ast illam melior Phariis erexerat arvis
Iupiter, atque hospes iam tunc Aurora colebat.
Tantalus inde parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugæ sterilem rapit aera sylvæ,
Sed pius, et magni vehitur conviva Tonantis.
Parte alia victor curru Neptunia tendit
Lora Pelops, prensatque rotas auriga natantes
Myrtilus, et volucri iam iamq; relinquitur axe.
Et gravis Acrisius, speciesque horrenda Corœbi,
Et Danae culpata sinus: et in amne reperta
Tristis Amymone, parvoque Alcmena superbit
Hercule, tergemina crinem circumdata luna.
Iungunt discordes inimica in fœdera dextras
Belidæ fratres: sed vultu mitior adstat

Ægyptos, Danai manifestum agnoscere ficto
Ore nefas, pacisque malæ noctisque futuræ.
Mille dehinc species. Tandem satiata voluptas,
Præstantesque viros vocat ad sua præmia virtus.

Primus sudor equis. Dic, inclyte Phœbe, regentum
Nomina, dic ipsos: neque enim generosior unquam
Alipedum collata acies; ceu præpete cursu
Confligant densæ volucres, aut litora in uno
Æolus insanis statuat certamina ventis.

Ducitur ante omnes rutilæ manifestus Arion
Igne iubæ. Neptunus equo, si certa priorum
Fama, pater: primus teneris læsisse lupatis
Ora, et litoreo domitasse in pulvere fertur,
Verberibus parcens; etenim insatiatus eundi
Ardor, et hiberno par inconstantia ponto.
Sæpe per Ionium Libycumque natantibus ire
Interiunctus equis, omnesque assuetus in oras
Cæruleum deferre patrem: stupuere relicta
Nubila, certantes Eurique Notique sequuntur.
Nec minor in terris, bella Eurysthea gerentem
Amphitryoniaden alto per gramina sulco
Duxerat; illi etiam ferus, indocilisque teneri.
Mox, Divum dono, regis dignatus Adrasti
Imperia, et multum mediis mansueverat annis.
Tunc rector genero Polynici indulget agendum,
Multa monens, ubi fervor equo, qua suetus ab arte
Mulceri, ne sæva manus, ne liber habenis
Impetus: Urge alios, inquit, stimulisque minisque;
Ille ibit, minus ipse voles: sic ignea lora
Cum daret, et rapido Sol natum imponeret axi,
Gaudentem lacrymans astra insidiosa docebat,
Nolentesque teri zonas, mediamque polorum
Temperiem. Pius ille quidem, et formidine cauta,
Sed iuvenem duræ prohibebant discere Parcæ.

Œbalius sublimis agit, spes proxima palmæ,
Amphiaraus equos: tua furto lapsa propago,
Cyllare, dum Scythici diversus ad ostia ponti
Castor, Amyclæas remo permutat habenas.
Ipse habitu niveus: nivei dant colla iugales:
Concolor est albis et cassis, et infula, cristis.
Quin et Thessalicis felix Admetus ab oris
Vix steriles compescit equas, Centaurica dicunt
Semina: credo, adeo sexum indignantur, et omnis
In vires adducta Venus, noctemque diemque
Assimulant, maculis internigrantibus albæ;
Tantus uterque color: credi nec deneger illo
De grege Castaliæ, stupuit qui sibila cannæ
Lætus, et audito contemsit Apolline pasci.

Ecce et Iasonidæ iuvenes, nova gloria matris
Hypsipyles, subiere iugo, quo vectus uterque.
Nomen avo gentile Thoas, atque omine dictus
Euneos Argoo: geminis eadem omnia, vultus,
Currus, equi, vestes, par et concordia voti,
Vincere vel solo cupiunt a fratre relinqui.
It Chromis, Hyppodamusque, alter satus Hercule magno,
Alter ab Œnomao: dubites, uter effera presset
Frena magis. Getici pecus hic Diomedis; at ille
Pisæi iuga patris habet: crudelibus ambo
Exuviis, diroque imbuti sanguine currus.
Metarum instar erant, hinc nudo robore quercus,
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo,
Arbiter agricolis. Finem iacet inter utrumque,
Quale quater iaculo spatium, ter arundine vincas.
Interea, cantu Musarum nobile mulcens
Concilium, citharæque manus insertus, Apollo
Parnassi summo spectabat ab æthere terras,
Orsa Deum (nam sæpe Iovem, Phlegramque, suique
Anguis opus, fratrumque pius cantarat honores)
Tunc aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat
Spiritus, unde animi fluviis, quæ pabula ventis,
Quo fonte immensum vivat mare, quæ via solem
Præcipitet, noctem quæ porrigat, imane tellus,
An media, et rursus mundo succincta latenti.

Finierat, differt avidas audire Sorores:
Dumque chelyn lauro, textumque illustre coronæ
Subligat, et picto discingit pectora limbo,
Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aspicit, atque illic ingens certaminis instar
Quadriiugi. Noscit cunctos, et forte propinquo
Constiterant Admetus et Amphiaraus in arvo.
Tunc secum, Quisnam iste duos, fidissima Phœbo
Nomina, commisit Deus in discrimina reges?
Ambo pii, carique ambo: nequeam ipse priorem
Dicere. Peliaciis, hic cum famularer in arvis,
(Sic Iovis imperia et nigræ voluere Sorores)
Thura dabat famulo, nec me sentire minorem
Ausus; at hic tripodum comes, et pius artis alumnus
Æthereæ: potior meritis tamen ille; sed huius
Extrema iam fila colo: datur ordo senectæ
Admeto, serumque mori: tibi nulla supersunt
Gaudia, iam Thebæ iuxta, et tenebrosa vorago.
Scis miser, et nostræ pridem cecinere volucres.

Dixit, et os fletu pæne inviolabile tinctus
Extemplo Nemeen radiante per æthera saltu
Ocyor et patrio venit igne, suisque sagittis.
Ipse olim in terris, cœli vestigia durant,
Claraque per Zephyros etiamnum semita lucet.

Et iam sortitus Prothous versarat ahena
Casside: iamque locus cuique est, et liminis ordo.
Terrarum decora ampla viri, decora ampla iugales,
Divum utrumque genus, stant uno margine clausi;
Spesque, audaxque una metus, et fiducia pallens.
Nil fixum cordi: pugnant exire, paventque:
Concurrit summos animosum frigus in artus.
Qui dominis, idem ardor equis: face lumina surgunt,
Ora sonant morsu, spumisque, et sanguine ferrum
Uritur, impulsi nequeunt obsistere postes.
Claustraque, compressæ transfumat anhelitus iræ.
Stare adeo miserum est: pereunt vestigia mille
Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum.
Circumstant fidi, nexasque, et torta iubarum
Expediunt, firmantque animos, et plurima monstrant.
Insonuit contra Tyrrhenum murmur, et omnes
Exsiluere loco: quæ tantum carbasa ponto?
Quæ bello sic tela volant? quæ nubila cœlo?
Amnibus hibernis minor est, minor impetus igni:
Tardius astra cadunt: glomerantur tardius imbres:
Tardius e summo decurrunt flumina monte.
Emissos videre, atque agnovere Pelasgi.
Et iam rapti oculis, iam cæco pulvere mixti
Una in nube latent, vultusque umbrante tumultu,
Vix inter sese clamore et nomine noscunt.
Evolvere globum, et spatio quo quisque valebat
Diducti: delet sulcos iterata priores
Orbita: nunc avidi prono iuga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu pressis duplicantur habenis:
Colla toris crinita tument, stantesque repectit
Aura iubas: bibit albentes humus arida nimbos.
Fit sonus, immanisque pedum, tenuisque rotarum.
Nulla manus requies, densis insibilat aer
Verberibus. Gelida non crebrior exsilit Arcto
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.
Senserat adductis alium præsagus Arion
Stare ducem loris, diromque expaverat insons
Œdipodioniden: iam illinc a limine discors,
Iratusque oneri insolito, truculentior ardet.
Inachidæ credunt accensum laudibus: ille
Aurigam fugit, aurigæ furiale minatur

Efferus, et campo dominum circumspicit omni.
Ante tamen cunctos sequitur, longeque secundus
Amphiaraus agit, quem Thessalus æquat eundo
Admetus: iuxta gemini, nunc Euneos ante,
Et nunc ante Thoas: cedunt, vincuntq; nec unquam
Ambitiosa pios collidit gloria fratres.
Postremum discrimen erant Chromis asper, et asper
Hippodamus: non arte rudes, sed mole tenentur
Cornipedum: prior Hippodamus fert ora sequentum,
Fert gemitus, multaque humeros incenditur aura.
Speravit flexæ circum compendia metæ,
Interius ductis Phœbeius augur habenis,
Anticipasse viam, necnon et Thessalus heros
Spe propiore calet: dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.
Iam prior Œclides, et iam non tertius ibat
Admetus, laxo cum tandem ex orbe reductus
Æquoreus sonipes premit, evaditque parumper
Gavisos: subit astra fragor, cœlumque tremiscit,
Omniaque excusso patuere sedilia vulgo.
Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit
Labdacides: lassa veluti ratione magister
In fluctus, in saxa ruit; nec iam amplius astra
Respicit, et victam proiecit casibus artem.
Rursus præcipites in recta ac devia campi
Obliquant, tenduntque vias; iterum axibus axes
Inflicti, radiisque rotæ: pax nulla, fidesque.
Bella geri ferro levius: bella horrida credas:
Is furor in laude est: trepidant, mortemq; minantur,
Multaq; transversis præstringitur ungula campis.
Nec iam sufficiunt stimuli, non verbera: voce
Nominibusque cient Pholoen Admetus, et Irin,
Fonalemque Thoen; rapidum Danaeius augur
Ascheton increpitans, meritumq; vocabula Cygnum.
Audit et Herculeum Strymon Cromin, Euneon audit
Igneus Æchion: tardum Calydona lacessit
Hippodamus, variumque Thoas rogat ire Podarcem.
Solus Echionides errante silentia curru
Mœsta tenet, trepidaque timet se voce fateri.
Vixdum cœptus equis labor, et iam pulvere quarto
Campum ineunt: iamque et tepidis sudoribus artus
Effeti, et crassum rapit eiectatque vaporem
Cornipedum flammata sitis: nec iam integer illis
Impetus, et longi suspendunt ilia flatus.
Hic anceps fortuna diu decernere primum
Ausa venit: ruit, Hæmonium dum fervidus instat
Admetum superare, Thoas: nec prætulit ullam
Frater opem: velit ille quidem; sed Martius ante
Obstitit Hippodamus, mediasque immisit habenas.
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad or-
Viribus Herculeis, et toto robore patris (bem
Axe tenet prenso: luctantur abire iugales
Nequidquam, frenosque et colla rigentia tendunt:
Ut Siculas siquando rates tenet æstus, et ingens
Auster agit, medio stant vela tumentia ponto.
Tunc ipsum fracto curru deturbat, et isset
Ante Chromis; sed Thraces equi ut videre iacentem
Hippodamum, redit illa fames; iam iamq; trementem
Partiti furiis; ni frena, ipsosque frementes,
Oblitus palmæ, retro Tirynthius heros
Torsisset, victusque et collaudatus abisset.
At tibi promissos iamdudum Phœbus honores,
Amphiarae, cupit: tandem ratus apta favori
Tempora, pulverei venit in spatia horrida Circi.
Cum iam in fine viæ, et summum victoria nutat,
Anguicomam monstri effigiem, sævissima visu
Ora movet: sive ille Erebo, seu finxit in astu
Temporis; innumera certe formidine cultum
Tollit in astra nefas: non illud ianitor atræ
Impavidus Lethes, non ipsæ, horrore sine alto,
Eumenides vidisse queant: turbasset euntes
Solis equos, Martisque iugum: nam, flavus Arion
Ut vidit, saltere iubæ, atque erectus in armos
Stat, sociumque iugi, comitesque utrimque laboris
Secum alte suspendit equos. Ruit ilicet exul
Aonius, nexusque diu per terga volutus
Exuit: abripitur longe moderamine liber
Currus: at hunc putri præter tellure iacentem
Tænarei currus, et Thessalus axis, et heros
Lemnius, obliqua, quantum vitare dabatur
Transabiere fuga: tandem caligine mersum
Erigit accursu comitum caput, ægraque tollit
Membra solo, et socero redit haud sperata Adrasto.
Quis mortis, Thebane, locus? Nisi dura negasset
Tisiphone, quantum poteras dimittere bellum?
Te Thebe, fraterque palam, te plangeret Argos,
Te Nemea: tibi Lerna comas, Larissaque supplex
Poneret; Archemori maior colerere sepulcro.
Tunc vero Œclides, quanquam iam certa sequenti
Præmia, cum vacuus domino præiret Arion,
Ardet adhuc, cupiens vel inanem vincere currum.
Dat vires, refovetque Deus: volat ocyor Euro.
Ceu modo carceribus dimissus in arva solutis
Verberibusque iubas, et terga lacessit habenis,
Ascheton increpitansque levem, rygnumq; nivalem.
Nunc saltem, dum nemo prior, rapit igneus orbes
Axis, et effossæ longe sparguntur arenæ.
Dat gemitum tellus, et iam tunc sæva minatur.
Forsitan et victo prior isset Arione Cygnus,
Sed vetat æquoreus vinci pater; hinc vice iusta
Gloria mansit equo, cessit victoria vati.
Huic pretium palmæ, gemini cratera ferebant
Herculeum iuvenes. Illum Tirynthius olim
Ferre manu sola, spumantemque ore supino
Vertere, seu monstri victor, seu Marte, solebat.
Centauros habet arte truces, aurumque figuris
Terribile: hic mixta Lapitharum cæde rotantur
Saxa, faces, aliique iterum crateres: ubique
Ingentes morientum iræ: tenet ipse furentem
Hylæum, et torta molitur robora barba.
At tibi Mæonio fertur circumflua limbo
Pro meritis, Admete, chlamys, repetitaque multo
Murice. Phryxei natat hic contemtor ephebus
Æquoris, et picta translucet cærulus unda:
In latus ire manus, mutaturusque videtur
Brachia; nec siccum speres in stamine crinem:
Contra autem frustra sedet anxia turre suprema
Sestias in speculis: moritur prope conscius ignis.
Has Adrastus opes dono victoribus ire
Imperat: at generum famula solatur Achæa.
Sollicitat tunc ampla viros ad præmia cursu
Præceleres: agile studium, et tenuissima virtus,
Pacis opus, cum sacra vocant; nec inutile bellis
Subsidium, si dextra neget: prior omnibus Idas,
Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis,
Prosilit: excipiunt plausu Pisæa iuventus
Eleæque manus: sequitur Sicyonius Alcon,
Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena,
Phædimus, alipedumque fugam prægressus equorum
Ante Dymas, sed tunc ævo tardante secutus.
Multi et, quos varii tacet ignorantia vulgi,
Hinc atque hinc subiere: sed Arcada Parthenopæum
Appellant, densique cient vago murmure circi.
Nota parens cursu: quis Mænaliæ Atalantes
Nesciat egregium decus, et vestigia cunctis
Indeprensa procis? Onerat celeberrima natum
Mater: et ipse, procul fama iam notus, inermes
Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi

Tollere, et emissum cursu deprendere telum.
Tandem expectatus volucri super agmina saltu
Emicat, et torto chlamydem diffibulat auro.
Effulsere artus, membrorumque omnis aperta est
Lætitia, insignesque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis; latuitque in corpore vultus.
Ipse tamen formæ laudem aspernatur, et arcet
Mirantes: tunc Palladios non inscius haustus
Incubuit, pinguique cutem fuscatur olivo,
Hoc Idas, hoc more Dymas, aliique nitescunt.
Sic ubi tranquillo pellucent sidera ponto,
Vibraturque fretis cœli stellantis imago,
Omnia clara nitent: sed clarior omnia supra
Hesperos exercet radios; quantusque per altum
Æthera, cæruleis tantus monstratur in undis.
Proximus et forma, nec multum segnior Idas
Cursibus, atque ævo iuxta prior: attamen illi
Iam tenuem pingues florem induxere palæstræ;
Deserpitque genis, nec se lanugo fatetur
Intonsæ sub nube comæ: tunc rite citatos
Explorant, acuuntque gradus; variasque per artes
Instimulant docto languentia membra tumultu.
Poplite nunc flexo sidunt, nunc lubrica forti
Pectora collidunt plausu: nunc igneas tollunt
Crura, brevemque fugam necopino fine reponunt.
Iam ruit atque æquum summisit regula limen,
Corripuere leves spatium, campoque refulsit
Nuda cohors: volucres isdem modo tardius arvis
Ise videntur equi. Credas e plebe Cydonum,
Parthorumque fuga, totidem exsiluisse sagittas.
Non aliter celeres Hyrcana per avia cervi
Cum procul impasti fremitum accepere leonis,
Sive putant, rapit attonitos fuga cæca, metusque
Congregat, et longum dant cornua mixta fragorem.
Effugit hic oculos rapida puer ocyor aura
Mænalius, quem deinde gradu premit horridus Idas,
Inspiratque humero; flatuque et pectoris umbra
Terga premit. Post ambiguo discrimine tendunt
Phædimus atque Dymas: illis celer imminet Alcon.
Flavus ab intonso pendebat vertice crinis
Arcados: hoc primis Triviæ pascebat ab annis
Munus, et Ogygia victor cum Marte redisset,
Nequidquam patriis audax promiserat aris.
Tunc liber nexu, lateque in terga solutus,
Occursu Zephyri retro fugit, et simul ipsum
Impedit, infestoque volans obtenditur Idæ.
Inde dolum iuvenis, fraudique accommoda sensit
Tempora: iam finem iuxta, dum limina victor
Parthenopæus init, correpto crine reductum
Occupat, et longæ primus ferit ostia portæ.
Arcades arma fremunt, armis defendere regem,
Ni raptum decus, et meriti reddantur honores,
Contendunt, totoque parant decedere circo.
Sunt et quis Idæ placeat dolus: ipse regesta
Parthenopæus humo vultumq; oculosque madentes
Obruit: accessit lacrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Ungue secat, meritamq; comam: furit undiq; clamor
Dissonus, ambiguumque senis cunctatur Adrasti
Consilium. Tandem ipse refert: Compescite litem,
O pueri! virtus iterum tentanda: sed ite
Limite non uno: latus hoc conceditur Idæ,
Tu diversa tene: fraus cursibus omnis abesto.
Audierant, dictoque manent. Mox numina supplex
Afflatu tacito iuvenis Tegeæus adorat: (nori
Diva potens nemorum (tibi enim, hic tibi crinis ho-
Debitus, eque tuo venit hæc iniuria voto),
Si bene quid genitrix, si quid venatibus ipse
Promerui, ne (quæso) sinas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruisse pudorem.
Auditum manifesta fides: vix campus euntem
Sentit, et exilis plantis intervenit aer,
Raraque non fracto vestigia pulvere pendent,
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, prensaque levat suspiria palma.
Finiti cursus, operumque insignia præsto.
Arcas equum dono, clypeum gerit improbus Idas,
Cætera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris.
Tunc vocat, emisso si quis decernere disco
Impiger, et vires velit ostentare superbas.
It iussus Pterelas, et ahenæ lubrica massæ
Pondera, vix toto curvatus corpore iuxta
Deiicit. Inspectant taciti, expenduntque laborem,
Inachidæ. Mox turba ruunt, duo gentis Achææ,
Tres Ephyreiadæ, Pisa satus unus, Acarnan
Septimus: et plures agitabat gloria, ni se
Arduus Hippomedon cavea stimulante tulisset
In medios, lateque ferens sub pectore dextro
Orbem alium: Hunc potius, iuvenes, qui mœnia sa-
Frangere, qui Tyrias deiectum vaditis arces, (xis
Hunc rapite: ast illud cui non iaculabile dextræ
Pondus? et abreptum nullo conamine iecit
In latus. Absistunt procul, attonitique fatentur
Cedere: vix unus Phlegyas, acerque Menestheus
(Hos etiam pudor, et magni tenuere parentes)
Promisere manum. Concessit cætera pubes
Sponte, et adorato rediit ingloria disco.
Qualis Bistoniis clypeus Mavortis in arvis
Luce mala Pangæa ferit, solemque refulgens
Territat, incussaque Dei grave mugit ab hasta.
Pisæus Phlegyas opus inchoat, et simul omnes
Abstulit in se oculos exhausto corpore virtus
Promissa: ac primum terra, discumque manumque
Asperat: excusso mox circum pulvere versat,
Quod latus in digitos, mediæ quod certius ulnæ
Conveniat; non artis egens: hic semper amori
Ludus erat, patriæ non tantum ubi laudis obiret
Sacra, sed alternis Alpheon utrimque solebat
Metiri ripis, et qua latissima distant,
Non unquam merso transmittere flumina disco.
Ergo operum fidens, non protinus horrida campi
Iugera, sed cœlo dextram metitur, humique
Pressus utroque genu, collecto sanguine discum
Ipse super sese rotat, atque in nubila condit.
Ille citus sublime petit, similisque cadenti
Crescit in adversum, tandemque exhaustus ab alto,
Tardior in terram redit, atque immergitur arvis.
Sic cadit, attonitis quoties avellitur astris,
Solis opaca soror: procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraque timent: at Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.
Collaudant Danai: sed non tibi molle tuenti
Hippomedon; maiorque manus speratur in æquo.
Atque illi extemplo, cui spes infringere dulce
Immodicas, Fortuna venit: quid numina contra
Tendere fas homini? spatium iam immane parabat,
Iam cervix conversa, et iam latus omne redibat:
Excidit ante pedes elapsum pondus, et ictus
Destituit, frustraque manum dimisit inanem.
Ingemuere omnes, rarisque ea visa voluptas.
Inde ad conatus timida subit arte Menestheus
Cautior, et multum te, Maia nate, rogato
Molis prægravidæ castigat pulvere lapsus.
Illa manu magna, et multum felicior exit,
Nec partem exiguam circi transvecta quievit.
Fit sonus, et fixa signatur terra sagitta.
Tertius Hippomedon valida ad certamina tardos
Molitur gressus: namque illum corde sub alto

Et casus Phlegyæ monet, et fortuna Menesthei.
Erigit assuetum dextræ gestamen, et alte
Sustentans, rigidumque latus fortesque lacertos
Consulit, ac vasto contorquet turbine, et ipse
Prosequitur: fugit horrendo per inania saltu,
Iamque procul meminit dextræ, servatque tenorem
Discus: nec dubia iunctave Menesthea victum
Transabiit meta: longe super æmula signa
Consedit, viridesque humeros et opaca theatri
Culmina ceu latæ tremefecit mole ruinæ.
Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Ætna
Lucis egente manu, tamen in vestigia puppis
Auditæ, iuxtaque inimicum exegit Ulyxen.
Sic et Aloidæ, cum iam celaret Olympum
Desuper Ossa rigens, ipsum glaciale ferebant
Pelion, et trepido sperabant iungere cœlo.
Tunc genitus Talao victori tigrin inanem
Ire iubet, fulva quæ circumfusa nitebat
Margine, et extremos auro mansueverat ungues:
Gnossiacos arcus habet, et vaga tela Menestheus.
At tibi, ait, Phlegya, casu frustrate sinistro,
Hunc quondam nostri decus auxiliumque Pelasgi,
Ferre damus, neque enim Hippomedon inviderit, ensem.
Nunc opus est animis infestos tollere cæstus
Comminus: hæc bellis et ferro proxima virtus.
Constitit, immanis cerni, immanisque teneri
Argolicus Capaneus: ac dum nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum, non mollior ipse, lacertis
Induitur, Date tot iuvenum de millibus unum
Huc, ait; atque utinam potius de stirpe veniret
Æmulus Aonia, quem fas demittere leto:
Nec mea crudelis civili sanguine virtus.
Obstupuere animi, fecitque silentia terror.
Tandem insperatus nuda de plebe Laconum
Prosilit Alcidamas: mirantur Dorica regum
Agmina: sed socii fœtum Polluce magistro
Norant, et sacras inter crevisse palæstras.
Ipse Deus posuitque manus, et brachia finxit
Materiam: (suadebat amor) tunc sæpe locavit
Comminus, et simili stantem miratus in ira
Sustulit exultans, nudumque ad pectora pressit.
Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem,
Ut miserans, poscitque alium: tandemque coactus
Restitit; et stimulis iam languida colla tumescunt.
Fulmineas alte suspensi corpora plantis,
Erexere manus: tuto procul ora recessu
Armorum in speculis, aditusque ad vulnera clausi.
Hic, quantus Stygiis Tityos consurgat ab arvis,
Si torvæ patiantur aves, tantis undique pandit
Membrorum spatia, et tantis ferus ossibus exstat.
Hic paulo ante puer, sed enim maturius ævo
Robur, et ingentes spondet tener impetus annos:
Quem vinci haud quisquam, sævo nec sanguine tingi
Malit, et erecto timeat spectacula voto.
Ut sese permensi oculis, et uterque priorem
Speravere locum, non protinus ira, nec ictus:
Alternus paulum timor, et permixta furori
Consilia: inclinant tantum contraria iactu
Brachia, et explorant cæstus, hebetantque terendo.
Doctior hic differt animum, metuensque futuri,
Cunctatus vires dispensat: at ille, nocendi
Prodigus, incautusque sui, ruit omnis, et ambas
Consumit sine lege manus, atque irrita frendit
Insurgens, seque ipse premit: sed providus astu,
Et patria vigil arte, Lacon hos reiicit ictus,
Hos cavet: interdum nutu, capitisque citati
Integer obsequio, manibus nunc obvia tela
Discutiens, instat gressu, vultuque recedit:
Sæpe etiam iniustis collatum viribus hostem
(Is vigor ingenio, tanta experientia dextræ est)
Ultro audax animis intratque et obumbrat, et alte
Assilit: ut præceps cumulo salit unda minantes
In scopulos, et fracta redit, sic ille furentem
Circuit expugnans: levat ecce, diuque minatur
In latus, inque oculos: illum rigida arma caventem
Avocat, et mediis necopinum interserit ictum
Callidus, ac mediam designat vulnere frontem.
Iam cruor, et tepido signantur tempora rivo.
Nescit adhuc Capaneus, subitumque per agmina murmur
Miratur: verum, ut fessam super ora reduxit
Forte manum, et summo maculas in vellere vidit,
Non leo, non iaculo tantum indignata recepto
Tigris, agit toto cedentem fervidus arvo
Præcipitatque retro iuvenem, atque in terga supinat,
Dentibus horrendum stridens, geminatque rotatas
Multiplicatque manus: rapiunt conamina venti,
Pars cadit in cæstus. Motu Spartanus acuto
Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes,
Auxilioque pedum: sed, non tamen immemor artis,
Adversus fugit, et fugiens tamen ictibus obstat.
Et iam utrumque labor suspiriaque ægra fatigant.
Tardius ille premit; nec iam hic absistere velox;
Defectique ambo gestibus, pariterque quierunt.
Sic ubi longa vagos lassarunt æquora nautas,
Et signo de puppe dato posuere parumper
Brachia; vix requies, iam vox ciet altera remos.
Ecce iterum immodice venientem eludit, et exit
Sponte ruens, mersusque humeris effunditur ille
In caput: assurgentem alio puer improbus ictu
Perculit, eventuque impalluit ipse secundo.
Clamorem Inachidæ, quantum non litora tollunt,
Non nemora: illum ab humo conantem ut vidit Adrastus,
Tollentemque manus, et non toleranda parantem,
Ite, oro, socii, furit, ite, opponite dextras;
Festinate, furit, palmamque, et præmia ferte:
Non prius effracto quam misceat ora cerebro,
Absistet; video moriturum auferte Laconem.
Nec mora, prorumpit Tydeus; nec iussa recusat
Hippomedon: tunc vix ambo conatibus ambas
Restringunt cohibentque manus, ac plurima suadent.
Vincis, abi: pulchrum est vitam donare minori.
Noster et hic, bellique comes. Nil frangitur heros,
Ramumque oblatumque manu thoraca repellit,
Vociferans: Liceat! non has ego pulvere crasso
Atque cruore genas, meruit quibus iste favorem,
Semivir infodiam? mittamque informe sepulcro
Corpus? et Œbalio donem lugere magistro?
Dixit: at hunc socii tumidum et vicisse negantem
Avertunt: contra laudant insignis alumnum
Taygeti, longeque minas risere Lacones.
Iamdudum variæ laudes et conscia virtus
Tydea magnanimum stimulis ingentibus angunt.
Ille quidem et disco bonus, et contendere cursu,
Nec cæstu bellare minor: sed corde labores
Ante alios, erat uncta pale: sic otia Martis
Degere, et armiferas laxare assueverat iras,
Ingentes contra ille viros, Acheloia circum
Litora, felicesque Deo monstrante palæstras.
Ergo, ubi luctandi iuvenes animosa citavit
Gloria, terrificos humeris Ætolus amictus
Exuitur, patriumque suem: levat ardua contra
Membra, Cleonææ stirpis iactator Agylleus,
Herculea nec mole minor: sic grandibus alte
Insurgens humeris, hominem super improbus exit.
Sed non ille rigor, patriumque in corpore robur.
Luxuriant artus, effusaque sanguine laxo
Membra natant: inde hæc audax fiducia tantum

Œnide superare parem: quanquam ipse videri
Exiguus, gravia ossa tamen, nodisque lacerti
Difficiles: nunquam hunc animum Natura minori
Corpore, nec tantas ausa est includere vires.
Postquam oleo gavisa cutis, petit æquor uterque
Procursu medium, atque hausta vestitur arena.
Tum madidos artus alterno pulvere siccant,
Collaque demersere humeris, et brachia late
Vara tenent. Iam tunc astu deducit in æquum
Callidus, et celsum procurvat Agyllea Tydeus
Summissus tergo, et genibus vicinus arenæ.
Ille autem, Alpini veluti regina cupressus
Verticis, urgentes cervicem inclinat in Austros,
Vix sese radice tenens, terræque propinquat,
Iamdudum ætherias eadem reditura sub auras;
Non secus ingentes artus præcelsus Agylleus (stem:
Sponte premit, parvumque gemens duplicatur in ho-
Et iam alterna manus, frontemq, humerosq, latusq,
Collaque, pectoraque, et vitantia crura lacessit.
Interdumque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc sævi digitorum vincula frangunt.
Non sic ductores gemini gregis horrida tauri
Bella movent: medio conjux stat candida prato
Victorem exspectans: rumpunt obnixa furentes
Pectora, subdit amor stimulos, et vulnera sanat.
Fulminei sic dente sues, sic hispida turpes
Prælia villosis ineunt complexibus ursi.
Vis eadem Œnidæ. Nec sole, aut pulvere fessa
Membra labant: riget arcta cutis, durisque laborum
Castigata toris. Contra non integer ille
Flatibus alternis, ægroque effetus hiatu,
Exuit ingestas fluvio sudoris arenas,
Ac furtim rapta sustentat pectora terra.
Instat agens Tydeus, fictumque in colla minatus,
Crura subit. Cœptis non evaluere potiri
Frustratæ brevitate manus: venit arduus ille
Desuper, oppressumque ingentis mole ruinæ
Condidit: haud aliter collis scrutator Iberi
Cum subiit, longeque diem, vitamque reliquit,
Si tremuit suspensus ager, subitumque fragorem
Rupta dedit tellus, latet intus monte soluto
Obrutus, ac penitus fractum obductumque cadaver
Indignantem animum propriis non reddidit astris.
Acrior hoc Tydeus, animisque et pectore supra est.
Nec mora, cum vinclis onerique elapsus iniquo
Circuit errantem, et tergo nec opinus inhæret:
Mox latus, et firmo celer implicat ilia nexu;
Poplitibus genua inde premens evadere nodos
Nequidquam, et lateri dextram insertare parantem
Improbus, horrendum visu ac mirabile pondus
Sustulit. Herculeis pressum sic fama lacertis
Terrigenam sudasse Libyn, cum fraude reperta,
Raptus in excelsum, nec iam spes ulla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta.
Fit sonus, et læti attollunt agmina plausus.
Tunc alte librans inopinum sponte remisit,
Obliquumque dedit, procumbentemque secutus
Colla simul dextra, pedibus simul inguina vinxit.
Deficit obsessus, soloque pudore repugnat.
Tandem pectus humi, pronumque extensus in alvum
Sternitur, ac longo mœstus post tempore surgit,
Turpia signata linquens vestigia terra.
Palmam autem dextra, lævaque nitenti in dono
Arma ferens Tydeus, Quid si non sanguinis huius
Partem haud exiguam (scitis) Dircæus haberet
Campus? ubi hæc nuper Thebarum fœdera plagæ?
Hæc simul ostentans, quæsitaque præmia laudum
Dat sociis; sequitur neglectus Agyllea thorax.
Sunt et, qui nudo subeant concurrere ferro.
Iamque aderant instructi armis Epidaurius Agreus,
Et nondum fatis Dircæus agentibus exul.
Dux vetat Iasides: Manet ingens copia leti,
O iuvenes: servate animos, avidumque furorem
Sanguinis adversi: tuque o, quem propter avita
Iugera, dilectas cui desolavimus urbes,
Ne, precor, ante aciem, ius tantum casibus esse,
Fraternisque sinas (abigant hoc numina!) votis.
Sic ait: atque ambos aurata casside ditat.
Tunc genero, ne laudis egens, iubet ardua necti
Tempora, Thebarumque ingenti voce citari
Victorem. Diræ retinebant omina Parcæ.
Ipsum etiam proprio certamina festa labore
Dignari, et tumulo supremum hunc addere honorem,
Hortantur proceres: ac ne victoria desit
Una ducum numero, fundat vel Lycia cornu
Tela rogant, tenui vel nubila transcat hasta.
Obsequitur gaudens, viridique ex aggere in æquum
Stipatus summis iuvenum, descendit: at illi
Pone leves portat pharetras et cornua iussus
Armiger. Ingentem iactu transmittere circum
Eminus, et dictæ dare vulnera destinat orno.
Quis fluere occultis rerum neget omina causis?
Fata patent homini: piget inservare, peritque
Venturi promissa fides: sic omina casum
Fecimus, et vires auxit Fortuna nocendi.
Campum emensa brevi fatalis ab arbore tacta,
Horrendum visu, per quas modo fugerat auras,
Venit arundo retro, versumque a fine tenorem
Pertulit, et notæ iuxta ruit ora pharetræ.
Multa duces errore serunt: hi nubila, et altos
Occurrisse Notos: adverso roboris ictu
Tela repulsa alii. Penitus latet exitus ingens,
Monstratumque nefas: uni remeabile bellum,
Et tristes domino spondebat arundo recursus.

Liber septimus

Atque ea cunctantes Tyrii primordia belli
Iupiter haud æquo respexit corde Pelasgos,
Concussitque caput, motu quo celsa laborant
Sidera, proclamatque adici cervicibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum:
I, medium rapido Boream illabere saltu
Bistonias super usque domus, axemque nivosi
Sideris; Oceano vetitum qua Parrhasis ignem
Nubibus hibernis et nostro pascitur imbri.
Atque ibi, seu posita respirat cuspide Mavors,
(Quanquam invisa quies) seu, quod reor, arma tu-
Insatiatus habet, caræque in sanguine gentis (basq,
Luxuriat: propere mandatus iramque parentis
Ede, nihil parcens. Nempe olim accendere iussus
Inachias acies, atque omne quod Isthmius umbo
Distinet, et raucæ circumtonat ira Maleæ.
Illi, vix muros limenque egressa iuventus,
Sacra colunt: credas bello rediisse, tot instant
Plausibus, offensique sedent ad iusta sepulcri.
Hicne tuus, Gradive, furor? sonat orbe recusso
Discus, et Œbalii coeunt in prœlia cæstus.
At si ipsi rabies, ferrique insana voluptas
Qua tumet: immeritas cineri dabit impius urbes,
Ferrum ignemque ferens, implorantesque Tonantem
Sternet humi populos, miserumq, exhauriet orbem.
Nunc lenis belli, nostraque remittitur ira.
Quod nisi præcipitat pugnas, dictoque iubentis
Ocyus impingit Tyriis Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor) sit mite bonumque
Numen, et effreni laxentur in otia mores.
Reddat equos, ensemque mihi, nec sanguinis ultra
Ius erit: aspiciam terras, pacemque iubebo

Omnibus, Ogygiis sat erit Tritonia bello.
Dixerat, et Thracum Cyllenius arva subibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempestas æternæ plagæ, prætentaque cœlo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus
In diversa ferunt: crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.
Hic steriles delubra notat Mavortia sylvas,
Horrescitque tuens: ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hæmo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur adversum Phœbi iubar; ipsaque sedem
Lux timet, et dirus contristat sidera fulgor.
Digna loco statio: primis salit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exsanguesque Metus; occultisque ensibus adstant
Insidiæ, geminumque tenens Discordia ferrum.
Innumeris strepit aula minis: tristissima Virtus
Stat medio; lætusque Furor, vultuque cruento
Mors armata sedet: bellorum solus in aris
Sanguis, et incensis qui raptus ab urbibus ignis.
Terrarum exuviæ circum, et fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora:
Pæne etiam gemitus: adeo vis omnis, et omne
Vulnus: ubique ipsum, sed non usquam ore remisso,
Cernere erat: talem divina Mulciber arte
Ediderat: nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius; tremit ecce solum, et mugire refractis
Corniger Hebrus aquis: tunc, quod pecus utile bellis
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis; clausæque adamante perenni
Dissiluere fores. Hyrcano in sanguine pulcher
Ipse subit curru, diraque aspergine latos
Mutat agros, spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant sylvæ, nixque alta locum: regit atra iugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide: diriguit visu Cyllenia proles,
Summisitque genas: ipsi reverentia patri,
Si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.
Quod Iovis imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armipotens: neq; enim hunc, germane, sub (axem
Sponte venis, hiemesq; meas, cui roscida iuxta
Mænala, et æstivi clementior aura Lycæi.
Ille refert consulta patris: nec longa moratus,
Sicut anhelabant, iuncto sudore volantes
Mars impellit equos, residesque in prælia Graios
Ipse etiam indignans; vidit Pater altus, et ira
Iam levior, tardo flectebat pondere vultum.
Ut si quando ruit, debellatasque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque iacentem
Exanimis iam volvit hiems: nondum arma carinis
Omnia, nec toto respirant pectore nautæ.
Finierat pugnas honor exequialis inermes,
Necdum aberant cœtus, cunctisque silentibus heros
Vina solo fundens, cinerem placabat Adrastus
Archemori: Da, parve, tuum trieteride multa
Instaurare diem; nec saucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Eleaque pulset eburna
Templa manu, nec Castaliis altaribus anguis,
Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo.
Nos te lugenti, puer, infitiamur Averno,
Mœstaque perpetuis sollemnia iungimus astris,
Nunc festina cohors: at, si Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc Deus; Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam iurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis: eadem sibi quisque vovebat.
Iam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat
Litora, qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.
Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire iubet: non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veris
Aptior: innumeræ monstro vocesque manusque,
Et facies quæcumque libet: bonus omnia credi
Auctor, et horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruituraque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere sylvas,
Ah miseri vidisse putant: tunc acre novabat
Ingenium: falso Nemeæum pulvere campum
Erigit: attoniti tenebrosam a vertice nubem
Respexere duces: falso clamore tumultum
Auget, et arma virum pulsusque imitatur equorum,
Terribilemque vagas ululatum spargit in auras.
Exsiluere animi, dubiumque in murmure vulgus
Pendet: ubi iste fragor? ni fallimur aure: sed unde
Pulvereo stant astra globo? num Ismenius ultro
Miles? Ita est: veniunt: tanta autem audacia Thebis?
An dubitent? agedum inferias et busta colamus.
Hæc Pavor attonitis: variosque per agmina vultus
Induitur, nunc Pisæis e millibus unus,
Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hostesque propinquos
Adiurat, turmasque metu consternat inani.
Nil falsum trepidis: ut vero amentibus ipse
Incidit, et sacræ circum fastigia vallis
Turbine prævectus rapido, ter sustulit hastam,
Ter concussit equos, clypeum ter pectore plausit,
Arma, arma insani, sua quisque, ignotaque nullo
More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt
Ad iuga cornipedes: ferus omni in pectore sævit
Mortis amor, cædisque: nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant, redimuntque moras: sic litora, vento
Incipiente, fremunt, fugitur cum portus ubique,
Vela fluunt, laxi iactantur ubique rudentes.
Iamque natant remi; natat omnis in æquore summo
Ancora; iam dulcis medii de gurgite ponti
Respicitur tellus, comitesque a puppe relicti.
Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter; gemuit Tyriam conversus ad urbem,
Altricemque domum, et patrios reminiscitur ignes,
Purpureum tristi turbatus pectora vultum:
Non crines, non serta loco; dextramque reliquit
Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ.
Ergo ut erat lacrymis, lapsoque inhonorus amictu
Ante Iovem (et tunc forte polum secretus habebat)
Constitit, haud unquam facie conspectus in illa,
(Nec causæ latuere patrem) supplexque profatur:
Exscindisne tuas, Divum sator optime, Thebas?
Sæva adeo coniux? nec te telluris amatæ,
Deceptique laris miseret, cinerumque meorum?
Esto olim invitum iaculatus nubibus ignem:
Credimus; en iterum atra refers incendia terris,
Nec Styge iurata, nec pellicis arte rogatus.
Quis modus? an nobis Pater iratusque bonusque
Fulmen habes? sed non Danaeia limina talis,
Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.
Scilicet e cunctis ego neglectissima natis
Progenies? ego nempe, tamen qui dulce ferenti
Pondus eram: cui tu dignatus limina vitæ,
Præreptumque iter, et maternos reddere menses.
Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris
Turba meas acies, mea tantum prælia norunt,
Nectere fronde comas, et ad inspirata rotari

Buxa, timent thyrsos nuptarum, et prælia matrum.
Unde tubas Martemque pati? quin fervidus ecce
Quanta parat? Quid si ille tuos Curetas in arma
Ducat? et innocuis iubeat decernere peltis?
Quin etiam invisos (sic hostis defuit?) Argos
Elicis: o ipsis, genitor, graviora periclis
Iussa, novercales ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem. Quo sacra tamen, ritusque peremtæ
Gentis? et in tumulos, si quid male fœta reliquit
Mater, abire iubes? Thracen, sylvasque Lycurgi?
Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
Da sedem profugo: potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, et imis
Commendare fretis: cara submovit ab arce
Hostiles Tritonis aquas: vidi ipse potentem
Gentibus Eois Epaphum dare iura, nec ullas
Cyllene secreta tubas, Minoave curat
Ida. Quid heu tantum nostris offenderis aris?
Hic tibi (quando minor iam nostra potentia) noctes
Herculeæ, placitusque vagæ Nycteidos ardor,
Hic Tyrium genus, et nostro felicior igne
Taurus: Agenoreos saltem tutare nepotes.
Invidiam risit pater, et iam poplite flexum,
Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit,
Inque vicem placida orsa refert: non coniugis ista
Consiliis (ut rere) puer, nec sæva roganti
Sic expostus ego. Immoto deducimur orbe
Fatorum: veteres, seræque in prælia causæ.
Nam cui tanta quies irarum? aut sanguinis usus
Parcior humani? videt axis, et ista per ævum
Mecum æterna domus, quoties iam torta reponam
Fulmina, quam rarus terris hic imperet ignis.
Quin etiam invitus magna ulciscendaque passis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi: meaque est iactura, pigetque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdacios vero, Pelopisque a stirpe nepotes
Tardum abolere mihi. Scis ipse, ut crimina mittam
Dorica, quam promtæ Superos incessere Thebæ.
Te quoque: sed, quoniam vetus excidit ira, silebo.
Non tamen aut patrio respersus sanguine Pentheus,
Aut matrem scelerasse toris, aut crimine fratres
Progenuisse reus, lacero tua lustra replevit
Funere. Ubi fletus? ubi tunc ara tanta precandi?
Ast ego non proprio diros impendo dolori
Œdipodionidas: rogat hoc tellusque, polusque,
Et pietas, et læsa fides, naturaque, et ipsi
Eumenidum mores: sed tu super urbe moveri
Parce tua: non hoc statui sub tempore rebus
Occasum Aoniis: veniet suspectior ætas,
Ultoresque alii: nunc regia Iuno queretur.
His ille auditis, mentemque habitumque recepit.
Ut cum sole malo, tristique rosaria pallent
Usta Noto, si clara dies, Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, et informes ornat sua gloria virgas.
Nuntius attonitas iamdudum Eteoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces; nec iam Aoniis procul abfore campis:
Quacunque ingressi tremere, ac miserescere cunctos
Thebarum, qui stirpe refert, qui nomine, et armis.
Ille, metum condens, audire exposcit, et odit
Narrantem: hinc dictis socios stimulare, suasque
Metiri decernit opes. Exciverat omnem
Aoniam, Eubœamque, et Phocidos arva propinquæ
Mars: Ita dulce Iovi: longo fugit ordine velox
Tessera: propellunt acies, seseque sub armis
Ostentant, subeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet, expectatque furores.
Nondum hostis circa, trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros, inde arma nitentia natis
Et formidandos monstrant sub casside patres.
Turre procul sola nondum concessa videri
Antigone populi, teneras defenditur atra
Veste genas, iuxtaque comes, quo Laius ibat
Armigero, tunc virgo senem regina veretur.
Quæ sic orsa prior: Spesne obstatura Pelasgis
Hæc vexilla, pater? Pelopis descendere totas
Audimus gentes: dic, o precor, extera regum
Agmina: nam video, quæ noster signa Menœceus,
Quæ noster gerat arma Creon, quam celsus ahena
Sphynge per ingentes Homoloidas exeat Hæmon.
Sic rudis Antigone: senior cui talia Phorbas:
Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
Promovet ecce Dryas: hic, cui nivea arma tridentem,
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti,
Non falsus virtute nepos: procul, oro, paternum
Omen, et innuptæ vetus excidat ira Dianæ.
Iunguut se castris, regisque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeonque, et confertissima lucis
Nysa, Dionæisque avibus circumsona Thisbe.
Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, pinusque iubas imitatur equinas
Terribilis sylvis: reor at Mavorte cruento
Talis erit: dites pecorum comitantur Erythræ,
Qui Scolon, densamque iugis Eteonon iniquis,
Qui breve litus Hyles, Atalantæumque superbi
Schœnon habent, notique colunt vestigia campi.
Fraxineas vibrant Macetum de more sarissas:
Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.
Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycalessos in agris,
Palladiusque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphye: quorumque novis Haliartos aristis
Invidet, et nimia sata læta supervenit herba.
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant scuta sinus: hos regis egenos
Amphion en noster agit, (cognoscere pronum,
Virgo) lyra galeam tauroque insignis avito.
Macte animo iuvenis, medios parat ire per enses,
Nudaque pro caris opponere pectora muris.
Vos etiam nostris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem: tuque, o Permessa, canoris
Et, felix Olmie, vadis, armatis alumnos
Bellorum resides. Patriis concentibus audis
Exultare gregem: quales, cum pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt Strymona cygni.
Ite alacres, nunquam vestri morientur honores,
Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ.
Dixerat, et paulum virgo interfata docenti:
Illi autem, quanam iunguntur origine fratres?
Sic certe paria arma viris, sic exit in auras
Cassidis æquus apex: utinam hæc concordia nostris!
Cui senior ridens: Non prima errore videndi
Falleris, Antigone: multi hos (nam decipit ætas)
Dixerunt fratres: pater est, natusque; sed ævi
Confudere modos; puerum Lapithonia nympha
Dircetis, expertem thalami, crudumque maritis
Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
Improba connubii: nec longum, et pulcher Alathreus
Editus, ac primæ genitorem in flore iuventæ
Consequitur, traxitque notas, et miscuit annos.
Et nunc sic fratres mentito nomine gaudent:
Plus pater, hunc olim iuvat et ventura senectus.
Tercentum genitor, totidemque in prælia natus
Exercent equites: hi deseruisse feruntur
Exilem Glisanta, Coroniamque, feracem
Messe Coroniam, Baccho Glisanta colentes.

Sed potius celsos umbrantem hunc adspice late
Hypsea quadriiugos, clypei septemplice tauro
Læva, ter insuto servantem ingentia ferro
Pectora: nam tergo nunquam metus: hasta vetustum
Sylvarum decus, emissæ cui pervia semper
Armaque, pectoraque, et nunquam manus irrita voti.
Asopos genuisse datur, dignusque videri
Tunc pater, abruptis cum torrentissimus exit
Pontibus, aut natæ tumidus cum virginis ultor
Flumina concussit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Æginam ab undis
Amplexu latuisse Iovis. Furit amnis, et astris
Infensus bellare parat (nondum ista licebant
Nec Superis) stetit audaces effusus in iras,
Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat,
Donec, vi tonitrus summotus et igne trisulco,
Cessit: adhuc ripis animosus gurges anhelis
Fulmineum cinerem, magnæque insignia pœnæ
Gaudet, et Ætnæos in cœlum efflare vapores.
Tamen Cadmeo mirabimur Hypsea campo,
Si modo placavit felix Ægina Tonantem.
Ducit Ithonæos et Alalcomenæa Minervæ
Agmina, quos Mide, quos humida suggerit Arne,
Aulida qui Græamque serunt, viridesque Plateas,
Et sulco Peteona domant, refluumque meatu
Euripum, qua noster abit, teque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de litore Glaucus
Poscentes irrupit aquas, iam crine genisque
Cœrulus, et mixtos expavit ab inguine pisces.
Glandibus et torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt gesa sagittas.
Tu quoque præclarum forma, Cephisse, dedisses
Narcissum, sed Thespiacis iam pallet in agris
Trux puer: orbata florem pater alluit unda.
Quis tibi Phœbeas acies veteremque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson,
Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri
Subnixam scopulo, vel qui Parnasson utrumque
Aut Cirrham tauris, Anemoriamque supinant
Corycinmque nemus? propellentemque Lilæam
Cephissi glaciale caput, quo suetus anhelam
Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto.
Omnibus immixtas cono super aspice lauros,
Armaque, vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic Deus innumera laxavit cæde pharetras.
Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademtus,
Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai,
Hospes, adhuc currus, securaque lora tenebat,
Cum tua subter equos iacuit, convulsa cruentis
Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix!
Dicentis maduere genæ, vultumque per omnem
Pallor iit, vocisque repens singultus apertum
Intercepit iter: refovet fringentis amicum
Pectus alumna senis: redit, atque exile profatur:
O mihi sollicitum decus ac suprema voluptas,
Antigone! seras tibi demoror improbus umbras,
Fors eadem scelera et cædes visurus avitas.
Donec te thalamis habilem, integramque resignem,
Hoc satis, et fessum vita dimittite, Parcæ.
Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reviso
Transabiere duces. Clonium, atq; in terga comantes
Non ego Abantiadas, non te, saxosa Caryste,
Non humiles Ægas, altumque Capharea dixi.
Et iam acies obtusa negat, cunctique resistunt:
Et tuus armatis iubet ecce silentia frater.
Vix ea turre senex, cum ductor ab aggere cœpit:
Magnanimi reges, quibus haud parere recusem
Ductor, et ipse meas miles defendere Thebas,
Non ego vos stimulare parem (nam liber in arma
Impetus, et meritas ultro iurastis in iras)
Nec laudare satis, dignasque rependere grates
Sufficiam: referent Superi, vestræque subacto
Hoste manus: urbem socia de gente subistis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externave satus tellure, sed hostis
Indigena assultat, cui castra adversa regenti
Hic pater, hic genitrix, hic iunctæ stirpe sorores,
Hic erat et frater: cerne en ubicumque nefandus
Excidium moliris avis: venere volentes
Aoniæ populi, nec sum tibi, sæve, relictus.
Quid velit ista cohors, et te sentire decebat.
Reddere regna vetant. Sic fatus, et omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui mœnia servent,
Quas in fronte manus, medio quas robore sistat.
Perspicuas sic luce fores, et virgea pastor
Claustra levat, dum terra recens: iubet ordine pri-mos
Ire duces, media stipantur plebe maritæ:
Ipse levat gravidas, et humum tactura parentum
Ubera, succiduasque apportat matribus agnos.
Interea Danai noctemque diemque sub armis,
Noctem iterum rursusque diem (sic ira ferebat)
Ingeminant. Contemta quies, vix aut sopor illis,
Aut epulæ fecere moram: properatur in hostem
More fugæ: nec monstra tenent, quæ plurima nectit
Prodigiale canens, certi fors prævia fati.
Quippe ferunt diros monitus, volucresque, feræque,
Sideraque, aversique suis decursibus amnes:
Infestumque tonat Pater, et mala fulgura lucent:
Terrificæque adytis voces, clausæque Deorum
Sponte fores: nunc sanguineus, nunc saxeus imber,
Et subiti Manes, flentumque occursus avorum.
Tunc et Apollineæ tacuere oracula Cirrhæ,
Et non assuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus, et templis Sparte præsaga reclusis,
Vidit Amyclæos (facinus!) concurrere fratres.
Arcades insanas latrare Licaonis umbras
Nocte ferunt tacita: sævo decurrere campo
Œnomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.
Perseos effigiem mœstam, exorantque Mycenæ
Confusum Iunonis ebur: mugire potentem
Inachon agricolæ, gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.
Hæc audit Pelopea phalanx: sed bellicus ardor
Consilia obstat Divum, prohibetque timeri.
Iam ripas, Asope, tuas, Bœotaque ventum
Flumina: non ausæ transmittere protinus alæ
Hostilem fluvium: forte et trepidantibus ingens
Descendebat agris, animos sive imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, obiectusque vado pater arma vetabat.
Tunc ferus Hippomedon, magno cum fragmine ripæ,
Cunctantem deiecit equum; ducibusque relictis,
Gurgite de medio frenis suspensus, et armis,
Ite viri, clamat: sic vos in mœnia primus
Ducere, sic clausas voveo perfringere Thebas.
Præcipitant cuncti fluvio, puduitque secutos.
Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ.
Haud procul inde iugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre
Sidonias. Placuit sedes, fidique receptus,
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto
Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant
Despectus. Nec longa labor munimina durus

Addidit: ipsa loco mirum Natura favebat.
In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua, et fortuito ductæ quater aggere pinnæ:
Cætera dant ipsi, donec sol montibus omnis
Erepsit, rebusque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?
Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diemque minatur.
Discurrunt muris: nil septum, horrore sub illo,
Nil lidum satis, invalidæque Amphionis arces.
Rumor ubique altus, pluresque annuntiat hostes,
Maioresque timor: spectant tentoria contra
Inachia, externosque suis in montibus ignes.
Hi precibus questuque Deos: hi Martia tela
Belligerosque hortantur equos: hi pectora fletu
Cara premunt, miserique rogos et crastina mandant
Funera: si tenuis demisit lumina somnus,
Bella gerunt: modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucemque timent, lucemque precantur.
It geminum excutiens anguem, et bacchatur utrisque
Tisiphone castris: fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut utrique patrem. Procul ille penatibus imis,
Excitus implorat Furias, oculosque reposcit.
Iam gelidam Phœben et caligantia primus
Hauserat astra dies, cum iam tumet igne futuro
Oceanus, lateque novo Titane reclusum
Æquor anhelantum radiis subsidit equorum.
Ecce truces oculos sordentibus obsita canis
Exsanguesque Iocasta genas, et brachia planctu
Nigra terens, ramumque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquissima, portis
Egreditur, magna cum maiestate malorum.
Hinc atque hinc natæ melior, iam sexus aniles
Præcipitantem artus, et plusquam posset euntem,
Sustentant: venit ante hostes, et pectore nudo
Claustra adversa ferit, tremulisque ululatibus orat
Admitti: reserare viam rogat impia belli
Mater: in his aliquod ius execrabile castris
Huic utero est: trepidi visam expavere manipli,
Auditamque magis: remeat iam missus Adrasto
Nuntius: excipiunt iussi: mediosque per enses
Dant iter: illa duces ut primum adspexit Achivos,
Clamorem horrendum luctu furiata resolvit:
Argolici proceres, hei quis monstraverit hostem,
Quem peperi? quanam, inveniam, mihi dicite, natum
Sub galea? venit attonitæ Cadmeius heros
Obvius, et raptam lacrymis gaudentibus implet.
Solaturque tenens, atque inter singula matrem,
Matrem iterat, nunc ipsam urgens, nunc cara sororum
Pectora, cum mixta fletus anus asperat ira:
Quid molles lacrymas, venerandaque nomina fingis,
Rex Argive, mihi? quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem?
Tune ille exilio vagus? et miserabilis hospes
Quem non permoveas? Longe tua iussa cohortes
Expectant, multoque latus præfulgurat ense.
Ah miseræ matres! hunc te, noctesque, diesque,
Deflebam: si verba tamen monitusque tuorum
Dignaris, dum castra silent suspensaque bellum
Horrescit pietas, genitrix iubeoque, rogoque,
I mecum, patriosque Deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremq; (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere, et regnum iam me sub iudice posce.
Aut dabit, aut ferrum causa meliore resumes.
Anne times, ne forte doli, et te conscia mater
Decipiam? Non sic miseros fas omne penates
Effugiet: vix Œdipode ducente timeres
Nupsi equidem, peperique nefas: sed diligo tales,
Ah dolor, et vestros etiamnum excuso furores.
Quod si adeo perstas, ultro tibi, sæve, triumphum
Detulimus: religa captas in terga sorores,
Iniice vincla mihi: gravis huc utcumque feretur
Et pater: ad vestrum gemitus nunc verto pudorem,
Inachidæ: liquistis enim parvosque senesque,
Et lacrymas has quisque domi: sua credite matri
Viscera: si vobis hic parvo in tempore carus,
(Sitque precor) quid me, oro, decet? quidve ista, Pela-
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysisque tulissem (sgi,
Regibus, et siqui nostros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa superstite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes,
Nutantesque virum galeas et sparsa videres
Fletibus arma piis; quales, ubi tela virosque
Pectoris impulsu rapidi stravere leones:
Protinus ira minor, gaudentque in corpore capto
Securam differre famem: sic flexa Pelasgum
Corda labant, ferrique avidus mansueverat ardor.
Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula versus,
Nunc rudis Ismenes, nunc flebiliora precantis
Antigones; variaque animum turbante procella,
Exciderat regnum: cupit ire, et mitis Adrastus
Non vetat: hic instæ Tydeus memor occupat iræ:
Me potius socii, qui fidum Eteoclea nuper
Expertus, (nec frater eram) me opponite regi,
Cuius adhuc pacem egregiam, et bona fœdera gesto
Pectore in hoc: ubi tunc fidei pacisque sequestra
Mater eras, pulchris cum me nox vestra morata est
Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguia
Spirat adhuc, pinguisque meo: tu porro sequeris?
Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum!
Scilicet, infestæ cum te circum undique dextræ
Nudabunt enses, hæc flebit, et arma quiescent?
Tene ille heu demens, semel intra mœnia clausum,
Possessumque odiis argiva in castra remittet?
Ante hæc excusso frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro, nosterque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, et sævis pax quæritur armis,
Hæc quoque castra patent: necdum meruere timeri:
An suspectus ego? abscedo, et mea vulnera dono.
Intret, et hic genitrix eadem, mediæque sorores.
Finge autem pactis evictum excedere regnis,
Nempe iterum reddes? Rursus mutata trahuntur
Agmina consiliis; subito ceu turbine cœli
Obvius adversum Boreæ Notus abstulit æquor.
Arma iterum furiæq; placent: fera tempus Erinnys
Arripit, et primæ molitur semina pugnæ.
Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite iugum, belli quondam vastator Eoi
Currus, Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber in Aonios meritas dimiserat agros.
Illas turba Dei, seniorque ex more sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo variisque ornare corymbis
Curat, et alterno maculas interligat ostro.
Iamque ipsi colles, ipsa has (quis credat?) amabant
Armenta, atque ausæ circum mugire iuvencæ.
Quippe nihil grassata fames; manus obvia pascit,
Expectantque cibos, fusoque horrenda supinant
Ora mero; vaga rure quies: si quando benigno
Urbem iniere gradu, domus omnis et omnia sacris
Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias animumque redire priorem
Impulit, erumpunt, non agnoscentibus Argis.
Ceu duo diverso pariter si fulmina cœlo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.
Non aliter cursu rapidæ atque immane frementes,

Transiliunt campos, aurigamque impete vasto,
Amphiarae, tuum (nec defuit omen, heriles
Forte is primus equos stagna ad vicina trahebat)
Corripiunt: mox Tænarium qui proximus Idam
Ætolumq; Acamanta premunt: fuga torva per agros
Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus
Strage virum, cui saeta feras prosternere virtus,
(Arcas erat) densis iam fida ad mœnia versas
Insequitur telis, multumque hastile resumens
Ter, quater, adducto per terga, per ilia telo
Transigit. Illæ autem longo cum limite fusi
Sanguinis, ad portas utrimque extantia ducunt
Spicula semianimes, gemituque imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.
Templa putes, urbemque rapi, facibusque nefandis
Sidonios ardere lares: sic clamor apertis
Exoritur muris. Mallent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruis-
Harmoniæ. Cultor Bacchæus Acontea Phegeus (se
Iam vacuum telis, geminoque in sanguine ovantem,
Cominus ense petit: subeunt Tegeæa iuventus
Auxilio tardi: iam supra sacra ferarum
Corpora, mœrenti iuvenis iacet ultio Baccho.
Rumpitur et Graium subito per castra tumultu
Consilium: fugit externos Iocasta per hostes
Iam non ausa preces: natas, ipsamque repellunt,
Qui modo tam mites, et præceps tempore Tydeus
Utitur. Ite age, nunc pacem sperate, fidemque
Nunc saltem differre nefas? potuitne morari,
Dum genitrix dimissa redit? Sic fatus, aperto
Ense, vocat socios. Sævus iam clamor, et iræ
Hinc atque inde calent: nullo venit ordine bellum:
Confusique duces vulgo, et neglecta regentum
Imperia: una equites mixti, peditumque catervæ,
Et rapidi currus: premit indigesta ruentes
Copia, nec sese vacat ostentare, nec hostem
Noscere: sic subitis Thebana, Argivaque pubes
Conflixere globis: retro vexilla, tubæque
Post tergum, et litui bellum invenere secuti.
Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors.
Ventus uti primas struit inter nubila vires
Lenis adhuc, frondesque, et aperta cacumina gestat:
Mox rapuit nemus, et montes patefecit opacos.
Nunc age, Pieriæ (non vos longinqua sorores
Consulimus) vestras acies, vestramque referte
Aoniam (vidistis enim) dum Marte propinquo
Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan sonipes maledidus in armis,
Rumpentem frenos, diversa per agmina raptat
Iam liber; sic fessa manus: venit hasta per armos
Tydeos, et lævum iuvenis transverberat inguen,
Labentemque alligit equo: fugit ille peremto
Consertus domino: nec iam arma aut frena tenentem
Portat adhuc: ceu, nondum anima defectus utraque,
Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.
Certat opus ferri: sternunt que alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,
Parthonopæus Ityn: Sybaris iacet ense cruento,
Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.
Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon
Colla rapit: cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput. Arma iacen-
Iam rapiebat Abas; cornu deprensus Achiva (tis
Dimisit moriens clypeum hostilemque, suumque.
Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus?
Quis lucos? vetitus quibus emansisse sacerdos,
Suasit, et assuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysæaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo:
Crine latent humeri: crescunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio subtemine thorax:
Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro
Tænariam fulva mordebat iaspide pallam;
Quam super a tergo velox corytus, et arcus
Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.
It lymphante Deo media inter millia longum
Vociferans: Prohibete manus, hæc omine dextro
Mœnia Cirrhæa monstravit Apollo iuvenca.
Parcite; in hæc ultro scopuli venere volentes.
Gens sacrata sumus: gener huic est Iupiter urbi,
Gradivusque socer: Bacchum haud mentimur alum-
Et magnum Alciden. Iactanti talia frustra (num,
Turbidus aeria Capaneus occurrit in hasta.
Qualis, ubi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem, et sævo speculatur ab antro
An cervam, aut nondum bellantem fronte iuvencum;
It fremitu gaudens, licet arma, gregesque lacessant
Venantum: prædam videt, et sua vulnera nescit.
Sic tunc congressu Capaneus gavisus iniquo,
Librabat magna venturam mole cupressum.
Ante tamen, Quid femineis ululatibus, inquit,
Terrificas, moriture, viros? Utinam ipse veniret,
Cui furis! hæc Tyriis cane matribus; et simul hastam
Expulit: illa volans, ceu vis non ulla moretur
Obvia, vix sonuit clypeo, et iam terga reliquit.
Arma fluunt, longisque crepat singultibus aurum,
Eruptusque sinus vicit cruor: occidis audax,
Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis,
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseaque Naxos,
Et Thebana metu iuratus in orgia Ganges.
Nec segnem Argolicæ sensere Eteoclea turmæ,
Parcior ad cives Polinicis inhorruit ensis.
Eminet ante alios iam formidantibus arva
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit
Campum indignantem. Famulo decus addit inane
Mœstus, et extremos obitus illustrat Apollo.
Ille etiam clypeum, galeamque incendit honoro
Sidere: nec tarde fratri, Gradive, dedisti,
Ne qua manus vatem, nequid mortalia bello
Lædere tela queant: sanctum, et venerabile Diti
Funus eat. Talis medios infertur in hostes,
Certus et ipse necis: vires fiducia leti
Suggerit: inde viro maioraque membra, diesque
Lætior, et nunquam tanta experientia cœli,
Si vacet: avertit morti contermina Virtus.
Ardet inexpleto sævi Mavortis amore,
Et fruitur dextra, atque anima flagrante superbit.
Hic hominum casus lenire, et demere fatis
Iura frequens, quantum subito diversus ab illo,
Qui tripodas laurusque sequi, qui doctus in omni
Nube, salutato volucrem cognoscere Phœbo.
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus,
Aut iubar adversi grave sideris, immolat umbris
Ipse suis: iaculo Phlegyam, iaculoque superbum
Phylea, falcato Chromin et Cremetaona curru,
Cominus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum,
Cuspide demissa Chromin, Iphinoumq;, Sagenque,
Intonsumque Gyan, sacrumque Lycorea Phœbo
Invitus: iam fraxineum dimiserat hastæ
Robur, et excussis apparuit infula cristis:
Alchathoum saxo, cui circum stagna Carysti
Et domus et conIux, et amantes litora nati.
Vixerat ille diu pauper scrutator aquarum:
Decepit tellus: moriens hiemesque Notosque
Laudat, et experti meliora pericula ponti.

Aspicit has longe iamdudum Asopius Hypseus
Palantum strages, ardetque avertere pugnam:
Quanquam haud ipse minus curru Tirynthis fundit
Robora, sed viso præsens minor augure sanguis.
Illum armis animisque cupit: prohibebat iniquo
Agmine consertum cunei latus: inde superbus
Exeruit patriis electum missile ripis.
Ac prius, Aonidum dives largitor aquarum,
Clare Giganteis etiamnum, Asope, favillis,
Da numen dextræ: rogat hoc natusque, tuique
Quercus alumna vadi: fas et me spernere Phœbum,
Si tibi collatus Divum sator: omnia mergam
Fontibus arma tuis, tristesque sine augure vittas.
Audierat genitor: vetat indulgere volentem
Phœbus, et aurigam iaculum detorquet in Hersen.
Ille ruit. Deus ipse vagis succedit habenis,
Lernæum falso simulans Haliagmona vultu.
Tunc vero ardenti non ulla obsistere tentant
Signa, ruunt solo terrore, et vulnera citra
Mors trepidis ignava venit: dubiumque tuenti
Presserit infestos onus, impulerit ue iugales.
Sic ubi nubiferum montis latus, aut nova ventis
Solvit hiems, aut victa situ non pertulit ætas;
Desilit horrendus campo timor, arma, virosque,
Limite non uno, longævaque robora secum
Præcipitans, tandemque exhaustus turbine fesso,
Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
Non secus ingentique viro magnoque gravatus
Temo Deo, nunc hoc, nunc illo in sanguine fervet.
Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis
Delius: ipse docet ictus, adversaque flectit
Spicula, fortunamque hastis venientibus aufert.
Sternuntur terræ Mænales pedes, Antiphus alto
Nil defensus equo, genitosque Heliconide Nympha
Æthion, cæsoque infamis fratre Polites,
Conatusque toro vittata mattingare Manto
Lampus: in hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas.
Et iam cornipedes trepida ac moribunda reflantes
Corpora, rimantur terras; omnisque per artus
Sulcus, et incisis altum rubet orbita membris.
Hos iam ignorantes terit impius axis, at illi
Vulnere semineces (nec devitare facultas)
Venturum super ora vident. Iam lubrica tabo
Frena, nec insisti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, et tardior ungula fossis
Visceribus. Tunc ipse furens in morte relicta
Spicula, et e mediis extantes ossibus hastas
Avellit: strident animæ, currumque sequuntur.
Tandem se famulo summum confessus Apollo,
Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me iunctum mors irrevocata veratur.
Vincimur: immites scis nulla revolvere Parcas
Stamina: vade diu populis promissa voluptas
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia, aut vetito nudus iaciture sepulcro.
Ille refert contra, et paulum respirat ab armis:
Olim te, Cirrhæe pater, periture sedentem
Ad iuga (quis tantus miseris honor?) axe trementi
Sensimus: instantes quonam usque morabere Manes?
Audio iam rapidæ cursum Stygis, atraque Ditis
Flumina, tergeminosque mali custodis hiatus.
Accipe commissum capiti decus, accipe laurus,
Quas Erebo deferre nefas. Nunc, voce suprema,
Si qua recessuro debetur gratia vati,
Deceptum tibi, Phœbe, larem, pœnasque nefandæ
Coniugis, et pulchrum nati commendo furorem.
Desiluit mœrens, lacrymasque avertit, Apollo.
Tunc vero ingemuit currusque, orbique iugales.
Non aliter cæco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, cum iam damnata sororis
Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres.
Iamque recessuræ paulatim horrescere terræ,
Summaque terga quati; graviorque effervere pulvis
Cœperat. Inferno mugit iam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellique hunc esse fragorem,
Hortanturque gradus: alius tremor arma, virosque,
Mirantesque inclinat equos: iam fronde nutant
Culmina, iam muri, ripisque Ismenos apertis
Effugit; exciderunt iræ, nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus, inque vicem viso pallore recedunt.
Sic, ubi navales miscet super æquora pugnas
Contempto Bellona mari; si forte benigna
Tempestas; sibi quisque caveut, ensesque recondit,
Mors alia, et socii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Sive laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, et clausum eiecere furorem;
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo
Unda latens; sive hac volventis machina cœli
Incubuit; sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, et extremas gravis mare torsit in oras:
Seu vati datus ille fragor, seu terra minata est
Fratribus; ecce alte præceps humus ore profundo
Dissilit; inque vicem tremuerunt sidera, et umbræ.
Illum ingens haurit specus, et transire parantes
Mergit equos. Non arma manu, non frena remisit:
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus,
Respexitque cadens cœlum, campumque coire
Ingemuit: donec levior distantia rursus
Miscuit arva tremor, lucemque exclusit Averno.

Liber octavus

Ut subitus vates pallentibus incidit Umbris,
Letiferasque domos, orbisque arcana sepulti
Rupit, et armato turbavit funere Manes;
Horror habet cunctos, Stygiis mirantur in oris (tus
Tela et equos, corpusq; novum: neq; enim iguibus atra
Conditus, aut mœsta niger adventabat ab urna;
Sed belli sudore calens: clypeumque cruentis
Roribus, et scissi respersus pulvere campi.
Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat
Cœtibus assumtum functis: quin cominus ipsa
Fatorum deprensa colus: visoque paventes
Augure, tunc demum rumpebant stamina Parcæ.
Illum et securi circumspexere fragorem
Elysii, et si quos procul inferiore barathro
Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigrique lacus, ustæque paludes;
Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ,
Dissilnisse novo penitus telluris hiatu
Tartara, et admissos non per sua flumina Manes.
Forte sedens media regni infelicis in arce,
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Pœna catenas.
Fata ferunt animas, et eodem pollice damnant.
Vincit opus: iuxta Minos, cum fratre verendo,
Iura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat: assistunt lacrymis atque igne tumentes
Cocytos Phlegethonque: et Styx periuria Divum
Arguit. Ille autem, supera compage soluta,
Nec solitus sentire metus, expavit oborta
Sidera, iucundaque offensus luce, profatur:
Quæ Superum labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras? vitæque silentes

Admovat? undæ minæ? uter hæc mihi prœlia fratrum?
Congredior, pereant agedum discrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum
Deiecit fortuna polo, mundumque nocentem
Servo: nec ista meus, dirisque en pervius astris
Inspicitur. Tumidusne meas regnator Olympi
Explorat vires? Habeo iam quassa Gigantum
Vincula, et æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserumque patrem: quid me otia mœsta,
Sævus, et implacidam prohibet perferre quietem,
Amissumque odisse diem? Pandam omnia regna,
Si placet, et Stygio prætextam Hyperiona cœlo.
Arcada nec Superis (quid enim mihi nuntius ambas
Itque reditque domos?) remittam, et utrumq; tenebo
Tyndaridau: cur autem avidis Ixiona frango
Vorticibus? cur non exspectant Tantalon undæ?
Anne profanatum toties Chaos hospite vivo
Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, et audaci Theseus iuratus amico:
Me ferus Alcides, tunc cum custode remoto
Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ.
Odrysiis etiam pudet heu patuisse querelis
Tartara: vidi egomet, blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrymas, iterataque pensa Sororum.
Me quoque: sed duræ melior violentia legis.
Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera furto,
Ausus iter, Siculo rapui connubia campo:
Nec licuisse ferunt; iniustæque ab Iove leges
Protinus, et sectum genitrix mihi computat annum.
Sed quid ego hæc? I, Tartareas ulciscere sedes,
Tisiphone, et si quando novis asperrima monstris,
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æ-
Ede nefas, quod mirer ego, invideantq; Sorores.(ther,
Atque adeo fratres (nostrisque hæc omina sunto
Prima odiis) fratres alterna in vulnera læto
Marte ruant; sit, qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hostile caput, quique igne supremo
Arceat exanimes, et Manibus æthera nudis
Commaculet: iuvet ista ferum spectare Tonantem.
Præterea, ne sola furor mea regna lacessat,
Quære Deis qui bella ferat, qui fulminis ignes,
Infestumque Iovem, clypeo fumante repellat.
Faxo haud sit cunctis levior metus, atra movere
Tartara, frondenti quam iungere Pelion Ossæ.
 Dixerat: atque illi iamdudum regia tristis
Attremit oranti, suaque, et quæ desuper urget,
Nutabat tellus: non fortius æthera vultu
Torquet, et astriferos inclinat Iupiter axes.
At tibi quos (inquit) Manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? Subit ille minantem
Iam tenuis visu, iam vanescentibus armis,
Iam pedes: extincto tamen interceptus in ore
Augurii perdurat honos, obscuraque fronti
Vitta manet, ramumque tenet morientis olivæ.
Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est
Manibus, o cunctis finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam causas elementaque noram,
Et sator! oro, minas, stimulataque corda remulce,
Neve ira dignare hominem, et tua iure timentem.
Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi pectora?) ra-
ptus,
Nec Venerem illicitam (crede his insignibus) ausi
Intramus Lethen: fugiat nec tristis in antrum
Cerberus, aut nostros timeat Proserpina currus.
Augur Apollineis modo dilectissimus aris,
Testor inane Chaos, (quid enim hic iurandus Apollo?)
Crimine non ullo subeo nova fata: nec alma
Sic merui de luce rapi: scit iudicis urna
Dictæi, verumque potest deprendere Minos.
Coniugis insidiis, et iniquo venditus auro,
Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum
Umbrarum, et nostræ veniunt quoque funera dextræ
Non ignarus ini: subito me turbine mundi
(Horret adhuc animus) mediis a millibus hausit
Nox tua: quæ mihi mens, dum per cava viscera terræ
Vado diu pendens, et in aere volvor operto?
Hei mihi! nil ex me sociis patriæque relictum,
Vel captum Thebis: non iam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito saltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miser, lacrymisque meorum
Productus, toto pariter tibi funere veni,
Nil istis ausurus equis; nec deprecor umbram
Accipere, at tripodum iam non meminisse meorum.
Nam tibi præsagi quisnam super auguris usus,
Cum Parcæ tua iussa trahant? Sed pectora flectas,
Et melior sis, quæso, Deis: si quando nefanda
Huc aderit coniux, illi funesta reserva
Supplicia: illa tua, rector bone, dignior ira.
Accipit ille preces, indignaturque moveri.
Ut leo, Massyli cum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat: si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.
Interea vittis, lauroque insignis opima
Currus, et egregiis modo formidatus in armis,
Luce palam fusus nulli, nullique fugatus,
Quæritur: absistunt turmæ, suspectaque tellus
Omnibus: infidi miles vestigia campi
Circumit, atque avidæ tristis locus ille ruinæ
Cessat, et inferni vitatur honore sepulcri.
 Nuntius hortanti diversa in parte maniplos
Adrasto, vix ipse ratus vidisse, Palæmon
Advolat, et trepidans (steterat nam forte cadenti
Proximus) inspectoque miser pallebat hiatu.
Verte gradum: fuge, rector ait, si Dorica saltem
Terra loco, patriæque manent, ubi linquimus, arces.
Non armis, non sanguine opus: quid inutile ferrum
Stringimus in Thebas? Currus humus impia sorbet,
Armaque bellantesque viros: fugere ecce videtur
Hic etiam, quo stamus, ager: vidi ipse profundæ
Noctis iter, ruptaque soli compage ruentem
Illum, heu, præsagis quo nullus amicior astris,
Œclidem, frustraque manus cum voce tetendi.
Mira loquor; sulcos etiamnum, rector, equorum,
Fumantemq; locum, et spumis madida arva, reliqui.
Nec commune malum est: tellus agnoscit alumnos,
Stat Thebana acies: stupet hæc, et credere Adrastus
Cunctatur; sed Mopsus idem, trepidusque ferebat
Actor idem: nam fama novis terroribus audax
Non unum cecidisse refert: sponte agmina retro,
Non expectato revocantum more tubarum
Præcipitant: sed torpet iter, falluntque ruentes
Genua viros, ipsique (putes sensisse) repugnant
Cornipedes, nulloque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terra.
 Fortius incursant Tyrii: sed Vesper opacus
Lunares iam ducit equos: data fœdere parvo
Mœsta viris requies, et nox auctura timores.
Quæ tibi tunc facies, postquam permissa gemendi
Copia! qui fletus galeis cecidere solutis!
Nil solitum fessos iuvat: abiecere madentes,
Sicut erant, clypeos: nec quisquam spicula tersit,
Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam
Comsit adornavitque iubam: vix magna levare
Vulnera, et efflantes libet intervectare plagas.
Tantus ubique dolor: mensas, alimentaque bello
Debita, nec pugnæ suasit timor: omnis laudes,
Amphiaræe, tuas, fœcundaque pectora veri
Commemorant lacrymis, et per tentoria sermo

Unus, Abisse Deos, delapsaque numina castris.
Heu ubi laurigeri currus? sollemniaque arma?
Et galeæ vittatus apex? hoc antra, lacusque
Castalii? tripodumque fides? sic gratus Apollo?
Quis mihi sidereos lapsus, mentemque sinistri
Fulguris, aut cæsis saliat quod numen in extis,
Quando iter, unde moræ, quæ sævis utilis armis,
Quæ pacem magis hora velit, quis iam omne futurum
Proferet? aut cum quo volucres mea fata loquentur?
Hos quoque bellorum casus nobisque, tibique,
Præscieras, et (quanta sacro sub pectore virtus?)
Venisti tamen, et miseris comes additus armis.
Et cum te tellus, fatalisque hora vocaret,
Tu Tyrias acies, adversaque signa, vacasti
Sternere. Tunc etiam media de morte timendum
Hostibus, infestaque abeuntem vidimus hasta.
Et nunc te quis casus habet? poterisne reverti
Sedibus a Stygiis, altaque erumpere terra?
An ne sedes hilaris iuxta tua numina Parcas?
Et vice concordi discis ventura, docesque?
An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector, et Elysias dedit inservare volucres?
Quidquid es, æternus Phœbo dolor, et nova clades
Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis.
Hic Tenedon, Cirrhamque dies, partuque ligatam
Delon, et intonsi cludet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adhibit.
Quin et cornigeri vatis nemus, atque Molossi
Quercus anhela Iovis, Troianaq; Thymbra tacebit.
Ipsi amnes, ipsæque volent arescere lauros.
Ipse nihil certum sagis clangoribus æther
Præcinet, et nulla ferientur ab alite nubes.
Iamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati
Templa colant, reddatque tuus responsa sacerdos.
Talia fatidico persgunt sollemnia regi,
Ceu flammas, ad dona rogo, tristesque rependant
Exequias, mollique animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, aversaque pectora bello.
Sic fortes Minyas subito cum funere Tiphys
Destituit, non arma sequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipsique minus iam ducere venti.
Iam fessis gemitu paulatim corda levabat
Exhaustus sermone dolor, noxque addita curas
Obruit, et facilis lacrymis irrepere somnus.
At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem: vario producunt sidera ludo
Ante domos, intraque: ipsæque ad mœnia marcent
Excubiæ: gemina æra sonant, Idæaque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.
Tunc dulces Superos, atq; omne ex ordine alumnum
Numen, ubique sacri resonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum. Nunc funera rident
Auguris ignari, contraque in pectore certant
Tiresiam laudare suum: nunc facta revolvunt
Maiorum, veteresque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibusque attrita Tonantis
Cornua, et ingenti sulcatum Nerea tauro;
Hi Cadmum, lassamque bovem, fœtosque cruenti
Martis agros: alii Tyriam reptantia saxa
Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes:
Hi gravidam Semelen: illi Cythereia laudant
Connubia, et multa deductam lampade fratrum
Harmoniem: nulli deest sua fabula mensis:
Ceu modo gemmiferum thyrso populatus Hydaspen,
Eoasque domos, nigri vexilla triumphi
Liber, et ignotos populis ostenderet Indos.
Tum primum ad cœtus, sociæque ad fœdera mensæ,
Semper inadspectum, diraque in sede latentem,
Œdipoden exisse ferunt, vultuque sereno
Caniciem nigram squallore, et sordida fusis
Ora comis laxasse manu, sociumque benignos
Adfatus, et abacta prius solatia, passum:
Quin hausisse dapes, insiccatumque cruorem
Deiecisse genis: cunctos auditque, refertque,
Qui Ditem et Furias tantum, et si quando regentem
Antigonen, mœstis solitus pulsare querelis.
Causa latet: non hunc Tyrii fors prospera belli;
Tantum bella iuvant: natum hortaturq;, probatque,
Nec vicisse velit; sed primos cominus enses,
Et scelerum tacito rimatur semina voto.
Inde epulæ dulces, ignotaque gaudia vultu.
Qualis post longæ Phineus ieiunia pœnæ,
Nil stridere domi volucres ut sensit abactas,
(Necdum tota fides) hilaris, mensasque, torosque,
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.
Cætera Graiorum curis armisque iacebat
Fessa cohors: alto castrorum ex aggere Adrastus
Lætificos tenui captabat corde tumultus,
Quanquam æger senio; sed agit miseranda potestas
Invigilare malis: illum æreus undique clamor
Thebanique urunt sonitus, et amara lacessit
Tibia, tum nimio voces marcore superbæ,
Incertæque faces, et iam male pervigil ignis.
Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno
Conticuit, tantique maris secura iuventus
Mandavere animas: solus stat puppe magister
Pervigil, inscriptaque Deus qui navigat alno.
Tempus erat, iunctos cum iam soror ignea Phœbi
Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata
Oceani mugire domum, seseque vagantem
Colligit, et moto leviter fugat astra flagello.
Concilium rex triste vocat; quæruntque gementes,
Quis tripodas successor agat: quo prodita laurus
Transeat, atq; orbum vittæ decus: haud mora, cuncti
Insignem fama, sanctoque Melampode cretum,
Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana Deorum
Partiri, et visas uni sociare solebat
Amphiaraus aves, tantæque haud invidus artis,
Gaudebat dici similem, iuxtaque secundum.
Illum ingens confundit honos, inopinaque turbat
Gloria, et oblatas frondes submissus adorat,
Seque onari negat esse parem, cogique meretur.
Sicut Achæmenius solium gentesque paternas
Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis;
Cui latus Euphratæ, cui Caspia limina mandet.
Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur
Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.
Atque is ubi intorto signavit vellere crinem,
Conveuitque Deis, hilari per castra tumultu
Vadit ovans; ac prima sui documenta, sacerdos
Tellurem placare parat: nec futile mœstis
Id visum Danais. Geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, et adulto cæspite texi
Imperat, innumerosque Deæ sua munera flores,
Et cumulos frugum, at quidquid novat integer an-
Addit, et intacto spargens altaria lacte (nus,
Incipit: O hominum Divumque æterna creatrix,
Quæ fluvios, sylvasque, animarum et semina mundi
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa
Gignis, et impastis quæ prima alimenta dedisti,
Mutastique vices, quæ pontum ambisque, vehisque,
Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum,
Et volucrum requies, firmum atq; immobile mundi
Robur inoccidui! te velox machina cœli

Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circumit: o rerum media, indivisaque magnis
Fratribus! ergo simul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac populis, subterque, ac desuper una
Sufficis; astriferumque domos Atlanta supernas
Ferre laborantem, nullo vehis ipsa labore.
Nos tantum portare negas?, nos, Diva, gravaris?
Quod, precor, ignari luimus scelus? an quia plebes
Externa, Inachiis huc adventamus ab oris?
Omne homini natale solum: nec te, optima, sævum
Tanquam humiles populos, deceat distinguere fine,
Undique ubique tuos: maneas communis, et arma
Hinc atque inde feras: liceat, precor, ordine belli
Pugnaces efflare animas, et reddere cœlo.
Ne rape tam subitis spirantia corpora bustis,
Ne propera: veniemus enim, quo limite cuncti,
Qua licet ire via: tantum exorata Pelasgis
Siste levem campum, celeres neu præcipe Parcas.
At tu, care Deis, quem non manus ulla, nec enses
Sidonii, sed magna sinu Natura soluto,
Ceu te Cirrhæo meritum tumularet hiatu,
Sic amplexa coit; hilaris des, oro, precatus
Nosse tuos, cœloque, et vera monentibus aris
Concilies, et, quæ populis proferre parabas,
Me doceas. Tibi sacra feram præsaga, tuique
Numinis interpres, te Phœbo absente vocabo.
Ille mihi Delo Cirrhaque potentior omni,
Quo ruis, ille adytis melior locus. Hæc ubi dicta,
Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit
Armenta, ac vivis cumulos undantis arenæ
Aggerat, et vati mortis simulacra rependit.
Talia apud Graios, cum iam Mavortia contra
Cornua, iam sævos fragor æreus excitat enses.
Addit acerba sonum, Theumesi e vertice crinem
Incutiens, acuitque tubas et sibila miscet
Tisiphone: stupet insolito clangore Cithæron
Marcidus, et turres carmen non tale secutæ.
Iam trepidas Bellona fores, armataque pulsat
Limina: iam multo laxantur cardine Thebæ.
Turbat eques pedites, currus properantibus obstant,
Ceu Danai post terga premant: sic omnibus alæ
Arctantur portis, septemque excursibus hærent.
Ogygiis it sorte Creon, Eteoclea mittunt
Neitæ, celsas Hamoloidas occupat Hæmon,
Hypsea Prœtides; celsum fudere Dryanta
Electræ, quatit Hypsistas manus Eurymedontis;
Culmina magnanimus stipat Dircæa Menœceus.
Qualis ubi adversi secretus pabula cœli
Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, septemque patentibus arva
In mare fert hiemes: penitus cessere fugatæ
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.
Tristis et inde gradum tarde movet Inacha pubes,
Præcipue Eleæ Lacedæmoniæque cohortes,
Et Pylii: subitum nam Thiodamanta sequuntur,
Augure fraudati; necdum accessere regenti.
Nec tua te, princeps tripodum, sola agmina quærunt:
Cuncta phalanx sibi deesse putat: minor ille per alas
Septimus extat apex: liquido velut æthere, nubes
Invida Parrhasiis unum si detrahat astris,
Truncus honor plaustri: nec idem nitet igne reciso
Axis, et incerti numerant sua sidera nautæ.
Sed iam bella vocant: alias nova suggere vires
Calliope, maiorque chelyn mihi tendat Apollo.
Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies: Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens: sed, quæ dignissima vita
Funera, præcipuos annis animisque cruento
Angue notat; iamq. in miseros pensum omne Sororum
Scinditur, et Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis, etiamnum cuspide sicca
Bellipotens; iamque hos clypeum, iam vertit ad illos
Arma ciens, abolet que domos, connubia, natos.
Pellitur et patriæ, et qui mente novissimus exit,
Lucis amor: tenet in capulis, hastisque paratas
Ira manus; animusque ultra thoracas anhelus
Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem
Cornipedes, niveoque rigant sola putria nimbo,
Corpora ceu mixti dominis, irasque sedentum
Induerint: sic frena terunt, sic prœlia poscunt
Hinnitu, tolluntque armos, equitemque supinant.
Iamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis
Incipit, et spatiis utrimque æqualibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Iam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.
Sic obnixa acies pariter suspiria firmant,
Admotæque nitent aliena in casside cristæ:
Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni;
Plena armenta viris; nulli sine præside currus,
Arma loco, splendent clypei, pharetræque decoræ,
Cingulaque, et nondum deforme cruoribus aurum.
At postquam rabies, et vitæ prodiga virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus Hœdis
Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniæ tantus, cum Iupiter omni
Arce tonat; tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.
Exclusere diem telis; stant ferrea cœlo
Nubila, nec iaculis arctatus sufficit aer.
Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis:
Concurrunt per inane sudes, et mutua perdunt
Vulnera: concurrunt hastæ, stridentia fundæ
Saxa pluunt; volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non una morte sagittæ.
Nec locus ad terram telis: in corpora ferrum
Omne cadit: sæpe ignari perimuntque, caduntque,
Casus agit Virtutis opus: nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, et aufert:
Ut ventis nimbisque minax cum solvit habenas
Iupiter, affligitque alterno turbine mundum;
Stat cœli diversa acies, nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella,
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
(Ebalias (namque hæ, magnum et gentile tumentes,
Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen)
Reppulit, erepto cunei ductore Menalca.
Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus
(Nec turpavit avos) hastam intra pectus euntem
(Ne pudor in tergo) per et ossa et viscera retro
Extrahit, atque hosti dextra labente remittit
Sanguineam: dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, et pugnæ, laudataque verbera matri.
Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas
Destinat; heu celeres Parcæ! iam palpitat arvis
Phædimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ.
Abstulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos: illa suum terra tenet improba ferrum,
Et movet: extimuit sparsa inter tela iacentem
Progrediens, truncamque tamen percussit Acetes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypseus:
Stravit Abanta Pheres diversaque vulnera flentes,
[Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem,]
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga iacebant.

Inachidæ gemini geminos ex sanguine Cadmi
Occultos galeis (sæva ignorantia belli)
Percusserant ferro: sed dum spolia omnia cæsis
Eripiunt, videre nefas, et mœstus uterque
Respicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.
Cultor Ion Pisæ, cultorem Daphnea Cirrhæ
Turbatis prostravit equis: hunc laudat ab alto
Iupiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo.
Ingentes Fortuna viros illustrat utrimque
Sanguine in adverso. Danaos Cadmeius Hæmon
Sternit, agitque furens: sequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præsens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hiberni summis duo montibus amnes
Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina.
Contendisse putes, uter arva, arbustaque tollat,
Altius aut superet pontes: ecce una receptas
Confudit iam vallis aquas: sibi quisque superbus
Ire cupit, pontoque negant descendere mixti.
Ibat fumiferam quatiens Onchestius Idas
Lampada per medios, turbabatque agmina Graium,
Igne viam rumpens; magno quem cominus ictu
Tydeos hasta feri discussa casside fixit.
Ille ingens in terga iacet, stat fronte superstes
Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ.
Prosequitur Tydeus: Sævos ne dixeris Argos:
Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde.
Inde, velut primo tigris gavisa cruore
Per totum cupit ire pecus; sic Aona saxo,
Ense Pholum, Chromin ense, duos Helicaonas hasta
Transigit, Ægææ Veneris quos Mæra sacerdos
Ediderat, prohibente Dea: vos præda cruenti
Tydeos: it sævas etiamnum mater ad aras.
Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit
Sanguis: inexpleto rapitur per millia ferro,
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina, nunc mœstæ fundens Pleuronis alumnos:
Donec in Olenium fessa iam cuspide Buten
Incidit: hunc turmis obversum et abire vetantem
Aggreditur: puer ille, puer, malasque comamque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit: finduntur utrimque
Tempora, dividuique cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita
Exsiluit. Tunc flavum Hypsiin, flavumque Politen,
(Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho:
Sævus uterque Deus) victis Hyperenora iungit,
Conversumque fuga Damasum: sed lapsa per armos
Hasta viri trans pectus abit, parmamque tenenti
Excutit, et summa fugiens in cuspide portat.
Sterneret adversos etiamnum Ismenius Hæmon
Inachidas (nam tela regit, viresque ministrat,
Amphitryoniades) sævum sed Tydea contra
Pallas agit: iamque adverso venere favore
Cominus, et placido prior hæc Tirynthius ore:
Fida soror, quænam hunc belli caligine nobis
Congressum Fortuna tulit? num regia Iuno
Hoc molita nefas? Citius me fulmina contra
(Infandum) ruere, et magno bellare parenti
Aspiciat. Genus huic: sed mitto agnoscere, quando
Tu diversa foves: nec si ipsum cominus Hyllum
Tydeos hasta tui, Stygioque ex orbe remissum
Amphitryona, petat: teneo, æternumque tenebo,
Quantum hæc Diva manus, quoties sudaverit ægis
Ista mihi, duris famulus cum casibus omnes
Lustru vagus terras: ipsa, heu comes, invia mecum
Tartara, ni Superos Acheron excluderet, isses.
Tu patrem, cœlumque mihi: quis tanta relatu
Æquet? habe totas, si mens excindere, Thebas.
Cedo equidem, veniamque precor. Sic orsus abibat.
Palladi mulcet honos: rediit ardore remisso
Vultus, et erecti sederunt pectoris angues.
Sentit abisse Deum; levius Cadmeius Hæmon
Tela rotat, nulloque manum cognoscit in ictu.
Tunc magis atque magis vires animusque recedunt;
Nec pudor ire retro: cedentem Acheloius heros
Impetit, et librans uni sibi missile telum,
Direxit iactus, summæ qua margine parmæ
Ima sedet galea, et iuguli vitalia lucent.
Nec frustrata manus, mortemque invenerat hasta;
Sed prohibet, paulumque humeri libare sinistri
Præbuit, et merito parcit Tritonia fratri.
Ille tamen nec stare loco, nec cominus ire
Amplius, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos: ægra animo vis, ac fiducia cessit.
Qualis setigeram Lucana cuspide frontem
Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras
Frangit, et expertæ iam non venit obvius hastæ.
Ecce, ducem turmæ certa indignatus in hostem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus Œnides, una duo corpora pinu
Cornipedemque equitemque ferit. Ruit ille ruentem
In Prothoum, lapsasque manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeumque in pectora calcat,
Saucius extremo donec cum sanguine frenos
Respuit, et iuncta domino cervice recumbit.
Sic ulmus, vitisque, duplex iactura coloni
Gaurano de monte cadunt: sed mœstior ulmus
Quærit utrumque nemos, nec tam sua brachia labens
Quam gemit assuetas invitaque proterit uvas.
Sumserat in Danaos Heliconius arma Corœbus,
Ante comes Musis, Stygii cui conscia pensi
Ipsa diu inspectis letum prædixerat astris
Uranie: cupit ille tamen, pugnasque virosque
Forsitan ut caneret: longa iacet ipse canendus
Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.
Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Ismenen (Tyrii iuvenis non advena belli,
Quamvis Cirrha domus; soceros nec tristibus actis
Adversatus erat), sponsam cui castus amanti
Squallor, et indigni commendat gratia luctus.
Ipse quoque egregius; nec pectora virginis illi
Diversa, inque vicem, sineret Fortuna, placebant.
Bella vetant tædas, invenique hinc maior in hostes
Ira; ruit primis immixtus, et agmina Lernæ,
Nunc pedes ense vago, pressis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit. Triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros, et levia mater
Pectora: tunc auro phaleras, auroque sagittas
Cingulaque, et manicas (ne coniuge vilior iret)
Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum.
Talibus heu fidens, vocat ultro in prœlia Graios.
Ac primum faciles grassatus cuspide turmas,
Arma refert sociis, et in agmina fida, peracta
Cæde, redit: sic Hyrcana leo Caspios umbra
Nudus adhuc, nulloque iubæ flaventis honore
Terribilis, magnique etiamnum sanguinis insons,
Haud procul a stabulis captat, custode remoto
Segne pecus, teneraque famem consumit in agna.
Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus,
Tydea non timuit: fragilique lacessere telo
Sæpius infrendentem aliis, aliosque sequentem
Ausus erat: tandem invalidos Ætolus ad ictus
Forte refert oculos, et formidabile ridens:
Iamdudum video, magnum cupis, improbe, leti
Nomen, ait: simul audacem non ense, nec hasta
Dignatus, leviter digitis imbelle solutis
Abiecit iaculum: latebras tamen inguinis alte

Missile, ceu totis intortum viribus, hausit.
Præterit haud dubium fati, et spoliare superbit (las,
Œnides: Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pal-
Exuvias figemus, ait: procul arceat ipsum
Ferre pudor: vix, si bellum comitata relictis
Deipyle thalamis, illi illudenda tulissem.
Sic ait: et belli maiora ad præmia mente
Ducitur: innumeris veluti leo forte potitus
Cædibus, imbelles vitulos mollesque iuvencas
Transmittit: magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys: prævertit equos, curruque citato
Desilit: instabat pubes Tegeæa iacenti;
Nec prohibent Tyrii. Pudeat, Cadmea iuventus,
Terrigenas mentita patres, quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliusne iacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, et coniugis ultor
Infelix nondum iste suæ: nos pignora tanta
Prodimus? Insurgunt iusto firmata pudore
Agmina, cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secreta in parte sorores,
Par aliud morum, miserique innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas.
Nec mala quæ iuxta, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ: gravis hinc miseri cunctatio voti.
Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem vicisse velint: tacite præponderat exul.
Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
Stantque super nidos, veterisque exordia fati
Enarrant tectis, et truncum ac flebile murmur
Verba putant; voxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi, post lacrymas et longa silentia, rursus
Inchoat Ismene: Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Claraque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego, quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu, (pudet heu) connubia vidi
Nocte, soror: (sponsum unde?) mihi sopor attulit a-
Vix notum visu: semel bis in sedibus illum, (meus
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto
Respexi non sponte, soror: turbata repente
Omina cernebam, subitusque intercidit ignis,
Meque sequebatur rabido clamore reposcens
Mater Atyn. Quænam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo, dum tuta domus, mileque recedat
Doricus, et tumidos liceat componere fratres.
Talia nectebant, subito cum pigra tumultu
Expavit domus, et multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam iam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervis
Exterior clypeo, crinesque a fronte supini.
Prima videt, caramque tremens Iocasta vocabat
Ismenen: namque hoc solum moribunda precatur
Vox generi: solum hoc gelidis iam nomen inerrat
Faucibus. Exclamant famulæ: tollebat in ora
Virgo manus: tenuit sævus pudor: attamen ire
Cogitur: indulget summum hoc Iocasta iacenti,
Ostenditque offertque: quater, iam morte sub ipsa
Ad nomen visus deiectaque fortiter ora
Sustulit: illam unam neglecto lumine cœli
Aspicit, et vultu non exsatiatur amato.
Tunc, quia nec genitrix iuxta, positusque beata
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas: ibi demum, teste remoto,
Fassa pios gemitus, lacrymasque in lumina fudit.
Dumque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens
Et face mutata bellum integrabat Enyo.
Arma volunt, primos veluti modo cominus ictus
Sustulerint, omnisque etiamnum luceat ensis.
Eminet Œnides, quamvis et arundine certa
Parthenopæus agat, morientumque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneaque pinus
Iam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.
Tydeos illa dies: illum fugiuntque, tremuntque,
Clamantem: Quo terga datis? licet ecce, peremtos
Ulcisci socios, mœstamque rependere noctem.
Ille ego, inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquaginta animas: totidem, totidemque gregali
Ferte manus; nulline patres, nulline iacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctus?
Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas!
Hinc super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitisque superbi
Insignem fulgore videt: nec segnius ardens
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, et magna trepidum circumligat umbra.
Tunc prior: Aoniæ rex o iustissime gentis,
Imus in arma palam, tandemque ostendimus enses?
An noctem et solitas placet expectare tenebras?
Ille nihil contra, sed stridula cornus in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Iam iam in fine viæ percussam obliquat, et ipse
Telum ingens avide, at quanto non ante lacerto
Impulit: ibat atrox, finem positura duello
Lancea: convertere oculos utrimque faventes
Sidonii Graiique Dei: crudelis Erinnys
Obstat, et infando differt Eteoclea fratri.
Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens
Pugna virum: stricto nam sævior irruit ense
Ætolus, retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem: sic densa lupum iam nocte sub astra
Arcet ab apprenso pastorum turba iuvenco:
Improbus erigitur contra, nec cura vetantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget.
Non secus obiectas acies, turbamque minorem
Dissimulat, transitque manu, tamen ora Thoantis,
Pectora Deilochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ: truncis sua membra remittit,
Interdum galeasque rotat per nubila plenas.
Et iam corporibus sese, spoliisque cadentum
Clauserat: unum acies circum consumitur, unum
Omnia tela vovent: summis hæc ossibus hærent,
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clypeo: densis iam consitus hastis
Ferratum quatit umbo nemus, tergoque fatiscit
Atque humeris gentilis aper, nusquam ardua coni
Gloria, quique apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen: inusta
Temporibus nuda æra sedent; circumque sonori
Vertice percusso, volvuntur in arma molares.
Iam cruor in galea, iam saucia proluit ater
Pectora, permixtus sudore, et sanguine torrens.
Respicit hortantes socios, et Pallada fidam,
Longius opposita celantem lumina parma:
Ibat enim magnum lacrymis inflectere patrem.
Ecce, secat Zephyros ingentem fraxinus iram
Fortunamque ferens: teli non eminet auctor.
Astacides Melanippus erat; nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum: sed gaudia turmæ
Monstrabant trepidum: nam flexus in ilia Tydeus
Summissum latus, et clypei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent, gemitumque Pelasgi,
Obiectantque manus, indignantemque tuentur.

Ille per oppositos, longe rimatus, amarum,
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Reliquiis, telumque iacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat: perit expressus conamine sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem
Expirare, trahunt, summique in margine campi,
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac sævi rediturum ad prœlia Martis
Promittunt flentes: sed et ipse recedere cœlum,
Ingentesque animos extremo frigore labi
Sensit, et innixus terræ, Miserescite, clamat,
Inachidæ. Non ossa precor referantur ut Argos,
Ætolumve larem: nec enim mihi cura supremi
Funeris: odi artus, fragilemque hunc corporis usum,
Desertorem animi. Caput, o caput, o mihi si quis
Apportet, Melanippe, tuum! nam volveris arvis:
Fido equidem; nec me virtus suprema fefellit.
I, precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam,
Hippomedon: vade, o primis puer inclyte bellis
Arcas, et Argolicæ Capaneu iam maxime turmæ.
Moti omnes: sed primus abit, primusque repertum
Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit
Spirantem, lævaque super cervice reportat,
Terga cruentantem concussi vulneris unda.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, et amens
Lætitiaque iraque, ut singultantia vidit
Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo;
Imperat abscisum porgi, lævaque receptum
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torva videns, et adhuc dubitantia figi.
Infelix contentus erat: plus exigit ultrix
Tisiphone: iamque inflexo Tritonia patre
Venerat, et misero decus immortale ferebat,
Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
Aspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces.
Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo
Crinibus emissis, rectique ante ora cerastæ
Velavere Deam: fugit aversata iacentem,
Nec prius astra subit, quam mystica lampas, et insons
Illisos multa purgavit lumina lympha.

Liber nonus

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
Tydeos: ipsi etiam minus ingemuere iacentem
Inachidæ, culpantque virum, et rupisse queruntur
Fas odii: quin te, Divum implacidissima, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas,
Offensum virtute ferunt: nec cominus ipsum
Ora, sed et trepidos retro torsisse iugales.
Ergo profanatum Melanippi funus acerbo
Vulnere, non aliis ultum Cadmeia pubes
Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris
Ossa patrum, monstrisque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipse super: Quisquamne Pelasgis
Mitis adhuc, hominemque gerit? iam morsibus uncis
(Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus?) artus
Dilacerant: nonne Hyrcanis bellare putatis
Tigribus: aut sævos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille iacet, (pulchra o solatia leti!)
Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo: nos ferrum mite, facesque:
Illis nuda odia, et feritas iam non eget armis.
Sic peragant rabidi, claraque hac luce fruantur, (pos
Dum videas hæc, summe Pater: sed enim hiscere cam-
Conquesti, terræque fugam miserantur: an istos
Vel sua portet humus? Magno sic fatus agebat
Procursu fremituque viros: furor omnibus idem
Tydeos invisi spoliis, raptoque potiri
Corpore: non aliter subtexunt astra catervæ
Incestarum avium, longe quibus aura nocentem
Aera, desertasque tulit sine funere mortes:
Illo avidæ cum voce ruunt, sonat arduus æther
Plausibus, et cœlo volucres cessere minores.
Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, solito pernicior index,
Cum lugenda refert; donec cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapsa est Polynicis ad aures.
Diriguit iuvenis, lacrymæque hæsere paratæ,
Et cunctata fides; nimium nam cognita virtus
Œnidæ, credi letum suadetque vetatque.
Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est,
Nox oculos, mentemque rapit tum sanguine fixo
Membra simul, simul arma ruunt: madet ardua fletu
Iam galea, atque ocreæ clypeum excepere cadentem.
It mœstus genua ægra trahens, hastamque sequentem,
Vulneribus ceu mille gravis, totosque per artus
Sancius: assistunt socii, monstrantque gementes.
Tandem ille abiectis vix quæ portaverat armis,
Nudus in egregii vacuum iam corpus amici
Procidit, et tali lacrymas cum voce profudit:
Hasne tibi, armorum spes, o suprema meorum,
Œnide, grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus ut invisa Cadmi tellure iaceres,
Sospite me? Nunc exul ego, æternumque fugatus,
Quando alius misero, ac melior, mihi frater ademtus.
Nec iam sortitus veteres, regnique nocentis
Periurum diadema peto: quo gaudia tanti
Emta mihi? aut sceptrum, quod non tua dextera tra-
Ite, viri, solumque fero me linquite fratri. (det?
Nil opus arma ultra tentare, et perdere mortes:
Ite, precor: quid iam dabitis mihi denique maius?
Tydea consumsi: quanam hoc ego morte piabo?
O socer, o Argi! et primæ bona iurgia noctis,
Alternæque manus, et longi pignus amoris
Ira brevis: non me ense tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras) nostri mactatum in limine Adrasti?
Quin etiam Thebas, me propter, et impia fratris
Tecta, libens, unde haud alius remeasset adisti:
Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.
Iam Telamona pium, iam Thesea fama tacebat.
Qualis et ecce iaces? quæ primum vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoste cruor? quæ te agmina,
Innumeri stravere globi? Ni fallor, et ipse (quive
Invidit pater, et tota Mars impulit hasta.
Sic ait, et mœrens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lacrymis, dextramque reponit.
Tune meos hostes hucusque exosus? et ultra
Sospes ego? Exuerat vagina turbidus ensem,
Aptabatque neci: comites tenuere, socerque
Castigat; bellique vices ac fata revolvens,
Solatur tumidum, longeque a corpore caro
Paulatim, unde dolor, letique animosa voluntas,
Amovet, ac tacite ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter iugera sulcum
Taurus iners, colloque iugum deforme remisso
Parte trahit, partem lacrymans sustentat arator.
Ecce autem hortatus Etheoclis et arma secuti,
Lecta manus, iuvenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata sprevisset cuspide Mavors,
Adventant. Contra, collecta ut pectora parmæ
Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret
Arduus Hippomedon: ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, et fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis: timet ipse rigentem

Missile, ceu totis intortum viribus, hæsit.
Præterit haud dubium fati, et spoliare superbit (las,
Œnides: Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pal-
Exuvias figemus, ait: procul arceat ipsum
Ferre pudor: vix, si bellum comitata relictis
Deipyle thalamis, illi illudenda tulissem.
Sic ait: et belli maiora ad præmia mente
Ducitur: innumeris veluti leo forte potitus
Cædibus, imbelles vitulos mollesque iuvencas
Transmittit: magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys: prævertit equos, curruque citato
Desilit: instabat pubes Tegeæa iacenti;
Nec prohibent Tyrii. Pudeat, Cadmea iuventus,
Terrigenas mentita patres, quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliusne iacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, et coniugis ultor
Infelix nondum iste suæ: nos pignora tanta
Prodimus? Insurgunt iusto firmata pudore
Agmina, cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secreta in parte sorores,
Par aliud morum, miserique innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas.
Nec mala quæ iuxta, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ: gravis hinc miseri cunctatio voti.
Nutat utroq; timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem vicisse velint: tacite præponderat exul.
Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
Stantque super nidos, veterisque exordia fati
Enarrant tectis, et truncum ac flebile murmur
Verba putant; voxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi, post lacrymas et longa silentia, rursus
Incohat Ismene: Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Claraque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego, quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu, (pudet heu) connubia vidi
Nocte, soror: (sponsum unde?) mihi sopor attulit a-
Vix notum visu: semel his in sedibus illum, (meus
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto
Respexi non sponte, soror: turbata repente
Omina cernebam, subitusque intercidit ignis,
Meque sequebatur rabido clamore reposcens
Mater Atyn. Quænam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo, dum tuta domus, milesque recedat
Doricus, et tumidos liceat componere fratres.
Talia nectebant, subito cum pigra tumultu
Expavit domus, et multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam iam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crinesque a fronte supini.
Prima videt, caramque tremens Iocasta vocabat
Ismenen: namque hoc solum moribunda precatur
Vox generi: solum hoc gelidis iam nomen inerrat
Faucibus. Exclamant famulæ: tollebat in ora
Virgo manus: tenuit sævus pudor: attamen ire
Cogitur: indulget summum hoc Iocasta iacenti,
Ostenditque offertque: quater, iam morte sub ipsa
Ad nomen visus deiectaque fortiter ora
Sustulit: illam unam neglecto lumine cœli
Aspicit, et vultu non exsatiatur amato.
Tunc, quia nec genitrix iuxta, positusque beata
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas: ibi demum, teste remoto,
Fassa pios gemitus, lacrymasque in lumina fudit.

Dumque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens
Et face mutata bellum integrabat Enyo.
Arma volunt, primos veluti modo comminus ictus
Sustulerint, omnisque etiamnum luceat ensis.
Eminet Œnides, quamvis et arundine certa
Parthenopæus agat, morientumque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneaque pinus
Iam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.
Tydeos illa dies: illum fugiuntque, tremuntque,
Clamantem: Quo terga datis? licet ecce, peremtos
Ulcisci socios, mœstamque rependere noctem.
Ille ego, inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquaginta animas: totidem, totidemque gregati
Ferte manus: nulline patres, nulline iacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctus?
Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas!
Hinc super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitisque superbi
Insignem fulgore videt: nec segnius ardens
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, et magna trepidum circumligat umbra.
Tunc prior: Aoniæ rex o iustissime gentis,
Imus in arma palam, tandemque ostendimus enses?
An noctem et solitas placet expectare tenebras?
Ille nihil contra, sed stridula cornus in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Iam iam in fine viæ percussam obliquat, et ipse
Telum ingens avide, et quanto non ante lacerto
Impulit: ibat atrox, finem positura duello
Lancea: convertere oculos utrimque faventes
Sidonii Graiique Dei: crudelis Erinnys
Obstat, et infando differt Eteoclea fratri
Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens
Pugna virum: stricto nam sævior irruit ense
Ætolus, retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem: sic densa lupum iam nocte sub astra
Arcet ab apprenso pastorum turba iuvenco:
Improbus erigitur contra, nec cura volantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget.
Non secus obiectas acies, turbamque minorem
Dissimulat, transitque manu, tamen ora Thoantis,
Pectora Deilochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ: truncis sua membra remittit,
Interdum galeasque rotat per nubila plenas.
Et iam corporibus sese, spoliisque cadentum
Clauserat: unum acies circum consumitur, unum
Omnia tela vovent: summis hæc ossibus hærent,
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clypeo: densis iam consitus hastis
Ferratum quatit umbo nemus, tergoque fatiscit
Atque humeris gentilis aper, nusquam ardua coni
Gloria, quique apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen: inusta
Temporibus nuda æra sedent; circumque sonori
Vertice percusso, volvuntur in arma molares.
Iam cruor in galea, iam saucia proluit ater
Pectora, permixtus sudore, et sanguine torrens.
Respicit hortantes socios, et Pallada fidam,
Longius opposita celantem lumina parma:
Ibat enim magnum lacrymis inflectere patrem.
Ecce, secat Zephyros ingentem fraxinus iram
Fortunamque ferens: teli non eminet auctor.
Astacides Melanippus erat; nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum: sed gaudia turmæ
Monstrabant trepidum: nam flexus in ilia Tydeus
Summissum latus, et clypei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent, gemitumque Pelasgi,
Obiectantque manus, indignantemque tuentur.

Ille per oppositos, longe rimatus, amarum,
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Reliquiis, telumque iacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat: perit expressus conamine sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem
Expirare, trahunt, summique in margine campi,
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac sævi rediturum ad prœlia Martis
Promittunt flentes: sed et ipse recedere cœlum,
Ingentesque animos extremo frigore labi
Sensit, et innixus terræ, Miserescite, clamat,
Inachidæ. Non ossa precor referantur ut Argos,
Ætolumve larem: nec enim mihi cura supremi
Funeris: odi artus, fragilemque hunc corporis usum,
Desertorem animi. Caput, o caput, o mihi si quis
Apportet, Melanippe, tuum! nam volveris arvis:
Fido equidem; nec me virtus suprema fefellit.
I, precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam,
Hippomedon: vade, o primis puer inclyte bellis
Arcas, et Argolicæ Capaneu iam maxime turmæ.
Moti omnes: sed primus abit, primusque repertum
Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit
Spirantem, lævaque super cervice reportat,
Terga cruentantem concussi vulneris unda.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, et amens
Lætitiaque iraque, ut singultantia vidit
Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo;
Imperat abscissum porgi, lævaque receptum
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torva videns, et adhuc dubitantia figi.
Infelix contentus erat: plus exigit ultrix
Tisiphone: iamque inflexo Tritonia patre
Venerat, et misero decus immortale ferebat,
Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
Aspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces.
Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo
Crinibus emissis, rectique ante ora cerastæ
Velavere Deam: fugit aversata iacentem,
Nec prius astra subit, quam mystica lampas, et insons
Ilissos multa purgavit lumina lympha.

Liber nonus

Asperat Aonios rabies audita cruenti
Tydeos: ipsi etiam minus ingemuere iacentem
Inachidæ, culpantque virum, et rupisse queruntur
Fas odii: quin te, Divum implacidissima, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas,
Offensum virtute ferunt: nec cominus ipsum
Ora, sed et trepidos retro torsisse iugales.
Ergo profanatum Melanippi funus acerbo
Vulnere, non aliis ultum Cadmeia pubes
Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris
Ossa patrum, monstrisque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipse super: Quisquamne Pelasgis
Mitia adhuc, hominemque gerit? iam morsibus uncis
(Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus?) artus
Dilacerant: nonne Hyrcanis bellare putatis
Tigribus: aut sævos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille iacet, (pulchra o solatia leti!)
Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo: nos ferrum mite, facesque:
Illis nuda odia, et feritas iam non eget armis.
Sic peragant rabidi, claraque hac luce fruantur, (pos
Dum videas hæc, summe Pater: sed enim hiscere cam-
Conquesti, terræque fugam miserantur: an istos
Vel sua portet humus? Magno sic fatus agebat
Procursu fremitque viros: furor omnibus idem
Tydeos invisi spoliis, raptoque potiri
Corpore: non aliter subtexunt astra catervæ
Incestarum avium, longe quibus aura nocentem
Aera, desertasque tulit sine funere mortes:
Illo avidæ cum voce ruunt, sonat arduus æther
Plausibus, et cœlo volucres cessere minores.
Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, solito pernicior index,
Cum lugenda refert; donec cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapsa est Polynicis ad aures.
Diriguit iuvenis, lacrymæque hæsere paratæ,
Et cunctata fides; nimium nam cognita virtus
Œnidæ, credi letum suadetque vetatque.
Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est,
Nox oculos, mentemque rapit tum sanguine fixo
Membra simul, simul arma ruunt: madet ardua fletu
Iam galea, atque ocreæ clypeum excepere cadentem.
It mœstus genua ægra trahens, hastamque sequentem,
Vulneribus ceu mille gravis, totosque per artus
Saucius: assistunt socii, monstrantque gementes.
Tandem ille abiectis vix quæ portaverat armis,
Nudus in egregii vacuum iam corpus amici
Procidit, et tali lacrymas cum voce profudit:
Hasne tibi, armorum spes, o suprema meorum,
Œnide, grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus ut invisa Cadmi tellure iaceres,
Sospite me? Nunc exul ego, æternumque fugatus,
Quando alius misero, ac melior, mihi frater ademtus.
Nec iam sortitus veteres, regnique nocentis
Periurum diadema peto: quo gaudia tanti
Emta mihi? aut sceptrum, quod non tua dextera tra-
Ite, viri, solumque fero me linquite fratri. (det?
Nil opus arma ultra tentare, et perdere mortes:
Ite, precor: quid iam dabitis mihi denique maius?
Tydea consumsi: quanam hoc ego morte piabo?
O socer, o Argi! et primæ bona iurgia noctis,
Alternæque manus, et longi pignus amoris
Ira brevis: non me ense tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras) nostri mactatum in limine Adrasti?
Quin etiam Thebas, me propter, et impia fratris
Tecta, libens, unde haud alius remeasset adisti:
Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.
Iam Telamona pium, iam Thesea fama tacebat.
Qualis et ecce iaces? quæ primum vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoste cruor? quæ te agmina,
Innumeri stravere globi? Ni fallor, et ipse (quive
Invidit pater, et tota Mars impulit hasta.
Sic ait, et mœrens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lacrymis, dextramque reponit.
Tune meos hostes hucusque exosus? et ultra
Sospes ego? Exuerat vagina turbidus ensem,
Aptabatque neci: comites tenuere, socerque
Castigat; bellique vices ac fata revolvens,
Solatur tumidum, longeque a corpore caro
Paulatim, unde dolor, letique animosa voluntas,
Amovet, ac tacita ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter iugera sulcum
Taurus iners, colloque iugum deforme remisso
Parte trahit, partem lacrymans sustentat arator.
Ecce autem hortatus Etheoclis et arma secuti,
Lecta manus, iuvenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata sprevisset cuspide Mavors,
Adventant. Contra, collecta ut pectora parmæ
Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret
Arduus Hippomedon: ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, et fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis: timet ipse rigentem

Pontus, et ex alto miseræ novere carinæ,
Tunc prior Aonides: (validam simul elicit hastam)
Non pudet hos Manes, hæc infamantia bellum
Funera, Dis coram, et cœlo inspectante tueri?
Scilicet egregius sudor, memorandaque virtus,
Hanc tumulare feram? ne non mœrentibus Argos
Exequiis lacrymandus eat? mollique feretro
Infandam eiectans saniem? dimittite curam.
Nullæ illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse,
Si demus, pius ignis edat. Nec plura: sed ingens
Intorquet iaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumque tamen, clypei stetit orbe secundo.
Inde Pheres, acerque Lycus; sed cassa Pheretis
Hasta redit; Lycus excelso terrore comantem
Perstrinxit galeam: convulsæ cuspide longe
Diffugere iubæ, patuitque ingloria cassis.
Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma
Exsilit, inque eadem sese vestigia semper
Obversus cunctis profert, recipitque, nec unquam
Longius indulget dextræ, motusque per omnes
Corpus amat: corpus servans, circumque supraque
Vertitur; imbellem non sic amplexa iuvencum,
Infestante lupo, cum primum fœta tuetur
Mater, et ancipiti circumfert cornua gyro;
Ipsa nihil metuens, sexusque oblita minoris
Spumat, et ingentes imitatur fœmina tauros.
  Tandem intermissa iaculantum nube potestas
Reddere tela fuit: namque et Sicyonius Alcon
Venerat auxilio, Pisæaque præpetis Idæ
Turba subit, cuncumq; replent: his fratus, in hostes
Lernæam iacit ipse trabem: volat illa sagittis
Æqua fuga, mediumque nihil cunctata Politen
Transabit, et iuncti clypeum cavat improba Mopsi.
Phocea tunc Cydona, Tanagræumque Phalantum,
Atque Erycem, hunc retro conversum, et tela peten-
Dum spes nulla necis, crinita a vertice figit. (tem,
Faucibus ille cavis hastam non ore receptam
Miratur moriens, pariterque et murmure plenus
Sanguis, et expulsi salierunt cuspide dentes.
  Ausus erat furto dextram iniectare Leonteus,
Pone viros atque arma latens, positumque trahebat
Prenso crine caput: vidit, quanquam undiq; crebræ,
Hippomedon ante ora minæ; sævoque protervam
Abstulit ense manum: simul increpat: Hanc tibi Ty-
Tydeus ipse rapit: post et confecta virorum (deus,
Fata time, magnosque miser fuge tangere Manes.
Ter Cadmea phalanx torvum abduxere cadaver;
Ter retrahunt Danai: Siculi velut anxia puppis
Seditione maris, nequidquam obstante magistro,
Errat, et averso redit in vestigia velo
Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto
Hippomedonta manus: non illum impacta moverent
Tormenta oppositum; formidatique superbis
Turribus impulsus tentato umbone redissent.
Sed memor Elysii regis, noxasque retexens
Tydeos, in medios astu subit impia campos
Tisiphone: sensere acies, subitusque cucurrit
Sudor equis, sudorque viris: quamquam ore remisso
Inachium fingebat Halyn: nusquam impius ignis,
Verberaque, et iussi tenuere silentia crines.
Arma gerit, iuxtaque feri latus Hippomedontis,
Blanda genas, vocemque venit: tamen ille loquentis
Extimuit vultus, admiraturque timorem.
Ille autem lacrymans, Tu nunc, ait, inclyte, frustra
Exanimes socios, inhumataque corpora Graium,
(Scilicet is nobis metus? aut iam cura sepulcri?)
Protegis: ipse manu Tyria tibi captus Adrastus
ote al Raptatur, teque ante alios, te voce, manuque
qualem lapsasq; vocat: heu qualem lapsare in sanguine vidi,
Exutum canos lacero diademate crines.
Nec procul hinc, adverte oculos, ubi plurimus illa
Pulvis, ubi ille globus: paulum stetit anxius heros,
Librabatq; metus: premit aspera virgo: quid hæres?
Imus? an hi retinent Manes? et vilior ille
Qui superest? Miserum sociis opus, et sua mandat
Prœlia, et unanimi vadit desertor amici,
Respiciens tamen, et revocent si forte paratus.
Inde legens turbata trucis vestigia Divæ,
Huc illuc frustra ruit avius; impia donec
Eumenis ex oculis, reiecta cœrula parma
Fugit, et innumeri galeam rupere cerastæ.
Aspicit infelix discussa nube quietos
Inachidas, currumque nihil metuentis Adrasti.
Et Tyrii iam corpus habent: iam gaudia magna
Testantur voces; victorque ululatus aderrat
Auribus, occultoque ferit præcordia luctu.
Ducitur hostili (pro dura potentia fati!)
Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu frena effunderet ingens
Limes utrimq; datus: nusquam arma, manusq; quie-
Nulla viri feritas: iuvat ora rigentia leto, (scunt:
Et formidatos impune lacessere vultus.
Hic amor, hoc una timidi fortesque sequuntur
Nobilitare manus, infectaque sanguine tela
Coniugibus servant, parvisque ostendere natis.
Sic ubi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter, clausiq; greges, vigilantq; magistri,
Pastorum lassæ debellavere cohortes;
Gaudet ager; magno subeunt clamore coloni,
Præcerpuntque iubas, immaniaque ora recludunt,
Damnaque commemorant, seu iam sub culmine fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria luco.
  At ferus Hippomedon quanquam iam sentit inane
Auxilium, et seram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, et cæcum rotat irrevocabilis ensem.
Vix socios hostemque nihil dum tardet eunlem
Secernens: sed cæde nova iam lubrica tellus
Armaque, seminecesque viri, currusque soluti
Impediunt, lævumque femur, quod cuspide fixum
Regis Echionii, seu dissimulaverat ardens,
Sive ibi nescierat: mœstum videt Hoplea tandem.
Tydeos hic magni fidus comes, et modo frustra
Armiger: alipedem prona cervice tenebat
Fatorum ignarum domini, solumque frementem
Quod vacet; inque acies audentior illa pedestres.
Hunc aspernantem tumido nova pondera tergo,
(Unam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affaturque: Quid, o nova iussa recusas,
Infelix sonipes? nusquam tibi dulce superbi
Regis onus: non iam Ætolo satiabere campo,
Gaudentemque iubam per stagna Achaia solves.
Quod superest, caros, i, saltem ulciscere Manes,
Aut sequere; extorrem neu tu quoq; læseris umbram
Captivus, tumidumque equitem post Tydea portes.
Audisse, accensumque putes: hoc fulmine raptum
Abstulit, et similes minus indignatur habenas.
Semifer aeria talia Centaurus ab Ossa
Desilit in valles: ipsum nemora alta tremiscunt,
Campus equum: trepidi curan glomerantur anhelo
Labdacidæ: premit illa super, nec opinaque ferro
Colla metens, linquit truncos post terga cadentes.
  Ventum erat ad fluvium: solito tunc plenior alveo,
Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.
Illa brevis requies, illo timida agmina lassam
De campis egere fugam: stupet hospita belli
Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.
Insiluere vadis: magnoque fragore solutus
Agger, et adversæ latuerunt pulvere ripæ:

Hic quoque hostiles saltu maiore per undas
Irruit attonitis, (longum dimittere habenas)
Sicut erat, tantum, viridi defixa parumper
Cæspite, populeo commendat spicula trunco.
Tunc vero exanimes tradunt rapientibus ultro
Arma vadis: alii dimissa casside, quantum
Tendere conatus animæ valuere sub undis,
Turpe latent. Multi fluvium transmittere nando
Aggressi; sed vincla tenent, laterique repugnat
Balteus, et madidus deducit pectora thorax.
Qualis cœruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident: fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas;
Nec prius emersi, quam summa per æquora flexus
Emicet, et visis malit certare carinis.
Talis agit sparsos, mediisque in fluctibus heros
Frena manu pariter, pariter regit arma, pedumque
Remigio sustentat equum; consuetaque campo
Fluctuat, et mersas levis ungula quærit arenas.
Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon
Hipseus Astyagen, evasurumque relicto (Hypseus,
Amne Linum, ni fata vetent, et stamine primo
Ablatum tellure mori: premit agmina Thebes
Hippomedon: turbat Danaos Asopius Hypseus,
Amnis utrumque timet: crasso vada mutat uterque
Sanguine, et a fluvio neutri fatale reverti.
Iam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oraque, et abscisa redeunt in pectora dextræ.
Spicula iam clypeosque leves arcusque remissos
Unda vehit, galeasque vetant descendere cristæ.
Summa vagis late sternuntur flumina telis,
Ima viris: illic luctantur corpora leto,
Efflantesque animas retro premit obvius amnis.
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prenderat, insignes humeros ferus ense Menœceus
Amputat: ille cadens, nondum conamine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.
Hypseus hasta Sagen ingenti vulnere mersit:
Ille manet fundo, rediit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, et tenuit; sed saucius ille levantem
Degravat amplexu: poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis, puduit sine fratre reverti.
Surgentem dextra Chaletum, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Iam vultu, iam crine latet, iam dextera nusquam,
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat.
Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten:
Respexit, nusquam auctor erat; sed concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figitur et validos sonipes Ætolus in armos,
Exsiluitque alte vi mortis, et aera pendens
Verberat: haud tamen est turbatus fluminе ductor:
Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum
Exuit ipse gemens, et sponte remisit habenas.
Inde pedes repetit pugnas, gressuque, manuque
Certior, et segnem Nomium, fortemque Mimanta,
Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum
Continuat ferro geminisque e fratribus unum
Thespiaden: eadem poscenti fata Panemo,
Vive superstes, ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miseros non decepture parentes.
Di bene, quod pugna a rapidum deiecit in amnem
Sanguinea Bellona manu: trahit unda timentes
Gurgite gentili, nuda nec flebilis umbra
Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.
Ibitis æquoreis crudelia pabula monstris:
Illum terra vehit, suaque in primordia solvit.
Sic premit adversos, et acerbat vulnera dictis.
Ac nunc ense ferit, nunc tela natantia raptans
Iugerit: innuptæ comitem Therona Dianæ,
Ruricolamque Gyan, cum fluctivago Ergino,
Intonsumque Hersen contemtoremque profundi
Crethea, nimbosam qui sæpe Caphareos arcem,
Euboicasque hiemes, parva transfugerat alno.
Quid non fata queant? traiectus pectora ferro
Volvitur in fluctus: heu cuius naufragus undæ!
Te quoque sublimi transnantem flumina curru,
Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademtis
Dorica cuspis equis: illos violentia sævi
Gurgitis, infelixque iugi concordia mergit.
Nunc age, quis tumidis magnum expugnaverit undis
Hippomedonta labor, cur ipse excitus in arma
Ismenos, doctæ nosse indulgete sorores:
Vestrum opus ire retro, et senium defendere famæ.
Gaudebat Fauno Nymphaque Ismenide natus,
Maternis bellare tener Crenæus in undis;
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
Et natale vadum, et virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elysias ibi posse sorores,
Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
Transit avum: levat unda gradus, seu defluus ille,
Sive obliquus eat; nec cum subit obvius, ullas
Stagna dedere moras, pariterque revertitur amnis.
Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, æstivo nec se magis æquore Triton
Exerit, aut caræ festinus ad oscula matris
Cum remeat, tardumque ferit delphina Palæmon.
Arma decent humeros, clypeusque insignis, et auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
Sidonis hic blandi per candida terga iuvenci
Iam secura maria, teneris iam cornua palmis
Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clypeo, fluctusque secare iuvencum.
Adiuvat unda fidem, pelago nec discolor amnis.
Tunc audax pariter telis et voce proterva
Hippomedonta petit; non hæc fœcunda veneno
Lerna, nec Herculeis haustæ serpentibus undæ.
Sacrum amnem, sacrum, (et, miser, experiere) Deum-
Altrices irrumpis aquas. Nihil ille, sed ibat (que
Cominus: opposuit cumulo se densior amnis,
Tardavitque manum: vulnus tamen illa retentum
Pertulit, atque animæ tota in penetralia sedit.
Horruit unda nefas: sylvæ flevistis utræque;
Et graviora cavæ sonuerunt murmura ripæ.
Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore,
Mater! in hanc miseri ciderunt flumina vocem.
At genitrix cœtu glaucarum cincta sororum
Protinus icta malo, vitrea de valle solutis
Exiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque pectoraque et viridem scidit horrida vestem.
Utque erupit aquis, iterumque, iterumque trementi
Ingeminat, Crenæe, sono: nusquam ille; sed index
Desuper, ah miseræ nimium noscenda parenti,
Parma natat: iacet ipse procul, qua mixta supremum
Ismenon primi mutant confinia ponti.
Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates
Halcyone deserta gemit, cum pignora sævus
Auster, et algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penitusque occulta sub undis
Limite non uno, liquidum qua subter eunti
Lucet iter, miseri nequidquam funera nati
Vestigat, plangitque tamen: sæpe horridus amnis
Obstat, et obducto caligant sanguine visus.
Illa tamen præceps in tela offendit et enses,
Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat

Corpora; nec ponto submotæ intrabat amaram
Dorida, possessum donec iam fluctibus altis
Nereidum miserata cohors ad pectora matris
Impulit: illa manu ceu vivum amplexa reportat,
Insternitque toris riparum, atque humida siccat
Mollibus ora comis, atque hæc ululatibus addit:
Hoc tibi semidei munus tribuere parentes?
Nec mortalis avus? sic nostro in gurgite regnas?
Mitior heu misero discors alienaque tellus,
Mitior unda maris, quæ iuxta flumina corpus
Retulit, et miseram visa expectasse parentem.
Hinc mei vultus? hæc torvi lumina patris?
Hi crines undantis avi? Tu nobile quondam
Undarum nemorumque decus, quo sospite maior
Diva, et Nympharum longe regina ferebar.
Heus ubinam ille frequens modo circa limina matris
Ambitus? orantesque tibi servire Napææ?
Cur nunc te, melius sævo mansura profundo,
Amplexu misero tumulis, Crenæe, reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet (heu) miseretque ruinæ,
Dure parens? quæ te alta et ineluctabilis imo
Condidit amne palus? quo iam nec cruda nepotis
Funera, nec nostri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit, iactatque tuo se in gurgite maior
Hippomedon: illum ripæque undæque tremiscunt.
Illius impulsu nostrum bibit unda cruorem.
Tu piger, et trucibus facilis servire Pelasgis,
Ad cineres saltem supremaque iusta tuorum
Sæve veni, non hic solum accensure nepotem.
His miscet planctus, multumque indigna cruentat
Pectora: cæruleæ referunt lamenta sorores.
Qualiter Isthmiaco nondum Nereida portu
Leucothean planxisse ferunt, dum pectore anhelo
Frigidus in matrem sævum mare respuit infans.
At pater arcano residens Ismenos in antro,
Unde auræ, nubesque bibunt, atque imbrifer Arcus
Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros,
Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) novos-
Accepit natæ gemitus, levat aspera musco (que
Colla, gravemque gelu crinem: ceciditque soluta
Pinus adulta manu, dimissaque volvitur urna.
Illum, per ripas annoso scrupea limo
Ora exertantem sylvæ, fluviique minores
Mirantur: tantus tumido de gurgite surgit,
Spumosum attollens apicem, lapsaque sonoro
Pectora cæruleæ rivis manantia barbæ.
Obvia cognatos gemitus, casumque nepotis, (tum
Nympharum docet una patrem, monstratque cruen-
Auctorem, dextramque premit: stetit arduus alto
Amne; manuque genas, et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo
Incipit: Huncne mihi, Superum regnator, honorem,
Quod toties hospesque tuis et conscius actis,
(Nec memorare timor) falsa nunc improba fronte
Cornua, nunc vetitam currus disiungere Phœben,
Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi,
Præcipuosque alui natorum? An vilis et illis
Gratia? Ad hunc certe repsit Tirynthius amnem:
Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda.
Aspice, quas fluvio cædes, quæ funera portem,
Continuus telis, altoque adopertus acervo.
Omne vadum belli series tenet: omnis anhelat
Unda nefas, subterque animæ supraque recentes
Errant, et geminas iungunt caligine ripas.
Ille ego, clamatus sacris ululatibus amnis,
Qui molles tyrsos Baccheaque cornua puro
Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas
In freta quæro vias; non Strymonos impia tanto
Stagna cruore natant, non spumifer altius Hebrus
Gradivo bellante, rubet: nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus, iampridem oblite parentum
Liber? an Eous melius pacatur Hydaspes?
At tu, qui tumidus spoliis, et sanguine gaudes
Insontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut sævas victor revehere Mycenas,
Ni mortalis ego, et tibi ductus ab æthere sanguis.
Sic ait infrendens, et sponte furentibus undis
Signa dedit: mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia; antiquasque nives et pabula brumæ
Ire iubet: frater tacitas Asopos eunti
Conciliat vires, et hiulcis flumina venis
Suggerit: ipse cavæ scrutatur viscera terræ,
Stagnaque, torpentesque lacus, pigrasque paludes
Excutit, atque avidos tollens ad sidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, et aera siccat.
Iamque super ripas utroque extantior ibat
Aggere, iam medium modo qui superaverat amnem,
Hippomedon intectus aquis humerosque manusque,
Miratur crevisse vadum, seseque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animosaque surgit
Tempestas instar pelagi, cum Pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non secus æquoreo iactat Theumesius amnis
Hippomedonta salo, semperque umbone sinistro
Tollitur, et clypeum nigrante supervenit æstu
Spumeus assultans, fractaque refunditur unda,
Et cumulo maiore redit: nec mole liquenti
Contentus, carpit putres servantia ripas
Arbusta; annosasque trabes, eiectaque fundo
Saxa rotat: stat pugna impar amnisque virique,
Indignante Deo: nec enim dat terga, nec ullis
Frangitur ille minis, venientesque obvius undas
Intrat, et obiecta dispellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus, et poplite tenso
Lubrica saxa natant, genibusque obnixus, et hærens
Subruta fallaci servat vestigia limo,
Sic etiam increpitans: Unde hæc, Ismene, repente
Ira tibi? quove has traxisti gurgite vires,
Imbelli famulante Deo? solumque cruorem
Fœmineis experte choris, cum Bacchica mugit
Buxus, et insanæ maculant trieterida matres?
Dixerat, atque illi sese Deus obtulit ultro
Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ:
Nec sævit dictis, trunca sed pectora quercu
Ter, quater, oppositi, quantum ira Deusque valebant,
Impulit assurgens: tandem vestigia flexit,
Excussumque manu tegimen, conversaque lente
Terga refert: instant undæ, sequiturque labantem
Amnis ovans: necnon saxis et grandine ferri
Desuper infestant Tyrii, geminoque repellunt
Aggere: quid faciat, bellis obsessus et undis?
Nec fugæ iam misero, nec magnæ copia mortis.
Stabat graminææ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio, sed amicior undis
Fraxinus, ingentique vadum possederat umbra.
Huius opem (nam qua terras invaderet?) unca
Arripuit dextra: nec pertulit illa trahentem;
Sed maiore supra, quam stabat pondere victa
Solvitur, et qua stagna subit radice, quibusque
Arentem mordebat humum, demissa superne,
Iniecit trepido sese, ripamque, nec ultra
Passurum subitæ vallavit ponte ruinæ.
Huc undæ coeunt, et ineluctabile cœnum
Verticibusque cavis sedit, crescitque barathrum.
Iamque humeros, iam colla ducis, sinuosa vorago
Circuit: hic demum victus suprema fateri
Exclamat: Fluvione, (pudet!) Mars inclyte, merges
Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo,

Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui? Tandem precibus commota Tonantem
Iuno subit: Quonam miseros, sator inclyte Divum,
Inachidas, quonam usque premes? iam Pallas et odit
Tydea, iam rapto tacuerunt augure Delphi.
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ,
Argolicique lares, numenque ante omnia Iuno,
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit
Præda feris? certe tumulos, supremaque victis
Busta dabas: ubi Cecropiæ post prœlia flammæ?
Theseos ignis ubi est? Non sprevit coniugis æquas
Ille preces: leviterque oculos ad mœnia Cadmi
Retulit, et viso sederunt flumina nutu.
Illius exsangues humeri, et perfossa patescunt
Pectora: ceu ventis alte cum elata, resedit
Tempestas, surgunt scopuli, quæsitaque nautis
Terra, et ab infestis descendunt æquora saxis.
Quid ripas tenuisse iuvat? premit undique nimbo
Telorum Phœnissa cohors: nec tegmina membris
Ulla, omnisque patet leto: tunc vulnera manant,
Quique sub amne diu stupuit cruor, aere nudo
Solvitur, et tenues venarum laxat hiatus,
Incertique labant undarum frigore gressus.
Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus
Cælo mixta comas, ingentemque aera laxat.
Illam nutantem nemus, et mons ipse tremiscit,
Qua tellure cadat, quas obruat ordine sylvas.
Non tamen aut ensem galeamve audacia cuiquam,
Tangere: vix credunt oculis, ingentiaque horrent
Funera, et adstrictis accedunt comminus armis.
Tandem adiit Hypseus, capulumq; in morte tenenti
Extrahit, et torvos laxavit casside vultus:
Itque per Aonios alte mucrone corusco
Suspensam ostentans galeam, et clamore superbit:
Hic ferus Hippomedon; hic formidabilis ultor
Tydeos infandi, debellatorque cruenti
Gurgitis. Agnovit longe, pressitque dolorem,
Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
Hortatur librans: Ades o mihi, dextera, tantum
Tu præsens bellis, et inevitabile numen:
Te voco, te solam Superum contemtor adoro.
Sic ait, et voti sese facit ipse potentem.
It tremebunda abies, clypeum per et ærea terga
Loricæ, tandemque animam sub pectore magno
Deprendit: ruit haud alio quam celsa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus
Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.
Cui super assistens, Non infitiamur honorem
Mortis, ait, refer huc oculos, ego vulneris auctor.
Lætus abi, multumque aliis iactantior umbris.
Tunc ensem, galeamque rapit, clypeumque revellit
Ipsius, exanimemque tenens super Hippomedonta,
Accipe, ait simul hostiles, dux magne, tuasque
Exuvias: veniet cineri decus, et suus ordo
Manibus: interea iustos dum reddimus ignes,
Hoc ultor Capaneus operit tua membra sepulcro.
Sic anceps dura belli vice mutua Graiis
Sidoniisque simul nectebat vulnera Mavors.
Hic ferus Hippomedon, illic non segnior Hypseus
Fletur, et alterni præbent solatia luctus.
Tristibus interea somnum turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis Ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluvio vivente soporem.
Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe et delapsas adytis, quas ipsa dicarat,
Exuvias, seque ignotis errare sepulcris
Extorrem nemoris, Dryadumque a plebe fugatam,
Sæpe novos nati bello rediisse triumphos,
Armaque, et alipedem notum, comitesque videbat,
Nusquam ipsum: nunc ex humeris fluxisse pharetras,
Effigiesque suas, simulacraque nota cremari.
Præcipuos sed enim illa metus portendere visa
Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore sylvas
Quercus erat, Triviæ quam desacraverat ipsa
Electam turba nemorum, numenque colendo
Fecerat: hic arcus, et fessa reponere tela,
Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum
Figere, et ingentes æquantia cornua sylvas.
Vix ramis locus: agrestes adeo omnia cingunt
Exuviæ, et viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc, ut forte iugis longo defessa redibat
Venatu, modo rapta ferox Erymanthidos ursæ
Ora ferens, multu proscissam vulnere cernit
Deposuisse comam, et rorantes sanguine ramos
Expirasse solo: quærenti Nymphis cruentas
Mænadas, atque hostem dixit sævisse Lyæum.
Dum gemit, et planctu circumdat pectus inani,
Abrupere oculi noctem, mœstoque cubili
Exsilit, et falsos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ,
Rore sub Eoo, notasque ex ordine sylvas
Et quercum gavisa videt: tunc limine Divæ
Adstitit, et tali nequidquam voce precatur:
Virgo potens nemorum, cuius non mollia signa
Militiamque trucem, sexum indignata frequento
More nihil Graio: nec te gens aspera ritu
Colchis, Amazoniæve magis coluere catervæ;
Si mihi non unquam thyasi, ludusve protervæ
Noctis, et, inviso quamvis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrsos, aut mollia gessi
Pensa, sed in tetricis et post connubia lustris,
Sic quoque venatrix, animumque innupta, remansi;
Nec mihi secretis culpam occultare sub antris
Cura, sed ostendi natum, posuique trementem
Ante tuos confessa pedes; nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptavit protinus arcus,
Tela puer lacrymis et prima voce poposcit;
Hunc mihi (quid trepidæ noctes somnusq; minantur?)
Hunc, precor, audaci qui nunc ad prœlia voto
Heu nimium tibi fisus abit, da visere belli
Victorem, vel si ampla peto, da visere tantum.
Hic sudet, tuaque arma ferat: preme, Diva, malorum
Signa: quid in nostris, nemoralis Delia, sylvis
Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant?
Hei mihi! cur penitus (simque augur cassa futuri)
Cur penitus, magnoque interpretor omine quercum?
Quod si vera sopor miseræ præsagia mittit,
Per te maternos, mitis Dictynna, labores,
Fraternumque decus, iustis hunc fige sagittis
Infelicem uterum: miseræ sine funera matris
Audiat ille prior. Dixit, fletuque soluto,
Aspicit et niveæ saxum maduisse Dianæ.
Illam Diva ferox etiamnum in limine sacro
Expositam, et gelidas verrentem crinibus aras,
Linquit, et in mediis frondentem Mænalon astris
Exsuperat gressu, saltumque ad mœnia Cadmi
Destinat, interior cœli qua semita lucet
Dis tantum, et cunctas iuxta videt ardua terras.
Iamque fere medium Parnassi frondea præter
Colla tenebat iter, cum fratrem in nube corusca
Aspicit haud solitum visu; remeabat ab armis

Mœstos Echionlis, demersi funera lugens
Auguris: irrubuit cœli plaga sidere mixto,
Occursuque sacro pariter iubar arsit utrinque,
Et coiere arcus, et respondere pharetræ.
Ille prior: Scio Labdacidas, germana, cohortes,
Et nimium fortes ausum petis Arcada pugnas.
Fida rogat genitrix: utinam indulgere precanti
Fata darent! en ipse mei (pudet) irritus arma
Cultoris, frondesque sacras, ad inania vidi
Tartara, et in memet versos descendere vultus:
Nec tenui currus, terræque abrupta coegi,
Sævus ego, immeritusque coli: lugentia cernis
Antra, soror, mutasque domos: hæc sola rependo
Dona pio comiti: nec tu peritura movere
Auxilia, et mœstos in vanum perge labores.
Finis adest iuveni: non hoc mutabile fatum;
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.
At decus extremum misero, confusa vicissim
Virgo refert, duræque licet solatia morti
Quærere: nec fugiet pœnas, quicunque nefandam
Insontis pueri scelerarit sanguine dextram
Impius: et nostris fas sit sævire sagittis.
Sic effata movet gressus, libandaque fratri
Parcius ora tulit, Thebasque infesta petivit.
At pugna ereptis maior crudescit utrinque
Regibus, alternosque ciet vindicta furores.
Hypseos hinc turmæ, desolatumque magistro
Agmen, at hinc gravius fremit Hippomedontis ademti
Orba cohors: præbent nixi pectora ferro:
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudisse suum: nec se vestigia mutant.
Stat cuneo defixa acies, hostique cruento
Dant animas, et terga negant: cum lapsa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Adstitit: agnoscunt colles, notamque tremiscit
Sylva Deam, sævis ubi quondam exerta sagittis
Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.
Illum acies inter medias, iam cæde superbum,
Nescius armorum, et primas tunc passus habenas
Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, et auratis adverberat unguibus armos.
Colla sedent, nodis et castigata iubarum
Libertas, nemorisque notæ sub pectore primo
Iactantur, niveo lunata monilia dente.
Ipse bis Œbalio saturatam murice pallam,
Lucentesque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo
Cornipedis lævo clypeum demiserat armo,
Ense gravis nimio; tereti iuvat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus,
Vaginæque sonum, tremulumque audire pharetræ
Murmur, et a collo missas in terga catenas.
Interdum cristas hilaris iactare comantes,
Et pictum gemmis galeæ iubar: ast ubi pugna
Cassis anhela calet; resoluto vertice nudus
Exoritur: tunc dulce comæ, radiisque micantes
Dulce nitent visus, et, quas dolet ipse morari,
Nondum mutatæ roseæ lanugine malæ.
Nec formæ sibi laude placet, multumque severis
Asperat ora minis: sed frontis servat honorem
Ira decens: dat sponte locum Thebana iuventus,
Natorum memores, intentaque tela retorquent:
Sed premit, et sævas miserantibus ingerit hastas.
Illum et Sidoniæ iuga per Theumesia nymphæ
Bellantem, atque ipso sudore et pulvere gratum
Laudant, et tacito ducunt suspiria voto.
Talia cernenti mitis subit alta Dianæ
Corda dolor, fletuque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram Dea fida propinqui
Effugium? hæcne ultro properasti ad prœlia, sæve
Ac miserande puer? cruda, heu festinaque virtus
Suasit, et hortatrix animosi gloria leti.
Scilicet angustum iamdudum urgentibus annis
Mænalium tibi, parve, nemus, perque antra ferarum
Vix tutæ sine matre viæ, silvestria cuius
Nondum tela procax, arcumque implere valebas.
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores, et limina lassat.
Tu dulces lituos, ululataque prœlia gaudes
Felix, et miseræ tantum periture parenti.
Ne tamen extremo frustra morientis honori
Affuerit, venit in medios caligine fulva
Septa globos, primumque leves furata sagittas
Audacis tergo pueri, cœlestibus implet
Coryton telis, quorum sine sanguine nullum
Effugit. Ambrosio tunc spargit membra liquore,
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantusque sacros, et conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.
Tunc vero exerto circumvolat igneus arcu,
Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique
Immemor, et nimium cœlestibus utitur armis.
Ut leo, cui parvo mater Gætula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla iubis, torvusque novos respexit ad ungues,
Indignatur ali, tandemque effusus apertos
Liber amat campos, et nescit in antra reverti.
Quos, age, Parrhasio sternis, puer improbe, cornu?
Prima Tanagræum turbavit arundo Chorœbum
Extremo galeæ, primoque in margine parmæ
Angusta transmissa via: stat faucibus unda
Sanguinis, et sacri facies rubet igne veneni.
Sævius Eurytion, cui luminis orbe sinistri
Aspera tergeminis acies se condidit uncis.
Ille trahens oculo plenam labente sagittam
Ibat in auctorem: sed Divum fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Explevit tenebras: sequitur tamen improbus hostem,
Qua meminit, fusum donec prolapsus in Ilam
Decidit: hic sævi miser inter funera belli
Palpitat, et mortem sociosque, hostesque precatur.
Addit Abantiadas, insignem crinibus Argum,
Et male dilectum miseræ Cydona sorori.
Illi perfossum telo patefecerat inguen:
Huic geminum obliqua traiecit arundine tempus.
Extitit hac ferrum, velox hac penna remansit;
Fluxit utrinque cruor: nulli tela aspera mortis
Dant veniam: non forma Lamum, non infula Lygdum,
Non pubescentes texerunt Æolon anni.
Figitur ora Lamus, flet saucius inguina Lygdus,
Perfossam telo niveam gemis, Æole, frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe
Miserat, hunc virides, non excipietis, Amyclæ.
Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit
Missile: nec requies dextræ, sonitumque priori
Iungit arundo sequens: unum quis crederet arcum?
Aut unam sævire manum? modo dirigit ictus?
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit instantes, et solo respicit arcu.
Et iam mirantes, indignantesque, coibant
Labdacidæ, primusque Iovis de sanguine claro
Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
Ille daret: Quonam usque moram lucrabere fati,
O multum meritos puer orbature parentes?
Quin etiam menti tumor atque audacia gliscit,
Congressus dum nemo tuos pugnamque minorem
Dignatur bellis, iramque relinqueris infra.

I, repete Arcadiam, mixtusque æqualibus illic,
Dum ferus hic vero desævit pulvere Mavors,
Prælia lude domi: quod si te mœsta sepulcri
Fama movet, dabimus, leto moriere virorum.
Iamdudum hunc contra stimulis graviuribus ardet
Trux Atalantiades, nec dum ille quieverat, infit:
Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus, arma
Profero: quisnam adeo puer, ut bellare recuset
Talibus? Arcadiæ stirpem, et fera semina gentis,
Non Thebana vides: non me sub nocte silenti
Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo
Edidit: haud unquam deformes vertice mitras
Induimus, turpique manu iactavimus hastam.
Protinus adstrictos didici reptare per amnes,
Horrendasque domos magnarum intrare ferarum:
Et quid plura loquar? ferrum mea semper et arcus
Mater habet, vestri feriunt cava tympana patres.
Non tulit Amphion, vultumque et in ora loquentis
Telum immane rotat: sed ferri lumine diro
Turbatus sonipes, sese dominumque retorsit
In latus, atque avidam transmisit devius hastam.
Acrior hoc iuvenem stricto mucrone petebat
Amphion; cum se medio Latonia campo
Iniicit ante oculos: omni stetit obvia vultu.
Hærebat iuveni devinctus amore pudico
Mænalius Dorceus, cui bella, suumque timorem
Mater, et audaces pueri mandaverat annos.
Huius tum vultum Dea dissimulata profatur:
Hactenus Ogygias satis infestasse catervas,
Parthenopæe, satis: miseræ iam parce parenti,
Parce Deis, quicunque favent. Nec territus ille,
Hunc sine me, (nec plura petam) fidissime Dorceu,
Sternere humi, qui tela meis gerit æmula telis,
Et similes cultus, et frena sonantia iactat.
Frena regam: cultus, Triviæ pendebitis alto
Limine, captivis matrem donabo pharetris.
Audiit, et mixto risit Latonia fletu.
Viderat hanc cœli iamdudum in parte remota
Gradivum complexa Venus: dumque anxia Thebas
Commemorat, Cadmumque viro, caræque nepotes
Harmoniæ, pressum tacito sub corde dolorem
Tempestiva movet. Nonne hanc, Gradive, protervam
Virginitate vides mediam se ferre virorum
Cœtibus? utque acies audax, et Martia signa
Temperet? en etiam donat, præbetque necandos
Tot nostra de gente viros: huic tradita virtus,
Huic furor? agrestes superest tibi figere damas.
Desiluit iustis commotus in arma querelis
Bellipotens, cui sola vagum per inane ruenti
Ira comes, reliqui sudant ad bella Furores.
Nec mora, cum mœstam monitu Latnida duro
Increpat assistens: Non hæc tibi prœlia Divum
Dat pater: armiferum ni protinus improba campum
Deseris, huic æquam nosces nec Pallada dextræ.
Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis,
Hinc plenæ tibi, parve, colus, Iovis inde severi
Vultus: abit solo post hæc devicta pudore.
At pater Ogygias Mavors circumspicit alas,
Horrendumque Dryanta movet, cui sanguinis auctor
Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ.
Inde furit primum: hic turbatos arripit ense
Arcadas, exarmatque ducem: cadit agmine longo
Cyllenes populus, Tegeesque habitator opacæ,
Æpytiique duces fugiunt, Pheneique phalanges.
Ipsum autem at lassa fidit prosternere dextra,
Nec servat vires: etenim huc iam fessus et illuc,
Mutabat turmas: urgent præsagia mille
Funeris, et nigræ præcedunt nubila mortis.
Iamque miser raros comites, verumque videbat
Dorcea, iam vires paulatim abscedere sentit,
Sentit et exhaustas humero leviore pharetras.
Iam minus atque minus fert arma, puerque videtur
Et sibi, cum torva clypei metuendus obarsit
Luce Dryas: tremor ora repens ac viscera torsit
Arcados: utque feri vectorem fulminis albus
Cum supra respexit olor, cupit hiscere ripam
Strymonos, et trepidas in pectora contrahit alas:
Sic iuvenem sævi conspecta mole Dryantis,
Iam non ira subit, sed leti nuntius horror.
Arma tamen, frustra superos Triviamque precatus,
Molitur pallens, et surdos expedit arcus.
Iamque instat telis, et utramque obliquus in ulnam
Cornua contingit mucrone, et pectora nervo.
Cum ducis Aonii magno cita turbine cuspis
Fertur in adversum, nervique obliqua sonori
Vincla secat, pereunt ictus, manibusque remissis
Vana supinato ceciderunt spicula cornu.
Tunc miser et frenos turbatus, et arma remisit,
Vulneris impatiens, humeri qua tegmina dextri
Intrarat, facilemque cutem: subit altera cuspis,
Cornipedisque fugam succiso poplite sistit.
Tunc cadit ipse Dryas, (mirum) nec vulneris usquam
Conscius, olim auctor teli, causæque patebant.
At puer, infusus sociis, in devia campi
Tollitur, (heu simplex ætas!) moriensque iacentem
Flebat equum: cecidit laxata casside vultus,
Ægraque per trepidos expirat gratia visus,
Et prensis concussa comis, ter colla, quaterque
Stare negant, ipsisque nefas lacrymabile Thebis,
Ibat purpureus niveo de pectore sanguis.
Tandem hæc singultu verba incidente profatur:
Labimur, i, miseram, Dorceu, solare parentem.
Illa quidem, si vera ferunt præsagia curæ,
Aut somno iam triste nefas, aut omine vidit.
Tu tamen arte pia trepidam suspende, diuque
Decipito; neu tu subitus, neve arma tenenti
Veneris, et tandem, cum iam cogere fateri,
Dic: Merui, genitrix, pœnas, invita capessens
Arma puer rapui, nec te retinente quievi:
Nec tibi sollicitæ saltem inter bella peperci.
Vive igitur, potiusque animis irascere nostris:
Et iam pone metus: frustra de colle Lycæi
Anxia prospectas, si quis per nubila longe
Aut sonus, aut nostro sublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda iaceo tellure, nec usquam
Tu prope, quæ vultus, efflantiaque ora teneres.
Hunc tamen, orba parens, crinem (dextraq; secandum
Præbuit) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem frustra me dedignante solebas.
Huic dabis exequias: atque inter iusta memento,
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,
Dilectosque canes ullis agat amplius antris.
Hæc autem primis arma infelicia castris
Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

Liber decimus

Observat Hesperia Phœbum nox humida porta,
Imperiis properata Iovis: nec castra Pelasgum
Aut Tyrias miseratus opes, sed triste, tot extra
Agmina et immeritas ferro decrescere gentes.
Panditur immenso deformis sanguine campus.
Illic arma, et equos, ibant quibus ante superbi,
Funeraq; orba rogis, neglectaq; membra relinquunt.
Tunc inhonora cohors laceris insignibus ægras
Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma
Angustæ populis, late cepere reversos.
Par utrinque dolor: sed dant solatia Thebis
Quatuor errantes Danaum sine præside turmæ,

Ceu mare per tumultum viduæ moderantibus alui,
Quas Deus, et casus, tempestatesque gubernant.
Inde animus Tyriis, non iam sua castra, sed ultro
Hostilem servare fugam, ne forte Mycenas,
Contenti rediisse petant. Dat tessera signum
Excubiis, positæque vices. Dux noctis opertæ
Sorte Meges, ultroque Lycus: iamque ordine lusso
Arma, dapes, ignemque ferunt: rex firmat euntes:
Victores Danaum (nec enim lux crastina longe,
Nec quæ pro timidis intercessere tenebræ
Semper erunt) augete animos, et digna secundis
Pectora ferte Deis: iacet omnis gloria Lernæ.
Præcipuæque manus: subiit ultricia Tydeus
Tartara: mors subitam nigri stupet auguris umbram:
Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis:
Arcada belligeris pudet annumerare tropæis.
In manibus merces: nusquam capita ardua belli
Monstrat, aeque ducum septena per agmina cristæ.
Scilicet Adrasti senium, fraterque iuventa
Peior, et insanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas.
Nulli ex hoste metus: prædam asservatis opesque
Iam vestras. Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas: iuvat exhaustos iterare labores.
Sicut erat pulvis sudorque cruorque per artus
Mixtus adhuc, vertere gradum: vix obvia passi
Colloquia, amplexus etiam, dextrasque suorum
Excussere humeris: tunc frontem, aversaque terga
Partiti, laterumque sinus, vallum undique cingunt
Ignibus infestis: rabidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.
Iam stabula ipsa premunt: torquet spes irrita fauces,
Balatusque tremens, pinguesque ab ovilibus auræ.
Quod superest, duris affrangunt postibus ungues,
Pectoraque, et siccos minuunt in limine dentes.
At procul Argolici supplex in margine templi
Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopeides aras
Sceptriferæ Iunonis opem, reditumque suorum
Exposcunt, pictasque fores, et frigida vultu
Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.
Condiderant iam vota diem: nox addita curas
Iungit, et aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cuius mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat, calathis castæ velamina Divæ
Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis
Expers connubii, et timide positura sororem,
Lumine demisso pueri Iovis oscula libat
Simplex, et nondum furtis offensa mariti.
Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres
Induerant ebur, et lacrymis questuque rogabant:
Adspice sacrilegas Cadmeæ pellicis arces,
Siderei regina poli, tumulumque rebellem
Disiice, et in Thebas alud (potes) excute fulmen.
Quid faciat? scit fata suis contraria Graiis,
Aversumque Iovem: sed nec periisse precatus
Tantaque dona velit: tempus tamen obvia magni
Fors dedit auxilii: videt alto ex æthere clausa
Mœnia, et insomni vallum statione teneri.
Horruit irarum stimulis, motaque verendum
Turbavit diadema coma: non sævius arsit
Herculeæ cum matris onus, geminosque Tonantis
Concubitus, vacuis indignaretur in astris.
Ergo intempesta somni dulcedine captos
Destinat Aonios leto præbere: suamque
Orbibus accingi solitis iubet Irin, et omne
Mandat opus: paret iussis Dea clara, polumque
Linquit, et in terras longo suspenditur arcu.
Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis,
Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro
Lucus iners: subterque cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem, qua desidis atria Somni,
Securumque larem, segnis Natura locavit.
Limen opaca Quies et pigra Oblivia servant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia vestibulo, pressisque Silentia pennis
Muta sedent, abiguntque truces a culmine ventos,
Et ramos errare vetant, et murmura demunt
Alitibus: non hic pelagi, licet omnia clament
Litora, non illic cœli fragor: ipse, profundis
Vallibus effugiens, speluncæ proximus amnis,
Saxa inter scopulosque, tacet: nigrantia circa
Armenta, omne solo recubat pecus, et nova marcent
Germina, terrarumque inclinat spiritus herbas.
Mille intus simulacra Dei cælaverat ardens
Mulciber, hic hæret lateri redimita Voluptas,
Hic comes in requiem vergens Labor: est ubi Baccho,
Est ubi Martigenæ socium pulvinar Amori
Obtinet: interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte iacet: nullique ea tristis imago.
Ipse autem, vacuus curis, humentia subter
Antra, soporifero stipatus flore, tapetas
Incubat: exhalant vestes, et corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor: manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines; hæc cornu oblita remisit.
Adsunt innumero circum vaga somnia vultu,
Vera simul falsis, permixtaq; tristia blandis. (rent,
Noctis opaca cohors, trabibusque aut postibus hæ-
Aut tellure iacent: tenuis, qui circuit autem,
Invalidusque nitor, primosque hortantia somnos,
Languida succiduis expirant lumina flammis.
Huc se cœruleo libravit ab æthere virgo
Discolor: effulgent sylvæ, tenebrosaque Tempe
Arrisere Deæ, et zonis lucentibus icta
Evigilat domus. Ipsa autem, nec lampade clara
Nec sonitu, nec voce Deæ perculsus, eodem
More iacet; donec radios Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.
Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix:
Sidonios te Iuno duces, mitissime Divum
Somne, iubet populumque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil asservat vallum, et tua iussa recusat.
Da precibus tantis, (rara est hoc posse facultas,)
Placatumque Iovem dextra Iunone merere.
Dixit, et increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterumque, iterumque monebat.
Ille Deæ iussis dubium, mixtumque sopori
Annuit: excedit gravior nigrantibus antris
Iris, et obtusum multo iubar excitat imbri.
Ipse quoque et volucrem gressum, et ventosa citavit
Tempora, et obscuri sinuatam frigore cœli
Implevit chlamydem, tacitoque per æthera cursu
Fertur, et Aoniis longe gravis imminet arvis.
Illius aura solo volucres pecudesque ferasque
Explicat, et penitus, quacumque supervolat orbem,
Languida de scopulis sidunt freta, pigrius hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina sylvæ,
Pluraque laxato ceciderunt sidera cœlo.
Primus adesse Deum subita caligine sensit
Campus, et innumeræ voces fremitusque virorum
Submisere sonum: cum vero humentibus alis
Incubuit, piceaque haud umquam densior umbra
Castra subit, errare oculi, resolutaque colla,

Et medio affatu verba imperfecta relinqui.
Mox et fulgentes clypeos et sæva remittunt
Pila manu, lassique caduut in pectora vultus.
Et iam cuncta sileut: ipsi iam stare recusant
Cornipedes: ipsos subitus cinis abstulit ignes.
At non et trepidis eadem sopor otia Graiis
Suadet, et a iunctis arcet sua nubila castris
Noctivagi vis blanda Dei; stant undique in armis,
Fœdam indignantes noctem, vigilesque superbos.
Ecce repens, Superis animum lymphantibus, horror
Thiodamanta subit, formidandoque tumultu
Pandere fata iubet: sive hanc Saturnia mentem,
Sive novum comitem bonus instigabat Apollo.
Prosilit in medios, visu audituque tremendus,
Impatiensque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant stimuli, nudusque per ora
Stat furor, et trepidas incerto sanguine reddit,
Exhauritque genas: acies huc errat et illuc;
Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat.
Sic Phryga terrificis Genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro
Scire vetat: quatit ille sacras in pectora pinus,
Sanguineosque rotat crines, et vulnera cursu
Exanimat: pavet omnis ager, respersaque cultris
Arbor, et attoniti currum erexere leones.
Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger
Rerum extrema movens, frustra consultat Adrastus.
Stant circum subiti proceres, ut quisque peremto
Proximus, et magnis loca desolata tuentur
Regibus, haud læti, seque huc crevisse dolentes.
Non secus amisso medium cum præside puppis
Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi,
Aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto
Prora fuit: stupet ipsa ratis, tardeque sequuntur
Arma; nec accedit domino tutela minori.
Ergo alacer trepidos sic erigit augur Achivos:
Magna Deum mandata, duces, monitusque verendos
Advehimus: non hæ nostro de pectore voces.
Ille canit, cui me famulari, et sumere vittas
Vestra fides, ipso non discordante, subegit.
Nox fœcunda operum, pulchræq; accommoda fraudi
Panditur augurio Divum. Vocat obvia virtus,
Et poscit Fortuna manus. Stupet obruta somno
Aonidum legio: tempus nunc funera regum
Ulcisci, miserumque diem: rapite arma, morasque
Frangite portarum: sociis hoc subdere flammas,
Hoc tumulare suos: equidem hoc, et Marte diurno,
Dum res infractæ, pulsique in terga redimus,
(Per tripodas iuro, et rapti nova fata magistri)
Vidi, et me volucres circumplausere secundæ.
Sed nunc certa fides; modo me, sub nocte silenti,
Ipse, ipse assurgens iterum tellure soluta,
Qualis erat (solos infecerat umbra iugales)
Amphiaraus adit: vanæ nec monstra quietis,
Nec somno comperta loquor. Tune, inquit, inertes
Inachidas (redde hæc Parnassia serta, meosque
Redde Deos) tantam patiere amittere noctem,
Degener? Hæc egomet cœli secreta, vagosque
Edocui lapsus? Vade eia, ulciscere ferro
Nos saltem: dixit, meque hæc ad limina visus,
Cuspide sublata, totoque impellere curru.
Quare agite, utendum Superis: non cominus hostes
Sternendi: bellum iacet, et sævire potestas.
Ecqui aderunt? quos ingenti se attollere fama
Non pigeat, dum fata sinunt? Iterum ecce benignæ
Noctis aves: sequor, et comitum licet agmina cessent,
Solus eo, solus: venit ille, et quassat habenas.
Talia vociferans, noctem exturbabat, euntque
Non secus accensi proceres, quam si omnibus idem
Corde Deus: flagrant comitari, et iungere casus.
Ter denos numero, turmarum robora, iussus
Ipse legit: circa fremit indignata iuventus
Cætera, cur maneant castris, ignavaque servent
Otia: pars sublime genus, pars facta suorum,
Pars sua: sortem alii clamant, sortem undiq; poscunt.
Gaudet in adversis, animoque assurgit, Adrastus.
Vertice sic Pholoes volucrum nutritor equorum,
Cui fetura gregem pecoroso vere novavit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo sub corde movet, qui molle domandi
Ferre iugum, qui terga boni, quis in arma tubasque
Natus, ad Eleas melior quis surgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ.
Nec deest cœptis: Unde hæc tam sera repente
Numina? qui fractos Superi redistis ad Argos?
Estne hic infelix virtus? gentique superstes
Sanguis, et in miseris animorum semina durant?
Laudo equidem, egregii iuvenes, pulchraq; meorum
Seditione fruor: sed fraudem et operta paramus
Prœlia, celandi motus: nunquam apta latenti
Turba dolo: servate animos: venit ultor in hostes
Ecce dies: tunc arma palam, tunc ibimus omnes.
His tandem virtus iuvenum frenata quievit.
Non aliter, moto quam si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosus, et omne
Claudat iter, iam iam sperantibus æquora ventis.
Insuper Herculeum sibi iungit Agyllea vates,
Actoraque: hic aptus suadere, hic robora iactat
Non cessisse patri: comites tribus ordine deni,
Horrendum Aoniis, et contra stantibus, agmen.
Ipse, novi gradiens furta ad Mavortia belli,
Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,
Longævique ducis gremio commendat honorem
Frontis; et oblatam Polynicis munere grato
Loricam, galeamque subit: ferus Actora magno
Ense gravat Capaneus, ipse haud dignatus in hostem
Ire dolo, Superosque sequi: permutat Agylleus
Arma trucis Nunii: quid enim, fallentibus umbris,
Arcus et Herculeæ iuvissent bella sagittæ?
Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas,
Ne gravis exclamet portæ mugitus ahenæ,
Præcipitant saltu: nec longum, et protinus ingens
Præda solo; ceu iam exanimes, multoque peracti
Ense iacent. Ite, o socii, quacumque voluptas
Cædis inexhaustæ: Superisque faventibus, oro,
Sufficite, hortatur clara iam voce sacerdos:
Cernitis expositas turpi marcore cohortes.
Pro pudor! Argolicas hine ausi obsidere portas?
Hi servare viros? Sic fatus, et exuit ensem
Fulmineum, rapidaque manu morientia transit
Agmina: quis numeret cædes? aut nomine turbam
Exanimem signare queat? subit ordine nullo
Tergaque, pectoraque, et galeis inclusa relinquit
Murmura; permiscetque vagos in sanguine Manes.
Hunc temere explicitum stratis, hunc sero remissis
Gressibus illapsum clypeo, et male tela tenentem:
Cœtibus hos mediis vina inter et arma iacentes;
Acclines clypeis alios, ut quemque ligatum
Infelix tellure sopor, supremaque nubes
Obruerat: nec numen abest; armataque Iuno,
Lunarem quatiens exerta lampade dextra
Pandit iter, firmatque animos, et corpora monstrat.
Sentit adesse Deam tacitus, sed gaudia celat,
Thiodamas: iam tarda manus, iam debile ferrum,
Et caligantes nimiis successibus iræ.
Caspia non aliter, magnorum in strage iuvencum

Tigris, ubi immenso rabies placata cruore,
Lassavitque genas, et crasso sordida tabo
Confudit maculas, spectat sua facta, doletque
Defecisse famem: victus sic augur inerrat
Cædibus Aoniis: optet nunc brachia centum,
Centenasque in bella manus: iam tædet inanes
Exhaurire minas, hostemque assurgere malit.
Parte alia segnes magno satus Hercule vastat
Sidonios, Actorque alia: sua quemque cruento
Limite turba subit: stagnant nigrantia tabo
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, somnique et mortis anhelitus una
Volvitur: haud quisquam visus aut ora iacentum
Erexit: tali miseris Deus aliger umbra
Incubat, et tantum morientia lumina solvit.
Traxerat insomnis cithara, ludoque suprema
Sidera, iam nullos visurus Ialmenus ortus,
Sidonium Pæana canens: huic languida cervix
In lævum cogente Deo, mediaque iacebant
Colla relicta lyra: ferrum per pectus Agyleus
Exigit, aptatamque cava testudine dextram
Percutit et digitos inter sua fila trementes.
Proturbat mensas dirus liquor: undique manant
Sanguine permixti latices, et Bacchus in altos
Crateras paterasque redit: ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrum. Tagus haurit Ethecli
Terga coronati. Danaus caput amputat Hebri.
Nescius, heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelida subter iuga fida rotasque
Palpetus, Aonios gramen gentile metentes,
Prollatu terrebat equos: madida ora redundant,
Accensusque mero sopor æstuat: ecce iacentis
Inachius vates iugulum fodit: expulit ingens
Vina cruor, fractumque perit in sanguine murmur.
Fors illi præsaga quies, nigrasque gravatus
Per somnum Thebas, et Thiodamanta videbat.
Quarta soporiferæ superabant tempora nocti,
Cum vacuæ nubes, et honor non omnibus astris,
Afflatusque fugit curru maiore Bootes.
Iamque ipsum defecit opus, cum providus Actor
Thiodamanta vocat: Satis hæc inopina Pelasgis
Gaudia: vix ullos tanto reor agmine sævam
Effugisse necem, ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita: secundis
Pone modum: sunt et diris sua numina Thebis.
Forsitan et nobis modo quæ favere, recedunt.
Paruit, et madidas tollens ad sidera palmas:
Phœbe, tibi exuvias monstratæ præmia noctis, (vi,
Nondum ablutus aquis, tibi enim hæc ego sacra lita-
Tradit ferus miles tripodum, fidusque sacerdos.
Si non dedecui tua iussa, tulique prementem,
Sæpe veni: sæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos, trunca arma, cruorque viro-
At patrias si quando domos, optataque, Pæan, (rum:
Templa, Lycie, dabis, tot ditis dona sacratis
Postibus, et totidem voti memor exige tauros.
Dixerat, et lætis socios revocabat ab armis.
Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus,
Mænaliusque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites, quorum post funera mœsti
Vitam indignantur: prior Arcada concitat Hopleus:
Nullane post Manes regis tibi cura peremti,
Care Dyma? teneant quem iam fortasse volucres
Thebanique canes: patriæ quid deinde feretis,
Arcades? en reduces contra venit aspera mater.
Funus ubi? At nostro semper sub pectore Tydeus
Sævit inops tumuli: quamvis patientior artus
Ille, nec abruptis adeo lacrymabilis annis.
Ire tamen, sævumque libet nullo ordine passim
Scrutari campum, mediasque irrumpere Thebas.
Excipit orsa Dymas: Per ego hæc vaga sidera iuro,
Per ducis errantes instar mihi numinis umbras,
Idem ardor misero: comitem circumspicit olim
Mens humilis luctu: sed nunc prior ibo: viamque
Inchoat, et mœsto conversus ad æthera vultu
Sic ait: Arcanæ moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, et in silvas alio descendere vultu,
Ille comes nuper, nemorumque insignis alumnus,
Ille tuus, Diana, puer (nunc respice saltem)
Quæritur: incendit pronis Dea curribus almum
Sidus, et admoto monstravit funera cornu.
Apparent campi, Thebæque, altusque Cithæron.
Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Iupiter, absiliunt nubes, et fulgure claro
Astra patent, subitusque oculis ostenditur orbis.
Accepit radios, et eadem percitus Hopleus
Tydea luce videt: longe dant signa per umbras
Mutua lætantes, et amicum pondus uterque,
Ceu reduces vitæ, sævaque a morte remissos,
Subiecta cervice levant: nec verba, nec ausi
Flere diu: prope sæva dies, iudexque minatur
Ortus: eunt taciti per mœsta silentia magnis
Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, et fors ingentibus ausis
Rara comes: iam castra vident, armisq; propinquant,
Et decrescit onus: subiti cum pulvere umbra,
Et sonus a tergo: monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul (nec dum tutas lux solverat umbras)
Nescio quid visu dubium, incertumque moveri,
Corporaque ire videt: subitus mox fraude reperta
Exclamat: Cohibete gradum quicunque. Sed hostes,
Esse patet: miseri pergunt anteire, timentque
Non sibi: tunc mortem trepidis minitatur, et ha-
Expulit, ac vanos alte levat eminus ictus, (stam
Affectans errare manus. Stetit ille Dymantis
Ante oculos, qui forte prior, gressumque repressit.
At non magnanimus curavit perdere iactus
Æpytus, et fixo transverberat Hoplea tergo,
Pendentesque etiam perstrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus,
Expiratque tenens: felix, si corpus ademtum
Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.
Viderat hoc retro conversus, at agmina sentit
Iuncta Dymas, dubius precibusne subiret, an armis
Instantes: arma ira dabat; fortuna precari,
Non audere iubet: neutri fiducia cœpto.
Distulit ira preces; ponit miserabile corpus
Ante pedes: tergoque graves, quas forte gerebat
Tigridis exuvias in lævum torquet, et obstat
Exsertum obiectans mucronem, inque omnia tela
Versus, et ad cædem iuxta, mortemque paratus:
Ut lea, quam sævo fœtam pressere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat
Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens.
Illa quidem turbare globos, et frangere morsu
Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit
Pectora, et a media catulos circumspicit ira.
Et iam læva viro, quamvis sævire vetaret
Amphion, erepta manus, puerique trahuntur
Ora supina comis: serus tunc denique supplex
Demisso mucrone rogat: Moderatius, oro,
Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoamque fugam, vestrique Palæmonis annos.
Si cui forte domi natorum gaudia, si quis

Hic pater, angusti puero date pulveris haustus,
Exiguamque facem. Rogat, en rogat ipse iacentis
Vultus: ego infandas potior satiare volucres.
Me præbete feris: ego bella audere coegi.
Immo, ait Amphion, regem si tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelasgis,
Quid fracti, exsanguesque parent: cuncta ocyus effer,
Et vita, tumuloque ducis donatus, abito.
Horruit, et toto præcordia protinus Arcas
Implevit capulo. Summumne hoc cladibus, inquit,
Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?
Nil emimus tanti; nec sic velit ipse cremari.
Sic ait, et magno proscissum vulnere pectus
Iniecit puero, supremaque murmura volvens:
Hoc tamen interea caro potiere sepulcro.
Tales optatis regum in complexibus ambo,
Par insigne animis Ætolus, et inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letoque fruuntur.
Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
Inferiore lyra, memores superabitis annos.
Forsitan et comites non adspernabitur umbras
Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceantque dolum, captivaque corpora reddant,
Mittit ovans. Clausis ipse insultare Pelasgis
Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus.
Interea reducem murorum e culmine Graii
Thiodamanta vident: nec iam erumpentia celant
Gaudia, ut exertos enses, et cæde recenti
Arma rubere notant: novus assilit æthera magnus
Clamor, et e summo pendent cupida agmina vallo,
Noscere quisque suos: volucrum sic turba recentum,
Cum reducem longo prospexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, summaque e margine nidi,
Exstat hians: iam iamque cadat, ni pectore toto
Obstet aperta parens, et amantibus increpet alis.
Dumque opus arcanum, et taciti compendia Martis
Enumerant, lætisque suos complexibus implent,
Hopleaque exquirunt, tardumque Dymanta queruntur,
Ecce et Dirceæ iuxta dux concitus alæ
Venerat Amphion: non longum cæde recenti
Lætatus, videt innumeris fervere catervis
Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.
Qui tremor illicita cœli de lampade tactos,
Hic fixit iuvenem, pariterque horrore sub uno
Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem
Ipse ultro convertit equus: fugit ala retorto
Pulvere: nondum illi Thebarum claustra subibant,
Et iam Argiva cohors nocturno freta triumpho
Prosilit in campos: per et arma, et membra iacentum,
Tetraque congerie sola, semianimumque cruorem,
Cornipedes ipsique ruunt. Gravis exterit artus
Ungula, sanguineus lavat imber, et impedit axes.
Dulce viris hac ire via, ceu tecta superbi
Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.
Hortatur Capaneus: Satis occultata, Pelasgi,
Delituit virtus: nunc nunc mihi vincere pulchrum
Teste die: mecum clamore et pulvere aperto
Ite palam, iuvenes: sunt et mihi provida dextræ
Omina, et horrendi stricto mucrone furores.
Sic ait. Ardentes alacer succendit Adrastus,
Argolicusque gener: sequitur iam tristior augur.
Iamque premunt muros et adhuc nova funera narrat
Amphion miseramque intrabant protinus urbem,
Ni Megareus specula citus exclamasset ab altu:
Claude, vigil: subeunt hostes: claude undique portas.
Est ubi dat vires nimius timor: ocyus omnis
Porta coit: solas dum tardius arctat Echion
Ogygias, audax animi Spartana iuventus
Irrupit, cæsique ruunt in limine primo,
Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
Œbalus Eurotæ: tuque, o spectate palæstris
Omnibus, et nuper Nemeæo in pulvere felix,
Alcidama, primis quem cæstibus ipse ligarat
Tyndarides, nitidi moriens convexa magistri
Respici: averso pariter Deus occidit astro.
Te nemus Œbalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, et falso gurges cantatus olore
Flebit; Amyclæis Triviæ lugebere Nymphis:
Et quæ te leges præceptaque fortia belli
Erudiit genitrix, nimium dedicisse queretur.
Talis Echionio Mavors in limine sævit.
Tandem humeris obnixus Acron, et pectore toto
Pronus Alimenides, ferratæ robora portæ
Torserunt; quanta pariter cervice gementes
Profringunt inarata diu Pangæa iuvenci.
Par operis iactura lucro: quippe hoste retento
Exclusere suos: cadit intra mœnia Graius
Ormenus, et pronas tendentis Amyntoris ulnas
Fundentisque preces, penitus cervice recisa
Verba solo, vultusque cadunt, colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.
Solvitur interea vallum, primæque recusant
Stare moræ: iam se peditum iunxere catervæ
Mœnibus: at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis: hærent trepidi, atque immane paventes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire
Margine ab extremo, nunc sponte in fræna recedunt.
Hi præfixa solo vellunt munimina: at illi
Portarum obiectus minuunt, et ferrea sudant
Claustra remoliri, trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco: pars ad fastigia missas
Exultant hæsisse faces; pars ima lacessunt,
Scrutanturque cavas cæca testudine turres.
At Tyrii, quæ sola salus, caput omne coronant
Murorum, nigrasque sudes, et lucida ferro
Spicula, et arsuras cœli per inania glandes,
Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Mœnibus: exundant sævo fastigia nimbo,
Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia supra
Cessantes in nube sedent, nigrisque leguntur
Collibus, et subitæ saliunt in vela procellæ:
Talis Agenoreis Argivum exercitus armis
Obruitur: non ora virum, non pectora flectit
Imber atrox; rectosque tenent in mœnia vultus,
Immemores leti, et tantum sua tela videntes.
Anthea, falcato lustrantem mœnia curru
Desuper Ogygiæ pepulit gravis impetus hastæ.
Lora excussa manu, retroque in terga volutus,
Semianimus artus ocreis retinentibus hæret;
(Mirandum visu belli scelus!) arma trahuntur,
Fumantesque rotæ tellurem, et tertius hastæ
Sulcus arant: longo sequitur vaga pulvere cervix,
Et resupinarum patet orbita longa comarum.
At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem,
Obseptasque fores sonitu perfringit amaro.
Divisere aditus, omnique in limine sævus
Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.
Dira intus facies: vix Mavors ipse videndo
Gaudeat: incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt dissensu vario, luctusque, furorque,
Et pavor, et cæcis fuga circumfusa tenebris.
Bellum intrasse putes: fervent discursibus arces;
Miscentur clamore viæ: ferrum undique et ignes
Mente vident: sævas mente accepere catenas.
Consumsit ventura timor: iam tecta replerant,
Templaque, et ingratæ vallantur planctibus aræ.

Una omnes eademque subit formido per annos.
Poscunt fata senes, ardet, palletque iuventus,
Atria fœmineis trepidant ululata querelis;
Flent pueri, et flendi nequeunt cognoscere causas
Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.
Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem.
Ipsæ tela viris, ipsæ iram animosque ministrant,
Hortanturque, unaque ruunt, nec avita gementes
Limina, nec parvos cessant ostendere natos.
Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aspera nubes;
Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes
Hostis in ora volant; mox deficientibus alis
Amplexæ, flavamque domum captivaque plangunt
Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.
Necnon ancipitis pugnat sententia vulgi,
Discordesque serit motus: hi reddere fratrem
Nec mussant; sed voce palam, claroque tumultu
Reddere regna iubent: periit reverentia regis
Sollicitis: veniat, pactumque hic compleat annum,
Cadmeosque lares exul, patriasque salutet
Infelix tenebras. Cur autem ego sanguine fraudes
Et periura luam regalis crimina noxæ?
Inde alii: Sera ista fides; iam vincere mavult.
Tiresian alii lacrymis et supplice cœtu
Orant; quodque unum rebus solamen in arctis,
Nosse futura rogant: tenet ille inclusa, premitque
Fata Deum: Quiane ante duci bene credita nostra
Consilia et monitus, cum perfida bella vetarem?
Te tamen, infelix, inquit, perituraque Thebe,
Si taceam, nequeo miser exaudire cadentem,
Argolicumque oculis haurire vacantibus ignem.
Vincamur, pietas: pone eia altaria virgo:
Quæramus Superos. Facit illa, acieque sagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras
Ignem, et clara tamen mediæ fastigia lucis
Orta docet: tunc in speciem serpentis inanem
Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem
Demonstrat dubio, patriasque illuminat umbras.
Ille coronatos iamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem.
Stant tristes horrore comæ; vittasque trementes
Cæsaries insana levat: diducta putares
Lumina, consumtumque genis rediisse nitorem.
Tandem exundanti permisit verba furori:
Audite, o sontes, extrema litamina Divum,
Labdacidæ: venit alma salus, sed limite duro.
Martius inferias et sæva efflagitat anguis
Sacra: cadat, generis quicumque novissimus extat
Viperei: datur hoc tantum victoria pacto.
Felix, qui tanta lucem mercede relinquet.
    Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
Mœstus, adhuc patriæ tantum communia lugens
Fata Creon; graudem subiti cum fulminis ictum,
Non secus ac torta traiectus cuspide pectus,
Accipit exanimis, sentitque Menœcea posci:
Monstrat enim, suadetque timor: stupet anxius alto
Corda metu glaciante, pater. Trinacria qualis
Ora repercussum Libyco mare sumit ab æstu.
Mox plenum Phœbo vatem, et celerare iubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequidquam reticere rogat: Iam fama sacratam
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebæ.
    Nunc, age, quis stimulos et pulchræ gaudia mortis
Addiderit iuveni (neq; enim hæc absentibus unquam
Mens homini transmissa Deis) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penes, et digesta vetustas.
Diva Iovis solio iuxta comes, unde per orbem
Rara dari, terrisque solet contingere virtus;
Seu Pater Omnipotens tribuit; sive ipsa capaces
Elegit penetrare viros; cœlestibus ut nunc
Desiluit gavisa plagis: dant clara meanti
Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.
Iamque premit terras, nec vultus ab æthere longe,
Sed placuit mutare genas: fit provida Manto,
Responsis ut plana fides, et fraude priores
Exuitur vultus: abiit horrorque vigorque
Ex oculis; paulum decoris permansit, honosque
Mollior, et posito vatum gestamina ferro
Subdita: descendunt vestes, torvisque ligatur
Vitta comis (nam laurus erat): tamen aspera produnt
Ora Deam, nimiique gradus: sic Lydia coniux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, et tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorem sacris, dignumque iuberi
Talia, Dircæa stantem pro turre, Menœceu,
Invenit: immensæ reserato limine portæ
Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon.
Sed, consanguinei quamvis, atque omnis fratres,
Tu prior: exanimes circumcumulantur acervi.
Omne sedet telum: nulli sine cædibus ictus.
Necdum aderat Virtus: non mens, non dextra quiescit,
Non avida arma vacant, ipsa insanire videtur
Sphinx, galeæ custos; visoque animata cruore
Emicat effigies, et sparsa orichalca renident;
Cum Dea pugnantis capulum, dextramque repressit:
Magnanime o iuvenis, quo non agnoverit ullum
Certius armifero Cadmi de semine Mavors,
Linque humiles pugnas: non hæc tibi debita virtus:
Astra vocant; cœloque animam (plus concipe) mittes
Iamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras;
Hoc ignes fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro sanguine poscunt.
Fama canit monitus: gaudet Cadmeia plebes
Certa tui: rape mente Deos, rape nobile fatum.
I, precor, accelera, ne proximus occupet Hæmon.
    Sic ait, et magna cunctantis pectora dextra
Permulsit tacite, seseque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupressus
Combibit infestas et stirpe et vertice flammas,
Quam iuvenis multo possessus numine pectus,
Erexit sensus, letique invasit amorem.
Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit,
Et subitam a terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit. Sequimur, Divum quæcumque vocasti,
Nec tarde paremus, ait: iamiamque recedens,
Instantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri fessum excipiunt; tum vulgus euntem,
Auctorem pacis, servatoremque, Deumque,
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honestis.
    Iamque iter ad muros cursu festinus anhelo
Obtinet, et miseros gaudet vitasse parentes;
Cum genitor, (steterunt q; ambo, et vox hæsit utrinq;
Deiectæque genæ) tandem pater ante profatur:
Quis novus inceptis rapuit te casus ab armis?
Quæ bello graviora paras? Dic, nate, precanti,
Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore
Pallor? et ad patrios non stant tua lumina vultus?
Audisti responsa, palam est: per ego oro tuosque,
Nate, meosque annos miseræque per ubera matris,
Ne vati, ne crede, puer: Superine profanum
Dignantur stimulare senem? cui vultus inanis,
Extinctique urbes, et pœna simillima diro
Œdipodæ? quid si insidiis et fraude dolosa
Rex agit, extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas, tuaque ante duces notissima virtus?
Illius hæc forsan, remur quæ verba Deorum

Ille monet. Ne fræna animo permitte calenti:
Da spatium, tenuemq; moram: male cuncta ministrat
Impetus: hoc, oro, munus concede parenti.
Sic tua maturis signentur tempora canis,
Et sis ipse parens, et ad hunc, animose, timorem
Pervenias: ne perge meos orbare penates.
Externi te nempe patres, alienaque tangunt
Pignora? Si pudor est, primum miserere tuorum.
Hæc pietas, hic verus honos, ibi gloria tantum
Ventosumque decus, tituli que in morte latentes.
Nec timidus te flecto parens: i, prœlia misce,
Per Danaas acies, mediosque per obvius enses:
Non teneo: liceat misero tremebunda lavare
Vulnera, et undantem lacrymis siccare cruorem,
Teque iterum sævis, iterumque remittere bellis.
H c malunt Thebæ. Sic colla manusque tenebat
Implicitus: sed nec lacrymæ nec verba movebant
Dis votum iuvenem: quin et, monstrantibus illis,
Fraude patrem tacita subit, avertitque timorem:
Falleris heu, verosque metus, pater optime, nescis.
Non me alli monitus, nec vatum exorsa furentum
Sollicitant, manesque movent: sibi callidus ista
Tiresias, nataque canat: non si ipse reclusis
Comious ex adytis in me insaniret Apollo.
Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem
Sponte refert: gemit Inachia mihi saucius Hæmon
Cuspide: vix illum medio de pulvere belli
Inter utrasque acies, iamiamque tenentibus Argis.
Sed moror: i, refove dubium, tubæque ferenti
Dic, pareant, leviterq; vehant: ego, vulnera doctum
Iungere, supremique fugam revocare cruoris,
Et tibi ona petam. Sic imperfecta locotus,
Effugit: illi atra mersum caligine pectus
Confudit sensus: pietas incerta vagatur,
Discordantque metus: impellunt credere Parcæ.
Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.
Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedestres,
Et proculcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres saxis, et turbine crebro
Laxat: agit turmas idem, atque in sanguine fumat.
Nunc spargit torquens volucri nova vulnera plumbo,
Nunc iaculum excusso rotat in sublime lacerto,
Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non
Deferat hasta virum, perfusaque cæde recurrat.
Nec iam aut Œniden aut Hippomedonta peremtos,
Aut vatem, Pelopea phalanx, aut Arcada credunt;
Quin socium coiisse animas, et corpore in uno
Stare omnes: ita cuncta replet: non ullius ætas,
Non cultus, non forma movet: pugnantibus idem,
Supplicibusq; furit: non quisquam obsistere contra,
Non belli tentare vices: procul arma furentis,
Terribilesque iubas, et frontem cassidis horrent.
At pius electa murorum in parte Menœceus,
Iam sacer aspectu, solitoque augustior ore,
Ceu subito in terras supero demissus ab axe,
Constitit, exemta manifestus casside nosci,
Despexitque acies hominum, et clamore profundo
Convertit campum, iussitque silentia bello.
Armorum Superi, tuque, o qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, et toto quæ sanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Relliquias turpes, confixaque terga foventes,
Inachus indecores pater aversetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte mea: si vos placida hostia iuvi,
Si non attonitis vatis consulta recepi
Auribus, et Thebis nondum credentibus hausi,
Hæc Amphionis pro me persolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.
Sic ait, insignemque animam mucrone corusco
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Iecit, et in sævos cadere est conatus Achivos.
Ast illum amplexæ Pietas Virtusque ferebant
Leviter ad terras corpus: iam spiritus olim
Ante Iovem, et summis apicem sibi poscit in astris.
Iamque intra muros nullo sudore receptum
Gaudentes heros ferunt: abscesserat ultro
Tantalidum venerata cohors: subit agmine longo
Colla inter iuvenum, lætisque favoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona supra
Conditor: hi sertis, hi veris honore soluto
Accumulant artus, patriaque in sede reponunt
Corpus adoratum: repetunt mox bella peractis
Laudibus: hic victa genitor lacrymabilis ira
Congemit, et tandem matri data flere potestas:
Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
Devotumque caput, vilis ceu mater alebam?
Quod molita nefas? cui tantum invisa Deorum?
Non ego monstrifero coitu revoluta notavi
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.
Quid refert? habet ecce suos Iocasta ducesque,
Regnantesque videt; nos sæva piacula bello
Demus, ut alternis (placet hoc tibi fulminis auctor)
Œdipodionii mutent diademata fratres.
Quid Superos hominesve queror? tu, sæve Menœceu,
Tu miseram ante omnes properasti exstinguere matrem.
Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti?
Quosve ego conceptus, aut quæ male pignora fudi
Tam diversa mihi? nimirum Martius anguis,
Quæque novis proavum tellus effloruit armis.
Hinc animi tristes, nimiusque in pectore Mavors,
Et de matre nihil: sponte en ultroque peremtus
Irrumpis mœstas fatis nolentibus umbras.
Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar. (mens
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod a-
Ipsa dedi: viden', ut iugulo consumserit ensem?
Altius haud quisquam Danaum mucrone subisset.
Diceret infelix etiamnum, et cuncta repleret
Questibus: abducunt comites, famulæque perosam
Solantes thalamoque tenent: sedet eruta multo
Ungue genas: non illa diem, non verba precantum
Respicit, aut visus flectit tellure relictos,
Iam vocis, iam mentis inops: sic aspera tigris
Fœtibus abreptis, Scythico deserta sub antro
Accubat, et tepidi lambit vestigia saxi.
Nusquam iræ: sedit rabies, feritasque, famesque
Oris, eunt præter secura armenta, gregesque.
Aspicit illa iacens: ubi enim, quibus ubera pascat,
Aut quos ingenti premat expectata rapina?
Hactenus arma, tubæ, ferrumq;, et vulnera: sed nunc
Cominus astrigeros Capaneus tollendus in axes.
Non mihi iam solito vatum de more canendum:
Maior ab Aoniis sumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete Deæ: sive ille profunda
Missus nocte furor, Capaneaque signa secutæ
Arma Iovem contra Stigiæ rapuere sorores,
Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum
Principia, et blandæ Superum mortalibus iræ.
Iam sordent terrena viro, tædetque profundæ
Cædis, et, exhaustis olim Graiumque suisque
Missilibus, lassa respexit in æthera dextra.

Ardua mox torvo metitur culmina visu,
Innumerosque gradus, gemina latus arbore clausus
Aerium sibi portat iter, longeque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent una, clypeoque incenditur ignis.
Hac, ait, in Thebas, hac me iubet ardua virtus
Ira, Menœceo qua lubrica sanguine turris.
Experiar, quid sacra iuvent, an falsus Apollo.
Dixit, et alterno captiva in mœnia gressu
Surgit ovans: quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus
Despectura Deos, nec adhuc immane veniret
Pelion, et trepidum iam tangeret Ossa Tonantem.
Tum vero attoniti fatorum in cardine summo,
Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis
Æquatura solo turres Bellona subiret,
Omnibus e tectis certatim ingentia saxa,
Roboraque et gravidas fundæ balearis habenas,
(Nam iaculis, cœloque vagis spes unde sagittis?)
Verum avidi et tormenta rotant, et molibus urgent.
Ille nec ingestis, nec terga sequentibus unquam
Detrahitur telis, vacuoque sub aere pendens
Plana velut terra certus vestigia figat,
Tendit, et ingenti subit occurrente ruina.
Amnis ut incumbens longævi robora pontis
Assiduis oppugnat aquis: iam saxa fatiscunt,
Emotæque trabes: tanto violentior ille
(Sævit enim maiore salo) quassatque, trahitque
Molem ægram, nexus donec celer alveus omnes
Abscidit, et cursu victor respirat aperto.
Utque petita diu celsus fastigia supra
Eminuit, trepidamque assurgens desuper urbem
Vidit, et ingenti Thebas exterruit umbra,
Increpat attonitos: Humilesne Amphionis arces,
Pro pudor, hi faciles, carmenque imbelle secuti,
Et, mentita diu Thebarum fabula, muri?
Et quidnam egregium prosternere mœnia molli
Structa lyra? simul insultans, gressuque manuque
Molibus obstantes cuneos, tabulataque sævus
Destruit: absiliunt pontes, tectique trementis
Saxea frena labant, dissaeptoque aggere rursus
Utitur, et truncas rupes in templa domosque
Præcipitat, frangitque suis iam mœnibus urbem.
Iamque Iovem circa studiis diversa fremebant
Argolici, Tyriique Dei: pater, æquus utrisque,
Aspicit ingentes ardentum cominus iras,
Seque obstare videt: gemit inservante noverca
Liber, et obliquo respectans lumine patrem:
Nunc ubi sæva manus, meaq; heu cunabula flammæ,
Fulmen, io ubi fulmen? ait. Gemit auctor Apollo,
Quas dedit ipse, domos. Lernam Thebasq; rependit
Mœstus, et intento dubitat Tirynthius arcu.
Maternos plangit volucer Danaeius Argos.
Flet Venus Harmoniæ populos; metuensque mariti
Stat procul, et tacita Gradivum respicit ira.
Increpat Aonios audax Tritonia Divos.
Iunonem tacitam furibunda silentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Iovis: ecce quierant
Iurgia, cum mediis Capaneus auditus in astris.
Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? ubi infandæ segnes telluris alumni,
Bacchus et Alcides? piget instigare minores.
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres Semeleaque busta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis
Iupiter: an pavidas tonitru turbare puellas
Fortior? et soceri thalamos excindere Cadmi?
Ingemuit dictis Superum dolor: ipse furentem
Risit, et incussa sanctarum mole comarum,
Quænam spes hominum tumidæ post prœlia Phlegræ
Tune etiam feriendus? ait: premit undique lentum
Turba Deum frendens, et tela ultricia poscit.
Nec iam audet fatis turbata obsistere coniux.
Ipsa dato nondum cœlestis regia signo
Sponte tonat, coeunt ipsæ sine flamine nubes,
Accuruntque imbres. Stygias rupisse catenas
Iapetum, aut victam supera ad convexa levari
Inarimen, Ætnamve putes: pudet ista timere
Cœlicolas: sed cum in media vertigine mundi
Stare virum, insanasque vident deposcere pugnas,
Mirantur taciti, et dubio pro fulmine pendent.
Cœperat Ogygiæ supra fastigia turris
Arcanum mugire polus, cœlumque tenebris
Auferri: tenet ille tamen, quas non videt, arces,
Fulguraque attritis quoties micuere procellis,
His, ait, in Thebas, bis iam decet ignibus uti,
Hinc renovare facem, lassamque accendere quercum.
Talia dicentem toto Iove fulmen adactum
Corripuit: primæ fugere in nubila cristæ,
Et clypei niger umbo cadit: iamque omnia lucent
Membra viri: cedunt acies, et terror utrimque,
Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intra se stridere facem, galeamque, comasque
Quærit, et urentem thoraca repellere dextra
Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.
Stat tamen, extremumque in sidera versus anhelat,
Pectoraque invisis obicit fumantia muris,
Ne caderet: sed membra virum terrena relinquunt,
Exuiturque animus: paulum si tardius artus
Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.

Liber undecimus

POSTQUAM magnanimus furias virtutis iniquæ
Consumsit Capaneus, expiravitque receptum
Fulmen, et ad terras longe comitata cadentem
Signavit muros ultricis semita flammæ:
Componit dextra victor concussa plagarum
Iupiter, et vultu cœlumque diemque reducit.
Gratantur Superi, Phlegræ ceu fessus anhelet
Prœlia, et Encelado fumantem impresserit Ætnam.
Ille iacet laceræ complexus fragmina turris,
Torvus adhuc visu, memorandaque facta relinquens
Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti.
Quantus Apollineæ temerator matris Averno
Tenditur: ipsæ horrent, si quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immensaque membra iacentis
Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ.
Sic gravat iniectus terras, hostiliaque urit
Arva, et anhelantem cœlesti sulfure campum.
Respirant Thebæ, templisque iacentia surgunt
Agmina: iam finis votis, finisque supremus
Planctibus, et natos ausæ deponere matres.
At vaga palantes campo fuga volvit Achivos. (metur:
Nec iam aut hostiles turmæ, aut ferrum mortale ti-
Omnibus ante oculos iræ Iovis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, visusque paventes
Ipse sequi, et profugis opponere Iupiter ignes.
Instat Agenoreus miles, cœlique tumultu
Utitur: indomitos ut cum Massyla per arva
Armenti reges magno leo fregit hiatu,
Et contentus abit: rauci tunc cominus ursi,
Tunc avidi venere lupi, rabieque remissa,
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
Hinc premit Eurymedon, cui rusticus error in armis,
Rustica tela manu, patriumque agitare tumultum.
Pan illi genitor: tener hinc conatibus annos
Egreditur, iuvenemque patrem puer æquat Alatreus.
Felices ambo; sed fortunatior ille,

Quem genuisse iuvat: nec iam dignoscere promtum,
Quæ magis arma sonent, quo plus eat hasta lacerto.
Arctatur denso fugientum examine vallum.
Quas volvis, Gradive, vices? modo mœnia Cadmi
Scandebant, sua nunc defendunt tecta Pelasgi.
Cea redeunt nubes, ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æstus arenas.
Procumbit late pubes Tirynthia, alumni
Exuvias imitata Dei: trux mœret ab alto
Amphitryoniades Nemeæa in sanguine terga,
Et similes ramos, similesque videre pharetras.
Stabat in Argolicæ ferrato margine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus
Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum,
Suadebatque fugam, et tutos in castra receptus:
Cum subitum obliquo descendit ab aere vulnus,
Urgentisque sonum læva manus aure retenta est,
Sicut erat: fugit in vacuas iam spiritus auras,
Iam gelida ora tacent, carmen tuba sola peregit.
Iamque potens scelerum, geminæque exercita gentis
Sanguine, Tisiphone fraterna cludere quærit
Bella tuba: nec se tanta in certamina retur
Sufficere, inferna comitem ni sede Megæram,
Et consanguineos in prœlia suscitet angues.
Ergo procul vacua consedit valle, solumque
Ense fodit Stygio, terræque immurmurat absens
Nomen, et, Elysiis signum indubitabile regnis,
Crinalem attollit longo stridore cerasten.
Cærulea dux ille comæ, quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontusque, polusque,
Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes.
Accipit illa sonum: stabat tunc forte parenti
Proxima, dum cœtu Capaneus laudatur ab omni
Ditis, et insignem Stygiis fovet amnibus umbram.
Protinus abrupta terrarum mole sub astris
Constitit, exultant Manes, quantumque profundæ
Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit.
Excipit atra soror, dextræque innexa profatur:
Hac germana tenus Stygii metuenda parentis
Imperia, et iussos potui tolerare furores,
Sola super terras, hostilique obvia mundo,
Dum vos Elysium et faciles compescitis umbras.
Nec pretium deforme moræ, cassique labores.
Hoc quodcumque madent campi, quod sanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid
Hæc ego? Mars habeat, vulgataque iactet Enyo.
Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris)
Sanguine fœdatum rictus, atroque madentem
Ora ducem tabo: miserum insatiabilis edit,
Me tradente caput: modo nempe horrendus ab astris
Descendit vos usque fragor: mea sacra premebat
Tempestas, ego mixta viri furialibus armis
Bella Deum, et magnas ridebam fulminis iras.
Sed iam (effabor enim) longo sudore fatiscunt
Corda, soror, tardæque manus: hebet infera cœlo
Taxus, et insuetos angues nimia astra soporant.
Tu, cui totus adhuc furor, exultantque recentes
Cocyti de fonte comæ, da iungere vires.
Non solitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum (licet alma fides, pietasque repugnent,
Vincentur) fratrum stringendi cominus enses.
Grande opus: ipsæ odiis, ipsæ discordibus armis
Aptemur: quid lenta venis? agedum elige, cuius
Signa feras: ambo faciles, nostrique; sed anceps
Vulgus, et affatus matris, blandamque precatu
Antigonem timeo, paulum ne nostra retardet
Consilia: ipse etiam, qui nos lassare precando
Suetus, et ultrices oculorum exposcere diras,
Iam pater est: cœtu fertur iam solus ab omni
Flere sibi: atque adeo moror ipsa irrumpere Thebas,
Assuetumque larem. tibi pareat impius exul,
Argolicumque impelle nefas; neu mitis Adrastus
Prævaleat, plebesque, cave, Lernæa moretur.
Vade, et in alternas inimica revertere pugnas.
Talia partitæ diversum abiere sorores.
Ut Notus et Boreas, gemino de cardine mundi,
Hic nive Rhiphæa, Libycis hic pastus arenis,
Bella cient: clamant amnes, freta, nubila, sylvæ,
Iamque patent strages: plangunt sua damna coloni,
Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.
Illas ut summo vidit pater altus Olympo
Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, torva sic inchoat ore:
Vidimus armiferos, quo fas erat usque, furores,
Cœlicolæ, licitasque acies, etsi impia bella
Unus init, ausus que mea procumbere dextra.
Nunc par infandum, miserisque incognita terris
Pugna subest: auferte oculos: absentibus ausint
Ista Deis, lateantque Iovem: sat funera mensæ
Tantaleæ et sontes vidisse Lycaonis aras,
Et festina polo ducentes astra Mycenas.
Nunc etiam turbanda dies: mala nubila tellus,
Accipe, secedantque poli: stat parcere mundo,
Cœlitibusque meis: saltem ne virginis almæ
Sidera, Ledæi videant neu talia fratres.
Sic pater omnipotens, visusque nocentibus arvis
Abstulit, et dulci terræ caruere sereno.
Iamque per Argolicas Erebo sata virgo cohortes
Vestigat Polynicia iter, portisque sub ipsis
Invenit, incertum leto tot iniqua fugane
Exeat, et dubios turbabant omina sensus.
Viderat, obscura vallum dum nocte pererrat
Æger consilii, curisque novissima volvens,
Coniugis Argiæ lacera cum lampade mœstam
Effigiem: (sunt monstra Deum, sic ire parabat,
Has latura viro tædas erat) ergo roganti,
Quæ via, quisve dolor, cur mœsta insignia? tantum
Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.
Scit mentem vidisse nefas: etenim unde Mycenis
Adforet, et vallum coniux inopina subiret?
Sed fati monitus, vicinaque funera sentit,
Ac sentire timet: cum vero Acherontis operti
Diva ter admoto tetigit thoraca flagello,
Ardet inops animi, nec tam considere regno,
Quam scelus et cædem, et perfossi in sanguine fratris
Exspirare cupit; subitusque affatur Adrastum:
Sera quidem, extremus socium, gentisque superstes
Argolicæ, consulta, pater, iam rebus in arctis,
Aggredior: tunc tempus erat, cum sanguis Achivum
Integer, ire ultro, primamque capessere pugnam,
Non plebis Danaæ florem, regumque verendas
Obiectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus induerem capiti decus: aspera quando
Præcepit virtus; nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui: scis namque, socer, licet alta recondas
Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem:
Ille ego sum, qui te pacem et pia iura regentem
Infelix (utinamque aliis datus urbibus hospes)
Extorrem patria, regnoque: sed exige tandem
Supplicia: fratrem suprema in bella (quid horres?
Decretum est, fixumque) voco: desiste morari:
Nec poteris: non si atra parens, miseræque sorores
In media arma cadant: non si ipse ad bella ruenti
Obstet, et extinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam: anne bibam superest quodcumque cruoris
Inachii? et vestris etiamnum mortibus utar?

Vidi egomet propter ruptos telluris hiatus,
Nec subii: vidi exanimum, fecique nocentem
Tydea: me Tegee regem indefessa reposcit,
Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris.
Ipse nec Ismeni ripas, dum stagna cruentat
Hippomedon, Tyrias potui nec scandere turres,
Dum tonat, et tecum, Capaneu, miscere furores?
Quis tantus pro luce timor? sed digna rependam.
Conveniant ubicumque nurus, matresque Pelasgæ,
Longævique patres, quorum tot gaudia carpsi,
Orbavique domos. fratri concurro: quid ultra est?
Spectent, et votis victorem Etheoclea poscant.
Iamque vale, coniux, dulcesque valete Mycenæ.
At tu care socer (nec enim omnis culpa malorum
Me penes: et Superi mecum, Parcæque nocentes)
Sis lenis cineri, meque hæc post prœlia raptum
Alitibus, fratrique tegas, urnaque reportes.
Hoc tantum, et natæ melius connubia iungas.
Ibant in lacrymas; veluti cum vere reverso
Bistoniæ tepuere nives, summittitur ingens
Hæmus, et angustos Rhodope descendit in amnes.
Cœperat et leni senior mulcere furentem
Alloquio: scidit orsa novo terrore cruenta
Eumenis, alipedemque citum, fataliaque arma,
Protinus Inachii vultus expressa Perinthi
Obtulit, ac fidas exclusit casside voces.
Ac super hæc: Abrumpe moras: celeremus, ob illum
Adventare ferunt portis. Sic omnia vicit,
Correptumque iniecit equo: volat æquore aperto
Pallidus, instantemque Deæ circumspicit umbram.
Sacra Iovi merito Tyrius pro fulmine ductor
Nequidquam Danaos ratus exarmasse ferebat.
Nec pater ætherius, Divumque has ullus ad aras;
Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Adstat, et inferno prævertit vota Tonanti.
Summe Deum, tibi namque meæ primordia Thebæ
(Liveat infandum licet Argos, et aspera Iuno)
Debent, Sidonios ex quo per litora raptor
Turbasti thyasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, et placidas falsum mugire per undas!
Nec te vana fides, iterum Cadmeia adeptum
Connubia, et Tyrios nimium irrupisse penates.
Tandem, inquam, soceros, dilectaque mœnia gratus
Respicis, assertorque tonas: ceu regia cœli
Attentata tui; sic te pro turribus altis
Vidimus urgentem nubes, lateque benignum
Fulmen, et auditos proavis agnovimus ignes.
Accipe nunc pecudes, et magni thuris acervos,
Votivumque marem: dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est: certent tibi reddere Bacchus
Noster, et Alcides: illis hæc mœnia serva.
Dixerat: ast illi niger ignis in ora genasque
Prosiluit, raptumque comis diadema cremavit.
Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat
Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit
Turbidus, insano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, et regem solatur haruspex.
Ipse instaurari sacrum male fortis, agique
Imperat, et magnos ficto premit ore timores.
Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem
Sensit, et Œteas membris accedere vestes,
Vota incepta tamen, libataque thura ferebat,
Durus adhuc, patiensque mali, mox grande coactus
Ingemuit, victorque furit per viscera Nessus.
Nuntius, exanimi suspensus pectora cursu,
Æpytus ad regem, portæ statione relicta
Tendit, et hæc trepido vix intellectus anhelat;
Rumpe pios cultus, intempestivaque, rector,
Sacra Deum: frater muris circum omnibus instat,
Portarumque moras frenis assultat, et hastis,
Nomine te crebro, te solum in prœlia poscens.
Flent mœsti retro comites, et uterque loquenti
Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis.
Ille vocat: Nunc tempus erat, sator optime Divum.
Quid meruit Capaneus? Turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediaque tamen gavisus in ira est.
Sicubi regnator post exulis otia tauri,
Mugitum hostilem summa tulit aure iuvencus,
Agnovitque minas, magna stat fervidus ira
Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aera fin- (dens.
Horret ager, trepidæque expectant prœlia valles.
Non desunt regi comites: Sine, mœnia pulset
Irritus: ille autem fractis huc audeat usque
Viribus? Hic miseris furor est, instare periclo,
Nec librare metus, et tuta odisse: resiste
Hoc fretus solio: nos propulsabimus hostem.
Hos bellare iube. Sic proxima turba, sed ardens
Ecce aderat luctu, dicturusque omnia belli
Libertate Creon. urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæritque tenetque.
Illum sanguineos proflantem pectore rivos
Aspicit, et sæva semper de turre cadentem.
Ut dubium, et pugnas cunctantem Etheoclea vidit:
Ibis, ait, neque te ulterius, fratrumque ducumque
Pessime, funeribus patriæ lacrymisque potitam,
Eumenidum bellique reum, patiemur inulti.
Sat tua non æquis luimus periuria Divis. (clam,
Urbem armis, opibusque gravem, et modo civibus ar-
Ceu cœlo dimissa lues, inimicave tellus
Hausisti, vacuamque tamen sublimis obumbras?
Deest servitio plebes: hos ignis egentes
Fert humus; hos pelago patrius iam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miseris fratres, natosque, patresque,
Redde arvis domibusque viros: ubi maximus Hypseus,
Finitimusque Dryas? ubi Phocidos arma sonora,
Euboicique duces? Illos tamen æqua duelli
Fors tulit ad Manes: at tu (pudet) hostia regni,
Hostia, nate, iaces, ceu mutus et e grege sanguis.
Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto
Libatus, iussusque mori, et cunctabitur ultra
Iste? nec adverso nunc saltem Marte vocatus
Stabit? An in pugnas alium iubet ire profanus
Tiresias? iterumque meos oracula nectit
In gemitus? quid enim misero super unicus Hæmon?
Ille iube subeat, tuque hinc spectator ab alta
Turre sede: quid sæva fremis, famulamque cohortem
Respectas? Hi te ire volunt, hi pendere pœnas:
Ipsa etiam genitrix, ipsæque odere sorores.
In te ardens frater ferrum mortemque minatur,
Sævaque portarum convellit claustra, nec audes?
Sic pater infrendens, miseraque exæstuat ira.
Ille sub hæc: Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata movent: canere illa patrem, et iactare decebat.
Sed spes sub lacrymis, spes atque occulta cupido
Hic latet: insano prætendis funera voto,
Meque premis frustra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,
In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.
Nec mihi difficilis præsens vindicta: sed arma,
Arma prius famuli: coeant in prœlia fratres.
Vult gemitus lenire Creon. Lucrare furorem:
Victori mihi cuncta lues: sic iurgia paulum
Distulit, atque ensem, quem iam dabat ira, repressit.
Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens
Erigitur gyro, longumque e corpore toto
Virus in ora legit; paulum si devius hostis

Torsit iter, cecidere minæ, tumefactaque frustra
Colla sedent, irasque sui bibit ipse veneni.
At genitrix primam funestæ sortis ut amens
Expavit famam (nec tarde credidit) ibat
Scissa comas, vultuque et pectore nuda cruento,
Non sexus, decorisve memor. Pantheia qualis
Mater ad insani scandebat culmina montis,
Promissum sævo caput allatura Lyæo.
Non comites, non ferre ipsæ vestigia natæ
Æqua valent: tantum miseræ dolor ultimus addit
Robur, et exsangues crudescunt luctibus anni.
Iamque decus galeæ, iam spicula sæva ligabat
Ductor, et ad lituos hilarem, trepidumque tubarum
Prospiciebat equum; subito cum apparuit ingens
Mater, et ipse metu famulumque expalluit omnis
Cœtus, et oblatam retro dedit armiger hastam.
Quis furor? unde iterum regni integrata resurgit
Eumenis? ipsi etiam post omnia, cominus ipsi
Stabitis? usque adeo geminas duxisse cohortes,
Et facinus mandasse parum est? Quo deinde redibit
Victor? in hosne sinus? O diri coniugis olim
Felices tenebræ! datis improba lumina pœnas.
Hæc spectanda dies? quo, sæve, minantia flectis
Ora? quid alternos vultus pallorque ruborque
Mutat? et obnixi frangunt mala murmura dentes?
Me miseram, vinces! prius hæc tamen arma necesse
Experiare domi: stabo ipsa in limine portæ (est,
Auspicium infelix, scelerumque immanis imago.
Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande,
Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus.
Parce: quid oppositam capulo parmaque repellis?
Non ego te contra Stygiis feralia saxi
Vota Deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi.
Exaudi miseram genitrix te, sæve, precatur,
Non pater: adde moram sceleri, et metire, quod audes.
Sed pulsat muros germanus, et impia contra
Bella ciet? Non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror: te cuncta rogant, hic plangimus omnes.
Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus,
Aut fortasse iubet: tu limina avita Deosque
Linquis, et a nostris in fratrem amplexibus exis?
At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus (nec casta retardat
Virginitas) volat Ogygii fastigia muri
Exuperare furens: senior comes hæret eunti
Actor, et hic summas non duraturus ad arces.
Utque procul visis paulum dubitavit in armis,
Agnovitque (nefas!) iaculis et voce superba
Tecta incessentem, magno prius omnia planctu
Implet, et e muris ceu descensura profatur:
Comprime tela manu, paulumq; hanc aspice turrim,
Frater, et horrentes refer in mea lumina cristas.
Agnoscisne hostes? sic annua pacta fidemque
Poscimus? hi questus? hæc est bona causa modesti
Exulis? Argolicos per te, germane, penates,
(Nam Tyriis iam nullus honos) per si quid in illa
Dulce domo, summitte animos: en utraque gentis
Turba rogant, ambæque acies: rogat illa suorum
Antigone devota malis, suspectaque regi,
Et tantum tua, dure, soror: saltem ora trucesque
Solve genas: liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos, et ad hæc lamenta videre,
Anne fleas: illum gemitu iam supplice mater
Frangit; et exertum dimittere dicitur ensem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte dieque
Exilia erroresque fleo? iam iamque tumentem
Placavi tibi, sæve, patrem: quid crimine solvis
Germanum? nempe ille fidem et alata fœdera rupit,
Ille nocens, dirusque tuis: tamen ecce vocatus
Non venit. His paulum furor elanguescere dictis
Cœperat, obstreperet quanquam atque obstaret E-
rinnys.
Iam summissa manus, lente iam flectit habenas,
Iam tacet; erumpunt gemitus, lacrymasque fatetur
Cassis: hebent iræ: pariterque et abire nocentem,
Et venisse pudet; subito cum matre repulsa
Eumenis eiecit fractis Etheocles portis
Clamantem, Venio, solumque, quod ante vocasti,
Invideo: ne incesse moras, gravis arma tenebat
Mater: io patria, o regum incertissima tellus,
Nunc certe victoris eris: nec mitior ille, (quum?
Tandem, inquit, scis, sæve, fidem? et descendis in æ-
O mihi nunc primum longo post tempore frater,
Congredere: hæ leges, hæc fœdera sola supersunt.
Sic hostile tuens fratrem: namque oritur alto
Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis,
Instratusque ostro sonipes, quod fulva metallo (pse,
Parma micet: quanquam haud armis inhonorus et i-
Nec palla vulgare nitens: opus ipsa novarat
Mæoniis Argia modis, et pollice docto
Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ.
Iamque in pulvereum Furiis hortantibus æquor
Prosiliunt: sua quemq; comes stimulatque, regitque.
Frena tenent ipsæ, phalerasque, et lucida comunt
Arma manu, mixtisque iubas serpentibus augent.
Stat consanguineum campo scelus, unius ingens
Bellum uteri; coeuntque pares sub casside vultus.
Signa tacent, siluere tubæ, stupefactaque Martia
Cornua: ter nigris avidus regnator ab oris
Intonuit, terque ima soli concussit, et ipsi
Armorum fugere Dei: nusquam inclyta Virtus,
Restinxit Bellona faces, longeque paventes
Mars rapuit currus, et Gorgona cruda virago
Abstitit, inque vicem Stygiæ rubuere sorores.
Prominet excelsis vulgus miserabile tectis:
Cuncta madent lacrymis, et ab omni plangitur arce.
Hinc questi vixisse senes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvosque vetant attendere natos.
Ipse quoque Ogygios monstra ad gentilia manes
Tartareus rector porta iubet ire reclusa.
Montibus insidunt patriis, tristique corona
Infecere diem, et vinci sua crimina gaudent.
Illos, ut stimulis ire in discrimen apertis
Audiit, et sceleri nullum iam obstare pudorem,
Advolat et medias immittit Adrastus habenas.
Ipse quidem regni multum et venerabilis ævo,
Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curæ?
Alternos tamen ille rogat: Spectabimus ergo,
Inachidæ, Tyriique nefas? ubi iura, Deique?
Bella ubi? Ne perstate animis: te deprecor, hostis,
Quanquam, hæc ira sinat, nec tu mihi sanguine lon-
Te, gener, et iubeo: sceptri si tanta cupido est, (ge,
Exuo regales habitus: i Lernan, et Argos
Solus habe: non verba magis suadentia frangunt
Accensos, sumtisque semel conatibus obstant,
Quam Scytha, curvatis erectus fluctibus unquam
Pontus, Cyaneos vetuit concurrere montes.
Ut periisse preces, geminosque ad prœlia fusos
Pulvere cornipedes, explorarique furentum
In digitis armenta videt, fugit, omnia linquens
Castra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem,
Conversumque iugo propellit Ariona: qualis
Demissus curru, lævæ post præmia sortis
Umbrarum custos, mundique novissimus hæres,
Palluit, amisso veniens in Tartara cœlo.
Non tamen indulsit pugnæ, cunctataque primo
Substitit in scelere, et paulum Fortuna morata est.
Bis casso periere viæ: bis cominus actos

Avertit bonus error equos; puræque nefandi
Sanguinis, obliquis ceciderunt ictibus hastæ.
Tendunt frena manu, et sævis calcaribus urgent
Immeritos: movet et geminas miserabile Divum
Prodigium turmas, alternaque murmura volvunt
Mussantes, iterare aciem, procurrere sæpe
Impetus, et totum miseris opponere bellum.
Iamdudum terris, cœtuque offensa Deorum,
Aversa cœli Pietas in parte sedebat,
Non habitu, quo nota prius, non ore sereno,
Sed vittis exuta comam, fraternaque bella,
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat, sævumque Iovem, Parcasque nocentes
Vociferans, seseque polis, et luce relicta
Descensuram Erebo, et Stygios iam malle penates.
Quid me, ait, ut sævis animantum, ac sæpe Deorum
Obstaturam animis, princeps natura, creabas?
Nil iam ego per populos; nusquam reverentia nostri.
O furor, o homines, diræque Prometheos artes!
Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacabant!
En mortale genus! Dixit: speculataque tempus,
Auxilium tentemus, ait, licet irrita coner.
Desiluitque polo; niveus sub nubibus altis
Quamquam mœstæ, Deæ sequitur vestigia limes.
Vix steterat campo, subita mansuescere pace
Agmina, sentirique nefas: tunc ora madescunt,
Pectoraque, et tacitus subrepsit fratribus horror.
Arma etiam simulata gerens, cultusque viriles,
Nunc his, nunc illis, Agite, ite, obsistite, clamat,
Quis nati fratresque domi, quis pignora tanta.
His quoq; (nonne palam est, ultro miserescere Divos?)
Tela cadunt: cunctantur equi: fors ipsa repugnat.
Nonnihil impulerat dubios, ni torva notasset
Tisiphone fraudes, cœlestique ocyor igne
Adforet, increpitans: Quid belli obverteris ausis,
Numen iners, pacique datum? Cede, improba: noster
Hic campus, nosterque dies: nunc sera nocentes
Defendis Thebas: ubi tunc, cum bella cieret
Bacchus? et armatas furiarent orgia matres?
Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens
Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphynx?
Dum rogat Œdipoden genitor? dum lampade nostra
In thalamos Iocasta venit? Sic urget, et ultro
Vitantem aspectus etiam, pudibundaque longe
Ora reducentem, premit astridentibus Hydris,
Intentatque faces: deiectam in lumina pallam
Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti.
Tunc vero accensæ stimulis maioribus iræ.
Arma placent, versæque volunt spectare cohortes.
Instaurant crudele nefas: rex impius aptat
Tela, et funestæ casum prior occupat hastæ.
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exul subit, at clare funesta precatur:
Di, quos effosso non irritus ore rogavit
Œdipodes, firmate nefas, non improba posco
Vota: piabo manus, et eodem pectora ferro
Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem
Linquat, at hunc secum portet minor umbra dolorem.
Hasta subit velox equitis femur inter, equique
Ilia, letum utrique volens: sed plaga sedentis
Laxato vitata genu; tamen irrita voti
Cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
It præceps sonipes, strictæ contemtor habenæ,
Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
Exultat, fratris credens hunc esse cruorem.
Credit et ipse metu: totis iamque exul habenis
Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum
Cornipedem cursus: miscentur frena, manusque,
Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo
Præcipitant: ut nocte rates, quas nubilus Auster
Implicuit, frangunt tonsas, mutantqua rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hiemique, sibique,
Sicut erant, imo pariter sedere profundo.
Hæc pugnæ facies: coeunt sine more, sine arte,
Tantum animis iraque, atque ignescentia cernunt
Per galeas odia, et vultus rimantur acerbo
Lumine: nil adeo mediæ telluris, et enses
Impliciti, nexæque manus, alternaque sævi
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut signa tubarum.
Fulmineos veluti præceps cum cominus egit
Ira sues, strictisque erexit pectora setis;
Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis
Ora sonant: spectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibusque silentia suadet.
Sic avidi incurrunt: nec dum letalia miscent
Vulnera, sed cœptus sanguis, facinusque peractum.
Nec iam opus est Furiis: tantum mirantur, et adstant,
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.
Fratris uterque furens cupit affectatque cruorem,
Et nescit manare suum. Tandem irruit exul,
Hortatusque manum, cui fortior ira, nefasque
Iustius, alte ensem germsui in corpore pressit,
Qua male iam plumis imus tegit inguina thorax.
Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatos colligit artus;
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hosti:
Quo retrahis, germane, gradus? o languidus somno
Et regnis effœta quies! longaque sub umbra
Imperia! Exilio, rebusque exercita egenis
Membra vides: disce arma pati, nec fidere lætis.
Sic pugnant miseri: restabat lassa nefando
Vita duci, summusque cruor, poterantque parumper
Stare gradus; sed sponte ruit, fraudemque supremam
In media iam morte parat: clamore Cithæron
Erigitur; fraterque ratus vicisse, levavit
Ad cœlum palmas. Bene habet: non irrita vovi,
Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.
Huc aliquis propere sceptrum atque insigne comarum
Dum videt. Hæc dicens, gressus admovit, et arma,
Ceu templis decus et patriæ laturus ovanti,
Arma etiam spoliare cupit: nondum ille peractis
Manibus, ultrices animam servabat in iras.
Utque superstantem, pronumque in pectora sensit,
Erigit occulte ferrum, vitæque labantis
Relliquias tenues odio supplevit, et ensem
Iam lætus fratris non frater corde reliquit.
Ille autem, Vivisne? et adhuc manet ira superstes,
Perfide, nec sedes nuquam meriture quietas?
I mecum ad Manes: illic quoque pacta reposcam,
Si modo Agenorei stat Guossia iudicis urna,
Qua reges punire datur. Nec plura locutus,
Concidit, et totis fratrem gravis obruit armis.
Ite truces animæ, funestaque Tartara leto
Polluite, et cunctas Erebi consumite pœnas.
Vosque malis hominum, Stygiæ, iam parcite, Divæ.
Omnibus in terris scelus hoc, omnique sub ævo
Viderit una dies, monstrumque infame futuris
Excidat, et soli memorent hæc prœlia reges.
At genitor, sceleris comperto fine, profundis
Erepsit tenebris, sævoque e limine profert
Mortem imperfectam: veteri stat sordida tabo
Utraque canities; et durus sanguine crinis
Obnubit furiale caput: procul ora, genæque
Intus, et effossæ squallent vestigia lucis.

Virgo autem impositæ sustentat pondera lævæ,
Dextra sedet baculo: qualis si puppe relicta,
Exosus pigri manes, sulcator Averni
Exeat ad Superos, solemque et pallida turbet
Astra, nec ipse diu fortis, patiensque superni
Aeris; interea longum cessante magistro
Crescat opus, totisque exspectent secula ripis.
Talis init campum, comitique extrema gementi,
Duc, ait, ad natos, patremque recentibus oro
Iniice funeribus: cunctatur nescia virgo,
Quid paret: impediunt iter, implicitosque morantur
Arma, viri, currus, altaque in strage seniles
Deficiunt gressus, et dux miseranda laborat.
Ut quæsita diu monstravit corpora clamor
Virginis, insternit totos frigentibus artus.
Nec vox ulla seni: iacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit,
Tandem muta furens genitor suspiria solvit:
Tarda meam, pietas, longo post tempore mentem
Percutis? estne sub hoc hominis clementia corde?
Vincis me miserum, vincis, Natura, parentem.
En, habeo gemitus, lacrymæque per arida serpunt
Vulnera, et in molles sequitur manus impia planctus.
Accipite infandæ iusta exequialia mortis,
Crudeles, nimiumque mei: nec noscere natos,
Alloquiumque aptare licet: dic, virgo, precanti,
Quem teneo? quo nunc vestros ego sævus honore
Prosequar inferias? o si fodienda redirent
Lumina, et in vultus sævire ex more potestas!
Heu dolor, heu iusto magis exaudita parentis
Vota, malæque preces! Quisnam fuit ille Deorum,
Qui stetit orantem iuxta, præceptaque verba
Dictavit fatis? Furor illa, et movit Erinnys,
Et pater, et genitrix, et regna oculique cadentes;
Nil ego: per Ditem iuro, dulcesque tenebras,
Immeritamque ducem, subeam sic Tartara digna
Morte, nec irata fugiat me Laius umbra.
Hei mihi, quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto!
Solvite quæso manus; infestaque vincula tandem
Dividite, et medium nunc saltem admittite patrem.
Talia dequestus, paulatim sumserat iras
Mortis, et occulte telum, ni nata vetarat,
Quærebat; sed casta manu subtraxerat enses
Antigone: furit inde senex: Ubi noxia tela?
Heu furiæ, num totum abiit in corpora ferrum?
Dicentem comes ægra levat, mutumque dolorem
Ipsa premit, sævum gaudens plauxisse parentem.
Olim autem inceptæ clamore exterrita pugnæ
Regina extulerat notum penetralibus ensem
Ensem sceptriferi spolium lacrymabile Laii.
Multaque cum Superis et diro questa cubili,
Et nati furiis, et primi coniugis umbris,
Luctata est dextra, et prono vix pectore ferrum
Intravit tandem, et venas prorupit aniles
Vulnus, et infelix lustratur sanguine lectus.
Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super, lacrymisque, comisque
Siccabat plangens: qualis Marathonide sylva
Flebilis Erigone, cæsi prope funera patris,
Questibus absumtis, tristem iam solvere nodum
Cœperat, et fortes ramos moritura legebat.
At, iam læta ducum spes elusisse duorum,
Res Amphionias alio, sceptrumque, maligna
Transtulerat Fortuna manu, Cadmique tenebat
Iura Creon: miser heu bellorum terminus! illi
Pugnarant fratres: hunc et Mavortia clamant
Semina, et impensum patriæ paulo ante Menœceus
Concutiat populis. Scandit fatale tyrannus
Flebilis Aoniæ solium: pro blanda potestas,
Et sceptri male suadus amor! nunquamne priorum
Hærebunt documenta novis? Iuvat ecce nefastu
Stare loco, regimenque manu tractare cruentum.
Quid melior Fortuna potest? iam flectere patrem
Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ,
Indicium specimenque sui, iubet igne supremo
Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui
Infelix bellum, et tristes sine sedibus umbras.
Mox reducem Ogygiæ congressus limine portæ
Œdipoden timuit paulum, seseque minorem
Confessus tacite, promtamque coercuit iram.
Mox redit in regem, cæcumque audentibus hostem
Increpitans, Procul, inquit, abi, victoribus omen
In visum, et furias averte, ac mœnia lustra
Discessu Thebana tuo: spes longa peracta est.
Vade, iacent nati: quæ iam tibi vota supersunt?
Horruit instinctu rabido, steteruntque trementes,
Ceu visu præsente, genæ, seniumque recessit.
Tunc natam, baculumque manu dimisit, et iræ
Innixus, tumido vocem de pectore rumpit:
Iamne vacat sævire, Creon? modo perfida regna,
Fortunæque locum nostræ, miserande, subisti,
Et tibi iam fas est regum calcare ruinas?
Iam tumulis victos, socios iam mœnibus arces?
Macte, potes digne Thebarum sceptra tueri.
Hæc tua prima dies: sed cur nova contrahis amens
Iura? quid anguste tantos metiris honores?
Exilium intendis? timida inclementia regum
Ista. Feros avidus quin protinus imbuis enses?
Crede: licet, veniat cupidus parere satelles,
Intrepidusque secet non evitantia colla.
Incipe: an expectas, ut pronus supplice dextra
Sternar? et immitis domini vestigia quæram?
Finge autem tentare, sines? mihine ulla minaris
Supplicia? aut ullos reris superesse timores?
Linquere tecta iubes? cœlum terrasque reliqui
Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorsi,
Non ullo cogente, manum; quid tale iubere,
Rex inimice, potes? Fugio, excedoque nefandis
Sedibus: an refert, quo funera longa, measque
Transportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
Concedat, patriæ quantum miser incubo terræ?
Sed dulces Thebæ! nimirum hic clarior ortus,
Et meliora meos permulceant sidera vultus.
Hic genitrix, natique: habeas Thebana regasque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laius, omine rexit,
Quoque ego: sic thalamos, sic pignora fida capessas:
Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra;
Sed lucem deprensus ames: satis omina sanxi:
Duc, age, nata procul. Quid te autem luctibus addo?
Da, rex magne, ducem: timuit miseranda relinqui
Antigone, mutatque preces: Felicia per te
Regna, verende Creon, sanctasq; Menœceos umbras:
Da veniam afflicto, dictisque ignosce superbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.
Nec soli ferus iste tibi: sic fata, Deosque
Alloquitur: durus luctu, facilisque nec ipsi
Sæpe mihi. Pridem indomito sub pectore fervet
Libertas misera, et sævæ spes anxia mortis.
Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,
Suppliciumque cupit: sed tu maioribus, oro,
Imperii potiare bonis, altusque iacentes
Prætereas, et magna ducum vereare priorum
Funera: et hic quondam, solio sublimis, et armis
Septus, opem miseris, iura et poscentibus æquus,
Supplicibusque dabat: cui nunc ex agmine tantu
Una comes, necdum exul erat. Felicibus hic na

Obstat? in hunc odiis et regni viribus exul?
Hunc abigis tectis? an, ne prope limina clarum
Ingeminet, et votis intempestivus oberret?
Pone metum, procul usque tua summotus ab aula
Flebit: ego erectum subigam, et servire docebo.
Cœtibus abducam, solaque in sede recondam.
Exul erit: nam quas migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hostilesque Mycenas
Squallidus irreptet? victique ad limen Adrasti
Omnes narret clades? tenuemque precetur
Rex Thebanus opem? Miseræ quid crimina gentis
Pandere, quid casus iuvat ostentare pudendos?
Conde, precor, quodcumq; sumus: nec longa precamur
Dona, Creon: miserere senis mœstique parentis.
Hic precor, hic manes indulge ponere: certe
Thebanos sepelire licet. Sic orat, humique
Volvitur: abducit genitor, sævumque minatur
Indignans veniam: qualis leo, rupe sub alta,
Quem viridem quondam sylvæ montesq; tremebant,
Iam piger, et longo iacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, et non adeunda senectus:
Et si demissas veniat mugitus ad aures,
Erigitur, meminitque sui, viresque peractas
Ingemit, et campis alios regnare leones.
Flectitur affatu, sed non tamen omnia rector
Supplicis indulgat lacrymis, partemque recidit
Muneris. Haud, inquit, patriis prohibebere longe
Finibus, occursu dum non pia templa, domosque
Commacules: habeant te lustra, tuusque Cithæron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris,
Qua bellum, geminæque iacent in sanguine gentes.
Sic ait, et ficto comitum vulgique gementis
Assensu, limen tumidus regale petebat.
Interea pulsi vallum exitiale Pelasgi
Destituunt furto: nulli sua signa, suusque
Ductor: eunt taciti passim, et pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam reditusque pudendos.
Nox favet, et grata profugos amplectitur umbra.

Liber duodecimus

Nondum cuncta polo vigil inclinaverat astra
Ortus, et instantem cornu tenuiore videbat
Luna diem: trepidas subito Tithonia nubes
Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina iam raris Dircæa penatibus errant,
Noctis questa moras: quamvis tunc otia tandem,
Et primus post bella sopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, et sævi meminit victoria belli.
Vix primo proferre gradum, et munimina valli
Solvare, vix totas reserare audacia portas.
Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
Horror: ut assiduo iactatis æquore tellus
Prima labat, sic attoniti nil cominus ire
Mirantur, fusasque putant assurgere turmas.
Sic ubi prospicuæ scandentem limina turris
Idaliæ volucres fulvum aspexere draconem,
Intus agunt natos, et fœta cubilia vallant
Unguibus, imbellesque citant ad prælia pennas:
Mox ruerit licet ille retro, tamen aera nudum
Candida turba timet, tandemque ingressa volatus
Horret, et a mediis etiamnum respicit astris.
Itur in exsanguem populum, bellique iacentis
Relliquias, qua quemque dolor; luctusque cruenti
Exagera duces: hi tela, hi corpora, at illi
Cæsorum tantum ora vident, alienaque iuxta
Pectora: pars currus deflent, viduisque locutus,
Hoc solum quia restat, equis: pars oscula figunt
Vulneribus magnis, et de virtute queruntur.
Frigida digeritur strages: patuere recisæ
Cum capulis, hastisque manus, mediisque sagittis
Luminibus stantes: multis vestigia cædis
Nulla, ruunt planctu pendente et ubique parato.
At circum informes truncos miserabile surgit
Certamen, qui iusta ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles (lusit Fortuna parumper)
Decepti flevere viros: nec certa facultas
Noscere, quam miseri vitent, calcentve cruorem.
At quibus est illæsa domus, vacuique dolores,
Aut deserta vagi Danaum tentoria lustrant,
Immittuntque faces, aut (quæ post bella voluptas)
Quærunt dispersi, iaceat quo pulvere Tydeus,
An rapti pateat specus auguris, aut ubi Divum
Hostis, an ætheriæ vivant per membra favillæ.
Iam lacrymis exemta dies, nec serus abegit
Vesper: amant miseri lamenta, malisque fruuntur.
Nec subiere domos, sed circum funera pernox
Turba sedet, vicibusque datis alterna gementes
Igne feras, planctuque fugant: nec dulcibus astris
Victa, nec assiduo coierunt lumina fletu.
Tertius Auroram pulsabat Lucifer, et iam
Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
Theumesi venere trabes, et amica Cithæron
Sylva rogis: ardent excisæ viscera gentis
Molibus extructis: supremo munere gaudent
Ogygii manes: queritur miserabile Graium
Nuda cohors, vetitumq; gemens circumvolat ignem.
Accipit at sævi Manes Etheoclis iniquos
Haudquaquam regalis honos, Argivus haberi
Frater iussus adhuc, atque exule pellitur umbra.
At non plebeio fumare Menœcea busto
Rex genitor, Thebæque sinunt: nec robora vilem
Struxerunt de more rogum; sed bellicus agger
Curribus, et clypeis, Graiorumque omnibus armis
Sternitur: hostiles super ipse, ut victor, acervos,
Pacifera lauro crinem vittisque decorus
Accubat: haud aliter, quam cum poscentibus astris
Lætus in accensa iacuit Tirynthius Œta.
Spirantes super inferias captiva Pelasgum
Corpora, frenatosque pater, solatia, fortes
Bellorum, mactabat equos: his arduus ignis
Palpitat, et gemitus tandem erupere paterni:
O nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
Ardor, Echionios mecum venerande penates,
Atque ultra recture puer; venientia qui nunc
Gaudia et ingratum regni mihi munus acerbas.
Tu Superum convexa licet, cœlumque perenni
(Credo equidem) virtute colas: mihi flebile semper
Numen eris: ponant aras, excelsaque Thebæ
Templa dicent: uni fas sit lugere parenti.
Et nunc heu quæ digna tibi solennia, quasve
Largiar exequias? nec si fatale potestas
Argos et impulsas cineri miscere Mycenas,
Meque super, cui vita (nefas!) et sanguine nati
Partus honos: eademne dies, eadem impia bella
Te, puer, et diros misere in Tartara fratres?
Et nunc Œdipodi par est fortuna doloris, (bras?
Ac mihi: quam similes gemimus, bone Iupiter, um-
Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
Accipe, et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.
Regem te, regem, tristes Etheocleos umbræ
Aspiciant. Simul hæc dicens, crinemq;, manumque
Destruit, accensaque iterat violentius ira: (Lerna
Sævum agedum, immitemque vocent, nunc funera
Tecum ardere veto: longus utinam addere sensus
Corporibus, cœloque animas Ereboque nocentes
Pallere fas, ipsumque feras, ipsum unca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos.

Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit.
Quare iterum repetens, iterumque edico, suprema
Ne quis ope, aut flammis ausit iuvisse Pelasgos:
Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta
Corpora: per Superos, magnumque Menœcea iuro.
Dixit, et abreptum comites in tecta ferebant.
Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis
(Fama trahit miseras) orbæ viduæque ruebant
Inachides, ceu capta manus: sua vulnera cuique
Par habitus cunctis, deiecti in pectora crines,
Accinctique sinus: manant lacera ora cruentis
Unguibus, et molles planctu crevere lacerti.
Prima per attonitas nigræ regina catervæ
Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens
Quærit inops Argia vias: non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati
Nomen in ore sedet. Dircen, infaustaque Cadmi
Mœnia, posthabitis velit incoluisse Mycenis.
Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exequias trahit, haud cessura sorori
Deiphile: scelus illa quidem, morsusque profanos
Audierat miseranda viri: sed cuncta iacenti
Infelix ignoscit amor: post aspera visu,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens: vatis mox impia coniux
Heu vacuos positura rogos: postrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ,
Et gravis Evadne: dolet hæc, quæriturque labores
Audacis pueri: magni memor illa mariti
It torvum lacrymans, summisque irascitur astris.
Illas et lucis Hecate speculata Lycæis
Prosequitur gemitu, duplexque ad litus euntes
Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro:
Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
Flevit, et arcanos errantibus extulit ignes.
Ipsa per aversos ducit Saturnia colles,
Occultatque vias, ne plebs congressa suorum
Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœpti.
Nec non functa ducum refovendi corpora curam
Iris habet: putresque arcanis roribus artus
Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstent,
Expectantque rogos, flammas neu ante fatiscant.
Squalidus ecce genas, et hianti vulnere pallens
Ornitus (hic socio desertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus secreta per avia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu,
Fœmineumque gregem, quæ iam super agmina Lernæ
Sola videt; (non ille viam causasque requirit,
Quippe patent) mœsto sed sic prior occupat ore:
Quo miseræ, quo fertis iter? funusne peremtis
Speratis, cineremque viris? stat pervigil illic
Umbrarum custos, inhumataque corpora regi
Annumerat: nusquam lacrymæ, procul usque fugati
Accessus hominum: solis avibusque, ferisque
Ire licet: vestrisne Creon dabit æquus honorem
Luctibus? immites citius Busiridos aras,
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos: rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi) nec coniugalia supra
Funera, sed caris longe mactabit ab umbris.
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ
Nomina (quod superest) vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis?
Aut vos Cecropiam (prope namque et Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)
Imploratis opem? Bello cogendus et armis
In mores hominemque Creon. Sic fatus, at illis
Horruerant lacrymæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultûs pallore notati.
Non secus afflavit molles si quando iuvencas
Tigridis Hyrcanæ ieiunum murmur, et ipso
Auditu turbatur ager, timor omnibus ingens
Quæ placeat, quas illa fames descendat in armos.
Continuo discors vario sententia motu
Scinditur: his Thebas tumidumque ambire Creonta,
His placet Actæam si quid clementia gentis
Annuat: extremum curarum, ac turpe reverti.
At non femineæ subitum virtutis honorem
Colligit Argia, sexuque immane relicto
Tractat opus: placet egregii spes dura pericli
Cominus infandi leges accedere regni:
Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
Phasidis, innuptis vallata cohortibus iret.
Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
Segreget, immitesque Deos, regemque cruentum
Contemtrix animæ, et magno temeraria luctu
Provocet: hortantur pietas, ignesque pudici.
Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu
Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
Nunc mitis coniux, nunc iam sub casside torva
Mœstus in amplexu, multumque a limine summo
Respiciens: sed nulla animo obversatur imago
Crebrior, Aonii quam quæ de sanguine campi
Nuda venit, poscitque rogos: his anxia mentem
Ægrescit curis, et qui castissimus ardor,
Funus amat: tunc ad comites conversa Pelasgas:
Vos, ait, Actæas acies, Marathoniaque arma
Elicite, aspiretque pio fortuna labori.
Me sinite Ogygias, tantæ quæ sola ruinæ
Causa fui, penetrare domos, et fulmina regni
Prima pati: nec surda feræ pulsabimus urbis
Limina: sunt illic soceri mihi, suntque sorores
Coniugis, et Thebas haud ignoranda subibo.
Ne tantum revocate gradus: illo impetus ingens,
Auguriumque animi: nec plura: unumque Menœten
(Olim hic virginei custos monitorque pudoris)
Eligit, et quamquam rudis, atque ignara locorum,
Præcipites gressus, qua venerat Ornitus, affert.
Atque ubi visa procul socias liquisse malorum,
Anne, ait, hostiles ego te labente per agros,
Heu dolor, expectem, quænam sententia lenti
Theseos? an bello proceres, an dexter haruspex
Annuat? Interea funus decrescit: et uncis
Alitibus non hos potius supponimus artus?
Et nunc me duram, si quis tibi sensus, ad umbras
Me tardam quereris Stygiis, fidissime, Divis.
Heu si nudus adhuc, heu si iam forte sepultus,
Nostrum utrumque nefas: adeo via nulla dolenti,
Mors nusquam, sævusque Creon: hortaris euntem,
Ornite. Sic dicens magno Megareia præceps
Arva rapit passu: demonstrat proxima quisquis
Obvius, horrescitque habitus, miseramque veretur.
Vadit atrox visu, nec corde, nec aure pavescens,
Et nimiis confisa malis, propiorque timeri.
Nocte velut Phrygia, cum lamentata resultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem
Dux vesana chori, cuius Dea sanguine lecto
Ipsa dedit ferrum, et vittata fronte notavit.
Iam pater Hesperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab undis,
Cum tamen illa gravem luctu fallente laborem
Nescit abisse diem: nec caligantibus arvis
Terretur, nec frangit iter, per et invia saxa,
Lapsurasque trabes, nemorumque arcana sereno
Nigra die, cæcisque incisa novalia fossis,
Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum
Præter, et horrendis incensa cubilia monstris.

Tantum se inni, luctusque valent: pudet ire Menœten
Tardius, invalidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos pecorumq; hominumq; modesto
Pulsavit gemitu? quoties amissus eunti
Limes, et errantem comites solatia flammæ
Destituunt, gelidæque facem vicere tenebræ?
Iamque supinantur fessis, lateque fatiscunt
Penthei devexa iugi, cum pectore anhelo
Iam prope deficiens, sic inchoat ora Menœtes:
Haud procul (exacti si spes non blanda laboris)
Ogygias, Argia, domos, at egena sepulcri
Busta iacere reor: grave comminus æstuat aer
Sordidus, et magnæ redeunt per inane volucres.
Hæc illa est crudelis humus: nec mœnia longe.
Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
Campus, et a speculis moriens intermicet ignis?
Mœnia sunt iuxta: modo nox magis ipsa tacebat,
Solaque nigrantes laxabant astra tenebras.
Horruit Argia, dextramque ad mœnia tendens:
Urbs optata prius, nunc tecta hostilia Thebæ,
Et tamen illæsas si reddis coniugis umbras,
Sic quoque dulce solum: cernis, quo prædita cultu,
Qua stipata manu, iuxta tua mœnia primum
Œdipodis magni venio nurus? Improba non sunt
Vota: rogos hospes, planctumque et funera posco.
Illum, oro, extorrem regni, belloque fugatum,
Illum, quem solio non es dignata paterno,
Redde mihi: tuque, oro, veni, si Manibus ulla
Effigies, errantque animæ post membra solutæ.
Tu mihi pande vias, tuque ipse ad funera deduc,
Si merui. Dixit, tectumque aggressa propinquæ
Pastoralle casæ, reficit spirantia fessi
Ignis, et horrendos irrumpit turbida campos.
Qualis, ab Ætnæis accensa lampade saxis,
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosque legens in pulvere sulcos.
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus, ruptoque vias illuminat igni.
Persephonen amnes, sylvæ, freta, nubila clamant:
Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.
Admonet attonitam fidus meminisse Creontis
Altor, at occultam summittere lampada furto.
Regina Argolicas modo formidata per urbes,
Votum immane procis, spesque augustissima gentis,
Nocte sub infesta, nullo duce, at hoste propinquo,
Sola per offensus armorum, et lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circumfusa tremiscens
Concilia umbrarum, atq; animas sua membra gemen-
Sæpe gradu cæco ferrum, calcataque tela (tes.
Dissimulat, solusque labor vitare iacentes,
Dum funus putat omne suum, visuque sagaci
Rimatur positos, et corpora prona supinat
Incumbens, queriturque parum lucentibus astris.
Forte soporiferas cœli secreta per umbras
Iuno, sinu magni semel furata mariti,
Theseos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,
Supplicibusque piis faciles aperiret Athenas:
Atque, ubi per campos errore fatiscera vano
Immeritam Argian supero respexit ab axe,
Indoluit visu: et lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidaque ita voce locuta est:
Da mihi poscenti munus breve, Cynthia, si quis
Est Iunonis honos: certa Iovis improba iussu
Ternoctem Herculeam: veteres sed mitto querelas:
En locus officio: cultrix placidissima nostri,
Inachis Argia cernis qua nocte vagetur,
Nec reperire virum densis queat ægra tenebris?
Et tibi nimbosum languet iubar: exere quæso
Cornua, et assueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque, qui curru medidas tibi pronus habe-
Ducit, in Aonios vigiles demitte Soporem. (nas
Vix ea, cum scissis magnum Dea nubibus orbem
Protulit: expavere umbræ, fulgorque recisus
Sideribus: vix ipsa tulit Saturnia flammas.
Primum per campos infuso lumine, pallam
Coniugis ipsa suos noscit miseranda labores,
Quanquam texta latent, suffusaque sanguine mœret
Purpura: dumque Deos vocat, et de funere caro
Hoc superesse putat, videt ipsum in pulvere pæne
Calcatum: fugere animus, visusque, sonusque,
Inclusitque dolor lacrymas: tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oscula quærit
Absentem, pressumque comis ac veste cruorem
Servatura legit: mox tandem voce reversa,
Hunc ego te, coniux, ad debita regna profectum
Ductorem belli, generumque potentis Adrasti
Aspicio? talisque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectaque lumina: venit
Ad Thebas Argia tuas: age, mœnibus induc,
Et patrios ostende lares, et mutua redde
Hospitia: heu quid ago? proiectus cespite nudo,
Hoc patriæ telluris habes? quæ iurgia? certe
Imperium non frater habet: nullasne tuorum
Movisti lacrymas? ubi mater? ubi inclyta fama
Antigone? Mihi nempe iaces: mihi victus es uni.
Dicebam, Quo tendis iter? quid sceptra negata
Poscis? habes Argos: soceri regnabis in aula:
Hic tibi longus honos, hic indivisa potestas.
Quid queror? Ipsa dedi bellum, mœstumque rogavi
Ipsa patrem, ut talem nunc te complexa tenerem.
Sed bene habet, Superi: gratum est Fortuna: peracta
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus. (est
Hei mihi, sed quanto descendit vulnus hiatu!
Hoc frater? qua parte, precor, iacet ille nefandus
Prædator? vincam volucres, sit adire potestas,
Excludamque feras: an habet funestus et ignes?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit:
Ardebis, lacrymasque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternumque tuo famulata sepulcro
Durabit deserta fides, testisque dolorum
Natus erit, parvoque torum Polynice fovebo.
Ecce alios gemitus, aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem, vix nacta petitos
Mœnibus egressus: illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, et rex iubet ipse timeri,
Contractæque vices, et crebrior excubat ignis.
Ergo Deis, fratrique moras excusat, et amens,
Ut paulum immisso cessit statio horrida somno,
Erumpit muris: fremitu quo territat agros
Virginis ira leæ rabies, cui libera tandem
Et primus sine matre furor: nec longa morata est,
Quippe trucem campum, et positus quo pulvere fra-
Noverat: atque illam contra videt ire Menœtes, (ter,
Cui vacat, at caræ gemitus compescit alumnæ.
Cum tamen erectas extremus virginis aures
Accessit sonus: atque atra sub veste, comasque
Squalentem, et crasso fœdatam sanguine vultus
Astrorum radiis, et utraque a lampade vidit:
Cuius, ait, Manes, aut quam temeraria quæris
Nocte mea? Nihil illa diu, sed in ora mariti
Deiicit, inque suos pariter velamina vultus
Capta metu subito, paulumque oblita doloris.
Hoc magis increpitans suspecta silentia, perstat
Antigone, comitemque premens ipsamque: sed ambo
Deficiunt, fixique silent: tandem ora retexit
Argia, corpusque tamen complexa, profatur:
Si quid in hoc veteri bellorum sanguine mecum

Quæsitura venis, si tu quoque dura Creontis
Iussa times, possum, tibi me confisa, fateri.
Si misera es, (certe lacrymas lamentaque cerno)
Isage, age, iunge fidem: proles ego regis Adrasti.
(Hei mihi num quis adest?) cari Polynicis ad ignes,
Etsi regna vetant. Stupuit Cadmeia virgo,
Intremuitque simul, dicentemque occupat ultro:
Mene igitur, sociam (pro sors ignara!) malorum,
Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis.
Cedo, ten' pudet? heu pietas ignava sororis!
Hæc prior. Hic pariter lapsæ, iunctoque per ipsum
Amplexu, miscent avidæ lacrymasque comasque;
Partitæque artus, redeunt alterna gementes
Ad vultum, et cara vicibus cervice fruuntur. (tum,
Dumque modo hæc fratrem memorat, nunc illa mari-
Mutuaque exoræ, Thebas Argosque renarrant,
Longius Argia miseros reminiscitur actus:
Per tibi furtivi sacrum commune doloris,
Per socios Manes, et conscia sidera, iuro;
Non hic amissos, quanquam vagus exul, honores,
Non gentile solum, caræ non pectora matris;
Tecupiens unam, noctesque, diesque, locutus
Antigonen: ego cura minor, facilisque relinqui.
Tu tamen excelsa sublimis forsitan arce,
Ante nefas, Graiis dantem vexilla maniplis
Vidisti, teque ille acie respexit ab ipsa
Ense salutatam, et nutantis vertice coni:
Nos procul: extremas sed quis Deus egit in iras?
Nil vestræ valuere preces? tibine iste negavit
Oranti? causas ac tristia reddere facta
Cœperat Antigone: fidus comes admonet ambas:
En agite inceptum potius! iam sidera pallent,
Vicino turbata die: perferte laborem,
Tempus erit lacrymis: accenso flebitis igne.
Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc, et sanguine decolor, ibat.
Huc laceros artus socio conamine portant
Invalidæ, iungitque comes non fortior ulnas.
Sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado: vix dum ille sepulcro
Conditus, et flentes stant circum flumina sylvæ.
Ut sanies purgata vado, membrisque reversus
Mortis honos, ignem miseræ post ultima quærunt
Oscula: sed gelidæ circum exanimesque favillæ
Patribus in foveis, atque omnia busta quiescunt.
Stabat adhuc seu forte rogus, seu numine Divum,
Cui torrere datum sævos Etheocleos artus;
Sive locum monstris iterum Fortuna parabat,
Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.
Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem
Roboribus pariter cupidæ videre, simulque
Flebile gavisæ: nec adhuc, quæ busta, repertum;
Sed placidus quicumque, rogant, mitisque, supremi
Admittat cineris consortem, et misceat umbras.
Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, et novus advena bustis
Pellitur: exundant diviso vertice flammæ,
Alternosque apices abrupta luce coruscant.
Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes
Orcus, utarque minax globus, et conatur uterque
Longius: ipsæ etiam, commoto pondere, paulum
Secessere trabes: conclamat territa virgo:
Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.
Frater erat: quis enim accessus ferus hospitis umbræ
Pelleret? en clypei fragmen, semustaque nosco
Cingula: frater erat: cernisne, ut flamma recedat,
Concurratque tamen? Vivunt odia improba, vivunt.
Nil actum bello: miseri, sic dum arma movetis,
Vicit nempe Creon: nusquam iam regna, quis ardor?
Cui furitis? sedate minas: tuque, exul, obique
Semper inops æqui, iam cede: hoc nupta precatur,
Hoc soror, aut sævos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea, cum subitus campos tremor, altaque tecta
Impulit, adiuvitque rogi discordis hiatus,
Et vigilum turbata quies, quibus ipse malorum
Fingebat simulacra sopor: ruit ilicet, omnem
Prospectum lustrans armata indagine, miles.
Illos instantes senior timet unus: at ipsæ,
Ante rogum, sævique palam sprevisse Creontis
Imperia, et furtum claro plangore fatentur
Securæ, quippe omnia vident fluxisse cadaver.
Ambigitur sæva de morte; animosaque leti
Spes furit: hæc fratrem rapuisse, hæc coniugis artus
Contendunt, vicibusque probant: ego corpus, ego ignes,
Me pietas, me duxit amor. Deposcere sæva
Supplicia, et dextras iuvat insertare catenis.
Nusquam illa alternis modo quæ reverentia verbis,
Iram, odiumque putes: tantus discordat utrimque
Clamor, at ad regem, qui deprendere, trahuntur.
At procul Actæis, dextra iam Pallade, muris,
Iuno Phoronea inducit prævia matres
Attonitas, non ipsa minus; cœtumque gementem
Conciliat populis, et flentibus addit honorem.
Ipsa manu ramosque oleæ vittasque precantes
Tradit, et obtenta summittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas sine Manibus urnas.
Omnis et Actæia effusa penatibus ætas
Tecta viasque replent: unde hoc examen? et una
Tot miseræ? necdum causas novere malorum,
Iamque gemunt. Dea conciliis se miscet utrisque,
Cuncta docens, qua gente satæ, quæ funera plangant,
Quidve petant: variæ nec non affatibus ipsæ
Ogygias leges, immansuetumque Creonta, (tur
Multum et ubique fremunt. Geticæ non plura querun-
Hospitibus tectis trunco sermone volucres,
Cum duplices thalamos et iniquum Terea clamant.
Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum: mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illa novo: nulla damnavit vota repulsa.
Auditi, quicumque rogant, noctesque, diesque
Ire datum, et solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant,
Mœstarumque super libamina serta comarum
Pendent, et vestes mutata sorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo,
Vittatæ laurus, et supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ: mentes habitare et pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est, defensos acie, post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras;
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque minæque,
Regnaque, et a iustis Fortuna recederet aris.
Iam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes,
Conveniunt, pacemque rogant: mox hospita sedes
Vicit, et Œdipodæ Furias, et funus Olynthi
Texit, et a misero matrem summovit Oreste.
Hunc volgo monstrante locum, manus alixa Lernæ

Deveniunt: cedit miserorum turba priorum.
Vix ibi sedatis requierunt pectora curis,
Ceu patrio, super alta, grues Aquilone fugatæ
Cum videre Pharon; tunc æthera latius implent,
Tunc hilari clangore sonant: iuvat orbe sereno
Contemsisse nives, et frigora solvere Nilo.
Iamque domos patrias, Scythicæ post aspera gentis
Prælia, laurigero subeuntem Thesea curru
Lætifici plausus, missusque ad sidera vulgi
Clamor, et emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem spolia, et duri Mavortis imago,
Virginei currus, cumulataque fercula cristis,
Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora et solidam Mæotida cædere suetæ,
Corytique leves portantur, et ignea gemmis
Cingula, et informes dominarum sanguine peltæ.
Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumque fatentur,
Nec vulgare gemunt, aspernanturque precari,
Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.
Primus amor niveis victorem cernere vectum
Quadriiugis, necnon populos in semet agebat
Hippolyte, iam blanda genas, patiensque mariti
Fœderis: hanc patrios ritus fregisse severos
Atthides obliquo secum mirantur operto
Murmure: quod nitidi crines, quod pectora palla
Tota latent, magnis quod barbara semet Athenis
Misceat, atque hosti veniat paritura marito.
Paulum et ab insessis mœstæ Pelopeides aris
Promovere gradum, seriemque et dona triumphi
Mirantur, victique animo rediere mariti.
Atque, ubi tardavit currus, et ab axe superbo
Explorat causas victor, poscitque benigna
Aure preces, ausa ante alias Capaneia coniux:
Belliger Ægide, subitæ cui maxima laudis
Semina de nostris aperit Fortuna ruinis,
Non externa genus, diræ nec conscia noxæ
Turba sumus: domus Argos erat, regesque mariti,
Non utinam et fortes: quid enim septena movere
Castra, et Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæsos: hæc bellica iura, vicesque
Armorum: sed non Siculis exorta sub antris
Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres. (seu,
Mitto genus, clarosq; patres; hominum, inclyte The-
Sanguis erant, homines, eademque in sidera, eosdem
Sortitus animarum, alimentaque vestra creati,
Quos vetat igne Creon, Stygiæque a limite portæ,
Ceu sator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Submovet, ac dubio cælique Erebique sub axe
Detinet: heu princeps Natura! ubi numina? ubi ille
Fulminis iniusti iaculator? ubi estis, Athenæ?
Septima iam surgens trepidis Aurora iacentes
Aversatur equis: radios declinat, et horret
Stelligeri iubar omne poli: iam cominus ipsæ
Pabula dira feræ, campumque odere volucres
Spirantem tabo, et cælum, ventosque gravantem.
Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putrem-
Urere permittat saniem: properate, verendi (que
Cecropidæ: vos ista decet vindicta. priusquam
Emathii, Thracesque dolent, quæque extat ubique
Gens arsura rogis, Manesque habitura supremos:
Nam quis erit sævire modus? Bellavimus: esto;
Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras.
Tu quoque, ut egregios fama cognovimus actus,
Non trucibus monstris Sinin infandumque dedisti
Cercyona, et sævum velles Scyrona cremari.
Credo et Amazoniis Tanain fumasse sepulcris
Unde hæc arma refers: sed et hunc dignare trium-
Da terris unum, cæloque Ereboque laborem; (phum.
Si patrium Marathona metu, si tecta levasti
Cressia, nec fudit vanos anus hospita fletus,
Sic tibi non ullæ socia sine Pallade pugnæ,
Nec sacer invideat paribus Tirynthius actis,
Semper et in curru, semper te mater ovantem
Cernat; et invictæ nil tale precentur Athenæ.
Dixerat: excipiunt cunctæ, tenduntque precantes
Cum clamore manus: rubuit Neptunius heros,
Permotus lacrymis: iusta mox concitus ira
Exclamat: Quænam ista novos induxit Erinnys
Regnorum mores? Non hæc ego pectora liqui
Graiorum abscedens, Scythiam, pontumque nivalem
Cum peterem: novus unde furor? Victumne putasti
Thesea, dire Creon? Adsum: nec sanguine fessum
Crede: sitit meritos etiamnum hæc hasta cruores.
Nulla mora est. Verte hunc adeo, fidissime Phegeu,
Cornipedem, et Tyrias invectus protinus arces,
Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.
Sic ait, oblitus bellique viæque laborum,
Hortaturque suos, viresque instaurat anhelas.
Ut modo connubiis taurus, saltuque recepto,
Cum posuit pugnas; alius si forte remugit
Bellatore nemus, quanquam ora et colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campumque lacer-
Dissimulat gemitus, et vulnera pulvere celat. (seu,
Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam
Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
Protinus erecti, toto simul agmine, Thebas
Respexere angues: necdum Atticus ire parabat
Miles, et infelix expavit classica Dirce.
Continuo in pugnas haud solum accensa iuventus,
Qui modo Caucasei comites rediere triumphi;
Omnis ad arma rudes ager extimulavit alumnos.
Conveniunt, ultroque ducis vexilla sequuntur,
Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacessunt
Munichia, et trepidis stabilem Piræea nautis,
Et nondum Eoo clarum Marathona triumpho.
Mittit in arma manus, genialibus hospita Divis
Icarii Celeique domus, viridesque Melænæ,
Dives et Egaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, et pingui melior Lycabessos olivæ.
Venit atrox Ileus, et olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrsos hederis vestistis, Acharnæ.
Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti
Cressia decepit falso ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin
Horrida suspensis ad prælia misit aratris:
Et quos Callirhoe novies errantibus undis
Implicat, et raptæ qui conscius Orithyæ
Celavit Geticos ripis Ilissos amores.
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens
Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra.
Isset at Arctoas Cadmea ad mœnia ducens
Hippolyte turmas: retinet iam certa tumentis
Spes uteri, coniuxque rogat dimittere curas
Martis, et emeritas thalamo sacrare pharetras.
Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro
Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis
Amplexusque breves, curru sic fatur ab alto:
Terrarum leges et mundi fœdera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes (vorem,
Cœptibus: hac omnem Divumque hominumque fa-
Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni,
Stare palam est: illic Pœnarum exercita Thebis
Agmina, anguicomæ ducunt vexilla Sorores.
Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ.
Dixit, at emissa præceps iter inchoat hasta.
Qualis Hyperboreos ubi nubilus institit axes

Iupiter, et prima tremefecit sidera bruma;
Rumpitur Æolia, et longam indignata quietem
Tollit hiems animos, ventosaque sibilat Arctos.
Tunc montes undæque fremunt; tunc prælia cæsis
Nubibus, et tonitrus insanaque fulmina gaudent.
Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, et innumeris peditumq; equitumque catervis
Expirat protritus ager; nec pulvere crasso
Armorum lux victa perit, sed in æthera longum
Frangitur, et mediis ardent in nubibus hastæ.
Noctem adeo, placidasque operi iunxere tenebras,
Certamenque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quia visas proclamet ab aggere Thebas,
Cuius in Ogygio stet princeps lancea muro.
At procul ingenti Neptunius agmina Theseus
Angustat clypeo, propriæque exordia laudis,
Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ
Mœnia; seque ipsum monstrosi ambagibus antri
Hispida torquentem luctantis colla iuvenci,
Alternasque manus circum, et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.
Terror habet populos, cum septus imagine torva
Ingreditur pugnas, bis Thesea, bisque cruentas
Cæde videre manus: veteres reminiscitur actus
Ipse, tuens sociumque gregem, metuendaq; quondam
Limina, et assumto pallentem Gnossida filo.
Sævus at interea, ferro post terga revinctas,
Antigonen, viduamque, Creon, Adrastida leto
Admovet: ambæ hilares, et mortis amore superbæ,
Ensibus intentant iugulos, regemque cruentum
Destituunt; cum dicta ferens Theseia Phegeus
Astitit: ille quidem ramis insontis olivæ
Pacificus, sed bella ciet, bellumque minatur, (sum
Grande fremens, nimiumque memor mandatis; et ip-
Iam prope, iam medios operire cohortibus agros,
Ingeminans: stetit ambiguo Thebanus in æstu
Curarum, nutantque minæ, et prior ira tepescit.
Tunc firmat sese, fictumque ac triste renidens:
Parvane prostratis, inquit, documenta Mycenis
Sensimus? En iterum, qui mœnia nostra lacessant.
Accipimus: veniant: sed ne post bella querantur.
Lex eadem victis: Dixit: sed pulvere crasso
Caligare diem, et Tyrios iuga perdere montes
Aspicit: armari populos tamen, armaque ferri
Ipse iubet pallens; mediæque in sedibus aulæ
Eumenidas subitas, flentemque Menœcea cernit
Turbidus, impositosque rogis gaudere Pelasgos.
Quis fuit ille dies? tanto cum sanguine Thebis
Pax inventa perit? Patriis modo fixa revellunt
Arma Deis, clypeisque obducunt pectora fractis,
Et galeas humiles, et adhuc sordentia tabo
Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Exposcunt: prior hostis habet: fastigia desunt:
Deiecit Capaneus: exsanguis et ægra iuventus
Iam nec coniugibus, suprema nec oscula natis
Iungit, et attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contra, iubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis aspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Asservat Manes: dirisque vaporibus ægrum
Aera pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et iustas belli flammatur in iras.
Nunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa iacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum
Miscuit: at, lacera nequid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævas potura cruores
Terra rudis: iamque alternas in prælia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrimque,
Non utrimque tubæ: stat debilis altera pubes,
Summissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis,
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Iam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi sylva furentes
Impedit, insanique tacent sine litore fluctus.
Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit, erectæ cuius crudelis in hostes
Umbra cadit, campumq; trucem lux cuspidis implet:
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens; sic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas; tædet fugientibus uti
Thesea; nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic iuvat exanimis proiectaque præda canesque,
Degeneresque lupos; magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirumque, hunc tela phare-
Prontentem, hunc sævi tollentem pondera saxi (tra
Deiicit, et triplici confisos robore gentis
Alceidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapix.
Iamque et quadriiugo celsum petit Hæmona curru,
Horrendumque manu telum rotat; ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera necnon
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.
Sed solum votis, solum clamore fremendo,
Omnibus in turmis, optatque vocatque Creonta.
Atque hunc, diversa bellorum in fronte, maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea iussi
Linquebant, fretique Deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utque æqua notavit
Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Iam letale furens, atque audax morte futura:
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prœlia, nos magnum qui Tydea, quique furentem
Hippomedonta neci, Capaneaque misimus umbris
Pectora: quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? Nonne vides, quos ulciscare, iacentes?
Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clypeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur iactus; necnon prius ore superbo
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hostia, Manes,
Pandite Tartareum Chaos, ultricesque parate
Eumenidas: venit ecce Creon. Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc, qua subtemine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit: emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: assistit Theseus gravis, armaque tollens:
Iamne dare extinctis iustos, ait, hostibus ignes,
Iam victos operire placet? Vade atra dature
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri.
Accedunt utrimque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus: medio iam fœdera bello,
Iamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignerique domos: nec tecta hostilia victor
Aspernatus init: gaudent matresque, nurusque
Ogygiæ: qualis, thyrso bellante subactus,
Mollia laudabat iam marcidus Orgia Ganges.

Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Femineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ
Thyades amentes, magnum quas poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent, lamenta, novæque
Exultant lacrymæ, rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum qu erant prius, anne Creonta,
Anne suos: vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego, centena si quis mea pectora laxet
Voce Deus, tot busta simul, vulgique, ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem;
Turbine quo sese caris instraverit audax
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more iacens super oscula sævi
Corporis, infelix excuset Tydea coniux,
Ut sævos narret vigiles Argia sorori;
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,
Arcada consumto servantem sanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea iam longo meruit ratis æquore portum.
Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? Iam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Iam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala iam studio discit, memoratque iuventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor,
Occidet, et meriti post me referentur honores.

ACHILLEIDOS LIB. II.

Liber primus

Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo,(cantu
Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto
Sistere, sed tota iuvenem deducere Troia.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neq; enim Aonium nemus advena pulso
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager: meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.
At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci)
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.
Solverat Œbalio classem de litore pastor
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis iam Nerela imperat Helle;
Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria!) expavit vitreo sub gurgite remos.
Nec mora: et undosis turba comitante sororum,
Prosiluit thalamis: fervent cœuntia Phryxi
Litora, et angustum dominas non explicat æquor.
Illa ubi discusso primum subit aera ponto,
Me petit hæc mihi classis, ait, funesta minatur:
Agnosco monitus, et Protea vera locutum.
Ecce novam Priamo, facibus de puppe levatis,
Fert Bellona nurum: video iam mille carinis
Ionium, Ægæumque premi: nec sufficit, omnis
Quod plaga Graiugenum tumidis coniurat Atridis:
Iam pelago, terrisque meus quæretur Achilles,
Et volet ipse sequi: quid enim cunabula parvo
Pelion, et torvi commisimus antra magistri?
Illic (ni fallor) Lapitharum prælia ludit
Improbus, et patria iam se metitur in hasta.
O dolor, o seri materno in corde timores!
Non potui infelix, cum primum in gurgite nostro
Rhœtææ cecidere trabes, attollere magnum
Æquor? et incesti prædonis vela, profunda
Tempestate sequi? cunctasque inferre sorores? (tæ.
Nunc quoq; : sed tardum est, iam plena iniuria rap-
Ibo tamen, pelagique Deos, dextramque secundi,
Quod superest complexa Iovis, per Tethyos anos
Grandævumque patrem, supplex miseranda rogabo
Unam hiemem. Dixit, magnumque in tempore re-
Aspicit. Oceano veniebat ab hospite, mensis (gem
Lætus, et æquoreo diffusus nectare vultus,
Unde hiemes, ventique silent, cantuque quieto
Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete,
Tyrrhenique greges, circumque infraque rotantur
Rege salutato: placidis ipse arduus undis
Eminet, et triplici telo iubet ire iugales.
Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus,
Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.
Cui Thetis: O magni rector genitorque profundi,
Aspicis, in quales miserum patefeceris usus
Æquor? eunt tutis terrarum crimina velis,
Ex quo iura freti, maiestatemque repostam
Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina.
En aliud furto scelus, et spolia hospita portans
Navigat iniustæ temerarius arbiter Idæ,
Eheu quos gemitus terris pelagoque daturus!
Quos mihi! Sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ.
Hi Veneris mores, hoc gratæ munus alumnæ?
Has saltem (non Semideos, nostrumque reportant
Thesea) si quis adhuc undis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum: nulla inclementia: fas sit
Pro nato timuisse mihi: da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
Litus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.
Orabat laniata comas; et pectore nudo
Cœruleis obstabat equis: tunc ductor aquarum
Invitat curru, dictisque ita mulcet amicis:
Ne pete Dardaniam frustra, Theti, mergere classem.
Fata vetant: ratus ordo Deis, miscere cruentas
Europæque Asiæque manus, consultaque bella
Iupiter et tristes edixit cædibus annos.
Quem tu illic natum Sigeo in pulvere? quanta
Aspicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros
Undabit campos, modo crassa exire vetabit
Flumina, et Hectoreo tardabit funere currus,
Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.
Pelea iam desiste queri, thalamosque minores,
Credideris peperisse Iovi: nec inulta dolebis,
Cognatis utere fretis: dabo tollere fluctus,
Cum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus
Exseret, et dirum pariter quæremus Ulyxem.
Dixerat: illa gravi vultum demissa repulsa,
Quæ iam excire fretum, et ratibus bellare parabat
Iliacis, alios iterum commenta paratus,
Tristis ad Hæmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter gressibus æquor
Reppulit, et niveas feriunt vada Thessala plantas.
Lætantur montes, et connubialia pandunt

Antra sinus, lateque Deæ Sperchios abundat
Obvius, et dulci vestigia circuit unda.
Illa nihil gavisa locis, sed cœpta fatigat
Pectore consilia, et solers pietate magistra,
Longævum Chirona petit: domus ardua montem
Perforat, et longo suspendit Pelion arcu.
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.
Signa tamen, Divumq; tori, et quem quisq; sacrarat
Accubitu, genioque, locus monstrantur: at intra
Centauri stabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus: hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni,
Aut consanguineos fracti crateres in hostes;
Sed pharetræ insontes, et inania terga ferarum.
Hæc quoq; dum viridis; nam nunc labor unus inermi,
Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monstrare lyra veteres heroas alumno.
Ac tunc venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properatque dapes, largoque serenat
Igne domum: cum visa procul de litore mater
Nereis, erumpit sylvis: dant gaudia vires,
Notaque desueto crepuit senis ungula campo.
Tunc blandus dextra, atq; imos summissus in armos
Pauperibus tectis inducit, et admovet antris.
Iamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu;
Nec perpessa moras: Ubinam mea pignora, Chiron?
Dic, ait, aut cur ulla puer iam tempora ducit
Te sine? Num merito trepidus sopor? atraque matri
Signa Deum? magnos utinam mentita timores!
Namque mihi infestos utero modo contuor enses,
Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas
Ire feras: sæpe ipsa (nefas!) sub inania natum
Tartara, et ad Stygios iterum fero mergere fontes.
Hos abolere metus magici iubet ordine sacri
Carpathius vates, puerumque sub axe probato
Secretis lustrare fretis, ubi litora summa
Oceani, et genitor tepet illabentibus astris
Pontus, ubi ignotis horrenda piacula Divis,
Donaque: sed longum cuncta enumerare, vetorque:
Trade magis. Sic fata parens: neq; enim ille dedisset,
Si molles habitus et tegmina fœda fateri
Ausa seni: tunc ille refert: Duc, optima, quæso,
Duc genitrix, humilique Deos infringe precatu.
Nam superant tua vota modum, placandaque multum
Invidia est: non addo metum; sed vera fatebor;
Nescioquid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.
Olim ferre minas et obire audita solebat
Imperia, et nostris procul haud discedere ab antris.
Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens,
Thessaliæve nives: ipsi mihi sæpe queruntur
Centauri raptasque domos, abstractaque coram
Armenta, et campis semet fluviisque fugari.
Insidias et bella parant, tumidique minantur.
Olim equidem Argoos, pinus cum Thessala reges
Hac veheret, iuvenem Alciden, et Thesea vidi;
Sed taceo. Figit gelidus Nereida pallor.
Ille aderat multo sudore et pulvere maior.
Attamen arma inter, festinatosque labores,
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima nova lanugine vertitur ætas,
Tranquillæque faces oculis, et plurima vultu
Mater inest: qualis, Lycia venator Apollo
Cum redit, et sævis permutat plectra pharetris.
Forte et lætus adest: (o quantum gaudia formæ
Adiiciunt!) fœtam Pholoes sub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuisque reliquerat antris
Ipsam, sed catulos apportat, et incitat ungues.
Quos tamen, ut fido genitrix in limine visa est,
Abiicit, exceptamque avidis circumligat ulnis,
Iam gravis amplexu, iamque æquus vertice matri.
Insequitur, magno iam tunc connexus amore
Patroclus, tantisque extenditur æmulus actis,
Par studiis, ævique modis, sed robore longe,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.
Protinus ille subit rapido, quæ proxima, saltu
Flumina, fumantesque genas, crinemque novat ur
Fontibus. Eurotæ qualis vada Castor anhelo
Intrat equo, fessumque sui iubar excitat astri.
Miratur, comitque senex, nunc pectora mulcens,
Nunc fortes humeros: angunt sua gaudia matrem.
Tunc libare dapes, Bacchæaque munera Chiron
Orat, et attonitam vario oblectamine mulcens,
Elicit extremo chelyn, et solantia curas
Fila movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens immania laudum
Semina, qui tumidæ superarit iussa novercæ
Amphitryoniades; crudum quo Bebryca cæstu
Obruerit Pollux; quanto circumdata nexu
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri;
Maternos in fine toros, Superisque gravatum
Pelion: hic ficto risit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in somnos: saxo collabitur ingens
Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles,
Quamquam ibi fida parens, assuetaq; pectora mavult.
At Thetis, undisonis per noctem in rupibus adstans
Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
Destinet, huc, illuc, diversa mente volutat.
Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace:
Nec Macetum gens dura placet, laudumque daturi
Cecropidæ stimulos: nimium opportuna carinis
Sestos, Abydenique sinus: placet ire per altas
Cycladas: hinc spretæ Myconos, humilisq; Seriphos,
Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
Gentibus: imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus, et litora persona ludo
Audierat, duros laxantem Ægæona nexus
Missa sequi, centumque Dei numerare catenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutissima matri.
Qualis vicino volucris iam sedula partu,
Iamq; timens, qua fronde domum suspendat inanem,
Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
Hinc homines: tandem dubiæ placet umbra, novisque
Vix stetit in ramis, et protinus arbor amatur.
Altera consilio superest, tristemque fatigat
Cura Deam, natum ipsa sinu complexa per undas,
An magno Tritone ferat, ventosque volucres
Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci.
Elicit inde fretis, et murice frenat acuto
Delphinas biiuges, quos illi maxima Tethis,
Gurgite Atlanteo, pelagi sub valle sonora
Nutrierat: nullis vada per Neptunia, glaucæ
Tantus honor formæ, nandique potentia: nec plus
Pectoris humani: iubet hos subsistere pleno
Litore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem,
(Qui pueris sopor) Hæmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, et iussa tacere
Litora: monstrat iter, totoque effulserat orbe
Cynthia. Prosequitur Divam, celeresque recursus
Securus pelagi, Chiron rogat, udaque celat
Lumina, et abreptos subito, iam iamque latentes,
Erecto prospectat equo, qua cana parumper
Spumant signa fugæ, et liquido perit orbita ponto.
Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe
Iam tristis Pholoe, iam nubilus ingemit Othrys,
Et tenuis Sperchios aquis, speluncaque docti

Muta senis: quærunt puerilia carmina Fauni,
Et sperata diu plorant connubia Nymphæ.
Iam premit astra dies, humilisque ex æquore Titan
Rorantes evolvit equos, et ab æthere magno
Sublatum curru, pelagus cadit: at vada mater
Scyria iamdudum fluctus emensa tenebat,
Exierantque iugo fessi Delphines herili;
Cum pueri tremefacta quies, oculique iacentis
Infusum sensere diem: stupet aere primo,
Quæ loca? quid fluctus? ubi Pelion? omnia versa
Atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.
Occupat illa manu, blandeque affata paventem:
Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis, magnique puerpera cœli,
Nil humiles Parcas, terrenaque fata vererer.
Nunc impar tibi, nate, genus, præclusaque leti
Tantum matre vis est: quin et metuenda propin-
Tempora, et extremis admota pericula metis. (quæso
Cedamus, paulumque animos summitte viriles,
Atque habitus dignare meos: si Lydia dura
Pensa manu, mollesque tulit Tirynthius hastas;
Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere, virgineos si Iupiter induit artus,
Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus;
Has sine, quæso, minas numenque exire malignum.
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
Lustra tibi: per ego hoc decus, et ventura iuventæ
Gaudia, si terras, humilemque experta maritum
Te propter, si progenitum Stygos amne severo
Armavi (totumque utinam!) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo: cur ora reducis?
Quidve parant oculi? pudet hoc mitescere cultu?
Per te, care puer, cognata per æquora iuro,
Nesciet hæc Chiron. Sic horrida pectora tractat,
Nequidquam mulcens: obstat genitorque roganti,
Nutritorque ingens, et cruda exordia magnæ
Indolis: effrenæ tumidum velut igne iuventæ
Si quis equum primis summittere tentet habenis;
Ille diu campis, fluviisque et honore superbo
Gavisus, non colla iugo, non aspera præbet
Ora lupis, dominique gemit captivus inire
Imperia, atque alios miratur discere cursus.
Quis Deus attonitæ fraudes, astumque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
Palladi litoreæ celebrabat Scyros honorum
Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores
Luce sacra patriis (quæ rara licentia) muris
Exierant, dare veris opes, Divæque severas
Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam.
Omnibus eximium formæ decus: omnibus idem
Cultus, et expleto teneri iam fine pudoris,
Virginitas matura toris, annique tumentes.
Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit
Naides, effulget tantum regina decori
Deidamia chori, pulchrisque sororibus obstat.
Illius et roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux maior inest, et blandius aurum.
Atque ipsi par forma Deæ, si pectoris angues
Ponat, et exemta placetur casside vultus.
Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
Trux puer, et nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis,
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat.
Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro:
Sic variis manifesta notis, palletque, rubetque
Flamma recens: et, atque ultro ferus, hospita sacra
Discutiat turbæ securus, et immemor ævi,
Ni pudor et iunctæ teneat reverentia matris.
Ut pater armenti quondam, rectorque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Cum sociam pastus niveo candore iuvencam
Aspicit, ardescunt animi, primusque per ora
Spumat amor, spectant hilares, optantque magistri.
Occupat, arrepto iam tempore, conscia mater:
Hosne inter simulare choros, et brachia ludo
Nectere, nate, grave est? gelida quid tale sub Ossa,
Peliacisque iugis? o si mihi iungere curas,
Atque alium portare sinu contingat Achillem!
Mulcetur, lætumque rubet, visusque superbos
Obliquat, vestesque manu leviore repellit.
Aspicit ambiguum genitrix, cogitque volentem,
Iniecitque sinus: tunc colla rigentia mollit,
Submittitque graves humeros, et fortia laxat
Brachia, et impexos certo domat ordine crines,
Ac sua dilecta cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo.
Incessum, motumque docet, fandique pudorem.
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque, manumque sequuntur,
Talis erat Divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu: superest nam plurimus illi
Invicta virtute decor, fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.
Procedunt, iterumque monet, rursumque fatigat
Blanda Thetis: Sic ergo gradus, sic ora, manusque,
Nate, feres, comitesque modis imitabere fictis;
Nec te suspectum molli non misceat aulæ
Rector, et incepti pereant mendacia furti.
Dixit, et admoto non cessat comere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris,
Ad patrem fratremque redit, comes hæret eunti
Mater, et ipsa humeros, exertaque brachia velat.
Ipsa arcum, pharetramque locat, vestesque latentes
Deducit, sparsosque studet componere crines.
Protinus aggreditur regem: atque ibi testibus aris
Hanc tibi, ait, nostri germanam, rector, Achillis
(Nonne vides, ut torva genas, æquandaque fratri?)
Tradimus: arma humeris, arcumque animosa petebat
Ferre, et Amazonio connubia pellere ritu.
Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili.
Hæc calathos et sacra ferat: tu frange regendo
Indocilem, sexumque tene, dum nubilis ætas,
Solvendusque pudor: neve exercere protervas
Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari.
Intus ale, et similes inter seclude puellas.
Litore præcipue, portuque arcere memento.
Vidisti modo vela Phrygum: iam mutua iura
Fallere, transmissæ pelago didicere carinæ.
Accedit dictis pater, ingenioque parentis
Occultum Æaciden (quis Divum fraudibus obstet?)
Accipit: ultro etiam veneratur supplice dextra,
Et grato se lectus agit: nec turba piarum
Scyriadum cessat nimio defigere visu
Virginis ora novæ, quantum cervice, comisque
Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.
Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris
Hortantur, cedantque loco, et contingere gaudent.
Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, iam longum cœloque, domoque gregatæ,
Si iunxit pennas, diversoque hospita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur, et horrent:
Mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
Paulatim fecere suam, plausuque secundo

Circumeunt hilares, et ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multum cnuctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, et tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta freto, longe cervice reflexa
Abnatat, et blandis affatur litora verbis:
Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ,
Depositumque ingens, timido commisimus astu,
Sis felix, taceasque, precor, quo more tacebat
Creta Rheæ: te longus honos, æternaque cingent
Templa, nec instabili fama superabere Delo.
At ventis et sacra fretis, interque vadosas
Cycladas, Ægeæ frangunt ubi saxa procellæ,
Nereidum tranquilla domus, iurandaque nautis
Insula, ne solum Danaas admitte carinas,
Te precor: hic thiasos tantum, nihil utile bellis,
Hic famam narrare doce: dumque arma parantur
Dorica, et alternum Mavors interfurit orbem,
(Cedo equidem) sit virgo pii Lycomedis Achilles.
Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis, et supplica regum
Conquestu flammata movet, quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinusque relatu
Asperat Iliacum: captam sine Marte, sine armis,
Progeniem cœli, Spartæque potentis alumnam:
Iura, fidem, superos, una calcata rapina.
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia terræ?
Quid maneat populos, ubi tanta iniuria primos
Degrassata duces? Coeunt gens omnis et ætas:
Claustra, nec undisonæ quos Isthmia vallo
Nec tantum exciti, bimari quos circuit umbo Maleæ,
Sed procul amotæ, Phryxi qua semita iungi
Europamque, Asiamque vetat, quasque ordine gentes
Litore Abydeno maris alligat unda superni.
Fervet amor belli, concussasque erigit urbes.
Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
Eubois: innumera resonant incude Mycenæ:
Pisa novat currus: Nemee dat terga ferarum;
Cirrhe sagittiferas certat stipare pharetras;
Lerna graves clypeos cæsis vestire iuvencis.
Dat bello pedites Ætolus, et asper Acarnan:
Argos agit turmas: vacuantur pascua ditis
Arcadiæ: frenat celeres Epiros alumnos:
Phocis, et Aoniæ iaculis rarescitis umbræ:
Murorum tormenta Pylos, Messanaque tendunt.
Nullæ immunis humus velluntur postibus altis
Arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
Dona Deum: raptum Superis mare efferat aurum.
Nusquam umbræ veteres: minor Othrys et ardua si-
Taygeta; exuti viderunt aera montes. (dunt
Iam natat omne nemus: cæduntur robora classi:
Sylva minor remis: ferrum laxatur ad usus
Innumeros; quod rostra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frenet equos; quod mille catenis
Squallentes nectat tunicas, quod sanguine fumet,
Vulneraque alta bibat, quod conspirante veneno
Impellat mortes: tenoantque humentia saxa
Attritu, et nigris addunt mucronibus iras.
Nec modus, aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere sudes, galeasque attollere conis.
Hos inter motus, pigram gemit ora quietem
Thessalis, et geminis incusat fata querelis,
Quod senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.
Iam Pelopis terras, Graiumque exhauserat orbem
Præcipitans in transtra viros insanus, equosque,
Bellipotens: fervent portus, et operta carinis
Stagna, suasque hiemes classis promota, suosque
Attollit fluctus: ipsum iam puppibus æquor
Deficit, et totos consumunt carbasa ventos.
Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis,
Rupibus expositis, longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare, litora multum
Montivagæ dilecta Deæ: iuxtaque Caphareus,
Latratum pelago tollens caput: ille Pelasgas
Ut vidit transuare rates, ter monte, ter undis
Intonuit, sævæque dedit præsagia noctis.
Cœtus ibi armorum Troiæ fatalis: ibi ingens
Iuratur bellum, donec sol annuus omnes
Conficeret metas: tum primum Græcia vires
Contemplata suas: tunc sparsa ac dissona moles
In corpus, vultumque coit; et rege sub uno
Disposita est: sic curva feras indago latentes
Claudit, et admotis paulatim cassibus arctat.
Illæ ignem, sonitumque pavent, diffusaque linquunt
Avia, miranturque suum decrescere montem,
Donec in angustam ceciderunt undique vallem,
Inque vicem stupuere greges, socioque timore
Mansuescunt: simul hirtus aper, simul ursa, lupusq;
Cogitur, et captos contemnit cerva leones.
Sed, quanquam gemini pariter sua bella capessant
Atridæ, famamque avidi virtute paternam
Tydidea, Sthenelusque premant, nec cogitet annos
Antilochus, septenique Aiax umbone coruscet
Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem
Consiliis, armisque vigil contendat Ulyxes;
Omnis in absentem belli manus ardet Achillem:
Nomen Achillis amant, et in Hectora solus Achilles
Poscitur: illum unum Teucris, Priamoque loquuntur
Fatalem: quis enim Hæmoniis sub vallibus alter
Creverit, effossa reptans nive? cuius ab ortu
Cruda rudimenta, et teneros formaverit annos
Centaurus? patrii propior cui linea cœli?
Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes
Nereis? et pulchros ferro perstrinxerit artus?
Hæc Graiæ castris iterant traduntque cohortes.
Cedit turba ducum, vinrique haud mœsta fatetur.
Sic cum bellantes Phlegræa in castra coirent
Cœlicolæ, iamque Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, et Libycos Tritonia tolleret angues,
Ingentemque manu curvaret Delius arcum;
Stabat, anhela metu solum Natura Tonantem
Respiciens; quando ille hiemes, tonitrusque vocaret
Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Ætnam.
Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum
Et maris et belli consultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
Protesilaus ait: (namque huic bellare cupido
Præcipua, et primæ iam tunc data copia mortis)
O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum,
Thestoride! quando ora Deo possessa movebis
Iustius? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis ut ignotum cuncti stupeantque, petantque
Æaciden? sordet vulgo Calydonius heros,
Et magno gemitus Telamone, Aiaxque secundus,
Nos quoque: sed Mavors abreptaq; Troia probabunt.
Illum, neglectis (pudet heu!) ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant: dic ocius (aut cur
Serta comis, et mitis honos?) quibus abditus oris,
Quave iubes tellure peti: nam fama, nec antris
Chironis, patria nec degere Peleos aula.
Eia, irrumpe Deos, et fata latentia laxa,
Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri:
Arma horrenda tibi, sævosque remisimus enses.
Nunquam has imbelles galea violabere vittas,
Sis felix, numeroque ducum præstantior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem.
Iamdudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantemque Deum primo pallore fatetur

Thestorides: mox igne genas et sanguine torquens
Nec socios, nec castra videt, sed cæcus et amens
Nunc Superum magnos deprendit in æthere cœtus,
Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum
Licia, thuriferas modo consulit anxius aras,
Flammarumque apices rapit, et caligine sacra
Pascitur: exsiliunt crines, rigidisque laborat
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine gressus.
Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est:
Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
Femineis, Nerei, dolis? huc mitte: quid aufers?
Non patiar: meus iste, meus: tu Diva profundi,
Et me Phœbus agit: latebris quibus abdere tentas
Eversorem Asiæ? video per Cycladas altas
Attonitam, et turpi quærentem litora furto.
Occidimus: placuit Lycomedis conscia tellus.
O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes.
Scinde, puer, scinde, et timidæ ne crede parenti.
Hei mihi raptus abit! quænam hæc procul improba
Hic nutante gradu stetit, amissique furoris (virgo?
Viribus, ante ipsas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat heros:
Nos vocat iste labor: neque enim comes ire recuso,
Si te cura trahit: licet ille sonantibus antris
Tethyos adversæ, gremioque prematur aquoso
Nereos, invenies: tu tantum providus astu
Tende animum vigilem, fœcundumque erige pectus.
Nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
Fata videre prior? subicit gavisus Ulixes:
Sic Deus omnipotens firmet, sic annuat illa
Virgo paterna tibi: sed me spes lubrica tardat:
Grande equidem armatum castris inducere Ahillem.
Sed si fata negent, quam fœdum ac triste reverti!
Vota tamen Danaum non intentata relinquam.
Iamque adeo aut aderit mecum Peleius heros,
Aut verum penitus latet, et sine Apolline Calchas.
Conclamant Danai, simulatq; Agamemno volentes:
Laxantur cœtus, resolutaque murmure læto
Agmina discedunt: quales iam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, iam dextras Ithacesia carbasus auras
Poscit, et in remis hilaris sedere iuventus.
At procul occultum falsi sub imagine sexus
Æaciden furto iam noverat una latentem
Deidamia virum: sed opertæ conscia culpæ
Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores.
Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles,
Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem,
Protinus elegit comitem (quanquam omnis in illum
Turba coit) blandeque novas nil tale timenti
Admovet insidias: illam sequiturque, premitque
Improbus: illam oculis iterumq; iterumque resumit.
Nunc nimius lateri, non evitantis adhæret:
Nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
Nunc thyrso parcente ferit: modo dulcia notæ
Fila lyræ, tenuesque modos, et carmina monstrat
Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
Infringit citharæ: nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion, et quis
Æacides, puerique auditum nomen et actus
Assidue stupet, et præsentem cantat Achillem.
Ipsa quoque et validos proferre modestius artus,
Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonstrat, reficitque colos, et perdita dura
Pensa manu, vocisque sonum, pondusque tenentis:
Quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
Figat, et in verbis intempestivus anhelet,
Miratur: iam iamque dolos aperire parantem
Virginea levitate fugit, prohibetque fateri.
Sic sub matre Rhea iuvenis regnator Olympi
Oscula securæ dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit
Sanguinis, et veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereidos astus.
Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
Stabat, et admissum cœlo nemus: huius in umbra
Alternum revocare piæ Trieterica matres
Consuerant, scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes, gratosque Deo præstare furores.
Lex procul ire mares: iterat præcepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
Nec satis est: stat fine dato metuenda sacerdos,
Exploratque aditus, ne quis temerator oberret
Agmine femineo: tacitus subrisit Achilles.
Illum, virgineæ ducentem signa catervæ,
Magnaque difficili solventem brachia motu,
(Et sexus pariter decet, et mendacia matris)
Mirantur comites: nec iam pulcherrima turba
Deidamia suæ, tantumque admota superbo
Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores.
Ut vero a tereti demisit nebrida collo,
Errantesque sinus hedera collegit, et alte
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis,
Vibravitque gravi redimitum missile dextra;
Attonito stat turba metu, sacrisque relictis
Illum ambire libet, pronosque attollere vultus.
Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque remisit
Evius, et patrio satiavit pectora luxu:
Serta comis, mitramque levat, thyrsumque virentem
Armat, et hostiles invadit fortior Indos.
Scandebat roseo medii fastigia cœli
Luna iugo, totis ubi Somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Consedere chori, paulumque exercita pulsu
Æra tacent: tenero cum solus ab agmine Achilles
Hæc secum: Quonam timidæ commenta parentis
Usque feres? primumque imbelli carcere perdes
Florem animi? non tela licet Mavortia dextra;
Non trepidas agitare feras? ubi campus et amnes
Hæmonii? quærisne meos, Sperchie, natatus,
Promissasque comas? an desertoris alumni
Nullus honos? Stygiasq; procul iam raptus ad umbras
Dicor? et orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus,
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, iugales:
Ast ego pampineis diffundere brachia thyrsis,
Et tenuare colos (pudet heu, tædetque fateri!)
Iam scio: quin etiam dilectæ virginis ignem,
Æquævamque facem, captus, noctesque diesque
Dissimulas: quonam usque premes urentia pectus
Vulnera? teq; marem (pudet heu!) nec amore probus?
Sic sit, et densa noctis gavisus in umbra
Tempestiva suis torpere silentia furtis,
Vi potitur votis, et toto pectore veros
Admovet amplexus: risit chorus omnis ab alto
Astrorum, et teneræ rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit:
Sed Bacchi comites, discussa nube soporis,
Signa choris indicta putant: fragor undique notus
Tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles.
Ante tamen dubiam verbis solatur amicis:
Ille ego, (quid trepidas?) genuit quem cærula matre
Peliacis sylvis, nivibusque immisit alendum
Thessalicis: neque ego hos cultus aut fœda subissem
Tegmina, ni primo te visa in litore: cessi

Te propter: tibi pensa manu, tibi mollia gesto
Tympana: quid defles magnu nurus addita ponto?
Quid gemis, ingentes cœlo paritura nepotes?
Sed pater ante igni, ferroque excisa iacebit
Scyros, et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Mœnia, quam sævo mea tu connubia perdas
Funere: non adeo parebimus omnia matri.
Vade, sed ereptum taceas, celesque pudorem.
Obstupuit tantis regina exterrita monstris,
Quanquam olim suspecta fides, et cominus ipsum
Horruit, et multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? causasne suos ferat ipsa parenti?
Seque simul, iuvenemque premat, fortassis acerbas
Hausurum pœnas? et adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor: silet ægra, premitque
Iam commune nefas: unam placet addere furtis
Altricem sociam, precibus quæ victa duorum
Annuit: illa astu tacito raptumque pudorem,
Surgentemq; uterum, atq; ægros in pondere menses
Occuluit, plenis donec stata tempora metis
Attulit, et partus index Lucina resolvit.

Liber secundus

IAMQUE per Ægæos ibat Laertia fluctus
Puppis, et innumeræ mutabant Cycladas auræ;
Iam Paros, Olearosque latent; iam raditur alta
Lemnos, et a tergo decrescit Bacchica Naxos,
Ante oculos crescente Samo; iam Delos opacat
Æquor: ubi excelsa libant carchesia puppe,
Responsique fidam, et verum Calchanta precantur.
Audiit Arcitenens, Zephyrumque e vertice Cynthi
Impulit, et dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago secura ratis: quippe alta Tonantis
Iussa, Thetin certas fatorum vertere leges
Arcebant ægram lacrymis, ac multa gementem,
Quod non erueret pontum, ventisque, fretisque
Omnibus invisum iam tunc sequeretur Ulixem.
Frangebat radios humili iam pronus Olympo
Phœbus, et Oceani penetrabile litus anhelis
Promittebat equis: cum se scopulosa levavit
Scyros: in hanc totos emisit puppe rudentes
Dux Laertiades, sociosque resumere pontum
Imperat, et remis Zephyros supplere cadentes.
Accedunt iussi: magis indubitata magisque
Scyros erat, placidique super Tritonia custos
Litoris: egressi numen venerantur amicæ
Ætolusque Ithacusque Deæ: tum providus heros
Hospita ne subito terrerent mœnia cœtu,
Puppe iubet remanere suos: ipse arduus fido
Cum Diomede petit: sed iam prævenerat arcis
Litoreæ servator Abas, ignotaque regi
Ediderat (sed Graia tamen) succedere terris
Carbasa: procedunt, gemini ceu fœdere iuncto
Hiberna sub nocte lupi: licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant, humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum, et trepidos moneat vigilare magistros.
Sic segnes heroes eunt, campumque patentem,
Qui medius portum, celsamque interiacet urbem,
Alterno sermone serunt: prior occupat acer
Tydides: Qua nunc verum ratione paramus
Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam
Verso, quid imbelles thyrsos mercatus et æra,
Urbibus in mediis, Bacchæaque terga, mitrasque
Huc tuleris, varioque aspersas nebridas auro?
Hisne gravem Phrygibus, Priamoq; armamus Achil-
Illi subridens Ithacus paulum ore remisso: (lem?
Hæc tibi, virginea modo si Lycomedis in aula
Fraude latens, ultro confessum in prœlia ducent
Peliden: tu cuncta citus de puppe memento
Ferre, ubi tempus erit, clypeumq; iis iungere donis,
Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.
Hæc sat erunt: tecum lituo bonus adsit Agyrtes,
Occultamque tubam tacitos apportet in usus.
Dixerat, atque ipso portarum in limine regem
Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.
Magna (reor) pridem vestras pervenit ad aures
Fama trucis belli, regum placidissime, quod nunc
Europamque Asiamque quatit: si nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,
Hic tibi, quem tanta meliorem stirpe creavit
Magnanimus Tydeus, Ithacis ego ductor Ulixes.
Causa viæ (metuam quid enim tibi cuncta fateri,
Cum Graius, notaque fide celeberrimus unus?)
Explorare aditus, invisæque litora Troiæ,
Quidve parent. Medium sermone intercipit ille:
Annuerit Fortuna, precor, dextrique secundent
Iata Dei: nunc hospitio mea tecta, piumque
Illustrate larem. Simul intra limina ducit.
Nec mora, iam mensas famularis turba torosque
Instruit. interea visu perlustrat Ulixes,
Scrutaturque domum, si qua vestigia magnæ
Virginis, aut dubia facies suspecta figura:
Porticibusque vagis errat, totosque penates,
Ceu miretur, adit: velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens, multo legit arva Molosso
Venator, videat donec sub frondibus hostem
Porrectum somno, positosque in cespite dentes.
Rumor in arcana iamdudum perstrepit aula,
Virginibus qua fida domus, venisse Pelasgum
Ductores, Graiamque ratem, sociosque receptos.
Ire pavent aliæ: sed vix nova gaudia celat
Pelides, avidusque novos heroas et arma
Vel talia vidisse cupit: iamque atria fervent
Regali strepitu, et picto discumbitur ostro.
Tum pater ire iubet natas, comitesque pudicas
Natarum: subeunt, quales Mæotide ripa,
Cum Scythicas rapuere domos, et capta Getarum
Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis.
Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
Prælibat visu: sed nox, illataque fallunt
Lumina, et extemplo latuit mensura iacentis.
Et tamen erectumque genas, oculisque vagantem,
Nullaque virginei servantem signa pudoris,
Defigit, comitique obliquo lumine monstrat.
Quod nisi præcipitem blando complexa moueret
Deidamia sinu, nudataque pectora semper,
Exertasque manus, humerosque in veste teneret,
Et prodire toris, et poscere vina vetaret
Sæpius, et fronti crinale reponeret aurum;
Argolicis ducibus iam tunc patuisset Achilles.
Ut placata fames epulis bis terque repostis,
Rex prior alloquitur, paterisque hortatur Achivos:
Invideo vestris, (fateor) decora inclyta gentis
Argolicæ, cœptis: utinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit, Dolopas cum Scyria litora adortos
Perdomui, fregique vadis: quæ signa triumphi
Vidistis celsas murorum in fronte carinas.
Saltem si soboles, aptam quam mittere bello
[Possem, plena forent mihi gaudia: namq; iuvarem.]
Nunc ipsi viresque meas, et cara videtis (tes?
Pignora: quando novos dabit hæc mihi turba nepo-
Dixerat, et solers arrepto tempore Ulixes:
Haud spernenda cupis: quis enim non visere gentes
Innumeras, variosque duces, atque agmina regum
Ardeat? Omne simul roburque decusque potentis
Europæ, meritos ultro iuravit in enses.
Rura urbesque vacant: montes spoliavimus altos.

Omne fretum longa velorum obtexitur umbra.
Tradunt arma patres, ruit irrevocata iuventus.
Non alias unquam tantæ data copia famæ
Fortibus, aut campo maiore exercita virtus.
Aspicit intentum, vigilique hæc aure bibentem,
Cum paveant aliæ, demissaque lumina flectant,
Atque iterat: Quisquis proavis et gente superbus,
Quisquis equo iaculoque potens, qui prævalet arcu,
Omnis honos illic: illic ingentia certant
Nomina: vix timidæ matres, vix agmina cessant
Virginea: hic multum steriles damnatus in annos,
Invisusque Deis, si quem hæc nova gloria segnem
Præterit: exisset stratis, nisi provida signo
Deidamia dato, cunctas hortata sorores
Liquisset mensas, ipsum complexa: sed hæret
Respiciens Ithacum, cœtuque novissimus exit.
Ille quidem incepto paulum ex sermone remisit,
Pauca tamen iungens: At tu tranquillus in alta
Pace mane, carisque para connubia natis,
Quas tibi sidereis Divarum vultibus æquas
Sors dedit: ut me olim tacitum reverentia tangit!
Is decor est, formæ species permixta virili.
Occurrit genitor: Quid si Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circum videris aras?
Et dabimus, si forte novus cunctabitur Auster.
Excipiunt cupidi, et tacitis spes addita votis.
Cætera depositis Lycomedis regia curis
Tranquilla sub pace silet, sed longa sagaci
Nox Ithaco; lucemque cupit, somnoque gravatur.
Vix dum exorta dies, et iam comitatus Agyrta
Tydides aderat, prædictaque dona ferebat.
Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant
Ostentare choros, promissaque sacra verendis
Hospitibus: nitet ante alias regina comesque
Pelides: qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ,
Naides Ennæas inter Diana, feroxque
Pallas, et Elysii lucebat sponsa tyranni.
Iamque movent gressus, thiasisque Ismenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu, variosque quater legere recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt; nunc obvia versæ
Pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.
Tunc vero, tunc præcipue manifestus Achilles,
Nec servare vices, nec iungere brachia curat.
Tunc molles gressus, tunc aspernatur amictus
Plus solito, rumpitque choros, et plurima turbat.
Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris
Tympana, iam tristes spectabant Penthea Thebæ.
Solvuntur laudata cohors, repetuntque paterna
Limina, ubi in mediæ iamdudum sedibus aulæ
Munera, virgineos visus tractura, locarat
Tydides, signum hospitii, pretiumque laboris.
Hortaturque legant; nec rex placidissimus arcet.
Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
Graiorumque dolos, variumque ignorat Ulixem!
Hinc aliæ, quas sexus iners, naturaque ducit,
Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis:
Arma vident, magnoque putant donata parenti.
At ferus Æacides, radiantem ut cominus orbem
Cælatum pugnis sævis et forte rubentem
Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam;
Infremuit, torsitque genas; et fronte relicta
Surrexere comæ: nusquam mandata parentis,
Nusquam occultus amor, totoque in pectore Troia est.
Ut leo, materno cum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique iubas, hominemque vereri
Edidicit, nullasque ruit nisi iussus in iras;
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
Eiurata fides, domitorque inimicus, in illum
Prima fames, timidoque pudet servisse magistro.
Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum
Reddidit, et similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul: tunc acer Ulixes
Admotus lateri summissa voce: Quid hæres?
Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
Tu cœli, pelagique nepos: te Dorica classis,
Te tua suspensis exspectat Græcia signis,
Ipsaque iam dubiis nutant tibi Pergama muris.
Eia, age, rumpe moras: sine, perfida palleat Ide,
Et iuvet hæc audire patrem, pudeatque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin: iam pectus amictu
Laxabat: cum grande tuba (sic iussus) Agyrtes
Insonuit: fugiunt disiectis undique donis,
Implorantque patrem, commotaque prœlia credunt.
Illius intactæ cecidere a pectore vestes.
Iam clypeus, breviorque manu consumitur hasta,
(Mira fides) Ithacumque humeris excedere visus,
Ætolumque ducem: tantum subita arma, calorque
Martius horrenda confundit luce penates.
Immanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleia virgo
Quæritur: ast alia plangebat parte retectos
Deidamia dolos, cuius cum grandia primum
Lamenta, et notas accepit pectore voces,
Hæsit, et occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clypeum, regisque ad lumina versus,
Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem,
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis:
Me tibi, care pater, (dubium dimitte timorem)
Me Thetis alma dedit; te pridem tanta manebat
Gloria: quæsitum Danais tu mittis Achillem,
Gratior et magno (si fas dixisse) parente,
Et dulci Chirone mihi: sed corde parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato socerum, et Thetis hospita iungunt,
Allegantque suos utroque a sanguine Divos.
Unam virgineo natarum ex agmine poscunt.
Dasne? an nos humiles tibi, degeneresque videmur?
Non renuis: iunge ergo manus, et concipe fœdus,
Atque ignosce tuis; tacito iam cognita furto
Deidamia mihi: quis enim his obstare lacertis,
Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?
Me luere ista iube: pono arma, et reddo Pelasgis,
Et maneo; quid triste fremis? quid lumina mutas?
Iam socer es: natum ante pedes proiecit, et addit:
Iamque avus: immitis quoties tractabitur ensis,
Turba sumus: tunc et Danai, per sacra fidemque
Hospitii, blandusque precum compellat Ulixes.
Ille, etsi caræ comperta iniuria natæ,
Et Thetidis mandata movent, prodique veretur
Depositum tam grande Deæ, tamen obvius ire
Tot metuit fatis, Argivaque bella morari.
Fac velit: ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
Ne tamen abnueret genero se iungere tali;
Vincitur: arcanis effert pudibunda tenebris
Deidamia gradum, veniam nec protinus amens
Credit, et opposito genitorem placat Achille.
Mittitur Hæmoniam, magni qui Pelea facti
Impleat, et classem, comitesque in prælia poscat.
Nec non et geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, viresque excusat Achivis.
Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum
Fœdus, et intrepidos nox conscia iungit amantes.
Illius ante oculos nova bella, et Xanthus, et Ide,

Argolicæque rates: atque hæc iam cogitat undas,
Auroramque timet: cara cervice mariti
Fusa novi, lacrymas iam solvit, et occupat artus.
Aspiciamne iterum, meque hoc in pectore ponam,
Æacide? rursusque tuos dignabere partus?
An tumidus Teucrosque lares, et capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminisse latebræ?
Quid precer, heu, timeamve prius? quidve anxia man-
Cui vix flore vacat? modo te nox una dedit que, (dam,
Inviditque mihi: thalamis hæc tempora nostris?
Hicne est liber Hymen? o dulcia furta, dolique,
O timor! eripitur miseræ permissus Achilles.
I, (neque enim tantos ausim revocare paratus)
I, cautus, nec vana Thetin timuisse memento.
I felix, nosterque redi: nimis improba posco.
Iam te spectabunt lacrymis, planctuque decoræ
Troades, optabuntque tuis dare colla lacertis,
Et patriam pensare toris: aut ipsa placebit
Tyndaris, incesta nimium laudata rapina.
Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ
Narrabor famulis, aut dissimulata latebo.
Quin age, duc comitem: cur non ego Martia tecum
Signa feram? tu pensa manu, Bacchæaque mecum
Sacra, quod infelix non credet Troia, tulisti.
Attamen hunc, quem mœsta mihi solatia linquis,
Hunc saltem sub corde tene: et concede precanti
Hoc solum, pariat ne quid tibi barbara coniux,
Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes.
Talia dicentem non ipse immotus Achilles
Solatur, iuratque fidem, iurataque fletu
Spondet, et ingentes famulas, captumque reversus
Ilion, et Phrygiæ promittit munera gazæ.
Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.
Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruscæ
Lucis, adhuc hebetem vicina nocte, levabat,
Et nondum excusso rorantem lampade ponto.
Et iam punicea nodatum pectora palla,
Insignemque ipsis, quæ prima invaserat armis
Æaciden (quippe aura vocat, cognataque suadent
Æquora) prospectant cuncti, iuvenemque, ducemque
Nil ausi meminisse, pavent: sic omnia visu
Mutatus rediit, ceu nunquam Scyria passus
Litora, Peliaco raptus descendat ab antro.
Tunc ex more Deis (ita namque monebat Ulixes)
Æquoreis, Austrisque litat, fluctuque sub ipso
Cæruleum regem tauro veneratur, avumque
Nerea: vittata genitrix placata iuvenca est.
Hic spumante salo iaciens tumida exta profatur:
Paruimus, genitrix, quanquam haud toleranda iu-
Paruimus nimium: bella ad Troiana, ratesque (bebas,
Argolicas quæsitus eo. Sic orsus, et alno
Insiluit, penitusque Noto stridente propinquis
Abripitur terris: iamque ardua crescere nubes
Incipit, et Scyros longe decrescere ponto.
Turre procul summa, lacrymis comitata sororum,
Confessumq; tenens, et habentem nomina Pyrrhum
Pendebat coniux, oculisque in carbasa fixis
Ibat, et ipsa fretum, et puppem iam sola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduamque domum, gemitusque relictæ
Cogitat: occultus sub corde renascitur ardor,
Datque locum virtus: sensit Laertius heros
Mœrentem, et placidis aggressus flectere dictis:
Tene (inquit) magnus vastator debite Troiæ,
Quem Danaæ classes, quem Divum oracula poscunt,
Erectumque manet reserato limine bellum,
Callida feminea genitrix velavit amictu?
Commisitque illis tam grandia furta latebris?
Speravitque fidem? nimio suspensa, nimisque
Mater! an hæc virtus tacita torperet in umbra,
Quæ, vix audito litui clangore, refugit
Et Thetin, et comites, et quos suppresserat ignes?
Nec nostrum est, quod in arma venis, sequerisq; pre-
Venisses ultro; quem talibus occupat heros (cantes;
Æacides: Longum est resides exponere causas,
Maternumque nefas; hoc excusabitur ense
Scyros, et indecores, fatorum crimina, cultus.
Tu potius, dum lene fretum, Zephyrisque feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede: libet iustas hinc sumere protinus iras.
Hic Ithacus paulum repetito longius orsu:
Fertur in Hectoreas (si talia credimus) oras
Electus formæ certamina solvere pastor
Sollicitas tenuisse Deas, nec torva Minervæ
Ora, nec ætherei sociam recturis, amico
Lumine, sed solam nimium vidisse Dionen.
Atque adeo lis ista tuis exorta sub antris,
Concilio Superum, dum Pelea dulce maritat
Pelion, et nostris iam tunc promitteris armis.
Ira quatit victas: petit exitialia iudex
Præmia: raptori faciles monstrantur Amyclæ.
Ille Phrygas lucos, matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat, terrasque freto delatus Achæas
Hospitis Atridæ (pudet heu, miseretque potentis
Europæ!) spoliat thalamos, Helenamque superbus
Navigat, et captos ad Pergama devehit Argos.
Inde dato passim varias rumore per urbes,
Undique inexciti sibi quisque, et sponte coimus
Ultores: quis enim genialia fœdera rumpi
Capta dolis, facilique trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos
Perferat? hæc et non fortes iactura moveret.
Non tulit insidias Divum imperiosus Agenor,
Mugitusque sacros, et magno numine vectam
Quæsiit Europen, aspernatusque Tonantem est
Ut generum: raptam et Scythico de litore prolem
Non tulit Æetes, ferroque et classe secutus
Semideos reges, et ituram in sidera puppim.
Nos Phryga semivirum, portus et litora circum
Argolica, incesta volitantem puppe feremus?
Usq; adeo nusquam arma et equi, fretaq; invia Graiis?
Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, viduaque a sede revellat
Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis?
Illius ad capulum rediit manus, et simul ingens
Impulit ora rubor: tacuit contentus Ulixes.
Excipit Œnides: Quin, o dignissima cœli
Progenies, ritusque tuos, elementaque primæ
Indolis, et valida mox accedente iuventa,
Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron,
Virtutisque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, sociis, multumque faventibus ede:
Sit pretium longas penitus quæsisse per undas
Scyron, et his armis primum intendisse lacertos.
Quem pigeat sua facta loqui? tamen ille modeste
Inchoat, ambiguus paulum, propiorque coacto:
Dicor, et in teneris, et adhuc crescentibus annis,
Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
Non ullas ex more dapes habuisse, nec almis
Uberibus satiasse famem, sed spissa leonum
Viscera, semianimesque libens traxisse medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
Sic dabat ille pater: mox ire per avia secum
Lustra gradu maiore trahens, visisque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia sylvæ.

Iam tunc hasta manu, iam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataque multo
Sole, geluque cutis: tenero nec flexa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.
Vix mihi bisquos annorum torserat orbes
Vita rudis, volucres cum iam prævertere cervos,
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
Tela sequi, sæpe ipse gradu me præpete Chiron.
Dum velox ætas, campis admissus agebat
Omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
Laudabat gaudens, atque in sua colla levabat.
Sæpe etiam primo fluvii torpore iubebat
Ire super, glaciemque levi non frangere planta.
Hoc puerile decus. quid nunc tibi prælia dicam
Sylvarum? et vacuos sævo iam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lynces
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, et sicubi maxima tigris,
Aut seducta iugis fœtæ spelunca leænæ.
Ipse sedens vasto facta expectabat ab antro,
Si sparsus magno remearem sanguine: nec me
Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.
Iamque et ad ensiferos vicina pube tumultus
Aptabar: nec me ulla feri Mavortis imago
Præteriit: didici, quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine cæstum
Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus
Tenderet, ut flexæ Balearicus actor habenæ
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu,
Inclusum quoties distringeret aera gyro.
Vix memorem cunctos (etsi modo gessimus) actus.
Nunc docet ingenti saltu me iungere fossas:
Nunc caput aerii scandentem prendere montis,
Quo fugitur per plana gradu: simulacraque pugnæ,
Excipere immissos curvato umbone molares,
Ardentesque intrare casas, peditemque volantes
Sistere quadriiugos: memini, rapidissimus ibat
Imbribus assiduis pastus, nivibusque solutis
Sperchios, vulsasque trabes et saxa ferebat;
Cum me ille immissum, qua sævior impetus undæ,
Stare iubet contra, tumidosque repellere fluctus,
Quos vix ipse gradu toties obstante tulisset.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,
Et latæ caligo viæ: ferus ille minari,
Desuper incumbens, verbisque urgere pudorem.
Nec nisi iussus abii: sic me sublimis agebat
Gloria, nec duri tanto sub teste labores.
Nam procul Œbalios in nubila condere discos
Et liquidam nodare Palen, et spargere cæstus,
Ludus erat, requiesque mihi: nec maior in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Cum quaterem, priscosque virum mirarer honores.
Quin etiam succos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,
Quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Edocuit, monitusque sacræ sub pectore fixit
Iustitiæ, qua Peliacis dare iura verenda
Gentibus, atque suos solitus pacare bimembres.
Hactenus annorum, comites, elementa meorum
Et memini, et meminisse iuvat: scit cætera mater.

CAIUS VALERIUS FLACCUS

C. Valerius Flaccus *Setinus Balbus*, patria, ut plerique contendunt, Patavinus, Vespasiano, et Tito imperante floruit; et Argonautas Apollonium Rhodium imitatus, carmine celebravit. Paupertate laborabat, vixque agellum possidebat, quo Musarum curas recrearet. Martialem intimum habuit; et Amazonium quemdam, venustissimum puerum amavit. Recte in Valerii morte Quinctilianus, *nuper in Valerio Flacco multum amissum esse*, scripsit. Fuit enim gravis, floridus, uno fortassis minor Marone; interdum tamen inæqualis et durus, multo quidem suavior futurus, ni fuisset iuvenili ætate præreptus.

C. Valerii Flacci Argonauticon Libri VIII. ex editione Harles.

LIBER PRIMUS

Prima deum magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicamque ratem; Scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, mediosque inter iuga concita cursus
Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
Phœbe, move; si Cymææ mihi conscia vatis
Stat casta cortina domo; si laurea digna
Fronte viret. Tuque o, pelagi cui maior aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos,
Eripe me populis, et habenti nubila terræ,
Sancte Pater; veterumque fave veneranda canenti
Facta virum: versam proles tua pandet Idumen,
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.
Ille tibi cultusque deum, delubraque genti
Instituet; cum iam genitor lucebis ab omni
Parte poli: neque enim in Tyrias Cynosura carinas
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris:
Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia mittet,
Et Sidon Nilusque rates: nunc nostra serenus
Orsa iuves; hæc ut Latias vox impleat urbes.
Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Iam gravis et longus populis metus: illius amnes,
Ionium quicumque petunt: ille Othryn et Hæmum,
Atque imum felix versabat vomere Olympum.
Sed non ulla quies animo fratrisque paventi
Progeniem divumque minas: hunc nam fore regi
Exitio vatesque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterum: super ipsius ingens
Instat fama viri, virtusque haud læta tyranno.
Ergo anteire metus, iuvenemque exstinguere pergit
Æsonium; letique vias ac tempora versat.

Sed neque bella videt, Graias neq; monstra per urbes
Ulla. Cleonæo iam tempora clusus hiatu
Alcides: olim Lernæ defensus ab angue
Arcas; et ambobus iam cornua fracta iuvencis.
Ira maris, vastique placent discrimina ponti.
Cum iuvenem, tranquilla tuens, nec fronte timendus,
Occupat; et fictis dat vultum et pondera verbis:
Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,
Adnue; daque animum: nostri de sanguine Phrixus
Cretheos ut patrias, audisti, effugerit aras.
Hunc ferus Æetes, Scythiam Phasinque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
Inter, et attonitæ mactat sollemnia mensæ,
Nil nostri divumque memor: non nuntia tantum
Fama refert: ipsum iuvenem tam sæva gementem,
Ipsum ego, cum ferus fessos sopor alligat artus,
Aspicio: meque assiduis lacera illius umbra
Questibus, et magni numen maris excitat Helle.
Si mihi, quæ quondam, vires; vel pendere pœnas
Colchida iam, et regis caput hic atque arma videres.
Olim annis ille ardor hebet: necdum mea proles
Imperio, et belli rebus matura marique.
Tu, cui iam curæque vigent, animique viriles,
I decus: et pecoris Nephelæi vellera Graio
Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.
Talibus hortatur iuvenem, propiorque iubenti
Conticuit, certus Scythico concurrere ponto
Cyaneas: tantoque silet possessa dracone
Vellera; multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,
Et dabat hesterno liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli, nec vellera curæ
Esse viro; sed sese odiis immania cogi
In freta: qua iussos sic tandem quærere Colchos
Arte queat: nunc aerii plantaria vellet
Perseos, aut currum, ut sævos frenasse dracones,
Creditus ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, et flava quercum damnavit arista.
Heu quid agat? populumne levem, veterique tyranno
Infensum, atque olim miserantes Æsona patres
Advocet? an socia Iunone et Pallade fretus
Armisona, superet magis, et freta iussa capessat?
Si qua operis tanti domito consurgere ponto
Fama queat; tu sola animos mentemque peruris,
Gloria: te viridem videt immunemque senectæ
Phasidis in ripa stantem; iuvenesque vocantem.
Tandem animi incertum confusaque pectora firmat
Relligio: tendensque pias ad sidera palmas,
Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro
Æthera cæruleum quateret cum Iuppiter imbre,
Ipse ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos et tuta tuli; nec credere quivi
Ante deam, quam te tonitru nutuque reposci
Coniugis, et subita raptam formidine vidi:
Da Scythiam Phasinque mihi: tuque innuba Pallas,
Eripe me: vestris egomet tunc vellera templis
Illa dabo: dabit auratis et cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent.
Accepere deæ, celerique per æthera lapsu
Diversas petiere vias: in mœnia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppim iubet, et demittere ferro
Robora: Peliacas et iam comes exit in umbras.
At Iuno Argolicas pariter Macedumque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus austros
Æsoniden: iam stare ratem; remisque superbam
Poscere quos revehat, rebusque in sæcula tollat.
Omnis avet, quæ iam bellis spectataque fama,
Turba ducum, primæ seu quos in flore iuventæ
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum studiumque insontis aratri,
Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni,
Silvarumque Deæ, atque elatis cornibus Amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cuius flammata veneno
Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas: velit ille quidem; sed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax: quos talibus amens
Insequitur, solitosque novat Saturnia questus:
O utinam Graiæ rueret non omne iuventæ
In nova fata decus: nostrique Eurystheos hæc nunc
Iussa forent! imbrem et tenebras sævumq; tridentem
Iam iam ego, et inviti torsissem coniugis ignem.
Hunc quoque nec socium nostræ columenve carinæ
Esse velim; Herculeis nec me umquam fidere fas sit
Auxiliis, comiti et tantum debere superbo.
Dixit: et Hæmonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virum cœtu, simul undique cernit
Delatum nemus, et docta resonare bipenni
Litora: iam pinus gracili dissolvere lamna
Thespiaden; iungique latus, lentoque sequaces
Molliri videt igne trabes; remisque paratis
Pallada velifero quærentem brachia malo.
Constitit ut, longo moles non pervia ponto,
Puppis, et ut tenues subiere latentia ceræ
Lumina, picturæ varios superaddit honores.
Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: æquora delphin
Corripit: illa sedet deiecta in lumina palla;
Nec Iove maiorem nasci suspirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoque soror, lætatoque fluctu
Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens: Siculo revocat de litore Cyclops.
Contra ignis, viridique torus de fronde, dapesque,
Vinaque, et æquoreos inter cum coniuge divos
Æacides: pulsatque chelyn post pocula Chiron.
Parte alia Pholoe, multoque insanus Iaccho
Rhœtus, et Atracia subitæ de virgine pugnæ:
Crateres mensæque volant, aræque deorum,
Poculaque, insignis veterum labor: optimus hasta
Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Æson.
Fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus: ardenti peragit Clanis Actora quercu:
Nigro Nessus equo fugit: acclinisque tapetis
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.
Hæc quamquam miranda viris stupet Æsone natus;
Et secum: Heu miseros nostrum natosque patresque;
Haccine nos animæ faciles rate nubila contra
Mittimur? in solum nunc sæviet Æsona pontus?
Non iuvenem in casus eademque pericula Acastum
Abripiam? invisæ Pelias freta tuta carinæ
Optet, et exoret nostris cum matribus undas.
Talia cunctanti lævum Iovis armiger æthra
Advenit: et validis fixam erigit unguibus agnam.
At procul è stabulis trepidi clamore sequuntur
Pastores, fremitusque canum: citus occupat auras
Raptor; et Ægæi super effugit alta profundi.
Accipit augurium Æsonides, lætusque superbi
Tecta petit Peliæ: prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternaque pectora iungens.
Ductor ait: Non degeneres, ut reris, Acaste,
Venimus ad questus: socium te iungere cœptis
Est animus: neque enim Telamon, aut Canthus, et I-
Tyndariusq; puer mihi vellere dignior Helles. (das,
O quantum terræ, quantum cognoscere cæli
Permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
Nunc forsan grave reris opus: sed læta recurret

Cum ratis, et caram cum iam mihi reddet Iolcon;
Quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores!
Quas referam visas tua per suspiria gentes!
Nec passus rex plura virum. Sat multa parato
In quæcumque vocas; nec nos, ait, optime, segnes
Credideris; patriisve magis confidere regnis,
Quam tibi; si primos, duce te, virtutis honores
Carpere, fraternæ si des adcrescere famæ.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Impediat, fallam ignarum; subitusque paratis
Tunc adero, primas linquet cum puppis harenas.
Dixerat: ille animos promissaque talia lætus
Accipit; et gressus avidos ad litora vertit.
At ducis imperiis Minyæ monitoque frequentes
Puppim humeris subeunt; et tento poplite proni
Decurrunt, intrantque fretum: non clamor anhelis
Nauticus, aut blandus testudine defuit Orpheus.
Tum læti statuunt aras: tibi, rector aquarum,
Summus honor: tibi cæruleis in litore vittis
Et Zephiris Glaucoque bovem, Tethidique iuvencam
Deiicit Ancæus: non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Ipse ter æquoreo libans carchesia patri
Sic ait Æsonides: O qui spumantia nutu
Regna quatis, terrasque salo complecteris omnes,
Da veniam: scio me cunctis e gentibus unum
Inlicitas tentare vias, hiememque mereri:
Sed non sponte feror: nec nunc mihi iungere montes
Mens tumet, aut summo deposcere fulmen Olympo:
Ne Peliæ te vota trahant; ille aspera iussa
Repperit, et Colchos in me luctumque meorum.
Illum ego: tu tantum non indignantibus undis
Hoc caput accipias, et pressam regibus alnum.
Sic fatus, pingui cumulat libamine flammam.
Protulit at crinem densis luctatus in extis
Ignis; et adscendit salientis viscera tauri;
Ecce sacer, totusque Dei, per litora Mopsus
Immanis visu vittamque comamque per auras
Surgentem laurusque rotat: vox reddita tandem,
Vox horrenda viris: tum facta silentia vati:
Heu quænam adspicio! nostris modo conscius ausis
Æquoreos vocat ecce deus Neptunus, et ingens
Concilium: fremere, et legem defendere cuncti
Hortantur: sic amplexu, sic pectora fratris,
Iuno, tene: tuque o puppim ne desere, Pallas:
Nunc, patrui nunc flecte minas: cessere, ratemque
Accepere mari: per quot discrimina rerum
Expedior! subita cur pulcher harundine crines
Velat Hylas? unde urna humeris, niveosque per artus
Cæruleæ vestes? unde hæc tibi vulnera, Pollux?
Quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!
Tollunt se galeæ, sulcisque ex omnibus hastæ,
Et iam iamq; humeri: quem circum vellera Martem
Adspicio? quænam aligeris secat anguibus auras
Cæde madens? quos ense ferit? miser eripe parvos
Æsonide: cerno en thalamos ardere iugales.
Iam dudum vates Minyas ambage ducemque
Terrificat: sed enim contra Phœbeius Idmon
Non pallore viris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phœboque quieto:
(Cui genitor tribuit monitu prænoscere divum
Omina, seu flammas, seu lubrica comminus exta,
Seu plenum certis interroget aera pennis)
Sic sociis Mopsoque canit: Quantum augur Apollo,
Flammaque prima docet; præduri plena laboris
Cerno equidem; patiens sed quæ ratis omnia vincat.
Ingentes durate animæ, dulcesque parentum
Tendite ad amplexus: lacrimæ cecidere canenti,
Quod sibi iam clusos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat; iungit cum talia ductor
Æsonius: Superum quando consulta videtis,
O socii, quandoque datur spes maxima coeptis;
Vosquoque nunc vires animosque adferte paternos.
Non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni,
Suspective doli: deus hæc, deus omine dextro
Imperat: ipse suo voluit commercia mundo
Iuppiter et tantos hominum miscere labores.
Ita, viri, mecum; dubiisque evincite rebus,
Quæ meminisse iuvet, nostrisque nepotibus instent.
Hanc vero, o socii, venientem in litore læti
Dulcibus adloquiis ludoque educite noctem.
Paretur: molli iuvenes funduntur in alga,
Conspicuusque toris Tirynthius: exta ministri
Rapta simul veribus, Cereremque dedere canistris.
Iamque aderat, summo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul ostentabat Achillem.
Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, et ingenti tendentem brachia passu,
Adsiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido spumantia pocula Baccho
Sollicitant, veteri nec conspicienda metallo
Signa tenent: stupet in ducibus: magnumq; sonantes
Haurit, et Herculeo fert comminus ora leoni.
Lætus at inpliciti Peleus rapit oscula nati,
Suspiciensque polum; Placito si currere fluctu
Pelea vultis, ait, ventosque optare ferentes;
Hoc, superi, servate caput: tu cetera, Chiron,
Da mihi: te parvus lituos et bella loquentem
Miretur: sub te puerilia tela magistro
Venator ferat, et nostram festinet ad hastam.
Omnibus inde magis calor additus: ire per altum
Magna mente volunt. Phrixi promittitur absens
Vellus, et auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, et totum Minyis lætantibus undæ
Deduxere diem: sparguntur litore curvo
Lumina, nondum ullis terras monstrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit; ut steterit redimitus tempora vittis
Phrixus; et iniustas contectus nubibus aras
Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho;
Aureus ut iuvenem miserantibus intulit undis
Vector, et adstrictis ut sedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidemque peregerat umbras
Luna polo; dirimique procul non æquore visa
Cœperat a gemina discedere Sestos Abydo.
Hic soror Æoliden, ævum mansura per omne,
Deserit: heu sævæ nequicquam erepta novercæ!
Illa quidem fessis longe petit humida palmis
Vellera, sed bibulas urguenti pondere vestes
Unda trahit, lævique manus labuntur ab auro.
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus æstu
Respiceres miseræ clamantia virginis ora,
Extremasque manus, sparsosque per æquora crines?
Iamque mero ludoque modus; positique quietis
Conticuere toris: solus quibus ordine fusis
Impatiens somni ductor manet: hunc gravis Æson,
Et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque
Pleni oculos: illis placidi sermonis Iason
Suggerit adfatus, turbataque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravis ceciderunt lumina somno,
Visa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his instare duci: Dodonida quercum,
Chaoniique vides famulam Iovis: æquora tecum
Ingredior: nec fatidicis avellere silvis
Me nisi promisso potuit Saturnia cœlo.
Tempus adest: age, rumpe moras: dumq; æquore toto
Currimus, incertus si nubila duxerit æther;
Iam nunc mitte metus, fidens superisque mihique.

Dixerat: ille pavens, læto quamquam omine divum,
Prosiluit stratis. Minyas simul obtulit omnes
Alma novo crispans pelagus Tithonia Phœbo.
Discurrunt transtris: hi celso cornua malo
Expediunt: alii tonsas in marmore summo
Prætentant: prora funem legit Argus ab alta.
Increscunt matrum gemitus, et fortia languent
Corda patrum: longis flentes amplexibus hærent.
Vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes:
Femineis tantum illa furens ululatibus obstat;
Obruat Idæam quantum tuba Martia buxum.
Fatur et hæc: Nate, indignos aditure labores,
Dividimur: nec ad hos animum componere casus
Ante datum; sed bella tibi terrasque timebam.
Vota aliis facienda deis: si fata reducunt
Te mihi, si trepidis placabile matribus æquor;
Possum equidem lucemq; pati longumque timorem.
Sin aliud Fortuna parat; miserere parentum,
Mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor: hei mihi! Colchos
Unde ego, et avecti timuissem vellera Phrixi?
Quos iam mente dies, quam sæva insomnia curis
Prospicio! quoties raucos ad litoris ictus
Deficiam, Scythicum metuens pontumque polumq;
Nec de te credam nostris ingrata serenis!
Da, precor, amplexus, hæsuraque verba relinque
Auribus, et dulci iam nunc preme lumina dextra.
Talibus Alcimede mœret, sed fortior Æson
Attollens dictis animos: O si mihi sanguis,
Quantus erat, cum signifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compescuit euro!
Primus in æratis posuissem puppibus arma,
Concussoque ratem gauderem tollere remo.
Sed patriæ valuere preces, auditaque magnis
Vota deis: video en nostro tot in æquore reges,
Teque ducem: tales, tales ego ducere suetus,
Atque sequi: nunc ille dies, (det Iuppiter oro)
Ille super, quo te Scythici regisque marisque
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto
Accipiam, cedantque tuæ mea facta iuventæ.
Sic ait: ille suo conlabsam pectore matrem
Sustinuit, magnaque senem cervice recepit.
Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes
Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.
Dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet: altior inde
Occupat Alcides aliud mare: cetera pubes
Dividitur: celer Asterion, quem matre cadentem
Cristatus gemino fovit pater amne Cometes,
Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus:
Nititur hinc Talaus, fratrisque Leodocus urguet
Remo terga sui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoq; missus adest, quamvis arcentibus Idmon
Alitibus; sed turpe viro timuisse futura.
Hic et Naubolides tortas consurgit in undas
Iphitus: hic patrium frangit Neptunius æquor,
Qui tenet undisonam Psamathen, semperq; patentem
Tænaron Euphemus: mollique a litore Pelles
Deucalion certus iaculis, et comminus ense
Nobilis Amphion; pariter quos edidit Hypso,
Nec potuit similes, voluitve ediscere vultus.
Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa,
Frater et Iphiclus puppim trahit: et face sæva
In tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,
Nauplius: et tortum non ab Iove fulmen Oileus
Qui gemet, Euboicas nato stridente per undas:
Quique Erymanthei sudantem pondere monstri
Amphitryoniaden Tegæo limine Cepheus
Iuvit; et Amphidamas: et frater plenior annis
Maluit Ancæo vellus contingere Phrixi.
Tectus et Eurytion servato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque Thessalicæ, Nestor, rapit in freta puppis
Fama; Mycenæis olim qui candida velis
Æquora, nec stantes mirabere mille magistros.
Hic vates, Phœbique fides non vana parentis,
Mopsus; puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Cassis, et in summo laurus Peneia cono.
Quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus
Nelidesque Periclymenus: quem parva Methone
Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon,
Cæstibus adversos viderunt frangere vultus.
Tu quoque Phriaeos remo, Pæantie, Colchos,
Bis Lemnon visure petis: nunc cuspide patris
Inclytus, Herculeas olim moture sagittas.
Proximus hinc Butes Actæis dives ab oris:
Innumeras nam claudit apes, longaque superbus
Fuscat nube diem; dum plenas nectare cellas
Pandit, et in dulcem reges dimittit Hymetton.
Insequeris, casusque tuos expresse, Phalere,
Arma geris; vacua nam lapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum:
Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes.
Nec Peleus fretus soceris et coniuge diva
Defuit: at prora splendet tua cuspis ab alta,
Æacide: tantum hæc aliis excelsior hastis,
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.
Linquit et Actorides natum Chironis in antro;
Ut socius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyræ: pariterque leves puer incitet hastas:
Discat eques placidi conscendere terga magistri.
Et, quem fama genus non est decepta Lyæi,
Phleias inmissus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancæum genetrix committere ponto,
Plena tulit quem rege maris: securus in æquor
Haud minus Erginus, proles Neptunia, fertur:
Qui maris insidias, claræ qui sidera noctis
Norit, et e clausis quem destinet Æolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cœlum
Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat celataque plumbo
Terga Lacon; saltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat; et Oebalium Pagaseia puppis alumnum
Spectet, securo celebrantem litora ludo.
Oraque Thessalico melior contundere freno,
Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba.
Illis Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura; quod gemina mater spectabile tela
Duxit opus: bis Taygeton silvasque comantes
Struxerat: Eurotan molli bis fuderat auro.
Quemque suus sonipes niveo de stamine portat,
Et volat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas solvit iam fibula vestes,
Ostenditque humeros fortes, spatiumque superbi
Pectoris, Herculeis æquum, Meleagre, lacertis.
Hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus
Æthalides subitas nervo redeunte sagittas
Cogere: tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte: nec patrio Minyis ignobilis usu,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis;
Heu celerem Scythica te mœsta relinquet harena,
Cessantemque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto pastore Pheræi
Felices, Admete: tuis nam pendit in arvis

Delius, ingratn Steropen quod fuderat arcu.
Ah quoties famulo notis soror obvia silvis
Flevit, ubi Ossææ captaret frigora quercus,
Perderet et pingui miseros Bœbeide crines!
Insurgit transtris, et remo Nerea versat
Canthus, in Æeo volvet quem barbara cuspis
Pulvere: at interea clari decus adiacet orbis,
Quem genitor gestarat Abas: secat aurea flucta
Tegmina Calcidicas fugiens Euripus harenas:
Celsaque semiferum contorquens frena luporum
Surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geræsto.
Et tibi Palladia pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis restat deprendere patris
Relliquias: multum famulis pia iusta moratis,
Si venias: breviore petit iam cærula remo,
Occupat et longe sua transtra novissimus Idas.
At frater magnos Lynceus servatur in usus;
Quem tulit Arene: possit qui rumpere terras,
Et Styga transmisso tacitam deprendere visu.
Fluctibus e mediis terras dabit ille magistro,
Et dabit astra rati; cumque æthera Iuppiter umbra
Perdiderit, solus transibit nubila Linceus.
Quin et Cecropiæ proles vacat Orithyiæ,
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
Nec vero Odrisius transtris inpenditur Orpheus,
Aut pontum remo subigit: sed carmine tonsas
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
Donat et Iphiclo pelagus iuvenumque labores
Æsonides; fessum Phulace quem miserat ævo, (cres,
Non iam operum in partem; monitus sed tradat ut a-
Magnorumq; viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuæ tibi cura ratis: te mœnia doctum
Thespia Palladin dant munere: sora tibi ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare; fissaque flucto
Vel pice vel molli condocere vulnera cera,
Pervigil Arcadin Tiphys pendebat ab astro
Hagniades; felix stellis qui seguibus usum,
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.
Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens lætusque dolis agnoscit Acastum,
Horrentem iaculis, et parmæ luce coruscum.
Ille ubi se mediæ per scuta virosque carinæ
Intulit; ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit: haud aliter saltus vastataque pernix
Venator cum lustra fugit; dominoque timentem
Urguet equum; teneras compressus pectore tigres,
Quas astu rapuit pavido: dum sæva relictis
Mater in adverso catulis venatur Amano.
Ut pariter propulsa ratis; stant litore matres:
Claraque vela oculis, percussaque sole sequuntur
Scuta virum: donec iam celsior arbore pontus,
Immensusque ratem spectantibus abstulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
Cœpta tuens, tantamque operis consurgere molem,
Lætatur: patrii neque enim probat otia regni.
Una omnes gaudent superi, venturaque mundo
Tempora, quæque vias cernunt sibi crescere Parcæ.
Sed non et Scytici genitor discrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces:
Summe sator, cui nostra dies, volventibus annis,
Tot peragit reficitque vices: tuane ista voluntas?
Graiaque nunc undis duce, te nutuque secundo
It ratis? an meritos fas et mihi rumpere questus?
Hoc metuens, et ne qua foret manus invida nato,
Non mediæ telluris opes, non improba legi
Divitia arva plagæ: (teneant uberrima Teucer,
Et Lybis, et vestri Pelopis domus) horrida sævo
Quæ premis arva gelu, strictosq; insedimus amnes.
Cederet his etiam; et sese sine honore referret
Ulterius: sed nube rigens ac nescia rerum
Stat super, et nostros iam zona reverberat ignes.
Quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis
Phasis, et aversis proles mea gentibus obstat?
Quid Minyæ meruere queri? num vellere Graio
Vi potitur? profugo quin agmina iungere Phrixo
Abnuit; Inoas ultor nec venit ad aras:
Imperii sed parte virum natæque moratus
Coniugio, videt e Graia nunc stirpe nepotes:
Et generos vocat, et iunctas sibi sanguine terras.
Flecte ratem motusque pater; nec vulnere nostro
Æquora pande viris: veteris sat conscia luctus
Silva Padi, et viso flentes genitore sorores.
Adfremit his, quassatque caput, qui vellera dono
Bellipotens sibi fixa videt: tentataque contra
Pallas, et amborum gemuit Saturnia questus.
Tum genitor: Vetera hæc nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent: neque enim terris tum sanguis in ullis
Noster erat, cum fata darem; iustique facultas
Hic mihi, cum varios struerem per secula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum;
Iam pridem regio, quæ virginis æquor ad Helles,
Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro,
Undat equis, floretque viris: nec tollere contra
Ulla pares animos, nomenque capescere bellis
Ausa manus: sic fata, locos sic ipse fovebam.
Accelerat sed summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, et poscunt iam me sua tempora Graii;
Inde meæ quercus, tripodesque animæque parentum
Hanc pelago misere manum: via facta per undas,
Perque hiemes, Bellona, tibi: nec vellera tantum
Indignanda: manet proprior de virgine rapta
Ille dolor: sed nulla magis sententia menti
Fixa meæ: veniet Phrygia nam pastor ab Ida,
Qui gemitus, irasque pares, et mutua Graiis
Dona ferat: qua classe dehinc effusa procorum
Bella! quot ad Troiam flentes hiberna Mycenas!
Quot proceres natosque deum, quæ robora cernes
Oppetere, et magnis Asiam concedere fatis!
Hinc Danaum de fine sedet: gentesque fovebo
Mox alias: pateant montes, silvæque, lacusque,
Cunctaque claustra maris; spes et metus omnibus esto
Arbiter: ipse locos, terrenaque summa movendo
Experiar, quænam populis longissima cunctis
Regna velim, linquamq; datas ubi certus habenas.
Tunc oculos Ægæa refert ad cærula, robur
Herculeum Ledæque tuens genus; atque ita fatur:
Tendite in astra, viri: me primum regia mundo
Iapeti post bella trucis, Phlegræque labores
Inposuit: durum vobis iter et grave cœli
Institui: sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber, et expertus terras remeavit Apollo.
Dixit, et ingenti flammantem nubila sulco
Direxit per inane facem: quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresque petivit
Tyndarios: placida et mediis in frontibus hæsit
Protinus amborum; lumenque innoxia fudit
Purpureum, miseris olim implorabile nautis.
Interea medio sævus permissa profundo
Carbasa Pangæa Boreas speculatus ab arce,
Continuo Æoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
Concitus: omne dei rapidis nemus ingemit alis:
Strata Ceres: motoque niger sub præpete pontus
Æquore Trinacrio, refugique a parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis: quot in æthera surgit
Molibus, infernas totiens demissa sub undas.
Nec scopulos aut antra minor iuxta altera tellus
Cernitur: illam Acamas habitat, nudusq; Pyracmon.

Has nimbi ventique domos, et naufraga servat
Tempestas: hinc in terras latumque profundum
Est iter: hinc olim soliti miscere polumque
Infelixque fretum: neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Œnotria fines
Perderet, et mediis intrarent montibus undæ:
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem iussa vereri
Sæva cohors: in monte chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros: cum iam prohibere frementum
Ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
Ipse volens, placatque data fera murmura porta.
Nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto:
Pangæa quod ab arce nefas, ait, Æola, vidi!
Graia novam ferro molem commenta iuventus
Pergit, et ingenti gaudens domat æquora velo:
Nec mihi libertas imis freta tollere harenis.
Qualis eram, nondum vinclis et carcere clausus!
Hinc animi, structæque viris fiducia puppis,
Quod Borean sub rege vident: da mergere Graios,
Insanamque ratem: nil me mea pignora tangunt,
Tantum hominum compesce minas, dum litora iuxta
Thessala, nec dum aliæ viderunt carbasa terræ.
Dixerat: at cuncti fremere intus et æquora venti
Poscere: tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades: fundunt se carcere læti
Thraces equi: Zephyrusque, et nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus; crinemque procellis
Hispidus, et multa flavus caput Eurus harena,
Induxere hiemem; raucoque ad litora tractu
Unanimi freta curva ferunt: nec sola tridentis
Regna movent: vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoque premit nox omnia cœlo.
Excussi manibus remi; conversaque frontem
Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus:
Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit: qui tum Minyis trepidantibus horror!
Cum picei fulsere poli, pavidamque coruscæ
Ante ratem cecidere faces, antennaque lævo
Prona dehiscentem cornu cum sustulit undam!
Non hiemem, missosque putant consurgere ventos
Ignari, sed tale fretum: tum murmure mæsto:
Hoc erat, inlicitas temerare rudentibus undas
Quod nostri timuere patres! vix litore puppim
Solvimus; en quanto fremitu se sustulit Ægæn!
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes?
Tristius an miseris superest mare? linquite, terræ,
Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus.
Hæc iterant, segni flentes occumbere leto.
Magnanimus spectat pharetras et inutile robur
Amphitryoniades: miscent suprema paventes
Verba alii, iunguntque manus, atque ora fatigant:
Aspectu tota in misero cum protinus alnus
Solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu.
Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc stridens Zephyris aufert Notus; undiq; fervent
Æquora: cum subitus trifida Neptunus in hasta
Cæruleum fundo caput extulit. Hanc mihi Pallas,
Et soror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu
Abstulerint: veniant Phariæ Tyriæque carinæ,
Permissumque patent: quoties mox rapta videbo
Vela Notis, plenasque malis clamoribus undas!
Non meus Orion, aut sævus Pliade Taurus
Mortis causa novæ: miseris tu gentibus, Argo,
Fata paras: nec iam merito tibi, Typhi, quietum
Ulla parens volet Elysium manesque piorum.
Hæc ait, et pontum pater ac turbata reponit
Litora, depulitque Notos: quos cærulus Horror
Et madido gravis unda sinu, longeque secutus
Imber, ad Æoliæ tendunt simul æquora portæ.
Emicuit reserata dies: cœlumque resolvit
Arcus: et in summos redierunt nubila montes.
Iam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo
Et Tethis, et magnis Nereus socer erigit ulnis.
Ergo humeros ductor sacro velatur amictu,
Æsoniamque capit pateram: quam munere gaudens
Liquerat hospitio, pharetrasque rependerat auro
Salmoneus: nondum ille furens; cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Iovis, contraque ruentem
Aut Athon, aut Rhodopen; mœstæ nemora ardua Pisæ
Æmulus et miseros ipse ureret Elidis agros.
Hac pelago libat latices, et talibus infit:
Di, quibus undarum tempestatisque sonoræ
Imperium, et magno penitus par regia cœlo:
Tuque, fretum divosque pater sortite biformes:
Seu casus nox ista fuit; seu volvitur axis,
Ut superum sic staret opus; tolliqua vicissim
Pontus habet; seu te subitæ nova puppis imago,
Armorumque hominumque truces consurgere in iras
Impulit: hæc luerim satis; at tua numina, rector,
Iam fuerint meliora mihi: da reddere terris
Has animas, patriæque amplecti limine portæ:
Tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisve
Stas, pater, atque ingens utrinque fluentia Triton
Frena tenet: tantus nostras condere per urbes.
Dixerat hæc: oritur clamor, dextræque sequentum
Verba ducis: sic cum stabulis et messibus ingens
Ira deum, et Calabri populator Sirius arvi
Incubuit; coit agrestum manus inscia priscum
In nemus, et miseris dictat pia vota sacerdos.
Ecce autem molli zephyros descendere lapsu
Adspiciunt; volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque salum, et spumas vomit ære tridenti:
Tiphys agit, tacitique sedent ad iussa ministri.
Qualiter ad summi solium Iovis omnia circum
Prona, parata deo, ventique, imbresque, nivesque,
Fulguraque et tonitrus, et adhuc in fontibus amnes.
At subitus curaque ducem metus acrior omni,
Mensque mali præsaga quatit; quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acasto,
Cetera nuda neci, medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis,
Ipse procul nunc tuta tenens? ruat omnis in illos
Quippe furor: nec vana pavet, trepidatque futuris.
Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto
Vela videt: nec qua se ardens effundere possit.
Nil animi, nil regna iuvant; fremit obiice ponti
Clausa cohors, telisque salum facibusque coruscat,
Haud secus, ærisona volucer cum Dædalus ora
Prosiluit, iuxtaque comes brevioribus alis;
Nube nova linquente domos, Minoia frustra
Infremuit manus, et visu lassatur inani
Omnis eques, plenisque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis, primoque in limine Acasti
Fusus humi, iuvenis gressus et inania signa
Ore premit, sparsisque legens vestigia canis,
Te quoque iam mœsti forsan genitoris imago
Nate, ait, et luctus subeunt suspiria nostri.
Iamque dolos, circumque truces discrimina leti
Mille vides, qua te infelix, quibus insequar uris?
Non Scythicas ferus ille domos, nec ad ostia Ponti
Tendit iter; falsæ sed captum laudis amore
Te, puer, in nostræ durus tormenta senectæ
Nunc lacerat: celsis an si freta puppibus essent
Pervia, non ultro iuvenes classemque dedissem?
O domus, o freti nequicquam prole penates!

Dixit, et extemplo furiis iraque minaci
Terribilis, Sunt hic etiam tua vulnera, prædo;
Sunt lacrimæ, carusque parens: simul ædibus altis
Itque reditque fremens, rerumque asperrima versat.
Bistonas ad meritos cum cornua sæva Thyoneus
Torsit, et infelix iam mille furoribus Hæmus, (gis
Iam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita lon-
Porticibus coniuxque fugit natique Lycurgum.
Tartareo cum sacra Iovi, Stygiisque ferebat
Manibus Alcimede, tanto super anxia nato;
Si quid ab excitis melius prænosceret umbris.
Ipsum etiam, curisque parem, talesque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Æsona coniux,
In scrobibus cruor, et largus Phlegethontis operti
Stagnat bonos, sævoque vocat grandæva tumultu
Thessalis exanimes atavos, magnæque nepotem
Pleiones: et iam tenues ad carmina vultus
Extulerat, mœstosque tuens natumque nurumque,
Talia libato pandebat sanguine Cretheus:
Mitte metus, volat ille mari: quantumq; propinquat,
Iam magis atque magis variis stupet Æa deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.
Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiæ spoliis nuribusq; superbus
Adveniet: cuperem ipse graves tum rumpere terras.
Sed tibi triste nefas, fraternaque turbidus arma
Rex parat, et sævos irarum concipit ignes. (tus?
Quin rapis hanc animam, et famulos citus effugis ar-
I, meus es, iam te in lucos pia turba silentum,
Secretisque ciet volitans pater Æolus antris.
Horruit interea famulum clamore supremo
Mœsta domus; regemque fragor per mœnia differt,
Mille ciera manus, et iam dare iussa vocatis.
Flagrantes aras, vestemque, nemusque sacerdos
Præcipitat, subitisque pavens circumspicit Æson.
Quid moveat: quem multa leo cunctatus in arta
Mole virum, rictuque genas et lumina pressit.
Sic curæ subiere ducem, ferrumne capessat
Inbelle, atque ævi senior gestamine primi:
An patres regnique acuat mutabile vulgus.
Contra effusa manus, hærensque in pectore coniex:
Me quoq;, ait, casus, comitem, quicumq; propinquat,
Accipies: nec fata traham, natumque videbo
Te sine: sat cœli patiens, cum prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem.
Talia per lacrimas: et iam circumspicit Æson,
Præveniat quo fine minas, quo fata capessat
Digna satis: magnos obitus natumquedomumque,
Et genus Æolium, pugnataque poscere bella.
Est etiam ante oculos ævi rudis altera proles,
Ingentes animos et fortia discere facta
Quem velit, atque olim leti meminisse paterni.
Ergo sacra novat: veteris sub nocte cupressi
Sordidus, et multa palleus ferrugine taurus
Stabat adhuc: cui cærulea per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis: ipse æger, anhelans,
Inpatiensque loci, visaque exterritus umbra.
Hunc sibi præcipuum, gentis de more nefandæ,
Thessalis in seros Ditis servaverat usus.
Tergeminam tum placat heram, Stygiasq; supremo
Obsecrat igne domos, iam iam exorabile retro (bras
Carmen agens: neq; enim ante leves niger avehit um-
Portitor, et cunctæ primis stant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
Conspexit, statuit leto, supremaque fatur,
Ipse manu tangens damnati cornua tauri;
Vos, quibus imperium Iovis, et non segne peractum
Lucis iter, mihi conciliis, mihi cognita bellis
Nomina, magnorum fama sacrata nepotum:
Tuque excite parens umbris, ut nostra videres
Funera, et oblitos superum paterere dolores;
Da placidæ mihi sedes iter; meque hostia vestris
Conciliet præmissa locis: tu nuntia sontum
Virgo Iovi, terras oculis quæ prospicis æquis;
Ultricesque deæ, Fasque, et grandæva Furorum
Pœna parens, meritis regis succedite tectis,
Et sævas inferte faces: sacer effera raptet
Corda Pavor: nec sola mei gravis adfore nati
Arma ratemque putet: classesq;, et Pontica signa,
Atque indignatos temerato litore reges
Mente agitet; semperque metu decurrat ad undas,
Arma ciens; mors sera viam tentataque claudat
Effugia, et nostras nequeat præcurrere Diras:
Sed reduces iam iamque viros, auroque coruscum
Cernat iter: stabo insultans, et ovantia contra
Ora manusque feram: tum, vobis si quod inausum
Arcanumque nefas, et adhuc incognita leti
Sors superest, date fallaci pudibunda senectæ
Exitia: indecoresque obitus: non Marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut umquam
Ense cadat: quin fida manus, quin cara suorum
Diripiat laceretque senem; nec membra sepulcro
Contegat: hæc noster de rege piacula sanguis
Sumat, et heu cunctæ, quas misit in æquora gentes.
Adstitit, et nigro fumantia pocula tabo
Contigit ipsa gravi Furiarum maxima dextra.
Illi avide exceptum pateria hausere cruorem.
Fit fragor: irrumpunt sonitu, qui sæva ferebant
Imperia, et strictos iussis regalibus enses.
In media iam morte senes, suffectaque leto
Lumina, et undanti revomentes veste cruorem
Conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
Te, puer, et visa pallentem morte parentum,
Diripiunt, adduntque tuis: procul horruit Æson
Excedens, memoremque tulit sub nubibus umbram.
Cardine sub nostro rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris; non illa ruenti
Accessura polo, victam si solvere molem
Iuppiter, et primæ velit omnia reddere massæ.
Ingenti iacet ore Chaos; quod pondere fessam
Materiem, lapsumque queat consumere mundum.
Hic geminæ æternum portæ: quarum altera, dura
Semper lege patens, populos regesque receptat;
Ast aliam tentare nefas, et tendere contra;
Rara et sponte patet; si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens: galeis præfixa rotisque
Cui domus, aut studium mortales pellere curas,
Culta fides, longe metus atque ignota cupido:
Seu venit in vittis, castaque in veste sacerdos.
Quos omnes lenis plantis et lampada quassans,
Progenies Atlantis agit: lucet via late
Igne dei: donec silvas et amœna piorum
Deveniant, camposq;, ubi Sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiasique, chorique virorum,
Carminaque, et quorum populis iam nulla cupido.
Has pater in sedes æternaque mœnia natum
Inducitque nurum: tum, porta quanta sinistra
Pœna, docet, manent Pelian; quo limine, monstrat.
Mirantur tantos strepitus, turbamque ruentem,
Et loca, et infernos almæ virtutis honores.

Liber secundus

INTEREA scelerum luctusque ignaros Iason
Alta secat: neque enim patrios cognoscere casus
Iuno sinit; mediis ardens ne flectat ab undis;
Ac temere in Pelian, et adhuc obstantia regis
Fata ruat, placitosque deis ne deserat actus.
Iamque fretis summas æquatum Pelion ornos,

Templaque Tisææ mergunt obliqua Dianæ.
Iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit
Sepias: attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos: vidisse putant Dolopeia busta,
Intrantemque Amyron curvas quæsita per oras
Æquora; flumineo cuius redeuntia vento
Vela legunt: remis insurgitur: inde salutant
Eurymenas: recipit velumque fretumque reversus
Auster; et in nubem, Minyis repetentibus altum,
Ossa redit: metus ecce deûm, damnatque bello
Pallene: circumque vident immania monstra
Terrigenum cœlo quondam adversata gigantum;
Quos scopulis trabibusque parens miserata iugisque
Induit: et versos extruxit in æthera montes.
Quisque suas in rupe minas, pugnamque, metusque
Servat adhuc: quatit ipse hiemes, at torquet ab alto
Fulmina crebra pater: scopulis sed maximus illis
Horror abest, Sicula pressus tellure, Typhoeus. (mas,
Hunc profugum, et sacras revomentem pectore flam-
Ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in altum
Abstulit, implicuitque vadis: totiesque cruenta
Mole resurgentem, torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit usque fretum; cumq; urbibus Ætnam
Intulit, ora premens: trux ille eiectat adesi
Fundamenta iugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem
Commovet asperiens, gemituque reponit inani.
Iamque Hyperionius metas maris urguet Hiberi
Currus, et evectæ prono laxantur habenæ
Æthere; eum palmas Tethys grandæva sinusque
Sustulit, et rupto sonuit sacer æquore Titan.
Auxerat hora metus; iam se vertentis Olympi
Ut faciem, raptosque simul montesque locosque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras.
Ipsa quies rerum, mundique silentia terrent,
Astraque, et effusis stellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter: non aure quiescit,
Non oculis; noctisque metus niger auget utrimque
Campus, et occurrens umbris maioribus arbor.
Haud aliter trepidare viri: sed pectora firmans
Hagniades, Non hanc, inquit, sine numine pinum
Dirigimus: nec me tantum Tritonia cursus
Erudit; sæpe ipsa manu dignata carinam est.
An non experti, subitus cum luce fugata
Horruit imbre dies? quantis, pro Iuppiter, austris
Restitimus! quanta quoties et Palladis arte
In cassum decimæ cecidit tumor arduus undæ!
Quin agite, o socii; micat inmutabile cœlum,
Puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu;
Nullus in ore rubor; certusque ad talia Titan
Integer in fluctus, et in uno decidit Euro.
Adde, quod in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis.
Atque adeo non illa sequi mihi sidera monstrant,
Quæ delabsa polo reficit mare: tantus Orion
Iam cadit; irato iam stridet in æquore Perseus:
Sed mihi dux, vetitis qui numquam conditus undis
Axe nitet serpens, septenosque implicat ignes.
Sic ait: et certi memorat qui vultus Olympi,
Pleiones Hyadumque locos; quo sidere vibret
Ensis, et Actæus niteat qua luce Bootes.
Hæc ubi dicta dedit; Cereris tum munere fessas
Restituunt vires, et parco corpora Baccho:
Mox somno cessere: regunt sua sidera puppim.
Iamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes
Albet ager: motisque truces ab ovilibus ursi
Tuta domosque petunt: raras et litus in altum
Mittit aves; cum primus equis exegit anhelis
Phœbus Athon, mediasque diem dispersit in undas.
Certatim remis agitur mare: rostraque cursu
Prima tremunt: et iam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens: nec te Furiis et crimine matrum
Terra fugat, meritique piget meminisse prioris.
Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
Cœlicolum, et regni sensit novitate tumentes
Iuppiter; ætheriæ nec stare silentia pacis:
Iunonem volucri primam suspendit Olympo
Horrendum chaos ostendens, pœnasque barathri.
Mox etiam pavidæ tentantem vincula matris
Solvere, prærupti Vulcanum vertice cœli
Devolvit, ruit ille polo noctemque diemque,
Turbinis in morem; Lemni cum litore tandem
Insonuit: vox inde repens ut perculit urbem,
Adclinem scopulo inveniunt, miserentq; foventque
Alternos ægro cunctantem poplite gressus.
Hinc, reduci superos postquam pater adnuit arces,
Lemnos cara deo: nec fama notior Ætnæ
Aut Lipares domus; has epulas, hæc templa, peracta
Ægide, et horrifici formatis fulminis alis,
Lætus adit: contra Veneris stat frigida semper
Ara loco; meritas postquam dea coniugis iras
Horruit, et tacitæ Martem tenuere catenæ.
Quocirca struit illa nefas, Lemnoque merenti
Exitium furiale movet: neque enim alma videri
Iam tumet, aut tereti crinem subnectitur auro,
Sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens,
Et maculis suffecta genas, pinumque sonantem
Virginibus Stygiis, nigramque simillima pallam.
Iamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis:
Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
Ausus, at inducto cratam defendare tergo,
Læta mari tum signa refert: plenasque movebat
Armentis nuribusque rates: it barbara vestis,
Et torques, insigne loci: sonat æquore clamor;
O patria o variis coniux nunc anxia curis,
Has agimus longi famulas tibi præmia belli.
Cum dea se piceo per sudum turbida nimbo
Præcipitat; Famamque vagam vestigat in umbra:
Quam pater omnipotens digna atq; indigna canentem
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli: terrasque fatigat,
Qua datur: audentem primi spernuntque foventque:
Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis.
Talem diva sibi sceleris que dolique ministram
Quærit avens: videt illa prior; iamque advolat ultro
Impatiens: iamque ora parat; iam suscitat aures.
Hanc super incendit Venus, atque his vocibus implet:
Vade, age, et æquoream, virgo, delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos: præcurrere qualis
Bella soles; cum mille tubas, armataque campis
Agmina, et innumerum flatus confingis equorum.
Adfore iam luxu turpique cupidine captos
Fare viros, carasque toris inducere Thressas. (tres
Hinc tibi principia; hinc rabidas dolor undique ma-
Instimulet: mox ipsa adero, ducamque paratas.
Illa abit, et mediam gaudens defertur in urbem:
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat, excesam curis, castumque cubile
Servantem: manet illa viros; famulasque fatigat
Velleribus: tardi repetunt quæ tempora belli
Ante torum, et longo mulcent insomnia penso.
Huic dea cum lacrimis, et nota veste Neæræ
Icta genas: Utinam non hic tibi nuntius essem
O soror; aut nostros, inquit, prius unda dolores
Obruat; in tali quoniam tibi tempore coniux,

Sic meritæ, votis quem tu fletuque requiris,
Heu furit, et captæ indigno famulatur amore. (quat;
Iamque aderunt: thalamisque tuis Threissa propin-
Non forma, non arte colus, non laude pudoris
Par tibi; nec proles magni præclara Dorycli:
Picta manus, ustoque placet sed barbara mento.
Attamen hos tales forsan solabere casus.
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates:
Me tua matris egens, damnataque pellice proles
Exanimat; quam iam miseros transversa tuentem,
Letalesque dapes, infectaque pocula cerno.
Scis simile ut flammis simus genus: adde cruentis
Quod patrium sævire Dahis: iam lacte ferino,
Iam veniet durata gelu: sed me quoque pulsam
Fama viro: nostrosque toros virgata tenebit
Et plaustro derepta nurus: sic fata, querelas
Abscidit; et curis pavidam lacrimisque relinquit.
Transit ad Iphinoen; iisdemque Amythaonis implet,
Oleniique domum furiis: totam inde per urbem
Personat, ut cunctas agitent expellere Lemno;
Ipsi urbem Thressæque regant: dolor iraque surgit.
Obvia quæque eadem traditque auditque: neque ulli
Vana fides: tum voce deos, tum questibus implent.
Oscula iamque toris, iamque oscula postibus ipsis
Ingeminant; lacrimisque iterum visuque morantur.
Prosiliunt; nec tecta virum, thalamosque revisunt
Amplius: adglomerant sese; nudisque sub astris
Condensæ fletus acuunt; ac dira precantur
Coniugia, et Stygias infanda ad fœdera tædas.
Has inter medias, Dryopes in imagine mœstæ,
Flet Venus; et sævis ardens dea planctibus instat.
Primaque: Sarmaticas utinam, Fortuna, dedisses
Insedisse domos, tristesque habitasse pruinas,
Plaustra sequi; vel iam patriæ vidisse per ignes
Culmen agi: stragemque deum! nam cetera belli
Perpetimur: mene ille novis, me destinat amens
Servitiis? urbem aut fugiens natosque relinquam!
Non prius ense manus, raptoque armabimus igne?
Dumque silent, ducuntque nova cum coniuge somnos,
Magnum aliquid spirabit amor? tunc ignea torquens
Lumina, præcipites excussit ab ubere natos.
Ilicet adrectæ mentes, evictaque matrum
Corda sacer Veneris gemitus rapit: æquora cunctæ
Prospiciunt, simulantque choros, delubraque festa
Fronde tegunt; lætæque viris venientibus adsunt.
Iamque domos mensasque petunt; discumbitur altis
Porticibus: sua cuique furens festivaque coniux
Adiacet; inferni qualis sub nocte barathri
Accubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta
Tisiphone, sævasque dapes et pocula libat,
(Tormenti genus) et nigris amplectitur hydris.
Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum (tem
Adglomerat tenebras, pugnæque adcincta tremen-
Desilit in Lemnon: nimbisque et luce fragosa
Prosequitur polus, et tonitru pater auget honorem.
Inde novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat: qua primus Athos, et pontus, et ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis
Mater, et adstricto riguerunt ubere nati.
Adcelerat Pavor, et Geticis Discordia demens
E stabulis, hirtæque genis pallentibus Iræ;
Et Dolus, et Rabies, et Leti maior imago
Visa, truces exserta manus; ut prima vocatu
Intonuit, signumque dedit Mavortia coniux.
Hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum
Orsa nefas, gemitus fingit, vocesque cadentum:
Irrupitque domos: et singultantia gestans
Ora manu, taboque sinus perfusa recenti,
...que comas: Meritos en prima revertor

Ulta toros: premit ecce dies: tum verbere v
In thalamos agit, et cunctantibus invenit e
Unde ego tot scelerum facies, tot fata iacen
Exsequar? heu vatem monstris quibus intn
Quæ se aperit series! o qui me vera canentem
Sistat, et hac nostras exsolvat imagine noct
Invadunt aditus, et quondam cara suorum
Corpora: pars, ut erant, dapibus vinoque so
Pars conferre manus etiam, magnisque pari
Cum facibus; quosdam insomnes et cuncta
Sed tentare fugam, prohibetque capessere c
Arma metus: adeo ingentes inimica videri
Diva dabat; notaque sonat vox coniuge mai
Tantum oculos pressere metu; velut agmin
Eumenidum, ferrumve super Bellona corus
Hoc soror, hoc coniux, propiorque hoc na
Sæva valet: prensosque toris mactatque tra
Femineum genus: immanes quos sternere B
Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris ira
It cruor in thalamis, et anhela in pectore f
Vulnera; seque toris misero luctamine trun
Devolvunt: diras aliæ ad fastigia tædas
Iniiciunt, adduntque domos: pars ignibus
Effugiunt propere; sed dira in limine coniu
Obsidet, et viso repetunt incendia ferro.
Ast aliæ Thressas labem caussamque furor
Diripiunt: mixti gemitus, clamorque preca
Barbarus, ignotæque inplebant æthera voce
Sed tibi nunc quæ digna tuis ingentibus au
Ora feram, decus et patriæ laus una ruentis
Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abstulerint, durent Latiis modo sæcula fa
Iliacique lares, tantique palatia regni.
Inruerant actæ pariter nataeque nurusque;
Totaque iam sparsis exarserat insula monst
Illa pias armata manus, Fuge protinus urbe
Meque, pater: non hostis, ait, non mœnis h
Thraces habent: nostrum hoc facinus: nequ
auctor.
Iam fuge, iam dubiæ donum rape mentis, e
Tu potius miseræ retine: tunc excipit artus
Obnubitque caput, tacitumque ad conscia B
Templa rapit: primoque manus a limine te
Exime nos sceleri, pater, et miserere pioru
Rursus, ait: tacite pavidum tunc sede locav
Sub pedibus dextraque dei: latet ille recept
Veste sacra: voces chorus et trieterica redd
Æra sonum, lixæque fremunt in limine tigu
Regina, ut roseis Auroram surgere bigis
Vidit, et insomni lassatas turbine tandem
Conticuisse domos; stabilem quando optim
Dant animum, maiorque piis audacia cepti
Serta patri, iuvenisque comam vestesque L
Induit, et medium curru locat; æraque circ
Tympanaque, et plenas tacita formidine ci
Ipsa sinus hederisque ligat famularibus artu
Pampineamque quatit ventosis ictibus hast
Respiciens; teneat viridés velatus habenas
Ut pater, et nivea tumeant ut cornua mitra
Et sacer ut Bacchum referat scyphus; inpul
Tum validas stridore fores; rapiturque per
Talia voce canens: Linque o mihi cæde mad
Bacche, domum: sine fœdatum te funere po
Expiet; et referam lotos in templa dracones
Sic medios egressa metus: facit ipse verenda
Nam deus, et flatu non inscia gliscit anhelo
Iamque senem tacitis sæva procul urbe remo
Occulerat silvis: ipsam sed conscius anxi
Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Eri

Non similes iam ferre choros (semel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere saltus?
Et fuga diversas misero quærenda per artes.
Visa ratis, sævæ defecta laboribus undæ,
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
Solibus, et canis urebat luna pruinis;
Huc genitorem, altæ per opaca silentia noctis,
Præcipitem silvis rapit; et sic mœsta profatur:
Quam, genitor, patriam, quanta modo linquis inanes
Pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbæ
Exitium! tali' possum te credere puppi,
Care parens? possum tantis retinere periclis?
Solvimus heu serum Furiis scelus? adnue votis,
Diva, soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.
Non populos, non dite solum, non ulla parenti
Regna peto: patria liceat decedere terra.
Quando ego servato mediam genitore per urbem
Læta ferar? quando hic lacrimas planctusq; videbo?
Dixerat: ille procul trunca fugit anxius alno;
Taurorumque locos, delubraque sæva Dianæ
Advenit. hic illum tristi dea præficis aræ
Ense dato: mora nec terris tibi longa cruentis.
Iam nemus Egeriæ, iam te ciet altus ab Alba
Iuppiter, et soli non mitis Aricia Regi.
Arcem nata petit, quo iam manus horrida matrum
Congruerat: rauco fremitu sedere parentum
Natorumque locis: vacuæque in mœnibus orbis
Iura novant: donant solio sceptrisque paternis,
Ut meritam; redduntque piæ sua præmia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant: rapitur subito regina tumultu,
Conciliumque vocat: non illis obvia tela
Ferre, nec infestos deerat furor improbus ignes:
Ni Veneris sævas fregisset Mulciber iras.
Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo,
Non patriam, non certa genus, sed maxima Ceto
* Proteaque ambiguum Pharii se patris ab antris
Hoc rexisse vias, iunctis super æquora phocis:
Sæpe imis se condit aquis, cunctataque paullum
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
Portum demus, ait: hæc hospita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno deus æquore flexit
Huc Minyas. Venus ipsa volens dat tempora iungi,
Dum vires utero, maternaque sufficit ætas.
Dicta placent; portatque preces ad litora Gralis
Iphinoe: nec turba nocens, scelerisque recentis
Signa movent; tollitque loci Cythbares timorem.
Protinus ingentem procerum sub nomine taurum
Deicit; insuetis et iam pia munera templis
Reddit; et hac prima Veneris calet ara iuvenca.
Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
Fumant saxa iugis, coquiturque vaporibus aer;
Substitit Æsonides: atque hic regina precari
Hortatur; caussasque docens, Hæc antra videtis,
Vulcanique, ait, ecce, domos: date vina precesque,
Forsitan hoc factum taceat iam fulmen in antro;
Nox dabit ipsa fidem: clausæ cum murmura flammæ
Hospes, et incussæ sonitum mirabere massæ.
Mœnia tum, viresque loci, veteresque parentum
Iactat opes: mediis famulæ convivia tectis
Expediunt; Tyrio vibrat torus igneus ostro.
Stat mœrens atavos reges, regesque maritos
Thressa manus, quæcumque faces timuisse iugales
Credita, nec dominæ sanctum tetigisse cubile.
Iam medio Æsonides, iam se regina locavit;
Post alii proceres: sacris dum vincitur extis
Prima fames; circum pateris it Bacchus, et omnis
Aula silet: dapibus cœptis mox tempora fallunt
Noctis, et in seras durant sermonibus umbras.
Præcipueque ducis casus mirata requirit
Hypsipyle: quæ fata trahant, quæ regis agat vis:
Aut unde Hæmoniæ molem ratis unius hæret
Adloquio, et blandos paullatim colligit ignes,
Iam non dura toris, Veneri nec iniqua reversæ:
Et deus ipse moras spatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimbosa moverat astro
Iuppiter, æternum volvens opus; et simul undis
Cuncta ruunt: unoque dei Pangæa sub ictu,
Gargaraque, et mœsti steterant formidine luci.
Sævior haud alio mortales tempore mentes
Terror agit: tunc urguet enim, tunc flagitat iras
In populos Astræa Iovem; terrisque relictis
Invocat adsiduo Saturnia sidera questu.
Insequitur niger, et magnis cum fratribus Eurus
Intonat Ægæo: tenditque ad litora pontus.
Et lunam quarto densam videt imbribus ortu
Thespiades, longus cœptis et fluctibus arcet
Quem metus: atque novos divæ melioris ad ignes
Urbe sedent læti Minyæ, viduisque vacantes
Indulgent thalamis: nimbosque educere luxu:
Nec iam vela vias; Zephyrosque audire vocantes
Dissimulant; donec resides Tyrinthius heros
Non tulit, ipse rati invigilans, atque integer urbis;
Invidisse deos tantum maris æquor adortis
Desertosque domos, fraudataque tempore segni
Vota patrum: quid et ipse viris cunctantibus adsit?
O miseri, quicumque tuis accessimus actis!
Phasin, et Æeten, Scythicique pericula ponti
Redde, ait, Æsonide; me tecum solus in æquor
Rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes
Cyaneos, vigilemque alium spoliare draconem.
Si sedet, Ægæi scopulos habitare profundi;
Hoc mecum Telamon peraget meus; hæc ubi dicta,
Haud secus Æsonides monitis accensus amaris,
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra iuvat, brevis in lævos piger angitur orbes;
Frena tamen dominumque velit, si Martius aures
Clamor, et obliti rursus fragor impleat æris
Tunc Argum Tiphynque vocat; pelagoque parari
Præcipitat: petit ingenti clamore magister
Arma, viros pariter, sparsosque in litore remos.
Exoritur novus urbe dolor, planctusque per omnes
It facies antiqua domos: sibi mœnia linqui
En iterum; ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolent, qui sceptra gerant? nunc triste nefan-
Noctis opus: vidui nunc illa silentia tecti (dum
Sæva magis; thalamos excussaque vincla quod ausæ
Induere, atque iterum tales admittere curas.
Ipsa quoque Hypsipyle subitos per litora cursus
Ut vidit, totaque viros decedere Lemno;
Ingemit, et tali compellat Iasona questu:
Iamne placet primo deducere vela sereno,
Carius o mihi patre caput? modo sæva quierunt
Æquora: sic portus fugeret ratis, aspera si te
Plias in adversæ tenuisset litore Thraces?
Ergo moras cœlo cursumque tenentibus undis
Debuimus? dixit lacrimans: hasuraque caro
Dona duci promit chlamydem textosque labores.
Illic servati genitoris conscia sacra
Pressit acu, currusque plos: stant sæva paventum
Agmina, dantque locum; viridis circum horrida tela
Silva tremit: mediis refugit pater anxius umbris.
Pars et frondosæ raptus expresserat Idæ,
Illustremque fugam pueri: mox æthere lætus
Adstabat mensis: quin et Iovis armiger ipse
Accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.
Tunc ensem, notumque ferens insigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ

Sim comes, Ætnæi genitor quæ flammea gessit
Dona Dei, nunc dignus tuis adiungier armis.
I, memor, i terræ, quæ vos amplexa quieto
Prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
Vela, per hunc, utero quem linquis Iasona nostro.
Sic ait, Hæmonii labens in colla mariti.
Nec minus Orphea tristi cervice, tuoque,
Æacide, et gemino coniux a Castore pendet.
Has inter lacrimas legitur piger ancus harenis;
Iam remi rapuere ratem, iam flamina portant;
Spumea subsequitur fugientis semita clavi.
Tunc tenuis Lemnos; transitque Electria tellus
Threiciis arcana sacris: hic numinis ingens
Horror, et incautis decreta piacula linguis.
Hanc demissa Iovi non umquam lædere fluctu
Audet hiems: sponte ipse deus tunc asperat undas,
Cum vetat infidos sua litora tangere nautas.
Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos
Excipit, hospitibus referens secreta, Thyotes.
Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque
Missa mane: sacrisque metum sei vemus opertis.
Illi sola novo læti, plenique deorum,
Considunt transtris: iam, quas præviderat urbes
Navita, condebat: proræqua accesserat Imbros;
Et Sol ætherias medius conscenderat arces.
Thessala Dardaniis tunc primum puppis harenis
Adpulit, et fatis Sigeo litore sedit.
Desiliunt: pars hinc levibus candentia velis
Castra levat: tracto pars frangit adorea saxo
Farra: citum strictis alius de cautibus ignem
Ostendit foliis, et sulfure pascit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
Anfractu sinuosa legunt, vox accidit aures,
Flebile succedens, ceu fracta remurmurat unda.
Attoniti pressere gradum; vacuumque sequuntur
Vocis iter: iam certa sonat: desertaque duræ
Virgo neci quem non hominum superumq; vocabat?
Acrius hoc instare viri, succurrere certi.
Qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo
Avia, frangentem morsu super alta leonem
Terga ferens; coit e sparso concita mapali
Agrestum manus, et cæco clamore coloni.
Constitit Alcides; visuque enisus, in alta
Rupe truces manicas, defectaque virginis ora
Cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus.
Exanimum veluti, multa tamen arte coactum,
Mœret ebur; Pariusve notas et nomina sumit
Cum lapis; aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: Quod, virgo, tibi nomenque genusque,
Quæ sors ista, doce: tendunt cur vincula palmas!
Illa tremens, tristique oculos deiecta pudore,
Non ego digna malis, inquit; suprema parentum
Dona vides, ostro scopulos auroque frequentes.
Nos illi veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio morbi, cœloque exacta sereno
Temperies; arsere rogis certantibus agri:
Cum subitus fragor, et fluctus Idæa moventes
Cum stabulis nemora: ecce, repens consurgere ponto
Bellua, monstrum ingens; hanc tu nec montibus ul-
Nec nostro metire mari: primæva furenti (lis,
Huic manus, amplexus inter planctusque parentum,
Deditur: hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
Virgineam damnare animam, sortitaque Lethen
Corpora: crudelis scopulis me destinat urna.
Verum o iam redeunt Phrygibus si numina, tuque
Illa ades, auguriis promisse et sorte deorum;
Iam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor, nostræ stata dona salutis,
Adnue, meque, precor, defectaq; Pergama monstris
Eripe; namque potes: neque enim tam lata videbam
Pectora, Neptunus muros cum iungeret astris;
Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.
Auxerat hæc locus, et facies mœstissima capti
Litoris, et tumuli, cœlumque, quod incubat urbi:
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi
Vidit, et infectæ miseratus flumina Lernæ.
Dat procul interea signum Neptunus: et una
Monstriferi mugire sinus: Sigeaque pestis
Adglomerare fretum: cuius stellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curva trisulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagoque remenso
Cauda redit, passoque sinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Prosequitur lateri adsultans; trepidisque ruentem
Litoribus sua cogit hiems: non fluctibus æquis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
Tantus ovat, patriisque manus cum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ,
Surgentemque toris stupet, immanemque parato
Æaciden; pulsantque graves ut terga pharetræ.
Ille patrem, pelagique deos, suaque arma precatus,
Insiluit scopulo; motumque e sedibus æquor
Horruit, et celsi spatiosa volumina monstri.
Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
Tollitur, et volucres Riphæa per ardua nubes
Præcipitat, piceo nec dum tenet omnia cœlo.
Illa simul molem horrificam, scopulosaque terga
Promovet, ingentique umbra subit: intremere Ide,
Iulidique ratis, pronæque resurgere turres.
Occupat Alcides arcum, totaque pharetræ
Nube premit: non illa magis, quam sede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Iam brevis, et telo volucri non utilis aer.
Tum vero fremitus, vanique insania cœpti,
Et tacitus pudor; et rursus pallescere virgo.
Proiicit arma manu, scopulos vicinaque saxa
Respicit, et quantum ventis adiuta vetustas
Impulerit, pontive fragor, tantum abscidit imi
Concutiens a sede maris: iamque agmine toto
Pistris adest, miseræque inhiat iam proxima prædæ.
Stat mediis elatus aquis, recipitque ruentem
Alcides: saxoque prior surgentia colla
Obruit: hinc vastos nodosi roboris ictus
Congeminat; fluctus defertur bellua in imos,
Iam totis resoluta vadis. Idæaque Mater,
Et chorus, et summis ulularunt collibus amnes.
Protinus e scopulis, et opaca valle resurgunt
Pastores, magnisque petunt clamoribus urbem.
Nuntius hinc socios Telamon vocat; ac simul ipsi
Horrescunt, subitoque vident in sanguine puppim.
Nec minus in scopulos, crudique cacumina saxi
Emicat Alcides, vinclisque tenentibus aufert
Virgineas de rupe manus: aptatque superbis
Arma humeris: regem inde petens superabat ovante
Litora tuta gradu: qualis per pascua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
Taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta revisit,
Et patrium nemus, et bello quos ultus amores.
Obvia cui contra, longis emissa tenebris,
Turba Phrygum, parvumq; trahens cum coniuge na-
Laomedon, iam mœstus equos, iam debita posci (Iam
Dona gemit: pars serii fastigia muri
Cingit, et ignotis iuvenem mirantur in armis.
Illum torva tuens, atque acri lubricus astu
Rex subit, et patrio fatur male lætus amore:
Maxime Graiugenum, quem nos Sigea petentem

Litora, nec nostræ miserantem funera Troiæ
Adpulit his Fors ipsa locis; si vera parentem
Fama Iovem, summique tibi genus esse Tonantis;
Noster ades, iunctusque veni: sator unus, et idem
Stirpis honos: quamquam longis disiungimur oris.
Quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
Serus ades? quam parva tuis iam gloria factis?
Verum, age, nunc socios fraternis mœnibus infer.
Ut tibi, servata statui quæ munera prole,
Crastina lux biiuges stabulis ostendat apertis.
Dixerat hæc: tacitusque dolos, dirumque volutat
Corde nefas, clausum ut thalamis somnoq; gravatum
Inmolet, ereptaque luat responsa pharetra:
Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat. Priami sed quis iam vertere regni
Fata queat? manet inmotis nox Dorica lustris,
Et genus Æneadum, et Troiæ melioris honores.
Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, ostia ponti
Raptat iter; mox huc vestras revehemur ad oras,
Donaque dicta feram: tum vero plura vocatis
Adnuit ille deis: promissa infida tyranni
Iam Phryges, et miseræ flebant discrimina Troiæ.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis;
Litoraque, et veteris tumulos prælabitur Ili,
Dardaniumque patrem: vigili simul omnia ludo
Festa vident. hinc unda, sacris hinc ignibus Ide
Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo.
Inde ubi iam medii tenuere silentia ponti,
Stridentesque iuvant auræ, Phrixea subibant
Æquora, et angustas quondam sine nomine fauces.
Ecce autem prima volucrem sub luce dehiscens
Terruit unda ratem, vittataque constitit Helle,
Iam Panopes Tetbidisque soror: iamqua aurea læva
Sceptra tenens, tum sternit aquas, proceresque du-
Adspicit, et placidis conpellat Iasona dictis: (cumq;
Tequoque ab Hæmoniis ignota per æquora terris,
Regna infesta domus, fatisque simillima nostris
Fata ferunt: iterum Æolios Fortuna penates
Spargit, at infelix Scythicum gens quæritis amnem.
Vasta super tellus, longum (nadefice cœptis)
Æquor; et ipse procul, (verum dabit ostia) Phasis.
Hic nemus arcanum, geminæque virentibus aræ
Stant tumulis: celeres hic prima piacula Phrixo
Ferte manu: cinerique precor mea reddita dicta:
Non ego per Stygiæ, quod rere, silentia ripæ,
Frater, agor: frustra vacui scrutaris Averni,
Care, vias: neq; enim scopulis me et fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu: pater ipse profundi
Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo
Regna; nec Inois noster sinus invidet undis.
Dixerat: et mœstos tranquilla sub æquore vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
Undarum decus et gentis, Cretheia virgo,
Pande viam, cursuque tuos age, diva, secundo.
Inmittitque ratem, mediasque intervolat urbes,
Qua brevibus furit æstus aquis; Asiamque premen-
Effugit abruptia Europa inmanior oris. (tem
Has etiam terras, consertaque gentibus arva,
Sic, pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis, at adversi longus labor abscidit ævi;
Ut Siculum Libycumque latus: stupuitque fragorem
Caucus et occiduis regnator montibus Atlas.
Iam iuga Percotes, Pariumque infame fragosis
Exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi
Lampsacus: Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
Sed suus in Venerem raptat deus; illius aras
Urbe super, celsique vident velamina templi.
Rarior hinc tellus, atque ingens undique cœlum
Rursus, at incipiens alium prospectus in orbem.
Terra sinu medio Pontum iacet inter et Hellen,
Ceu fundo prolata maris; namque improba cæcis
Intulit arva vadis, longoque sub æquora dorso
Litus agit: tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars discreti iuga pinea montis.
Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
Urbs placidis demissa iugis: rex divitis agri
Cyzicus: Hæmoniæ qui tum nova signa carinæ
Ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas,
Miraturque viros, dextramque amplexus, et hærens,
Incipit: O terris nunc primum cognita nostris
Æmathiæ manus, et fama mihi maior imago.
Non tamen hæc adeo semota, neque ardua tellus,
Longaque iam populis impervia lucis Eoæ;
Cum tales intrasse duces, tot robora cerno.
Nam licet hinc sævas tellus alat horrida gentes,
Meque fremens tumido circumfluat ore Propontis;
Vestra fides, ritusque pares, et mitis cultu
His etiam mihi corda locis: procul effera virtus
Bebrycis, et Scythici procul inclementia sacri.
Sic memorat; lætosque rapit: simul hospita pandi
Tecta iubet, templisque sacros largitur honores.
Stant gemmis auroque tori, mensæque paratu
Regifico; centumque pares primæva ministri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea gestant
Pocula, bellorum casus expressa recentum.
Atque ea prima duci porgens carchesia Graio
Cyzicus, Hic portus, inquit, mihi territat hostis:
Has acies sub nocte refert: hæc versa Pelasgum
Terga vides: meus hic, ratibus qui pascitur, ignis.
Subiicit Æsonides: Utinam nunc ira Pelasgos
Efferet, et solitis tentent concurrere furtis;
Cunctaque se ratibus fundat manus: arma videbis
Hospita, nec post hanc ultra tibi prœlia noctem.
Sic ait: hasque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non simili lux postera tractu.

Liber tertius

TERTIA iam gelidas Tithonia solverat umbras,
Exsueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It tectis Argoa manus, simul urbe profusi
Æneidæ caris socium digressibus hærent.
Dat Cererem, lectumq; pecus; nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygiove satum; sed quem sua noto
Colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles.
Ipse agit Æsonidas iunctos ad litora gressus
Cyzicus, abscessu lacrimans; oneratque superbis
Muneribus, primas coniux Percosia vestes
Quas dabat, at picto Clite variaverat auro.
Tum galeam, et patriæ telum insuperabile dextræ
Addidit: ipse ducis pateras at Thessala contra
Frena capit: manibusque datis iunxere penates.
Tu mihi nunc caussas infandaque prœlia, Clio,
Pande virum: tibi enim superum data, virgo, facultas
Nosse animos, rerumque vias; cur talia passus
Arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
Iuppiter; unde tubæ, nocturnaque movit Erinnys.
Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis
Dum volucri quatit asper equo, silvasque fatigat
Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,
Adsuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppressit iaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille iubas captivaque postibus ora
Imposuit, spolium infelix, divæque pudendum,
Quæ postquam Hæmoniam, tantæ non inmemor iræ,
Ærisono de monte ratem, præfixaque regum

Scuta videt; nova monstra viro, nova funera volvit;
Ut socias in nocte manus, utque impia bella,
Conserat; et sævis erroribus implicet orbem.
Nox erat, et leni canebant æquora sulco,
Et iam prona leves spargebant sidera somnos.
Aura vehit. religant tonsas: veloque Procneson,
Teque etiam medio flaventem, Rhyndace ponto,
Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda.
Ipse diem longa Sideaque cubilia Tiphys
Consulit; ipse ratem vento stellisque ministrat.
Atque illum non ante sopor luctamine tanto
Lenit agens, divum imperiis; cadit inscia clavo
Dextera, demittitque oculos: solataque puppis
Turbine flectit iter, portuque refertur amico.
Ut notis adlabsa vadis, dant æthere longo
Signa tubæ: vox et mediis emissa tenebris:
Hostis habet portus; soliti rediere Pelasgi.
Rupta quies: deus ancipitem lymphaverat orbem,
Mygdoniæ Pan iussa ferens sævissima Matris.
Pan nemorum bellique potens; quem lucis ad horas
Antra tenent: patet ad medias per devia noctes.
Sætigerum latus, et torvæ coma sibila frontis.
Vox omnes super una tubas, qua cornua et enses,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque maris
Claustra cadunt; talesque metus non Martia cassis,
Eumenidumque comæ, non tristis ab æthere Gorgon
Sparserit, aut tantas aciem raptaverit umbras.
Ludus et ille deo; pavidum præsepibus aufert
Cum pecus, et profugi sternunt dumeta iuvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit; exsilit, altas
Somnia dira toris simulacraque pallida linquens,
Cyzicus: ecce super foribus Bellona reclusis,
Nuda latus, passuque movens orichalca sonoro,
Adstitit, et triplici pulsans fastigia crista,
Inde ciere virum: sequitur per mœnia demens
Ille deam, et fatis extrema in prœlia tendit.
Qualis in Alciden et Thesea, Rhœtus iniqui
Nube meri, geminam Pholoen maioraque cernens
Antra, ruit: qualisve redit, venatibus actis,
Lustra pater Triviamq; canens; humeroq; Learchum
Advehit: at miseræ declinant lumina Thebæ.
Iamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus: quæ prima furenti
Advolat; hinc alii subeunt, ut proxima quæque
Intremuit domus, et motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor: ægra virorum (nunt:
Corda labant: nec quæ regio, aut discrimina, cer-
Cur galeæ clipeique micent: num pervigil armis
Hostis, et exciti dent obvia prœlia Colchi.
Donec et hasta volans in mani turbine transtris
Insonuit, monuitque ratem rapere obvia cæca
Arma manu. Princeps galeam constringit Iason,
Vociferans: Primam hanc nati, pater, accipe pugnam:
Vosque, viri, optatos hec adfore credite Colchos.
Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris
Currus; ubi ingentes animæ clamorque tubæque
Sanguineæ iovere deum: non segnius ille
Occupat arva furens; sequitur vis omnis Achivum:
Adglomerant latera; et densis thoracibus horrens
Stat manus; ægisono quam nec fera pectore virgo
Dispulerit, nec dextra Iovis, Terrorque Pavorque
Martis equi: sic contextis umbonibus urguent;
Cæruleo veluti cum Iuppiter agmine nubem
Constituit; certant Zephyri, frustraque rigentem
Pulsat utrimque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
Hinc manus infelix, clamore impellere magno
Saxa, facesque atras, et tortæ pondera fundæ
Fert socios ignota phalanx; iraque relentant,
Congeries dum prima fluat: stellantia Mopsus
Tegmina, et ingentem Corythi notat Eurylos um-
Restitit ille gradu; secoque a lumine ferri (bram.
Sustinuit præceps: subitum ceu pastor ad amnem,
Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem.
Et Tydeus, en totentis quem viribus, inquit,
Experiar; manibusque dari quem communis optem!
Qui steteris, moriere inops: subit ilia cuspis
Olenii: dedit ille sonum; compressaque mandens
Æquora purpuream singultibus expuit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam super ignari numquam rexere magistri
Præcipites impune rates: sic agmine cæco
Incurrit strictis manus ensibus: occubat Iron,
Et Cotys, et Pyrno melior genitore Bienor.
At magis interea diverso turbida motu
Urbs agitur: Genyso coniux amoverat arma:
Ast illi subitus ventis vivusque relaxit
Torre focus, telis gaudes, miserande, repertis.
Linquit et undantes mensas, infectaque pernox
Sacra Medon; chlamys imbelli circumvenit ostro
Torta manum: strictoque vias præfulgurat ense.
Talis in arma ruit; nec vina dapesque remotæ:
*Statq; loco torus; in quo (omen) mansere ministri.
*Inde vagi nec tela modis nec casibus isdem
Conseruere manum, et longe iacuere peremti.
Ecce gravem nodis pinguique bitumine quassans
Lampada, turbata Phlegyas decurrit ab arce:
Ille leves de more manus, aciemque Pelasgum
Per noctem remeasse ratus; pulsumque requirens
Sæpe sibi verso Thamyrum clamore petebat
Arduus, et late fumanti nube coruscus;
Quantus ubi immenso prospexit ab æthere Typhon,
Igne simul ventisque rubens; quem Iuppiter alte
Crine tenet; trepidant diro sub lumine puppes.
Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu,
*Pectore certa regens adversa spicula flammis,
Per piceos accensa globos; et pectus harundo
Per medium contenta fugit; ruit ille comanti
Ore facem supra, maiorque adparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancæus Ethelum
Sternit; et elatæ propius succedere dextræ
Thalceonta sinit; duplicataque ora securi
Disiecit cervice tenus: simul aspera victor
Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra.
Has, precor, exuvias et prima cadavera, Nestor,
Linquite, ait; ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus; prensumque manu detruncat Amastrum:
Diversasque simul socios invadere turmas
Admonuit; pergunt rupta testudine fusi;
Qua tenebræ campiq; ferunt; gravis invenit Ochum
Phleias, et trepido Pollux impingitur Hebro.
Ipse super vultus, taboque labantia terga,
Dux campi Martisque potens, ut cæca profundo
Currit hiems, Zelyn et Broten Abarinque relinquit
Semineces; Glaucum sequitur; Glaucumque ruentem
Occupat et inguine vulnus molitur aperto.
Ille manu contra telum tenet, ultima frustra
Verba ciens; fixumque videt decrescere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
Prothin, et insignem cithara cantuque fluenti
Dorcea; qui dulci festis adsistere mensis
Pectine Bistoniæ magnum post ausus alumnum.
Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet; socia sed disiicit agmina clava.
Ac veluti magna iuvenum cum densa securi
Silva labat; cuneisque gemit grave robur adactis;
Iamque abies piceæque ruunt; sic dura sub ictu
Ossa virum malæque sonant, sparsusque cerebro

Albet ager: levis ante pedes subsederat Ichnon;
Occupat os barbamque viri, clavamque superne
Intonat: Occumbens, i nunc, ait, Herculis armis;
Donum ingens, semperque tuis mirabile fatis.
Horruit ille cadens: nomenque agnovit amicum
Primus, et ignaris dirum scelus attulit umbris.
Nec tibi, Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hospitiis, aut mente meras fevisse benigna;
Et laribus sacrasse diem: procul advenit Idmon,
Oblatumque ferit, galeam cristasque rubentes,
Heu tua dona! gerens: quem te, qualemque videbit
Attonitus, Creusæ, parens! en frigidus orbes
Purpureos iam somnus obit:, iam candor, et omni
Deficiant; vitaque fugit decus omne soluta.
Desere nunc nemus, et Nympharum durus amores.
At diversa Sagen turbantem fallere nervo
Tam primum puer ausus Hylas: spes maxima bellis
Pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Iuno;
Prostravitque virum celeri per pectora telo.
Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridæ in sese: Castor prius ibat in ictus
Nescius; sat illos nova lux, subitusque diremit
Frontis apex: tum Castor Ityn; qua cærulus ambit
Balteus, et gemini committunt ora dracones;
Frater Hagem, Thapsumq; securigerumq; Nealcen
Transigit, et Canthi pallentem vulnere Cydrum.
Torserat hic totis connisus viribus hastam
Venatori Erymo: brevis hanc sed fata ferentem
Prodidit, et piceo comitem miserata refulsit
Luna polo: cessere iubæ; raptumque per auras
Valuus; et extrema sonuit cita casside cuspis.
Nisæum Telamon, et Ophelten vana sonantem,
Per clipei cedentis opus, partemque trilicem,
Qua stomachi secreta, ferit; lætusque profatur:
Dî, precor, hunc regem, aut æque delegerit alta
Fors mihi gente satum; magnusque et flebilis urbi
Conciderit: super addit Aren, fratremq; Melanthum
Phoceaque Oleniden; Lelegem qui pulsus ab oris,
Regis amicitiam, et famuli propioris honores
(Qua patiens non arte?) tulit: nox alta cadentum
Ingentes donec sonitus, augetque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesvius, attonitas acer cum suscitat urbes:
Sic pugnæ crudescit opus: neque enim ignea cedunt
Astra loco; lentis hæret nox conscia bigis.
Perge, age, Tartareæ mecum simul omnis noctis,
Musa, sequi: trepidam Phaethon adllavit ab alto
Tisiphonen; graviorque locos iam luce propinqua
Umbra premit: non signa virum, non funera cernunt:
Et rabie magis ora calent: vos prodite, Divæ,
Eumenidum noctisque globos; vatique pateseat
Armorum fragor, et trepidi singultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per litora manes.
Cyzicus hic aciem vanis discursibus inplet
Fata trahens; iam pulsa sibi cessisse Pelasgum
Agmina, iam passim vacuos disiecta per agros
Credit ovans, tales aditus, ea gaudia fingit
Ira deum: funde veluti cum Cœus in imo,
Vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat; spemque ætheris amens
Concipit: ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis, et sparsæ lebs repulit hydræ.
Sævit acerba fremens; tardumque a mœnibus agmen
Increpitat: Numquamne dolor virtute subibit
Nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
Si vocet, et motis ululent in Dindyma sacris;
Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos
Porrigat, et iussa sanguis exuberet ulna.
Talibus insultans iamdudum numine divæ
Deficit: infracti languescunt frigore cursus:
Corda pavent; audit fremitus irasque leonum,
Cornuaque; et motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis, et certo tendens stridore per umbras,
Æsonii venit hasta ducis, latumque sub imo
Pectore rumpit iter: quam nunc incognita vellet
Lustra sibi, nullisque datos venatibus annos?
Talia magnanimi diverso turbine fundunt
Tela viri; sonituque pedum, suspectaque motu
Explorant: prensant socios, vocemque reposcunt.
Quod si tanta lues seros durasset in ortus;
Exstinctum genus, et solas per mœnia matres
Vidisset, stratamque dies in litore gentem.
Tum pater omnipotens tempus, iam rege peremto,
Flectere fata ratus, miserasque abrumpere pugnas;
Supremam celeravit opem: nutuque sereno
Intonuit: quem nocte satæ, quem turbides horret
Armipotens: tunc porta truciscoit infera belli.
Continuo dant terga metu, versique per agros
Diffugiunt; quæ sola salus: nec terga ruentum
Mens Minyis conversa sequi: stetit anxia virtus.
Ecce, levi primos iam spargere lumine portus
Orta dies; notæque (nefas) albescere terres.
Dî maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnastis pectora somno!
Heu socii quantis conplerunt litora monstris!
Illi autem neque adhuc gemitus, neque conscia facti
Ora levant: tenet exsangues rigor horridus artus.
Ceu pavet ad crines, et tristia Pentheos ora
Thyas; ubi inpulsæ iam se deus agmine matris
Abstulit, et cæsi vanescunt cornua tauri.
Nec minus effusi grandævum ad litora vulgus,
Ut socias videre manus, dare versa retrorsus
Terga metu: dextram tendens proclamat Iason:
Quo fugitis? vellem hac equidem me strage meosque
Procubuisse magis: deus hæc, deus asper utrisque
Inplicuit: sumus heu Minyæ, sumus hospita turba!
Cur etiam flammas, miserosque moramur honores?
Tum super exsangues consertæ cædis acervos
Præcipiti plangore ruunt: agnoscit in alta
Strage virum sua testa parens, sua munera coniux.
It gemitus toto sinuosa per æquora cælo.
Pars tenues flatus, et adhuc stridentia prensant
Vulnera: pars fera conponunt lumina dextra.
At vero, in mediis exsangui rege reperto
Aggeribus, tristi sileant ceu cetera planctu,
Sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum
Versa manus: circa lacrimis ac mentibus ægri
Stant Minyæ: deflentque nefas, et cuspidis ictus
Æsoniæ; sortemque ducis solantur acerbam.
Ille ubi concretos pingui iam sanguine crines,
Pallentesque genas, Infractaque pectore caro
Tela, neque hesternos agnovit in hospite vultus;
Ingemit, atque artes fatur conplexus amicos:
Te tamen ignarum tanti, miserande, furoris
Nox habet, et nullo testantem fœdera questu;
At mihi luctificum venit iubar: en quibus adsum
Conloquiis? cui me hospitio Fortuna revexit?
Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum)
Speravi te posse manu? talisve reliqui
Has ego, amice, domos? quod si iam bella manebant,
Et placitum hoc Superis: nonne hæc mea iustius es-
Funera? meq; tuus potius nunc plangeret error? (sent
Nec Clarii nunc antra dei, quercusque Tonantis
Arguerem: talesne acies, talesne triumphos
Sorte dabant? tantumne nefas mens conscia vatum
Conticeit, patriæ exitium crudele senectæ,
Et tot acerba canens? heu divis visa sinistris
Regna mihi! quinam reditus? quæ me hospita tellus

Accipiet? quæ non primis prohibebit harenis?
Invidere dei, ne Phasidis arva remoti,
Et Scythicas populatus opes, hæc rursus adirem
Litora; neve tuos irem tunc ultor in hostes.
Fas tamen est conferre genas; fas iungere tecum
Pectora, et exsangues miscere amplexibus artus.
Vos, age, funereas ad litore volvite silvas,
Et socios lustrate rogos; date debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni.
Parte alia Clyte laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum;
Fatur et hæc: Primis coniux ereptus in annis
Cuncta trahis: necdum suboles, nec gaudia de te
Ulla mihi; quis mœsta tuos nunc, optime, casus
Perpeterer, tenui luctum solamine fallens.
Mygdonis arma patrem, funestaque prœlia nuper
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcana genetrix absumta sagitta:
Tu, mihi qui coniux pariter fraterque parensque
Solus, et e prima lueras spes una iuventa,
Deseris heu; totamque deus simul impulit urbem!
Ast ego non media te saltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus; aut ulla monentis
Verba tuli: quin et thalamis modo questa morari,
Heu talem tantique metus secura recepi?
Illam vix gemino mœrens cum Castore Pollux
Erigit hærentem, compressaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urguent
Certatim, decorantque pyras; et corpora mœsti
Summa locant: vadit sonipes cervice remissa;
Venatrix nec turba canum, pecudumque morantur:
Funereæ quæ cuique manus, quæ cura suorum,
Quæ fortuna fuit: medio rex aggere longe
Eminet; hunc crebrisquatiens singultibus ora
Adlevat Æsonides, celsoque reponit in ostro.
Dat pictas auro atque ardentes murice vestes,
Quas rapuit telis festina vocantibus austris
Hypsipyle: galeam dilectaque cingula regi
Inicit: ille, suam vultum conversus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet gestamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique sanguis,
Ipse decus regnique refert insigne paterni.
Inde, ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concussi tremuere rogi: ter inhorruit æther,
Luctificum clangente tuba: iecere supremo
Tum clamore faces: rerum labor omnis in auras
Solvitur, et celsis conlucent æquora flammis.
Scilicet hæc illo iuvenem populosque manebant
Tempore; Peliacis caderet cum montibus arbor:
Hoc volucrumque minæ, præsagaque fulmina longo
Acta mari tulerant: sed quis non prime refellat
Monstra deum, longosque sibi non auguret annos?
Iamque solutus honos cineri: iam passibus ægris
Dilapsæ cum prole nurus: tandemque quiescunt
Dissona pervigili planctu iuga: qualiter Arctos
Ad patrias avibus medio iam vere revectis
Memphis, et aprici statio silet annua Nili.
At non inde dies, neque iam magis aspera curis
Nox Minyas tanta cæsorum ab imagine solvit.
Bis Zephyri iam vela vocant: fiducia mœstis
Nulla viris: ægro adsidue mens carpitur æstu:
Necdum omnes lacrimas, atque omnia reddita cæsis
Iusta putant: patria ex oculis, acerque laborum
Pulsus amor; segnique iuvat frigescere luctu.
Ipse etiam Æsonides (quamquam tristissima rerum
Castiganda duci, vultuque premenda sereno)
Dulcibus indulget lacrimis, aperitque dolorem.
Tum secreta trahens Phœbeum ad litora Mopsum:
Quænam, ait, ista lues? aut quæ sententia divum?
Decretusne venit fato pavor? an sibi nectunt
Corda moras? cur iam immemores famæque laris
Angimur? aut pariet quemnam hæc ignavia fine
Dicam, ait, ac penitus causas labemque docebo
Mopsus; et astra tuens: Non si mortalia membr
Sortitusque breves, et parvi tempora fati
Perpetimur, socius superi quondam ignis Olym
Fas ideo miscere neces: ferroque morantes
Exigere hinc animas, rediturasque semina cœlo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur o
Ira manet, duratque dolor: cum deinde tremend
Ad solium venere Iovis, questuque nefandam
Edocuere necem; patet illis ianua leti;
Atque iterum remeare licet: comes una sororum
Additur, et pariter terras atque æquora lustra
Quisque suos sontes, inimicaque pectora pœnis
Implicat; et varia meritos formidine pulsant.
At quibus invito maduerunt sanguine dextræ,
Si fors sæva tulit miseros et proxima culpæ;
Hos variis mens ipsa modis agit: et sua carpunt
Facta viros resides: et iam nil amplius ausi,
In lacrimas, humilesque metus, ægramque fatis
Segnitiem: quos ecce vides: sed nostra requiret
Cura viam, memori iam pridem cognita vate.
Est procul, ad Stygiæ devexa silentia noctis,
Cimmerium domus, et superis incognita tellus,
Cæruleo tenebrosa situ: quo flammea numquam
Sol iuga, sidereos nec mittit Iuppiter annos:
Stant tacitæ frondes; immotaque silva comanti
Horret vertice iugo: specus umbrarumque meatus
Subter, et Oceani præceps fragor; arvaque nigr
Vasta metu: et subitæ post longa silentia voces.
Ensifer hic, atraque sedens in veste Celeneus,
Insontes errore luit: culpamque remittens,
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quæ danda forent lustramina cæsis,
Prodidit: ille volens Erebum terrasque retexit.
Ergo ubi puniceas oriens adscenderit undas;
Tu socios adhibere sacris, armentaque magnis
Bina deis: me iam cœtus accedere vestros
Haud fas interea; donec lustralia pernox
Vota fero: movet en gelidos Latonia currus.
Flecte gradum; placitis sileant, age, litora cœpt
Iamque sopor mediis tellurem presserat horis,
Et circum tacito volitabant somnia mundo:
Cum vigil arcani speculatus tempora sacri
Ampycides, petit adversis Æsepia silvis
Flumina, et æquoreas pariter decurrit ad undas
Hic sale purpureo, vivaque nitentis lympha
Membra novat; æque horrificis adcommodat ac
Tempora tum vittis et supplice castus oliva
Implicat, et stricto designat litora ferro:
Circum humiles aras, ignotaque nomina divum
Instituit; silvaque super contristat opace.
Utque metum numenque loco, sacramque quiet
Addidit; ardenti nitidum iubar evocat alto.
Atque Argoa manus variis insignis in armis
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hic longe candenti veste sacerdos
Occurrit, remoque vocat: iamque ipse recenti
Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro
Ducit et ad fluvios, ac vincula solvere monstrat
Prima pedum; glaucasque comis prætexere fron
Imperat: hinc alte Phœbi surgentis ad orbem
Ferre manus, totisque simul procumbere campis
Tunc piceæ mactantur oves; prosectaque partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon
Ter tacitos egere gradus; ter tristia tegens
Arma simul vestesque virum, lustramina ponto

Pone iacit: rapidis adolentur cetera flammis.
Quin etiam truncos nemorum effigiesque virorum
Rite locat quercus; simulataque subligat arma.
Huc Stygias transire minas, iramque severi
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas:
Atque ita lustrifico cantu vocat: Ite peremti,
Ac memores abolete animas; sint utia vobis,
Sit Stygiæ iam sedis amor: procul agmine nostro,
Et procul est mari: cunctisque absistite bellis.
Vos ego nec Graias umquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim; pecorique satisque
Nullæ ideo pestes, nec luctifer ingruat annus:
Nec populi, nostrive luant ea facta minores.
Dixerat: et summas frondentibus intulit arie,
Libavitque dapes; placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.
Continuo puppim petere, et considere transtris
Imperat Ampycides; nec visum vertere terræ:
Exciderint quæ gesta manu, quæ debita fatis.
Illi alacres pars arma locant, pars ardua celsis
Insternunt tabulata foris: oriturque trementum
Remorum sonus, et lætæ concordia vocis.
Iuppiter arguentem ceu summa Ceraunia nubem
Cum pepulit, movitque iugis; fulsere repente
Et nemora et scopuli, nitidusque reducitur æther.
Sic animi rediere viris: iamque ipse magister
Nutat ab arce ratis, remisque obsistere tendit.
Instaurant primi certamina, liber amictu
Eurytus, et dictis Talai non territus Idas:
Inde alii increpitant; atque æquora pectore tollunt.
Par gemitu pulsuque labor: versumque vicissim
Mittitur in puppim remo mare: lætus et ipse
Alcides: Quisnam hos vocat in certamina fluctus?
Dixit: et, intortis adsurgens arduus undis,
Percussit subito deceptum fragmine pectus:
Atque in terga ruens, Talaum, fortemque Eribotem,
Et longe tantæ securum Amphiona motis
Obruit; inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.
Iam summas cœli Phœbus candentior arces
Vicerat, et longas medius revocaverat umbras.
Tardior hinc cessante viro, quæ proxima Tiphys
Litora, quosque dabat densos trabe Mysia montes,
Advehitur: petit excelsas Tirynthius ornos:
Hæret Hylas lateri, passusque moratur iniquos.
Illum ubi Iuno, poli summo de vertice, puppim
Deseruisse videt; tempus rata dive nocendi;
Pallada consortem curis cursusque regentem
(Ne qua inde inceptis fieret mora) fallere prima
Molitur; caroque dolis evertere fratri.
Tunc sic adloquitur: Procerum vi pulsus iniqua,
Germanique manu (repetis quo crimine) Perses:
Barbaricas iam movit opes Hyrcanaque signa:
Æetes contra thalamis et virgine pacta
Conciliat reges Scythicos, primusque coacta
Advehit Albana Styrus gener agmina porta.
Bellum ingens: atque ipse citis Gradivus habenis
Fundit equos: viden Arctoo de carcere quantæ
Tollat se nubes, atque æquore pendeat atro?
Corripe prima vias; finemque cum Phasidis alti
Transierit Perses, aciemque admoverit urbi,
Cœpta refer; paullumque nefas et fœdera necte,
Consiliis atque arte tua: sponde, adfore reges
Dis genitos, quis arma volens, quis agmina iungat.
At virgo, quamquam insidias æstusque novercæ
Sentiat, et blandos quærentem fingere vultus,
Obsequitur tamen, et iussas petit ocius oras.
Ingemuit Iuno, tandemque silentia rumpit:
En labor; en odiis caput insuperabile nostris.
Quam Nemeam tot fessa minis, quæ prœlia Lernæ
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
Nempe virum, et pulchro reserantem Pergama ponto
Vidimus: en ego nunc regum soror: et mihi gentis
Ullus honos? iam tum indecores, iustæque dolorum
Primitiæ, et tenero superati protinus angues.
Debueram nullos iuveni iam quærere casus,
Victa nec ad tales forsan descendere pugnas:
Verum animis insiste tuis; astumque per omnem
Tende pudor: mox et Furias Ditemque movebo.
Hæc ait; et pariter lævi iuga pinea montis
Respicit, ac pulchro venantes agmine Nymphas,
Undarum nemorumque decus: levis omnibus arcus,
Et manicæ virides, et stricta myrtus avena;
Summo palla genu, tenui vagus innatat unda
Crinis, ad obscuræ decurrens cingula mammæ.
Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum
Personat, et teneris submittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
Cum fugerent iam tela feræ, processerat ultra
Turbatum visura nemus; fontemque petebat
Rursus, et attonitos referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapsa polo, piceæque adclinis opacæ
Iuno vocat, prensaque manu sic blanda profatur:
Quem tibi coniugio tot dedignata dicavi
Nympha procos, en Hæmonia puer adpulit alno,
Clarus Hylas; saltusque tuos, fontesque pererrat.
Vidisti, roseis hæc per loca Bacchus habenis
Cum domitas acies; et Eoi fercula regni
Duceret: ac rursus thiasos et sacra moventem
Hunc tibi, vel posito venantem pectine Phœbum,
Crede dari: quæ spes Nymphis aufertur Achæis!
Præreptum quanto proles Bœbeia questu
Audiet, et flavi quam tristia nata Lycormæ!
Sic ait; et celerem frondosa per avia cervum
Suscitat; ac iuveni sublimem cornibus offert.
Ille animos tardusque fugæ longumque resistens
Sollicitat, suadetque pari contendere cursu.
Credit Hylas; prædæque ferox ardore propinquæ
Insequitur: simul Alcides hortatibus urguet
Prospiciens; iamque ex oculis aufertur uterque.
Cum puerum instantem quadrupes fessaque minantem
Tela manu, procul ad nitidi spiracula fontis
Ducit, et intactas levis ipse superfugit undas.
Hoc pueri spes lusa modo est, nec tendere certat
Amplius: utque artus et concita pectora sudor
Diluerat; gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia cœlo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi:
Tale iubar diffundit aquis; nil umbra, comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ.
Illa avidas iniecta manus, heu sera cientem
Auxilia, et magni referentem nomen amici,
Detrahit: adiutæ prono nam pondere vires.
Iam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque iugi stridore revulsas
Terga super fulvi porrexerat horrida monstri
Litora curva petens: alio nam calle reversum
Credit Hylan, captaque dapes auxisse ferina.
Sed neque apud socios, structasque in litore mensas
Unanimum videt æger Hylan; nec longius acrem
Intendens aciem: varios hinc excitat æstus,
Nube mali percussus amor: quibus hæserit oris;
Quis tales inpune moras casusve laborve
Attulerit: densam interea descendere noctem
Iam maiore metu: tum vero et pallor et amens
Cum piceo sudore rigor: ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Iovis agricolisve;
Cum coit umbra minax: comitia sic adficit error
Alciden, sævaque monet meminisse novercæ,

Continuo, volucri ceu pectora tactus asylo,
Emicuit Calabris taurus per confraga septis,
Obvia quæque ruens: tali se concitat ardens
In iuga senta fuga: pavet omnis conscia late
Silva; pavent montes; luctu succensus acerbo
Quid struat Alcides, tantaque quid adparet ira.
Ille velut refugi quem contigit inproba Mauri
Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur,
Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem;
Sic Furiis accensa gerens Tirynthius ora
Fertur; et intento decurrit montibus arcu.
Heu miseræ, quibus ille, feræ, quibus incidit usquam
Inmeritis per lustra viris! volat ordine nullo
Cuncta petens; nunc ad ripas, deiectaque saxa
Flumina; nunc notas nemorum procurrit ad umbras:
Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat
Avia: responsant silvæ, et vaga certat imago.
At sociis inmota fides, austrisque secundis (æque
Certa moræ: nec parvus Hylas: quamquam omnibus
Grata rudimenta, Herculeo sub nomine pendent.
Illum omnes lacrimis, mœstisque reposcere votis;
Incertique metu, nunc longas litore voces
Spargere: nunc seris ostendere noctibus ignes.
Ipse, vel excelsi cum densa silentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis,
Stat lacrimans; magnoque viri cunctatur amore
Illius incessus, habilemque ad terga pharetram;
Illum inter proceres, mœstæq; silentia mensæ (tem
Quærit inops, quoudam ingenti conprensa trahen-
Vina manu, et duræ referentem monstra novercæ:
Nec minus interea crudelia Iapyga Iuno
Adsidue movet, et primis cum solibus offert.
Iamque moræ inpatiens, cunctantes increpat ausus
Tiphys; et oblato monet otia rumpere cursu.
Ergo animum flexus dictis instantis Iason
Concedit; sociosque simul sic fatur ad omnes:
O utinam, Scythicis struerem cum funera terris,
Vox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes;
Agmine de tanto, socius qui maximus armis
Adforet, hunc Iovis imperiis fatoque teneri,
Ante procellosum scopulis errantibus æquor.
Nec dum fama viri, nec certior exstitit auctor.
Verum agite, et dubiis variant quia pectora curis,
Consulite: et, motis seu vos via flatibus urguet;
Pergite, et inceptos mecum revocate labores:
Seu plures tolerare moras, rursusque propinquis
Quæsivisse iugis; pretium haud leve temporis acti.
Dixerat: at studiis iamdudum freta iuventus
Orat inire vias: unum tanto afore cœtu;
Nec minus in sese generis, dextrasque potentes
Esse ferunt: tali mentem pars maxima flatu
Erigit, et vana gliscunt præcordia lingua.
Saltibus ut mediis tum demum læta reducit
Cerva gregem; tum gestit aper, reboatque superbis
Comminus ursa lupis; cum sese Martia tigris
Abstulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.
At pius ingenti Telamon iam fluctuat ira
Cum fremitu, sævisque furens in iurgia dictis
Insequitur, magnoque inplorat numina questu.
Idem orans prensatque viros, demissaque supplex
Hæret ad ora ducis; nil se super Hercule fari,
Sed socio quocumq; gemens: quamquam aspera fama
Iam loca, iamque feras per barbara litora gentes;
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Posse dari: rursum instimulat, ducitque faventes
Magnanimus Calydone satus; potioribus ille
Deteriora fovens, semperque inversa tueri
Durus, et haud ullis umquam superabilis æquis,
Rectorumve memor. Non Herculis, inquit, ademti
Sed tuus in seros hæc nostra silentia questus
Traxit honor; dum iura dares, dum tempora fandi
Septimus hic celsis descendit montibus auster,
Iamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris:
Nos patriæ inmemores, maneant ceu nulla revectos
Gaudia, sed duro sævæ sub rege Mycenæ,
Ad medium cunctamur iter: si finibus ullis
Has tolerare moras, et inania tempora possem;
Regna hodie, et dulcem sceptris Calydona tenerem,
Lætus opum pacisque meæ: tutusque manerem,
Quis genitor materque, locis: quid deside terra
Hæremus? vacuos cur lassant æquora visus?
Tun' comitem Alciden ad Phasidis amplius arva
Adfore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
Non ea fax odiis; oblitaque numine fessu
Iuno sui, nova Tartareo, fors, semine monstra,
Atque iterum Inachiis iam nuntius urguet ab Argis.
Non datur hæc magni proles Iovis; at tibi Pollux
Stirpe pares Castorque manent, at cetera divum
Progenies, nec parva mihi fiducia gentis.
Ast ego mat quæcumque voces, quæ tegmine ferro
Plura metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
Sanguine erit: iamque hinc, operum quæ maxima,
Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis (posco.
Nostra salus? nempe ora æque mortalia cuncti
Ecce gerunt: ibunt æquo nempe ordine remi.
Ille, vel insano iam dudum turbidus æstu,
Vel parta iam laude tumens, consortia famæ
Despicit, ac nostris ferri comes abnuit actis.
Vos, quibus et virtus, et spes in limine primo,
Tendite; dum rerum patiens calor, et rude membris
Robur inest: nec enim solis dare funera Colchis
Sit satis, et tota pelagus lustrasse iuventa.
Spes mihi, quæ tali potuit longissima casu
Esse, fuit: quicumque virum perquirere silvis
Egit amor: loca vociferans non ulla reliqui.
Nunc quoque, dum vario nutat sententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrimis comitique datum; quem sortibus ævi
Crede, vel in mediæ raptum tibi sanguine pugnæ.
Talibus Oenides urguet: simul incita dictis
Heroum manus: ante omnes Argon iubebat
Vincla rapi Calais: furias miratur ovantum
Æacides: multusque viri cunctantia corda
Fert dolor; an sese comitem tam tristibus actis
Abneget, et celsi mœrens petat ardua montis.
Non tamen et gemitus, et inanes desinit iras
Fundere: Quis terris, pro Iuppiter, inquit, Achais
Iste dies! sævi capient quæ gaudia Colchi!
Non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
Litore cum patrio, iam vela petentibus austris,
Cunctus ad Alciden versus favor: ipse iuvaret,
Ipse ducis curas, meritosque subiret honores.
Iamne animis, iam gente pares, atque inclita vulgi
Dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles,
Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones!
Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Quæ neque iam frondes, virides nec proferet umbras
Ut semel est evulsa iugis, ac matre peremta
Fida ministeria, et duras obit horrida pugnas,
Testor: et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
Sæpe metu, sæpe in tenui discrimine rerum,
Herculeas iam serus opes, spretique vocabis
Arma viri: nec nos tumida hæc tum dicta iuvabunt.
Talibus Æacides socios terroribus urguens
Inlacrimat; multaque comas deformat harena.
Fata trahunt: raptusque virum certamine ductor
Ibat, et obtenta mulcebat lumina palla.

Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu:
Ut socii sedere locis, nullæque leonis
Exuviæ; tantique vacant vestigia transtri:
Flet pius Æacides: mœrent Phæantia corda:
Ingemit et dulci frater cum Castore Pollux.
Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carina,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
Dat procul interea toto pater æquore signum
Phorcys; et immanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens: simul et Massylus, et una
Lyctius, et Calabris redit armentarius arvis:
Ilicet extremi nox litore Solis Hiberas
Condidit alta domos, et sidera sustulit astris.
Flamina conticuere; iacet sine fluctibus æquor.
Amphitryoniades, nec quæ nova lustra requirat,
Nec quo tentet iter, comitis nec fata peremti
Quæ referat, videt, aut socios qua mente revisat.
Urit amor, solisque negat decedere silvis.
Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ
*Terga dedit; sedet inde viis: inclusaque longo
*Pervigilant castella metu: dolor attrahit orbes
Interea, et misero manat iuba sordida luctu.

Liber quartus

ATQUE ea non oculis divum pater amplius æquis
Sustinuit: natique pios miseratus amores,
Iunonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
Ut nova nunc tacito sub pectore gaudia tollunt!
Hæret inops, solusque furit Tirynthius oris.
At comite immemores Minyæ facilesque relicto
Alta tenent: sic Iuno ducem fovet anxia curis
Æsonium, sic arma, viros, sociosque ministrat.
Iam, quibus incertam bellis, Scythicæque paventem
Gentis opes, quanta trepidam formidine cernam! Tum precibus, tum me lacrimis, et supplice dextra
Attentare veto, rerum mihi firma potestas.
I, Furias Veneremque move: dabit impia pœnas
Virgo, nec Æetæ gemitus patiemur inultos.
Dixit, et arcano redolentem nectare rorem,
Quem penes alta quies, liquidique potentia somni,
Detulit, inque vagi libavit tempora nati.
Ille graves oculos, et Hylan resonantia semper
Ora ferens, et nulla deum superare potestas,
Procumbit: tandem fessis pax reddita silvis:
Fluminaque, et vacuis auditæ montibus auræ.
Ecce, puer summo se tollere visus ab unda
Frondibus in croceis, et iniquæ munere Nymphæ;
Stansque super carum tales caput edere voces:
Quid, pater, in vanos absumis tempora questus?
Hoc nemus, hæc fatis mihi iam domus: improba quo
Nympha rapit, sævæ monitu Iunonis; inanes (me
Nunc Iovis accessus; et iam mihi limina cœli
Conciliat: iungitque preces et fontis honores.
O dolor! o dulces, quas gessimus ante, pharetræ!
Iam socii lætis rapuerunt vincula ventis;
Hortator postquam furiis et voce nefanda
Impulit Œnides: verum cum gente domoque
Ista luet; sævæque aderunt tua numina matri.
Surge, age, et in duris haud umquam defice; cœlo
Mox aderis; teque astra ferent: tu semper amoris
Sis memor, et cari comitis ne abscedat imago.
Talibus orantem dictis, visuque fruentem,
Ille ultro petit; et vacuis amplexibus instat:
Languentisque movet frustra conamina dextræ.
Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra;
Tum lacrimis, tum voce sequi; tum rumpere questus;
Cum sopor, et vano spes mœsta resolvitur actu.
Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
Cum rapit Halcyones miseræ fetumque laremque;
It super ægra parens; queriturque, tumentibus undis,
Certa sequi, quocumque ferant; audetque, pavetque;
Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est:
Illa dolens vocem dedit, et se sustulit alis.
Haud aliter somni mœstus labor: exsilit amens,
Effusisque genas lacrimis rigat: Ibimus, inquit;
Solos et hos montes desertaque lustra tenebis,
Care puer? nec res ultra mirabere nostras?
Hæc fatus relegitque vias, et vallibus exit,
Incertus quid Iuno ferat, quas adparet iras.
Nec minus et socios cernit procul æquore ferri
Præcipites! tacitumque pudet potuisse relinqui.
Iamque iter ad Teucros, atque hospita mœnia Troiæ
Flexerat; Iliaci repetens promissa Tyranni:
Cum mœsto Latona simul Dianaque vultu
Ante Iovem stetit; et supplex sic fatur Apollo:
In quem alium Alciden, in quæ iam tempora differs
Caucasium, rex magne, senem? nullumne malorum
Finem adeo pœnæque dabis? te cuncta precantur
Gens hominum; atq; ipsi iam te, pater optime, mon-
Fessaque cum silvis orant iuga: sat tibi furtum (tes,
Ignis, et ætheriæ defensa silentia mensæ.
*Exit ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis: ipsum etiam gemitu mœstaque fatigat
Voce Iovem, sævis relevans ambusta pruinis
Lumina: congeminant amnes rupesque fragorem
Caucasiæ: stupet ipse dei clamoribus ales:
Tunc etiam superas Acheronte auditur ad arces
Iapetus gravis: orantem procul arcet Erinnys,
Respiciens celsi legem Iovis: ille, deorum
Fletibus et magno Phœbi commotus honore,
Velocem roseis demittit nubibus Irim:
I, Phrygas Alcides, et Troiæ differat arma!
Nunc, ait, eripiat diræ Titana volucri.
Diva volat, defertque viro celeranda parentis
Imperia, atque alacrem lætis hortatibus implet.
Iam Minyæ mediis claræ per sidera noctis
Fluctibus intulerant placido cava lintea cursu:
Multaque deserto memores super Hercule volvunt.
Thracius at summa sociis e puppe sacerdos,
Fata deum, et, miseræ solans incommoda vitæ,
Securum numeris agit et medicabile carmen:
Quo simul adsumta pulsus fide luctus, et iræ,
Et labor, et dulces cedunt e pectore nati.
Interea, magni iamiam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum iubar et bisseno sidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde super terras et Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem candentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flamina Phœbo.
Proxima Bebrycii panduntur litora regni;
Pingue solum, et duris regio non invida tauris.
Rex Amicus: regis fatis et numine freti
Non muris cinxere domos; non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut iura tenentia mentes,
Quales Ætnæis rabidi Cyclopes in antris
Nocte sub hiberna servant freta; sicubi sævis
Advectet ratis acta Notis tibi pabula dira,
Et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in omnes
Prospiciunt, cursantque vias, qui corpora regi
Capta trahant: ea Neptuno trux ipse parenti
Sacrifici pro rupe iugi, media æquora supra,
Torquet agens: sin forma viris præstantior adsit;
Tum legere arma iubet, sumtisque occurrere contra
Cæstibus: hæc miseri sors est æquissima leti.
Huc ubi devectam Neptunus gurgite puppim

Sensit; et extremum nati prospexit in oras,
Et quondam lætos domini certamine campos;
Ingemit, ac tales evolvit pectore questus:
Infelix, imas quondam mihi rapta sub undas,
Nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti:
Usque adeone meam quacumq; ab origine prolem
Tristia fata manent? sic te olim pergere sensi,
Iuppiter, iniustæ quando mihi virginis armis
Concidit infelix, et nunc chaos implet, Orion.
Nec tibi nunc virtus, aut det fiducia nostri,
Nate, animos: opibusque ultra ne crede paternis.
Iamiam aliæ vires maioraque sanguine nostro
Vincunt fata Iovis; potior cui cura suorum est.
Atque adeo, neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem: nec iam mora morti
Hinc erit ulla tuæ: preme dure, secundos.
Abstulit inde oculos, natumque at tristia linquens
Prælia, sanguineo terras pater adluit æstu.
Principio fluvios, gentemque, et litora ductor
Explorare iubet: paullumque egressus Echion,
Invenit obscura gemitus in valle trahentem
Clam iuvenem; et cæsi mœrentem nomen amici.
Ille, virum ut contra venientem, umbrataque vidit
Tempora Parrhasio patris de more galero,
Paciferæque manu nequicquam insignia virgæ,
Heu fuge, ait, certo quicumque es, perdite, passu,
Dum datur: obstupuit visu Nonacria proles,
Quid ferat admirans: postquam remeare monentem
Ocius, et dictis perstantem cernit in isdem;
Abripit, et sociis, quæ sint ea, promere cogit.
Ille manum tendens, Non hæc, ait, hospita vobis
Terra, viri; non hic ullos reverentia ritus
Pectora: mors habitat, sævæque hoc litore pugnæ.
Iam veniet diros Amycus qui tollere cæstus
Imperet, et vasto qui vertice nubila pulset.
Talis in advectos Neptuni credita proles
Æternum furit: atque æquæ virtutis egentes,
Ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros,
Constituit: tandem ut misero lavet arma cerebro.
Consulite, atque fugæ medium ne temnite tempus.
Namque isti frustra quisnam concurrere monstro
Audeat? et quænam talem vidisse voluptas?
Ductor ad hæc: Bebrycæne venis, diversaque regi
Corda gerens? (melior vulgi nam sæpe voluntas.)
Hostis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus cæstu nondum obruit ora?
Nomen, ait, prædulce mihi, nomenque secutus
Otreos unanimi: decus ille, et læta suorum
Gloria, nec vestros comes aspernandus in actus,
Hesionam at Phrygiæ peterat cum gaudia nuptæ,
Hic Amycum contra iussus statit: atque ego palmas
Implicui: sed prima procul vix dum ora levantis
Fulminea frontem dextra disiectaque fudit
Lumina, me numquam leto dignatus et armis.
Sed lacrimis potius luctuque absumor inerti.
Spes tamen, his fando si nuntius astitit oris,
Et Mariandynum patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fraterque viro: sed et ille quierit
Oro; nec a vanis cladem Lycus augeat armis.
Hæc ubi non ulla iuvenes formidine moti
Accipiunt: dolor et duras insurgere mentes,
Terga sequi, properosque iubet coniungere gressus.
Litore in extremo spelunca adparuit ingens,
Arboribus super et dorso contecta minanti;
Non quæ dona deum, non quæ trahat ætheris ignem;
Infelix domus, et sonitu tremebunda profundi;
Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, strictoque immortua cæstu,
Ossaque tetra situ; et capitum mœstissimus ordo.
Respicias, quibus adverso sub vulnere nulla
Iam facies, nec nomen erat: media ipsius arma
Sacra metu, magnique aris imposta parentis.
Hospitis hic primum monitus redire Timantis;
Et pavor, et monstri subiit absentis imago:
Atque oculos cuncti inter se tenuere silentes.
Donec sidereo Pollux interritus ore,
Tu tamen hæc, quicumque es, ait, formidine saxa
Iam tua silva ferat; modo sint tibi sanguis et artus.
Omnibus idem animus forti decernere pugna;
Exoptantque virum, contraque occurrere poscunt.
Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulsa
Pone subit: iamque et mediis procedit ab undis.
At procul e silvis sese gregibusque ferebat
Sævus in antra gigas: quem nec sua turba tuendo
It tanti secura metus: mortalia nusquam
Signa manent: instar scopoli, qui montibus altis
Summus abit, longeque iugo stat solus ab omni:
Devolat inde furens; nec quo via, curve profecti,
Nec genus ante rogat; sed tali protonat ira:
Incipite, o iuvenes, etenim fiducia, credo,
Huc tulit; auditas et sponte lacessitis oras.
Sin errore viæ, nec dum mens gnara locorum;
Hic mihi lex, cæstus adversaque tollere contra
Brachia: sic ingens Asiæ plaga, quique per Arctos
Dexter et in lævum Pontus iacet, hæc mea visunt
Hospitia: hoc cuncti remeant certamine reges.
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles.
Iam pridem cæstus resides, et frigida raris
Dentibus eret humus: qui mecum fœdera iunget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem
Ibit honos: fuga sub terras, fuga nulla per auras.
Nec lacrimæ, nec forte preces, superive vocati
Pectora nostra movent: aliis rex Iuppiter oris.
Faxo Bebrycium nequeat transcendere puppis
Ulla fretum, et ponto volitet Symplegas inani.
Talia dicta dabat: cum protinus asper Iason,
Et simul Æacidæ, simul et Calydonis alumni,
Nelidesque, Idasque prior, quæ maxima surgunt
Nomina: sed nudo steterat iam pectore Pollux.
Cum pavor, at gelidus defixit Castora sanguis.
Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis;
Nec sonat Oebaliæ caveæ favor, aut iuga nota
Taygeti; lavitur patrios ubi victor ad amnes:
Nec pretium sonipes aut sacræ taurus harenæ;
Præmia sed manes, reclusaque ianua leti. (dum
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremen-
Vixdum etiam primæ spargentem signa iuventæ
Ore renidenti, lustrans obit; et fremit ausum:
Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes.
Non aliter iam regna poli, iam capta Tiphoeus
Astra ferens; Bacchum ante acies, primamq; deorum
Pallada, et oppositos doluit sibi virginis angues.
Sic adeo insequitur, rabidoque ita murmure terret:
Quisquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchrum
Mauserit hoc ultra frontis decus: orave matri
Nota feres: tune e sociis electus in quis?
Tune Amyci moriere manu? nec plura moratus,
Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa
Protulit, horrendosque toris informibus artus.
Deficiunt visu Minyæ: miratur et ipse
Tyndarides: redit Alcidæ iam sera cupido:
Et vacuos mœsto lustrarant lumine montes.
At satus æquoreo fatur tunc talia rege:
Aspice et hæc crudis durata volumina tauris,
Nec pete fortis opem; sed, quos potes, indue cæstus.
Dixit, et arguentis post sera piacula fati

[...]esclus, extremum hoc, ermis innectere palmas
[D]at famulis; dat et inde Lacon: odia aspera surgunt
[C]ognitis prius; atque incensa mente feruntur
[I]n medium sanguis Iovia et Neptunia proles.
[H]inc illinc dubiis intenta silentia votis.
[E]t pater orantes cæsorum Tartarus umbras
[N]ube cava tandem ad meritæ spectacula pugnæ
[E]mittit: summi nigrescunt culmina montis.
[C]ontinuo Bebryx, Maleæ velut arce fragosa
[T]urbo rapax, vix ora virum, vix tollere passus
[B]rachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
[C]ursibus involvens: totaque immanis harena
[I]nsequitur: vigil ille metu, cum pectore et armis
[H]uc alternus et huc, semper cervice reducta,
[S]emper et in digitis, et summi pulvere campi,
[P]roiectusque redit, spumanti qualis in alto
[P]hade capta ratis, trepidi quam sola magistri
[C]ura tenet, rapidum ventis certantibus æquor
[I]ntemerata secat. Pollux sic providus ictus
[S]ervat, et Œbalia dubium caput eripit arte.
[U]t deinde urguentes effudit nubibus iras
[A]rdoremque viri, paullatim insurgere fesso
[I]nteger, et summos manibus deducere castus.
[I]lle dies ægros Amyci sudoribus artus
[P]rimus, et arenti cunctantem vidit hiatu.
Nec sua defessum noscunt loca, nec sua regem
Agmina: respirant ambo, paullumque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipso
Dum refovet, fixaque silet Gradivus in hasta.
Vix steterant, et iam ecce ruunt: inflictaque late
Terga sonant: nove visiterum, nova corpora surgunt.
Hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste
Instimulat: fumant crebro præcordia pulsu.
Avia responsant gemitu iuga. pervigil ut cum
Artificum notat ipe manus, et fulmina Cyclops
Prosubigit; pulsis strepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextramque parat, dextramq; minatur
Tyndarides: redit huc oculis et pondere Bebryx,
Sic ratus: ille autem celeri rapit ora sinistra.
Conclamant socii, et subitas dant gaudia voces.
Illum insperata turbatum fraude, furentemque
Oebalides prima refugit, dum detonet, ira,
Territus ipse etiam, atque ingentis conscius ensi.
Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese
Præcipitans; avidusque viri (respectat ovantes
Quippe procul Minyas) cæstu velatus utroque
Inruit: hos inter Pollux subit, et trucis ultro
Advolat ora viri: nec spes effœta; sed ambæ
In pectus cecidere manus; hoc sævior ille,
Ecce iterum vacuas agit inconsulta per auras
Brachia: sentit enim Pollux rationie egentem:
Dat genibus iunctis latus, effusumque secutus
Haud revocare gradus patitur; turbatque, premitque
Ancipitem; crebros et liber congerit ictus
Desuper averso: sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis: iam tempora manant,
Sanguineæque latent aures: vitalia donec
Vincula, qua primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis: labentem propulit heros,
Ac super insistens; Pollux ego missus Amyclis,
Et Iove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes; sic et memori noscere sepulcro.
Bebrycas extemplo spargit fuga; nullus ademti
Regis amor: montem celeres silvamque capessunt.
Hæc fera, hæc Amycum tandem manus arguit ausi,
Effera servantem Ponti loca; vimque iuventæ
Continuam, et magni sperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat: annosi veluti si decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos; qua mole iacentis
Ipse etiam expleri victor nequit; uraque longo
Comminus obtutu mirans tenet; at manus omnis
Heroum densi certatim amplexibus urguent:
Armaque ferre iuvat, fessasque attollere palmas.
Salve vera Iovis, vera o Iovis, undique, proles,
Ingeminant; o magnanimis memoranda palæstris
Taygeta, et primi felix labor ille magistri!
Dumque ea dicta ferunt; tenues tamen ire cruores
Siderea de fronte vident: nec sanguine Pollux
Territus, averso siccabat vulnera cæstu.
Illius excelsum ramis caput, ermaque Castor
Implicat, et viridi connectit tempora lauro:
Respiciensque ratem, Patriis, ait, has precor oris,
Diva, refer frondes, cumque hac freta curre corona.
Dixerat: hinc valida cædunt armenta bipenni;
Perfusique sacro placati gurgitis amne
Graminea sternuntur humo: tunc liba dapesque
Frontibus adcumulant: exsortia terga Laconi
Præcipiunt pecudum: toto mox tempore mensæ
Lætus ovat nunc laude virum, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti.
Iamque dies auræque vocant: rursusque capessunt
Æquora, qua rigidos eructat Bosporos amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
Transierat fluctus; unde hæc data nomina ponto.
Tum pius Œagri claro de sanguine vates,
Admonita genetrice, refert casusque locorum,
Inachidosque vias, pelagusque amensa iuvencæ
Exsilia; intentisque canit: Videre priores
Sæpe Iovem, terras Argivaque regna Pelasgum
Virginis Iasiæ blandos descendere ad ignes.
Sentit Iuno dolos, curaque accensa iugali
Æthere desiluit: dominam Lyrceia tellus,
Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ.
Cum trepida Inachiæ pellex subit ora iuvencæ,
Sponte dei: plausu fovet hanc, et pectora mulcet
Iuno, renidenti cohibens suspiria vultu.
Mox ita adorta Iovem: Da, quam modo ditibus Argis
Campus alit, primæ referentem cornua Phœbes,
Indomitamque bovem, da caræ munera nuptæ.
Ipsa ego dilectæ pecudi iam pascua digna,
Præcipuosque legam fontes: qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuisset Iuppiter astus?
Muneris illa potens custodem protinus Argum
Adiungit: custos Argus placet: inscia somni
Lumina non aliter toto cui vertice; quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro.
Argus et in scopulos, et monstris horrida lustra,
Ignotas iubet ire vias; heu multa morantem,
Conantemque preces inclusaque pectore verba.
Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.
Flevit Amymone, flerunt Messeides undæ,
Flevit et effusis revocans Hyperia lacertis.
Illa, ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
Vel rueret summo iam frigidus æthere vesper,
Heu quoties saxo posuit latus! aut ubi longa
Ægra siti; quos ore lacus, quæ pabula carpsit!
Verbere candentes quoties exhorruit armos!
Quin et ab excelso meditantem vertice saltus,
Audentemque mori, velles citus egit in imae
Argus; et arbitrio durus servavit herili.
Cum subito Arcadiu sonuit cava fistula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, ut leni modulatur carmen avena.
Quoque, ait, hinc diversus abis? heu respice cantus.
Haud procul insectens Argum, languentia somno
Lumina cuncta notat, dulcesque sequentia somnos:
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.

Iamque refecta Iovi, paullatim in imagine prisca
Ibat agris Io victrix Iunonis; at ecce
Cum facibus spirisque et Tartareo ululatu
Tisiphonen videt: ac primo vestigia visu
Figit; et in miseræ rursus bovis ora recurrit;
Nec qua valle memor, nec quo se vertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, et a prima quantum mutata iuvenca!
Nec pater, aut trepidæ tentant accedere Nymphæ.
Ergo iterum silvas, iterum petit invia retro,
Ceu Styga, dilectum fugiens caput: inde per urbes
Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis;
Obluta donec paullum cunctata profundo
Incidit: absistunt fluctus, et gnara futuri
Dant pavidæ alta viam: celsis procul ipsa refulget
Cornibus, ac summa palearia sustinet unda.
Ast Ereli virgo ditem volat æthere Memphim
Præcipere, et Pharia venientem pellere terra.
Contra Nilus adest; et toto gurgite torrens
Tisiphonen agit, atque imis inlidit harenis,
Ditis opem ac sævi clamantem numina regni.
Adparent sparsæque faces, disiectaque longe
Verbera, et abruptis excussi crinibus hydri.
Nec Iovis interea cessat manus: intonat alto
Ius urgens cœlo genitor, curamque fatetur:
Atque ipsa imperium Iuno pavet: hæc procul Io
Spectat ab arce poli, iam divis addita, iamque
Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro.
Bosporon hinc veteres errantes nomine divæ
Vulgavere: iuvet nostros nunc ipsa labores,
Iunonisque ratem sua per freta provehat Euris.
Dixerat: et placidi tendebant carbasa venti.
Postera non cassæ Minyis Aurora retexit
Noctis iter; nova cuncta vident; Thynnæaque iuxta
Litora, fatidici pœnis horrentia Phinei.
Dira deum summoque lues urguebat in ævo.
Quippe neque exturrem tantum, nec lucis egentem,
Insuper Harpyiæ Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant, ipsaque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, et tales pro crimine pœnas
Perpetitur: spes una seni; quod pellere sævam
Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis.
Ergo ubi iam Minyas, certamque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas:
Vestigatque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem spirans animam: Salve, o mihi longum
Exspectata manus, nostrisque, sit, agnita votis.
Novimus, et divis geniti quibus, et via iussos
Qua ferat: ac vestri (rebar sic) tempora cursus
Proxima, quæq; legens; quantum Vulcania Lemnos
Traxerit; infetis tulerit quæ Cyzicus arma.
Sensi et Bebrycio supremam in litore pugnam
Iam propior, iamque hoc animum solamine mulcens.
Non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
Aut memorem, mea quod vates insedit Apollo
Pectora; præsentis potius miserescite fati.
Nec mihi diversis erratum casibus orbem,
Amissas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina: consuetis serum est ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiæ semper mea pabula servant,
Fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus,
(Iamque alis procul, et sonitu mihi nota Celæno)
Diripiunt verruntque dapes, fœdataque turbant
Pocula; sævit odor; surgitque miserrima pugna:
Parque mihi monstrisq; fames; sprevere quod omnes
Pollueruntque manus, quodque unguibus excidit a-
Hæc mihi fert in luce moras: nec rumpere fata (tis,
te licet: trahitur victu crudelis egestas.
Sed vos o servate precor; (prædicta deorum
Si non falsa mihi) vos finem inponite pœnis. (les,
Nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia pro-
Non externa mihi: nam rex ego divitis Hebri,
Iunctaque vestra meo quondam Cleopatra cubili.
Nomen ad Actææ Calais Zetesque sororis
Prosiliunt. Zetesque prior; Quem cernimus, inquit,
Tune ille Odrysiæ Phineus rex inclytus oræ?
Tu Phœbi comes, et nostro dilecte parenti?
O ubi nunc regni, generisque ubi gloria? quam te
Exedit labor, et miseris festina senectus!
Quin age mitte preces; namque est tibi nostra vo-
Si non ira deum, vel si placabilis urguet. (luntas;
Sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas:
Teque, ait, iniusti, quæ nunc premis, ira Tonantis
Ante precor: nostræ tandem iam parce senectæ: (tas
Sit modus; et fore credo equidem; nam vestra volun-
Quo, iuvenes, sine pace deum? nec credite culpam
Sævitiæ, scelerumve mihi nunc crimina pendi;
Fata loquax mentemque Iovis, quæque abdita solus
Consilia, et terris subito ventura parabat,
Prodideram, miserans hominum genus; hinc mihi
Pestis, et offusæ medio inter dicta tenebræ. (tanta
Iam tandem cessere iræ; nec casus, ab alto
Ipse volens nostris sed vos deus adpulit oris.
Sic ait, et, fatis ita iam cedentibus, omnes
Inpulit, et duræ commovit imagine pœnæ.
Instituere toros, mediisque tapetibus ipsum
Accipiunt, circumque iacent; simul æquora servant,
Astra simul: vescique iubent, ac mittere curas.
Cum subitus misero tremor, et pallentia primæ
Ora senis fugere manus: nec prodita pestis
Ante, sed in mediis dapibus videre volucres.
Fragrat acerbus odor; patriique exspirat Averni
Halitus: unum omnes incessere planctibus, unum
Infestare manu: inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipsoque ferens fastidia visu,
Tum sola collavie, atque inlisis stramina mensis
Fœda rigent; stridunt alæ, prædaque retenta
Sævit utrimque fames; nec solum horrenda Celæno
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores.
Emicat hic subito, seseque Aquilonia proles
Cum clamore levat; genitor simul inpulit alas.
Hoste novo turbata lues; lapsæque rapinæ
Faucibus et primum pavidæ Phineia tecta
Pervolitant, mox alta petunt: stant litore fixi
Hæmonidæ, atque oculis palantia monstra sequun-
Sic ubi prorupti tonuit cum forte Vesevi (tur.
Hesperiæ letalis apex; vix dum ignea montem
Torsit hiems: iamque Eoas cinis induit urbes.
Turbine sic rapido populos atque æquora longe
Transabeunt: nullaque datur considere terra.
Iamque et ad Ionii metas, atque intima tendunt
Saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
Hic fessæ, letique metu propriuris anhelæ
Dum trepidant, humilique graves timidoque volatu
Inplorant clamore patrem Typhona nefando:
Extulit adsurgens noctem pater; imaque summis
Miscuit, et mediis vox exaudita tenebris:
Iam satis huc pepulisse deas: cur tenditis ultra
In famulas sævire Iovis? quas, fulmina quamquam
Ægidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras.
Nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Inperat: agnoscunt monitus, iussæque recedunt.
Mox tamen et vobis similis fuga, cum premet arcus
Letifer. Harpyiæ numquam nova pabula quærent,
Donec erunt divum meritæ mortalibus iræ.
Hæsit uterque polo, dubiisque alanguit alis:
Mox abit, et sociæ victor petit agmina puppis.

Interea Minyæ pulsa lue prima Tonanti
Sacra novant: tum vina toris, epulasque reponunt.
Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni
Lætus, ad oblitæ Cereris suspirat honores:
Agnoscit Bacchi latices, agnoscit et undam:
Et nova non pavidæ miratur gaudia mensæ.
Hunc ubi reclinem stratis, et pace fruentem
Adspicit, ac longæ ducentem oblivia pœnæ;
Talibus adpellat, supplexque ita fatur Iason:
Vota, senex, perfecta tibi: nunc me quoque curis
Eripe, et ad nostros animum converte labores.
Omnis adhuc sors læta quidem: nec numine vano
(Si qua fides curæ superum) tantum æquor adorti
Tendimus: ipsa mihi puppim Iovis optima proles
Instituit; sociosque dedit Saturnia reges.
Fidere mens sed cæca nequit: quantumq; propinquat
Phasis, et ille operum summus labor; hoc magis augent
Proxima: nec vates sat iam mihi Mopsus et Idmon.
Ille ducem nec ferre preces, nec dicere passus
Amplius, hic demum vittas laurumque capessit,
Numina nota ciens: stupet Æsonis inclita proles
Phinea, ceu numquam pœnis, nullaque gravatum
Peste Iovis: tam largus honos, tam mira senectæ
Maiestas infusa: vigor novus auxerat artus.
Tum canit: O terras fama venture per omnes;
Quem sociis ducibusque deis, atque arte benigna
Pallados, ipse ultro Pelias ad sidera tollit:
Demens, dum profugi non sperat vellera Phrixi:
Fata locosque tibi (possum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
Ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
Sæcula, te propter fandi mihi Iuppiter auctor.
Hinc iter ad Ponti caput, errantesque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto;
Necdum ullas videre rates; sua comminus actæ
Saxa premunt, cautesque suas; cum vincula mundi
Ima labant; tremere ecce solum, tremere ipsa repente
Tecta vides; illæ redeunt, illæ æquore certant.
Di tibi progresso propius, Di forsitan ipsi
Auxilium mentemque dabunt; ast ipse iuvare
Ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres,
Et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis scopulis fuerit mora, si semel orsis
Ulla quies; fuga tunc medio properanda recursu.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Iamque alio clamore ruunt; omnisque tenetur
Pontus, et infestis anceps cum montibus errat.
Verum animo redit illa meo sors cognita divum;
(Fabor enim, nec spe dubius solabor inani,)
Cum mihi Tartareas sævo clangore volucres
Protulit ira Iovis; vox hæc simul accidit aures;
Ne vanas inpende preces, finemque malorum
Expete, Agenoride; pontum penetraverit ulla
Cum ratis, et rapidi steterint in gurgite montes;
Tunc sperare modum pœnæ veniamque licebit.
Sic Deus; aut vobis ergo fera saxa patescunt,
Aut mea iam sævæ redeunt ad pabula Diræ.
Verum inter medias dabitur sic currere cautes,
Certe digna manus, vacuumque exibis in æquor;
Proxima regna Lyci; remeat qui victor ab oris
Bebryciis; toto non ullus litore Ponti
Mitior; hic lecto comitum de robore si quem
Perculerit vicina lues, ne defice, casus
Prædicti memor, atque animos adringe futuris.
Illic pestiferas subter iuga concava torquet
Alter aquas Acheron; vastoque exundat hiatu
Fumeus; et sæva sequitur caligine campus;
Linque gravem fluvium, et miseris sua fata colo
Sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.
Quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,
Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hic iam secat arva; memento.
Inclita Amazonidum, magnoque exorta Gradivo
Gens ubi: femineas nec tu nunc crede catervas.
Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo,
Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.
Ne tibi tunc horrenda rapax ad littora puppim
Ventus agat; ludo volitans cum turma superbo
Pulvereis exsultat equis; ululataque tellus
Intremit, et pugnas mota pater incitat hasta.
Non ita sit metuenda tibi, sævissima quamquam,
Gens Chalybum; duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat adflicta semper domus ignea massa.
Inde omnem innumeri reges per litoris oram,
Hospitii quis nulla fides: sed limite recto
Puppis, et æquali transcurrat carbasus aura;
Sic demum rapidi venies ad Phasidis amnem.
Castra ibi iam Scythiæ, fraternaque surgit Erynnis:
Ipse truces illic Colchos hostemque iuvabis
Auxiliis: nec plura equidem discrimina cerno.
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, sed solis viribus æquum
Credere; sæpe acri potior prudentia dextra.
Quam tulerit deus, arripe opem: iamq; ultima nobis
Promere fata nefas: sileo, et precor: atque ita facto
Fine dedit tacitis iterum responsa tenebris.
Tum subita resides socios formidine Iason
Præcipitat; rumpitque moras, tempusque timendi.
Ipse viros gradiens ad primi litoris undam
Prosequitur Phineus: Quænam tibi præmia, dixit,
Quas, decus o Boreæ, possim persolvere grates?
Me Pangæa super rursus iuga, meque paterna
Stare Tyro, dulcesque iterum mihi surgere soles
Nunc reor: exactæ nam vere abiere volucres!
Nec metuam, tutæque dapes: date tangere vultus;
Dem, sinite, amplexus: propiusque accedite dextræ.
Dixerat: abscedunt terris, et litora condunt.
Omnibus extemplo sæva sub imagine rupes
Cyaneæ, propiorque labor; quando adfore, quaque
Parte patent: stant ora metu, nec fessa recedunt
Lumina diversas circum servantibus undas.
Cum procul audiri sonitus, insanaque saxa.
Saxa neque illa viris, sed præcipitata profundo
Siderei pars visa poli: dumque ocius instant,
Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipsa repente
Diffugere, adversosque vident discedere montes.
Omnibus et gelida rapti formidine remi.
Ipse per arma volans, et per iuga summa carinæ
Hortatur, supplexque manus intendit Iason,
Nomine quemq; premens: Ubi nunc promissa superbá,
Ingentesque minæ, mecum quibus ista secuti?
Idem animos Amyci viso timor omnibus antro
Perculerat: stetimus tamen, et deus adfuit ausis.
Quin iterum idem aderit, credo, deus: hæc ubi latus;
Corripit abiecti remumque locumque Phaleri,
Et trabit insequitur flammata pudore iuventus.
Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti
Obvia: miscentur rupes: iamque æquore toto
Cyaneæ iuga præcipites inlisa remittunt.
Bis fragor infestas cautes, adversaque saxis
Saxa dedit: flamma expresso bis fulsit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
Effugit, et tenebras nimbosque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem
Lux dirimit; pavor ora virum, pavor occupat aures.

Haud secus inplevit pontum fragor: effluit imber
Spumeus, et magno puppim procul æquore vestit.
Advertere dei, defixaque numina ponto,
Quid scopulis præclusa ratis, quid dura iuventus
Expediat: pendet magnis favor ortus ab ausis.
Prima coruscanti signum dedit Ægide virgo,
Fulmineam iaculata facem: vixdum ardua cautes
Cesserat; illa volans tenui per concita saxa
Luce fugit: rediere viris animique manusque,
Ut videre viam: Sequor o, quicumque deorum,
Æsonides, vel fallor, ait: præcepsque fragores
Per medios ruit, et fumo se condidit atro.
Cœperat hinc cedens abductis montibus unda
Ferre ratem, pelagoque dies occurrere aperto;
Sed neque permissis iam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote; cum super adsunt
Cyaneæ: premit umbra ratem, scopulique feruntur
Comminus. hic Iuno præcepsque ex æthere Pallas
Insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
Hunc coniux Iovis: ut valido qui robore tauros
Sub iuga, et invito detorquet in ilia cornu.
Inde, velut mixtis Vulcanius ardor harenis
Verset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur, et clausum scopulos super effluit æquor
Contra omnes validis tenui discrimine remis
Pergere iter; medioque ratem transferre per ictus;
Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis;
Parsque (nefas) depressa iugis; nam cetera cœlo
Debita; conclamant Minyæ; latera utraque quippe
Dissiluisse putant; fugit ipse novissimus ictus
Tiphys, et e mediis sequitur freta rapta ruinis;
Nec prius obsessum scopulis respexit ad æquor,
Aut sociis tentata quies; ni grantia quam iam
Litora, longinquique exirent flumina Rhebæ.
Tunc fessas posuere manus, tunc arida anheli
Pectora; discussa quales formidine Averni
Alcides Theseusque comes pallentia iungunt
Oscula, vix primis amplexi luminis oris.
Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor;
Sed maria adspectans; Heu quis datus iste deorum
Sorte labor nobis? serum ut veniamus ad amnem
Phasidis, et mites, inquit, dent vellera Colchi,
Unde per hos iterum montes fuga? talia fundit,
Imperio fixos Iovis æternumque revinctos
Nescius; id fati certa nam lege manebat:
Si qua per hos undis umquam ratis isset apertis.
Tum freta, quæ longis fuerant invervia sæclis,
Ad subitam stupuere ratem, Pontique iacentis
Omne solum, regesque patent gentesque repostæ.
Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora; nec tantas quamvis Tyrrhenus et Ægan
Volvat aquas; geminis et desint Syrtibus undæ.
Nam super huc vastos tellus quoque congerit amnes.
Non septem gemini memorem quas exitus Histri,
Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque, Melasq;
Addat opes; quantosque sinus Mæotia laxent
Æquora; flumineo sic agmine frangit amari
Vim salis, hinc Boreæ cedens glacialibus auris
Pontus, et exorta facilis concrescere bruma.
Utque vel inmotos Ursæ rigor invenit amnes,
Vel freta versa vadis; hiemem sic unda per omnem
Aut campo iacet, aut tumido riget ardua fluctu;
Atque hac Europam curvis anfractibus angit,
Hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum.
Illic umbrosæ semper stant æquore nubes,
Et non certa dies? primo nec sole profundum
Solvitur, aut vernis cum lux æquata tenebris:
Sed redit extremo tandem in sua litora Tauro.
Iam Mariandynis advertit puppis harenis;
Atque celer terras regemque exquirit Echion,
Dicta ferens; lectos fama est si nominis umquam
Hæmonii subiisse viros, det litora fessis.
Adproperat Lycus auditis lætatus Achivis;
Ac simul Æsoniden, omnemque in regia turbam
Tecta trahit, modo Bebryciis præfixa tropæis;
Mitis et in mediis effatur talia Graiis:
Haud temere est; fato divum reor ad mea vectos
Litora vos; odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciæ; sævaque pares de gente triumphi.
Certa fides animis, idem quibus incidit hostis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
Sensimus; et sævis frater mihi fusus harenis.
Ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
Tunc aderam; cum vos mediis contenta ferebant
Vela fretis: illum in sanie, taboque recenti
Vidimus, æquoreo similem per litora monstro.
Nec vero prærepta mihi suprema tyranni
Fata queror: bellove magis lætarer et armis
Procubuisse meis; quam lege quod occidit ultus
Ipse sua; meritoque madent quod sanguine cæstus.
Excipit Æsonides: Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi?
Fatur: et ostentans prolem Iovis, Hic tibi Pollux
En, ait, inviso solvit cui pectore pœnas.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Festa dehinc mediis ineunt convivia tectis,
Communesque vocant superos; quorum eruta nuta
Bebryciis; et votis pariter prædaque fruuntur.

Liber quintus

ALTERA lux haud læta viris emersit Olympo.
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur; extremi sibi tum non inscius ævi.
At memor Æsonides nimium iam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus.
Tum comiti pia iusta tulit; cælataque multa
Arte Dolionii donat velamina regis;
Hospes humum sedemque Lycus; Iliens arma revellit
Idmoniæ celsa Mopsus rate; robora cædunt
Pars silvis, portantque aræ: pars auguris albæ
Fronde caput vittisque ligant; positumque feretro
Congemuere: dies simul et suus admonet omnes.
Ecce, inter lacrimas, interque extrema virorum
Munera, quem cursus penes imperiumque carinæ,
Tiphyn agit violenta lues; cunctique pavore
Attoniti fundunt mœstas ad sidera voces;
Arcipotens adverte, precor, nunc denique, Apollo;
Hoc, pater, hoc nobis refove caput: ulla laboris
Si nostri te cura movet, qui cardine summo
Vertitur, atq; omnis manibus nunc pendet ab unis.
Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant.
Qualem præcipiti gravidum iam sorte parentem
Natorum flet parva manus; trepidique precantur,
Duret ut invalidis, et adhuc genitoris egenis:
Haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn
Ante alios superesse volunt: mors frigida contra
Urguet: et ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum frustra Minyæ clamore morantur,
Avellique negant: vix membra rigentia tandem
Inposuere rogo; lacrimasque et munera flammis
Vana ferunt: crescit donis feralis acervus.
Ut vero amplexus fessi rupere supremos,
Et rapidæ sonuere faces; tunc ipsa cremari
Visa ratis, medioque viros deponere ponto,
Non tulit Æsonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis: sed pectore ductor ab imo
Talia voce gemit: Quid tantum infensa repente
Numina? quas nostri pœnas meruere labores?

Bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
Litore: magna adeo comitum numerosaque pubes?
Aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo
Sontibus inpulsus Furiis: ubi Tiphys? ubi Idmon
Fata canens? ubi monstriferæ par ille novercæ?
Te sine, Thespiade, nos ulla movebimus ultra
Æquora? nec summa speculantem puppe videbo
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos;
Cui Minyas, caramque ratem, cui sidera tradis?
Carpere securas quis iam iubet Æsona noctes?
Hoc labor, hoc dulci toties fraudata sopore
Lumina, et admotis nimium mens anxia Colchis
Profuit? heu quantum Phasis, quantum Æa recessit!
Nunc quoque, si tenui superant in imagine curæ,
Adsis umbra, precor, venturi præscia cœli,
Rectoremque tuæ moneas ratis: hæc ubi fatus,
Sols virum flammis vidit labentibus ossa.
Quod tamen exteruis unum solamen in oris
Restat, ait, caras humus hæc non dividet umbras,
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna;
Sed simul: ut iunctis venistis in æquora fatis.
Haud mora: reliquias socii delletaque miscent
Nomina: tum vivo frondens e cespite tellus
Adgeritur: cineremque Lyco commendat Iason.
Mœsti omnes dubiique, ratem fidissima cuius
Dextra regat; simul Ancæus, sollersque petebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipsa monenti
Quercus; et ad tonsas victi rediere magistri.
Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus
Fertur ovans; hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Transit amor; primo lætos sic tempore rector
Ingreditur cursus; etenim dat candida certam
Nox Helicen; iam prora fretum commoverat, et iam
Puppe sedens placidas dimiserat ancora terras.
Inde, premente Noto, tristes Acherusidos oras
Præterit; et festa vulgatum nocte Lyæi
Callichoron: nec vana fides; his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos.
Illum, post acies rubrique novissima claustra
Æquoris, hic residesthiasos, hic æra moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meministis, aquæ; Bœotia qualem
Thyas, et infelix cuperet vidisse Cithæron.
Fama per extremos quin iam volat improba manes
Interea, at magnis natorum laudibus inplet
(Venturam cœlo fatis melioribus Argo;)
Addita iamque fretis repetens freta, iamque ferentes
Cyaneas; ardent avidos attollere vultus,
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent: unum, qui litore in illo
Conditus, ad caræ mittunt spectacula turbæ.
It Sthenelus; qualem Mavortis vidit Amazon,
Cumque suis comitem Alcides ut condidit armis;
Talis ab æquorei consurgens aggere busti
Emicuit: fulsere undæ; Sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quateret polus: atque ea vix dum
Visa viris atra nox protinus abstulit umbra:
Ille dolens altum repetit chaos: omina Mopsus
Dum stupet, in prima tumulum procul adspicit acta;
Obnubensque caput, cineri dat vina vocato.
Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dum rite movet, mixtoque sonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquit harenis,
Altius in ventos recipit ratis; ac fugit omne
Crobiali latus, et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium: aut alios Triviæ qui creditur amnes
Fidus, et Inopi materna gratior unda.
Mox etiam Cromnæ iuga, pallentemque Cytoron,
Teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
Iamque reducebat noctem polus; alta Carambis
Raditur, at magnæ pelago tremit umbra Sinopes.
Assyrios complexa sinus stat opima Sinope;
Nympha prius, blandosque Iovis quæ luserat ignes,
Cœlicolis inmota procis; deceptus amatæ
Fraude deæ nec solus Halys, nec solus Apollo,
Addidit hic casu comites Fortuna benigno,
Autolycum Phlogiumque et Deileonta, secutos
Herculis arma viros: vagus hos ibi fixerat error;
Ut Graiam videre manum, puppimque Pelasgam,
Prima ruunt celeres ad litora, seque precantur
Accipiant socios: nova dux accedere gaudet
Nomina, desertos et iam sibi currere remos.
Transit Halys, longisque fluens anfractibus Iris,
Sævaque Thermodon medio sale murmura volvens;
Gradivo sacer, at spoliis ditissimus amnis;
Donat equos, donat votas cui virgo secures,
Cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medumque trahens: est vera propago
Sanguinis; est ollis genitor deus: hinc magis alta
Hæmonidæ petere, et monitus non temnere Phinei.
Ipse autem comitum conversus ad ora novorum:
Vos mihi nunc pugnas, ait, et victricia, ductor,
Herculis arma mei, vestrasque in litore Martis
Interea memorate manus; sic fatus, et ægro
Corde silens, audit currus, bellique labores
Virginei: exciderit frenis quæ prima remissis:
Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor;
Quæ pelta latus, atque humeros nudata pharetris
Fugerit, Herculeæ mox vulnere prensa sagittæ;
Utque securigeras stimulaverit ira catervas,
Fleturusque pater; quantus duce terror in ipsa,
Qui furor in signis: quo balteus arserit auro.
Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolæ, Gradive, tui: sonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent, ensesque darent; odia ægra sine armis
Errabant, iræque inopes, et segnis Erinnys.
Inde Genetæi rupem Iovis, hinc Tibarenum
Dant virides post terga lacus: ubi deside mitra
Fœta ligat, partuque virum fovet ipsa soluto.
Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Mossyni: vos at stabulis Macrones ab altis,
Byzeresque vagi, Philyræque a nomine dicta
Litora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde sinus, sævumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Adtulerat tum forte dies: iamque aspera nisu
Undique convellens: veteris cum strage pruinæ,
Vincula pressa manu saxis adduxerat imis
Arduus, et lævo gravior pede: consonat ingens
Caucasus: et summo pariter cum monte secutæ
Incubuere trabes, abductaque flumina ponto:
Fit fragor: ætherias ceu Iuppiter arduus arces
Inpulerit, imas manus aut Neptunia terras.
Horruit inmensum Ponti latus: horruit omnis
Armeniæ prætentus Hiber: penitusque recusso
Æquore Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Tum gemitu propiore Chalybs, densusque revulsis
Rupibus audiri montis labor, et grave Titan
Vociferans, fixos scopulis dum vellitur artus.
Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden? dimissave vota retentet?)
Pergere iter socii: tantum mirantur ab alto
Litora discussa sterni nive, ruptaque saxa,
Et simul ingentum moribundæ desuper umbram

Alitis, atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas: extremaque fessis
Cœperat optatos iam lux ostendere Colchos:
Magnus ubi adversum spumanti Phasis in æquor
Orerat: cuncti pariter loca debita noscunt,
Signaque commemorant, emensasque ordine gentes:
Dantque ratem fluvio: simul æthere plena corusco
Pallas, et alipedum Iuno iuga sistit equorum.
Ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu;
Populeos flexus, tumulumque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi:
Quem comes infelix Pario de marmore iuxta
Stat soror hinc sævæ formidine mœsta novercæ,
Inde maris, pecudique timens inponere palmas.
Sistere tum socios iubet, atque hinc prima ligari
Vincula, ceu Pagasas, patriumque intraverit amnem.
Ipse, gravi patera sacri libamina Bacchi
Rite ferens, umbram vocat, et sic fatur ad aras:
Per genus, atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu precor orsa regas, meque his tuteris in oris;
Tot freta, tot dure properantia sidera passis,
Phrixe, fave; et patrias placidus reminiscere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequicquam condita inani,
Annue, diva maris; numeroque accede tuorum.
Quando egomet rursus per te vehar? aurea quando
Seston, et infaustos agnoscent vellera fluctus?
Vos etiam silvæ, vos Colchidos hospitis oræ,
Pandite, dives ubi pellis micet arbore sacra.
Tunc tibi, fecundi proles Iovis, orte nivali
Arcados axe deæ, (fluvio modo, Phasi, quieto
Palladiam patiare ratem,) nec dona, nec aræ
Defuerint tellure mea: veneranda fluentis
Effigies te, Phasi, manet; quam magnus Enipeus,
Et pater aurato quantus iacet Inachus antro.
Dixerat: atque illi dextra sine versa magistri
Protinus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os pontumque tenens: promittis ut, ecce,
Utque vocas, revehemur, ait: sic deinde precatus,
Arma iubet celsa socios depromere puppi:
Dona dehinc Bacchi, casus qui firmet in omnes;
Rapta Ceres: viridesque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc alios cantus, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis: non mens mihi, non hæc
Ora satis: ventum ad furias, infandaque natæ
Fœdera, et horrenda trepidam sub virgine puppim:
Impia monstriferis surgunt iam prœlia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus
Soligenæ, falli meriti: meritique relinqui.
Inde canens: Scythica senior iam Solis ab urbe
Fata laborati Phrixus compleverat ævi;
Illius extremo sub funere mira repente
Flamma poli, magnoque aries adparuit astro,
Æquora cuncta movens: at vellera, Martis in umbra,
Ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.
Quondam etiam tacitæ visus per tempora noctis
Effigie vasta: socerumque exterruit ingens
Prodita vox: O qui patria tellure fugatum
Quærentemque domos, his me considere passus
Sedibus, oblata generum mox prole petisti:
Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
Rapta soporato fuerint cum vellera luco.
Præterea infernæ quæ nunc sacrata Dianæ
Fert castos Medea choros, quemcumque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis.
Dixit, et admota pariter fatalis visus
Tradere terga manu: tum falso fusus ab auro
Currere per summi fulgor laquearia tecti.
Membra toris rapit ille tremens, patriumq; precatur
Numen, et Eoo surgentes litore currus.
Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum
Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto
Sparge mari: seu nostra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius esto.
Tu quoque, sacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias Gradive tene; præsentia luco
Arma tubæque sonent: vox et tua noctibus exstet.
Vix ea: Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
Haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
Inplicuit, Graiumque procul respexit ad orbem.
Ergo omnes prohibere minas, prædictaque Phrixi
Invigilat: plena necdum Medea iuventa
Adnuitur thalamis Albani virgo tyranni.
Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
Territat ante monens semper deus, et data aeri
Signa mali: reddi iubet exitiale sacerdos
Vellus, et Hæmoniis infaustum mittere terris.
Contra Sole satus, Phrixi præcepta volutans
Ægro corde negat: nec vulgi cura tyranno,
Dum sua sit modo tuta salus; tunc ordine regi
Proximus, et frater materno sanguine Perses
Increpitare virum: sequitur duce turba reperto.
Ille furens ira solio se proripit alto,
Præcipitatque patres: ipsum quoque talibus ausis
Spem sibi iam rerum vulgi levitate ferentem
Ense petit: rapit inde fugam, crudelia Perses
Signa gerens, omnemque quatit rumoribus Arcton.
Iamque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primaque in adversos frustratus prœlia muros
Constiterat: datus et sociis utrimque cremandis
Ille dies, alterque dies; cum, Marte remisso,
Debitus Æætis dux Thessalus adpulit oris.
Nox hominum genus et duros miserata labores
Retulerat fessis optata silentia terris:
At Iuno, et summi virgo Iovis, intima secum
Consilia et varias sociabant pectore curas.
Virgo prior; Magna pariter quos mole petamus,
Cernis, ait, Colchos habeant quæ prœlia, quique
Nunc status: hinc Perses, illinc non viribus æquis
Adparat Æetes aciem: quibus addimur armis?
Cui Iuno: Dimitte metus, ne prœlia forte
Hinc tibi grata negem: manet ingens ægida sudor,
Et nostros iam sudor equos: stat pectore fixum,
Æetæ sociare manus: scio perfida regis
Corda quidem; nullos Minyis exsolvet honores.
Verum alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo. (stas,
Sint, precor, hæc: tua namque mihi comitanda pote-
Pallas ait: liceat Graiis ut reddere terris
Æsonium caput; et puppim, quam struximus ipsæ,
Iactatam tandem nostro componere cœlo.
Talia tunc hominum superi pro laude movebant.
Tristior at numquam, tantove paventibus ulla
Nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
Phaside, nil domitis actum Symplegados undis;
Cunctaq; adhuc, magni veniant dum regis ad urbem,
Ambigua, et dubia rerum pendentia summa.
Præcipue Æsoniden varios incerta per æstus
Mens rapit undantem curis, ac multa novantem.
Qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
Pliadas ille movens, mixtumque sonoribus imbrem;
Horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnia
Campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus.
Sic tum diversis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit: optat et almum
Iam iubar: et certi tandem discriminis horas.
Tunc defixa solo, cœtuque intenta silenti (sis
Versus ad ora virum, Quod primum ingentibus su-

Optavistis, ait, veterumque quod horruit ætas,
Adsumus en, tantumque fretis enavimus orbem.
Nec pelagi nos millu viæ, nec fama fefellit,
Soligenam Æeten media regnare sub Arcto.
Ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
Urbis, et ignoti mens experienda tyranni:
Adnuet ipse, reor; neque inexorabile certe,
Quod petimus: sin vero preces et dicta superbus
Respuerit, iam nunc animos firmate repulsæ;
Quaque via patriis referamus vellera terris:
Stet procul, et rebus semper pudor absit in artis.
Dixerat: et, Scythicam qui se comitentur ad urbem,
Sorte petit: numeroque novem ducuntur ab omni.
Inde viam, qua Circæi plaga proxima campi,
Corripiunt, regemque petunt, iam luce reducta.
Forte deum variis per noctem exterrita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi iubar ad placabile Phœbi
Ibat, et horrendas lustrantia flumina noctes.
Namque, soporatos tacitis in sedibus artus
Dum premit alta quies, nullæque in virgine curæ,
Visa pavens castis Hecates excedere lucis:
Dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
Pontus, et ingenti circum stupefacta profundo:
Fratre tamen conante sequi: mox stare paventes
Viderat intenta pueros nece, seque trementum
Spargere cæde manus, et lumina rumpere fletu.
His turbata minis fluviis ripamque petebat
Phasidis, æquali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis iuga duxit Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Palladis, hinc caræ Proserpina iuncta Dianæ:
Altior, ac nulla comitum certante, priusquam
Palluit, et viso pulsus decor omnis Averno.
Talis et in vittis geminæ cum lumine tædæ
Colchis erat, nondum miseros exosa parentes.
Ut procul extremi gelidis a fluminis undis
Prima viros tacito vidit procedere passu,
Substitit, et mœsto nutricem adfata timore est:
Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit haud armis, haud umquam cognita cultu?
Quære fugam, precor, et tutos circumspice saltus.
Audit virginei custos grandæva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus ævi:
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
Non tibi ab hoste minæ, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo iam flammea murice cerno
Tegmina; iam vittas frondemque imbellis olivæ.
Graius adest: Graio sic cuncta simillima Phrixo.
Sic ait: at Iuno, pulchrum longissima quando
Robur cura ducis, magnique edere labores.
Mole nova et roseæ perfudit luce iuventæ.
Iam Talaum, iamque Ampyciden, astroque comantes
Tyndaridas ipse egregiis supereminet ore.
Non secus, autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius, et sævo cum nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces, hebet Arcas, et ingens
Iuppiter: ast illum tanto non gliscere cœlo
Vellet ager, vellent calidis iam fontibus amnes.
Regina, attonito quamquam pavor ore silentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Passibus, insolitu stupuit duce: nec minus inter
Ille tot ignoti socias gregis hæret in una
Defixus, sentitque ducem dominamque catervæ.
Si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi;
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ,
Teque renodatam pharetris, ac pace fruentem,
Ad sua Caucaseæ producunt flumina Nymphæ.
Si domus in terris, atque hinc tibi gentis origo,
Felix prole parens, olimque beatior ille,
Qui tulerit, longis et te sibi iunxerit annis.
Sed fer opem, regina, viris: nos hospita pubes
Advehimur, Graium proceres, tua tecta petentes.
Duc, precor, ad vestri, quicumque est, ora tyranni:
Ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
Nam mihi sollicito deus ignaroque locorum
Te dedit: in te animos, sed et omnia nostra repono.
Dixit, et operiens trepidam stetit: illa, parumper
Virgineo cunctata metu, sic orsa vicissim:
Quem petis Æeten, genitor meus: ipsaque iuxta
Mœnia; si bivios possis discernere calles.
Hac adeo duce ferte gradus: ingentia namque
Castra alios aditus, atque inpius obsidet hostis.
Dixerat hæc, patriumque viam detorquet ad amnem;
Sacraque terrificæ supplex movet irrita Nocti.
Illa autem inceptum famula duce protinus urguet
Aere septus iter: patitur nec regia cerni
Iuno virum, prior Æetæ ne nuntius adsit.
Iamque inerat populo mediæque incognitus urbi;
Cum comes orsa loqui: Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait; huc adytia iam se de more paternis
Rex feret: hic proceres audit, populosque precantes
Adloquii facilis (præsens pater admonet) æqui.
Dixerat: ast illi propere monstrata capessunt
Limina: non aliter, quam si radiantis adirent
Ora dei, verasque æterni luminis arces.
Tale iubar per tecta micat: stat ferreus Atlas
Oceano, genibusque tumens infringitur unda:
At medii per terga senis rapit ipse nitentes
Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo:
Pone rota breviore, soror, densæque sequuntur
Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes.
Nec minus hic varia dux lætus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis; ut clade suorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem;
Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari
Imperet: Arsinoen illi tepidæque requirunt
Otia læta Phari, pinguemque sine imbribus annum:
Et iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
Barbarus in patriis sectatur montibus Æan
Phasis, amore furens: pavidas iacit illa pharetras
Virgineo turbata metu; discursibus et iam
Deficit; ac volucri victam deus adligat unda.
Flebant populeæ iuvenem Phaethonta sorores,
Ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;
At iuga vix Tethys, sparsumque reconligit axem,
Et furmidantem patrios Pyroenta dolores.
Aurea quin etiam præsaga Mulciber arte
Vellera, venturosque olim cælarat Achivos;
Texitur Argoa pinus Pagasea securi;
Iamque eadem remos, eadem dea flectit habenas;
Ipse subit, nudaque vocat dux agmina dextra.
Exoritur Notus, et toto ratis una profundo
Cernitur. Odrysio gaudebant carmine Phocæ.
Adparent trepidi per Phasidis ostia Colchi,
Clamantemque procul linquens regina parentem.
Urbs erat hic contra, gemino circumflua ponto,
Ludus ubi et cantus, tædæque in nocte iugales,
Regalique toro lætus gener; ille priorem
Deserit; ultrices spectant a culmine Diræ:
Deficit in thalamis, turbataque pellice coniux
Pallam et gemmiferæ donum exitiale coronæ
Adparat, ante omnes secum dequesta labores;
Munere quo patrias pellex ornetur ad aras
Infelix: et iam rutilis correpta venenis
Implicat igne domos; hæc tum miracula Colchis

Struxerat ignipotens, nondum noscentibus, ille
Quis labor, aligeria aut quæ secet unguibus auras,
Cæde madens: odere tamen, visusque reflectunt.
Quin idem Minyas operum delixerat error;
Cum se Sole satus patriis penetralibus infert.
Filius hunc iuxta primis Absyrtus in annis,
Dignus avo, quemque insontem meliora manerent.
Tum gener Albania Styrus qui advenerat oris,
Distulerant sed bella toros; tum Phrontis et Argus
Æolidæ, fraterque Melas, quos advena Phrixus
Progenuit; pariterque levi Cytisorus in hasta.
Post alii, quos præcipuo Titania tellus
Legit honore patres, motique ad prœlia reges.
Admonet hic socios, nebulamque erumpit Iason,
Sideris ora serena; nova lux obfusa Citæis.
Conveniunt, rogitantq; viros, rogitentq; quid ausi,
Quidve ferant; postquam primis inhiantia dictis
Agmina, suppressumque videt iam murmur Iason;
Talia miranti propius tulit orsa tyranno;
Rex Hyperionide, quem per freta tanta petundum
Cœlicolæ, et prima dignum statuere carina;
Si quando hic aliquam nostro satus orbe solebat
Thessaliam, si quos Phrixus memorare Pelasgos;
Hi tibi, tot casus, horrenda tot avia mensi,
Cernimur; ipse egomet proprio de sanguine Phrixi;
Namque idem Cretheus ambobus et Æolus auctor,
Cum Iove, Neptunoque, et cum Salmonide Nympha.
Meque nec huc enses, aræque egere paternæ:
Nec tua Thessalicis quamquam inclita nomina terris,
Sponte sequor; cui non iusso tot adire voluptas
Monstra maria? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias sub nomine Phœbi
Maxima sorte tenens, totque illa creantia divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;
Ille meum imperiis urguet caput; ille labores
Dat varios; sicut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus: tamen aspera regum
Perpetimur iuga; nec melior parere recuso.
Hic sibi me auratæ pecudis quiscumque periclis
Exuvias perferre iubet; tibi gratia nostri
Sit precor hæc, meritique locus, quod iussa recepi;
Teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
Promisi, et meliora tuæ mihi fœdera dextræ:
Si petere hoc sævi statuissem sanguine belli,
Ossa dabat Pindusque rates; quotque ante secuti
Inde nec audacem Bacchum, nec Persea, reges.
Sed me nuda fides, sanctique potentia iusti
Huc tulit, et medii socistrix gratia Phrixi,
Iamque tibi nostra geniti de stirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciæ spernendus adi; seu fraude petivit;
Seu quis honore meos, sua reddita dona; deumque
Nos genus, atque ratem magnæ sensere Minervæ.
Vix tandem longis quæsitam Colchida votis
Contigimus; qualemque dabat te fama, videmus.
Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terrisve indebita nostris,
Si quis et in precibus vero locus; atque ea Phrixo
Crede dari; Phrixum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contra victum mihi vecta per æquor
Accipe, Tænarii chlamydem de sanguine aheni,
Frenaque, et accinctum gemmis fulgentibus ensem:
Hoc patrium decus; hæc materni texta laboris:
His Lapithes adsuerat eques: da iungere dextram,
Da Scythicas sociare domos: sciat effera regis
Ira mei, quem te horrifero sortitus in axe
Caucasus, atque tuis quantum mitescat habenis.
Talibus orantem vultu gravis ille minaci
Iam dudum fremit; et furiis ignescit opertis.
Ceu tumet, atque imo sub gurgite concipit æstros
Unda silens; trahit ex alto sic barbarus iras:
Et nunc ausa viri, nunc heu! sua prodita Graiis
Regna fremit: quin et facili sibi mente receptum
Iam Phrixum dolet, et Scythiæ periisse timores;
Nunc quassat caput, ac iuvenis spes ridet inanes;
Quid vesanus agat, quod vellera poscat ab angue.
Urit et antiquæ memorem vox præscia sortis;
Cur simul aut Persen illinc sibi moverit, aut hinc
Thessalicam Fortuna ratem; num debitus ista
Finia agat, sævæque petant iam vellera Parcæ.
Interea quoniam belli pugnæque propinquæ
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis.
Reddit et hæc: Cuperem haud tali vos tempore tectis
Advenisse meis, quo me gravis adsidet hostis.
Frater enim (sceptri sic omnibus una Cupido)
Excidium parat, et castris me ingentibus urguet.
Quare, age, cognatas primum defendite sedes;
Nec decus oblati dimiseris advena belli.
Iamque virum trahit ipse chalybs tua vellera victor,
Tum meritis, nec sola dabo: contra inscius astus;
Ergo nec hic nostris deerat labor arduus actis,
Excipit Æsonides, et ceu nihil æquore passis
Additus iste dies? veniant super hæc quoque fato
Bella meo: non hunc parvo mihi cæde dolorem,
Quasque dedit, luet ille moras: tum Castora mittit.
Qui ferat Æxi sociis responsa tyranni.
Acribus ast illos curis mora sæva trahebat:
Ac simul ut medio viderunt Castora campo;
Crebrior incussit mentem pavor: O Iovis alma
Progenies, fare, an patriam spes ulla videndi,
Fare omnes: ille in mediis sic orsus Achivis:
Nec ferus Æetes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat; bello interea sed pressus iniquo
Auxilium petit; armatos dux protinus omnes
Adcelerare iubet; longo nam tuta recessu
Puppis, et opposita fluvius defenditur urbe.
Haud mora; prosiliunt, quos nec Rhipæa iuventus,
Quos nec Iber, aut tota suis Aurora pharetris
Sustineat, stetit explicito prius agmine pubes;
Expertique simul, si tela artusque sequantur.
Nec quisquam freta, nec patrias iam respicit urbes:
Sed magis ad præsens itur decus; incita cristas
Aura quatit: variis floret via discolor armis.
Qualia ab Oceano nitidum chorus æthera vestit:
Qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.
Illos Sole satus tacita mœstissimus ira
Miratur temere adsumtos: nec talia mallet
Robora; quam medios hostem subiisse penates.
Interea læto patitur convivia vultu;
Et iuxta Æsoniden magno cratere lacessit,
Nunc sibi monstrantem natos Iovis, oraque iuxta
Æacidum, nunc ingentes Calydonis alumnos:
Audit et Alciden infando errore relictum,
Defletosque duces, terræque marisque labores.
Ipse autem tantis concita furoribus arma
Expetit Æsonides, et amicos ordine reges:
•Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper
Subligat, et stricto stat proximus armiger arcu,
Ceu pugnam paret, et positas confundere mensas?
Contra flammigeri proles Perseia Solis,
Quem rogitas, Carmeius, ait; mos, comminus arma
Semper habere viro, semper meminisse pharetræ.
Quid Lategum? quid si amnigenam mirere Choas-
Bellatoris equi potantem cerne cruores: (pem?
Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis.
Illum, ait Æsonides, pariter refer; horrida signis
Cui chlamys, et multa spirat coma flexilis aura.
Respicit Æetes, atque hunc quoque nomine reddit:

Dives Aron; croceos sic illius omnis odores
Iactat eques; unctis sic eat coma culta maniplis:
Sed nec sperne virum, et comtis diffide capillis.
Campesus hic spoliis in tigridis; ille profundo
Incumbens Odrussa mero: viden' alta comantem
Pectora, et ingenti turbantem pocula barba?
Hic et Iaxarten dictis stupet hospes acerbis
Immodicum, linguaque gravem; cui nulla minanti
Non superum, non præsentis reverentia belli.
Contra autem Æetes; Non frustra magna superbo
Dicta volant, ait, et vocem paria arma sequuntur:
Nec requies; quin Marte diem noctemque fatiget:
Atque ubi Rhipæa stupuerunt flumina bruma,
Iam pavidi cum prole Getæ, iam pervigil illum
Medus, et oppositis exspectat Hiberia claustris.
Hos autem quæ quemq; manus, quæ signa sequantur,
Si memoram; prius humentem lux solverit umbram.
Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Dissona; saxiferæ surgat quibus imber habenæ;
Quæ iaculo gens apta levi, quæ picta pharetris
Venerit: ingentes animo iam prospice campos,
Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exsultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata securi,
Cara mihi et veras inter non ultima natas.
Fatur, et occiduo libat cratera parenti.
Quisque suis tum vota deis et pocula fundit;
Dent aciem, dent belligeros superare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentemque trahens Arctoa per æquora nubem,
Adspicit Ææa Minyas stupefactus in urbe,
Ambitumque senem, promissaque vellera puppi
Thessalicæ: citus ad summi stellantia patris
Tecta ruit, questuque Iovem testatur acerbo:
Quæ studiis, rex magne, quies? iam mutua divi
Exitia in solos hominum molimur honores:
Teque ea cuncta iuvant, rabidam qui Pallada cœlo
Non abigis, neque femineis ius obiicis ausis.
Non querar, exstructa quod vexerit ipsa carina
Vellera sacra meis sperantem avertere lucis,
Quodque palam tutata viros: sic cetera pergat,
Si valet, insidiis quæ nunc fallacibus ambit,
Nostra ut Phrixeo spolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec fœdere vestro:
Et Persen simul, et Minyas deposcimus hostes.
Quin age; quid tantæ coeunt in prœlia gentes?
Quid tuus Æsonides? imus nos, protinus imus,
In nemus auriferum, et sumtis decernimus armis?
Vel tu sola polo tacitis inopina tenebris
Labere; quantus ibi deus experiere; nec illas
Adstiteris inpune trabes: an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, et agger
Quod rudis; et sola colimur ai gentibus umbra?
Est amor, et rerum cunctis tutela suarum:
Et tibi, magne pater, terris donaria certant:
Est honor his etiam suus: annue ego clara Mycenes
Culmina, virgineas præder si Cecropis arces,
Iam coniux, iam te gemitu lacrimisque tenebit
Nata querens; metuant ergo, nec talia poscant.
Non tulit hæc animis, quin longa silentia Pallas
Rumperet, inridens strepitumque minasq; Gradivi:
Non tibi Bistonidæ, quibus hæc fera murmura iactes,
Non Lapithæ, sed Pallas, ait; neq; ego ægide digna,
Nec vocer ulterius proles Iuvis, excidat iste
Ni tibi corde tumor: lituos mox armaque saxo
Oderis, et primis adimam tua nomina bellis.
Quin simili matrem demens gravitate secutus:
Digna quidem monstrum superis quæ tale creavit.
Quod tamen aggressæ scelus, aut quo crimine sontes,
Si iuvenem, qui iussa sui tam dira tyranni
Inpavidus, maria et nondum qui nota subibat,
Iuvimus, et magnis aliquam spem movimus ausis?
An nullas præferre preces, nec fœdera regia
Ulla sequi? cæca sed cuncta inpellere pugna
Debuimus? sic Thraces agunt, sic turbidus iste,
Si qua petit: cuperem hæc etiam nunc bella remitti,
Nec socias armare manus: da vellera, rector,
Et medio nos cerne mari: quod sin ea Mavors
Abnegat, et solus nostris sudoribus obstat;
Ibimus indecores, frustraque tot æquora vectæ,
*Passaque quæ nequeam? sic femina: cœperat ardens
Hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
Excipit hinc contra pater, et sic voce coercet:
Quid vesane fremis? cum vos iam pœnitet acti,
Peccatumque satis; tunc ad mea iura venitis.
Quolibet ista modo, quacumque inpellite pugna,
Quæ cœpistis; habent quoniam sua fata furores.
Ta tamen hoc, coniux, et te, mea nata, monebo:
Sit Persen pepulisse satis; nec vana retentet
Spes Minyas, finemve velint inponere bello.
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo.
Victa ratro nunc castra dabit, bellumque remittet
Territus adventu ducis et virtute Pelasgi:
Mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victorque domos et sceptra tenebit:
Donec et Æeten inopis post longa senectæ
Exsilia (heu magnis quantum licet inpia fatis!)
Nata iuvet; Graiusque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborumq; hæc sunt discrimina fratrum:
Vadite, et adversis, ut quis volet, irruat armis.
Dixerat: instaurat mensas, pacemque reducit;
Et iam sideream noctem dimittit Olympo.
Tunc adsuetus adest Phlegræas reddere pugnas,
Musarum chorus, et citharæ pulsator Apollo:
Fertque gravem Phrygius circum cratera ministar.
Surgitur in somnos, seque ad sua lumina flectunt.

Liber sextus

AT vigil isdem ardet Furiis Gradivus, et acri
Corde tumet; nec quas acies, quæ castra sequatur,
Invenit: ire placet tandem, præsensque tueri,
Sternere si Minyas, magnoque rependere luctu
Regis pacta queat; Graiamque absumere pubem.
Inpulit hinc currus, monstrum irrevocabile belli
Concutiens, Scythiæque super tentoria sistit.
Protinus e castris fugit sopor: excita tela;
Turbati coiere duces: hos insuper ingens
Fama movet, rate quæ sacra vulgabat Achivos
Advenisse, sui repetentes vellera Phrixi;
Quos malus hospitio iunctaque ad fœdera dextra
Luserit Æetes, atque in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox vacat alta movendis,
Legatos placet ire duces: mandataque Perses
Edocet adfari Minyas, fraudemque tyranni
Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Hæmoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, et exuvias pecudis dimittere sacræ:
Hinc odium, et tanti venisse exordia belli. (tur,
Quin potius dextramque suam, suaque arma sequan-
Aut remeent: neque enim Æetæ promissa fidemque
Esse loco; abstineant alienæ a sanguine pugnæ.
Non illos ideo tanti venisse labores
Per maris: ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis? hæc medio Perses dum tempore mandat;
Aureus effulsit campis rubor; armaque et acres
Sponte sua strepuere tubæ. Mars sævus ab altis,
Hostis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat:
Ac simul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Persen:

Tunc et quisque suis committit prælia telis,
Vexque dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc, age, Rhipæo quos videris orbe furores
Musa, mone: quanto Scythiam molimine Perses
Concierit, quis fretus equis per bella virisque. (ctus
Verum ego nec numero memorem, nec nomine cun-
Mille vel ora movens: neque enim plaga gentibus ulla
Ditior: æterno quamquam Mæotia pubes
Marte cadat; pingui numquam tamen ubere desit,
Quod geminas Arctos, magnumque quod impleat an-
Ergo duces solosq;, deæ, mihi promite gentes. (guem.
Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos,
Heniochosque truces, iampridem infensus Anausis;
Pacta quod Albano coniux Medea tyranno:
Nescius, heu, quanti thalamos adscendere monstri
Arserit, atque urbes maneat qui terror Achæas;
Gratior ipse deis, orbaque beatior aula.
Proxima Bisaltæ regio, ductorque Colaxes,
Sanguis et ipse deum; Scythicis quem Iuppiter oris
Progenuit, viridem Myracen Tibisenaque iuxta
Ostia, semifero (dignum si credere) captus
Corpore: nec Nymphæ geminos exhorruit angues.
Cuncta phalanx insigne Iovis, cælataque gestat
Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, et rutilas scutis diffunderis alas.
Insuper auratos conlegerat ipse dracones,
Matris Horæ specimen: linguisq; adversus utrimque
Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmæ.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias ostentat opes; cui candidus olim
Crinis inest, natale decus: dat longior ætas
Iam spatium, triplici percurrens tempora nodo:
Demittit sacro geminas a vertice vittas.
Dathin Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ
Misit in arma Daraps; acies quem Martia circum
Gangaridum, potaque Gerys quos efferat unda,
Quique lacum cinxere Bicen: non defuit Auxur,
Non Rhodalo cum fratre Sydon: Acesinaque lævo
Omine fatidicæ Phrixus movet agmina cervæ.
Ipsa comes, sætis fulgens et cornibus aureis,
Ante aciem celsi vehitur gestamine conti
Mœsta, nec in sævæ lucos reditura Dianæ.
Movit et Hylæa supplex cum gente Syenen
Inpia germani prætentans vulnera Perses.
Densior haud usquam, nec celsior extulit ullas
Silva trabes; fessæque prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam pervenere cacumen.
Quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros: plaustrisque ad prœlia cunctas
Coraletæ traxere manus: ibi sutilis illis
Et domus, et crudo residens sub vellere coniux,
Et puer e primo torquens temone cateias.
Linquitur abruptus pelago Tyra; linquitur et mons
Ambenus, et gelidis pollens Ophiusa venenis.
Degeneresque ruunt Sindi; glomerantque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas.
Hos super æratam Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu; densique levant vexilla Coralli:
Barbaricæ quis signa rotæ, ferrataque dorso
Forma suum, truncæque Iovis simulacra columnæ:
Prœlia nec rauco curant incendere cornu;
Indigenas sed rite duces et prisca suorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.
Ast ubi Sidonicas inter pedes æquat habenas;
Illinc iuratos secum trahit Æa Baternas:
Quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat;
Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.
Nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
Hiberni qui terga Noæ, gelidumque securi
Eruit, et tota non audit Alazona ripa:
Quosque Taras, niveumque ferax Evarchus olorum.
Te quoque venturis, ingens Ariasmene, seclis
Tradiderim, molem belli, lateque ferentem
Undique falcatos deserta per æquora currus.
Insequitur Drancæa phalanx, claustrisque profusi
Caspiadæ; quis turba canum non segnius acres
Exsilit ad lituos, pugnasque capessit heriles.
Inde etiam par mortis honos; tumulisque recepti
Inter avos positusque virum: nam pectora ferro,
Terribilesque innexa iubas ruit agmine nigro,
Latratuque cohors: quanto sonat horrida Ditis
Ianua, vel superas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates sacer agmina lucis
Varus: eum Scythiæ iam tertia viderat ætas
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius et dites monitis spondentibus Indi,
Et centumgeminæ Lagea navalia Thebes,
Totaque Rhipæo Panchaia rapta triumpho.
Discolor hastatas effudit Hiberia turmas,
Quas Otaces, quas Latris agunt, et raptor amorum
Neurus, et expertes canentis Iazyges ævi.
Namque, ubi iam viresque aliæ, notosque refutat
Arcus, et inceptus iam lancea temnit heriles,
Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis
Iura pati; dextra sed caræ occumbere prolis
Ense dato: rumpuntque moras natusque parensque,
Ambo animis, ambo miseri tam fortibus actis.
Hic et odorato spirantes crine Micelæ,
Cessææque manus; et qui tua iugera nondum
Eruis, ignotis insons, Arimaspe, metallis.
Doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, et extremas laqueis adducere turmas.
Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten, cinctumque vagis post terga silebo
Pellibus, et nexas viridantem floribus hastas.
Fama, ducem, Iovis et Cadmi de sanguine, Bacchum,
Hac quoque turiferos, felicia regna, Sabæos,
Hac Arabas fudisse manu: mox rumperet Hebri
Cum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, et sacer æris
Pulsus, et Eoæ memoratrix tibia pugnæ.
Iungit opes Eumeda suas: sua signa secuti
Exomatæ; Turinique, et flavi crine Satarchæ:
Mellis honos Torinis; ditant sua mulctra Satarchen;
Exomatas venatus alit: nec clarior ullis
Arctos equis: abeunt Hypanin, fragilemq; per undam,
Tigridis aut sævæ profugi cum prole leænæ:
Mœstaque suspectæ mater stupet aggere ripæ.
Inpulit et dubios Phrixei velleris ardor
Centoras, et diros magico terrore Choatras.
Omnibus in superos sævus honor; omnibus artes
Monstrificæ: nunc vero novo conpescere frondes,
Nunc subitam trepidis Mœot in solvere plaustris.
Maximus hos inter Stygia venit arte Coastes:
Sollicitat nec Martis amor; sed fama Cytææ
Virginis, et paribus spirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet iam nocte quieta
Portitor, et tuto veniens Latonia cœlo.
Ibant et geminis æquantes cornibus alas
Ballonoti; comitumque celer mutator equorum
Mœsus; et ingentis frenator Sarmata conti:
Nec tot ab extremo fluctus agit æquore, nec sic
Fratribus adversa Boreas respondet ab unda;
Aut is apud fluvios volucrum sonus; æthera quantus
Tunc lituum concentus adit, lymphataq; miscet
Millia: quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipse rotis gemit intus ager; tremebundaque pulsu

Nutat humus: quatit ut sævo cum fulmine Phlegram
Iuppiter, atque imis Typhona reverberat arvis.
Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis,
Et gener; ingentesque inter sua millia reges.
At circa Æsoniden Danaum manus, ipsaque Pallas
Ægide terrifica; quam nec dea lassat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo: nec semineces ostendere crines
Tempus adhuc; primasque sinit concurrere pugnas.
Inpulit hos contra Mavors pater, et mala leti
Gaudia, Tisiphoneque caput per nubila tollens
Ad sonitum litui, mediaque altissima pugna:
Necdum clara, quibus sese Fuga mentibus addat.
Illi ubi consertis innexere frementia telis
Agmina, virque virum galeis adflavit adactis;
Continuo hinc obitus, perfractaque cædibus arma,
Corporaque, alternus cruor, alternæque ruinæ:
Volvit ager galeas, et thorax egerit imbres
Sanguineos: hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtæque virum cum pulvere vitæ.
Caspius Æxeum correpto crine Monesen
Abstulit; hanc pariter Colchi Graiique sequuntur
Missilibus: rapit ille necem, prædamque relinquit:
Nec sociis iam cura viri. Dypsanta Caresus,
Strymonaque obscura spargentem vulnera funda
Deiicit: Albani cadit ipse Cremedonis hasta:
Iamque latet; currusque super turmæque feruntur.
Processere Melas et Hidasmenus; incipit hasta
Ante Melas. levis ast abies elusit utrumque;
Ensibus inde ruunt: prior occupat ære citato
Cassidis ima Melas; infracta est vulnere cervix;
Mixta perit virtus: nescit cui debeat Oebreus,
Aut cui fata Tyres: dum sibila respicit Iron
Cuspidis Argivæ, Pyliam latere accipit hastam.
Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
Castor equis; pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, fatisque viam monstrarat iniquis:
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: simul obvius hastam
Pectus in adversum Gelæ iacit alipedemque:
Constitit excusso victor duce: risit ab alta
Nube pater, prensisque equitem cognovit habenis.
At pariter luctuque furens visuque Medores
Tyndariden petit, et superos sic voce precatur:
Hunc, age, vel cæso comitem me reddite fratri:
Primus et hic nostra sonipes cadat inpius hasta,
Credita qui misero non rettulit arma parenti,
Meque venit contra, captivaque terga ministrat.
Dixerat: Actæi sed eum prior hasta Phaleri
Deiicit: ad socias sonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuisset Amyclas
Oebaliamq; manum, tot, Rhyndace, montibus inter
Diviso, totidemque fretis? cadit inpiger una
Inguine transfosso clari Taulantis alumnus
Semidea genetrice Tages; cui plurima silvis
Pervigilat materna soror, cultusque laborat.
Tenuia non illum candentis carbasa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Cæsaries, pictoque iuvant subtemine bracæ.
Iamque novus mediæ stupefacta per agmina pugnæ
Vadit eques, densa spargens hastilia dextra;
Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem
Huc alternus et huc: cum sævior, ecce, iuventus
Sarmaticæ coiere manus, fremitusque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena;
Id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
Et caput ingentem campis hostilibus umbram
Fert abies obnixa genu; vaditque virum vi,
Vadit equum, docilis relegi docilisque relinqui,
Atque iterum medios, non altior ire per hostes.
Orbibus hos rapidis mollique per æquora Castor
Anfractu levioris equi deludit anhelos,
Inmemoresque mori: sed non isdem artibus æque
Concurrunt, ultroque ruunt in funera Colchi.
Campesus, inpacta latus inter et ilia quercu,
Tollitur; ac mediam moriens descendit in hastam.
Oebasus, infestum submisso poplite Phalcen
Evasisse ratus, lævum per luminis orbem
Transigitur; teneræ liquuntur vulnere malæ.
Contra autem geminis fidens thoracibus, ictum
Sustulit, et gladio Sibotes ferit ultima teli,
Nequicquam: iam cuspis inest, nec fragmina curat
Ambenus, et trunco medium subit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remissum
Pone trahit fugiens, et cursibus exsuit hastam:
Dumque reconlectum rursus locat; inruit ultro,
Turbatumque Lacon, et adhuc invadit inermem.
Inpulit adverso præceps equus Onchea conto,
Nequicquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit sonipes; accedit et ipse
Frigidus: arma cadunt; rorat procul ultima cuspis.
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ,
Si quis avem summi deducat ab aere rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit harundo;
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Inplorat ramos, atque inrita concitat alas.
Parte alia infestis (nam fors ita iunxit) in armis
Styrus adest, lætusque virum cognoscit Anausin;
Et prior: Encuius thalamis Æeteia virgo
Dicta manet, nostrosque feret qui victor amores.
Non, ait: invitoque gener mutabere patri.
Tum simul adversas conlatis cursibus hastas
Coniiciunt: fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non sperat Anausin,
Nec videt: ille autem telo moribundus adacto,
Ad soceros, pactæque sinus en coniugis, inquit,
Styre, fugis; vulnus referens, quod carmine nullo
Sustineat, nullisque levet Medea venenis,
Dixerat: extremus cum lumina conripit error:
Voxque repressa gelu, percussaque vertice tellus.
Hinc animos acies auget; magnoque doloris
Turbine Gesandrum Mavors rapit: ille morantes
Increpat, et stricto sic urguet Iazygas ense:
Nempe omnes cecidere senes, nempe omnis ademtus
Ante pater, quæ vos subito tam fœda senectus
Conripuit, fregitque animos, atque abstulit iras?
Aut mecum mediam, iuvenes, agite, ite per urbem,
Argolicamque manum; aut caris occumbite natis.
Inruit, et patrias cœptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animamque parem; si fata peroso
Tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
Paruimus, parvique viam didicere nepotes.
Hæc ait, auditurque Erebo: tunc corripit ensem
Turbidus, et Furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis sacratus aquis, magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis;
(Populeus cui frondis honor, conspectaque glauco
Tempora nectuntur ramo) te, Cyrne, parentis
Inmemorem duræ cupiens abducere pugnæ;
Iamque omnes inpune globos diversaque lustrans
Agmina, quem quærit, nusquam videt, atq; iterum
Vociferans, iterum belli diversa peragrat: (instat
Lancea cærulea circum strepit incita vittas.
Opprimit admissis ferus hunc Gesander habenis.
Ille manum trepidans atque inrita sacra tetendit:
Teque per hanc, inquit, genitor tibi si manet, oro
Canitiem, conpesce minas, et sicubi nato

Parce meo: dixit: contra sic victor adacto
Ense refert: Genitor, turpi durare senecta
Quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
Maluit, atque ultro segnes abrumpere metas.
Et tibi si pietas nati, ai dextra fuisset,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Præda future cauum: iuveni fors pulchrior omni;
Et certare manu decet, et caruisse sepulcro.
Dixerat: ille deos moriens cœlumque precatur,
Dextera ne misero talis foret obvia nato.
Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
Flevit, ab invita rapientem tela carina:
Iam Scythicos miserande sinus, iam Phasidis amnem
Contigeras: nec longa dies, ut capta videres
Vellera, et Euboicis patrios de montibus ignes.
Illum, ubi congressu subiit Gesander iniquo,
Territat his: Tu, qui faciles hominumque putasti
Has, Argive, domos, alium hic miser adspicis annum,
Altricemque nivem, festinaque tædia vitæ.
Non nos aut levibus conponere brachia remis
Novimus, aut ventos opus exspectare ferentes:
Imus equis, qua vel medio riget æquore pontus,
Vel tumida fremit Hister aqua: nec mœnia nobis
Vestra placent: feror Arctois nunc liber in arvis
Cuncta tenens mecum: omnis amor iacturaque plau-
Sola; nec hac longum victor potiere rapina. (stri
Ast epulæ quodcumque pecus, quæcumque ferarum.
Mitte Asiæ, mitte Argolicis mandata colonis,
Ne trepident: numquam has hiemes, hæc saxa relin-
Martis agros: ubi iam sævo duravimus amne (quam
Progeniem, natosque rudes: ubi copia leti
Tanta viris? sic in patriis bellare pruinis
Prædarique iuvat: talemque hanc accipe dextram.
Dixit, et Edonis nutritum missile ventis
Concitat: it medium per pectus et horrida nexu
Letifer æra chalybs: trepidus super advolat Idas,
Ac simul Ocnides, pariterque Menœtius, et qui
Bebrycio propius remeavit ab hospite victor.
At vero ingentem Telamon procul extulit orbem,
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu septus in arto
Dat catulos post terga leo: sic comminus hastam
Æacides gressumque tenet, contraque ruentem
Septeno validam circumfert tegmine molem. (thi,
Nec minus hinc urguet Scythiæ manus, armaq; Can-
Quisque sibi, et Graio pœnam de corpore poscens.
Arduus inde labos: medioque in corpore pugna
Conseritur: magno veluti cum turbine sese
Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequutur
Illa dies: obnixa virum sic comminus hæret
Pugna; nec adrapto velli de corpore possunt.
Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis: tendunt illi, tractuque vicissim
Taurea terga domant: pingui fluit unguine tellus.
Talis utrimque labos, raptataque limite in arto
Membra viri miseranda meant: hi tendere contra,
Hi contra; alternaque virum non cedere dextræ.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc tenet ardens,
Colla viri, et molles galeæ Gesander habenas:
Insonuit quæ lapsa solo, dextramque fefellit.
Ille iterum in clipei septemplicis improbus orbem
Arietat, et Canthum sequitur, Canthumq; reposcit:
Quem manus a tergo socium rapit, atque receptum
Virginis Euryales curru locat: advolat ipsa,
Ac simul Hæmonidæ: Gesandrumq; omnis in unum
It manus, ille novas acies et virginis arma
Ut videt, Has etiam contra bellabimus? inquit.
Heu pudor! inde Lycen ferit ad confine papillæ;
Inde Thoen, qua pelta vacat: iamque ibat in Harpen,
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo,
*Inlabentis equi tendentem frena et Hemippen:
Cum regina, gravem nodis auroque securim
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Dissipat: hic pariter telorum immanis in unum
It globus: ille diu coniectis sufficit hastis;
Quis gravior, nutuque cadens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quæ scopulis trabibusque diu, confectaque flammis,
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempusque ratus, iamque et sua posci
Prœlia, falcatos infert Ariasmenus axes,
Sævaque diffundit socium iuga, protinus omnes
Graiugenas, omnes, rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exosus Pyrrhæ genus, æquora rursus
Iuppiter atque omnes fluvium si fundat habenas,
Ardua Parnasi lateant iuga, cesserit Othrys
Piniger, et mersis decrescant rupibus Alpes.
Diluvio tali, paribusque Ariasmenus urguet
Excidiis, nullo rapiens discrimine currus.
Ægida tum primum virgo spiramque Medusæ
Tercentum sævis squalentem sustulit hydris,
Quam soli vidistis equi: Pavor occupat ingens
Excussis in terga viris, diramque retorquet
In socios non sponte luem: tunc ensibus uncis
Inplicat, et trepidos lacerat discordia currus.
Romanas veluti sævissima cum legiones
Tisiphone regesque movet; quorum agmina pillis,
Quorum aquilis utrimque micant, eademq; parentis
Rura colunt; idem lectos ex omnibus agris
Miserat infelix non hæc ad prœlia Thybris.
Sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus; sic in sua versi
Funera concurrunt dominis revocantibus axes.
Non tam fœda virum Laurentibus agmina terris
Eiecere Noti; Libyco nec talis imago
Litore, cum fractas involvunt æquora puppes.
Hinc biiuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena secant; trahiturq; trahitque
Currus cæde madens; atroque in pulvere regum
Viscera nunc aliis, aliis nunc curribus hærent.
Haud usquam Colchorum animi: neque cura cavere
Tela; sed inplicitos miseraque in peste revinctos
Confodiunt: ac forma necis non altera surgit;
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
Non penna petit: hærentes sed cornibus altis
Invenit, et cæca constrictos excipit ira.
Ipse reconlectis audax Ariasmenus armis
Desilit, illum acies curvæ secat undique falcis,
Partiturque rotis: atque inde furentia raptus
In iuga Circæos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyæ sparsique Cytæi
Funera miscebant campis, Scythiamque premebant:
Cum Iuno Æsonidæ, non hanc ad vellera cernens
Esse viam, nec sic reditus regina parandos,
Extremam molitur opem: funesta priusquam
Consilia, ac seras aperit rex perfidus iras.
Increpat et sævis Vulcanum mœsta querelis,
Cuius flammiferos videt inter regis tauros
Pascua Tartaream proflantes pectore noctem.
Hæc etenim Minyas ne iungere Marte peracto
Monstra satis iubeat Cadmei dentibus hydri,
Ante diem timet, et varias circumspicit artes:
Sola animo Medea subit: mens omnis in una
Virgine; nocturnis qua nulla potentior aris.
Illius ad fremitus sparsosque per avia succos
Sidera fixa pavent, et avi stupet orbita Solis:
Mutat agros fluviumque vias; suus adligat igni

Cuncta sopor: recoquit fessos ætate parentes,
Datque alias sine lege colus: hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus;
Quamvis Atracio lunam spumare veneno
Sciret, et Hæmoniis agitari cantibus umbras.
Ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Iuno duci sociam coniungere quærit Achivo.
Non aliam tauris videt et nascentibus armis
Quippe parem: medio si quam , stet in agmine flam-
Nullum mente nefas, nullos horrescere visus. (mæ,
Quid si cæcus amor, sævusque accesserit ignis?
Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis
Tecta petit, visa iamdudum prosilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum,
Ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
Adgreditur, veros metuens aperire timores:
In manibus spes nostra tuis, omnisque potestas
Nunc, ait: hoc etiam magis adnue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exsulat oris;
Mens mihi non eadem Iovis, atque aversa voluntas:
Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.
Da , precor, artificis blanda adspiramina formæ,
Ornatusque tuos, terra cœloque potentes.
Sensit diva dolos, iam pridem sponte requirens
Colchida et invisi genus omne exscindere Phœbi.
Tum vero optatis potitur; nec passa precari
Ulterius, dedit acre decus fecundaque monstris
Cingula; non pietas quibus, aut custodia famæ,
Non pudor: at contra levis et festina cupido,
Adfatusque mali, dulcisque labentibus error,
Et metus, et demens alieni cura pericli,
Omne, ait, imperium, natorumque arma meorum
Cuncta dedi : quascumq; libet nunc concute mentes.
Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hinc virgineæ venit ad penetralia sedis,
Chalciopen imitata sono formaque sororem.
Fulsit ab invita lumen procul: et pavor artus
Protinus, atque ingens Æetida perculit horror.
Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Advenisse, soror, nec nostro sola parenti
Scis socias iunxisse manus? at cetera muros
Turba tenet, fruiturq; virum cœlestibus armis.
Tu thalamis ignava sedes, tu sola paterna
Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?
Illa nihil contra; nec enim dea passa: manumque
Inplicat, et rapidis mirantem passibus aufert.
Ducitur infelix ad mœnia summa futuri
Nescia virgo mali, et falsæ commissa sorori.
Lilia per vernos lucent velut alba colores;
Præcipue, quis vita brevis, totusque parumper
Floret honor, fuscis et iam Notus imminet alis.
Hanc residens altis Hecate Perseia lucis
Flebat, et has imo referebat pectore voces:
Deseris, heu, nostrum nemus æqualesque catervas,
Ah misera, ut Graias haud sponte vageris ad urbes!
Non iniussa tamen: neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugæ monumenta dabis; spernere nec us-
Mendaci captiva viro: nequa ille magistram (quam
Sentiet, et raptu famulæ doluisse pudendo.
Dixerat: ast illæ murorum extrema capessunt,
Defixæque virum lituumque fragoribus horrent,
Quales instanti nimborum frigore mœstæ
Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
Iamque Getæ, iamq; omnis Hiber, Drancæaq; densa
Strage cadit legio, et latis prosternitur arvis:
Semineces duplicesque inter sua tela, suosque
Inter equos sævam misero luctamine versant
Congeriem: et longis campos singultibus implent.
Victores contra patrium Pæana Geloni
Congeminant, eadem redeunt mox gaudia victis;
Qua deus et melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clipei radiis curruque coruscus
Solis avi; cuius vibrantem comminus hastam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem;
Sed trepidæ redeunt, et verso vulnera tergo
Accipiunt, magnisque fugam clamoribus augent:
Proterit inpulsu gravis agmina, corporaque atris
Sternit equis, gemitusque premit spirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron: horrentia cuius
Discolor arma super, squalentesque ære lacertos,
Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento
Inplet equum: qualis roseis it Lucifer alis,
Quem Venus inlustri gaudet producere cœlo.
At non inde procul Rhambelus et acer Otaxes
Dispulerant Colchos, pariterque inglorius Armes,
Fraude nova stabula et furtis adsuetus inultis
Depopulare greges: frontem quum cornibus auxit
Hispidus, inque dei latuit terrore Lycei.
Hac tunc attonitos facie defixerat hostes,
Quem simul ignota formidine bella moventem
Vidit Aron, Pavidos te, inquit, nunc rere magistros,
Et stolidum petiisse pecus; non pascua, nec sepa
Hic tibi: nocturnis mitte hæc simulacra rapinis;
Neve deum mihi finge; deus quoq; consere dextram.
Sic ait; intentaque adiutum missile planta
Dirigit, et lapsis patuerunt vulnera villis.
Nec minus Æolii proles Æetia Phrixi
Fertur et ipsa furens; ac se modo læta Cytæis
Agminibus, modo cognatis ostentat Achivis.
Atque hos, in medio duri discrimine belli,
Laudibus inque ipsis, gaudens ubi vidit Iason;
Macte, ait, o nostrum genus, et iam certa propago
Æoliæ, nec opina, domus: sat magna laborum
Dona fero, satis hoc visu quæcumque rependo.
Dixit, et in Sueten, magnique in fata Ceramni
Emicuit, clipeumque rotans, hunc poplite cæso
Deiicit, illum aperit lato per pectus hiatu
Argus, utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Ama-
Sanguinis ille globos, effusaq; viscera gestat, (strum.
Barbarus et cassa frendens sublabitur ira.
Dat Calais Barisanta neci, semperque propinquas
Rhipea venali comitantem sanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucemque rependit
Crudelis: tandem dulces iam cassus in auras
Respicit, ac nulla cœlum reparabile gaza.
Labitur intortos per tempora cærula crines
Tunc quoque materna velatus harundine Peucron.
At genetrix imis pariter Mæotis ab antris
Inplevit plangore lacus, natumque vocavit,
Iam non per ripas, iam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit æquore. Nestoris hastæ
Inmoritur primævus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.
At Latagum Zatenque Daraps; illum exigit hasta,
Hunc fugat, ingentem subiti cum sanguinis undam
Vidit, et extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis,
Singula dum magni lustrat certamina belli,
Atque hos ipsa procul densa in caligine reges
Agnoscit, quæritque alios Iunone magistra,
Conspicit Æsonium longe caput; ac simul acres
Huc oculos sensusque refert animumque faventem:
Nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret,

Ante videns; quotq; unus equos, quot funderet arma,
Orantesque viros quam densis sterneret hastis.
Quaque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu,
Aut fratris quærens, aut pacti coniugis arma,
Sævus ibi miseræ solusque occurrit Iason.
Tunc his germanam adgreditur, ceu nescia, dictis:
Quis, precor, hic; toto iamdudum fervere campo
Quem tueor, quemque ipsa vides? nam te quoque tali
Attonitam virtute reor: contra aspera Iuno
Reddit agens stimulis, ac diris fraudibus urguet;
Ipsum, ait, Æsoniden cernis, soror; æquore tanto
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi;
Nec nunc laude prior generis, nec sanguinis usquam.
Adspicis, ut Minyas inter, proceresque Cytæos,
Emicet effulgens; quantisque insultet acervis:
Et iam vela dabit, iam litora nostra relinquet,
Thessaliæ felicis opes, dilectaque Phrixo
Rura petens; eat atque utinam, superetque labores!
Tantum effata, magis campis intendere suadet,
Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas.
At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
Inpulit, atque novas egit sub pectora vires,
Ora sub excelso iam dudum vertice coni
Sæva micant: cursuque ardescit, nec tibi, Perse,
Nec tibi, Virgo, iubæ lætabile sidus Achivæ.
Acer ut autumni canis, iratoque vocati
Ab Iove fatales ad regna iniusta cometæ.
Nec sua Crethiden latuit dea, vimque recentem
Sentit agi membris, ac se super agmina tollit:
Quantus ubi ipse gelu, magnoque incanuit imbre
Caucasus, et summas abiit hibernus in Arctos.
Tunc vero, stabulis qualis leo sævit opimis
Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores;
Sic neque parte ferox, nec cæde moratur in una
Turbidus; inque omnes pariter furit: ac modo sævo
Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnæ.
Tunc et terrificis undantem crinibus Hebrum,
Et Geticum Priona ferit: caput eripit Auchi,
Brachiaque, et vastis volvendum mittit harenis.
At genitus Iove conplerat sua fata Colaxes;
Iamque pater mœsto contristat sidera vultu,
Talibus ægra movens nequicquam pectora curis:
Hei mihi, si duræ natum subducere sorti
Moliar, atque meis ausim confidere regnis!
Frater adhuc Amyci mœret nece; cunctaque divum
Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque.
Quin habeat sua quemque dies: cunctisque negabo,
Quæ mihi: supremos misero sic fatus honores
Congerit, atq; animis moriturum ingentibus inplet.
Ille volat campis, inmensaque funera miscet
Per cuneos: velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens scopulos, nemorumq; operumq; ruinas;
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque novum paullatim deficit amnem.
Talis in extremo proles Iovis emicat ævo;
Et nunc magnanimos Hypetaona Gesithoumque,
Nunc Arinen Othumque necat: iam saucius Apren,
Et desertus equo Tydrum pedes excipit hasta
Phasiaden; pecoris custos de more paterni
Caucasus ad primam genuit quem Phasidis undas:
Hinc puero cognomen erat; famulumque ferebant
Phasidis intonso nequicquam crine parentes.
Iamque aliis instabat atrox; cum diva supremas
Rumpit iniqua colos, victorque advenit Iason.
Excipit hunc sæva sic fatus voce Colaxes:
Vos Scythiæ saturare canes, Scythiæque volucres
Huc miseri venistis? ait: saxumque prehensum
[illegible]tot dextræ gestamen, et illius ævi,
Concussa molitur humo, quod regia Iuno
Flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.
Præceps ille ruit: nato non depulit ictus
Iuppiter: Æsoniæ vulnus fatale sed hastæ
Per clipeum, per pectus abit: labsoque cruentus
Advolat Æsonides, mortemque cadentis acerbat.
Spargitur hinc, miserisque venit iam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
Persequitur lustrans, oculisque ardentibus hæret:
Et iam, læta minus præsentis imagine pugnæ,
Castigatque metus, et, quas alit inscia, curas;
Respiciens, an vera soror: nec credere falsos
Audet atrox vultus, eademque in gaudia rursus
Labitur, et sævæ trahitur dulcedine flammæ.
Ac velut ante comas ac summa cacumina silvæ
Lenibus adludit flabris levis Auster: at illum
Protinus inmanem miseræ sensere carinæ:
Talis ad extremos agitur Medea furores:
Interdum blandæ derepta monilia divæ
Contrectat, miseroque aptat flagrantia collo:
Quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
Deficit; ac sua virgo deæ gestamina reddit:
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, sed mole dei; quem pectore toto
Iam tenet: extremus roseo pudor errat in ore.
Ac prior his: Credisne patrem promissa daturum,
O soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
Contigit? aut belli quantum iam restat acerbi?
Heu quibus ignota sese pro gente periclis
Obiicit! hæc Iantem medio in sermone reliquit
Incepti iam Iuno potens, securaque fraudis.
Inminet e celsis audentius inproba muris
Virgo, nec ablatam sequitur quæritve sororem.
At quotiens vis dira ducum, densique repente
Æsoniden pressere viri, cumque omnis in unum
Imber iit; toties saxis pulsatur et hastis.
Primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus:
Alta sed Æsonium supra caput exit harundo,
Teque, Caice, petit: coniux miseranda Caico
Linquitur, et primo domus inperfecta cubili.
Regius Eoia Myraces interpres ab oria
Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis
Fœdera donato non irrita iungeret auro.
Tum iuvenem terris Parcæ tenuere Cytæis,
Ac subiti Mavortis amor: simul armiger ibat
Semivir, inpubemque gerens sterilemque iuventam.
Ipse, pharetratis residens ad fr[...]na tapetis,
Nunc levis infesto procurrit in agmina curru:
Nunc fuga conversas spargit m[...]ntita sagittas.
At viridem gemmis et Eoa sta[...]mine silvæ
Subligat extrema patrium cer[...]ce tiaram,
Insignis manicis, insignis acin[...]ce dextro;
Inproba barbaricæ procurrunt [...]egmina plantæ.
Nec latuere diu sævum spolia i[...]la Syenen,
Perque levem at multo macula[...]m murice tigrin
Concita cuspis abit: subitos ex [...]ore cruores
Saucia tigris hiat, vitamque ef[...]undit herilem:
Ipse puer fracto pronum caput [...]plicat arcu.
Sanguine tunc atro chlamys ig[...]ea, sanguine vultus,
Et gravidæ maduere comæ, qu[...]s flore Sabæo
Nutrierat, liquidoque parens [...]gnaverat auro.
Qualem si quis aquis et fertili [...]bere terræ
Educat, ac ventis oleam felici[...]s inplet,
Nec labor adsiduus, nec spes s[...] fallit alentem;
Iamque videt primam tenero d[...] vertice frondem:
Cum subito inmissis præceps a[...]uilonia nimbis
Venit hiems, magnaque evuls[...] tendit harena.
Haud secus ante urbem Myrac[...], atque ipsius ante
Virginis ora cadit: sed non m[...]s illa movetur.

Uolus ægra metu; quam te, Maleagre, furentem,
Quam Talaum videt, aut pugnas miratur Acasti
(At satis hos ipsæ gentes, campique videbant)
Tempestate pari versis incumbere turmis;
Aute oculos fuga fœda ducum, largusque cadentum
Iteruor, et currus dominis ingentibus orbi.
Non tulit hos Perses gemitus: cladem que suorum,
Tergaque versa tuens bis cœlum questibus implet.
Quid me iam patriis eiectum sedibus istas
Ut struerem pugnas, Scythiamq; in bella moverem,
Vos Superi, vos augurio lusistis inani?
Quid fratris meritas tua, Iuppiter, omina pœnas
Promisere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia, et tantas coniungere vires.
Sæva quidem lucis miseris mora: dent tamen, oro,
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos; quoque hunc videam virtute superbum
Æsoniden, tantos flentem sine honore labores.
Dixerat hæc, pectusque suis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam singultibus implet:
Ibat at in medii præceps incendia belli:
Ni prior adversis Pallas vidisset ab armis:
Et secum; Ruit ecce ferox in funere Perses,
Quem genitor Colchis solioque reponere fratris
Iam statuit: nostro vereor ne fraude peremtum
Increpet, et culpam hanc magno terrore rependat.
Hæc dicens, atro nebulam diffundit amictu,
Stridentesque viri circum caput amovet hastas.
Ille super socias clementi turbine gentes
Erigitur, paullumque levi raptatus in æthra,
Iam tandem extremas pugnæ defertur in oras:
Forte ubi serus Hiber Essedoniæque phalanges
Marte carent, solisque iuvant clamoribus agmen.
Nox simul astriferas profert mortalibus umbras:
Et cadit extemplo belli fragor; ægraque muris
Digreditur, longum virgo perpessa timorem.
Ut fera Nyctelii paullum per sacra resistunt,
Mox rapuere deum iamiam in quodcumque paratæ
Thyades, haud alio remeat Medea tumultu,
Atque inter Graiumque acies patriasque phalanges
Semper inexpletis agnoscit Iasona curis,
Armaque, quique cava superest de casside vultus.

Liber septimus

Tequoque Thessalico iam serus ab hospite vesper
Dividit, et te iam tua gaudia, virgo, relinquunt:
Noxque ruit, soli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit ægra toros, et mens incensa tenebris;
Vertere tunc varios per longa insomnia questus,
Nec pereat quo scire malo; tandemque fateri
Ausa sibi, paullum medio sic fata dolore est:
Nunc ego quo casu; vel quo sic pervigil usque
Ipsa volens errore trahor? non hæc mihi certe
Nox erat ante tuos, invenis fortissime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterumque recordor,
Tam magno discreta mari? quid in hospite solo
Mens mihi? cognati potius iam vellera Phrixi
Accipiat, quæ sola petit, quæque una laborum
Caussa viro: nam quando domos has ille reviset?
Aut meus Æsonius quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui se dare fluctibus ausi,
Nec tantas timuere vias, talemque secuti
Hunc qui deinde virum: sed sic quoque talis abito.
Tum iactata toro, nimiumque experta cubile,
Ecce videt tenui candescere limen Eoo:
Nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
Quam cum languentes levis erigit imber aristas,
Gratque iam fessis descendunt flamina remis.

At sua longarum Minyas iam cura viarum
Admonet, inque ipso nequicquam tempora regem
Lætitiæ meritique petunt: quem passus Iason
Vota prius captasque deis accendere prædas,
Prominet, atque oculos longe tenet; aurea si iam
Pellis, et oblatis clarescant atria villis.
Ille autem iamiam vultus vocesque paratas
Ante aperit; rumpitque moras, inque ipsa morantis
Prosilit ora viri, talique effunditur ira:
Orbe satos alio, sua litora regnaque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quisva mei vos tantua amor? tu prima malorum
Caussa mihi; tu, Phrixe gener: non te æquore mer-
Quo soror, ut felix nullos nunc nomine Graios (sum,
Nossem ego: quis regum Pelias, quis Thessalus, aut
quæ
Græcia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi
Cyaneæ? venit Scythicas en hospes in oras. (cautes
Quinquaginta Asiam (pudet heu!) penetrarit Iason
Exsulibus? meque ante alios sic spreverit una,
Una ratis, spolium ut vivo de rege reportet?
Ipsum efferre, meos ipsum me pandere lucos
Imperet? et nullo dignetur vincere bello?
Cur, age, non templis sacrata avellere dona
Omnibus, atque ipsas gremiis abducere natas,
Prædo, libet? vobisne domos, vobisne parentes
Esse putem, ratis infandis quos sola rapinis
Sævaque pascit hiems? et quos, credamus ut ipsis,
Rex suus inlisit pelago, vetuitque reverti?
Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro.
Ante meus cæsa descendet Caucasus umbra,
Ac prior Hæmonias rapiet super æquora prædas.
Haud ego cum vittis statui feralibus Hellen.
Si tamen his aliter perstas non cedere terris,
Teque pudor cassi reditus movet, ac latet una
Nescio quid plus puppe viris; haud ipse morabor,
Quæ petitis: modo nostra prior tu perfice iussa.
Martius ante urbem longis iacet horridus annis
Campus, et ardentes, ac me quoque vomere presso,
Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
His magis atque magis rabiem nunc nostra senectus
Luxuriemque dedit: solitoque superbior ignis
Ore fremit: succede meæ, fortissime, laudi;
Et nostros recole, hospes, agros: nec semina deerunt,
Quæ prius ipse dabam, et messes, quas solus obibam.
Consiliis nox una satis: tecumque retracta,
Cumque tuis hæc iussa deis: ac, si quid in isto est
Robore, prædicti venies in rura laboris.
Ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammisque velim: durare parumper
An magis, everso iacias dum semina campo,
Ac tibi Cadmei dum seminis exeat hydri
Miles, et armata florescant pube novales.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Hæsit, et ad iuvenem pallentia retulit ora,
Contremuitque metu, ne nescius audeat hospes,
Seque miser ne posse putet: perstrinxerat horror
Ipsum etiam, et mœsta stabat defixus in ira.
Non ita Tyrrheous stupet Ionius que magister,
Qui portus, Tyberine, tuos, claramque serena
Arce Pharon præceps subiit: nusquam ostia, nus-
Ausoniam videt, et sævas accedere Syrtes. (quam
Tum tamen, infando quæ det responsa tyranno,
Colligit, et tandem obtutu consurgit ab alto:
Non, ait, hos reditus, non hanc, Æta, dedisti
Spem Minyis: cum prima tuis pro mœnibus arma
Induimus: quo versa fides? quos vestra volutant
Iussa dolos? alium hic Pelian, alia æquora cerno.
Quin agite, hoc omnes odiisque urguete tyranni

Imperiisq; caput; quamquam mihi dextera, nec spes
Defuerit mox iussa pati, nec cedere duris.
Unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis,
Hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu;
Nuntius hinc sævas Peliæ mittatur ad aures,
Hic periisse viros; et me, si vestra fuisset
Ulla fides, reducem patriæ potuisse referri.
Talibus attonitos dictis natamque patremque
Linquit, et infida præceps prorumpit ab aula.
At trepida et medios inter deserta parentes
Virgo silet: nec fixa solo servare parumper
Lumina, nec potuit mœstos non flectere vultus:
Respexitque fores, et adhuc invenit euntem:
Visus et heu miseræ tunc pulchrior hospes amanti
Discendens: tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipsos paullum procedere postes
Optat, et ardentes tenet intra limina gressus.
Quali, ubi extremas Io vaga sentit harenas,
Fertq; refertq; pedem; tumido quam cogit Erinnys
Ira mari, Phariæque vocent trans æquora matres.
Circuit haud aliter, foribusque impendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oraque quærens
Hospitis, aut solo mœrat defecta cubili,
Aut venit in caræ gremium refugitque sororis,
Atque loqui conata silet; rursusque recedens
Quærit, ut Æetis hospes consederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.
Tum comitum visu fruitur miseranda suarum,
Implerique nequit; subitoque parentibus hæret
Blandior, et patriæ circumfert oscula dextræ.
Sic adsueta toris et mensæ dulcis herili,
Ægra nova iam peste canis rabieque futura,
Ante fugam totos lustrat queribunda penates.
Tandem etiam molli sese semel increpat ira:
Pergis, ait, demens; teque illius angit imago,
Curaque, qui profuga forsan tenet alta carina?
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem sic illis movet, superatve labores,
An cadat, et tanto turbetur Græcia luctu?
Saltem, fata virum si iam suprema ferebant,
Iussus ad ignotos potius foret ire tyrannos!
O utinam, et tandem non hac moreretur in urbe!
Namque et sidereo nostri de sanguine Phrixi
Dicitur; et caram vidi indoluisse sororem:
Seque ait has iussis actum miser ire per undas.
Aut redeat quocumque modo, meque ista precari
Nesciet, atque meum non oderit ille parentem.
Dixerat hæc, stratoque graves proiecerat artus,
Si veniat miserata quies; cum sævior ipse
Turbat agitque sopor; supplex hinc sternitur hospes,
Hinc pater: illa nova rumpit formidine somnos,
Erigiturque toro; famulas carosque penates
Agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes.
Turbidus ut pœnis cæcisque pavoribus ensem
Corripit, et sævæ ferit agmina matris Orestes:
Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli;
Atque iterum infestæ se fervere cæde Lacænæ
Credit agens, falsaque redit de strage dearum
Fessus, et in miseræ conlabitur ora sororis.
His ubi nequicquam nutantem Colchida curis
Iuno videt needum extremo parere furori:
Non iam mentitæ vultum vocemque resumit
Chalciopes; quando ardor hebet, leviorque pudori
Mensque obnixa malo; tenues sublimis in auras
Tollitur, et fulvo Venerem vestigat Olympo:
Sum memor, ut tantum mecum partita laborem;
Illa nimis sed dura manet, conversaque in iram
Et Furias dolet, ac me nunc decepta reliquit.
I, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
Vince, precor; patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, atque meum casu defendere ab omni
Æsoniden: quin illa sacro, quo freta, veneno
Illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
Qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro)
Vellera tot spiris circum, tot ductibus implet,
Solvat, et in somnos ingenti solvat ab orno.
Hæc tibi nunc: Furiis, atque ipsi cetera mando.
Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum:
Nec tibi, cum primos adgressa es flectere sensus
Virginis, ignotaque animum contingere cura,
Defuimus: data continuo sed cingula soli
Nostra tibi: quis mota loco labefactaq; cessit. (scunt
Haud satis est; sed me ipsa opus: et cunctantia po-
Pectora me, dubiusque pudor: iam fœdera saxo
Æsonii petat ipsa viri, metuatque morari.
Tu face lucifera citus ad delubra Dianæ
Deveniat, sacras solita est ubi fundere tædas
Colchis, et æquali dominam lustrare caterva.
Nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
Impediat ne cœpta time: quin audeat opto:
Continuo transibit amor; cantuque trilingui
Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,
Amplexumque pati: volucrem tunc adspicit Irin,
Festinamque iubet monitis parere Diones;
Et iuvenem Æsonium prædicto sistere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida: Caucasiis speculatrix Iuno resedit
Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
Speque metuque tenens, et adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus prospexerat arces;
Virginis ecce novus mentem perstringere languor
Incipit: ingeminant commotis questibus æstus.
Ergo iterum sensus varios super hospite volvens
Mœret, et absenti nequicquam talia fatur.
Si tibi Thessalicis, nunc si tua forte venenis
Mater, et heu, si qua est, posset succurrere coniunx!
Quidve tuos virgo possim nisi flere labores?
Hoc satis; ipsa etiam casus spectare supremos,
Atque iterum duræ cogar comes esse sorori.
Et nunc ille sua non quemquam sorte moveri,
Non ullum meminisse putat: cumque omnibus odit
Me quoque: si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus hæserit arvis,
Ossaque, quis tauri sævusque pepercerit anguis,
Componam, sedemque dabo: fas tunc mihi manes
Dilexisse viri, tumuloque has reddere curas.
Dixerat: ecce toro Venus improvisa resedit,
Sicut erat mutata deam, mentitaque pictis
Vestibus et magica Circen Titanida virga.
Ipsa, velut lenti fallatur imagine somni,
Hic oculos incerta tenet, magnique sororem
Paullatim putat esse patris; tum flebile gaudens
Prosiluit, sævæque ultro tulit oscula divæ.
Ac prior: O tandem, vix tandem reddita, Circe
Dura tuis; quæ te biiugis serpentibus egit
Hinc fuga? quæve fuit patriis mora gratior oris?
Ante et Thessalicæ Phasin petiere carinæ,
Perque tot infelix frustra vada venit Iason,
Quam patriæ te movit amor: tum cetera rumpit,
Occurritque Venus: Tu nunc mihi causa viarum;
Sola tua venio (iampridem ignava) iuventæ:
Cetera parce queri; neu me meliora secutam
Argue: quippe ut iam reputentur munera divum,
Omnibus hunc potius communem animantibus or-
Communes et crede deos: patriam inde vocatu (bem,
Quo redit itque dies: nec nos o nata malignus
Læserit hoc uno semper sub frigore Phasis.
Fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.

Et nunc Ausonii coniux ego regia Pici:
Nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris;
Meque vides Tusci dominam maris: at tibi quinam
Sauromatæ, miseranda, proci? cui vadis Hibero,
(Hei mihi!) vel sævo coniux non una Gelono?
Illa deæ contra iamdudum spernere voces:
Non ita me immemorem magnæ Perseidos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem.
Sed magis his miseram, quando potes, eripe curis,
Unde metus æstusque mihi, quæque aspera, mater,
Perpetior duræ iamdudum incendia mentis.
Nulla quies animo, nullus sopor: ardua amanti.
Quære malis nostris requiem, mentemque repone:
Redde diem noctemque mihi; da prendere vestes
Somniferas, ipsaque oculos componere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior ante
Sola fui: tristes thalamos, infestaque cerno
Omnia, vipereos ipsi tibi surgere crines.
Talia verba dabat, conlabsaque flebat iniquæ
In Veneris Medea sinus, pestemque latentem
Ossibus, atque iam monstrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, et furialia figit
Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem.
Dumque illam variis unerentem vocibus ambit,
Inque alio sermone tenet; Quin hoc, ait, audi,
Atque attolle genas: lacrimisque hæc intulit obortis:
Cum levis a superis ad te modo laberer auris;
Forte ratem primo fugientem litore cerno,
Qualem nostra suo numquam dimittere portu
Vallet, adhuc omnes quæ detinet insula nautas.
Unus ibi ante alios, qui tum mihi pulchrior omnes
Visus erat (longeque ducem mirabar et ipsa)
Advolat, atque unam comitum ratus esse tuarum:
Per, tibi si quis, ait, morituri protinus horror,
Et quem non meritis videas occurrere monstris,
Hæc precor: hæc dominæ referas ad virginis aurem:
Tu fletus ostende meos: illi has ego voces,
Qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo.
Ipsæ, ego quas mecum per mille pericula traxi,
Defecere deæ: spes et via sola salutis,
Quam dederit, si forte dabit: ne vota repellat,
Ne mea: totque animas, quales nec viderit ultra,
Dic precor, auxilio iuvet, atque hæc nomina servet.
Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
Expediit, totque ora simul iugulata procorum
Respiciens, tandem patrios exhorruit axes:
Si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo:
Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis
Te quoque, et Ææos iubeas mitescere campos?
Occidat æterna tandem Cadmeia morte
Iam seges, et viso fumantes hospite tauri.
Hei mihi, quod nullas hic possum exsolvere grates!
Ut tamen hoc sæva corpus de morte receptum,
Hanc animam sciat esse suam: miserebitur ergo?
Dic, ait, an potius? strictumque ruebat in ensem.
Promisi: ne falle, precor: cumque ipsa moverer
Adloquio casuque viri, te passa rogari
Sum potius: tu laude nova, tu supplice digno
Dignior es: sat fama meis iam parta venenis.
Torserat illa gravi iamdudum lumina vultu
Vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
Iret in ora deæ: tanta pudor æstuat ira
Verba cavens: horror molles invaserat annos.
Iamque toro trepidas infelix obstruit aures;
Nec quo ferre fugam, nec quo se vertere posset
Pressa videt: rupta condi tellure premique
Iamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa sequi iubet, et portis exspectat in ipsis.
Sævus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
Deserit, iniectis per roscida cornua vinclis;
Cum tenet ille deum, pudibundaq; tegmina matris,
Tympanaq; et mollem subito miser accipit hastam.
Haud aliter deserta pavet, perque omnia circum
Fert oculos, tectisque negat procedere virgo.
Contra sævus amor, contra periturus Iason
Urguet, et auditæ crescunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo se prodere patrem
Dura viro: famam scelerum iamque ipsa suorum
Prospicit, et questu superos, questuque fatigat (eia,
Tartara: pulsat humum, manibusq; immurmurat um-
Noctis herum Ditemque ciens; succurrere tandem
Morte velint, ipsumque simul demittere leto,
Quem propter furit: absentem sævissima poscit
Nunc Pelian, tanta iuvenem qui perderet ira:
Sæpe suas misero promittere destinat artes,
Denegat, atque una potius decernit in ira;
Ac neque tam turpi cessuram semper amori
Proclamat, neque opem ignoto viresque daturam:
Atque toro proiecta manet: cum visa vocari
Rursus, et impulso sonuerunt cardine postes.
Ergo ubi nescio quo penitus se numine vinci
Sentit, et abscisum quidquid pudor ante monebat;
Tum thalami penetrale petit, quæ maxima norat
Auxilia Hæmoniæ quærens pro rege carinæ.
Utque procul magicis spirantia tecta venenis,
Et sævæ patuere fores, oblataque contra
Omnia, quæ Ponto, quæ Manibus eruit imis,
Et quæ sanguinea Lunæ destrinxit ab ira,
Tune sequeris, ait, quidquam, aut patiere pudendum,
Cum tibi tot mortes, scelerisque brevissima tanti
Effugia? hæc dicens, qua non velocius ullis,
Pestiferam toto nequicquam lumine lustrat.
Cunctaturque super, morituraque conspicit iras.
O nimium iucunda dies, quam cara sub ipsa
Morte magis! stetit, et sese mirata furentem est.
Occidis, heu! primo potes hoc durare sub ævo?
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla iuventæ
Gaudia? nec dulces fratris pubescere malas?
Hunc quoque, qui nunc est primævus, Iasona nescis
Morte perire tua, qui te nunc invocat unam,
Qui rogat, et nostro quem primum in litore vidi?
Cur tibi fallaces placuit coniungere dextras?
Tun' poteras istis iuvenem non perdere monstris
Protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.
Testor cara tuas, Circe Titania, voces:
Te ducente sequor; tua me grandæva fatigant
Consilia, et monitis cedo minor: hæc ubi fata,
Rursus ad Hæmonii iuvenis caramque metumque
Vertitur: hunc solum propter seu vivere gaudens,
Sive mori, quodcumque velit: maiora precatur
Carmina, maiores Hecaten immittere vires
Nunc sibi; nec notis stabat contenta venenis.
Cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis
Nulla, Promethea florem de sanguine fibræ
Caucasium, tonitru nutritaque gramina, promit,
Quæ sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat editque cruor; cum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, et rostro inrorat aperto.
Idem nec longi languescit finibus ævi
Immortale virens: idem stat fulmina contra
Sanguis, et in mediis florescunt ignibus herbæ.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
Intulit, et validas scopulis effodit aristas:
Mox famulæ monstrata seges, quam lampade Phœbes
Sub decima iuga fosta metit, sævitque per omnes
Reliquias saniemque dei; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: totos tunc contrahit artus

Monte dolor, cunctæque tremunt sub falce catenæ.
Talibus infelix contra sua regna venenis
Induitur, noctique tremens infertur opacæ.
Dat dextram vocemque Venus, blandisque paventem
Adloquiis, iunctoque trahit per mœnia passu.
Qualis adhuc teneros supremum pallida fœtus
Mater ab excelso produxit in aera nido,
Hortaturque sequi, brevibusque insurgere pennis;
Illos cærulei primus ferit horror Olympi;
Iamque redire rogant, adsuetaque quæritur arbor,
Haud aliter cæcæ per mœnia deficit urbis
Incedens, horretque domos Medea silentes.
Hic iterum extremæ nequicquam in limine portæ
Substitit; atque iterum fletus animique soluti,
Respexitque deam, paullumque his vocibus hæsit:
Ipse rogat certe, meque ipse implorat Iason.
Nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
Nullus amor; nec turpe viro servire precanti?
Illa nihil contra, vocesque abrumpit inanes.
Et iam iam magico per opaca silentia Colchis
Cœperat ire sono, monstratque condere vultus
Numina, cumque suis averti collibus amnes:
Iam stabulis gregibusq; pavor, strepitusq; sepulcris
Inciderat: stupet ipsa gravi nox tardior umbra.
Iamq; tremens longe sequitur Venus: atque sub altas
Pervenere trabes, divæque triformis in umbram;
Hic subito ante oculos nondum speratus Iason
Emicuit: viditque prior conterrita virgo.
Atque hic se profugam volucri Thaumantias ala
Sustulit: inde Venus dextræ dilapsa tenenti.
Obvius ut sera cum se sub nocte magistris
Impingit pecorique pavor; qualesve profundum
Per chaos occurrunt cæcæ sine vocibus umbræ:
Haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris
Inciderant ambo attoniti, iuxtaque subibant,
Abietibus tacitis aut immotis cyparissis
Adsimiles, rapidus nondum quas miscuit auster.
Ergo ut erat vultu defixus uterque silenti,
Noxque suum peragebat iter; iam iam ora levare
Æsoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam simul effusis pavitantem fletibus heros,
Flagrantesque genas vidit, miserumque pudorem:
Has tandem voces dedit, et solatus amantem est:
Fersne aliquam spem lucis? ait, miserata laborem
Nempe venis? an et ipsa mea lætabere morte?
Ne, precor, infando similem te, virgo, parenti
Gesseris: haud tales decet inclementia vultus.
Hascine nunc grates, hæc exspectata laborum
Dona dari decuit? sic te sub teste remitti
Fas me, virgo, tuum? iustas da vocibus aures.
Nec pater ille tuus tantis me opponere monstris,
(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere pœnas.
An iacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?
Quodque meus vestris cecidit pro mœnibus Iphis?
Aut Scythiæ tanta inde manus? iussisset abire
Perfidus, atque suis extemplo cedere regnis.
Spem mihi promissam per quæ discrimina rursus,
Et reddat qua lege, vides; occumbere tandem
Possumus: idque sedet, quam non quæcumq; subire
Patris iussa tui: numquam sine vellere abibo
Hinc ego: degenerem nec me tu prima videbis.
Hæc ait: illa tremens, ut supplicis adspicit ora
Conticuisse viri, iamque et sua verba reposci;
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia, sed nec prima pudor dat verba timenti.
Hæret, et attollens vix tandem lumina fatur:
Quid, precor, in nostras venisti, Thessale, terras?
Unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
Cur non ipse tua fretus virtute labores?
Nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
Occideras: nempe hanc animam fors sæva manebat
Funeris: en ubi Iuno, ubi nunc Tritonia virgo:
Sola tibi quoniam tantis in casibus adsum
Externæ regina domus; miraris et ipse,
Credo; nec agnoscunt hæ nunc Æetida silvæ.
Sed fatis sum victa tuis: cape munera supplex
Non mea: teque iterum Pelias si perdere quæret,
Inque alios casus, aliasque immittet ad urbes;
Heu formæ ne crede tuæ: Titania iamque
Gramina, Persæasque sinu depromere vires
Cœperat; his iterum compellat Iasona dictis:
Si tamen aut superis aliquam spem ponis in ipsis,
Aut tua præsenti virtus educere leto
Si te forte potest; et iam nunc deprecor, hospes,
Me sine, et insontem misero dimitte parenti.
Dixerat: extemplo (neque enim matura ruebant
Sidera, et extremum sollixerat axe Booten)
Cum gemitu et multo iuveni medicamina fletu
Non secus ac patriam, pariter famamque decusque,
Obiicit: ille manu subit, et vim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens, et non revocabilis umquam
Cessit ab ore pudor, propiorque implevit Erinnys;
Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Æsonidæ, et totum septeno murmure fertur
Per clipeum, atq; viro graviorem reddidit hastam:
Iamque sui tauris languent abeuntibus ignes.
Nunc age, et has, inquit, cristas galeamque resume;
Quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
Hanc iace per medias, cum verteris æquora, messes.
Protinus in sese conversa furoribus ibit
Cuncta phalanx; atq; ipse fremens mirabitur, et me
Respiciet fortasse pater: sic deinde locuta
Iam magis atque magis mentem super alta ferebat
Æquora: pandentes Minyas iam vela videbat
Se sine: tum vero extremo percussa dolore
Adripit Æsoniden dextra, ac submissa profatur:
Sis memor, oro, mei, contra memor ipsa manebo,
Crede, tui: quando hinc aberis, dic quæso, profundi
Quod cœli spectabo latus? sed te quoque tangat
Cura mei quocumque loco, quoscumque per annos:
Atque hunc te meminisse velis, et nostra fateri
Munera; servatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi, cur nullos stringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Dissimulas? te regna tuæ felicia gentis,
Te coniux natæque manent; ego prodita obibo.
Nec queror, et pro te lucem quoque læta relinquam.
Protinus hospes ad hæc, (tacitis nam cantibus illum
Flexerat, et simili iamdudum adflarat amore)
Tune, ait, Æsoniden quidquam te velle relicta
Credis; et ulla pati sine te loca? redde tyranno
Me potius: recipe ingratos atque exue cantus,
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
Si non et genitor te primam amplectitur Æson,
Teque tuo longe fulgentem vellere gaudens
Spectat, et ad primos procumbit Græcia fluctus?
Respice ad has voces, et iam precor adnue, coniux.
Per te, quæ superis divisque potentior imis,
Perque hæc ergo tuo redeuntia sidera nutu,
Atque per has nostri iuro discriminis horas;
Umquam ego si meriti, sim noctis et immemor hu-
Si te, sceptra, domum, si te liquisse parentes (ius,
Senseris, et mea tum non hæc promissa videntem;
Tum me non tauros iuvet evasisse, ferosque
Terrigenas; tum me tectis tua turbet in ipsis
Flamma, tuæque artes; nullus succurrere contra
Ingrato queat, et si quid tu sævius ipsis

Adiicias, meque in medio terrore relinquas.
Audiit, atque simul meritis periuria pœnis
Despondet, questus semper Furor ultus amantis.
Hæc ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,
Et nunc ora levant audaci læta iuventa,
Ora simul toties dulces rapientia visus,
Deiicit hinc vultus æger pudor, et mora dictis
Redditur, ac rursus conterret Iasona virgo:
Accipe, perdomitis quæ deinde pericula tauris,
Et quis in Æolio maneat te vellere custos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi.
Sævior ingenti Mavortis in arbore restat,
Crede, labor; quem! tanta utinam fiducia nostri
Sit mihi, nocturnæque Hecates, vestrique vigoris.
Dixerat: utq; virum doceat, quæ monstra supersint,
Protinus inmensis recubantem anfractibus anguem
Turbat, et Hæmonii subito ducis obiicit umbram.
Ille, quod haud alias, stetit, et trepidantia torsit
Sibila, seque metu postquam sua vellera circum
Sustulit, atque omnis spiris exhorruit arbor;
Incipit inde sequi, et vacuo furit ore per auras.
Quis fragor hic? quænam tantæ, dic virgo, ruinæ?
Exclamat stricto Æsonides stans frigidus ense.
Illa trahit ridens, tandemque ait angue represso:
Hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
Heu miser, heu tantis iterum carpende periclis.
O utinam, ut nullo te sim visura labore
Ipsam cæruleis squalentem nexibus ornum,
Ipsaque pervigilis calcantem lumina monstri,
Contingat vix deinde mori! sic fata, profugit;
Seque sub extremis in mœnia retulit umbris.
Et iam puniceo regem spes vana sub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis
Æsoniden: liberne freto iam vultus aperto,
Utque prius totum sileat mare: dumque ea longe
Explorare queat; contra venit Arcas Echion
Dicta ferens: iam Circæis Mavortis in agris
Stare virum, daret æripedes in prælia tauros.
En vocor, en ultro, dixit, spesque addidit ausa:
Vos mihi nunc primum in glebas invertite tauri
Æquora, nunc totas aperite et volvite flammas:
Exeat Hæmonio messis memoranda colono,
Tuque tuum parti Graium da, nata, draconem.
*Ipsius adspectu pereant: quin vellera, et ipsa
Terga mihi diros servent infecta cruores.
Fatur, et effusis pandi iubet æquora tauris.
Pars et Echionii subeunt inmania dentis
Semina: pars diri portant grave robur aratri.
At sua magnanimum contra Pagasea iuventus
Prosequitur stipatque ducem: tum maxima quisque
Dicta dedit, sævisque procul discessit ab agris.
Fixerat ille gradus, totoque ex agmine solus
Stabat, ut extremis desertus ab orbibus axis,
Quem iam lassa dies, austrique ardentia harenæ,
Aut quem Rhipæas exstantem rursus ad arces
Nix et cærulei Boreæ ferus abstulit horror:
Cum subito attoniti longissima Phasidis unda,
Caucasiæque trabes, omnisque Æetia tellus
Fulsit, et ardentes stabula effudere tenebras.
Ac velut ex una si quando nube corusci
Ira Iovis torsit geminos mortalibus ignes;
Aut duo cum pariter ruperunt vincula venti,
Dantque fugam: sic tunc clauatris evasit uterque
Taurus, et inmani proflavit turbine flammas
Arduas, atque atro volvens incendia fluctu.
Horruit Argoa legio ratis: horruit audax,
Qui modo virgineis servari cautibus Idas
Flebat, et invito prospexit Colchida vultu.
Non tulit ipse moras, seseque inmisit Iason;
Diversos postquam ire videt: galeamque minantem
Quassat, et errantem dextra ciet obvius ignem.
Ut tandem stetit, et torvo se lumine flexit,
Qui prior adversi respexit Iasonis arma;
Cunctatus paullum subito furit: æquora non sic
In scopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro: bis fulmineis se flatibus infert,
Obnubitque virum: sed non incendia Colchis
Adspirare sinit: clipeoque inliditur ignis
Frigidus, et viso pallescit flamma veneno.
Incitat Æsonides dextram, inque ardentia mittit
Cornua, dein totis propendens viribus hæret.
Ille virum atque ipsam tunc te, Medea, recusans,
Concutit, et tota nitentem cornibus ira
Portat iners: tandem gravius mugire residens,
Incipit, et fesso victus descendere cornu.
Respicit hinc socios, inmania vincula poscens,
Æsonides, iamque ora premit, trahiturq; trahitque,
Obnixusque genu superat, cogitque trementes
Sub iuga ahena toros, alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentumque offert timideque minantem:
Iamque propinquanti noctem inplicat: ille fatiscens
In caput, inque humeros ipsa vi molis et iræ
Proruit: invadit, totusque incumbit Iason
Desuper, atque suis defixum flatibus urguet.
Utque dedit vinclis, validoque obstrinxit aratro,
Suscitat ipse genu, sævaque agit insuper hasta.
Non aliter medio quam si telluris hiatu
Terga recentis equi, primumque invasit habenis
Murmur, et in summa Lapithes adparuit Ossa
Ille velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva secet; plena sic semina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.
Martius hic primum ter vomere fusus ab ipso
Clangor, et ex omni sonuerunt cornua sulco:
Bellatrix tunc gleba quati, pariterque creari
Armarique phalanx, totisque insurgere campis:
Cessit, et ad socios paullum se rettulit heros
Opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus
Adverso: ut summis iam rura recedere cristis
Vidit, et infesta vibrantes casside terras;
Advolat, atque imo tellus qua proxima collo,
Necdum humeri videre diem, prior ense sequaci
Æquat humo truncos; rutilum thoraca sequenti,
Aut primas a matre manus; premit obvius ante.
Nec magis aut illis, aut illis millibus ultra
Sufficit; ad diræ quam cum Tirynthius hydræ
Agmina Palladios defessus respicit ignes.
Ergo iterum ad socias convertere Colchidos artes,
Et galeæ nexus ac vincula dissipat imæ:
Cunctaturque tamen, totique occurrere bello
Ipse cupit; spes nulla datur: sic undique densant
Terrigenæ iam signa duces; clamorque, tubæque.
Iamque omnes odere virum: iamque omnia contra
Tela volant: tum vero amens discrimine tanto,
Quam modo Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, ususque armarat in illos,
In medios torsit: conversæ protinus hastæ.
Qualis ubi attonitos mœstæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exsectos lacerat Bellona comatos.
Haud secus accensas subito Medea cohortes
Inplicat, et miseros agit in sua prælia fratres.
Omnis ibi Æsoniden aterni putat: omnibus ira
Talis erat: stupet Æetes, ultroque furentes
Ipse viros revocare cupit: sed cuncta iacebant
Agmina; nec quisquam primus ruit, aut super ullus
Linquitur: atque hausit subito sua funera tellus.
Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Æsonides: qualis Getico de pulvere Mavors

Intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum;
Aut niger ex antris rutilique a fulminis æstu
Cum furit, et Siculo respirat in æquore Cyclops.
Redditus hic tandem, sociosque amplexus ovantes.
Haud iam mendacem promissa reposcere regem
Dignatur: nec, si ipse sibi terga ingerat ultro
Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
Amplius: ambo truces, ambo abscessere minantes.

Liber octavus

At trepidam in thalamis, et iam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiæque minæque
Patris habent: nec cærulei timor æquoris ultra,
Nec miseræ terra ulla procul: quascumque per undas
Ferre fugam, quamcumque capit iam scandere pup-
pim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis;
Quosque fugit, complexa toros, crinemque genasque
Ante per antiqui carpsit vestigia somni:
Atque hæc inpresso gemuit miseranda cubili:
O mihi si profugæ genitor nunc ille supremos
Amplexus, Æeta, dares, fletusque videres
Ecce meos! ne crede, pater; non carior ille est,
Quem sequimur: tumidis utinam simul obruar undis!
Tu, precor, hæc longa placidus mox sceptra senecta
Tuta geras, meliorque tibi sit cetera proles.
Dixit, et Hæmonio numquam spernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina cistis;
Virgineosque sinus, ipsumque monile venenis
Implicat, ac sævum super omnibus addidit ensem.
Inde, velut torto Furiarum erecta flagello,
Prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet: extremam coniux ferit irritus Isthmon.
Iam prior in lucos curis urguentibus heros
Venerat, et nemoris sacra se nocte tegebat,
Tum quoque siderea clarus procul ora inventa.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius æstiva residet venator in umbra,
Dignus amore deæ: velatis cornibus et iam
Luna venit: roseo talis per nubila ductor
Implet honore nemus, talemque exspectat amantem.
Ecce autem pavidæ virgo de more columbæ,
Quæ super ingenti circumdata præpetis umbra
In quemcumque tremens hominem cadit: haud secus illa
Icta timore gravi mediam se inmisit: at ille
Excepit, blandoque prior sic ore locutus:
O decus in nostros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Caussa reperta mihi; iam nunc non ulla requiro
Vellera: teque meæ satis est vexisse carinæ.
Verum age, et hoc etiam, quando potes, adiice tantis
Muneribus meritisque tuis; namque antea iussi
Terga referre sumus: socios ea gloria tangit.
Sic ait: et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est:
Linquo domos patrias te propter, opesque meorum;
Nec iam nunc regina loquor: sceptrisque relictis
Vota sequor: serva hanc profugam, prior ipse dedisti
Quam (scis nempe) fidem: Di nostris vocibus adsunt,
Sidera et hæc te meque vident: tecum æquora, tecum
Experiar quascumque vias: modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies, oculisque parentis
Ingerat: hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.
Hæc ait, atque furens rapido per devia passu
Tollitur: ille hæret comes, et miserat euntem;
Cum subito ingentem media inter nubila flammam
Conspicit, et sæva vibrantes luce tenebras.
Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus? ait: reddit trepido cui talia virgo:
Ipsius en oculos et lumina torva draconis
Adspicis: ille suis hæc vibrat fulgura cristis;
Meque pavens contra solam videt, ac vocat ultro,
Ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti hostemque videnti
Exuvias auferre velis; an lumina somno
Mergimus, et domitum potius tibi tradimus anguem?
Ille silet; tantus subiit ut virginis horror.
Iamque manus Colchis, crinemq. intenderat astris,
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat, (ni
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab om-
Orbe voco, inque unum iubeo nunc ire draconem:
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulminaq., et toto quidquid micat æthere: sed nunc
Nunc, age, maior ades, fratrique simillime leto.
Te quoque, Phrixeæ pecudis fidissime custos
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura. (per
Quem metuis me hic stante dolum? servabo parum-
Ipsa nemus: longum interea tu pone laborem.
Ille haud Æolio discedere fessus ab auro,
Nec dare permissæ (quamvis iuvet) ora quieti
Sustinet; ac primi percussus nube soporis
Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos.
Contra Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami
Perstat; et adverso luctantia lumina cantu
Obruit; atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam; ardentes donec sopor occupat iras.
Iamque altæ cecidere iubæ, nutatque coactum
Iam caput, atque ingens extra sua vellera cervix.
Ceu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes
Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum proiecta lacertis;
Seque suumque simul flevit crudelis alumnum:
Non ego te fera talem sub nocte videbam,
Sacra ferens epulasque tibi: nec talis hianti
Mella dabam, ac nostris nutribam fida venenis.
Quam gravida nunc mole iaces! quam segnis inertem
Flatus habet! nec te saltem, miseranda, peremi,
Heu sævum passura diem! iam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
Cede Deo, inque aliis senium nunc digere lucis
Immemor, oro, mei: nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari: sed tu quoque cunctas,
Æsonide, dimitte moras, atque effuge raptis
Velleribus, patrios exstinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; iamq. omne nefas, iam, spero, peregi.
Quærenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
Ferret ad aurigeræ caput arboris, Eia, per ipsum
Scande age, et adverso gressus, ait, inprime dorso.
Nec mora fit: dictis fidens Cretheia proles
Calcat, et, aeream quamvis, perfertur ad ornum,
Cuius adhuc rutilam servabant brachia pellem,
Nubibus accensis similem, aut cum veste recincta
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.
Corripit optatum decus extremumque laborem
Æsonides: longosque sibi gestata per annos
Phrixeæ monumenta fugæ vix reddidit arbor
Cum gemitu, tristesque super coiere tenebræ.
Egressi relegunt campos, et fluminis ora (tem
Summa petunt: micat omnis ager, villisque coman-
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus:
Nunc in colla referi: nunc implicat ille sinistræ.
Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Ut vero sociis, qui tunc prædicta tenebant

Ostia, per longas adparuit aureus umbras;
Clamor ab Hæmonio surgit grege: se quoque gaudens
Promovet ad primas iuvenis ratis obvia ripas.
Præcipites agit ille gradus, utque aurea misit
Terga prius: mox attonita cum virgine puppim
Insilit, ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias sævus venit horror ad aures,
Fata domus luctumque ferens, fraudemque fugamq;
Virginis: hinc subitis inllexit frater in armis:
Urbs etiam mox tota coit: volat ipse senectæ
Inmemor Æetes: conplentur litora bello
Nequicquam: fugit inmissis nam puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in æquora palmas,
Et soror, atque omnes aliæ matresque nurusque
Colchides, æqualesque tibi, Medea, puellæ.
Exstat sola parens, inpletque ululatibus auras:
Siste fugam; medio refer huc ex æquore puppim,
Nata, potes: quo, clamat, abis? hic turba tuorum
Omnis, et iratus nondum pater: hæc tua tellus
Sceptraque, quid terris solam te credis Achæis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istane vota domus, exspectatique Hymenæi?
Hunc petii grandæva diem? vellem unguibus uncis,
Ut volucris, possem prædonis in ipsius ora
Ire, ratemque supra; claroque reposcere cantu
Quam genui. Albano fuit hæc promissa tyranno:
Non tibi: nil tecum miseri pepigere parentes,
Æsonide: non hoc Pelias evadere furto
Te iubet, aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe, et nostris si quid super, accipe, templis.
Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis?
Ipsa fugit, tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti)
Ex quo Thessalici subierunt æquora remi;
Quod nullæ te, nata, dapes, non ulla iuvabant
Tempora: non ullus tibi tum color; ægraque verba,
Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? cur tanta mihi non prodita pestis,
Ut gener Æsonides nostra consideret aula,
Nec talem paterere fugam? commune fuisset
Aut certe nunc omne nefas: iremus et ambæ
In quascumque vias: pariter petiisse iuvaret
Thessaliam, et sævi, quæcumq; est, hospitis urbem.
Sic genetrix, similique inplet soror omnia questu
Exululans: famulæ pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine: te venti procul et tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant, redeuntibus aura
Gratior; et notæ Minyis transcurrere terræ:
Cum subito Erginus puppi sic fatur ab alta:
Vos, ait, Æsonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ superet, nec quæ fortuna videtis.
Crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneasque vocat: meminique, o Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, o socii, nobis iter: altera Ponti
Eluctanda via; et cursu, quem fabor, eundum est.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: septem exit aquis; septem ostia pandit.
Illius adversi nunc ora petamus et undam,
Quæ latus in lævum ponti cadit: inde sequemur
Ipsius amnis iter: donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare: sint age tanti,
Æsonide, quæcumque moræ; quam sæva subire
Saxa iterum; quam Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.
Hæc ait, ignarus fixas iam numine rupes
Stare, neque adversis ultra concurrere saxis.
Reddidit Æsonides: Et te, fidissime rector,
Haud vani tetigere metus; nec me ire recuso
Longius, et cunctis redeuntem ostendere terris.
Protinus inde alios llectunt regesque locosque,
Adsuetumque petunt plaustris migrantibus æquor.
Puppe procul summa vigilis post terga magistri
Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ:
Atque ibi deiecta residens in lumina palla ret:
Flebat adhuc, quamquam Hæmoniis cum regibus i-
Sola tamen, nec coniugii secura futuri.
Illam Sarmatici miserantur litora ponti:
Illa Thoantea transit deflexa Dianæ.
Nulla palus, nullus Scythiæ non mœret euntem
Amnis: Hyperboreas movit conspecta pruinas,
Tot modo regna tenens: ipsi quoque murmura ponti
Iam Minyæ, iam ferre volunt: vix adlevat ora
Ad seras, si quando, dapes, quas carus Iason
Ipse dabat: iam nubiferam transire Carambin
Significans, iam regna Lyci: totiensque gementem
Fallit, ad Hæmonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine nymphæ;
Torvus ubi, et ripa semper metuendus utraque
In freta per sævos Hister descendit Alanos;
Solvere in hoc tandem resides dux litore curas,
Ac primum socios ausus sua pacta docere,
Promissamque fidem thalami, fœdusque iugale.
Ultro omnes læti instigant, meritamque fatentur.
Ipse autem invitæ iam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliæ numen nec spernere divæ.
Præcipueque sui, si quando, in tempore pulcher
Coniugii Minyas numquam magis eminet inter:
Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit, aut dilecta Cythera;
Seu cum cælestes Alcidæ invisere mensas
Iam vacat, et fessum Iunonia sustinet Hebe.
Adsunt unanimes Venus, hortatorque Cupido,
Suscitat adfixam mœstis Æetida curis.
Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit: ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat, et arsuras alia cum virgine gemmas.
Tum novus inplevit vultus honor: ac sua flavis
Reddita cura comis: graditurque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque iam Cybele, festæque per oppida tædæ;
Quis modo tam sævos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?
Inde, ubi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem
Prætulit; ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque se pingues tum candida flamma per auras
Explicuit; nec tura videt concordia Mopsus,
Promissam nec stare fidem; breve tempus amorum.
Odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque;
Et tibi iam nullos optavit, barbara, natos.
Mox epulas et sacra parant; silvestria lætis
Præmia, venatu facili quæsita, supersunt;
Pars verubus, pars undanti despumat aheno.
Gramineis ast inde toris discumbitur, olim
Hister anhelantem Peucen quo presserat antro.
Ipsi inter medios rosea radiante iuventa
Altius, inque sui sternuntur velleris auro.
Quis novos inceptos timor inpediit Hymenæos,
Turbavitque toros, et sacra calentia rupit?
Absyrtus subita præceps cum classe parentis
Advenitur, profugis infestam lampada Graiis
Concutiens, diramque premens clamore sororem:
Atque, Hanc, o si quis vobis dolor iraque, Colchi,
Adcelerate viam; neque enim fugit æquore raptor

Iuppiter; aut falsi sequimur vestigia tauri.
Puppe (nefas) una prædo Phrixea reportat
Vellera; qua libuit remeat cum virgine; nobis
(O pudor!) et muros et stantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde fatis? nec quæro vellera; nec te
Accipiu, germana, datam; nec fœderis ulla
Speverit, aut iræ quisquam modus: inde reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fas sit?
Quinquaginta animæ me scilicet, unaque mersa
Sufficiet placare ratis? te, Græcia fallax,
Persequor, atque tuis hunc quasso mœnibus ignem:
Nec tibi digna, soror, desum ad conubia frater.
Primus et ecce fero quatioque hanc lampada vestro
Coniugio: primus celebro dotalia sacra,
Qui potui: patriæ veniam da, quæso, senectæ.
Quin omnes alti pariter populique patresque
Mecum adsunt: magni virgo ne regia Solis
Hæmonii thalamos adeas despecta mariti,
Tot decuit coiisse rates, tot fulgera tædas.
Dixerat: itque orans iterum ventosque virosque,
Perque ratis supplex vox remigis illa magistros.
Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quæque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantum deiecta suis a montibus arbor,
(Quid dolor et veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis iam distat aquis; sequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis: ostia donec
Danubii viridemque vident ante ostia Peucen;
Ultimaque agnoscunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
Gaudia: tum gravior remis fragor, ut procul Argo
Visa viris; unamque petunt rostra omnia puppim.
Princeps navalem nodosi roboris uncum
Adripit, et longa Stirus prospectat ab unda,
Coniugio atque iterum sponsæ flammatus amore.
Iamque alii clipeos et tela trabalia dextris
Expediunt: armant alii picis unguine flammas.
Inpatiens tremit hasta moræ: nec longius inter,
Quam quod tela vetet, superest mare: vocibus urguent
Interea, et pedibus pulsant tabulata frementes:
Cum subitas videre rates, vibrataque flammis
Æquora, non una Minyæ formidine surgunt,
Primus et in puppim deserta virgine ductor
Prosilit, et summa galeam rapit altus ab hasta:
Ense simul clipeoque micat: nec cetera pubes
Segnius adreptis in litore constitit armis.
At tibi quæ scelerum facies, Medea, tuorum?
Quisve pudor Colchos iterum fratremque videnti?
Quidquid et abscisum vasto iam tuta profundo
Credideras: ergo infausto sese occulit antro,
Non aliud quam certa mori; seu carus Iason,
Seu frater Graia victus cecidisset ab hasta.
Haud ita sed summo segnis sedet æthere Iuno;
Haud sinit extrema Minyas decernere pugna,
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus æquos.
Ergo, ubi diva rates hostemque accedere cernit,
Ipsa subit terras, tempestatumque refringit
Ventorumq; domos: volucrum gens turbida fratrum
Erumpit: classem dextra Saturnia monstrat.
Videre; inque imum pariter mare protinus omnes
Infesto clamore ruunt: inimicaque Colchis
Æquora, et adversos statuunt a litore fluctus.
Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela
Stirus abit: vasto rursus desidit hiatu
Abrupta revolutus aqua: iamque omnis in astra
Itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
Descendit: trahit hos vortex; hoc agmine toto
Gurges agit: simul in vultus micat undique terror.
Crebra ruina poli cœlestia limina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit.
Hortatur socios media inter prœlia divum:
Transferat ergo meas in quæ volet oppida dotes
Colchis? et Hæmonius nobis succedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regesque procosque
Profuerit prona haud dubii sententia patris?
An virtus prælata viri est, et fortior ille,
Quem sequitur? iungam igniferos sine carmine tauros,
Sævaque Echionii ferro fata persequar hydri.
Hoc adeo interea spectans de litore pugnas
Amborum, victoris eris: iam digna videbis
Prœlia, iamque illud carum caput irecruenta
Sub freta; semiviri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, sed flammis, et olentes sulfure crines.
Vos modo vel solum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Æeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hoa nobis magico nunc carmine ventos
Ipsa movet, diraque levat maria ardua lingua?
Atque iterum Æsonides, iterum defenditur arte,
Qua solet? haud illi cantus et futile murmur
Proderit: ite, rates, et frangite virginis undam.
Dixit, et intortis socio cum milite remis
Prosilit: ac fluctu puppis labefacta reverso
Solvitur, effunditque viros, ipsumque minantem
Tunc quoque, et elata quærentem litora dextra.
Ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem:
Incipit et remos et quærere transtra solutæ
Sparsa ratis, mœstas altis intendere voces
Puppibus, ast inter tantos succurrere fluctus
Nulla potest, aut ulla velit, quotiesque propinquat,
Tunc aliud rursus dirimit mare: iam tamen exstat,
Iamque abiit: fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur; sed fluctus adest, magnoque sub altis
Turbine figit aquis, et tandem virgine cessit.
Absyrtus visu mœret defixus acerbo;
Nec quid agat, qua vi portus, et prima capessat
Ostia, qua possit Minyas invadere clausos,
Quos videt agnoscitque fremens: maria obvia contra
Sævaque pugnat hiems, totusque in vertice pontus.
Abscessit tandem, vanaque recedit ab ira,
Et tanta de clade ratis; latus inde sinistrum
Adversamque procul Peuces defertur in oram
Cum sociis gemino nam scinditur insula flexu
Danubii: hac dudum Minyæ Pagaseaque puppis
In statione manent; illinc Æetius heros
Obsidet adversa tentoria Thessala classe
Inpatiens; pugnæque datur non ulla potestas.
Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
Perfurit; expediant donec Iunonia sese
Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyæ tanti reputantes ultima belli
Urguent, et precibus cuncti fremituque fatigant
Æsoniden: Quid se externa pro virgine clausos
Obiiciat, quidve illa pati discrimina cogat?
Respiceret pluresque animas, maioraque fata
Tot comitum: qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, sed sola sese virtute sequantur.
An vero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
Coniugiis? id tempus enim; sat vellera Graiis;
Et posse oblata conponere virgine bellum.
Quemque suas sinat ire domos; nec Marte cruento
Europam atq; Asiam prima hæc committat Erinnys.
Namque datum hoc fatis, trepidos supplexque canebat
Mopsus, ut in seros irent magis ipsa nepotes,
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus infit
(Quamquam iura deum, et sacri sibi conscia pacti,
Relligio, dulcisque movent primordia tædæ)

Cunctatur, mortemque cupit, sociamque pericli
Cogitat: haud ultra sociis obsistere pergit.
Hæc ubi fixa viris; tempus lluctusque quietos
Exspectant: ipsam interea, quid restet, amantem
Ignorare sinunt, decretaque tristia servant.
Sed miser ut vanos, veros ita sæpe timores
Versat amor; fallique sinit nec virginis annos.
Ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit
Non fidi iam signa viri, nimiumque silentes
Una omnes: haud ille sui tamen inmemor umquam,
Nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Æsoniden, longeque trahit; mox talibus infit:
Me quoque, vir, tecum Minyæ, fortissima pubes,
Nocte dieque movent: liceat cognoscere tandem,
Si modo Peliacæ non sum captiva carinæ,
Nec dominos decepta sequor, consultaque vestra
Fas audire mihi: vereor, fidissime coniux,
Nil equidem: miserere tamen, promissaque serve
Usque ad Thessalicos saltem connubia portus:
Inque tua me sperne domo: scis te mihi certe,
Non socios iurasse tuos: hi reddere forsan
Fas habeant: tibi non eadem permissa potestas.
Teque simul mecum ipsa traham: non sola reposcor
Virgo nocens: atque hac pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei, patriæque biremes
Terrificant? magnoque inpar urgueris ab hoste?
Finge rates alias, et adhuc maiora coire
Agmina: nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem nostri tetigissent litora patris
Te sine, duxque illis alius quicumque fuisset.
Nunc remeant; meq; ecce (nefas) et reddere possunt:
Nec spes ulla super: quin tu mea respice saltem
Consilia; et nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis te nunc iungere tauros
Posse? quis ad sævi venturum templa draconis?
O utinam ergo meus pro te non omnia posset,
Atque aliquid dubitaret amor: quin nunc quoque
quærit,
Nescio quid tuus iste pudor: mene, optime quondam
Æsonide, me ferre preces, et supplicis ora (nae
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat: haud dare pœ-
lam sceleris, dominumque pati: sic fata parantem
Reddere dicta virum furiata mente refugit
Vociferans: qualem Ogygias cum tollit in arces
Bacchus, et Aoniis inlidit tympana truncis:
Talis erat, talemque iugis se virgo ferebat,
Cuncta pavens: fugit infestos vibrantibus hastis
Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagasas, vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, et Tempe viridi lucentia fumo;
Hoc visu contenta mori: tunc tota querelis
Egeritur questuque dies: eademque sub astris
Sola movet: mœstis veluti nox illa sonaret
Plena lupis, quaterentque truces ieiuna leones
Ora, vel orbatæ traherent suspiria vaccæ.
Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi, non barbaricæ decor ille iuventæ.
Quid dubitas? heu, dure, siles? magnumq; minatur.
Qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans; interque ingentia Graium
Numina Palladia virgo stetit altera prora.
Mœstus at ille minis, et nota Colchidos ira,
Hæret: et hinc præsens pudor, hinc decreta suorum
Dura premunt: utcumque tamen mulcere gementem
Tentat et ipse gemens, et tempora currere dictis.
Mene aliquid meruisse putas? me talia velle?

* * *Reliqua desiderantur.* * *

DEC. IUNIUS IUVENALIS

Dec. Iunius Iuvenalis se ipsum Aquinatem, et libertino patre natum esse testatur. A Frontone Grammetico, et ut quidam sentiunt, a Quinctiliano Rhetore eruditus, Domitiano, Nerva, Traiano, ac Hadriano imperantibus floruit; media ætate forenses causas egit; et inde ad Satiras componendas se convertit. Sed cum quemdam Paridem, histrionem Domitiano carissimum nimium salibus suis perstrinxisset, ut aliqui contendunt, in Domitiani odium incidit, quapropter militiæ nomine præfectus cohortis factus, Urbe amotus est, et in ultimum Ægyptum missus, illuc languore octogenarius interiit; sed quamplurimi hoc factum omnino negant. Magnas quidem laudes Iuvenalis in Satiris merito obtinuit, nec Persio, Horatioque cedit. Imo nobis hic de Horatio, Iuvenali et Persio comparatis Io. Bapt. Cappellii disthicon referre placet, cui nos quoque subscribimus:

Acrior est Aulus, florentior est Iuvenalis,
Plus Venusina sapit seria Musa iocis.

Iuvenali addimus Sulpitiam Poetriam, quæ eodem tempore vixit, et ingenii et virtutis laude floruit; et cuius Satiram vel Eclogam, Ausonio quondam adscriptam, habemus.

D. Iunii Iuvenalis Satirae iuxta editionem Ruperti.

SATIRA I.

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus? aut summi plena iam margine libri
Scriptus, et in tergo, necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, et Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus; unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ; quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptæ lectore columnæ.
Expectes eadem a summo, minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormiret? Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,
Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam.
Cum tener uxorem ducat spado, Mævia Tuscum
Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus cum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat;
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ;
Difficile est satiram non scribere: nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se?
Causidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso; post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa, (palpat
Quod superest, quem Massa timet, quem munere
Carus, et a trepido Thymele submissa Latino:
Cum te submoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem:
Partes quisque suas, ad mensuram inguinis, heres
Accipiat sane, mercedem sanguinis, et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira, (tor
Cum populum gregibus comitum premit hic spolia-
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani
Iudicio, (quid enim salvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit, et fruitur Dis
Iratis; at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem?
Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Cum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus, et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam; puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatæ cum se iactaret amicæ.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio: cum iam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra,
Et multum referens de Mæcenate supino
Signator, falso qui se lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam;
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis: probitas laudatur, et alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ,
Quem sponsæ turpes, et prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcumque potest: quales ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem adscendit, sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas;
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto cœnavit avus? Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inspicit, et trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies: iubet a præcone vocari
Ipsos Troiugenas; nam vexant limen et ipsi
Nobiscum: da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior est: prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam? dubitemve locum defendere: quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernæ
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante, et Licinis. Exspectent ergo tribuni:
Vincant divitiæ: sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Maiestas: etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed cum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc
Et panis, fumusque domi? Densissima centum (est,
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel prægnans, et circumducitur, uxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam, et clausam pro coniuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte. Moraris?
Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres, lassique clientes,
Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ,
Spes homini: caulis miseris, atque ignis emendus.
Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse iacebit.
Nam de tot pulchris, et latis orbibus, et tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit. Sed quis feret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova, nec tristis, per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient, facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit. Utere velis,
Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum,
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigillinum: tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,

Et latum mediæ sulcum deducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciet nos.
Cum veniet contra, digito compesce labellum:
Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est.
Securus licet Ænean, Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.
Inde iræ, et lacrimæ. Tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas: galeatum sero duelli
Pœnitet. Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

SATIRA II.

ULTRA Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt,
Indocti primum; quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenies: nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas
Frontis nulla fides: quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos.
Hispida membra quidem, et duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum: sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Rarus sermo illis, et magna libido tacendi,
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo,
Et magis ingenue Peribomius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis: his furor ipse
Dat veniam: sed peiores, qui talia verbis
Herculis invadunt, et de virtute locuti
Clunem agitant: ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait, quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, et mare cœlo,
Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortivis fœcundam Iulia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas?
Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, et castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quendam
Clamantem toties: Ubi nunc lex Iulia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt. Habeat iam Roma pudorem.
Tertius e cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.
Quod si vexantur leges, ac iura, citari
Ante omnes debet Scatinia. Respice primum,
Et scrutare viros: faciunt hi plura; sed illos
Defendit numerus, iunctæque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit iuvenes, et morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus causas? civilia iura
Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ:
Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum
Penelope melius, levius torquetis Arachne:
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto: dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.
Tu nube, atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur.
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera, ac manifesta canentem
Stoicidæ: quid enim falsi Laronia? sed quid
Non facient alii, cum tu multitia sumas
Cretice: et hanc vestem populo mirante, perores
In Proculas, et Pollitas? Est mœcha Fabulla:
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Iulius ardet,
Æstuo. Nudus agas: minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges, ac iura ferentem
Vulneribus crudis, populus modo victor, et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid? non proclames, in corpore iudicis ista
Si videas? Quæro, an deceant multitia testem.
Acer, et indomitus, libertatisque magister
Cretice perluces. Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, et porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu?
Nemo repente fuit turpissimus: accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, et toto posuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deæ maribus patet. Ite, profanæ!
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa,
Et per Iunonem domini iurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, cum iam tolli vexilla iuberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia civis,
Bebriaci in campo spolium affectare Palati,
Et pressum in faciem digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec in Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ.
Hic turpis Cybeles, et fracta voce loquendi
Libertas, et crine senex phanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum, ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat
More supervacuam cultris abrumpere carnem? (iam
Quadringenta dedit Gracchus sestertia, dotem
Cornicini; sive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ: dictum Feliciter! ingens
Cœna sedet: gremio iacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?

Scilicet horreres, maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, et longos habitus, et flammea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir;
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? Vade ergo, et cede severi
Iugeribus campi, quem negligis. Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ causa officii? Quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora iuris
Natura indulget: steriles moriuntur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior, et Marcellis,
Et Catulis, Paullique minoribus, et Fabiis, et
Omnibus ad podium spectantibus; his licet ipsum
Admoveas, cuius tunc munere retia misit.
Esse aliquos manes, et subterranea regna,
Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, et ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, manesque Camilli?
Quid Cremeræ legio, et Cannis consumta iuventus,
Tot bellorum animæ; quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum tædis, et si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur. Arma quidem ultra
Litora Iuvernæ promovimus, et modo captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno.
Aspice, quid faciant commercia: venerat obses.
Hic fiunt homines: nam si mora longior urbem
Indulsit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

SATIRA III.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Ianua Baiarum est, et gratum litus amœni
Secessus. Ego vel Prochytan præpono Suburræ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, et Augusto recitantes mense poetas?
Sed dum tota domus rheda componitur una,
Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam;
Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.
Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur
Iudæis: quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, et eiectis mendicat silva Camœnis.
In vallem Egeriæ descendimus, et speluncas
Dissimiles veris. Quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Hic tunc Umbricius, Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas,
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta.
Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi
Quem libet, occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas: et cur non omnia? cum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna iocari.
Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi: ferre ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alii: me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, et extinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Æstuat occultis animus, semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, et a magno semper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achæi?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum iussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis
Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, et Isæo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus; omnia novit.
Græculus esuriens in cœlum, iusseris, ibit. (Thrax,
Ad summam, non Maurus erat, neque Sarmata, nec
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini bacca nutrita Sabina?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat

Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem augustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur: an melior, cum Thaida sustinet, aut cum
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum, et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda est. Rides? maiore cachinno
Concutitur: flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromydam: si dixeris, æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper, et omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Præterea sanctum nihil est, et ab inguine tutum:
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse
Sponsus lævis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus maioris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Hermarcus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum:
Solus habet: nam, cum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nusquam minor est iactura clientis.
Quod porro officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hic meritum: si curet nocte togatus
Currere, cum prætor lictorem impellat, et ire
Præcipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, et Modiam collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Ut semel, atque iterum super illam palpitet: at tu,
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.
Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam:
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quæstio: quot pascit servos? quot possidet agri
Iugera? quam multa magnaque paropsida cœnat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei: iures licet et Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Dis ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam præbet causasque iocorum
Omnibus hic idem, si fœda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est, et rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum,
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quod quam ridiculos homines facit: exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos iuvenes, iuvenesque lanistæ.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres:
Quando in consilio est Ædilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romæ durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, et frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam;
Contentusque illic veneto, duroque cucullo.
Pars magna Italiæ est (si verum admittimus) in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.
Æquales habitus illic, similesque videbis
Orchestram et populum; clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.
Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est. Hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus: accipe, et istud
Fermentum tibi habe: præstare tributa clientes
Cogimur, et cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui: nam sic labentibus obstat
Villicus, et veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi iam tertia fumant:
Tu nescis: nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci; nec non et parvulus infra
Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron;
Iamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, et frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque iuvabit.
Si magna Asturici cecidit domus; horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc? et iam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, et Polycleti,
Hæc Asianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit, et forulos, mediamque Minervam,
Hic modium argenti: meliora, et plura reponit
Persicus orborum lautissimus, et merito iam
Suspectus, tamquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,

Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, et culti villicus horti:
Unde epulum possis centum dare Pythagoræis.
Est aliquid, quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ.
Plurimus hic æger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, et hærens
Ardenti stomacho: nam quæ meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, et stantis convicia mandræ,
Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, et ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret t t vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ sartæ: modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt, nutant altæ, populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
More animæ. Domus interea secura patellas
Iam lavat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis
Strigilibus, et pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros varie properantur: at ille
Iam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum,
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, et curta fenestris
Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent,
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentæ patulas defundere pelves.
Ebrius, ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed, quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari iubet, et comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum, et aenea lampas.
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce prœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra, starique iubet; parere necesse est.
Nam quid agas, cum te furiosus cogat, et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem:
Ede, ubi consistas, in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,
Tantundem est: feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hæc tantum metuas: nam, qui spoliet te,
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubiq;
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomtina palus, et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ, et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub regibus, atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram et plures subnectere causas:
Sed iumenta vocant, et sol inclinat: eundum est.
Nam mihi commota iam dudum mulio virga
Annuit. Ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem, vestramq; Dianam,
Converte a Cumis: satirarum ego (ni pudet illas)
Adiutor gelidos veniam caligatus in agros.

SATIRA IV.

Ecce iterum Crispinus, et est mihi sæpe, vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, æger, solaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix; minime corruptor, et idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio, Seioque decebat
Crispinum: quid agas, cum dira, et fœdior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi: multa videmus,
Quæ miser et frugi non fecit Apicius: hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretio squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros: sed maiores Apulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Endoperatorem? cum, tot sextertia, partem
Exiguam, et modicæ sumtam de margine cœnæ,
Purpureus magni ructarit scurra Palati,
Iam princeps Equitum, magna qui voce solebat,
Vendere municipes pacta mercede siluros?
Incipe, Calliope: licet et considere: non est
Cantandum: res vera agitur. Narrate, puellæ
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.
Cum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni,

Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos, et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo: quis enim proponere talem,
Aut emere auderet, cum plena et litora multo
Delatore forent? Dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulchrumque est æquore toto
Res fisci est, ubicumque natat. Donabitur ergo,
Ne pereat, iam letifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam sperantibus ægris,
Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Utque lacus suberant, ubi, quanquam diruta, servat
Ignem Troianum, et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper,
Ut cessit: facili patuerunt cardine valvæ.
Exclusi spectant admissa opsonia Patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, Accipe, dixit,
Privatis maiora focis: genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in sæcula rhombum.
Ipse capi voluit: quid apertius? Et tamen illi
Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur Dis æqua potestas.
Sed deerat pisci patinæ mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miseræ magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno,
Currite, iam sedit, rapta properabat abolla
Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia. Venit et Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium: maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa,
Sævitiam damnare, et honestum afferre liceret
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Vere, locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes, atque octogesima vidit
Solstitia. His armis illa quoque tutus in aula,
Proximus eiusdem properabat Acilius ævi
Cum iuvene, indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est cum nobilitate senectus;
Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim iam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus atque tacendæ,
Et tamen improbior satiram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus;
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera; sævior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro:
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa;
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ: (strum?
Grande, et conspicuum nostro quoque tempore mon-
Cæcus adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ iactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævam conversus; at illi dextra iacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, et ictus,
Et pegma, et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento: sed, ut fanaticus, œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et, Ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est bellua. Cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, et annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait: testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore iam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Iam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno
Arderet. Nulli maior fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu;
Et semel aspecti litus dicebat echini.
Surgitur, et misso proceres exire iubentur
Consilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, et festinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid, torvisque Sygambris
Dicturus, tamquam et diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune, et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat; hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

SATIRA V.

Si te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset;
Quamvis iurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius: hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo:
Nulla crepido vacat? nusquam pons, et tegetis pars
Dimidia brevior? Tantine iniuria cœnæ?
Tam ieiuna fames? cum pol sit honestius, illic
Et tremere, et sordes farris mordere canini.
Primo fige loco, quod tu, discumbere iussus,
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ cibus: imputat hunc rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto;
Una simus, ait. Votorum summa! Quid ultra (num
Quæris? Habet Trebius, propter quod rumpere som-
Debeat, et ligulas dimittere, sollicitus, ne

Tota salutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? Vinum, quod sucida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Iurgia proludunt; sed mox et pocula torques
Saucius, et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena,
Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant,
Brutorum et Cassi natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas, et inæquales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum;
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur iaspis:
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo iuvenis prælatus Iarbæ.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac iam
Quassatum, et rupto poscentem sulfura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque, ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monimenta Latinæ.
Flos Asiæ ante ipsum, pretio maiore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci,
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod cum ita sit, tu Gætulum Ganymedem
Respice, cum sities. Nescit, tot millibus emtus,
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodq; aliquid poscas, et quod, se stante, recumbas.
Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ iam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
Sed tener, et niveus, mollique siligine factus,
Servatur domino: dextram cohibere memento:
Salva sit artoptæ reverentia: finge tamen te
Improbulum, superest illic, qui ponere cogat.
Vis tu consuetis, audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relicta
Coniuge, per montem adversum, gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cum grandine vernus
Iupiter, et multo stillaret pænula nimbo!
Aspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla, et quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam. Illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur;
[Quod tutos etiam facit a serpentibus Afros]
Mullus erit domini, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et iam defecit nostrum mare, dum gula sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster,
Dum sedet, et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie adspersus maculis Tiberinus, et ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.
Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri; namque et titulis et fascibus olim
Maior habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, ut cœnes civiliter: hoc face, et esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
Altilis, et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas
Maiores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disiunge boves, dum tubera mittis.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando pro-
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis (pinat
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, Bibe? Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.
Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis,
Et melior fatis, donaret homuncio; quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio: pone ad Trebium. Vis, frater, ab ipsis
Ilibus? O nummi! vobis hunc præstat honorem;
Vos estis fratres. Dominus tamen, et domini rex,
Si vis tu fieri nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo.
Iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, et pueros tres
In gremium patris fundat simul: ipse loquaci
Gaudebit nido; viridem thoraca iubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; sed quales Claudius edit,
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi, et reliquis Virronibus, illa iubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore;
Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat,
Credere quæ possis subrepta sororibus Afris:
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma et galea, metuensque flagelli,
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.
Forsitan impensæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas. Nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,

Si uescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo, et regis conviva videris;
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec male coniectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, et signum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit: ecce dabit iam
Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri:
Ad nos iam veniet minor altilis. Inde parato,
Intactoque omnes, et stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, et debes; pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

Satira VI.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, visamque diu, cum frigida parvas
Præberet spelunca domos, ignemque, laremque,
Et pecus, et dominos, communi clauderet umbra;
Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus; haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti,
Vivebant homines; qui, rupto robore nati,
Compositive luto, nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterint, et sub Iove; sed Iove nondum
Barbato, nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius; cum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, et operto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.
Antiquum et vetus est alienum, Postume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.
Viderunt primos argentea secula mœchos.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.
Conventum tamen, et pactum, et sponsalia nostra
Tempestate paras; iamque a tonsore magistro
Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras! uxorem, Postume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitere colubris?
Ferre potes dominam, salvis tot restibus ullam?
Cum pateant altæ caligantesque fenestræ?
Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
Nulla iacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec, quantum iussit, anheles?
Sed placet Ursidio lex Iulia: tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque iubis, et captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Ursidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali iam porrigit ora capistro;
Quem toties texit perituri cista Latini?
Quid? quod et antiquis uxor de moribus illi
Quæritur. O medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus, et auratam Iunoni cæde iuvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, et densos per limina tende corymbos.
Unus Iberinæ vir sufficit? Ocyus illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro.
Vivat Fidenis! Et agello cedo paterno:
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Iupiter et Mars?
Porticibusne tibi monstratur fœmina voto
Digna tuo? cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicæ non imperat: Appula gannit,
Sicut in amplexu: subitum, et miserabile, longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
Ast aliæ, quoties aulæa recondita cessant,
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro,
Atque a plebeiis longe Megalesia; tristes
Personam, thyrsumque tenent, et subligar Acci.
Urbicus exodio risum movet Atellanæ
Gestibus Autonoes; hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno comœdi fibula: sunt, quæ
Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragœdo
Gaudet. An expectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes, et grandi ianua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta senatori comitata est Hippia ludium
Ad Pharon, et Nilum, famosaque mœnia Lagi,
Prodigia et mores Urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, et coniugis, atque sororis,
Nil patriæ indulsit; plorantesque improba natos,
Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumaque paterna
Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contemsit pelagus: famam contemserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Iusta pericli
Si ratio est et honesta; timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter au-
Si iubeat coniux, durū est conscendere navim;(dent.
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quæ mœchum sequitur; stomacho valet: illa mari-
Convomit: hæc inter nautas et prandet, et errat (tum
Per puppem, et duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma, qua capta iuventa est
Hippia? quid vidit, propter quod ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus iam radere guttur
Cœperat, et secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia; sicut
Attritus galea, mediisque in naribus ingens
Gibbus, et acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat; facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,
Atque viro: ferrum est, quod amant; hic Sergius
Accepta rude, cœpisset Veiento videri. (idem,
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Respice rivales Divorum: Claudius audi
Quæ tulerit. Dormire virum cum senserat uxor;
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non amplius una:
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,

Et cellam vacuam, atque suam: tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ;
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit;
Et resupina iacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas iam dimittente puellas,
Tristis abit; et, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ;
Et lassata viris, nec dum satiata, recessit:
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes, carmenque loquar, coctumq; venenum
Privignoque datum? Faciunt graviora coactæ
Imperio sexus, minimumque libidine peccant.
Optima sed quare Cesennia, teste marito?
Bis quingenta dedit: tanti vocat ille pudicam;
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade fervet:
Inde faces ardent; veniunt a dote sagittæ.
Libertas emitur: coram licet innuat, atque
Rescribat; vidua est, locuples quæ nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor, amatur.
Tres rugæ subeant, et se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinolas, dicet libertus, et exi:
Iam gravis es nobis, et sæpe emungeris, exi
Ocyus, et propera: sicco venit altera naso.
Interea calet, et regnat, poscitque maritum
Pastores, et ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc, pueros omnes, ergastula tota,
Quodque domi non est, et habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quo iam mercator Iason
Clausus, et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina, deinde adamas notissimus, et Beronices
In digito factus pretiosior; hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fœcunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina;
(Rara avis in terris, nigroque simillima cycno)
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Sypha-
In castris, et cum tota Carthagine migra. (cem
Parce, precor, Pæan, et tu, Dea, pone sagittas:
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum, ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem scrofa Niobe fœcundior alba.
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi semper
Imputet? huius enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties, animo corrupta superbo,
Plus aloes quam mellis habet. Quis deditus autem
Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque diem septenis oderit horis?
Quædam parva quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce,
[Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.]
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Græce: dones tamen ista puellis:
Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? Non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud,
Ζωη και ψυχη: modo sub lodice relictis
Uteris in turba. Quod enim non excitet inguen
Vox blanda, et nequam? digitos habet. Ut tamen
Subsidant pennæ: dicas hæc mollius Hæmo (omnes
Quanquã et Carpophoro; facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa: nec est, quare cœnam et mustacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud,
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, et scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus: submitte caput cervice parata
Ferre iugum: nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,
Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
Uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil unquam invita donabis coniuge: vendes,
Hac obstante, nihil: nihil, hæc si nolet, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.
Testandi cum sit lenonibus atque lanistis
Libertas, et iuris idem contingat arenæ;
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.
Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi:
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto:
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro; sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, et flammea conterit: inde
Advolat, et spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus; et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos: titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru:
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti;
Illa docet, missis a corruptore tabellis,
Nil rude nec simplex rescribere: decipit illa
Custodes, aut ære domat: tunc, corpore sano,
Advocat Archigenem, onerosaque pallia iactat.
Abditus interea latet et secretus adulter,
Impatiensque moræ pavet, et præputia ducit.
Scilicet expectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla fere causa est, in qua non femina litem
Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se, formantque libellos.
Principium atque locos Celso dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, et femineum ceroma,
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros, dignissima prorsus
Florali matrona tuba; nisi si quid in illo
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a sexu? vires amat. Hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri; nam quantula nostra voluptas!
Quale decus, rerum si coniugis auctio fiat!
Balteus, et manicæ, et cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegimen: vel, si diversa movebit
Prælia, tu felix, ocreas vendente puella.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum

Delicias et panniculus bombycinus urit.
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro;
Et ride, scaphium positis cum sumitur armis.
Dicite vos, neptes Lepidi, cæcive Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia sumserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior.
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque expectantibus illam,
Quo iubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exsorbes: quæ scripta, et quot lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!
Sed iacet in servi complexibus, aut equitis. Dic,
Dic aliquem, sodes, hic Quintiliane colorem.
Hæremus: dic ipsa. Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles: nec non ego possem
Indulgere mihi: clames licet, et mare cœlo
Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos a crimine sumunt.
Unde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi
Hannibal, et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos, et Miletos,
Atque coronatum et petulans madidumque Taren-
Prima peregrinos obscœna pecunia mores (tum.
Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quæ sint discrimina, nescit,
Grandia quæ mediis iam noctibus ostrea mordet,
Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum
Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.
I nunc, et dubita, qua sorbeat aera sanna
Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ,
Maura Pudicitiæ veterem cum præterit aram.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemque Deæ longis siphonibus implent,
Inque vices equitant, ac luna teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas, luce reversa,
Coniugis urinam, magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia lumbos
Incitat, at cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades: o quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox, saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas posita Saufeia corona
Provocat, et tollit pendentia præmia coxæ.
Ipsa Medullinæ fluctum crissantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi iam frigidus ævo
Laomedontiades, et Nestoris hernia possit.
Tunc prurigo moræ impatiens, tunc femina simplex,
Et toto pariter repetitus clamor ab antro;
Iam fas est; admitte viros: iam dormit adulter.
Illa iubet sumto iuvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius: hic si
Quæritur, et desunt homines; mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.
Atque utinam ritus veteres, et publica saltem
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ psaltria penem
Maiorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura iubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas,
Ausus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram; cohibe: sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor.
Iamque eadem summis pariter minimisque libido:
Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, et flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen, argenti superest quodcumque paterni,
Levibus athletis, ac vasa novissima, donat.
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet; nec se metitur ad illū, (quid sit,
Quem dedit hæc, posuitque modum. Tamen, utile
Prospiciunt aliquando viri: frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem femina censum:
At, velut exhausta recidivus pullulet arca
Nummus, et e pleno semper tollatur acervo,
Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent.
Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, et desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida matura iuventa
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.
Ergo spectatos, ac iussos crescere primum,
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum, rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina: sed tu iam durum, Postume, iamque
Tondendum, eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus: organa semper
In manibus: densi radiant testudine tota
Sardonyches: crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc
Solatur, gratoque indulget basia plectro. (se
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti,
Cum farre et vino Ianum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, et fidibus promittere. Quid faceret plus,
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput; dictataque verba
Pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divum,
Respondes his, Iane pater? Magna otia cœli:
Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.

Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, et cœtus possit quam ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe;
Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercæ
Et pueri: quis amet, quis diripiatur adulter.
Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, et quo
Mense: quibus verbis concumbat quæq; modis quot.
Instantem regi Armenio, Parthoque, cometen
Prima videt: famam rumoresque illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facit isse Niphaten
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, subsidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quæ
Vicinos humiles, rapere, et concidere loris,
Exorata solet: nam si latratibus alti
Rumpuntur somni; fustes huc ocyus, inquit,
Afferte, atque illis dominum iubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu,
Balnea nocte subit: conchas, et castra moveri
Nocte iubet: magno gaudet sudare tumultu,
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.
Convivæ miseri interea somnoque fameque
Urgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
Œnophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus; de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit, et loto terram ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tamquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, et vomit: ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ, cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, peritura ignoscit Elissæ,
Committit vates, et comparat; inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet: nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula, dicas
Pulsari. Iam nemo tubas, nemo æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.
Imponit finem sapiens et rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit et facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema; nec historias sciat omnes.
Sed quædam ex libris et non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata semper lege et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ
Verba: solœcismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
Interea fœda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri
... formosa domi? mœchis foliata parantur.
...itur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?
Est pretium curæ penitus cognoscere, toto
Quid faciant, agitentque die. Si nocte maritus
Aversus iacuit; periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas, tarde venisse Liburnus
Dicitur, et pœnas alieni pendere somni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt, quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædit; longi relegit transversa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, Exi
Intonet horrendum, iam cognitione peracta.
Præfectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, et properat, iamque expectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;
Disponit crinem, laceratis ipsa capillis,
Nuda humero Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum
Extendit, pectitque comas, et volvit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu: sententia prima
Huius erit; post hanc ætate, atque arte minores
Censebunt, tamquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen a fronte videbis:
Post minor est: credas aliam: cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adiuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta.
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tamquam vicina mariti;
Hoc solo propior, quod amicos coniugis odit,
Et servos, gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, Matrisque Deum chorus intrat, et ingens
Semivir, obscœno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa
Iam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, et Prygia vestitur bucca tiara.
Grande sonat, metuique iubet Septembris et Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Ut, quidquid subitum et magni discriminis instat,
In tunicas eat, et totum semel expiet annum.
Hibernum, fracta glacie, descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida iusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.
Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.
En animam et mentem, cum qua Di nocte loquantur!
Ergo hic præcipuum summumq; meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, et grege calvo
Plangentis populi, currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor

Concubitu sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur violato pœna cadurco;
Et movisse caput visa est argentea serpens.
Illius lacrymæ, meditataque murmura præstant,
Ut veniam culpæ non abnuat, ansere magno
Scilicet, et tenui popano corruptus Osiris.
  Cum dedit ille locum; cophino, fœnoque relicto,
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, et magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia cœli:
Implet et illa manum, sed parcius ære minuto.
Qualiacumque voles, Iudæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius vel Commagenus haruspex;
Pectora pullorum rimatur et exta catelli,
Interdum et pueri: faciet, quod deferat ipse.
  Chaldæis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exul,
Cuius amicitia, conducendaque tabella
Magnus civis obit, et formidatus Othoni.
Inde fides arti, sonuit si dextera ferro,
Lævaque si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui pæne perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, et parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat, et patruos; an sit victurus adulter
Post ipsam? quid enim maius dare numina possunt?
  Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum consulit, et iam
Consulitur; quæ, castra viro patriamque petente,
Non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
  Si mediocris erit; spatium lustrabit utrimque
Metarum, et sortes ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
Divitibus responsa dabunt Phryx augur, et Indus
Conductus, dabit astrorum, mundique peritus,
Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in Circo positum est, et in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas, delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat, caupone relicto.
  Hæ tamen et partus subeunt discrimen, et omnes
Nutricis tolerant, fortuna urgente, labores;
Sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude, infelix, atque ipse bibendum
Porrige, quidquid erit: nam si distendere vellet,
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater: mox decolor hæres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
  Transeo suppositos, et gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos: stat Fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus: hos fovet omnes,
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat: hos amat, his se
Ingerit, utque suos ridens producit alumnos.
  Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est,
Inde animi caligo, et magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti: tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit: quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, et fracta compage ruebant,
Non aliter, quam si fecisset Iuno maritum
Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere iussit
In cœlum, et longam manantis labra salivam.
Hæc poscit ferrum, atque ignes, hæc potio torquet:
Hæc lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equæ! quanti una venefica constat!
  Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet; iam iam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, et nulli credite mensæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit: timidus prægustet pocula pappas.
Fingimus hæc, altum Satira sumente coturnum
Scilicet, et finem egressi legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis, cœloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia, Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent: facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos una, sævissima vipera, cœna?
Tune duos? Septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide sæva
Dicitur, et Procne: nil contra conor: et illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter nummos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, et rabie iecur incendente feruntur
Præcipites; ut saxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, et scelus in-
Sana facit: spectant subeuntem fata mariti (gens
Alcestim; et, similis si permutatio detur,
Morte viri cupient animam servare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ:
Mane Clytæmnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam et fatuam dextra lævaque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;
Sed tamen et ferro, si prægustabit Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

SATIRA VII.

Et spes, et ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit, cum iam celebres notique poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri, cum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Nam, si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machæræ,
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit

Stantibus, œnophorum, tripodas, armaria, cistas,
Alcyonem Bacchi, Thebas et Terea Fausti.
Hoc satius, quam si dicas sub iudice, Vidi,
Quod non vidisti; faciant equites Asiani,
Quanquam et Cappadoces faciant, equitesq; Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes: circumspicit, et stimulat vos,
Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum expectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid posce ocyus; et, quæ
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito;
Aut claude, et positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis, et imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit iam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Ut pueri Iunonis avem: sed defluit ætas
Et pelagi patiens, et cassidis, atque ligonis.
Tædia tunc subeunt animos, tunc seque, suamque
Terpsichoren, odit facunda et nuda senectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum, et Apollinis æde relicta.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos; et, si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonus commodat ædes.
Hæc longe ferrata domus servire iubetur,
In qua sollicitas imitatur ianua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, et magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sulcos
Ducimus, et litus sterili versamus aratro.
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes, et ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta,
Hunc, qualem nequeo monstrare, et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus silvarum, aptusque bibendis
Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, cum dicit Horatius Euœ!
Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant, et dominis Cirrhæ, Nysæque feruntur
Pectora vestra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus, et equos, faciesque Deorum
Aspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer, et tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri;
Surda nihil gemeret grave buccina. Poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cuius et alveolos, et lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico:
Quintillæ quod donet, habet; nec defuit illi,
Unde emeret multa pascendum carne leonem
Iam domitum: constat leviori bellua sumtu
Nimirum, et capiunt plus intestina poetæ.
Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano, tenuique Saleio,
Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem iucundam, et carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius Urbem,
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed, cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille et militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis
Pallere, et vinum toto nescire Decembri.
Vester porro labor fœcundior, historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus:
Namque, oblita modi, millesima pagina surgit
Omnibus, et multa crescit damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus iubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret Acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.
Dic igitur, quid causidicis civilia præstent
Officia, et magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant: sed tunc, cum creditor audit,
Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet; hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernæ.
Consedere Duces: surgis tu pallidus Aiax,
Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Iudice. Rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas
Pelamydum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi;
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.
Æmilio dabitur, quantum licet, et melius nos
Egimus: huius enim stat currus aeneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, et statua meditatur prælia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet, et vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum iuvenes longo premit assere Medos
Empturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, et facie maioris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes: ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atq; ideo pluris, quam Cossus, agebat,
Quam Basilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum

Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.
Declamare doces? O ferrea pectora Vecti,
Cum perimit sævos classis numerosa tyrannos.
Nam quæcumque sedens modo legerat, hæc eadem
Proferet, atq; eadem cantabit versibus isdem. (stans
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, et quod sit causæ genus, atq; ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversæ forte sagittæ,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet;
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat Urbem
A Cannis, an post nimbos, et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quod do,
Ut toties illum pater audiat. Hæc alii sex,
Vel plures, uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto,
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quæ iam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, et vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe hæc merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti,
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, et pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit: anne serenum
Expectet, spargatque luto iumenta recenti?
Hic potius; namque hic mundæ nitet ungula mulæ.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, et algentem rapiat cœnatio solem.
Quanticumque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condit.
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix, et pulcher, et acer:
Felix, et sapiens, et nobilis, et generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, et iaculator
Et, si perfrixit, cantat bene: distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quā
Sidus, et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis Fata triumphos.
Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,
Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Di maiorum umbris tenuem et sine pondere terram,
Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco: metuens virgæ iam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: et cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum atque alios cædit sua quæque iuventus;
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert,
Quantū grammaticus meruit labor? at tamen ex hoc,
Quodcumq; est (minus est autem, quam rhetoris æra)
Discipuli custos præmordet Acœnonœtus,
Et, qui dispensat, frangit sibi. Cede, Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere: non aliter, quam
Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci,
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sediati, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus, et hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat: sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitosque suos: ut, forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus: non est leve tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures, et cum se verterit annus,
Accipe, victuri populus quod postulat, aurum.

SATIRA VIII.

STEMMATA quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum, et stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios iam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
[Corvinum, posthac multa contingere virga]
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces, et castra movebant?
Cur Allobrogicis, et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus, et Euganea quantumvis mollior agna;
Si, tenerum attritus Catinensi pumice lumbum,
Squalentes traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi, te consule, virgas.
Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi,
Iustitiæque tenax factis dictisque mereris?
Agnosco procerem; salve, Gætulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine rarus
Civis, et egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus:
Æthiopem cycnum; pravam extortamque puellam
Europen: canibus pigris scabieque vetusta
Levibus, et siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit Pardus, Tigris, Leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? tecū est mihi sermo, Rubelli
Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,

Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli;
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
At ego Cecropides. Vivas, et originis huius
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet, de plebe togata,
Qui iuris nodos et legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphraten iuvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil, nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, et exsultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corythæ posteritas at
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare iubentur
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, et dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, et inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna: sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer; ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum
Gaurana, et Cosmi toto mergatur aeno.
Expectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna modumque,
Pone et avaritiæ: miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
Piratæ Cilicum: sed quid damnatio confert,
Cum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis,
Iamque tace. Furor est post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus, et modo victis.
Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis.
Phidiacum vivebat ebur; nec non Polycleti
Multus ubique labor: raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis
Occulta spolia, et plures de pace triumphos.
Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripiatur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus: hæc etenim sunt
Pro summis: nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum:
Despicias merito: quid resinata iuventus,
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant Urbem, Circo scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat (est
Fortibus, et miseris: tollas licet omne, quod usquam
Auri atque argenti: scutum, gladiumque relinques,
Et iacula, et galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia; verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec, per conventus et cuncta per oppida, curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno;
Tunc licet a Pico numeres genus; altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores, ipsumque Promethea, ponas:
De quocumque voles, proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitio, atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures;
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter maiorum cineres, atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Damasippus; et ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul:
Nocte quidem; sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cum fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, et occursum nunquam trepidabit amici
Iam senis, ac virga prior annuet, atque maniplos
Solvet, et infundet iumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas, torvumque iuvencum,
More Numæ cædit Iovis ante altaria, iurat
Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.
Sed cum pervigiles placet instaurare popinas;
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hospitis affectu dominum, regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi, fecimus et nos
Hæc iuvenes. Esto: desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem: breve sit, quod turpiter audes.
Quædam cum prima resecentur crimina barba:
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit,
Maturus bello, Armeniæ Syriæque tuendis
Amnibus, et Rheno atque Istro. Præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. Mitte Ostia, Cæsar,
Mitte: sed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore iacentem,
Permixtum nautis, et furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices, et fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias, talem sortitus, Pontice, servum?

Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula, mittas.
At vos, Troiugenæ, vobis ignoscitis, et quæ
Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo fœdis adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non peiora supersint?
Consumtis opibus, vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me, dignus vera cruce: nec tamen ipsi
Ignoscas populo: populi frons durior huius,
Qui sedet, et spectat triscurria patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt, nullo cogente Nerone,
[Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.]
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid satius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharœdo Principe, mimus
Nobilis. Hæc ultra, quid erit nisi ludus? Et illud
Dedecus Urbis habes; nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina;
(Damnat enim tales habitus; sed damnat, et odit)
Nec galea faciem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, et tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, et longo iactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho iussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni;
Cuius supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus?
Par Agamemnonidæ crimen; sed causa facit rem
Dissimilem: quippe ille, Dis aucturibus, ultor
Patris erat cæsi media inter pocula: sed nec
Electræ iugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine coniugii; nullis aconita propinquis
Miscuit; in scena nunquam cantavit Orestes;
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis, aut, cum Vindice, Galba?
Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ.
Maiorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domitî longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigonæ, seu personam Menalippes;
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi,
Inveniat quisquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, et flammas domibus, templisque parastis,
Ut Bracatorum pueri, Senonumque minores
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romæ
Municipalis eques galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.
Tantum igitur, muros intra, toga contulit illi
Nominis, et tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis. Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio; sed Roma parentem,
Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro:
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen et Cimbros, et summa pericula rerum
Excipit, et solus trepidantem protegit Urbem.
Atq; ideo, postquam ad Cimbros stragemq; volabant,
Qui nunquam attigerant maiora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, et pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina
Sufficiunt Dis infernis, Terræque parenti:
Pluris enim Decii, quam quæ servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam et diadema Quirini,
Et fasces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exulibus iuvenes ipsius consulis, et quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad Patres produxit crimina servus,
Matronis lugendus: at illos verbera iustis
Afficiunt pœnis, et legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

SATIRA IX.

Scire velim, quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus
Circuit, et fatuos non invenit. Unde repente
Tot rugæ? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva ioco mordente facetus,
Et salibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contra. vultus gravis, horrida siccæ
Silva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci:
Sed, fruticante pilo, neglecta et squalida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies. Igitur flexisse videris
Propositum, et vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim (ut repeto) fanum Isidis, et Ganymeden,
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem, (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio mœchus, celebrare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.
Utile et hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Inde operæ pretium. Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.
Fata regunt homines: fatum est et partibus illis,
Quas sinus abscondit: nam, si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, et blandæ assidue densæque tabellæ (αιδος.
Sollicitent: Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίν-
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus?
Hæc tribui; deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, ac cevet. Ponatur calculus; adsint

Cum tabula pueri? numera sestertia quinque
Omnibus in rebus: numerentur deinde labores.
An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cœnæ?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum, sed tu sane tenerum et puerum te,
Et pulchrum, et dignum cyatho cœloque putabas.
Vos humili asseclæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, iam nec morbo donare parati?
En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, et strata positus longaque cathedra,
Munera fœminei tractas secreta Kalendis.
Dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumque iugum Cumis, et Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Iugeribus paucis? melius ne hic rusticus infans,
Cum matre, et casulis, et collusore catello,
Cymbala pulsantis legatum fiet amici?
Improbus es, cum poscis, ais: sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulysses.
Alter emendus erit; namque hic non sufficit: ambo
Pascendi: quid agam, bruma spirante? quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri;
Et pedibus? durate, atque expectate cicadas?
  Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus ista modis, quam sæpe rogaris,
Et quæ pollicitus. Fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, et iam
Signabat, tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Testis mihi lectulus, et tu,
Ad quem pervenit lecti sonus, et dominæ vox.
Instabile, ac dirimi cœptum, et iam pene solutum
Coniugium in multis domibus servavit adulter!
Quo te circumagas? quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum
Quod tibi filiolus, vel filia, nascitur ex me?
Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
Iam pater es: dedimus, quod famæ opponere possis.
Iura parentis habes; propter me scriberis hæres:
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.
Commoda præterea iungentur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero. Iusta doloris,
Nævole, causa tui: contra tamen ille quid affert?
Negligit, atque alium bipedem sibi quærit asellum.
  Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice levis.
Qui modo secretum commiserat, ardet, et odit,
Tanquam prodiderim, quidquid scio: sumere ferrum
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis,
Non dubitat: nec contemnas, aut despicias, quod
His opibus nunquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.
  O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur,
Et canis, et postes, et marmora. Claude fenestras;
Vela tegant rimas; iunge ostia; tollite lumen
E medio; taceant omnes; prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet: audiet et quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri;
Carptores: quod enim dubitant componere c
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? Nec deerit, qui te per compita quæra
Nolentem, et miseram vinosus inebriet aur
Illos ergo roges, quidquid paulo ante petebas
A nobis; taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quam surrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat
Vivendum recte est, cum propter plurima, t
Præcipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima s
Deterior tamen hic, qui liber non erit, illis,
Quorum animas et farre suo custodit, et ære
  [Idcirco ut possim linguam contemnere s
Utile consilium modo, sed commune, dedist
Nunc mihi quid suades, post damnum temp
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vi
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
  Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit
Stantibus et salvis his collibus; undique ad i
Convenient, et carpentis et navibus, omnes
Qui digito scalpunt uno caput. Altera maior
Spes superest: tu tantum erucis imprime de
  Hæc exempla para felicibus: at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine ve
O parvi, nostrique Lares, quos thura minut
Aut farre, et tenui soleo exorare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta s
A tegete et baculo? viginti millia fœnus
Pignoribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notat, et duo forte
De grege Mœsorum qui me cervice locata
Securum iubeant clamoso insistere Circo?
Sit mihi præterea curvus cælator, et alter,
Qui multas facies fingat cito: sufficiunt hæc
Quando ego pauper ero: votum miserabile, n
His saltem: nam, cum pro me Fortuna rogat
Affixit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

SATIRA X.

OMNIBUS in terris, quæ sunt a Gadibus usqu
Auroram et Gangem, pauci dignoscere possu
Vera bona, atque illis multum diversa, rem
Erroris nebula. Quid enim ratione timemu
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipi
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas, optantibus ipsis,
Di faciles. Nocitura toga, nocitura petuntu
Militia: torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia: viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, et cuncta exsuperans patrimoni
Quanto delphinis balæna Britannica maior.
Temporibus diris igitur, iussuque Neronis,
Longinum, et magnos Senecæ prædivitis ho
Clausit, et egregias Lateranorum obsidet æd
Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumque ti
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umb
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota, et cunctis notissima templi
Divitiæ, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro: sed nulla aconita bibunt
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sume

Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.
Iamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem; flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Prætexta, et trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset prætorem curribus altis
Extantem, et medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Iovis, et pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, et, sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, et niveos ad frœna Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes
Occursus hominum, cuius prudentia monstrat,
Summos posse viros, et magna exempla daturos,
Vervecum in patria crassoque sub aere nasci.
Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi.
Interdum et lacrymas, cum Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.
Ergo supervacua hæc, aut perniciosa, petuntur,
Propter quæ fas est genua incerare Deorum.
Quosdam præcipitat subiecta potentia magnæ
Invidiæ; mergit longa, atque insignis honorum
Pagina; descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, et immeritis franguntur crura caballis.
Iam strident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Seianus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem: Seianus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes: quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: sed quo cecidit sub crimine? quis-
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit? (quam
Nil horum: verbosa et grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet: nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? Sequitur Fortunam, ut semper, et odit
Damnatos: idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. Iam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas: nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem et Circenses: perituros audio multos.
Nil dubium. magna est fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne pœnas exigat Aiax,
Ut male defensus! curramus præcipites, et,
Dum iacet in ripa, calcamus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, et pavidum in ius
Cervice obstricta dominum trahat: hi sermones
Tunc de Seiano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari, sicut Seianus? habere
Tantumdem, atque illi summas donare curules?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis augusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? vix certa pila, cohortes,
Egregios equites, et castra domestica? quidni
Hæc cupias? et, qui nolunt occidere quenquam
Posse volunt. Sed quæ præclara et prospera tanti,
Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Huius, qui trahitur, prætextam sumere mavis;
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere, pannosus vacuis ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum: nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.
Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare, et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterque perit orator: utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix cæsa; nec unquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
O fortunatam natam me consule Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poemata malo,
Quam te conspicuæ, divina Philippica, famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.
Dîs ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater, ardentis massæ fuligine lippus,
A carbone et forcipibus, gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano, ad rhetora misit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, et fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victæque triremis
Aplustre, et summo tristis captivus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiusque, ac barbarus induperator
Erexit: causas discriminis, atque laboris
Inde habuit. Tanto maior famæ sitis est, quam
Virtutis: quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, et laudis titulique cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus; ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies? Hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano, Niloque admota tepenti,
Rursus ad Æthiopum populos, altosque elephantos.
Additur imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit: opposuit natura Alpemque nivemque:
Diducit scopulos, et montem rumpit aceto.
Iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit:
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, et media vexillum pono Subura.
O qualis facies, et quali digna tabella,
Cum Gætula ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? O gloria! vincitur idem (gnus
Nempe, et in exilium præceps fugit; atque ibi, ma-
Mirandusque cliens, sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela; sed ille,

Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor,
Annulus. I, demens, et sævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, et declamatio fias!
Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.
Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, et quidquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus isdem,
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina, Medo
Prandente, et madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit, Salamine relicta,
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non et stigmate dignum
Credidit: huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? Nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
Has, toties optata, exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da, Iupiter, annos!
Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.
Sed quam continuis et quantis longa senectus
Plena malis! deformem et tetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, et tales aspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit iam mater simia bucca.
Plurima sunt iuvenum discrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo.
Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et iam leve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeo gravis uxori, natisque sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia: nam coitus iam longa oblivio; vel si
Coneris, iacet exiguus cum ramice nervus,
Et, quamvis tota palpetur nocte, iacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus? Aspice partis
Nunc damnum alterius: nam quæ cantante voluptas,
Sit licet eximius citharœdus, sitve Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? Clamore opus est ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido iam in corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos, quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis; ambos
Perdidit ille oculos, et luscis invidet; huius
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna: sed omni
Membrorum damno maior dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte; nec illos,
Quos genuit, quos eduxit: nam codice sævo
Hæredes vetat esse suos, bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum, rogus aspiciendus amatæ
Coniugis, et fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, et nigra veste senescant.
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos,
Quique novum toties mustum bibit. Oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, et nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem; cum quærit ab omni,
Quisquis adest socius, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troia, Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis sollemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret extinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Iovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue et miserabile collum
Præbet, ab ingrato iam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, et regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox iusti facunda Solonis
Respicere ad longæ iussit spatia ultima vitæ.
Exilium et carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma, beatius unquam,
Si, circumducto captivorum agmine, et omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes, et publica vota
Vicerunt: igitur Fortuna ipsius et Urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, et iacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater,
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare: filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ! Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos;
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat Natura benigna
Larga manu; (quid enim puero conferre potest plus,

Custode et cura Natura potentior omni?)
Non licet esse viris: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia! Nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atq; utero pariter gibboque tumentem.
I nunc, et iuvenis specie lætare tui! quem
Maiora expectant discrimina? fiet adulter
Publicus, et pœnas metuet, quascumque [mariti
Exigere irati;] nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat: exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit: necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos et mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ; mox, cum dederit Servilia nummos,
Fiet et illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum; quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? Quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, repulsa:
Nec Sthenebœa minus, quam Cressa, excanduit, et se
Concussere ambæ. Mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet. Elige, quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat? Optimus hic, et formosissimus idem
Gentis patriciæ, rapitur miser, extinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriosque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo; veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, et paucis commissa, putabas?
Non, nisi legitime, vult nubere: quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi et populo, contingat Principis aures.
Dedecus ille domus sciet ultimus: interea tu
Obsequere imperio, sit tanti vita dierum
Paucorum. Quidquid melius leviusque putaris,
Præbenda est gladio pulchra hæc, et candida cervix.

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam, pro iucundis, aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi: nos, animorum
Impulsu, et cæca magnaque cupidine ducti,
Coniugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen et poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, et candiduli divina tomacula porci;
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores,
Et Venere, et cœnis, et pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare; semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Satira XI.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens: quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum,
De Rutilo: nam dum valida ac iuvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardent sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges et regia verba lanistæ.
Multos porro vides, quos, sæpe elusus, ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius cœnat, meliusque miserrimus horum,
Et cito casurus, iam perlucente ruina.
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si
Attendas, magis illa iuvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est perituram arcessere summam,
Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi.
Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est; in Ventidio laudabile nomen
Sumit, et a censu famam trahit. Illum ego iure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus; hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E cœlo descendit Γνῶθι σεαυτόν,
Figendum, et memori tractandum pectore, sive
Coniugium quæras, vel sacri in parte senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Ulysses;
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas; te consule, dic, tibi, qui sis,
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccæ.
Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus
In summis minimisque: etiam cum piscis emetur,
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis: quis enim te, deficiente crumena,
Et crescente gula, manet exitus; ære paterno,
Ac rebus mersis in ventrem, fœnoris atque
Argenti gravis, et pecorum, agrorumque capacem?
Talibus a dominis, post cuncta, novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ; sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis, consumitur: inde ubi paulum,
Nescio quid, superest, et pallet fœneris auctor,
Qui vertere solum, Baias, et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro iam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta; morantur
Pauci ridiculum effugientem ex Urbe pudorem.

Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,
Persice, non præstem vita vel moribus, et re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, et ipse tamen contingens sanguine cœlum:
Alter aquis, alter flammis, ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hædulus, et toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti;
Qui plus lactis habet, quam sanguinis; et montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:

Signinum Syriumque pirum: de corbibus isdem
Æmula Picenis, et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Auctumnum, et crudi posuere pericula succi.
Hæc olim nostri iam luxuriosa senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula; quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter consulis, atque
Castrorum imperiis et dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, et Fabricios, postremo severos
Censoris mores etiam collega timeret;
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, et parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, et Graias mirari nescius artes,
Urbibus eversis prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere iussæ
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis et hasta,
Pendentisque Dei, perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino.
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque maiestas præsentior, et vox
Nocte fere media, mediamque audita per Urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus, at Dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, et nullo violatus Iupiter auro.
Illa domi natas, nostraque ex arbore, mensas
Tempora viderunt: hos lignum stabat in usus,
Annosam si forte nucem deiecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabatæo bellua saltu,
Iam nimios, capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, et res
Despicit exiguas: adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ; nec calculus ex hac
Materia: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, et pygargus,
Et Scythicæ volucres, et phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, et tota sonat ulmea cœna Subura.
Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, et exiguæ furtis imbutus ofellæ.
Plebeios calices, et paucis assibus emtos,
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit, at magno: cum posces, posce Latine.
Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri hic est filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam et notos tristis desiderat hædos
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris;
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit:
Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculus, nec vellendas iam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una atque eadem est vini patria, atque mi-
Forsitan expectes, ut Gaditana canoro (nistri.
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, et acres
Divitis urticæ. Maior tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus, cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet; ille fruatur
Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem:
Namque ibi Fortunæ veniam damus. Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fœneris ulla
Mentio; nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multicia rugis,
Vexatasque comas, et vultum auremque calentem.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum, et servos, et quidquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos, ante omnia, pone sodales.
Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum sollenne colunt, similisque triumpho
Præda caballorum prætor sedet, ac, mihi pace
Immensæ nimiæque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam Circus capit; et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam, si deficeret, mœstam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent iuvenes, quos clamor, et audax
Sponsio, quos cultæ decet assedisse puellæ:
Spectent hoc nuptæ iuxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam. Iam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quanquam solida hora supersit
Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

SATIRA XII.

NATALI, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa Deis animalia cespes
Expectat. Niveam Reginæ ducimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio servata Iovi, frontemque coruscat;
Quippe ferox vitulus, templis maturus, et aræ,
Spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi, similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, et ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba;
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, et a grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque passi
Nuper, et incolumem sese mirantis amici.
Nam, præter pelagi casus, et fulguris ictum
Evasi, densæ cœlum abscondere tenebræ
Nube una, subitusque antennas impulit ignis;
Cum se quisque illo percussum crederet, et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas: genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum, quanquam sint cætera sortis
Eiusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit et nostro similis fortuna Catullo.
Cum plenus fluctu medius foret alveus, et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem; decidere iactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculi: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed et egregius fons
Viribus occultis, et Bæticus adiuvat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel coniuge Fusci.
Adde et bascaudas, et mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusque salutem?
[Non propter vitam faciunt patrimonia quidam:
Sed, vitio cæci, propter patrimonia vivunt.]
Iactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna levant: tunc, adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro submitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis ultima quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda!
Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenæ,
Adspice sumendas in tempestate secures.
Sed postquam iacuit planum mare, tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago; postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi
Lanificæ; modica nec multum fortior aura
Ventus adest; inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extentis, et, quod superaverat unum,
Velo prora suo: iam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum sole redit; tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamq; Pharon, porrectaque brachia rursum,
Quæ pelago occurrunt medio, longeque relinquunt
Italiam: non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianæ pervia cymbæ
Tuti stagna sinus: gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes,
Sertaque delubris, et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem:
Iam sequar, et sacro, quod præstat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Iovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent; longos erexit ianua ramos,
Et matutinis [operatur] festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine. Catullus,
Pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes. Libet expectare, quis ægram
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. Verū hæc nimia est impensa. coturnix
Nulla unquam pro patre cadet: sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, et Paccius, orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus: existunt, qui promittant hecatomben;
Quatenus hic non sunt, nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis
Bellua concipitur; sed furva gente petita,
Arboribus Rutulis, et Turni pascitur agro,
Cæsaris armentum, nulli servire paratum
Privato: siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali, et nostris ducibus, regique Molosso,
Horum maiores, ac dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli, et euntem in prœlia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per His-
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras, (trum
Et cadat ante lares Gallitæ, victima sola,
Tantis digna Deis, et captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna aut pulcherrima quæque
Corpora; vel pueris, et frontibus ancillarum
Imponet vittas: et, si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus; etsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,
Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit: ille superbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quam
Grande operæ pretium faciat iugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet; nec amet quenquam, nec ametur ab ullo!

SATIRA XIII.

EXEMPLO quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod, se
Iudice, nemo nocens absolvitur; improba quamvis
Gratia fallaci prætoris vicerit urna.

Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
De scelere, et fidei violatæ crimine? Sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Iacturæ te mergat onus; nec rara videmus,
Quæ pateris: casus multis hic cognitus, ac iam
Tritus, et e medio Fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. Stupet hæc, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis usu?
Magna quidem; sacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ Sapientia. Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum, vita didicere magistra.
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, et partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni: numerus vix est totidem, quot
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili.
Nona ætas agitur, peioraque sæcula ferri
Temporibus; quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, et a nullo posuit Natura metallo.
Nos hominum Divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudet vocalis agentem
Sportula. Dic, senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam, ne peieret, et putet ullis
Esse aliquod numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, prius quam
Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens: tunc, cum virguncula Iuno,
Et privatus adhuc Idæis Iupiter antris;
Nulla super nubes convivia Cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, et iam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus; nec turba Deorum
Talis, ut est hodie; contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum coniuge Pluton.
Nec rota; nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna; sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si iuvenis vetulo non assurrexerat, et si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga, et maiores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis;
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ!
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem, cum tota ærugine, follem,
Prodigiosa fides, et Tuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna.
Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro
Piscibus inventis, et fœtæ comparo mulæ,
Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Examenve apium longa consederit uva
Culmine delubri; tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? maiorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile et pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Aspice, quanta
Voce neget! quæ sit ficti constantia vultus!
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina iurat,
Et Martis frameam, et Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque Puellæ,
Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem:
Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.
Si vero et pater est: Comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
  Sunt, in Fortunæ qui casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Est alius, metuens ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, peierat, atque ita secum:
Decernat quodcumque volet, de corpore nostro
Isis, et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, et vomicæ putres, et dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene: quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, et esuriens Pisææ ramus olivæ?
Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed et exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere: multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum, diræ trepidum formidine culpæ,
Confirmant: tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam, cum magna malæ superest audacia causæ,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: Audis,
Iupiter, hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, et sectum vituli iecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras statuamque Vagelli.
Accipe, quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit,
A Cynicis tunica distantia; non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis maioribus ægri;
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo; nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma;
Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu,
Planguntur nummi, quam funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem deducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela;
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos litera, gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ custoditur eburnis;
Ten', o delicias! extra communis censes
Ponendum? qui tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?

Rem pateris modicam, et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina: confer
Conductum latronem, incendia sulfure cœpta,
Atque dolo, primos cum ianua colligit ignes:
Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, et populorum
Dona, vel antiquo positas a rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor extat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer et artifices mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis
Usque a lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus: paucos consume dies, et
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso maiorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram,
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue: si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane periuri capitis, fraudisque nefandæ,
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, at nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio: manet illa tamen iactura: nec unquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At vindicta bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus, videas flagrantia causis.
Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia atque errores exuit omnes,
Prima docet rectum, Sapientia: quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio: continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas et Cædicius gravis invenit, et Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, et fraudem iure tueri
Iurando: quærebat enim, quæ numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit,
Extinctus tota pariter cum prole domoque,
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam, scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet: cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo; sed vina misellus
Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus
Displicet: ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt;
Continuo templum, et violati numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem sudoribus urget,
Te videt in somnis: tua sacra et maior imago
Humana turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat: exanimes primo quoque murmure cœli;
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, et iudicet ignis.
Illa nihil nocuit? cura graviore timetur
Proxima tempestas: velut hoc dilata sereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine: saxa Deorum
Hæc et tela putant. Pecudem spondere sacello
Balantem, et Laribus cristam promittere galli,
Non audent: quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia vita?
Mobilis et varia est ferme natura malorum.
Cum scelus admittunt, superest constantia: quid fas,
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa et mutari nescia: nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem? (uno
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, et nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, scopulosque frequentes
Exulibus magnis. Pœna gaudebis amara
Nominis invisi, tandemque fatebere lætus,
Nec surdum, nec Tiresiam quenquam esse Deorum.

SATIRA XIV.

PLURIMA sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam hæsuram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet iuvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, et eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cana monstrante gula. Cum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, et a magna non degenerare culina.
Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos,
Præcipit, atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat, paribusque elementis;
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis, tortore vocato,
Uritur ardenti, duo propter lintea, ferro.
Quid suadet iuveni lætus stridore catenæ,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? Expectas, ut non sit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? Conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc, hac dictante, pusillas

Implet, et ad mœchos dat eisdem ferre cinædis.
Sic natura iubet: velocius, et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus. Unus et alter
Forsitan hæc spernant iuvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto, finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis: huius enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus; et Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxime debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans:
Nam, si quid dignum censoris fecerit ira
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, et castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Cum facias peiora senex, vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?
Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela;
Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox domini furit instantis, virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Nec perfusa luto sit porticus: et tamen uno
Semodio scobis hæc emendat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem?
Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti:
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis. (hunc tu
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, et inventa per devia rura lacerta:
Illi eadem sumtis quærunt animalia pinnis.
Vultur iumento et canibus crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, et se
Pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Iovis et generosæ
In saltu venantur aves: hinc præde cubili
Ponitur: inde autem, cum se matura levarit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum prædam rupto gustaverat ovo.
Ædificator erat Cetronius, et modo curvo
Litore Caietæ, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus vincens Fortunæ atque Herculis ædem;
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen mensura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam, sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes et cœli numen adorant;
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et præputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, et servant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses:
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux
Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.
Sponte tamen iuvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoque avaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.
Nec dubie, tanquam frugi, laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem (de
Hesperidum serpens, aut Ponticus: adde, quod hunc,
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes.
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet un-
Mucida cærulei panis consumere frusta, (quam
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri; nec non differre, in tempora cœnæ
Alterius, conchem æstivam, cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias hæc per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit;
Et minus hanc optat, qui non habet: ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines; maiorque videtur,
Et melior, vicina seges: mercaris et hanc, et
Arbusta, et densa montem qui canet oliva,
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Iumenta, ad virides huius mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venales iniuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hæc? inquit: tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet et morbis, et debilitate carebis,
Et luctum et curam effugies, et tempora vitæ
Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur;
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus: merces hæc sanguinis atque laboris
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamque casæ, qua fœta iacebat

Uxor, et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum,
A scrobe vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, et grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri oostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum causæ; nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido
Indomiti census: nam, dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri: sed quæ reverentia legum,
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis et collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim,
Vestinusque senex; panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui submovet Euros
Pellibus inversis: peregrina, ignotaque nobis,
Ad scelus atque nefas, quæcumq; est, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc,
Post finem auctumni, media de nocte supinum
Clamosus iuvenem pater excitat: Accipe ceras;
Scribe, puer; vigila; causas age; perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Annotet, et grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat: aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod veudere possis
Pluris dimidio; nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra;
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta et corium; lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dis atque ipso Iove digna, poetæ:
Unde habeas, quærit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ:
Hoc discunt omnes, ante Alpha et Beta, puellæ.
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem affari: Dic, o vanissime, quis te
Festinare iubet? meliorem præsto magistro
Discipulum: securus abi: vinceris, ut Aiax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum teneris: nondum implevere medullas
Maturæ mala nequitiæ: cum pectere barbam
Cœperit et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, et Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam iam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit: quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terraque marique
Acquirenda putas, brevior via confert illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi.
Mentis causa malæ tamen est, et origo, penes te.
Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
[Et qui per fraudes patrimonia conduplicare,]
Dat libertatem, et totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis iuveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollatque propinqui;
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus:
In quorum sulcis legiones, dentibus anguis,
Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capessunt
Continuo, tanquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, et rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero; trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Expectare colus: morieris stamine nondum
Abrupto: iam nunc obstas, et vota moraris:
Iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.
Ocyus Archigenen quære, atque eme, quod Mithri-
Composuit, si vis aliam decerpere ficum, (dates
Atq; alias tractare rosas: medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas prætoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, ærata multus in arca
Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, et res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ
Et Cereris licet, et Cybeles, aulæa relinquas;
Tanto maiores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solet rectum descendere funem;
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis:
Qui gaudes pingue antiquæ de litore Cretæ
Passum, et municipes Iovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat brumamque famemque
Illa reste cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas, temerarius: Adspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est
In pelago: veniet classis, quocumque vocarit (iam
Spes lucri: nec Carpathium, Gætulaque tantum
Æquora transiliet; sed, longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis, tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra et iuvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor: ille, sororis
In manibus, vultu Eumenidum terretur et igni:
Hic, bove percusso, mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, et tabula distinguitur unda;
Cum sit causa mali tanti, et discriminis huius,
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
Occurrunt nubes et fulgura: Solvite funem,
Frumenti dominus clamat, piperisque coemti;
Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur;
Æstivum tonat: infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam læva morsuque tenebit.
Sed cuius votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus, et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, cura maiore metuque
Servantur: misera est magni custodia census.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem

Servorum nocte Licinus iubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, et lata testudine: dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus:
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia, dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus. effice summam,
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum;
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra;
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis, uxorem occidere iussus.

SATIRA XV.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et cæpe nefas violare, et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa: nefas illic fœtum iugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. Attonito cum
Tale super cœnam facinus narraret Ulysses
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abiicit, sæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrygonas atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneas, plenos et tempestatibus utres,
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis merito, nondum ebrius, et minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Iunio
Gesta, super calidæ referemus mœnia Copti:
Nos vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis:
Nam scelus a Pyrrha, quanquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit: Accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus,
Ardet adhuc, Ombos et Tentyra. Summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit: sed, tempore festo
Alterius populi, rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa et compita mensis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Ægyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis, et
Blæsis, atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta, et flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc ieiunum odium: sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur; et vice teli
Sævit nuda manus. paucæ sine vulnere malæ:
Vix cuiquam, aut nulli, toto certamine nasus
Integer: adspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et sane quo tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, et nostro tempore natæ:
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero;
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
Ergo Deus, quicumque adspexit, ridet, et odit.
A diverticulo repetatur fabula: postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, et infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Præcipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba: nec ardenti decoxit aeno,
Aut verubus: longum usque adeo tardumque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris: elemento gratulor, et te
Exultare reor: sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quæras, et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit: ultimus autem
Qui stetit, absumto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens,
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua: quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Viribus abnuerit dira atque immania passis;
Et quibus illorum poterant ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent: nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat: sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?

Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus; et par
Virtute atque fide, sed maior clade Saguntus
Tale quid excusat. Mæotide sævior ara
Ægyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut iam, quæ carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat: ulterius nil,
Aut gravius cultro timet hostia. Qui modo casus
Impulit hos? quæ tanta fames, infestaque vallo
Arma coegerunt, tam detestabile monstrum
Audere? anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrsi,
Hæc sævit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, iu quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit: hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam dicentia amici
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi: quis enim bonus, et face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensum a cœlesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut (nos
Affectus petere auxilium et præstare iuberet
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, et proavis habitatas linquere silvas;
Ædificare domos, laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis:
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est; cum, rastra et sarcula tantum
Assueti coquere, et marris ac vomere lassi,
Nescierint primi gladios extundere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum,
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugaret, si nunc hæc monstra videret,
Pythagoras; cunctis animalibus abstinuit qui, (men?
Tanquam homine, et ventri indulsit non omne legu-

SATIRA XVI.

Quis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? Nam si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genitrix quæ delectatur arena.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat: immo, etsi pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum, medico nil promittente, relictum.
Bardaicus iudex datur hæc punire volenti
Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, et more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a signis. Iustissima centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, si iustæ defertur causa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica; omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
Vindicta, et gravior quam iniuria: dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? lacrymæ siccentur protinus, et se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, iudex cum dixerit; audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi?
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Maiorum. Citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atq. alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit pula annua libo,
Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni;
Expectandus erit, qui lites inchoet, annus,
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties subsellia tantum
Sternuntur; iam facundo ponente lacernas
Cædicio, et Fusco iam micturiente, parati
Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt, et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, præstatur tempus agendi;
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis præterea testandi militibus ius
Vivo patre datur: nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater. Ergo Coranum,
Signorum comitem, castrorumque æra merentem,
Quamvis iam tremulus, captat pater. Hunc labor æ-
Provehit, et pulchro reddit sua dona labori. (quus
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem;
Ut læti phaleris omnes, et torquibus omnes.

SULPITIAE SATIRA

De Statu Reipublicæ, temporibus Domitiani, cum edicto Philosophos Urbe exegisset.

MUSA quibus numeris heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis:
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium: quare nec carmine curro phalæco,
Nec trimetro iambo, nec qui, pede fractus eodem,

Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio.
Cætera quin etiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus princeps et facundissima calles,
Aggrediar: precibus descende clientis, et audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam Pater ille Deorum
Cogitat? an terras et patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque iubet tacitos, et iam rationis egenos,
Non aliter, primo quam cum surreximus ævo,
Glandibus, et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus et urbes,
Sed genus Ausonium Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? duo sunt, quibus extulit in-
Roma caput, virtus belli, at sapientia pacis. (gens
Sed virtus, agitata domi, et socialibus armis,
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia; et totum simul abstulit orbem.
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, et immota secum virtute fatiscit;
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum, terra quæsita marique,
Præmia consilio, et molli ratione regebat.
Stabat in his; neque enim poterat constare sine ipsis;
Aut frustra uxori, mendaxque Diespiter olim,
Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.
Nunc igitur, qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,
Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque,
Omnia abire foras, atque Urbe excedere, iussit.
Quid facimus? Graios hominumque relinquimus ur-
bes,
Ut Romana foret magis his instructa magistris:
Nunc, Capitolino veluti, turbante Camillo,
Ensibus et trutina Galli fugere relicta,
Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi
Ut ferale, suos onus, exstirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro;
Cætera et illa manus bello fœcunda secundo:
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago?
Scilicet adversis: nam cum defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva penatibus uxor,
Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetæ
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi pax secura redit, oblita favorum
Plebs, materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa, et gravis, exitium pax.
Hoc fabella modo pausam fecit. Optima, posthac,
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus, dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint: vel denique quidvis,
Ut Dea, quære aliud: tantum Romana Caleno
Mœnia, iucundos pariterque averte Sabinos.
Hæc ego: tum paucis Dea me dignatur, et infit:
Pone metus æquos, cultrix mea. Summa tyranno
Hæc instant odia; et nostro perit nrus honor est:
Nam laureta Numæ fontesque habitamus eosdem;
Et, comite Egeria, ridemus inania cœpta.
Vive, vale! Manet hunc pulchrum sua fama dolorem.
Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

M. VALERIUS MARTIALIS

M. Valerius Martialis, natione Hispanus, Frontonis ac Flacillæ filius, Epicuri sectator, Domitiani, Nervæ, et Traiani tempore floruit. Præter Cæsares, quorum favore Tribunatum tenuit, ac inter equites est ascriptus, clarissimos amicos, ut Iuvenalem, Valerium Flaccum, Quinctilianum, aliosque permultos obtinuit. Libros XIV. scripsit Epigrammatum, quorum fuit doctus ac acerrimus artifex, maiori quidem laude dignus, ni scurrilibus obscœnisque modis frequenter sua carmina deturpasset. His alium librum de spectaculis, seu, ut viri doctissimi sentiunt, carminum collectionem non ab uno Martiali, sed a variis poetis conscriptorum, præposuit. Senex, Urbe relicta, in qua magna laudis præmia ob suum ingenium acceperat, domum rediit; ibique, Traiano imperante, diem clausit supremum.

M. Valerii Martialis Epigrammata ex editione Bipontina.

MARTIALIS ET ALIORUM, UT VIDETUR, DE SPECTACULIS LIBELLUS.

1. *In Amphitheatrum Cæsaris.*

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;
Assiduus iactet nec Babylona labor;
Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

2. *In opera publica Cæsaris.*

Hic, ubi sidereus propius videt astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Unaque iam tota stabat in urbe domus.
Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras
Ultima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, et sunt, te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

3. *De Gentium confluxu et congratulatione.*

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex qua spectator non sit in urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo;

Venit et epoto Sarmata pastus equo,
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem supremæ Tethyos unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabæi;
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
Cum verus *Patriæ* diceris esse *Pater*.

4. *Ad Cæsarem quod expulerit delatores.*

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Gætulis: nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat, exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab urbe:
Impensis vitam principis annumeres.

5. *De Pasiphaes spectaculo.*

Iunctam Pasiphaen Dictæo, credite, tauro
Vidimus; accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Cæsar, longæva vetustas:
Quidquid fama canit, donat arena tibi.

6. *Feminæ in Amphitheatro cum Leone certamen.*

Belliger invictis quod Mars tibi sævit in armis,
Non satis est, Cæsar; sævit et ipsa Venus.
Prostratum Nemees et vasta in valle leonem,
Nobile et Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam, post tua munera, Cæsar,
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

7. *Pœna Laureoli.*

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem;
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso
Non falsa pendens in cruce, Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus;
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini iugulum foderat ense nocens;
Templa vel arcano demens spoliaverat auro;
Subdiderat sævas vel tibi, Roma, faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

8. *De Dædalo.*

Dædale, Lucano cum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

9. *De Rhinocerote.*

Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
Quæ non promisit, prœlia rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

10. *De Leone, qui Gubernatorem offendit.*

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas;
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui iubet ingenium mitius esse feris?

11. *De Urso.*

Præceps sanguinea dum se rotat ursus arena,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida iam tecto cessent venabula ferro;
Nec volet excussa lancea torta manu.
Deprendat vacuo venator in aere prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

12. *De Sue, quæ ex vulnere peperit.*

Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ,
Fixisset gravidam cum levis hasta suem,
Exsiluit partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite; nata fera est.

13. *De eadem.*

Icta gravi telo, confossaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianæ,
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

14. *De eadem.*

Sus fera, iam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

15. *De Carpophoro venatore.*

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
Quantula Carpophori portio, fusus aper!
Ille et præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit et ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus,
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum,
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

16. *De Tauro, qui Herculem in Cœlum sustulit.*

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis, opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus;
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris atque Iovis confer nunc schema: iuvenci
Par onus ut tulerint, altius iste tulit.

17. *De supplice Elephante.*

Quod pius et supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic, modo qui tauro tam metuendus erat;
Non facit hoc iussus; nulloque docente magistro:
Crede mihi, numen sentit et ille tuum.

18. *De Tigride et Leone.*

Lambere securi dextram consueta magistri,
Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil, silvis dum vixit in altis:
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

19. *De Tauro et Elephante.*

Qui modo per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

20. *De Pari Gladiatorum.*

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promisit pariter Cæsar utraque manu.
Non potuit melius litem finire iocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

21. *De Orpheo.*

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque silva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit avis.
Ipse sed ingrato iacuit laceratus ab urso.
Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

22. *De Rhinocerote.*

Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ;
Desperabantur promissi prœlia Martis:
Sed tamen is rediit, cognitus ante, furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

23. *De Carpophoro.*

Dorica quam certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice iuvencos;
Illi cessit atrox bubalus, atque bison.
Hunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurrit.
I nunc, et lentas corripe, turba, moras.

24. *De Naumachia.*

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ista fuit,
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis; hic modo terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem:
Parva mora est: dices, hic modo pontus erat.

25. *De Leandro.*

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,
Desine mirari: Cæsaris unda fuit.
Cum peteret dulces audax Leandrus amores,
Et fessus tumidis iam premeretur aquis;
Sic miser instantes affatus dicitur undas:
Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

26. *De Natatoribus.*

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuscina dente minax, nexu fuit ancora curvo:
Credidimus remum, credidimusque ratem;
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

27. *Blanditur Cæsari.*

Secula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Iam nullum monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum,
Hæc armata manus hydræ mors una fuisset;
Huic percussa foret tota Chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros;
Solvere et Hesionen solus, et Andromedan.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

28. *De Naumachia.*

Augusti laudes fuerant, committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba:
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas, et Galatea, feras,
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus;
Et domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat sævis ratibus fera prœlia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid et in Circo spectatur, et Amphitheatro,
Dives Cæsarea præstitit unda tibi.
Fucinus, et pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam secula Naumachiam.

29. *De Prisco et Vero Gladiatoribus.*

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset et æqualis Mars utriusque diu;
Missio sæpe viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma;
Quod licuit, lances, donaque sæpe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis æqui:
Pugnavere pares; succubuere pares.
Misit utrique rudes, et palmas Cæsar utrique:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Cæsar:
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

30. *Ad Cæsarem.*

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Cæsar, qui placuisse tibi.

31. *Alterum*

Cedere maiori, virtutis fama secunda est,
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

32. *De Dama et Canibus.*

Concita veloces fugeret cum dama molossos,
Et varia obliquas necteret arte moras;
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit; et prædam non tetigere canes.

33. *Aliud apud antiquum Iuvenalis Scholiasten.*

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!
Pæne fuit tanti, non habuisse duos.

Liber primus

EPISTOLA AD LECTOREM

SPERO me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit, cum salva infimarum quoque personarum reverentia ludant: quæ adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis. At mihi fama vilius constet, et probetur in me novissimus ingenium. Absit a iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec Epigrammata mea scribat. Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est. Lascivam verborum veritatem, id est, Epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gætulicus, sic quicumque perlegitur: Si quis tamen tam ambitiose tristis est, ut apud illum in nulla pagina Latine loqui fas sit, potest epistola, vel potius titulo, contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum; aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo iure facturus, si epistolam versibus clausero.

1. *Ad Catonem.*

Nosses iocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Festosque lusus, et licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

2. *Ad Lectorem.*

Hic est quem legis, ille quem requiris.
Toto notus in orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis;
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent poetæ.

3. *Ad Lectorem, ubi libri venales.*

Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ;
Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis: me manus una capit.
Ne tamen ignores, ubi sim venalis, et erres
Urbe vagus tota; me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quære Secundum,
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

4. *Ad Librum suum.*

Argiletanas mavis habitare tabernas;
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
Nescis, heu! nescis dominæ fastidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam rhonchi; iuvenesque senesque
Et pueri nasum rhinocerotis habent.
Audieris cum grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos;
Ætherias, lascive, cupis volitare per auras;

I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

5. *Ad Cæsarem.*

Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere iocos vestri quoque ferre triumphi;
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum,
Illa fronte, precor, carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

6. *Ad Marcum.*

Do tibi naumachiam, tu das Epigrammata nobis.
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

7. *De Leone Cæsaris.*

Ætherias aquila puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus:
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,
Tutus et ingenti ludit in ore lepus:
Quæ maiora putas miracula? summus utrisque
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Iovis.

8. *Ad Maximum, de columba Stellæ.*

Stellæ delicium mei, columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere maior est columba.

9. *Deciani dogma laudat.*

Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis;
Pectore nec nudo strictos incurris in enses;
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

10. *In Cottam.*

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta, videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

11. *De Gemello et Maronilla.*

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, et instat, et precatur, et donat.
Adeone pulchra est? Immo fœdius nil est.
Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

12. *Ad Sextilianum, Potorem.*

Cum data sint equiti bis quina numismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

13. *De Regulo*

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulfureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusque sacrum, dilectaque iugera Musis
Signat vicina quartus ab urbe lapis.
Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras,
Heu quam pæne novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus biiugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras Fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ,
Nunc et damna iuvant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare Deos.

14. *De Arria et Pæto.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

15. *Ad Cæsarem.*

Delicias, Cæsar, lususque iocosque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi;
Cum prensus blando toties a dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur; ergo potest.

16. *Ad Iulium.*

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
Si quid longa fides, castaque iura valent:
Bis iam pæne tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quæ posse negari;
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Expectant curæque catenatique labores.
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant:
Hæc utraque manu, complexuque assere toto:
Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

17. *Ad Avitum.*

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

18. *Ad Titum.*

Cogit me Titus actitare causas,
Et dicit mihi sæpe, Magna res est.
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

19. *Ad Tuccam.*

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere Falerno
In vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est: scelus est iugulare Falernum,
Et dare Campano toxica sæva mero.
Convivæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

20. *Ad Æliam.*

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Iam secura potes totis tussire diebus;
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

21. *Ad Cæcilianum.*

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos, Cæciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

22. *De Porsena et Mucio Scævola.*

Cum peteret regem, decepta satellite, dextra
Ingessit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptæ fama est et gloria dextræ:
Si non errasset, fecerat illa minus.

23. *De Leone et Lepore.*

Quid nunc sæva fugis placidi, lepus, ora leonis?
Fungere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues;
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est; vastos non implet hiatus:
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

24. *Ad Cottam.*

Invitas nullum, nisi cum quo, Cotta, lavaris;
Et dant convivam balnea sola tibi.
Mirabar, quare nunquam me, Cotta, vocasses:
Iam scio, me nudum displicuisse tibi.

25. *Ad Decianum.*

Adspicis incomptis illum, Deciane, capillis,
Cuius et ipse times triste supercilium;
Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos?
Nolito fronti credere, nupsit heri.

26. *Ad Faustinum.*

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,

Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri prætereantque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
incipiant: cineri gloria sera venit.

27. *Ad Sextilianum.*

Sextiliane bibis quantum subsellia quinque
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantum,
Æra sed a cuneis ulteriora, petis.
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis;
Uva nec in Tuscis nascitur ista iugis:
Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egerit et nigros Massica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

28. *Ad Procillum.*

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Cœnares hodie, Procille, mecum.
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria verba subnotasti.
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην, Procille.

29. *De Acerra.*

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

30. *Ad Fidentinum.*

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quam recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

31. *De Diaulo Medico.*

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.
Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

32. *De Encolpo.*

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor,
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili.
Quam primum longas, Phœbe, recide comas.
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,
Dumque decent fusæ lactea colla iubæ:
Utque tuis longum dominusque, puerque, fruatur
Muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

33. *Ad Sabidium.*

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

34. *De Gellia.*

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem;
Siquis adest, iussæ prosiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit;
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

35. *Ad Lesbiam.*

Incustoditis et apertis, Lesbia, semper
Liminibus peccas, nec tua furta tegis:
Et plus spectator, quam te delectat adulter;
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem veloque seraque;
Raraque Summœni fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide, disce pudorem:
Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.
Numquid dura tibi nimium censura videtur?
Deprendi veto te, Lesbia, non futui.

36. *Ad Cornelium.*

Versus scribere me parum severos,
Nec quos prælegat in schola magister,
Corneli, quereris: sed hi libelli,
Tanquam coniugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
Quid si me iubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia vestit, et stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne possint, nisi pruriant, iuvare.
Quare, deposita severitate,
Parcas lusibus et iocis, rogamus;
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

37. *Ad Lucanum et Tullum*

Si, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent:
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret, infernas et qui prior isset ad umbras:
Vive tuo, frater, tempore, vive meo.

38. *Ad Bassum.*

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa: bibis vitro: carius ergo cacas.

39. *Ad Fidentinum.*

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus:
Sed, male cum recitas, incipit esse tuus.

40. *Ad Decianum.*

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque novit anus;
Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ
Artibus, et vera simplicitate bonus;
Si quis erit recti custos, mirator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos;
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

41. *Ad Lividum.*

Qui ducis vultus, et non legis ista libenter,
Omnibus invideas, Livide, nemo tibi.

42. *In Cæcilium.*

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi. Quid ergo? Verna es;
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis; quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer coronæ;
Quod custos, dominusque viperarum;
Quod viles pueri salariorum;
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis;
Quod non optimus Urbicus poeta;
Quod de Gadibus improbus magister;
Quod bucca est vetuli loquax cinædi.
Quare desine iam tibi videri,
Quod soli tibi, Cæcili, videris;
Qui Galbam salibus tuis, et ipsum
Possis vincere Sextium Caballum.
Non cuicumque datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed caballus.

43. *De Porcia, uxore Bruti.*

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor;
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc, et ferrum, turba molesta, nega.

44. *In Mancinum.*

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum est nobis nil here, præter aprum:
Non quæ de tardis servantur vitibus uvæ

Dulcibus aut certant quæ melimela favis:
Non pira, quæ lenta pendent religata genista,
Aut imitata breves Punica mala rosas:
Rustica lactantes nec misit fiscina metas,
Nec de Picenis venit oliva cadis.
Nudus aper; sed et hic minimus, qualisque necari
A non armato pumilione potest.
Et nihil inde datum est; tantum spectavimus omnes.
Ponere aprum nobis sic et arena solet.
Ponatur tibi nullus aper post talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

45. *Ad Stellam.*

Lascivos leporum cursus, lususque leonum,
Quod maior nobis charta, minorque gerit,
Et bis idem facimus; nimium si, Stella, videtur
Hoc tibi; bis leporem tu quoque pone mihi.

46. *De Libro suo.*

Edita ne brevibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius, Τον δ' απαμειβομενος.

47. *Ad Hedylum.*

Cum dicis propero, fac si facis, Hedyle, languet
Protinus, et cessat debilitata Venus.
Exspectare iube: velocius ibo retentus.
Hedyle, si properas, dic mihi ne properem.

48. *De Diaulo medico.*

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat et medicus.

49. *De Leone et Lepore.*

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos præda fugax itque reditque lepus:
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoste,
Nec nihil a tanta nobilitate refert.
Tutior in sola non est cum currit arena,
Nec caveæ tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris;
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

50. *Ad Licinianum, de Hispaniæ locis.*

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræque laus Hispaniæ,
Videbis altam, Liciane, Bilbilim,
Equis et armis nobilem,
Sterilemque Calvum nivibus, et fractis sacrum
Vadaveronem montibus;
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidi natabis lene Congedi vadum,
Mollesque nympharum lacus;
Quibus remissum corpus adstringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
Vobisca prendenti feras.
Æstus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At cum December canus, et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet;
Aprica repetes Tarraconis litora,
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, et vernos apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo:
Cervos relinques villico.
Vicina in ipsum silva descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, et veniet tibi
Conviva clamatus prope.
Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,
Olidæque vestes murice:
Procul horridus Liburnus, et querulus cliens;
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus:
Sed mane totum dormies.
Mereatur alius grande, et insanum *Sophos:*
Miserere tu felicium;
Veroque fruere non superbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit;
Cum fama, quod satis est, habet.

51. *Iocus ex Homero, in Cocum.*

Si tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

52. *Ad Leporem.*

Non facit ad sævos cervix, nisi prima, leones.
Quid fugis hos dentes, ambitiose lepus?
Scilicet a magnis ad te descendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint.
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
Non potes hoc tantis præda sub hoste mori.

53. *Quintianum facit assertorem.*

Commendo tibi, Quintiane, nostros,
(Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus poeta:)
Si de servitio gravi querantur,
Assertor venias, satisque præstes,
Et, cum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos.
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

54. *Ad Fidentinum.*

Una est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura;
Quæ tua traducit manifesto carmina furto.
Sic interpositus vitio contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocullus:
Sic Arretinæ violant crystallina testæ:
Sic niger, in ripis errat cum forte Caystri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores:
Sic, ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.
Indice non opus est nostris, nec vindice, libris:
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, Fures.

55. *Ad Fuscum.*

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari,
(Nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici)
Unum, si superest, locum rogamus:
Nec me, quod tibi sum novus, recuses:
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantum inspice, qui novus paretur,
An possit fieri vetus sodalis.

56. *Ad Frontonem.*

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæque decus:
Hoc petit: esse sui, nec magni, ruris arator;
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus Ave;
Cui licet, exuviis nemoris rurisque beato,
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emtus præparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
Vivat et urbanis albus in officiis.

57. *Ad Cauponem.*

Continuis vexata madet vindemia nimbis.
Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

58. *Ad Flaccum.*

Qualem, Flacce, velim, quæris, nolimve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis. (bamus.
Illud, quod medium est, atque inter utrumque, pro-
Nec volo, quod cruciat; nec volo, quod satiat.

59. *De Pueri pretio.*

Millia pro puero centum me mango poposcit:
Risi ego: sed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet, et queritur de me mea mentula mecum,
Laudaturque meam Phœbus in invidiam.
Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo
Bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam.

60 *Ad Flaccum, de sportula.*

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum:
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:
Tam male cum cœnem, cur bene, Flacce, lavor?

61. *De Lepore et Leone.*

In tres ampla licet torvi, lepus, ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos,
Alta iuvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

62. *Ad Licinianum, Scriptores unde.*

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus;
Nasone Peligni sonant:
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba:
Gaudent iocosæ Canio suo Gades;
Emerita Deciano meo,
Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit, Bilbilis.

63. *De Lævina.*

Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,
Et dum Baianis sæpe fovetur aquis:
Incidit in flammas, iuvenemque secuta relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

64. *Ad Celerem.*

Ut recitem tibi nostra, rogas, epigrammata. Nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

65. *Ad Fabullam ambitiosam.*

Bella es; novimus; et puella; verum est:
Et dives; quis enim potest negare?
Sed, dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

66. *Ad Cæcilianum, de genere et declinat. Ficus.*

Cum dixi *Ficus*, rides, quasi barbara verba,
Et dici *Ficos*, Cæciliane, iubes.
Dicemus *Ficus*, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus *Ficos*, Cæciliane, tuos.

67. *Ad Furem, de libro suo.*

Erras, meorum fur avare librorum,
Fieri poetam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constat, et tomus vilis.
Non sex paratur aut decem *Sophos* nummis.
Secreta quære carmina, et rudes curas,
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartæ;
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membrana;
Mercare tales adeo, nec sciet quisquam.
Aliena quisquis recitat, et petit famam,
Non emere librum, sed silentium, debet.

68. *Ad Chœrilum.*

Liber homo es nimium, dicis mihi, Chœrile, semper.
In te qui dicit, Chœrile, liber homo est.

69. *De Rufo.*

Quidquid agit Rufus, nihil est nisi Nævia Rufo.
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
Nævia: si non sit Nævia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri cum luce salutem,
Nævia lux, inquit, Nævia lumen, ave.
Hæc legit, et ridet demisso Nævia vultu.
Nævia non una est. quid, vir inepte, furis?

70 *Ad Maximum.*

Cœpit, Maxime, Pana qui solebat,
Nunc ostendere Canium, Terentos.

71. *Ad Librum.*

Vade salutatum; pro me liber ire iuberis
Ad Proculi nitidos officiose lares.
Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat, miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.
Protinus a leva clari sub fronte penates,
Atriaque excelsæ sunt adeunda domus.
Hanc pete: ne metuas fastus, limenque superbum:
Nulla magis toto ianua poste patet;
Nec propior quam Phœbus amat, doctæque sorores.
Si dicet, Quare non tamen ipse venit?
Sic licet excuses, Quia, qualiacumque leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

72. *Ad Somnum.*

Nævia sex cyathis, septem Iustina bibatur:
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et, quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

73. *Ad Fidentinum.*

Nostris versibus esse te poetam,
Fidentine, putas, cupisque credi?
Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emtis ossibus, Indicoque cornu:
Sic, quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac et tu ratione, qua poeta es,
Calvus cum fueris, eris comatus.

74. *Ad Cæcilianum.*

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Cæciliane, tuam,
Dum licuit: sed nunc, positis custodibus, ingens
Turba fututorum est: ingeniosus homo es.

75. *Ad Paullam.*

Mœchus erat: poteras tamen hoc tu, Paulla, negare.
Ecce vir est: numquid, Paulla, negare potes?

76. *De Lino.*

Dimidium donare Lino, quam credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

77. *Ad Flaccum.*

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes et alumne laris!
Pierios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ.
Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una Deos.

Quid possent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, et serta, lyrasque Dearum,
Nil habet, et magnum semper inane *Sophos*.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside nuda?
Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic æra sonant: at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

78. *De Charino*.

Pulchre valet Charinus, et tamen pallet.
Parce bibit Charinus, et tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, et tamen pallet.
Sole utitur Charinus, et tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, et tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.

79. *De Festo*.

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues;
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,
Decrevit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame:
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore via.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: hujus Cæsar amicus erat.

80. *Ad Attalum*.

Semper agis causas, et res agis, Attale, semper:
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

81. *Ad Canum*.

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est.
Occidit, puto, te, Cane, quod una fuit.

82. *Ad Sosibianum*.

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

83. *De Regulo*.

Hæc, quæ pulvere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu!
Tectis nam modo Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratque;
Victa est pondere cum suo repente;
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

84. *De Manneia*.

Os et labra tibi lingit, Manneia, catellus:
Non miror, merdas si libet esse cani.

85. *De Quirinali*.

Uxorem habendam non putat Quirinalis,
Cum vult habere filios; et invenit
Quo possit istud more: futuit ancillas;
Domumque et agros implet equitibus vernis.
Pater familiæ verus est Quirinalis.

86. *De Mario*.

Venderet excultos colles cum præco facetus,
Atque suburbani iugera pulchra soli;
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet; fœnerat immo magis.
Quæ ratio est igitur? Servos ubi perdidit omnes,
Et pecus et fructus, non amat inde locum.
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

87. *De Novio, micropsycho*.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.
Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus esse me beatum,
Iuncto cui liceat frui sodale?
Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet: nec urbe tota
Quisquam est tam prope, tam proculque nobis.
Migrandum est mihi longius, vel illi.
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, si quis Novium videre non vult.

88. *Ad Fescenniam*.

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit a barathro.
Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longius exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprensaque furta
Iam tollas, et sis ebria simpliciter.

89. *Ad Alcimum*.

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus,
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor;
Sed fragiles buxos, et opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis roscida prata meis.
Accipe, care puer, nostri monumenta laboris:
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos,
Non aliter cineres mando iacere meos.

90. *Ad Cinnam*.

Garris in aurem semper omnibus, Cinna;
Garris et illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus,
Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?

91. *Ad Bassam, tribadem*.

Quod nunquam maribus iunctam te, Bassa, videbam,
Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat;
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro;
Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:
At tu (pro facinus!) Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum:
Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium.

92. *Ad Lælium*.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

93. *Ad Mamurianum*.

Sæpe mihi queritur non siccis Cestus ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,
Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopesve calix;
Cerea si pendet lumbis et trita lacerna,
Dimidiasque nates Gallica palla tegit;
Pasceris et nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam;
Non culum (neque enim est culus, qui non cacat olim)
Sed fodiam digito, qui superest, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum,
Denique pedica, Mamuriane, satur.

94. *De Aquino.*

Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,
Qui prior Elysias gaudet adisse domos.
Ara duplex primi testatur munera pili:
Plus tamen est, titulo quod breviore legis.
Functus uterque sacro laudatæ fœdere vitæ,
Famaque quod raro novit, amicus erat.

95. *Ad Æglen, fellatricem.*

Cantasti male, dum fututa es, Ægle.
Iam cantas bene; basianda non es.

96. *Ad Helium.*

Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis, Heli,
Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

97. *Ad Scazontem, de fellatore.*

Si non molestum est, teque non piget, Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic ut audiat solus.
Amator ille tristium lacernarum,
Et bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes,
Nativa laudat; habeat et licet semper
Fuscos colores, galbanos habet mores.
Rogabit, unde suspicer virum mollem.
Una lavamur: adspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis devorantibus draucos;
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quæris, quis hic sit? Excidit mihi nomen.

98. *Ad Nævolum, Causidicum.*

Cum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, tantum;
Et te patronum, causidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce, tacent omnes; Nævole, dic aliquid.

99 *Ad Flaccum.*

Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

100. *Ad Calenum, avarum.*

Non plenum modo vicies habebas;
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota Deus, precesque nostras;
Atque intra, puto, septima Kalendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic, quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem,
Ut convivia sumtuosiora,
Toto quæ semel apparet in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ;
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.
Quid dignum meritis precemur istis?
Optamus tibi millies, Calene.
Hoc si contigerit, fame peribis.

101. *De Afra, vetula.*

Mammas atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici et mammarum maxima mamma potest.

102. *De Demetrio.*

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notaque Cæsaribus,
Destituit primos virides Demetrius annos:
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Ureret implicitum cum scelerata lues,
Cavimus; et domini ius omne remisimus ægro:
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

103. *Ad Lycorim.*

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

104. *Ad Scævolam.*

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas, nondum, Scævola, iustus eques;
Qualiter o vivam, quam large, quamque beate!
Riserunt faciles, et tribuere, Dei.
Sordidior multo post hoc toga, pænula peior:
Calceus est sarta terque quaterque cute;
Deque decem plures semper servantur olivæ;
Explicat et cœnas unica mensa duas;
Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli;
Asse cicer tepidum constat, et asse Venus.
In ius, o fallax atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies, Scævola, redde Deis.

105. *De Spectaculo.*

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello;
Mordent aurea quod lupata cervi;
Quod frenis Libyci domantur ursi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris;
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro;
Quis spectacula non putet Deorum?
Hæc transit tamen, ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore præda;
Laxos cui dare, perviosque rictus
Gaudent, et timidos tenere dentes;
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerint iuvencis.
Hæc clementia non paratur arte;
Sed norunt, cui serviant, leones.

106. *Ad Ovidium.*

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores nomenque senecta;
Et, quidquid voluit, testa vocatur anus.

107. *Ad Rufum.*

Interponis aquam subinde, Rufe;
Et, si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unicam Falerni.
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nævia, sobriasque mavis
Certæ nequitias fututionis?
Suspiras, retices, gemis: negavit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum iugules mero pudorem.
Quid parcis, tibi, Rufe? dormiendum est.

108. *Ad Lucium Iulium.*

Sæpe mihi dicis, Luci clarissime Iuli,
Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.
Otia da nobis; sed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilioque suo;
Condere victuras tentem per sæcula curas,
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuvenci:
Pingue solum lassat: sed iuvat ipse labor.

109. *Ad Gallum.*

Est tibi, sitque, precor, multos crescatque per annos,
Pulchra quidem, verum Transtiberina, domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:
Factus in hac ego sum iam regione senex.

Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem:
Es tanti, vel ai longius illa foret.
Sed tibi non multum est, unum si præsto togatum:
Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decima, vel sertus, hora:
Mane tibi pro me dicat *avere* liber.

110. *De Catella Publii.*

Issa est passere nequior Catulli:
Issa est purior osculo columbæ:
Issa est blandior omnibus puellis:
Issa est carior Indicis lapillis:
Issa est deliciæ catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamque, gaudiumque:
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur;
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla:
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi rogat, et monet levari.
Castæ tantus inest pudor catellæ;
Ignorat Venerem; nec invenimus
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

111. *Ad Velocem.*

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

112. *Ad Regulum.*

Cum tibi sit sophiæ par fama, et cura Deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo;
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, thura dari.

113. *In Priscum.*

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam:
Cum bene te novi, iam mihi Priscus eris.

114. *Ad Lectorem.*

Quæcumque lusi iuvenis et puer quondam,
Apinasque nostras, quas nec ipse iam novi,
Male collocare si bonas voles horas,
Et invidebis otio tuo, lector,
A Valeriano Pollio petes Quinto,
Per quem perire non licet meis nugis.

115. *Ad Faustinum.*

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius, et breve rus, udaque prata tenet.
Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,
Quod legis, Antullæ, dignior ipse legi.
Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub umbras:
Sed, quia non licuit, vivit, ut ossa colat.

116. *In Procillum.*

Quædam me cupit, invide Procille,
Toto candidior puella cycno,
Argento, nive, lilio, ligustro;
Iam suspendia sæva cogitabis:
Sed quamdam volo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada,
Si novi bene te, Procille, vives.

117. *De Antulla.*

Hoc nemus æterno cinerum sacravit honore
Fœnius, et culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur, cito rapta suis, Antulla sepulcro:
Hoc erit Antullæ mixtus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum:
Perpetuo dominis serviet iste suis.

118. *In Lupercum.*

Occurris quoties, Luperce, nobis,
Vis mittam puerum, subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam?
Non est, quod puerum, Luperce, vexes.
Longum est, si velit ad Pyrum venire;
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propius petas licebit.
Argi nempe soles subire letum:
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas.
Illinc me pete; ne roges Atrectum;
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.
De primo dabit, alterove nido,
Rasum pumice, purpuraque cultum,
Denariis tibi quinque Martialem,
Tanti non es, ais? Sapis, Luperce.

119. *Ad Cæcilianum.*

Cui legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est, Cæciliane, mali.

Liber secundus

Martialis Deciano suo s.

Quid nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus, si legimus epigrammata? quid hic porro dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet: epigrammata Curione non egent, et contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacumque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, et in toga saltanti inducere personam. Denique videris, an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo, qui protinus reclamant. Puto, mehercule, Deciane, verum dicis. Quid, si scies, cum qua, et quam longa epistola negotium fueras habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

1. *Ad Librum suum.*

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque, liber?
At nunc succincti quæ sint bona, disce, libelli.
Hoc primum est, brevior quod mihi charta perit.
Deinde, quod hæc una peragit librarius hora,
Nec tantum nugis serviet iste meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris,
Sis licet usque malus, non odiosus eris.
Te conviva leget mixto quincunce: sed ante,
Incipiat positus quam tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus brevitate videris?
Hei mihi, quam multis sic quoque longus eris!

2. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet;
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine, Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

3. *Ad Sextum.*

Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

4. *In Ammianum.*

O quam blandus es, Ammiane, matri!
Quam blanda est tibi mater, Ammiane!

Fratrem te vocat, et soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non iuvat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, iocumque? non est.
Matrem, quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem iuvat esse, nec sororem.

5. *Ad Decianum.*

Ne valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passum:
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
Sæpe domi non es: cum sis quoque, sæpe negaris:
Vel tantum causis, vel tibi sæpe, vacas.
Te tamen ut videam, duo millia non piget ire:
Ut te non videam, quatuor ire piget.

6. *Ad Severum.*

I nunc, edere me iube libellos.
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas εσχατοκωλιον, Severe,
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
Rapta exscribere, sed Vitellianis.
Hæc sunt, singula quæ sinu ferebas
Per convivia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora, si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
Nunquam deliciæ supiniores.
Lassus tam cito deficis viator;
Et cum currere debeas Bovillas,
Interiungere quæris ad Camœnas.
I nunc, edere me iube libellos.

7. *In Attalum.*

Declamas belle; causas agis, Attale, belle:
Historias bellas, carmina bella facis:
Componis belle mimos, epigrammata belle:
Bellus grammaticus; bellus es astrologus:
Et belle cantas, et saltas, Attale, belle:
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

8. *Ad Lectorem.*

Si qua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum;
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis;
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt: quasi non manifesta negemus:
Hæc mala sunt; sed tu non meliora facis.

9. *De Nævia.*

Scripsi; rescripsit nil Nævia: non dabit ergo.
Sed puto, quod scripsi, legerat: ergo dabit.

10. *In Posthumum.*

Basia dimidio quod das mihi, Posthume, labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare maius adhuc, et inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium.

11. *Ad Rufum, de Selio.*

Quod fronte Selium nubila vides, Rufe:
Quod ambulator porticum terit serus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod pæne terram tangit indecens nasus;
Quod dextra pectus pulsat, et comam vellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Uterque natus vivit, et precor vivat:
Salva est et uxor, sarcinæque, servique:
Nihil colonus, villicusque decoxit.
Mœroris igitur causa quæ? domi cœnat.

12. *In Posthumum.*

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est nunquam non alienus odor? (per:
Hoc mihi suspectū est, quod oles bene, Posthume, sem-
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

13. *Ad Sextum.*

Et iudex petit, et petit patronus.
Solvas, censeo, Sexte, creditori.

14. *Ad Paulinum, de Selio.*

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties iam videt esse domi.
Currit ad Europen, et te, Pauline, tuosque
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
Si quid Phyllyrides præstet, et Æsonides.
Hinc quoq; deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet et cathedris, mœsta iuvenca, tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis;
Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi.
Nam thermis iterum cunctis iterumque lavatur.
Omnia cum fecit, sed renuente Deo;
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

15. *In Hermum.*

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

16. *In Zoilum.*

Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus a Nilo, quid Sidone tinctus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

17. *Ad Ammianum.*

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix, Ammiana, non tondet.
Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit.

18. *In Maximum.*

Capto tuam, pudet heu! sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas aliam: iam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio: tu diceris isse
Ante salutatum: iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares.
Esse sat est servum: iam nolo vicarius esse.
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

19. *Ad Zoilum.*

Felicem fieri credis me, Zoile, cœna?
Felicem cœna, Zoile? deluda tua?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

20. *De Paullo.*

Carmina Paullus emit: recitat sua carmina, Paullus:
Nam, quod emas, possis dicere iure tuum.

21 *In Posthumum.*

Basia das aliis; aliis das, Posthume, dextram.
Dicis, utrum mavis? elige: malo manum.

22. *De eodem.*

Quid mihi vobiscum est, o Phœbe, novemq; sorores?
Ecce nocet vati Musa iocosa suo.
Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat
Basia; nunc labro cœpit utroque dare.

23. *De eodem.*

Non dicam, licet usque me rogetis,
Quis sit Posthumus in meo libello:
Non dicam: quid enim mihi necesse est
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene vindicare possunt?

24. *In Candidum.*

Si det iniqua tibi tristem Fortuna reatum,
Squalidus hærebo, pallidiorque reo.
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos, exulis ibo comes.
Dat tibi divitias: ecquid sunt ista duorum?
Das partem? multum est; Candide, das aliquid?
Mecum eris ergo miser: quod si Deus ore sereno
Annuerit; felix, Candide, solus eris.

25. *Ad Gallam.*

Das nunquam, semper promittis, Galla, roganti.
Si semper fallis, iam rogo, Galla, nega.

26. *Ad Bithynicum.*

Quod querulum spirat, quod acerbum Nævia tussit,
Inque suos mittit sputa subinde sinus;
Iam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras: blanditur Nævia, non moritur.

27 *De Selio.*

Laudantem Selium, cœnæ cum retia tendit,
Accipe, sive legas, sive patronus agas.
Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate!
Hoc volui! Facta est iam tibi cœna: tace.

28. *In Sextillum.*

Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum
Dixerit, et digitum porrigito medium.
Sed nec pædico es, nec tu, Sextille, fututor:
Calda Vetustillæ nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es, fateor, Sextille: quid ergo es?
Nescio: sed tu scis res superesse duas.

29. *Ad Rufum.*

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
Cuius et hinc lucet sardonychata manus;
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere iussa nives;
Cuius olet toto pinguis coma Marcelliano.
Et splendent vulso brachia trita pilo.
Non hesterna sedet lunata lingula planta;
Coccina non læsum cingit aluta pedem;
Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? Splenia tolle: leges.

30. *In Caium.*

Mutua viginti sestertia forte rogabam;
Quæ vel donanti non grave munus erat:
Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, dives eris, si causas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai: non peto consilium.

31. *Ad Marianum.*

Sæpe ego Chrestillam futui. Det quam bene, quæris?
Supra quod fieri nil, Mariane, potest.

32. *In Ponticum.*

Lis mihi cum Balbo est; tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino est; hic quoque magnus homo est.
Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum:
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat et retinet nostrum Laronia servum:
Respondes, orba est, dives, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, servo servitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

33. *In Philænim.*

Cur non basio te, Philæni? calva es.
Cur non basio te, Philæni? rufa es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es,
Te qui basiat, hic, Philæni, fellat.

34. *In Gallam.*

Cum placeat Phileros, tota tibi dote redemtus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Præstatur cano tanta indulgentia cunno,
Quem nec casta potest iam decuisse Venus.
Perpetuam Di te faciant Phileroti amicam,
O mater, qua nec Pontia deterior.

35. *Ad Phœbum.*

Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

36. *Ad Pannicum.*

Flectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit nolo, sordida nolo, cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
Sunt tibi crura pilis, et sunt tibi pectora setis
Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

37. *In Cæcilianum.*

Quicquid ponitur, hinc et inde verris:
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Murenæque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica sua palumbum.
Hæc cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone cœnam:
Cras te, Cæciliane, non vocavi.

38. *In Linum.*

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager: te, Line, non video.

39. *De muneribus mœchæ.*

Coccina famosæ donas, et ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

40. *In Tongilium.*

Uri Tongilius male dicitur hemitritæo.
Novi hominis mores: esurit, atque sitit.
Subdola tenduntur crassis modo retia turdis:
Hamus et in mullum mittitur, atque lupum.
Cæcuba saccentur; quæque annus coxit Opimi,
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici iussere lavari.
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

41. *In Maximinam.*

Ride, si sapis, o puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat poeta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Verum, ut dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi; tu puella non es:
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes:
Sed plane piceique, buxeique.
Quare, si speculo mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumque Priscus;
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.
Vultus indue tu magis severos,
Quam coniux Priami, nurusque maior.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et convivia nequiora vita,
Et quicquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœstæ decet assidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu, iudicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, o puella, plora.

42. *In Zoilum.*

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

43. *In Candidum.*

Candide, κοινα φιλων, hæc sunt tua, Candide παν-
Quæ tu magniloquus nocte dieque sonas. (τα
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,
Vel quam seposito de grege Parma dedit.
At me, quæ passa est furias et cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.
Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli:
Concolor in nostra, cammare, lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo:
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri fidoque sodali
Das nihil, et dicis, Candide, κοινα φιλων?

44. *In Sextum.*

Emi seu puerum, togamve pexam,
Seu tres, ut puto, quatuorve libras;
Sextus protinus ille fœnerator,
Quem nostis veterem meum sodalem,
Nequid forte petam, timet, cavetque;
Et secum, sed ut audiam, susurrat:
Septem millia debeo Secundo;
Phœbo quatuor; undecim Phileto;
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, cum rogaris:
Quanto durius, antequam rogeris!

45. *Ad Glyptum.*

Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte.
Demens, cum ferro quid tibi? Gallus eras.

46. *In Nævolum.*

Florida per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum breve Sicaniæ ver populantur apes;
Sic tua suppositis perlucent prela lacernis:
Sic micat innumeris arcula synthesibus.
Atque unam vestire tribum tua candida possunt,
Apula non uno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hiemem succincti lentus amici,
(Pro scelus!) et lateris frigora trite mei.
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus,
(Quid renuis?) non te, Nævole, sed tineas?

47. *In Gallum.*

Subdola famosæ, moneo, fuge retia mœchæ,
Levior o conchis, Galle, Cytheriacis.
Confidis natibus? non est pædico maritus:
Quæ faciat, duo sunt: irrumat, aut futuit.

48. *Ad Rufum.*

Cauponem, laniumque, balneumque,
Tonsorem, tabulamque, calculosque,
Et paucos, sed ut eligam, libellos;
Unum non nimium rudem sodalem,
Et caram puero meo puellam,
Et grandem puerum, diuque levem;
Hæc præsta mihi, Rufe, vel Bitonti;
Et thermas tibi habe Neronianas.

49. *De Thelesina.*

Uxorem nolo Thelesinam ducere. Quare?
Mœcha est. Sed pueris dat Thelesina. Volo.

50. *In Lesbiam.*

Quod felles, et aquam potas, nil, Lesbia, peccas.
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

51. *In Hyllum.*

Unus sæpe tibi tota denarius arca
Cum sit, et hic culo tritior, Hylle, tuo;
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo;
Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix venter spectat convivia culi;
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

52. *De Dasio.*

Novit loturas Dasius numerare: poposcit
Mammosam Spatalen pro tribus: illa dedit.

53. *In Maximum.*

Vis fieri liber? Mentiris, Maxime: non vis:
Sed fieri si vis, hac ratione potes.
Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis;
Veientana tuam si domat uva sitim:
Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ;
Contentus nostra si potes esse toga;
Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse;
Si tua non rectus tecta subire potes.
Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho vivere rege potes.

54. *In Linum.*

Quid de te, Line, suspicetur uxor,
Et qua parte velit pudiciorem,
Certis indiciis satis probavit,
Custodem tibi quæ dedit spadonem.
Nil nasutius hac, maligniusque est.

55. *Ad Sextum.*

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum est tibi; quod iubes, coleris:
Sed, si te colo, Sexte, non amabo.

56. *Ad Gallum, de eius uxore.*

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia: non solet illa
Accipere omnino. Quid solet ergo? Dare.

57. *In fictum divitem.*

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus, alpha penulatorum,
Quem grex togatus sequitur, et capillatus,
Recensque sella linteisque lorisque;
Oppigneravit Claudi modo ad mensam
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

58. *In Zoilum.*

Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.
Sunt hæc trita quidem, Zoile; sed mea sunt.

59. *De cœnatione Micæ.*

Mica vocor: quid sim, cernis: cœnatio parva.
Ex me Cæsareum prospicis, ecce, tholum.
Frange toros; pete vina: rosas cape; tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

60. *In Hyllum.*

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis! castrabere: iam mihi dices,
Non licet hoc. Quid, tu quod facis, Hylle, licet?

61. *In maledicum.*

Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua viros.
Postquam triste caput fastidia vespillonum,
Et miseri meruit tædia carnificis;
Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus,
Allatras nomen, quod tibi cumque datur.
Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua:
Nam, cum fellaret, purior illa fuit.

62. *In Labienum.*

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,
Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis;
Hoc præstas, Labiene, tuæ, quis nescit? amicæ.

Cui præstas culum, quem, Labiene pilas?

63. *In Milichum.*

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum;
Quæ tulit a Sacra Leda redemta Via,
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.
Non amo, iam dices: hæc mage luxuria est.

64. *In Taurum.*

Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis;
Peleos et Priami transit, vel Nestoris ætas;
Et fuerat serum iam tibi desinere.
Incipe: tres uno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur; fora litibus omnia fervent:
Ipse potest fieri Marsya causidicus.
Eia age, rumpe moras: quo te sperabimus usque?
Dum, quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.

65. *In Saleianum.*

Cur tristiorem cernimus Saleianum?
An causa levis est? Extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! o gravem casum!
Illa, illa dives mortua est Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Saleiane.

66. *In Lalagen.*

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
Desine iam, Lalage, tristes ornare capillos;
Tangat et insanum nulla puella caput.
Hoc salamandra notet, vel sæva novacula nudet,
Ut digna speculo fiat imago tuo.

67. *In Posthumum.*

Occurris quocumque loco mihi, Posthume, clamas
Protinus, et prima est hæc tua vox, Quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis: habes puto tu, Posthume, nil quod agas.

68. *Ad Olum.*

Quod te nomine iam tuo saluto,
Quem regem et dominum prius vocabam;
Ne me dixeris esse contumacem;
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges et dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod reges dominique concupiscunt.
Servum si potes, Ole, non habere;
Et regem potes, Ole, non habere.

69. *In Classicum.*

Invitum cœnare foris te, Classice, dicis:
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire:
Cum cœnaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis?
Cogor, ais: verum est; cogitur et Selius.
En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam.
Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce, nega.

70. *In Cotilum.*

Non vis in solio prius lavari
Quenquam, Cotila: causa quæ, nisi hæc, est?
Undis ne fovearis irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est,
Ante hic mentula, quam caput, lavetur.

71. *Ad Cæcilianum.*

Candidius nihil est te, Cæciliane, notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca legis,
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas?
Ut collata magis placeant mea? credimus illud.
Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

72. *In Posthumum.*

Hesterna factum narratur, Posthume, cœna,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono:
Quodque magis mirum est, auctorem criminis huius
Cæcilium tota rumor in urbe sonat.
Esse negas factum: vis hoc me credere? credo.
Quid quod habet testes, Posthume, Cæcilius?

73. *In Lyrim.*

Quid faciat vis scire Lyris? quid? sobria fellat.

74. *In Saufeium.*

Cinctum togatis post et ante Saufeium,
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cum reum misit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam.
Hos illi amicos, et greges togatorum,
Fusciculenus præstat, et Faventinus.

75. *De Leone.*

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum:
Dedidicit pacem, subito feritate reversa,
Quanta nec in Libycis debuit esse iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris quæ renovabat humum,
Sævus et infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit maius arena nefas.
Exclamare libet: crudelis, perfide, prædo,
A nostra pueris parcere disce lupa!

76. *De Mario.*

Argenti libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

77. *In Cosconium.*

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.
Hac tu crediderls longum ratione colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse brevem.
Disce, quod ignoras: Marsi, doctique Pedonis,
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

78. *Ad Cæcilianum.*

Æstivo serves ubi piscem tempore, quæris?
In thermis serva, Cæciliane, tuis.

79. *In Nasicam.*

Invitas tunc me, cum scis, Nasica, vocasse.
Excusatum habeas me, rogo: cœno domi.

80. *De Fannio.*

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

81. *In Zoilum*

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit;
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

82. *Ad Ponticum.*

Abscissa servum quid fingis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

83. *In sævum Maritum.*

Fœdasti miserum, marite, mœchum;
Et se, qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus auribusque vultus.
Credis te satis esse vindicatum?
Erras: iste potest et irrumare.

84. *In Sertorium.*

Mollis erat, facilisque viris Pæantius heros:
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est:
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

85. *Ad Amicum.*
Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris; rasam tu mihi mitte togam.

86. *Ad Classicum.*
Quod nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotaden cinædum,
Nusquam Græcula quod recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate galliambon;
Non sum, Classice, tam malus poëta.
Quid si per graciles vias petauri
Invitum iubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris iuvat auribus placere.

87. *In Sextum.*
Dicis amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habes.

88. *In Mamercum.*
Nil recitas; et vis, Mamerce, poeta videri.
Quicquid vis esto, dummodo nil recites.

89. *In Gaurum.*
Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes;
Quod vomis, Antoni; quod luxuriaris, Apici:
Quod fellas, vitium, dic mihi, cuius habes?

90. *Ad Quintilianum.*
Quintiliane, vagæ moderator summe iuventæ,
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ;
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, et nigros non indignantia fumos
Tecta iuvant, et fons vivus, et herba rudis.
Sit mihi verna satur; sit non doctissima coniux;
Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

91. *Ad Cæsarem Domitianum.*
Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse Deos;
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos;
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

92. *Ad Uxorem.*
Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. Valebis, uxor.
Non debet Domini perire munus.

93. *Ad Regulum.*
Primus ubi est, inquis, cum sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum;
Unum de titulo tollere iota potes.

Liber tertius

1. *Ad Lectorem, de libro Gallicano.*
Hoc tibi, quicquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis, et laudas librum fortasse priorem:
Illa vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.
Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est;
Debet enim Gallum vincere verna liber.

2. *Ad Librum suum.*
Cuius vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperisque sis cucullus.
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et, frontis gemino decens honore,
Pictis luxurieris umbilicis;
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index.
Illo vindice nec Probum timeto.

3. *In Mulierem formosam vultu, sed corpore deformem.*
Formosam faciem nigro velamine celas;
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede Deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata lava.

4. *Ad Librum suum.*
Romam vade, liber. Si, veneris unde, requiret;
Æmiliæ, dices, de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit:
Cornelî referas me licet esse foro.
Cur absim, quæret: breviter tu, multa, fatere,
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
Si, quando veniet? dicet: responde, Poeta
Exierat: veniet, cum citharœdus erit.

5. *Ad eundem.*
Vis commendari sine me cursurus in urbem,
Parve liber, multis? an satis unus erit?
Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,
Iulius, assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ:
Quod tenuit Daphnis, nunc tenet ille, lares.
Est illi coniux, quæ te manibusque sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem,
Videris, hoc dices: Marcus avere iubet.
Hoc satis est: alios commendet epistola: peccat,
Qui commendandum se putat esse suis.

6. *Ad Marcellinum.*
Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat æthereos ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licet dederit iucundæ munera vitæ,
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

7. *De Sportula.*
Centum miselli iam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi,
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, o fames amicorum?
Regis superbi sportulæ recesserunt.
Nihil stropharum est: iam salarium dandum est.

8. *In Quintum.*
Thaida Quintus amat. Quã Thaida? Thaida luscam.
Unum oculum Thais non habet, ille duos.

9. *In Cinnam.*
Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

10. *In Philomusum.*
Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua; perque omnes præstitit illa dies,
Luxuriam premeret cum crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit:
Exhæredavit te, Philomuse pater.

11. *Ad Quintum.*

Si tua nec Thais, nec lusca est, Quinte, puella,
Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laide Thaida dixi.
Dic mihi, quid simile est Thais et Hermione?
Tu tamen es Quintus: mutemus nomen amantis;
Si non vult Quintus Thaida, Sextus amet.

12. *In Fabullum.*

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, et esurire.
Qui non cœnat et ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

13. *In Næviam.*

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plus quam patri, Nævia, parcis apro;
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. Nunquam sic ego crudus ero.

14. *De Tuccio.*

Romam petebat esuritor Tuccius,
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte rediit Mulvio.

15. *De Codro.*

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe.
Cum sit tam pauper, quomodo? Cæcus amat.

16. *In Cerdonem.*

Das gladiatores, sutorum regule, cerdo;
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
Ebrius es; nec enim faceres id sobrius unquam,
Ut velles corio ludere, cerdo, tuo.
Lusisti, satis est: sed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

17. *In Sabidium.*

Circumlata diu mensis scriblita secundis
Urebat nimio sæva calore manus;
Sed magis ardebat Sabidi gula: protinus ergo
Sufflavit buccis terque quaterque suis.
Illa quidem tepuit, digitosque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere: merda fuit.

18. *In Maximum.*

Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

19. *De Vipera in ore Ursæ.*

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ qua platanona feræ.
Huius dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum.
Vipera sed cæcu scelerata latebat in ore,
Vivebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto,
Dum perit: o facinus, falsa quod ursa fuit!

20. *De Canio.*

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Utrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos Phædri?
Lascivus elegis, an severus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poetarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi;
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?
Titine thermis, an lavatur Agrippæ,
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes iam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauculatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

21. *In crudelem dominum.*

Proscriptum famulus servavit fronte notatus.
Nou fuit hæc domini vita, sed invidia.

22. *De Apicio.*

Dederas, Apici, bis trecenties ventri;
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ut famem et sitim ferre,
Summa venenum potione duxisti.
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

23. *In Invitatorem.*

Omnia cum retro pueris opsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

24. *De Haruspice hernioso.*

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris;
Quem Tuscus mactare Deo cum vellet haruspex,
Dixerat agresti forte rudique viro,
Ut cito testiculos peracuta falce secaret,
Taler ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat;
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus et fibris numina prisca coli.
Sic, modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,
Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

25. *Ad Faustinum.*

Si temperari balneum cupis fervens,
Faustine, quod vix Iulianus intraret,
Roga, lavetur, rhetorem Sabinæum.
Neronianas hic refrigeret thermas.

26. *In Candidum.*

Prædia solus habes, et solus, Candide, nummos;
Aurea solus habes; myrrhina solus habes;
Massica solus habes, et Opimi Cæcuba solus;
Et cor solus habes, solus et ingenium.
Omnia solus habes: hoc me puta velle negare:
Uxorem sed habes, Candide, cum populo.

27. *In Gallum.*

Nunquam me revocas, venias cum sæpe vocatus:
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.
Invitas alios: vitium est utriusque. Quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

28. *In Nestorem.*

Auriculam Mario graviter miraris olere!
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

29. *In Zoilum.*

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne tibi Zoilus, annulos priores.

30. *Ad Gargilianum.*

Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis:
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula est, et fuscæ pensio cellæ?
Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te vivere summa:
Quod vivis, nulla cum ratione facis.

31. *Ad Rufinum.*

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Urbanique tenent prædia multa lares;
Et servit dominæ numerosus debitor arcæ;
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

32. *In Matriniam.*

Non possim vetulam, quæris, Matrinia? Possum
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia: sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

33. *Qualem Puellam velit.*

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est ancilla loco: sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

34. *Ad Chionen.*

Digna tuo cur sis, indignaque nomine, dicam.
Frigida es, et nigra es: non es, et es Chione.

35. *De Piscibus sculptis.*

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

36. *In Fabianum.*

Quod novus et nuper factus tibi præstat amicus.
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi:
Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum;
Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora
Te sequar Agrippæ, cum laver ipse Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Ut sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga tritaque, meaque,
Ut nondum credas me meruisse rudem?

37. *In irascentes Amicos.*

Irasci tantum felices nostis amici.
Non belle facitis: sed iuvat hoc facere.

38. *Ad Sextum.*

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia, Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso;
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus causas, et Caius: utrumque
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis
Sunt ibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colam. Vix tres aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade; nam certum est vivere Romæ.
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

39. *De Lycori.*

Iliaco similem puerum, Faustine, magistro
Lusca Lycoris amat: quam bene lusca videt!

40. *In Thelesinum.*

Mutua quod nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas gravis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus.
Tu magnus, quod das? immo ego, quod recipis.

41. *In Lacertam cælatam*

Inserta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

42. *In Pollam.*

Lomento rugas uteri quod condere tentas,
Polla; tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:
Quod tegitur, maius creditur esse malum.

43. *In Lentinum.*

Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras.
Non omnes falles: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

44. *In Ligurinum.*

Occurrit tibi nemo quod libenter;
Quod, quacumque venis, fuga est, et ingens
Circa te, Ligurine, solitudo;
Quid sit, scire cupis? nimis poeta es:
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, et legis sedenti;
Currenti legis, et legis cacanti.
In thermas fugio; sonas ad aurem:
Piscinam peto; non licet natare:
Ad cœnam propero; tenes euntem:
Ad cœnam venio; fugas sedentem.
Lassus dormio; suscitas iacentem:
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens, timeris.

45. *De eodem.*

Fugerit an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro; fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem;
Nec volo boletos; ostrea nolo: tace.

46. *Ad Candidum.*

Exigis a nobis operam sine fine togatam.
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor; ille feret.
In turbam incideris; cunctos umbone repellet:
Invalidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in causia narraveris, ipse tacebo;
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit: ingenti faciet convicia voce:
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quicquid libertus, Candide, non poterit.

47. *De Basso.*

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiæque Matris Almo qua lavat ferrum,
Horatiorum qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigroque ventri non inutiles betas;
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum.
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno cursor ova portabat,
Romam petebat Bassus? Immo rus ibat.

48. *De Ollo.*

Pauperis exstruxit cellam, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

49. *In Invitatorem.*

Veientana mihi misces, tu Massica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

50. *In Ligurinum.*

Hæc tibi, non alia, est ad cœnam causa vocandi,
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Deposui soleas; affertur protinus ingens,
Inter lactucas, oxygarumque, liber:
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:
Tertius est; nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, et quintum denique librum.
Putidus est, toties si mihi ponis aprum.
Quod si non scombris scelerata poemata donas,
Cœnabis solus iam, Ligurine, domi.

51. *Ad Gallam.*

Cum faciem laudo, cum miror crura manusque,
Dicere, Galla, soles: Nuda placebo magis.
Et semper vitas communia balnea nobis.
Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

52. *Ad Tongilianum.*

Emta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

53. *Ad Chloen.*

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque, cruribusque,
Et mammis, natibusque, clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloe, carere.

54. *Ad Gallam.*

Cum dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem:
Multo simplicius, Galla, negare potes.

55 *In Gelliam.*

Quod, quacumque venis, Cosmum migrare putamus
Et fluere excusso cinnama fusa vitro;
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis:
Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

56. *De Cisterna Ravennate.*

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo, Ravennæ,
Cum possim multo vendere pluris aquam.

57. *De Caupone.*

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennæ:
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

58. *De Villa Faustini, ad Bassum.*

Baiana nostri villa, Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsilique buxeto,
Ingrata lati spatia detinet campi;
Sed rure vero barbaroque lætatur.
Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus autumnis.
Hic post Novembres, imminente iam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.
Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pavones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi feminas premunt galli;
Sonantque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.
Avidi sequuntur villicæ sinum porci;
Matremque plenam mollis agnus expectat.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares silva.
Non segnis albo pallet otio caupo:
Nec perdit oleum lubricus palæstrita:
Sed tendit avidis rete subdolum turdis;
Tremulave captum linea trahit piscem,
Aut impeditam cassibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus urbanos;
Et, pædagogo non iubente, lascivi
Parere gaudent villico capillati;
Et delicatus opere fruitur eunuchus.
Nec venit inanis rusticus salutator:
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis: Sassinate de silva
Somniculosos ille porrigit glires:
Hic vagientem matris hispidæ fetum;
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus;
Nec avara serva crastinas dapes mensa:
Vescuntur omnes; ebrioque non novit
Satur minister invidere convivæ.
At tu sub urbe possides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis meras laurus,
Furem Priapo non timente securus.
Et vinitorem farre pascis urbano,
Pictamque portas otiosus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

59. *De Sutore et Fullone.*

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus:
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

60. *In Ponticum.*

Cum vocer ad cœnam, non iam venalis ut ante,
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino;
Sumitur inciso mytilus ore mihi:
Sunt tibi boleti; fungos ego sumo suillos:
Res tibi cum rhombo est; at mihi cum sparulo:
Cerreus immodicis turtur te clunibus implet;
Ponitur, in cavea mortua, pica mihi.
Cur sine te cœno, cum tecum, Pontice, cœnem?
Sportula quod non est, prosit: edamus idem.

61. *In Cinnam.*

Esse nihil dicis, quicquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis, improbe Cinna, nego.

62. *In Quintum.*

Centenis quod emis pueros, et sæpe ducenis;
Quod sub rege Numa condita vina bibis;
Quod constat decies tibi non spatiosa supellex;
Libra quod argenti millia quinque rapit;
Aurea quod fundi pretio carruca paratur;
Quod pluris mula est, quam domus, emta tibi;
Hæc animo credis magno te, Quinte, parare?
Falleris: hæc animus, Quinte, pusillus emit.

63. *In Cotilum.*

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est flexos qui digerit ordine crines;
Balsama qui semper, cinnama semper olet;
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat;
Qui movet in varios brachia vulsa modos;
Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat;
Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas;
Pallia vicini qui refugit cubiti;
Qui scit, quam quis amet; qui per convivia currit;
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res pertricosa est, Cotile, bellus homo.

64. *Ad Cassianum.*

Sirenas, hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Cassiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

65. *Ad Diadumenum.*

Quod spirat tenera malum mordente puella,
Quod de Corycio quæ venit aura croco;
Vinea quod primis floret cum cana racemis;
Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ovis;
Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita,
Pallidus Eoo thure quod ignis olet;
Gleba quod, æstivo leviter cum spargitur imbre;

Quod madidis nardo sparsa corona comis;
Hoc tua sæve puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa sine invidia?

66. *In M. Antonium.*

Par scelus admisit Phariis Antonius armis;
Abscidit vultus ensis uterque sacros.
Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos,
Hoc tibi, Roma, caput, cum loqueris, erat.
Antoni tamen est peior, quam causa Pothini:
Hic facinus domino præstitit; ille sibi.

67. *De pigris Nautis.*

Cessatis, pueri, nihilque nostis,
Vatreno, Eridanoque pigriores,
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos tingitis ad celeusma remos.
Iam prono Phaethonte sudat Æthon,
Exarsitque dies; et hora lassos
Interiungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas
Tuta luditis otium carina;
Non nautas puto vos, sed Argonautas.

68. *Ad Matronam pudicam.*

Huc est usque tibi scriptus, matrona, libellus.
Cui sint scripta, rogas, interiora? mihi.
Gymnasium thermæ, stadium est hac parte: recede.
Exuimur: nudos parce videre viros.
Hic iam deposito post vina rosasque pudore,
Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.
Schemata nec dubio, sed aperte nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus,
Custodem medio statuit quam villicus horto;
Opposita spectat quam proba virgo manu.
Si bene te novi, longum iam lassa libellum
Ponebas: totum nunc studiosa leges.

69. *Ad Cosconium.*

Omnia quod scribis castis epigrammata verbis,
Inque tuis nulla est mentula carminibus;
Admiror; laudo: nihil est te sanctius uno:
At mea luxuria pagina nulla vacat.
Hæc igitur iuvenes nequam, facilesque puellæ,
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat.
At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba
A pueris debent, virginibusque legi.

70. *Ad Scævinum.*

Mœchus es Aufidiæ, qui vir, Scævine, fuisti.
Rivalis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, cui sua non placet, uxor?
Numquid securus non potes arrigere?

71. *In Nævolum.*

Mentula cum doleat puero, tibi, Nævole, culus;
Non sum divinus, sed scio quid facias.

72. *Ad Lauſeiam.*

Vis futui, nec vis mecum, Laufeia, lavari.
Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ;
Aut sulcos uteri prodere nuda times;
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu;
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horum: credo, pulcherrima nuda es.
Si verum est, vitium peius habes: fatua es.

73. *In Phœbum.*

Dormis cum pueris mutoniatis;
Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.
Quid vis me, rogo, Phœbe, suspicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat esse te cinædum.

74. *In Gargilianum.*

Psilothro faciem lavas, et dropace calvam.
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?
Quid facient ungues? nam certe non potes illos
Resina, Veneto nec resecare luto.
Desine, si pudor est, miseram traducere calvam:
Hoc fieri cunno, Gargiliane, solet.

75. *In Lupercum.*

Stare, Luperce, tibi iam pridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces:
Improba nec prosunt iam satureia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas;
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,
Quæ non stat, magno stare, Luperce, tibi?

76. *In Bassum.*

Arrigis ad vetulas; fastidis, Basse, puellas;
Nec formosa tibi, sed moritura, placet.
Hic, rogo, non furor est? non est hæc mentula demens?
Cum possis Hecubam, non potes Andromachen.

77. *In Bæticum.*

Nec mullus, nec te delectat, Bætice, turdus;
Nec lepus est unquam nec tibi gratus aper;
Nec te liba iuvant, nec sectæ quadra placentæ;
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.
Capparin, et putri cepas alece natantes,
Et pulpam dubio de petasone voras.
Teque iuvant gerres, et pella melandryo cana:
Resinata bibis vina, Falerna fugis.
Nescio quod stomachi vitium secretius esse
Suspicor: ut quid enim, Bætice, sapofragis?

78. *Ad Paulinum.*

Minxisti currente semel, Pauline, carina.
Meiere vis iterum? iam Palinurus eris.

79. *Ad Sertorium.*

Rem peragit nullam Sertorius; inchoat omnes.
Hunc ego, cum futuit, non puto perficere.

80. *Ad Apicium.*

De nullo quereris, nulli maledicis, Apici:
Rumor ait, linguæ te tamen esse malæ.

81. *In Bæticum.*

Quid cum femineo tibi, Bætice Galle, barathro?
Hæc debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es.

82. *In Zoilum.*

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores,
Curtaque Ledæ sobrius bibat testa:
Hoc esse levius, puriusque contendo.
Iacet occupato galbinatus in lecto;
Cubitisque trudit hinc et inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci;
Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello;
Fugatque muscas myrtea puer virga.
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris:
Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatæ suscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes,
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat:
Ligurumque nobis saxa cum ministrentur,
Vel cocta fumis musta Massilitanis;

Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque mirrhinisque propinat.
Et osmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus stertit:
Nos accubamus; et, silentium ronchis
Præstare iussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus;
Nec vindicare, Rufe, possumus: fellat.

83. *In Coclitem.*

Ut faciam breviora mones epigrammata, Cocles.
Fac mihi, quod Chione: non potui brevius.

84. *In Tongilionem.*

Quid narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion. Quid ergo? Linguam.

85. *Ad Maritum.*

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cum sit salva sui mentula Deiphobi.

86. *Ad castam Matronam.*

Ne legeres partem lascivi, casta, libelli,
Prædixi et monui: tu tamen, ecce, legis.
Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum;
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

87. *In Chionen.*

Narrat te rumor, Chione, nunquam esse fututam;
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

88. *In Fratres fellatores.*

Sunt gemini fratres; diversa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

89. *Ad Phœbum.*

Utere lactucis, et mollibus utere malvis;
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

90. *De Galla.*

Vult, non vult dare Galla mihi: nec dicere possum,
Quod vult, et non vult, quid sibi Galla velit.

91. *De Misitio.*

Cum peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,
Semiviro Cybeles cum grege iunxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitivus Achillas,
Insignis forma nequitiaque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret,
Quærunt; sed tacitos sensit et ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petuntur:
Continuo ferrum noxia turba rapit;
Exciduntque senem, spondæ qui parte iacebat;
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine cervam:
At nunc pro cervo mentula supposita est.

92. *Ad Gallum.*

Ut patiar mœchum, rogat uxor, Galle; sed unum.
Huic ego non oculos eruo, Galle, duos?

93. *In Vetustillam.*

Cum tibi trecenti consules, Vetustilla,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculumque formicæ;
Rugosiorem cum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas;
Cum, comparata rictibus tuis, ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliusque ranæ garriant Ravennates,
Et Adrianus dulcius culex cantet,
Videasque quantum noctuæ vident mane,
Et illud oleas quod viri capellarum,
Et anatis habeas orropygium macræ,
Senemque Cynicum vincat osseus cunnus;
Cum te lucerna balneator extincta
Admittat inter bustuarias mœchas;
Cum bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit;
Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quæris
Prurire. Quid, sarrire si velit saxum?
Quis coniugem, quis te vocabit uxorem,
Philomelus aviam quam vocaverat nuper?
Quod si cadaver exigis tuum scalpi;
Sternatur a Coricle clinico lectus,
Thalassionem qui tuum decet solus;
Ustorque tædas præferat novæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

94. *In Rufum.*

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella;
Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem.

95. *In Nævolum.*

Numquam dicis Ave, sed reddis, Nævole, semper,
Quod prior et corvus dicere sæpe solet.
Cur hoc expectas a me, rogo, Nævole, dicas:
Nam, puto, nec melior, Nævole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,
Natorumque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.
Est et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed pædicaris: sed pulchre, Nævole, ceves:
Iam iam sic prior es, Nævole: vince: ave.

96. *In Gargilium.*

Lingis, non futuis, meam puellam;
Et garris, quasi mœchus et fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

97. *Ad Rufum.*

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum.
Carmine læsa meo est; lædere et illa potest.

98. *In Sabellum.*

Sit culus tibi quam macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

99. *Ad Cerdonem.*

Irasci nostro non debes, cerdo, libello.
Ars tua, non vita, est carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. Cur ludere nobis
Non liceat, licuit si iugulare tibi?

100. *Ad Rufum.*

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

Liber quartus

1. *De natali Domitiani*

Cæsaris alma dies, et luce sacratior illa,
Conscia Dictæum qua tulit Ida Iovem,
Longa, precor, Pylioque veni numerosior ævo,
Semper et hoc vultu, vel meliore, nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem, Superi, petimus, sed debita terris.
Pro tanto quæ sunt improba vota Deo?

2. *De Horatio.*

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,

Cum plebs, et minor ordo, maxieusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cœlo:
Albis spectat Horatius lacernis.

3. *De Nivibus.*

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat iu vultus Cæsaris, inque sinus.
Indulget tamen ille Iovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Qui siccis lascivit aquis, et ab æthere ludit;
Suspicor has pueri Cæsaris esse nives.

4. *In Bassam.*

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardaicus quod evocati,
Quod bis murice vellus inquinatum;
Quod ieiunia sabbatariorum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod sparcæ moriens lucerna Ledæ;
Quod ceromata fæce de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Mallem, quam quod oles, olere, Bassa.

5. *Ad Fabianum.*

Vir bonus et pauper, linguaque et pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos:
Nec potes uxorem cari corrumpere amici,
Nec potes algentes arrigere ad vetulas;
Vendere nec vanos circa Palatia fumos;
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Unde miser vives, homo fidus, certus amicus.
Hoc nihil est: nunquam sic Philomelus eris.

6. *In Malisianum.*

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri,
Cum sis improbior, Malisiane,
Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

7. *Ad Hyllum.*

Cur, here quod dederas, hodie, puer Hylle, negasti,
Durus tam subito, qui modo mitis eras?
Sed iam causaris barbamque, annosque, pilosque:
Onox, quam longa es, quæ facis una senem!
Quid nos derides? here qui puer, Hylle, fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione vires?

8. *Ad Euphemum.*

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris;
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cum tua cura dapes;
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iovem.

9. *In Fabullam.*

Sotæ filia clinici, Fabulla,
Deserto sequeris Clytum marito,
Et donas, et amas: εχεις ασωτως.

10. *Ad Faustinum*

Dum novus est, neque adhuc rasa mihi fronte libellus;
Pagina dum tangi non bene sicca timet;
I, puer, et caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur Punica librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare iocos: una litura potest.

11. *In Antonium Saturninum.*

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes;
Et Saturninum te, miser, esse pudet;
Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariæ coniugis arma tulit.
Exciderat ne adeo fatum tibi nominis huius,
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, et Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui, tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

12. *In Thaidem.*

Nulli, Thai, negas: sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thai, negare nihil.

13. *Ad Rufum, de nuptiis Pudentis et Claudiæ Peregrinæ.*

Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto tædis, o Hymenæe, tuis!
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis:
Nec melius teneris iunguntur vitibus ulmi;
Nec plus lotos aquas, litora myrtus amat.
Candida perpetuo reside, Concordia, lecto;
Tamque pari semper sit Venus æqua iugo.
Diligat illa senem quondam: sed et ipsa marito,
Tunc quoque cum fuerit, non videatur, anus.

14. *Ad Silium.*

Sili, Castalidum decus sororum,
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Fastus Hannibalis, levesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis;
Paulum seposita severitate,
Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc fritillis,
Et ludit [rota] nequiore talo,
Nostris otia commoda Camœnis:
Nec torva lege fronte, sed remissa,
Lascivis madidos iocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

15. *Ad Cæcilianum.*

Mille tibi nummos hesterna luce roganti,
In sex aut septem, Cæciliane, dies.
Non habeo, dixi: sed tu, causatus amici
Adventum, lancem paucaque vasa rogas.
Stultus es? an stultum me credis, amice? negavi
Mille tibi nummos, millia quinque dabo?

16. *In Gallum.*

Privignum non esse tuæ te, Galle, novercæ
Rumor erat, coniux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.
Iam nusquam pater est, Galle; noverca domi est.
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipse licet;
Non potes absolvi: nam quæ non desinit esse
Post patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

17. *Ad Paullum.*

Facere in Lyciscam, Paulle, me iubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, et sit irata.
O Paulle, malus es: irrumare vis solus.

18. *De Puero Stillicidio iugulato.*

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In iugulum pueri, qui roscida tecta subibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu:
Cumque peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non sæva sibi voluit Fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si iugulatis, aquæ?

19. *De Endromide.*

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis;
Plumea seu laxi partiris pondera follis;
Sive levem cursu vincere quæris Athan;
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua;
Ridebis ventos hoc munere tectus, et imbres:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

20. *De Cærellia et Gellia.*

Dicit se vetulam, cum sit Cærellia pupa:
Pupam se dicit Gellia, cum sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Coline, nec illam:
Altera ridicula est, altera putidula.

21. *De Selio.*

Nullos esse Deos, inane cœlum
Affirmat Selius; probatque, quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

22. *De Cleopatra.*

Primos passa toros, et adhuc placanda marito,
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit amplexus: sed prodidit unda latentem:
Lucebat, totis cum tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia vitro:
Sic prohibet teneras gemma latere rosas.
Insilui, mersusque vadis luctantia carpsi
Basia: perspicuæ plus vetuistis aquæ.

23. *Ad Thaliam, de Brutiano.*

Dum tu lenta nimis, diuque quæris,
Quis primus tibi, quisve sit secundus;
Graium quisve epigramma comparabit;
Palmam Callimachus, Thalia, de se
Facundo dedit ipse Brutiano;
Qui si, Cecropio satur lepore,
Romanæ sale luserit Minervæ,
Illi me facias, precor, secundum.

24. *De Lycori, ad Fabianum.*

Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit; uxori fiat amica meæ.

25. *De Litoribus Altini, et Aquileia.*

Æmula Baianis Altini litora villis,
Et Phaetontei conscia sylva rogi;
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos, sola puella lacus;
Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas;
Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

26. *Ad Posthumum.*

Quod te mane domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum, Posthume, perdiderim?
Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos.
Ignosces; togulam, Posthume, pluris emo.

27. *Ad Cæsarem Augustum Domitianum.*

Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos.
Invidus ecce negat; non minus ergo soles.
Quid, quod honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi?
Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
Da, Cæsar, tanto tu magis, ut doleat.

28. *Ad Chloen.*

Donasti tenero, Chloe, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum dominos novæ monetæ;
Et quicquid petit, usque et usque donas.
Væ, glabraria! væ tibi, misella!
Nudam te statuet tuus Lupercus.

29. *Ad Pudentem.*

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis:
Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara iuvant: primis sic maior gratia pomis;
Hibernæ pretium sic meruere rosæ.
Sic spoliatricem commendat fastus amicam;
Ianua nec iuvenem semper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit.

30. *Ad Piscatorem.*

Baiano procul a lacu, monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt Dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid, quod nomen habent, et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repente cæcus,
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc, sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator.
At tu, dum potes, innocens recede,
Iactis simplicibus cibis in undas;
Et pisces venerare dedicatos.

31. *Ad Hippodamum.*

Quod cupis in nostris dicique legique libellis,
Et nonnullus honos creditur esse tibi;
Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
Et volo te chartis inseruisse meis.
Sed tu nomen habes averso fonte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit;
Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia possit,
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta:
Non semper belle dicitur Hippodamus.

32. *De Ape Electro inclusa.*

Et latet et lucet Phaethontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

33. *Ad Sosibianum.*

Plena laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina. Quando?
Tempus erat iam te, Sosibiane, legi.

34. *Ad Attalum.*

Sordida cum tibi sit, verum tamen, Attale, dixit,
Quisquis te niveam dixit habere togam.

35. *De pugna Damarum.*

Frontibus adversis molles concurrere damas
Vidimus, et fati sorte iacere pari.
Spectavere canes prædam; stupuitque superbus

Venator, cultro nil superesse suo.
Unde leves animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

36. *Ad Olum.*

Cana est barba tibi; nigra est coma: tingere barbam
Non potes; hæc causa est: sed potes, Ole, comam.

37. *Ad Afrum.*

Centum Coranus, et ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus;
Ex insulis fundisque tricies soldum.
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi:
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras;
Et teneo melius ista, quam meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati possim:
Quotidianam refice nauseam nummis:
Audire gratis, Afer, ista non possum.

38. *Ad Gallam.*

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent:
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

39. *Ad Charinum.*

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores;
Nec desunt tibi vera Gratiana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne, miror,
Quare non habeas, Charine, purum.

40. *Ad Posthumum.*

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus:
Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis:
Pauper eras, et eques, sed mihi consul eras.
Tecum ter denas numeravi, Posthume, brumas:
Communis nobis lectus et unus erat.
Iam donare potes, iam perdere, plenus honorum,
Largus opum: expecto, Posthume, quid facias.
Nil facis: et serum est alium mihi quærere regem.
Hoc, Fortuna, placet? Posthumus imposuit.

41. *In male recitantem.*

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

42. *Ad Flaccum.*

Si quis forte mihi posset præstare roganti,
Audi, quem puerum, Flacce, rogare velim.
Niliacis primum puer is nascatur in oris:
Nequitias tellus scit dare nulla magis.
Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca
Pulchrior est, quanto rarior, iste color.
Lumina sideribus certent; mollesque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons brevis, atque modus breviter sit naribus uncis:
Pæstanis rubeant, æmula labra rosis.
Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem:
Liberior domino sæpe sit ille suo.
Et timeat pueros, excludat sæpe puellas.
Vir reliquis, uni sit puer ille mihi.
Iam scio, nec fallis: nam me quoque iudice verum est:
Talis erat, dices, noster Amazonicus.

43. *In Coracinum.*

Non dixi, Coracine, te cinædum:
Non sum tam temerarius, nec audax,
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinædum;
Iratam mihi Pontiæ lagenam,
Iratum calicem mihi Metili.
Iuro per Syrios tibi tumores,
Iuro per Berecynthios furores.
Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est;
Quod notum est, quod et ipse non negabis:
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

44. *De Vesuvio monte.*

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris:
Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
Hæc iuga, quam Nysæ colles, plus Bacchus amavit:
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi:
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta iacent flammis et tristi mersa favilla:
Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

45. *Votum Parthenii ad Phœbum pro Burro.*

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius;
Ut, qui prima novo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris; sic te tua diligat arbor,
Gaudeat et certa virginitate soror.
Perpetuo sic flore mices; sic denique non sint
Tam longæ Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

46. *De Sabello.*

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt: merito tumet Sabellus:
Nec quenquam putat esse, prædicatque,
Inter causidicos beatiorem.
Hos fastus, animosque dat Sabello
Farris semodius, fabæque fressæ,
Et thuris, piperisque tres selibræ,
Et Lucanica ventre cum Falisco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libyca gelata testa,
Cum bulbis, cochleisque, caseoque.
Piceno quoque venit a cliente
Parcæ cistula non capax olivæ,
Et crasso figuli polita cælo
Septenaria synthesis Sagunti,
Hispanæ luteum rotæ toreuma,
Et lato variata mappa clavo.
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

47. *De Phaethonte.*

Encaustus Phaethon tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis?

48. *In Papilum.*

Percidi gaudes: percisus, Papile, ploras:
Cur, quæ fieri, Papile, facta doles?
Pœnitet obscœnæ pruriginis? an magis illud
Fles, quod percidi, Papile, desieris?

49. *Ad Flaccum.*

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa, iocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos; aut cœnam, crude Thyesta, tuam;
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis vesica libellis;
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

50. *In Thaidem.*

Quid me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

51. *Ad Cæcilianum.*

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit Dea cæca, sinumque

Ruperunt nummi, factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, et tantis laudibus, optem?
Di reddant sellam, Cæciliane, tibi.

52. *In Hedylum.*

Gestari iunctis nisi desinis, Hedyle, capris,
Qui modo ficus eras, iam caprificus eris.

53. *Ad Cosmum.*

Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, et templi limina, Cosme, novi,
Cum baculo, peraque senem; cui cana, putrisque
Stat coma, et in pectus sordida barba cadit;
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati;
Cui dat latratos obvia turba cibos;
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme. Quid ergo? Canis.

54. *Ad Colinum.*

O cui Tarpeias licuit contingere quercus;
Et meritas prima cingere fronde comas;
Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: observant, quem statuere, diem.
Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior et nitido sis Meliore licet;
Nil adicit penso Lachesis; fusosque sororum
Explicat, et semper de tribus una secat.

55. *Ad Lucium.*

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Graium veterem, Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis;
Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.
Nos, Celtis genitos et ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu:
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto,
Armorum Salo temperator ambit:
Tutelamque, chorosque Rixamarum,
Et convivia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos iaculo levi Silaos,
Turgentisque lacus, Petusiæque,
Et parvæ vada pura Vetonissæ,
Et sanctum Baradinis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator;
Et quæ fortibus excolit iuvencis
Curvæ Manlius arva Matinessæ.
Hæc tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit;
Hæc tam rustica malo, quam Bituntos.

56. *In Gargilianum.*

Munera quod senibus, viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

57. *Ad Faustinum.*

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent;
Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.
Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri;
Nec satis est, Baias igne calere suo.
Ergo, sacri fontes et litora grata, valete,
Nympharum pariter, Nereidumque domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma;
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

58. *In Gallam.*

In tenebris luges amissum, Galla, maritum:
Nam plorare pudet te, puto, Galla virum.

59. *De Vipera Electro inclusa.*

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera repit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro,
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

60. *De Curiatio.*

Ardea solstitio, Castranaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervat ager;
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: cum mors,
Venerit, in medio, Tibure Sardinia est.

61. *In Mancinum.*

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo lætus ore iactasti.
Quartus dies est, in schola poetarum
Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emtas lacernas munus esse Pompillæ;
Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,
Duasque similes fluctibus maris gemmas,
Dedisse Bassam, Cæliumque iurasti.
Here, de theatro, Pollione cantante,
Cum subito abires, dum fugis, loquebaris,
Hereditatis tibi trecenta venisse;
Et mane centum, et post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere iam, crudelis, et sile tandem:
Aut, si tacere lingua non potest ista,
Aliquando narra, quod velimus audire.

62. *De Lycori.*

Tibur in Herculeum migravit nigra Licoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

63. *De Cærellia.*

Dum petit a Baulis mater Cærellia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit vobis! hæc monstra Neroni
Nec quondam iussæ præstiteratis, aquæ.

64. *De Hortis Iulii Martialis.*

Iuli iugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Ianiculi iugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus;
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur sereniore;
Et, curvas nebula tegente valles,
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcumque iacet sub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras,
Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,

Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum;
Cum sit tam prope Mulvius, sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.
Hoc rus (seu potius domus vocanda est)
Commendat domines; tuam putabis:
Tam non iuvida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc, omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate pendulamque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me iudice, præferantur istis
Iulii iugera pauca Martialis.

65. *De Philæni.*

Oculo Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud, quæritis, modo? Lusca est.

66. *Ad Linum.*

Egisti vitam semper, Line, municipalem,
Qua nihil omnino vilius esse potest.
Idibus, et raris togula est excussa Kalendis;
Duxit et æstates synthesis una decem.
Saltus aprum, campus leporem, tibi misit inemtum:
Sylva graves turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis:
Vina rubens fudit non peregrina cados.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Villica, vel duri compressa est nupta coloni:
Incaluit quoties saucia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando nunquam tibi tessera talo;
Alea sed parcæ sola fuere nuces.
Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?
Nusquam est. Fecisti rem, Line, difficilem.

67. *In Prætorem.*

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat, cana notus amicitia;
Dicebatque suis hæc tantum deesse trecentis,
Ut posset domino plaudere iustus eques.
Prætor ait: Scis me Scorpo, Thalloque daturum;
Atque utinam centum millia sola darem.
Ah! pudet ingratæ, pudet, ah! male divitis arcæ.
Quod non vis equiti, vis dare, Prætor, equo?

68. *Ad Sextum.*

Invitas centum quadrantibus, et bene cœnas.
Ut cœnem, invitor, Sexte, an ut invideam?

69. *Ad Papilum.*

Tu Setina quidem semper, vel Massica ponis,
Papile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus cœlebs quater esse lagena.
Nec puto, nec credo, Papile, nec sitio.

70. *De Ammiano, ad Maronillum.*

Nihil Ammiano, præter aridam restem,
Moriens reliquit ultimis pater ceris
Fieri putaret posse quis, Maronille,
Ut Ammianus mortuum patrem nollet?

71. *Ad Sophronium Rufum.*

Quæro diu totam, Sophroni Rufe, per urbem,
Si qua puella neget; nulla puella negat:
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Tanquam non liceat; nulla puella negat.
Casta igitur nulla est? Castæ sunt mille. Quid ergo
Casta facit? Non dat; non tamen illa negat.

72. *Ad Quintum.*

Exigis, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Æs dabo pro nugis, et emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatue. Nec ego.

73. *De Vestino.*

Cum gravis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per Stygias esset iturus aquas;
Ultima volventes orabat pensa sorores,
Ut traherent parva stamina pulla mora:
Iam sibi defunctus, caris dum vivit amicis;
Moverunt tetricas tam pia vota Deas.
Tam largas partitus opes, a luce recessit;
Seque mori post hoc credidit ille senem.

74. *De Damis.*

Adspicis, imbelles temptent quam fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

75. *De Nigrina.*

O felix animo, felix, Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus!
Te patrios miscere iuvat cum coniuge census,
Gaudentem socio, participique viro.
Arserit Evadne flammis iniecta mariti;
Nec minor Alcestem fama sub astra ferat;
Tu melius: certo meruisti pignore vitæ,
Ut tibi non esset morte probandus amor.

76. *In Avarum Amicum.*

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti:
Ut bis sena feram, bis duodena petam.

77. *In Zoilum invidum.*

Nunquam divitias Deos rogavi,
Contentus modicis, meoque lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Causa est quæ subiti, novique voti?
Pendentem volo Zoilum videre.

78. *In Varum.*

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit;
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus, oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego: Non oculos, sed ventrem pascere veni.
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

79. *In Afrum.*

Condita cum tibi sit iam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus Ave.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno;
Nec caret officio consul uterque tuo;
Et Sacro decies repetis Palatia clivo,
Sigeriosque meros, Partheniosque sonas.
Hæc faciant sane iuvenes: deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene.

80. *Ad Mathonem.*

Hospes eras nostri semper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis, imposui: rus tibi vendo tuum.

81. *In Mathonem.*

Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim
Si nescis, non es sanus, amice Mathon.
Declamas æger; declamas hemitritæus.
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est, errans cum viscera febris
Exurit, res est magna tacere, Mathon.

82. *De Fabulla.*

Epigramma nostrum cum Fabulla legisset,
Negare nullam quo queror puellarum:
Semel rogata bisque terque neglexit

Preces amantis. Iam, Fabulla, promitte:
Negare iussi, pernegare non iussi.

83. *Ad Rufum.*

Hos quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos;
Imputet et nobis otia parva, roga:
Immemor et paulum curarum, operumque suorum,
Non tetrica nugas exigat aure meas.
Sed nec post primum legat hæc, summumve trientem;
Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.
Si nimis est legisse duos; tibi charta plicetur
Altera: divisum sic breve fiet opus.

84. *In Nævolum.*

Securo nihil est te, Nævole, peius: eodem
Sollicito nihil est, Nævole, te melius.
Securus, nullum resalutas, despicis omnes:
Nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.
Sollicitus, donas; dominum regemque salutas;
Invitas. Esto, Nævole, sollicitus.

85. *In Thaidem.*

Non est in populo, nec urbe tota,
A se Thaida qui probet fututam;
Cum multi cupiant, rogentque multi.
Tam casta est, rogo, Thais? immo fellat.

86. *In Ponticum.*

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice: quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

87. *Ad Librum suum, de Apollinari.*

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque.
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inversa pueris arande charta.

88. *De Bassa.*

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat, et lusus deliciasque vocat.
Et, quod mireris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? Pedere Bassa solet.

89. *In Dissimulatorem.*

Nulla remisisti parvo pro munere dona;
Et iam Saturni quinque fuere dies.
Ergo nec argenti sex scriptula Septitiani
Missa, nec a querulo mappa cliente fuit;
Antipolitani nec quæ de sanguine thynni
Testa rubet, nec quæ coctana parva gerit:
Nec rugosarum vimen breve Picenarum:
Dicere te posses ut meminisse mei.
Decipies alios verbis vultuque benigno:
Nam mihi iam notus dissimulator eris.

90. *De Rusticatione.*

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus:
Luce Deos oro; famulos, post arva reviso,
Partibus atque meis iustos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstra
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Prandeo, poto, cano: ludo, lavo, cœno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi.
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

91. *Ad Librum.*

Ohe! iam satis est, ohe libelle.
Iam pervenimus usque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc, et ire quæris;
Nec summa potes in scheda teneri;
Sic, tanquam tibi res peracta non sit,
Quæ prima quoque pagina peracta est.
Iam lector queriturque, deficitque;
Iam librarius hoc et ipse dicit:
Ohe! iam satis est, ohe libelle.

Liber quintus

1. *Ad Cæsarem.*

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat unda freti;
Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus, o rerum felix tutela, salusque!
Sospite quo, gratum credimus esse Iovem.
Tu tantum accipias: ego te legisse putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar.

2. *Ad Lectores*

Matronæ, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesque nudi.
Lascivos lege quatuor libellos;
Quintus cum Domino liber iocetur;
Quam Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

3. *Ad Domitianum.*

Accola iam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus et attonitus, viso modo præside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos:
Sors mea quam fratris melior; cui tam prope fas est
Cernere, tam longe quem colit ille, Deum.

4. *Ad Paullum, de Myrtale.*

Fœtere multo Myrtale solet vino:
Sed, fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua, miscet.
Hanc tu rubentem promiuentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contra;
Dicas licebit: Myrtale bibit laurum.

5. *Ad Sextum.*

Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore Dei;
Nam tibi nascentes Domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet;
Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.
Ad Capitolini cœlestia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

6. *Ad Musas: vel librum commendat Parthenio.*

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum:
Sic te serior et beata quondam
Salvo Cæsare finiat senectus,
Et sis invidia favente felix;
Sic Burrus cito sentiat parentem;
Admittas timidam, brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.
Nosti tempora tu Iovis sereni,
Cum fulget placidus, suoque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas:
Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ, cedro decorata, purpuraque,
Nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris ista, sed teneto,
Sic tanquam nihil offeras agasque.

Si novi dominum novem sororum,
Ultro purpureum petet libellum.

7. Ad Volcanum.

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties sæcula vixit avis;
Taliter exuta est veterem nova Roma senectam,
Et sumsit vultus præsidis ipsa sui.
Iam, precor, oblitus nostræ, Volcane, querelæ,
Parce: sumus Martis turba, sed et Veneris.
Parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis
Ignoscat coniux, et patienter amet.

8. De Phaside.

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis,
Et iactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur:
Hæc et talia dum refert supinus,
Illas purpureas et arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

9. In Symmachum.

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache; nunc habeo.

10. Ad Regulum de fama Poetarum.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram;
Sic laudant Catuli vilia templa senes.
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt sæcula Mæoniden.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, o nostri, ne festinate, libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

11. De Stella.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas,
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

12. De eodem.

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masthlion superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quod pueros levat, vel octo;
Res non difficilis mihi videtur;
Uno cum digito, vel hoc, vel illo,
Portet Stella meus decem puellas.

13. In Callistratum.

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques:
Sed toto legor orbe frequens; et dicitur, Hic est:
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes;
Tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non potes esse:
Tu quod es, e populo quilibet esse potest.

14. De Nanneio.

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc cum liceret occupare, Nanneius;
Bis excitatus terque transtulit castra,
Et inter ipsas pæne tertius sellas
Post Caiumque Luciumque consedit.
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser deiectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, iactat
Equiti sedere, Lectioque se stare.

15. Ad Cæsarem Domitianum.

Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum;
Et queritur læsus carmine nemo meo.
Gaudet honorato sed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.
Quid tamen hæc prosunt, quamvis venerantia multos?
Non prosint sane: me tamen ista iuvant.

16. Ad Lectorem.

Seria cum possim, quod delectantia malim
Scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
Qui legis, et tota cantas mea carmina Roma.
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Sollicitisque velim vendere verba reis:
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario sordidus ære sinus.
At nunc conviva est, comissatorque libellus;
Et tantum gratis pagina nostra placet.
Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cum minimum vati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti: satis est: laudabimur usque.
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

17. In Gelliam.

Dum proavos, atavosque refers, et nomina magna;
Dum tibi noster eques sordida conditio est;
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere; nupsisti, Gellia, cistifero.

18. Ad Quintianum.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi;
Fortasse avarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum et malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

19. Ad Cæsarem Domitianum.

Si qua fides veri, præferri, maxime Cæsar,
Temporibus possunt sæcula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere Dei?
Pulchrior et maior quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri, fidoque sodali?
Aut quem prosequitur non alienus eques?
Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ,
Flammarumve togæ scriptula tota decem,
Luxuria est; tumidique vocant hæc munera reges.
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus.
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Iamdudum tacito rides, Germanice, naso,
Utile quod nobis do tibi consilium.

20. Ad Iulium Martialem.

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;

Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ;
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas;
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ:
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter, heu! bonosque
Soles effugere atque abire sentit:
Qui nobis pereunt, et imputantur.
Quisquam, vivere cum sciat, moratur?

21. *De Apollonio.*

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine: quantum
Cura, laborque potest! scripsit, et edidicit.

22. *In Paullum.*

Mane domi nisi te volui, meruique videre,
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Esquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum rustica Flora Iovem.
Alta Suburrani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu:
Vixque datur longas mulorum rumpere mandras;
Quæque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te, post mille labores,
Paulle, negat lasso ianitor esse domi.
Exitus hic operis vani, togulæque madentis:
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos:
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

23. *Ad Bassum.*

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Iura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Iussit, et Oceanum certior audit eques;
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, et te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ;
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

24. *De Hermete.*

Hermes Martia sæculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes et gladiator, et magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes, quem timet Helius, sed unum;
Hermes, cui cadit Advolans, sed uni;
Hermes vincere, nec ferire, doctus;
Hermes suppositiitus sibi ipsi;
Hermes divitiæ locariorum;
Hermes cura, laborque ludiarum;
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes æquoreo minax tridente;
Hermes casside languida timendus;
Hermes gloria Martis universi;
Hermes omnia solus, et ter unus.

25. *De Chærestrato.*

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge;
Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.
Ecquis, io, revocat, discedentemque reducit?
Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæq; damus, populisq; loquendum?
Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, et effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, o dissimulator amici,
Hæc legis et laudas? quæ tibi fama perit?

26. *Ad Codrum.*

Quod Alpha dixi, Codre, pænulatorum
Te nuper, aliqua cum iocarer in charta;
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

27. *In fictum Equitem.*

Ingenium, studiumque tibi, moresque genusque
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

28. *Ad Aulum, de Mamerco.*

Ut bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis;
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rusones,
Probitate Macros, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paulos:
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

29. *Ad Gelliam.*

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

30. *Ad Varronem.*

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra;
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo;
Commodius nisi forte tibi, potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

31. *De ludo Puerorum cum Iuvencis.*

Adspice, quam placidis insultet turba iuvencis,
Et sua quem facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos
Currit, et in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget: non esset arena
Tutior, et poterant fallere plana magis.
Nec trepidant gestus; sed de discrimine palmæ
Securus puer est, sollicitumque pecus.

32. *Ad Faustinum, de Crispo.*

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori. Cui dedit ergo? Sibi.

33. *In Causidicum.*

Carpere causidicus fertur mea carmina: qui sit,
Nescio: si sciero, væ tibi, causidice!

34. *Epitaphium Erotii, ad Frontonem parentem.*

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam
Oscula commendo, deliciasque meas:
Paulula ne nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ;
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, gravis fueris: non fuit illa tibi.

35. *De Euclide.*

Dum sibi redire de Patrensibus fundis
Ducena clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano;
Longumque pulchra stemma repetit a Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur;
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.

Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

36. *Ad Faustinum.*

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat: imposuit.

37. *De Erotio Puella.*

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni;
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum,
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitelam;
Fragravit ore, quod rosarium Pæsti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba;
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, et frequens phœnix;
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum
Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus:
Pectusque pulsans, pariter et comam vellens,
Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego coniugem, inquit, extuli, et tamen vivo.
Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, et tamen vivit.

38. *In Calliodorum.*

Calliodorus habet censum (quis nescit?) equestrem,
Sexte: sed et fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit συκα μερίζε.
Uno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unum cum sitis; duo, Calliodore, sedetis.
Surge: solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ; aut cum fratre sedere
Non potes: alternis, Calliodore, sede.

39. *In Carinum.*

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere iam, Carine.
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque sacculumque.
Crœso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
Si conchem toties meam comesses.

40. *Ad Artemidorum.*

Pinxisti Venerem, colis, Artemidore, Minervam;
Et miraris, opus displicuisse tuum?

41. *In Didymum.*

Spadone cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,
Quem sectus ululat matris entheæ Gallus,
Theatra loqueris, et gradus, et edicta,
Trabeasque, et Idus, fibulasque, censusque;
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

42. *Amicis quod datur, non perire.*

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma Lares:
Debitor usuram pariter, sortemque negabit:
Non reddet sterilis semina iacta seges:
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet unda rates:
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

43. *De Thaide et Lecania.*

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? Emtos hæc habet, illa suos.

44. *In Dentonem.*

Quid factum est? rogo: quid repente factum,
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti
(Quis credat?) quater ausus es negare?
Sed nec respicis, et fugis sequentem;
Quem thermis modo quærere, et theatris,
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est: captus es unctiore cœna,
Et maior rapuit canem culina
Iam te: sed cito cognitum et relictum
Cum fastidierit popina dives,
Antiquæ venies ad ossa cœnæ.

45. *In Bassam.*

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam,
Istud, quod non est, dicere Bassa solet.

46. *Ad Diadumenum.*

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quam facies;
Ut te sæpe rogem, cædo, Diadumene, sæpe:
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

47. *De Philone.*

Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, et hoc est:
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

48. *De Encolpo.*

Quid non cogit amor? Secuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, flevitque Pudens: sic cessit habenis
Audaci questus de Phaethonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis:
Tardaque pro tanto munere, barba, veni.

49. *Ad Labienum.*

Vidissem modo forte cum sedentem
Solum te, Labiene, tres putavi.
Calvæ me numerus tuæ fefellit.
Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli,
Quales nec puerum decere possint.
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc, cum prandia misit Imperator;
Cum panariolis tribus redisti.
Talem Gerionem fuisse credo.
Vites, censeo, porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, peristi.

50. *In Charopinum.*

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ;
Meque petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine iam nostram, precor, observare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

51. *Ad Rufum.*

Hic, qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui codicillis hinc et inde prolatis,
Epistolisque commodat gravem vultum,
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque;
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Ave Latinum, Χαιρε non potest Græcum.

Si fingere istud me putas, salutemus.

52. *In Posthumum.*

Quæ mihi præstiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo, Posthume? Tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit unus
Huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
Auctoris pereunt garrulitate sui.

53. *Ad Bassum.*

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quid tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaeton.

54. *De Rhetore Apollonio.*

Extemporalis factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

55. *De Aquila portante Iovem.*

Dic mihi quem portes, volucrum regina? Tonantem.
Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.
Quo calet igne Deus? Pueri. Cur mitis aperto
Respicis ore Iovem? De Ganymede loquor.

56. *Ad Lupum.*

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quæris sollicitus diu, rogasque.
Omnes grammaticosque rhetorasque
Devites, moneo; nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famæ Tutilium suæ relinquat.
Si versus facit, abdices poetam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat, citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias, vel architectum.

57. *Ad Cinnam.*

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

58. *Ad Posthumum.*

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives: hodie iam vivere, Posthume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

59. *Ad Stellam.*

Quod non argentum, quod non tibi misimus aurum
Hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti:
Fictilibus nostris exoneratus eris.

60. *Ad detractorem.*

Allatres licet usque nos et usque,
Et gannitibus improbis lacessas;
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscumque legaris ut per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser, necesse est.
Non deerunt tamen hac in urbe forsan.
Unus, vel duo, tresve, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam.
Nos hac a scabie tenemus ungues.

61. *In Marianum.*

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret
Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit;
Per cuius digitos currit levis annulus omnes;
Crura gerit nullo qui violata pilo.
Nil mihi respondes? Uxoris res agit, inquis,
Iste meæ: sane certus et asper homo est,
Procuratorem vultu qui præferat ipso:
Acrior hoc Chius non erat Aufidius.
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? res ullas crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas.

62. *Ad Hospites.*

Iure tuo nostris maneas licet, hospes, in hortis,
Si potes in nudo ponere membra solo.
Aut si portatur tecum tibi magna supellex:
Nam mea iam digitum sustulit hospitibus.
Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos;
Putris et abrupta fascia reste iacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus:
Emi hortos; plus est: instrue tu; minus est.

63. *Ad Ponticum.*

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Sic me sollicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis:
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis; faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Iupiter. Immo tibi.

64. *Ad suos Ministros.*

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstivas, Alcime, solve nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo;
Lassenturque rosis tempora sutilibus.
Iam vicina iubent nos vivere Mausolea,
Cum doceant ipsos posse perire Deos.

65. *Ad Cæsarem.*

Astra, polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidæ Nemeæ terror, et Arcas aper;
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ;
Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx;
Silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boves.
Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
Dat maiora novus prælia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monstro?
Quot tua Mænalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit vincere Geryonen.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ cito Di; sed tibi sero dabunt.

66. *In Pontilianum.*

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

67. *De Hirundine.*

Hibernos peterent solito cum more recessus
Atthides, in nidis una remansit avis.
Deprendere nefas ad tempora veris reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.
Sero dedit pœnas; discerpi noxia mater
Debuerat; sed tunc, cum laceravit Ityn.

68. *Ad Lesbiam.*

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
Ut scires, quanto sit tua flava magis.

69. *In M. Antonium.*

Antoni, Phario nil obiecture Pothino,
Et levius tabula, quam Cicerone, nocens!
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro;

Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

70. De Syrisco, ad Maximum.

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto maior adhuc, nec accubare!

71. Ad Faustinum.

Humida qua gelidas summittit Trebula valles,
Et viridis, Cancri mensibus, alget ager,
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te, Faustine, vocant: longas his exige messes
Collibus: hibernum iam tibi Tibur erit.

72. Ad Rufum de origine Bacchi.

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

73. Ad Theodorum.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, et exigenti,
Miraris, Theodore? magna causa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

74. De Pompeio et filiis.

Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto si spargitur orbe? iacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

75. Ad Quintum.

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia, Quinte,
Uxorem potes hanc dicere legitimam.

76. Ad Cinnam.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.
Tu quoque cavisti cœnando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

77. Ad Marullum.

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam.

78. Ad Turanium.

Si tristi domicœnio laboras,
Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis;
Ponetur, digitis tenendus unctis,
Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum;
Et pultem niveam premens botellus
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum;
Et, quas docta Neapolis creavit,
Lento castaneæ vapore tostæ:
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia, forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, et tepens lupinus.
Parva est cœnula, (quis potest negare?)
Sed finges nihil, audiesve fictum;
Et vultu placidus tuo recumbes;
Nec crassum dominus leget volumen;
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos:
Sed, quod non grave sit, nec inficetum,
Parvi tibia Condyli sonabit.
Hæc est cœnula. Claudiam sequeris,
Quam nobis cupis esse te priorem.

79. In Zoilum.

Undecies una surrexti, Zoile, cœna;
Et mutata tibi est synthesis undecies;
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

80. Ad Severum.

Non totam mihi, si vacabis, horam
Dones, et licet imputes, Severe,
Dum nostras legis, exigisque nugas.
Durum est perdere ferias: rogamus,
Iacturam patiaris hanc, ferasque.
Quod si legeris ipse cum diserto
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo, libellus:
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit;
Quem censoria, cum meo Severo,
Docti lima momorderit Secundi.

81. Ad Æmilianum.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane,
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

82. In Gaurum.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta;
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, et non vis? rogo, non est turpius istud?
I, tibi disperdas, Gaure: pusillus homo es.

83. Ad Dindymum.

Insequeris, fugio: fugis insequor: hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

84. Ad Gallam.

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro;
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Ædilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane sic abeat meus December.
Scis certe, puto, vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Liber sextus

1. Ad Iulium Martialem.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis;
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius tremensque
Magnas Cæsaris in manus venire.

2. Adulatorium.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ;
Lusus et immeritos execuisse mares.
Utraque tu prohibes, Cæsar; populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec mœchus erit, te præside, quisquã.
At prius (o mores!) et spado mœchus erat.

3. De filio Domitiani.

Nascere, Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deum soboles: nascere magne puer;
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas;

Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ovem.

4. *Adulatorium.*

Censor maxime, principumque princeps,
Cum tot iam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot Deos, tot urbes;
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

5. *Ad Cæcilianum.*

Rustica mercatus multis sum prædia nummis:
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes? tacitum te dicere, credo,
Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

6. *Ad Lupercum.*

Comœdi tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor; et χωφον Paulla προσωπον amat.

7. *De Thelesina.*

Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domos iussa Pudicitia est,
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciore minus.

8. *Ad Severum.*

Prætores duo, quatuor tribuni,
Septem causidici, decem poetæ,
Cuiusdam modo nuptias petebant
A quodam sene: non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

9. *Ad Lævinum.*

In Pompeiano dormis, Lævine, theatro;
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

10. *Petit latenter a Domitiano pecuniam.*

Pauca Iovem nuper cum millia forte rogarem,
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille Iovi; sed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca rogasse Iovem.
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
Quam placido nostras legerat ore preces!
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis;
Et Capitolinas itque reditque vias.
Dic, precor, o nostri, dic, conscia virgo Tonantis,
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego: sic breviter posita mihi Gorgone Pallas:
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

11. *In Marcum.*

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti:
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:
Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Oresten.
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama.

12. *De Fabulla.*

Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid, Paulla, peierat? Nego.

13. *De Statua Iuliæ.*

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, cœlo,
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Iuno petat cestum, et ipsa Venus.

14. *In Laberium.*

Versus scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

15. *De Formica Succino inclusa.*

Dum Phaethontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic, modo quæ fuerat vita contemta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

16. *Ad Priapum.*

Tu, qui pene viros terres, et falce cinædos,
Iugera sepositi pauca tuere loci.
Sic tua non intrent vetuli pomaria fures;
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

17. *In Cinnamum.*

Cinnam, Cinname, te iubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione diceretis.

18. *Epitaphium Salonini, ad Priscum.*

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas; nam qui te, Prisce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

19. *In Posthumum causidicum.*

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Iam dic, Posthume, de tribus capellis.

20. *In Phœbum.*

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogavi,
Cum mihi dixisses, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias: iam rogo, Phœbe, nega.

21. *De Stella et Ianthide.*

Perpetuam Stellæ dum iungit Ianthida vati
Læta Venus, dixit, Plus dare non potui.
Hæc coram domina: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces, exitiose, vide.
Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi
Legitimos esset cum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit:
Tam frugi Iuno vellet habere Iovem.
Dixit, et arcano percussit pectora loro.
Plaga iuvat: sed tu iam, Dea, cæde duos.

22. *In Proculinam.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare possit;
Non nubis, Proculina, sed fateris.

23. *In Lesbiam.*

Stare iubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem:
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes;
Contra te facies imperiosa tua est.

24. *De Charisiano.*

Nil lascivius est Charisiano:
Saturnalibus ambulat togatus.

25. *Ad Marcellinum.*

Marcelline, boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit ursa iugo:
Ille vetus pro te patriusque quod optat amicus,

Accipe, et hæc memori pectore vota tene;
Casta sit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enses, sævaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum, rationis egentes:
Tu potes et patriæ miles et esse decus.

26. *De Sotade.*

Periclitatur capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem? Non est.
Arrigere desit posse Sotades: lingit.

27. *Ad Nepotem.*

Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, et veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patria signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno:
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum;
Amphora cum domina, nunc nova, fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos:
Possunt et patres vivere, crede mihi.

28. *Epitaphium Glauciæ.*

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ iacet sepulcro;
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

29. *De eodem.*

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer,
Munera cum posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus iam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum: quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis brevis est ætas, et rara senectus.
Quicquid amas, cupias non placuisse nimis.

30. *In Pætum.*

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono;
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septam, puto, vel novem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

31. *In Charidemum.*

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque,
A medico futui: vis sine febre mori.

32. *De morte Othonis.*

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
Forsitan et posset vincere mollis Otho,
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare maior:
Dum moritur, numquid maior Othone fuit?

33. *In Sabellum.*

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidisti, quo nil lætius ante fuit.
Furta, fugæ, mortes servorum, incendia, luctus
Affligunt hominem: tam miser, et futuit.

34. *Ad Diadumenum.*

Basia da nobis, Diadumene, pressa. Quot, inquis?
Oceani fluctus me numerare iubes,
Et maris Ægæi sparsas per litora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes;
Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit, qui numerare potest.

35. *Ad Cæcilianum.*

Septem clepsydras magna tibi voce petenti
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis; vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Ut tandem saties vocemque sitimque, rogamus,
Iam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

36. *Ad Papilum.*

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, nasus,
Ut possis, quoties arrigis, olfacere.

37. *In Carinum.*

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas relliquias habet Carinus;
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus.

38. *De filio Reguli.*

Aspicis, ut parvus, nec adhuc trieteride plena,
Regulus auditum laudet et ipse patrem;
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Iam clamor, centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, et infanti Iulia tecta placent.
Acris equi suboles magno sic pulvere gaudet;
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
Di, servate, precor, matri sua vota, patrique;
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

39. *In Cinnam.*

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem,
Non liberorum, namque nec tuus quisquam,
Nec est amici, filiusve vicini:
Sed in grabatis tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus suis furta.
Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se coqui Santræ.
At ille sima nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici palæstritæ.
Pistoris esse tertium quis ignorat,
Quicumque lippum novit et videt Damam?
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo:
Percide, si vis, filium: nefas non est.
Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhæ?
Duæ sorores, illa nigra, et hæc rufa,
Croti choraulæ, villicique sunt Carpi.
Iamque hybridarum grex tibi foret plenus,
Si spado Coresus, Dindymusque non esset.

40. *Ad Lycorim.*

Fœmina præferri potuit tibi nulla, Lycori:
Præferri Glyceræ femina nulla potest.
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod hæc est.
Tempora quid faciunt! hanc volo: te volui.

41. *In raucum poetam.*

Qui recitat lana fauces et colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere, negat.

42. *De Etrusci Thermis, ad Oppianum.*

Etrusci nisi thermulis lavaris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur undæ;
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.
Nusquam tam nitidum micat serenum:

Lux ipsa est ibi longior; diesque
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla;
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx et Libys altius cecidit;
Siccos pinguis onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent ophitæ.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine Martiave mergi;
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis; et aure me supina
Iamdudum quasi negligenter audis
Illotus morieris, Oppiane.

43 *Ad Castricum.*

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ,
Canaque sulfureis nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa iugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisque Lucrinus;
Hic vestræ mihi sunt, Castrice, divitiæ.
Quondam laudatas quocumque libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuisse vias;
Nunc urbi vicina iuvant, facilesque recessus;
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

44. *In Calliodorum.*

Festive credis te, Calliodore, iocari,
Et solum multo permaduisse sala.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes;
Sic te convivam posse placere putas.
At si ego non belle, sed vere dixero quiddam,
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

45. *In Nuptias Lygdi et Lectoriæ.*

Lusistis, satis est; lascivi nubite cunni:
Permissa est vobis non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo:
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

46. *Ad Catianum.*

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

47. *Ad Ianthida Nympham.*

Nympha mei Stellæ, quæ fonte domestica puro
Laberis, et domini gemmea tecta subis;
Sive Numæ coniux Triviæ te misit ab antro;
Sive Camœnarum de grege nona venis;
Exsolvit votis hac se tibi virgine porca
Marcus, furtivam quod bibit æger aquam.
Tu contenta meo iam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

48. *In Pomponium.*

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

49. *De se Priapus.*

Non sum de fragili dolatus ulmo;
Nec, quæ stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet columna est,
Sed viva generata de cupresso,
Quæ nec sæcula centies peracta,
Nec longæ cariem timet senectæ.
Hanc tu, quisquis es, o malus timeto;
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læseris racemos,
Nascetur, licet hoc velis negare,
Inserta tibi ficus a cupresso.

50. *De Thelesino.*

Cum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice? Conscius esto.
Nil tibi, vel minimum, basia pura dabunt.

51. *Ad Lupercum.*

Quod convivaris sine me tam sæpe, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque.
Quid facies? inquis. Quid faciam? veniam.

52. *Epitaphium Pantagathi tonsoris.*

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura dolorque sui;
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, et hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque;
Artificis levior non potes esse manu.

53. *De Andragora.*

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit; et idem
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

54. *De Sextiliano.*

Tantos, et tantas, si dicere Sextilianum,
Aule, vetes; iunget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis. Dicam, quid suspicer esse:
Tantos, et tantas, Sextilianus amat.

55. *In Coracinum.*

Quod semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quam bene olere, nil olere.

56. *In Charidemum.*

Quod tibi crura rigent setis, et pectora villis,
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quæ ratio est? inquis: scis multos dicere multa.
Fac, pædicari te, Charideme, putent.

57. *In Phœbum.*

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum;
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

58. *Ad Aulum Pudentem.*

Cernere Parrhasios dum te iuvat, Aule, Triones
Cominus, et Scythici sidera pigra poli;
O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!
Quamvis lassa tuos quærebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos,
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

59. *In Baccaram.*

Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas:
Optat et obscuras luces, ventosque, nivesque:
Odit et hibernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostræ tibi, sæve, lacernæ,
Tollere de scapulis quas levis aura potest?
Quanto simplicius, quanto est humanius istud,
Mense vel Augusto sumere gausapinas!

60. *De Pompillo, ad Faustinum.*

Rem factam Pompillus habet, Faustine: legetur,
Et nomen toto sparget in urbe suum;
Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum,
Quisquis et Ausonium non amat imperium.

60*

Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur;
Sed famæ non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!
Et redimunt soli carmina docta coqui!
Nescio quid plus est, quod donet secula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

61. *In Invidum.*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos;
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

62. *Ad Oppianum.*

Amisit pater unicum Silanus:
Cessas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malæque Parcæ!
Cuius vulturis hoc erit cadaver?

63. *Ad. Marianum.*

Scis te captari. scis hunc, qui captat, avarum:
Et scis, qui captat, quid, Mariane, velit:
Tu tamen hunc tabulis hæredem, stulte, supremis
Scribis, et esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna quidem misit; sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

64. *In Detractorem.*

Cum sis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem, Curio dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniux;
Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ
Filius, et sponsam possit te sponsa vocare;
Emendare meos, quos novit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam
Non aspernantur proceres urbisque, forique;
Quas et perpetui dignantur scrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ;
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis terque revolvere Cæsar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva
Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne valeam, si non multo sapit altius istud,
Quod cum panticibus laxis, et cum pede grandi,
Et rubro pulmone, vetus, nasisque timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras et perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, et hærebit, totoque legetur in orbe;
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.
Sed miserere tui; rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, et lambat digitosque, manusque;
Si dolor, et bilis, si iusta coegerit ira,
Ursus erit: vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitam quæras, quam possis rodere, carnem.

65. *Ad Tuccam.*

Hexametris epigramma facis, scio dicere Tuccam.
Tucca, solet fieri; denique, Tucca, licet.
Sed tamen hoc longum est. Solet hoc quoq; Tucca, li- (cetque:
Si breviora probas, disticha sola legas.
Conveniat nobis; ut fas epigrammata longa
Sit transire tibi; scribere, Tucca, mihi.

66. *De Præcone puellam vendente.*

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo præco Gellianus.
Parvo cum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis,
Attraxit prope se manu negantem,
Et bis, terque, quaterque basiavit.
Quid profecerit osculo, requiris?
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

67. *Ad Pannicum, de Gellia uxore.*

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris,
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

68. *De morte Eutychi Pueri.*

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
Naides, et luctus sentiat ipsa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus, ille tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blandumque levamen,
Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum lasciva sub undis
Vidit, et Alcidæ nympha remisit Hylam?
An Dea femineum iam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri sollicitata viri?
Quicquid id est, subitæ quæcumq; est causa rapinæ,
Sit, precor, et tellus mitis, et unda tibi.

69. *De Bassa.*

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle:
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

70. *Ad Martianum.*

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, et, puto, iam secunda Cottæ;
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasioque, Symmachoque.
At nostri bene computentur anni;
Et, quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur;
Infantes sumus, et senes videmur.
Ætatem Priamique, Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque, falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita.

71. *De Telethusa.*

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis;
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæq; maritum
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos;
Urit, et excruciat dominum Telethusa priorem:
Vendidit ancillam; nunc redimit dominam.

72. *De Cilice fure.*

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

73. *De Priapo Hilari.*

Non rudis indocta fecit me falce colonus:
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani cultor ditissimus agri
Hos Hilarus colles et iuga læta tenet.
Aspice, quam certo videar non ligneus ore,
Nec devota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite iugeribus.

74. *Ad Esculanum.*

Medio recumbit imus ille qui lecto,
Calvam trifilem semitactus unguento,

Foditque tonsis ora laxa lentiscis,
Mentitur, Esculane: non habet dentes.

75. *In Pontiam.*

Cum mittis turdumve mihi, quadramve placentæ,
Sive femur leporis, sive quid his simile:
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

76. *Epitaphium Fusci.*

Ille sacri lateris custos Martisque togati,
Credita cui summi castra fuere ducis,
Hic situs est Fuscus. Licet hoc, Fortuna, fateri:
Non timet hostiles iam lapis iste minas.
Grande iugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

77. *In Afrum.*

Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
Tam iuvenis quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse iuvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro.
Non aliter monstratur Atlas cum compare giuno;
Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

78. *Ad Aulum, de potore lusco.*

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus.
Huic Heras medicus, Bibas, caveto:
Vinum si biberis nihil videbis.
Ridens Phryx oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

79. *Ad Lupum*

Tristis es, et felix: sciat hoc Fortuna, caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

80. *Ad Cæsarem, de rosis hibernis.*

Ut nova dona, tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas:
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, et odoræ gratia Floræ,
Tantaque Pæstani gloria ruris erat.
Sic quacumque vagus gressumque oculosque ferebat,
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.
At tu, Romanæ iussus iam cedere brumæ,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas.

81. *In Charidemum.*

Iratus tanquam populo, Charideme, lavaris:
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic vellem sic te, Charideme, lavare;
Et caput, ecce, lavas: inguina malo laves.

82. *Ad Rufum.*

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emtor, aut lanista,
Cum vultu digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cuius nequitias, iocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam?
Subrisi modice: levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: Quia sum malus poeta.
Hoc ne sæpius accidat poetæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

83. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum, summe ducum, debet uterque tibi.
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra:
Hoc cuperem mores ignibus esse Iovis.
Si tua sit summo, Cæsar natura Tonanti,
Utetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,
Esse quod et comiti contigit, et reduci.

84. *De Philippo.*

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

85. *In Mortem Rufi Camonii.*

Editus est sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, et numine lævo
Visa tibi, cineres reddit et ossa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo:
Et resonet tota planctus in Æmilia.
Heu qualis pietas, heu quam brevis occidit ætas!
Viderat Alphei præmia quinque modo.
Pectore tu memori nostros evolvere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere iocos.
Accipe cum fletu mœsti breve carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

86. *In bibentes aquam calidam.*

Setinum, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, et ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult hæres divitis esse Midæ.
Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

87. *Ad Cæsarem.*

Di tibi dent, et tu, Cæsar, quæcumque mereris:
Di mihi dent, et tu, quæ volo, si merui.

88. *Ad Cæcilianum.*

Mane salutavi vero te nomine casu:
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

89. *De Panareto potore.*

Cum peteret seram media iam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse;
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

90. *De Gellia.*

Mœchum gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis; uxor est duorum.

91. *In Zoilum.*

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque
Mœchari: gaude, Zoile: non futues.

92. *In Ammianum.*

Cælatus tibi cum sit, Ammiane,
Serpens in patera Myronis arte,
Vaticana bibis: bibis venenum.

93. *De Thaide.*

Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via;
Non ab amore recens hircus, non ora leonis;
Non detracta cani Transtiberina cutis;
Pullus abortivo nec cum putrescit in ovo;
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit,
Psilothro viret, aut acida latet oblita creta;
Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
Cum bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

94. *De Calpetiano.*

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu cum cœnat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.
Non habet ergo aliud? Non habet immo suum.

Liber septimus

1. *Ad Domitianum, de lorica.*

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, Ægis erit.

2. *Ad ipsam loricam.*

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis;
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri.
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus
Fas erit, et nostri mente calere Dei.
I comes, et magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

3. *Ad Pontilianum.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

4. *De Oppiano.*

Esset, Castrice, cum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

5. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Si desiderium, Cæsar, populique patrumque
Respicis, et Latiæ gaudia vera togæ,
Redde Deum votis poscentibus: invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille; tuoque
Terretur vultu barbarus, et fruitur.

6 *De Fama reditus Domitiani.*

Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Cæsar iam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis:
Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ;
Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.
Sed iam lætitiæ quo sit fiducia maior,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

7. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Hiberna quamvis Arctos, et rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,
Fractusque cornu iam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te, summe mundi rector, et parens orbis,
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic et oculis et animis sumus, Cæsar:
Adeoque mentes omnium tenes unus,
Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrumne currat Passerinus, an Tigris.

8. *De reditu Domitiani.*

Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite, Musæ:
Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Iam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua! poteras non cedere Iano,
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares.
Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire iocos, levioraque carmina Cæsar,
Et tibi; si lusus ipse triumphus amat.

9. *De Cascelio.*

Cum sexaginta numeret Cascelius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

10. *In Olum.*

Pædicatur Eros; fellat Linus: Ole, quid ad te,
De cute quid faciat ille, vel ille, sua?
Centenis futuit Matho millibus: Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius. Ole, quid ad te,
Cum liceat tota stertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus: Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, crediderisve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quodque magis curæ convenit esse tuæ.
Pro togula debes: hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo iam tibi credet: et hoc.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit iam dotem filia grandis: et hoc.
Dicere quindecies poteram, quod pertinet ad te:
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

11. *Ad Aulum Pudentem.*

Cogis me calamo, manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasque,
Qui vis archetypas habere nugas?

12. *Ad Faustinum.*

Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiatque meos, qua solet aure, iocos;
Ut mea nec, iuste quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant cum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre diemque negant?
[Ludimus innocui: scis hoc bene: iuro potentis]
Per genium Famæ, Castalidumque gregem;
Perque tuas aures, magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

13. *De Lycoride.*

Dum Tiburtinis albescere solibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti
Aura valet? Parvo tempore nigra redit.

14. *Ad Aulum, de luctu suæ puellæ.*

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ,
Amisit lusus deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli,
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;
Vel, Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis,
Cuius in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

15. *Ad Arginum, puerum Ianthidos.*

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Naida? numquid Hylas?
O bene, quod silva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres:
Nil facient nimphæ: ne velit ipse, cave.

16. *Ad Regulum.*

Æra domi non sunt: superest hoc, Regule, solum,
Ut tua vendamus munera: numquid emis?

17. *Ad bibliothecam Iulii Martialis.*

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem;
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi mittimus libellos,

Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu, munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuero,
Iuli bibliotheca Martialis.

18. *In Gallam.*

Cum tibi sit facies, de qua nec femina possit
Dicere; cum corpus nulla litura notet;
Cur te tam rarus cupiat, repetatque fututor,
Miraris? vitium est non leve, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, mixtisque movemur
Inguinibus, cunnus non tacet; ipsa taces.
Di facerent ut tu loquereris, et ipse taceret:
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus; et risum res movet ista simul.
Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?
Cum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno:
Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

19. *De fragmento Argus.*

Fragmentum quod vile putas, et inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Sæcula vicerunt: sed quamvis cesserit annis,
Sanctior est salva parva tabella rate.

20. *In Sanctram.*

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra,
Rectam vocatus cum cucurrit ad cœnam,
Quam tot diebus, noctibusque captavit.
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, et duos armos;
Nec erubescit peierare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros.
Buccis placentæ sordidam linit mappam.
Illic et uvæ collocantur ollares,
Et Punicorum pauca grana malorum,
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debilisque boletus.
Sed mappa cum iam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Et devorato capite turturem truncum.
Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quicquid et canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulæ præda:
Mixto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas cum domum tulit scalas,
Seque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

21. *De natali Lucani.*

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.
Heu! Nero crudelis, nullaque invisior umbra!
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

22. *De eodem.*

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba, favete sacris.
Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

23. *De eodem, ad Phœbum.*

Phœbe, veni; sed quantus eras, cum bella tonanti
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? Tu, Polla, maritum
Sæpe colas; et se sentiat ipse coli.

24. *In maledicum.*

Cum Iuvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes;
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et maius nomen, Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis,
Ut facias illud, quod, puto, lingua, facis.

25. *In malum poetam.*

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute;
Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit; o demens, vis tamen illa legi!
Nec cibus ipse iuvat morsu fraudatus aceti;
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

26. *Scazonta mittit ad Apollinarem.*

Apollinarem conveni meum, Scazon,
Et, si vacabit, (ne molestus accedas)
Hoc qualecumque, cuius aliqua pars ipse est,
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis ut favore sustentet.
Quanto mearum, scis, amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon.

27. *De Apro sibi a Dextro misso.*

Tuscæ glandis aper populator, et ilice multa
Iam piger, Ætolæ fama secunda feræ,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Præda iaces nostris invidiosa focis.
Pinguescant madido læti nidore Penates;
Flagret et exciso festa culina iugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet et arcano mixta Falerna garo.
Ad dominum redeas: noster te non capit ignis,
Conturbator aper: vilius esurio.

28. *Ad Fuscum.*

Sic Tiburtinæ crescat tibi silva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus;
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat; et immodici dent bona musta lacus:
Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent,
Excolat et geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Excipe, sed certa, quos legis, aure iocos.
Scire libet verum: res est hæc ardua: sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

29. *Ad Testilum Puerum.*

Testile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo:
Paulisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Mæcenati, Maro cum cantaret Alexin,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

30. *In Cæliam.*

Das Parthis, das, Germanis, das, Cælia, Dacis;
Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros;
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor
Navigat, a rubris et niger Indus aquis:
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum,
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, cum sis Romana puella,
Quod Romana tibi mentula nulla placet?

31. *Ad Regulum.*

Rancæ cortis aves, et ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,

Et fetum querulæ rudem capellæ,
Nec iam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis,
De nostro tibi rure missa credis?
O quam, Regule, diligenter erras!
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quicquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Id tota mihi nascitur Suburra.

32. *Ad Atticum.*

Attice, facundæ renovas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum;
Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At iuvenes alios fracta colit aure magister;
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes;
Vara nec iniecto ceromate brachia tendis;
Non harpasta vagus pulverulenta rapis:
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias artes, omnia quibus area servit,
Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

33. *In Cinnam.*

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive;
Deiecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam; calceus ecce perit.

34. *Ad Severum, de Charino.*

Quo possit fieri modo, Severe,
Ut vir pessimus omnium Charinus
Unam rem bene fecerit, requiris?
Dicam, sed cito: quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus, ecce, de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore:
Quid? tu tot domini, Deique nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi.

35. *Ad Lecaniam.*

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
Iudæum nulla sub cute pondus habet.
Et nudi tecum iuvenesque senesque lavantur.
An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid femineos sequeris, matrona, recessus?
Secretusque tua, cunne, lavaris aqua?

36. *Ad Stellam.*

Cum pluvias madidumque Iovem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis;
Plurima, quæ posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus, ecce, sonat Boreæ stridore December:
Stella, tegis villam; non tegis agricolam.

37. *Ad Castricum, de Theta.*

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Letalem iuguli iusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat stiria naso,
Cum flaret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus. Quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

38. *Ad Polyphemum.*

Tantus es, talia, nostri Polypheme Severi,
Ut te mirari possit et ipse Cyclops:
Sed nec Scylla minor: quod si fera monstra duorum
Iunxeris, alterius fiet uterque timor.

39. *De Cælio.*

Discursus varios, vagumque mane,
Et fastus, et Ave potentiorum,
Cum perferre patique iam negaret,
Cœpit fingere Cælius podagram;
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso,
(Quantum cura potest, et ars doloris!)
Desit fingere Cælius podagram.

40. *Epitaphium Patris Etrusci.*

Hic iacet ille senex Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumque Deum;
Natorum pietas sanctis quem coniugis umbris
Miscuit: Elysium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata iuventa;
Hic prope ter senas vidit Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
Aspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

41. *Ad Sempronium Tuccam.*

Cosmicos esse tibi, Semproni Tucca, videris:
Cosmica, Semproni, tam mala, quam bona sunt.

42. *Ad Castricum.*

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroque sumus, vincique parati:
Inde sopor nobis, et placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

43. *In Cinnam.*

Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo præstantem; non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec præstes, nec cito, Cinna, negas.

44. *De imagine Maximi Cæsonii, ad Q. Ovidium.*

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cuius adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, et profugi, non tua, fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exulis isti,
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo;
Audiet hoc præsens, venturaque turba, fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

45. *De eadem.*

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix litera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis, Ovidi, tacende linguis,
Sprevisti domini furentis iras.
Miretur Pyladen suum vetustas,
Hæsit qui comes exuli parentis.
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exuli Neronis.

46. *Ad Priscum.*

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
Mæonioque cupis doctius ore loqui,
Excrucias multis pariter me teque diebus;
Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.
Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

47. *Ad Licinium Suram.*

Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
Cuius prisca graves lingua reduxit avos;

Redderis, heu, quanto fatorum munere! nobis,
Gustata Lethes pæne remissus aqua.
Perdiderant iam vota metum; securaque flebant
Tristia cum lacrymis, iamque peractus eras.
Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
Et raptas Fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Moverit; et frueris posteritate tua.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reversa diem.

48. *Ad Annium.*

Cum mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros:
Transcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete, lauti:
Nos offendimur ambulante cœna.

49. *Ad Severum.*

Parva suburbani munuscula mittimus horti;
Faucibus ova tuis; poma, Severe, gulæ.

50. *Ad Fontem Ianthidos.*

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis,
Gloria conspicuæ deliciumque domus!
Cum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro,
Quid facit Alcides sylva sacratus in ista?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid nympharum notos observat amores,
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

51. *Ad Urbicum.*

Mercari nostras si te piget, Urbice, nugas,
Et lasciva tamen carmina nosse libet,
Pompeium quæras (et nosti forsitan) Auctum;
Ultoris prima Martis in æde sedet.
Iure madens, varioque togæ limatus in usu,
Non lector meus hic, Urbice, sed liber est;
Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos,
Ut pereat chartis litera nulla meis.
Denique, si vellet, poterat scripsisse videri;
Sed famæ mavult ille favere meæ.
Hunc licet a decima (nec enim satis ante vacabit)
Sollicites: capiet cœnula parva duos.
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit:
Et cum, Iam satis est, dixeris, ille leget.

52. *Ad Auctum.*

Gratū est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos;
Si tamen et Celerem, quod legis, Aucte, iuvat.
Ille meas gentes, et Celtas rexit Iberos;
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
Maior me tanto reverentia turbat; et aures
Non auditoris, iudicis esse puto.

53. *In Umbrum.*

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies;
Bis senos triplices, et dentiscalpia septem:
His comes accessit spongia, mappa, calix;
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena sapæ:
Parvaque cum canis venerunt coctana prunis,
Et Libycæ fici pondere testa gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer!

54. *In Nasidienum.*

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum, sollicitentque meum.
Iam prior ad fæcem, sed et hæc vindemia venit;
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumsi salsasque molas, et thuris acervos:
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt.
Aut vigila, aut dormi, Nasidiene, tibi.

55. *In Chrestum.*

Nulli munera, Chreste, si remittis,
Nec nobis dederis, remiserisque,
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoque,
Et Gallo, Titioque, Gellioque;
Lingas, non mihi, (nam proba et pusilla est)
Sed, quæ de Solymis venit perustis,
Damnatam modo mentulam triboti.

56. *Ad Rabirium.*

Astra polumque tua cepisti mente, Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Iovi dare templa parabit,
Has petat a nostro Pisa Tonante manus.

57. *De Achilla.*

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam·
Pyxagathos fuerat; nunc erit Hippodamos.

58. *Ad Gallam.*

Iam sex aut septem nupsisti, Galla, cinædis,
Dum coma te nimium, pexaque barba iuvat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, mollemque maritum;
Rursus et in similes decidis usque toros.
Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,
Hirsutum, et dura rusticitate trucem.
Invenies; sed habet tristis quoque turba cinædos:
Difficile est vero nubere, Galla, viro.

59. *De Cæciliano.*

Non cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus.
Bellum convivam Cæcilianus habet.

60. *Ad Iovem Capitolinum.*

Tarpeiæ venerande rector aulæ,
Quem salvo duce credimus Tonantem,
Cum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dei potestis;
Nil pro me mihi, Iupiter, petenti
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare:
Pro me debeo Cæsarem rogare.

61. *Ad Cæsarem Germanicum.*

Abstulerat totam temerarius institor urbem;
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modo quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis;
Nec prætor medio cogitur ire luto;
Stringitur in densa nec cæca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant.
Nunc Roma est; nuper magna taberna fuit.

62. *In Amillum.*

Reclusis foribus grandes percidis, Amille,
Et te deprendi, cum facis ista, cupis;
Ne quid liberti narrent, servique paterni,
Et niger obliqua garrulitate cliens.
Non pædicari se qui testatur, Amille,
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

63. *De Silio (Italico).*

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis, et Latia carmina digna toga;
Pierios tantum vati placuisse recessus
Credis, et Aoniæ Bacchica serta comæ?
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum;

Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos;
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

64. *In Cinnamum.*

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et post hæc dominæ munere factus eques;
Sicanias urbes Ætnæaque regna petisti,
Cinname, cum fugeres tristia iura fori.
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix et fugitiva quies?
Non rhetor, non grammaticus, ludive magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes;
Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris:
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

65. *In Gargilianum.*

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, et demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

66. *De Labieno.*

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

67. *In Philænim.*

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, gravesque draucis
Halteras facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæstra
Uncti verbere vapulat magistri:
Nec cœnat prius, aut recumbit ante,
Quam septem vomuit meros deunces;
Ad quos fas sibi tunc putat redire,
Cum coliphia sexdecim comedit.
Post hæc omnia, cum libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:
Sed plane medias vorat puellas.
Di mentem tibi dent tuam, Philæni,
Cunnum lingere quæ putas virile.

68. *Ad Instantium Rufum.*

Commendare meas, Instanti Rufe, Camœnas
Parce, precor, socero: seria forsan amat.
Quod si lascivos admittit et ille libellos,
Hæc ego vel Curio Fabricioque legam.

69. *De Theophila, ad Canium.*

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cuius Cecropia pectora dote madent.
Hanc sibi iure petat magni senis Atticus hortus,
Nec minus esse suam Stoica turba velit.
Vivet opus quodcumque per has emiseris aures;
Tam non femineum, nec populare sapit.
Non tua Pantænis nimium se præferat illi,
Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix:
Castior hæc, et non doctior illa fuit.

70. *In Philænim.*

Ipsarum tribadum tribas, Philæni,
Recte, quam futuis, vocas amicam.

71. *De Familia ficosa.*

Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus:
Filia ficosa est, et gener, atque nepos.
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cum sint ficosi pariter iuvenesque senesque,
Res mira est: ficos non habet unus ager.

72. *Ad Paullum.*

Gratus sic tibi, Paulle, sit December:
Nec vani triplices, brevesque mappæ,
Nec thuris veniant leves selibræ;
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus;
Seu quod te potius iuvat, capitque.
Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris et vitreo latrone clausos,
Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras;
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quæ madent veneno,
Ut vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames:
Non scripsit meus ista Martialis.

73. *Ad Maximum.*

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua Patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles; illinc sacraria Vestæ;
Inde novum, veterem prospicis inde Iovem.
Dic, ubi conveniam: dic, qua te parte requiram?
Quisquis ubiq; habitat, Maxime, nusquā habitat.

74. *Pro Caro et Norbana votum.*

Cyllenes cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret;
Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales:
Maternæque sacris ornentur frondibus Idus,
Et senior parca mole prematur avus:
Hunc semper Norbana diem cum coniuge Caro
Læta colat, primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiæ sua dona ministrat:
Hic te thure vocat, fidus et ipse Iovi.

75. *In Anum deformem.*

Vis futui gratis, cum sis deformis, anusque.
Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

76. *Ad Philomusum.*

Quod te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari iuvat, et iuvat lavari;
Nolito nimium tibi placere.
Delectas, Philomuse: non amaris.

77. *In Tuccam.*

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

78. *In Papilum.*

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et, bene si cœnas, conchis inuncta tibi est;
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos,
Mittis: habes nec cor, Papile, nec genium.

79. *Ad Severum.*

Potavi modo consulare vinum.
Quæris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

80. *Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat.*

Quatenus Odrysios iam pax Romana Triones
Temperat, et tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere: iam chartis, iam vacat ille iocis.
Sed si parva tui munuscula quæris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer:
Non qualis, Geticæ satiatus lacte iuvencæ,
Sarmatica rigido ludit in amne rota;
Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,

Vel non cæsus adhuc matre iubente Lacon.
At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oves.

81. *Ad Lausum.*

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

82. *De Menophilo.*

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in unum)
Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ:
Dum ludit media, populo spectante, palæstra,
Delapsa est misero fibula; verpus erat.

83. *De Eutrapelo.*

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas, altera barba subit.

84. *Ad Librum.*

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat et arguta picta tabella manu;
I, liber, ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem:
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, sed dulcia, dona sodali:
Certior in nostro carmine vultus erit.
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis,
Vivet, Apelleum cum morietur opus.

85. *Ad Sabellum.*

Quod non insulse scribis tetrastichs quædam,
Distichaquod belle pauca, Sabelle, facis;
Laudo, nec admiror: facile est epigrammata belle
Scribere: sed librum scribere difficile est.

86. *In Sextum.*

Ad natalitias dapes vocabar,
Essem cum tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repente factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quod sum præteritus vetus sodalis?
Sed causam scio: nulla venit a me
Hispani tibi libra pustulati,
Nec levis toga, nec rudes lacernæ.
Non est sportula, quæ negotiatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos.
Iam dices mihi, Vapulet vocator.

87. *De se.*

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus;
Si fruitur tristi Canius Æthiope;
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ;
Si Cronius similem cercopithecon amat;
Delectat Marium si perniciosus ichneumon;
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet;
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem;
Lusciniæ tumulum si Thelesina dedit;
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui videt hæc dominis monstra placere suis?

88. *De suis libris.*

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuvenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt;
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil argo sumus, nec blandæ munere linguæ
Decipimur: credam iam, puto, Lause, tibi.

89. *Apollinari mittit coronam roseam.*

I, felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris;
Quas tu nectere candidas, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

90. *Ad Creticum.*

Iactat Inæqualem Matho me fecisse libellum:
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scribit libros Calvinus et Umber.
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

91. *Ad Iuvenalem.*

De nostro facunde tibi Iuvenalis agello
Saturnalitias mittimus, ecce, nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa Dei.

92. *In Baccaram.*

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus:
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareque, palamque:
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas:
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus;
Dicere ne possis, Baccara, quid sit opus.

93. *Ad Narniam.*

Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo,
Quid tam sæpe meum nobis abducere Quintum
Te iuvat, et lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretiosus erat?
Sed iam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quinto:
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

94. *De Papilo.*

Ungnentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

95. *In Linum.*

Bruma est, et riget horridus December:
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc et hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusque sæviusque
Percussus facere, atque verberatus?
Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiorque,
Cuius livida naribus caninis
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forficibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis;
Et Gallum timeo minus recentem.
Quare, si tibi sensus est, pudorque,
Hibernas, Line, basiationes
In mensem, rogo, differas Aprilem.

96. *Epitaphium Urbici pueri.*

Conditus hic ego sum, Bassi dolor, Urbicus infans,
Cui genus et nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
Ruperunt tetricæ cum mala pensa Deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
Sic ad Lethæas, nisi Nestore senior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

97. *Ad Librum suum, de Cæsio Sabino.*

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ, Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc, vel occupato.
Instent mille licet premantque curæ,
Nostris carminibus tamen vacabit:
Nam me diligit ille, proximumque

Turnt nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria! quam frequens amator!
Te convivia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ.
Uni mitteris; omnibus legeris.

98. *Ad Castorem.*

Omnia, Castor, emis: sic fiet, ut omnia vendas.

99. *Ad Crispinum.*

Sic placidum videas semper, Crispine, Tonantem;
Nec te Roma minus, quam tua Memphis, amet.
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula;
(Namque solent sacra Cæsaris aure frui)
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude:
Temporibus præstat non nihil iste tuis;
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est: ipsi cætera mando Deo.

100. *Ad Ponticum.*

Pontice, per reges discurris, et omnia lustras:
Magna quidem sequeris, Pontice, magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba:
Non adhibes multos; Pontice, cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creavit:
Dignus eras Helena; Pontice, pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta movere:
Vox tua dulce sonat; Pontice, dulcis homo es.
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error:
Vis dicam verum? Pontice, nullus homo es.

101. *De vetula.*

Tacta places; audita places; si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

102. *De Milone.*

Milo domi non est: peregre Milone profecto,
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur, ager non habet; uxor habet.

Liber octavus

Imperatori Domitiano Cæsari Augusto, Germanico, Dacico, Valerius Martialis salutem.

Omnes quidem libelli mei, domine, quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant; et, puto, propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis nostri octavus inscribitur, occasione pietatis frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cuius locum materia successerat; quam quidem subinde aliqua iocorum mixtura variare tentavimus; ne cœlesti verecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quam nos satiare, omnis versus ingereret. Quamvis autem epigrammata severissimis quoque, et supremæ fortunæ viris ita scripta sint, ut mimicam verborum licentiam affectasse videantur; ego tamen illis non permisi tam lascive loqui, quam solent, cum pars libri et maior et melior ad maiestatem sacri nominis tui allegata sit. Meminerit non nisi religionis purificatione lustratus accedere ad templa debere; quod ut custoditurum me lecturi sciant, in ipso libelli huius limine profiteri brevissimo placuit epigrammate.

1. *Ad Librum suum.*

Laurigeros domini liber intrature penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu, Pallas Cæsariana, veni.

2. *Ad Ianum.*

Fastorum genitor, parensque Ianus
Victorem modo cum videret Istri,
Tot vultus sibi non satis putavit;
Optavitque oculos habere plures:
Et lingua pariter locutus omni,
Terrarum domino, Deoque rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas, Iane pater, tuam rogamus.

3. *Ad Musam.*

Quinque satis fuerant; nam sex, septemve libelli,
Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuvat?
Sit pudor, et finis: iam plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster ubique liber.
Et cum rupta situ Messalæ saxa iacebunt,
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt;
Me tamen ora legent; et secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, cum sic respondit nona sororum,
Cui coma et unguento sordida vestis erat:
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuvat ad tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus bella tonare modis?
Prælegat ut tumidus rauca te voce magister,
Oderit et grandis virgo, bonusque puer?
Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores vita, legatque, suos.
Angusta cantare licet videaris avena,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

4. *Ad Cæsarem Domitianum, Germanicum.*

Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
Suscipit, et solvit, pro duce vota suo!
Non sunt hæc hominum, Germanice, gaudia tantum,
Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra Dei.

5. *Ad Macrum.*

Dum donas, Macer, annulos puellis,
Desisti, Macer, annulos habere.

6. *In Euctum.*

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti,
Ficta Saguntino cymbia malo luto;
Argenti furiosa sui cum stemmata narrat
Garrulus, et verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ;
Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit prælia Rhœcus
Cum Lapithis: pugna debile cernis opus.
Hi duo longævo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Æacides vivid iusque merum.
Hac propinavit Bitiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cum data cœna viro est.
Miratus fueris cum prisca toreumata multum,
In Priami cyathis Astyanacta bibes.

7. *In Cinnam.*

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,
Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
Quatuor: o quantum, Cinna, tacere potes!

8. *Ad Ianum, de reditu Cæsaris.*

Principium des, Iane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu sæcula longa tuo;
Te primum pia thura rogent, te voce salutent:
Purpura te felix, te colat omnis honos;
Tum tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi,
Mense tuo reducem, Iane, videre Deum.

9. *Ad Quintum, de Hyla.*

Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.

Accipe quamprimum: brevis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi solvet Hylas.

10. *De Basso.*

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias, coloris optimi: lucrifecit.
Adeo bene emit? inquis. Immo non solvit.

11. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Pervenisse tuam iam te scit Rhenus in urbem;
Nam populi voces audit et ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque,
Lætitiæ clamor terruit ipse novæ.
Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic, Cæsar, amavit:
Te quoque iam non plus, ut velit ipsa, potest.

12. *Ad Priscum.*

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fuerint femina virque pares.

13. *Ad Gargilianum.*

Morio dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

14. *In crudelem amicum.*

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat et tenerum fortior aura nemus,
Hibernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, et sine fæce diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare iubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

15. *Ad Domitianum.*

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis et ad reducem dum litat ara Iovem;
Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus;
Et ditant Latias tertia dona tribus;
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos;
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit:
Quod tibi de sanctis credis pietate tuorum.
Principis est virtus maxima nosse suos.

16. *In Ciperum.*

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc causas agis, et ducena quæris:
Sed consumis, et usque mutuaris.
A pistore, Cipere, non recedis:
Et panem facis, et facis farinam.

17. *Ad Sextum.*

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, causam.
Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?
Narrasti nihil, inquis; et a te prodita causa est.
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

18. *Ad Cirinium.*

Si tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum possis, vel prior ipse legi:
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,
Pindaricos nosset cum superare modos;
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Cum posset tragico fortius ore loqui.
Aurum, et opes, et rura frequens donabit amicus:
Qui vel ingenio cedere, rarus erit.

19. *De Cinna.*

Pauper videri vult Cinna; et est pauper.

20. *Ad Varum.*

Cum facias versus nulla non luce ducenos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

21. *Ad Luciferum, vel in adventum Cæsaris.*

Phosphore, redde diem: quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat, Placidi numquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron astro:
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus et Æthon
Frena volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci;
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Iam, Cæsar, vel nocte veni: stent astra licebit,
Non deerit populo, te veniente, dies.

22. *In Gallicum.*

Invitas ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

23. *Ad Rusticum.*

Esse tibi videor sævus, nimiumque gulosus,
Qui propter cœnam, Rustice, cædo coquum?
Si levis ista tibi flagrorum causa videtur,
Ex qua vis causa vapulet ergo coquus?

24. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Si quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
Offendunt numquam thura, precesque Iovem.
Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

25. *In Oppianum.*

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Ægrum me male; sæpe te videbo.

26. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres;
Delicias potuit nec numerare suas.
Vincit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,
Et victoris opes, divitiasque Dei.
Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

27. *Ad Gaurum.*

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis, et sentis, hic tibi ait: Morere.

28. *De Partheniana Toga.*

Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cuius fama decusque gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus, stabuli nutritor Iberi,
Bætis in Hesperia te quoque lavit ove?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ora bibit?
Te nec Amyclæo decuit livere veneno;
Nec Miletus erat vellere digna tuo.
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis nivibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
Non Athamanteo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi, Phryxe, pecus.
O quantos risus pariter spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga!

29. *De Distichis.*

Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

30. *De Spectaculo Scævolæ.*

Qui nunc Cæsareæ lusus spectatur arenæ,
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, ut teneat flammas, pœnaque fruatur
Fortis, et attonito regnet in igne manus?
Ipse sui spectator adest, et nobile dextræ
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in lassos ire sinistra focos.
Scire piget, post tale decus, quid fecerit ante:
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

31. *In Dentonem.*

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, et in patriam serus ab urbe redi.
Nam dum tu longe, deserta uxore, diuque
Tres quæris natos, quatuor invenies.

32. *De columba Aretullæ.*

Aera per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
Permissaque diu nollet abire fuga
Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere vota valent;
Hæc a Sardois tibi forsitan exulis oris,
Fratre reversuro, nuntia venit avis.

33. *Ad Paullum, de phiala.*

De prætoricia folium mihi, Paulle, corona
Mittis; et hoc phialæ nomen habere iubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci?
An magis astuti derasa est ungue ministri
Bractea de fulcro (quod reor esse) tuo?
Ille potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia sole cadunt;
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela;
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.
Fortior et tortos servat vesica capillos,
Et mutat Latias spuma Batava comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere posses,
Mittere cum posses vel cochleara mihi? (ses:
Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere pos-
Denique cum posses mittere, Paulle, nihil.

34. *In Iactatorem.*

Archetypum Myos argentum te dicis habere.
Quod sine te factũ est, hoc magis archetypum est.

35. *In pessimos coniuges.*

Cum sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus;
Miror, non bene convenire vobis.

36. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Regis pyramidum, Cæsar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes:
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex;
Et prius arcano satietur lumine Phœbi,
Nascentis Circe quam videt ora patris.
Hæc, Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cœlo; sed minor est domino.

37. *Ad Polycarmum.*

Quod Caietano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum num tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis. Tibi habe, Polycharme, tabellas:
Et Caietano millia crede duo.

38. *Ad Meliorem.*

Qui præstat pietate pertinaci
Sensum bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat:
At si quis dare nomini relicto,
Post Manes tumulumque, perseverat,
Quærit quid, nisi parcius dolere?
Refert, sis bonus, an velis videri.
Præstas hoc, Melior, sciente fama,
Qui sollemnibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi;
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori piæque turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi, vita dum manebit,
Hoc et post cineres erit tributum.

39. *Ad Domitianum.*

Qui Palatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis, oro, serus conviva Tonantis.
At, tu si properas, Iupiter, ipse veni.

40. *Ad Priapum.*

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, et potes renasci,
Furaces, moneo, manus repellas,
Et sylvam domini focis reserves.
Si defecerit hæc, et ipse lignum es.

41. *Ad Faustinum.*

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
Me certa tristem fecit Athenagoras.

42. *Ad Mathonem.*

Si te sportula maior ad beatos
Non corruperit, ut solet; licebit
De nostro, Matho, centies laveris.

43. *In Fabium et Chrestillam.*

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos;
Funereamque toris quassat uterque facem.
Victores committe, Venus; quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

44. *Ad Titullum.*

Titulle, moneo, vive semper: hoc serum est:
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu, miser Titulle, nec senex vivis;
Sed omne limen conteris salutator,
Et mane sudas urbis osculis udus,
Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis, et colosson Augusti,
Curris per omnes tertiasque, quintasque.
Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.
Superba densis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ Kalendarum:
Iurabit hæres, te nihil reliquisse;
Supraque pluteum te iacente, vel saxum,

Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos;
Tuusque tristis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

45. *Ad Flaccum, de reditu P. Terentii.*

Priscus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, et lento splendescat turbida lino
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam iusto dabitur quando calere mero?
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona causa meæ.

46. *Ad Cestum puerum.*

Quanta tua est probitas, quanta est infantia formæ,
Ceste puer, puero castior Hippolyto!
Te secum Diana velit, Dorisque natare:
Te Cybele totum mallet habere Phryga.
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto;
Sed durus domino basia sola dares.
Felix, quæ tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum!

47. *In varie se tondentem.*

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: unum quis putet esse caput?

48. *De abolla Crispini.*

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam. (mur:
Quisquis habes, humeris sua munera redde, preca-
Non hoc Crispinus te, sed abolla, rogat.
Non quicumque capit saturatas murice vestes;
Nec nisi deliciis convenit iste color.
Si te præda iuvat, fœdique insania lucri,
Qua possis melius fallere, sume togam.

49. *De Aspro.*

Formosam plane, sed cæcus, diligit Asper.
Plus ergo, ut res est, quam videt, Asper amat.

50. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaque nox Superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Iovem;
Tanta tuas, Cæsar, celebrant convivia laurus:
Exhilarant ipsos gaudia nostra Deos.
Vescitur omnis eques tecum, populusque, patresque;
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus, quanto maiora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est.

51. *De Phiala Instantii Rufi.*

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?
Livescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flavo radiant electra metallo,
Et niveum felix pustula vincit ebur.
Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cum tota lampade luna nitet.
Stat caper Æolio, Thebani vellere Phryxi
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, et tu
Ipse tua pasci vite, Lyæe, velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis:
Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnæo gavisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus
Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste, decus mensæ, misce Setina: videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instanti litera Rufi:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia portat,
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo.
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Ut iugulem curas, nomen utrumque bibam.

52. *Ad Ceditianum.*

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Æquandas semel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodavi.
Dum iussus repetit pilos eosdem,
Censura speculi manum regente,
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphæresim capillis,
Barbatus mihi tonsor est reversus.

53. *In Catullam.*

Formosissima, quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima, quæ fuere, vel sunt,
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

54. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Magna licet toties tribuas, maiora daturus
Dona, ducum victor, victor et ipse tui;
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar;
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

55. *Ad eumdem, de Leone.*

Auditur quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties silva leone furit,
Pallidus attonitos ad Pœna mapalia pastor
Cum revocat tauros, et sine mente pecus;
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.
Quis non esse gregem crederet? unus erat;
Sed cuius tremerent ipsi quoque iura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
Aurea lunatæ cum stetit unda iubæ!
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria silvis?
A Cybeles numquid venerat ille iugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse, feram?

56. *Ad Flaccum.*

Temporibus nostris ætas cum cedat avorum,
Creverit et maior cum duce Roma suo:
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones;
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat et abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
Reppulit, et celeri iussit abire fuga.
Accipe divitias, et vatum maximus esto:
Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Iovem.
Excidit attonito pinguis Galatea poetæ,
Thestylis et rubras messibus usta genas.
Protinus Italiam concepit, et arma virumque,
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero; Marsus ero.

57. *De Picente.*

Tres habuit dentes, pariter quos exspuit omnes,
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum;
Collegitque sinu fragmenta novissima laxi
Oris, et aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres;
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

58. *In Artemidorum.*

Cum tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possim te Sagarum iure vocare meo.

59. *In luscum furem.*

Aspicis hunc uno contentum lumine, cuius
Lippa sub attrita fronte lacuna patet?
Ne contemne caput: nihil est furacius illo:
Non fuit Autolyci tam piperata manus.
Hunc tu convivam cautus servare memento;
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri;
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec a cubito subducere pallia nescit;
Et tectus lænis sæpe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil invasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, et soleas surripit ipse suas.

60. *In Claudiam.*

Summa Palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres brevior, Claudia, sesquipedem.

61. *Ad Severum, de Carino.*

Livet Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, unde pendeat, ramos;
Non iam quod orbe cantor et legor toto;
Nec umbilicis quod decorus et cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes;
Sed quod sub urbe rus habemus æstivum,
Vehimurque mulis, non, ut ante, conductis.
Quid imprecabor, o Severe, liventi?
Hoc opto: mulas habeat, et suburbanum.

62. *De Picente.*

Scribit in aversa Picens epigrammata charta;
Et dolet, averso quod facit illa Deo!

63. *De Aulo.*

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin:
Forsitan et nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc, et dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum cum meus Aulus amet.

64. *In Clytum.*

Ut poscas, Clyte, munus, exigasque,
Uno nasceris octies in anno,
Et solas, puto, tresve, quatuorve
Non natalitias habes Kalendas.
Sit vultus tibi lævior licebit
Tritis litoris aridi lapillis;
Sit moro coma nigrior caduco;
Vincas mollitie trementes plumas,
Aut massam modo lactis alligati;
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat;
Tu nobis, Clyte, iam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, et modus rapinis.
Quod si ludis adhuc, semelque nasci
Uno iam tibi non sat est in anno;
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

65. *Ad Domitianum.*

Hic, ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hic stetit, Arctoi formosus pulvere belli,
Purpureum fundens Cæsar ab ore iubar:
Hic lauro redimita comas, et candida cultu,
Roma salutavit voce manuque ducem.
Grande loci meritum testantur et altera dona:
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentem:
Sufficit immensis aureus ipse iugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus urbem Martis habere decet.

66. *De consolatu Silii.*

Augusto pia thura, victimasque
Pro nostro date Silio, Camœnæ.
Bis senos iubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus et una, Cæsar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Ianus nomina; Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

67. *In Cæcilianum.*

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, et tu
Iam conviva mihi, Cæciliane, venis;
Cum modo distulerint raucæ vadimonia quartæ,
Et Floralicias lasset arena feras.
Curre, age, et illotos revoca, Calliste, ministros:
Sternantur lecti: Cæciliane, sede.
Caldam poscis aquam; sed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius: nam cur te quinta moretur?
Ut ientes, sero, Cæciliane, venis.

68. *Ad Entellum.*

Qui Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat illa domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perspicua vivit vindemia gemma;
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Femineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre iubetur hiems.

69. *In Vacerram.*

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas.
Ignoscas, petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi perire.

70. *De Nerva.*

Quanta quies placidi, tanta est facundia, Nervæ:
Sed cohibet vires ingeniumque pudor.
Cum siccare sacram largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim;
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famæ nec dare vela suæ.
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

71. *In Postumianum.*

Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare aut crescere debent
Munera) venerunt, plusve minusve, duæ.
Tertius et quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quinto Septitiana: quid est?
Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno:
Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octavus ligulam misit sextante minorem:

Nonus acu levius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus iam non habet annus:
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

72. *Ad Librum suum.*

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi, libelle;
Quem pulcherrima iam redire Narbo,
(Docti Narbo Paterna Votieni,)
Ad leges iubet annuosque fasces,
Votisquod paribus tibi petendum est,
Continget locus ille, et hic amicus.
Quam vellem fieri meus libellus!

73. *Ad Instantium.*

Instanti, quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec nivea simplicitate prior;
Si dare vis nostræ vires animosque Thaliæ,
Et victura petis carmina; da quod amem.
Cynthia te vatem fecit, lascive Properti;
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat;
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli;
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Pæligni, nec spernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

74. *In malum medicum.*

Hoplomachus nunc es; fueras ophthalmicus ante:
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

75. *De Gallo Lingono.*

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a Tecta Flaminiaque recens;
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus? qua se ratione moveret?
Ingenti domino servulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset vix ferre lucernam.
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualis mille rogus.
Hos comes invalidus submissa voce precatur,
Ut, quocumque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur,
Cui merito dici, mortue Galle, potest.

76. *In Gallicum.*

Dic verum mihi, Marce; dic, amabo:
Nil est quod magis audiam libenter:
Sic, et cum recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me, rogasque semper.
Durum est me tibi, quid petis, negare.
Vero verius ergo quid sit, audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

77. *Ad Liberum, amicum.*

Liber, amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber, in æterna vivere digne rosa;
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, et cingant florea serta caput.
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno;
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
Longior huic facta est, quam data vita fuit.

78. *De ludis Stellæ.*

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi:
O pudor! o pietas! et putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, et Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat; et in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.
Nunc implere sinus securus gaudet, et absens
Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
Quid numerem currus, terdenaque præmia palmæ,
Quæ dare non semper consul uterque solet?
Omnia sed, Cæsar, tanto superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus habet.

79. *In Fabullam.*

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

80. *Ad Domitianum.*

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori;
Cum veteres Latiæ ritus renovantur arenæ,
Et pugnat virtus simpliciore manu.
Sic priscis servatur honos, te præside, templis;
Et casa, tam culto sub Iove, numen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

81. *De Gellia.*

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem iuvencæ,
Nullos denique per Deos, Deasque
Iurat Gellia; sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur;
Hos fratres vocat, hos vocat sorores;
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu! quam bene nunc, Papiriane,
Annæi faceret manus Sereni!

82. *Ad Domitianum.*

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus,
Posse Deum rebus pariter, Musisque vacare
Scimus; et hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat et ex hedera civica nostra tibi.

Liber nonus

1. *Ad Avitum.*

Note, licet nolis, sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris iungis, Avite, viris.
«Ille ego sum, nulli nugarum laude secundus,
Quem non miraris, sed, puto lector, amas.
Maiores maiora sonent: mihi parva locuto
Sufficit in vestras sæpe redire manus.»

Martialis Turanio suo s.

Ave, mi Turani, frater carissime! Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares, Avitus iste quis vocaretur. Vale, et para hospitium.

2. *De Templo Flaviæ Gentis.*

Dum Ianus hiemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates;
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum;

Tarpeia summi saxa dum patris stabunt;
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona dives dulce Iuliæ numen;
Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum sole, et astris, cumque luce Romana.
Invicta quicquid condidit manus, cœlum est.

3. *In Lupum.*

Pauper amicitiæ cum sis, Lupe, non es amicæ;
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis;
Haud sua desertus rura sodalis arat.
Splendet Erythræis pellucida mœcha lapillis;
Ducitur addictus, te futuente, cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ;
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, et miseros, Cybele, præcide cinædos:
Hæc erat, hæc cultris mentula digna tuis.

4. *Ad Domitianum.*

Quantum iam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, et si creditor esse velis;
Grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quicquid habent;
Conturbabit Atlas; et non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore, potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumq;, piosque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Expectes, et sustineas, Auguste, necesse est:
Nam, tibi quod solvat, non habet arca Iovis.

5. *In Æschylum.*

Aureolis futui cum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris:
Aureolos a te cur accipit, Æschyle, denos?
Non fellat tanti Galla. Quid ergo? Tacet.

6. *In Paullam.*

Nubere vis Prisco: non miror, Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus; et ille sapit.

7. *Ad Domitianum.*

Tibi, summe Rheni domitor, et parens orbis;
Pudice princeps, gratias agunt urbes:
Populos habebunt: parere iam scelus non est.
Non puer, avari sectus arte mangonis,
Virilitatis damna mœret ereptæ,
Nec, quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit et lupanari.

8. *In Afrum.*

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis terque reverso.
Iam satis est: non vis, Afer, avere: Vale.

9. *Ad Domitianum.*

Tanquam parva foret sexus iniuria nostri
Fœdandos populo prostituisse mares;
Iam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater;
Idem, qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere prius pueri, iuvenesque, senesque:
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant.

10. *Ad Bithynicum.*

Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia sena tibi.

11. *In Cantharum.*

Cœnes, Canthare, cum foris libenter,
Clamas, et maledicis, et minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes et gulosus esse.

12. *De Earino Domitiani.*

Nomen cum violis, rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur, anni;
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ;
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti;
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres Cupidinesque;
Nomen nobile, molle, delicatum,
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu, syllaba contumax, repugnas.
Dicunt Earinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἀρες Ἄρες decet sonare:
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

13. *De eodem.*

Si daret autumnus mihi nomen, Ὀπωρινος essem:
Horrida si brumæ sidera, Χειμερινος.
Dictus ab æstivo Θερινος tibi mense vocarer:
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

14. *De eodem.*

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breve Cecropiæ ver populantur apes;
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu:
Nomen, Erythræis quod litera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notat;
Quod penna scribente grues ad sidera tollant;
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

15. *In amicum cœnipetam.*

Hunc, quem cœna tibi quem mensa paravit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, et mullos, et sumen, et ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

16. *De Chloe.*

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe. Quid pote simplicius?

17. *De coma Earini.*

Consilium formæ speculum, dulcesque capillos,
Pergameo posuit dona sacrata Deo,
Ille puer tota domino gratissimus aula,
Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus!
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

18. *De eadem, ad Æsculapium.*

Latonæ veneranda nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevesque colos;
Hos tibi, laudatos domino, sua vota, capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies iudice tota fuit.
Tu iuvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam breviore, coma.

19. *Ad Cæsarem Domitianum.*

Est mihi, sitq;, precor, longum, te præside, Cæsar,

Rus minimum; parvi sunt et in urbe lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Iovis imber erit.

20. *In Sabellum.*

Laudas balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

21. *Ad Domitianum.*

Hæc, quæ tota patet, tegiturque et marmore et auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix, quæ tantis sonuit vagitibus, et quæ
Vidit reptantes, sustinuitque manus!
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos astrifero, quod pia Creta, polo.
Curetes texere Iovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit Superum pater; et tibi, Cæsar,
Pro iaculo et parma, fulmen et ægis erat.

22. *Ad Auctum.*

Artemidorus habet puerum; sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat; Calliodorus arat.

23. *Ad Pastorem.*

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat;
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager;
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives;
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens,
Æstuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim;
Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massylenm virga gubernet equum.
Est nihil ex istis, superos ac sidera testor.
Ergo quid? Ut donem, Pastor, et ædificem.

24. *Ad Carum.*

O, cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
Aspicis en domini fulgentes marmore vultus:
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ livere potest pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

25. *Ad eumdem.*

Quis Palatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies; hæc sunt Iovis ora sereni;
Sic tonat ille Deus, cum sine nube tonat.
Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam:
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

26. *In Afrum.*

Dantem vina tuum quoties aspeximus Hyllum,
Lumine nos, Afer, turbidiore notas.
Quod, rogo, quod scelus est, mollem spectare ministrum?
Aspicimus solem, sidera, templa, Deos.
Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos oraque nostra tegam?
Trux erat Alcides: sed Hylam spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis, teneros spectet conviva ministros,
Phineas invites, Afer et Œdipodas.

27. *De Nerva.*

Audet facundo qui carmina mittere Nervæ,
Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi:
Pæstano violas et cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen et parvæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
Iudicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum iuvenis cum tibi lusit opus.

28. *In Chrestum.*

Cum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis lævius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque crebræ cana labra volsellæ;
Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos,
Et quicquid usquam legimus pilosorum,
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis;
Et cum theatris sæculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus,
Iam pædagogo liberatus, et cuius
Refibulavit turgidum faber penem;
Nutu vocatum ducis; et pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis lingua.

29. *Epitaphium Latini.*

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ;
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciosque graves.
Sed nihil a nostro sumsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror:
Nec poteram gratus domino sine moribus esse:
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iovis.

30. *Epitaphium Philænis.*

Sæcula Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat;
Nec matutini cirrata caterva magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

31. *In Pietatem Nigrinæ.*

Cappadocum sævis Antistius occidit oris
Rusticus: o tristi crimine terra nocens!
Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias;
Cumque daret sanctam tumulis, quibus invidet, urnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

32. *De Velii Voto.*

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes;
Debita poscebat iam sibi vota Deus.
Ipse suas anser properavit lætus ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, iam ferro non opus esse docet.

33. *Qualem velit Amicam.*

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur:
 Hanc volo, quæ puero iam dedit ante meo:
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter:
 Hanc volo, quæ pariter sufficit una tribus.
Poscentem nummos, et grandia verba sonantem,
 Possideat crassi mentula Burdigali.

34. *Ad Flaccum.*

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
[Montis] illic esse mentulam scito.

35. *De templo gentis Flaviæ.*

Iupiter Idæi risit mendacia busti,
 Cum videt Augusti Flavia templa poli:
Atque inter mensas, largo iam nectare fusus,
 Pocula cum Marti traderet ipse suo;
Respiciens Phœbum pariter Phœbique sororem,
 Cum quibus Alcides, et pius Arcas erat,
Gnossia vos, inquit, nobis monumenta dedistis:
 Cernite, quam plus sit, Cæsaris esse patrem.

36. *In Philomusum.*

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris;
 Plurima dum fingis, sed, quasi vera, refers.
Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula;
 Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum.
Verba ducis Daci chartis mandata resignas;
 Victricem laurum, quam venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat iove fusca Syene;
 Scis, quota de Libyco litore puppis eat;
Cuius Iuleæ capiti nascantur olivæ;
 Destinet æthereus cui sua serta pater.
Tolle tuas artes; hodie cœnabis apud me,
 Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

37. *Colloquium Ganymedis et Iovis, super Earino et aliis Domitiani pueris.*

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
 Phryx puer, alterius gaudia nota Iovis.
Quod tuus, ecce, suo Cæsar permisit ephebo,
 Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Iam mihi prima latet longis lanugo capillis:
 Iam tua me ridet Iuno; vocatque virum.
Cui pater æthereus, Puer o dulcissime, dixit,
 Non ego, quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros;
 Tantaque sidereos vix capit aula mares.
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
 Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

38. *In Gallam.*

Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
 Fiant absentes et tibi, Galla, comæ;
Nec dentes aliter, quam serica, nocte reponas,
 Et iaceas centum condita pyxidibus;
Nec tecum facies tua dormiat; innuis illo,
 Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
 Quem potes inter avos iam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est;
 Et, sit lusca licet, te tamen illa videt.

39. *Ad Agathinum.*

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas;
 Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras,
 Vel pede, vel tergo, clune, vel ungue sedet.
Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo,
 Et rapiant celeres vela negata Noti;
Securus pueri neglecta perambulat artus;
 Et nocet artifici ventus et unda nihil.
Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
 Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

40. *De natali Cæsoniæ.*

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti,
 Optasset Cybele qua peperisse Iovem.
Hac et sancta mei genita est Cæsonia Rufi:
 Plus debet matri nulla puella suæ.
Lætatur gemina votorum sorte maritus,
 Contigit hunc illi quod bis amare diem.

41. *De Diodoro, et voto Philænis uxoris.*

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam cum peteret Pharo relicta;
Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castæ quoque diligunt Sabinæ.
Dispersa rate tristibus procellis,
Mersus fluctibus, obrutusque ponto,
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis et piger maritus!
Hoc a litore si puella votum
Fecisset mea, protinus redissem.

42. *In Ponticum.*

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
 Uteris, et Veneri servit amica manus,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
 Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
 Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
 Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
 Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

43. *Ad Apollinem pro Stella suo.*

Campis dives, Apollo, sic marinis,
Sic semper senibus fruare cycnis;
Doctæ sic tibi serviant sorores;
Nec Delphis tua mentiatur ulli;
Sic Palatia te colant, amentque:
Bis senos cito, me rogante, fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.
Felix tunc ego, debitorque voti,
Casuram tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuvencum.
Nata est hostia: Phœbe, quid moraris?

44. *De statua Herculis.*

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
 Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu,
 Cuius læva calet robore, dextra mero:
Non est fama recens, nec nostri gloria cœli?
 Nobile Lysippi munus opusque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
 Qui cito perdomito victor in orbe iacet.
Hunc puer ad Libycas iuraverat Hannibal aras:
 Iusserat hic Sullam ponere regna trucem.
Offensus variæ tumidis terroribus aulæ,
 Privatos gaudet nunc habitare lares:
Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
 Sic voluit docti Vindicis esse Deus.

45. *De eadem statua.*

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cuius opus laborque felix.
Risit (nam solet hoc) levique nutu,
Græce numquid, ait, poeta, nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
Λυσιππου lego: Phidiæ putavi.

46. *Ad Marcellinum.*

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones;
 Et Getici tuleris sidera pigra poli.
Ecce, Promethei rupes, et fabula montis,
 Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis.

Videris immensis cum conclamata querelis
 Saxa senis, dices, Durior ille fuit.
Et licet hoc addas: Potuit qui talia ferre,
 Humanum merito finxerat ille genus.

47. *In Gellium.*

Gellius ædificat semper: modo limina ponit,
 Nunc foribus claves aptat, emitque seras:
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras.
 Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit;
Oranti nummos ut dicere possit amico
 Unum illud verbum Gellius, Ædifico.

48. *In Pannicum.*

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
 Quicquid et hirsutis squalet imaginibus.
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor et hæres;
 Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
 In molli rigidum clune libenter habes.
Tu, qui sectarum causas et pondera nosti;
 Dic mihi, percisi, Pannice, dogma facit?

49. *In Gallicum.*

Hæredem cum me partis tibi, Gallice, quartæ
 Per tua iurares sacra, caputque tuum;
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libenter?)
 Et spem muneribus fovimus usque datis;
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
 Misimus; Ætola de Calydone putes.
At tu continuo populumque, patresque vocasti:
 Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæsi:
 Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
 De nostro nobis uncia venit apro.

50. *De toga a Parthenio sibi donata.*

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
 Quam meus edidicit lector amatque togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
 Munus: in hac ibam conspiciendus eques:
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana,
 Dumque erat auctoris nomine digna sui;
Nunc anus, et tremulo vix accipienda tribuli,
 Quam possis niveam dicere iure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis, anni?
 Hæc toga iam non est Partheniana: mea est.

51. *In Gaurum.*

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
 Carmina quod faciam, quæ brevitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
 Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Langona vivum:
 Tu magnus luteum, Gaure, giganta facis.

52. *De Lucano et Tullo.*

Quod semper superos invito fratre rogasti,
 Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
 Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios; nemorisque habitator amœni,
 Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et, si iam nitidis alternus venit ab astris,
 Pro Polluce, mones Castora, ne redeat.

53. *Ad Quintum Ovidium.*

 Si credis mihi, Quinte, (quod mereris)
 Natales, Ovidi, tuos Apriles,
 Ut nostras, amo, Martias Kalendas.
 Felix utraque lux, diesque nobis
 Signandi melioribus lapillis!
 Hic vitam tribuit, sed hic amicum.
 Plus dant, Quinte, mihi tuæ Kalendæ.

54. *Ad eundem.*

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
 Munera: tu prohibes: imperiosus homo es.
Parendum est monitis: fiat quod uterque iubemus,
 Et, quod utrumque iuvat, tu mihi, Quinte, dato.

55. *Ad Cognatum.*

Si mihi Picena turdus palleret oliva,
 Tenderet aut nostras silva Sabina plagas;
Aut crescente levis traheretur arundine præda,
 Pinguis et implicitas virga teneret aves;
Cara daret solenne tibi cognatio munus;
 Nec frater nobis, nec prior esset avus.
Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
 Audit, et arguto passere vernat ager.
Inde salutatus picæ respondet arator:
 Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
 Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

56. *Ad Flaccum.*

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
 Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro;
Succurrit nobis ingens onerosaque turba,
 In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos votum est: offendere plures
 Vix tutum: multis mittere dona grave est.
Qua possum sola, veniam ratione merebor:
 Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

57. *De Spendophoro.*

Spendophorus Libycas domini petit armiger urbes:
 Quæ puero dones, tela, Cupido, para:
Illa quibus iuvenes figis, mollesque puellas:
 Sit tamen in tenera lævis et hasta manu.
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto:
 Tutus ut invadat prælia, nudus eat.
Non iaculo, non ense fuit, læsusve sagitta,
 Casside dum liber Parthenopæus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
 O felix, si quem tam bona fata manent!
Dum puer es, redeas, dum vultus lubricus; et te
 Non Libye faciat, sed tua Roma, virum.

58. *In Hedylum.*

 Nil est tritius Hedyli lacernis,
 Non ansæ veterum Corinthiorum,
 Nec crus compede lubricum decenni,
 Non ruptæ recutita colla mulæ,
 Nec quæ Flaminiam secant salebræ,
 Nec qui litoribus nitent lapilli,
 Nec Tusca ligo vinea politus,
 Nec pallens toga mortui tribulis,
 Nec pigri rota quassa mulionis,
 Nec rasum cavea latus bisontis,
 Nec dens iam senior ferocis apri:
 Res una est tamen, ipse non negabit,
 Culus, tritior Hedyli lacernis.

59. *Ad Nympham Sabini.*

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
 Et mansura, pio munere templa dedit;
Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
 Nec tua Baianas Sarsina malit aquas:
Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos:
 Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
 Quid fieri libris debeat, ipse monet.

60. *In Mamurram.*

In Septis Mamurra diu multumque vagatus,
 Hic ubi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit;
 Non hos, quos primæ prostituere casæ,
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,

Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur, mensas et opertos exuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur.
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares, an olerent æra Corinthon;
Culpavit statuas et, Polyclete, tuas:
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit, seposuitque, decem.
Expendit veteres calathos, et si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu:
Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quicquid et a nivea grandius aure sonat.
Sardonychas vero mensa quæsivit in omni
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Undecima lassus cum iam discederet hora,
Asse duos calices emit, et ipse tulit.

61. *Sabino mittit coronam roseam.*

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo,
Seu Prænestino te villica legit in horto;
Seu modo Campani gloria ruris eras;
Pulchrior ut nostro videare, corona, Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

62. *De platano Cæsaris.*

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat;
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus.
Ædibus in mediis, totos amplexa penates,
Stat platanus densis Cæsariana comis;
Hospitis invicti posuit quam dextera felix,
Cœpit et ex illa crescere virga manu.
Auctorem, dominumque nemus sentire videtur:
Sic viret, et ramis sidera celsa petit.
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni,
Terruit et tacitam fistula sera domum;
Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.
Atque oluere lares comissatore Lyæo:
Crevit et effuso lætior umbra mero;
Hesternisque rubens deiecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta Deis, o magni Cæsaris arbor!
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores:
Non Pompeianæ te posuere manus.

63. *De Philæni.*

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur et die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba:
Delectatur odore, non colore.

64. *In Phœbum.*

Ad cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi.
Mentula quem pascit, non, puto, purus homo est.

65. *De statua Cæsaris Domitiani.*

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ,
Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.
Ante colebatur votis, et sanguine largo:
Maiorem Alciden nunc minor ipse colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores:
Illi securus vota minora facit.

66. *Ad Herculem, de eadem statua.*

Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris,
Si tibi tunc isti vultus habitusque fuissent,
Cesserunt manibus cum fera monstra tuis;
Argolico famulum non te servire tyranno
Vidissent gentes, sævaque regna pati:
Sed tu iussisses Eurysthea; nec tibi fallax
Portasset Nessi perfida dona Lichas.
Œtæi sine lege rogi, securus adisses
Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit:
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ;
Nec Styga vidisses, Tartareumque canem.
Nunc tibi Iuno favet; nunc te tua diligit Hebe:
Nunc te si videat nympha, remittet Hylan.

67. *Ad Fabullum.*

Uxor cum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum iura, Fabulle, trium?
Quod petis a nostro supplex Dominoque Deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

68. *In Æschylum.*

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cuius nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci:
Ante preces totas, primasque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque, rubensque rogavi:
Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit; tibi non erit, Æschyle: si vis,
Accipe et hoc munus conditione mala.

69. *In magistrum ludi.*

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
Invisum pueris virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli;
Murmure iam sævo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus æra resultant,
Causidicum medio cum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
Vincenti parmæ cum sua turba favet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus:
Nam vigilare leve est, pervigilare grave.
Discipulos dimitte tuos: vis, garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere ut taceas?

70. *In Polycharmum.*

Cum futuis, Polycharme, soles in fine cacare:
Cum pædicaris, quid, Polycharme, facis?

71. *In Cæcilianum.*

Dixerat, O mores! o tempora! Tullius olim,
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas;
Cum gener atque socer diris concurreret armis,
Mœstaque civili cæde maderet humus.
Cur nunc, O mores! cur nunc, O tempora! dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

72. *De Leone et Ariete.*

Massyli leo fama iugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum, qua coiere fide.
Ipse licet videas: cavea stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis;
Concordem satiat sed rudis agna famem.
Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles,
Ut niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent pecudesque feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

73. *Ad Liberum.*

Liber, Amyclæa frontem vittate corona,
Qui quatis Ausonia verbera Graia manu,
Clausa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

74. In Sutorem.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum;
Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis et ardentis madidus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas stulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis rhetoribusque mihi?
Frange leves calamos, et scinde, Thalia, libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

75. De effigie Camoni.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, et infantis prima figura manet.
Florentes nulla signavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

76. De balneo Tuccæ.

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit;
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Ut navigare Tucca balneo possit.
Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas:
Sed ligna desunt: subice balneum thermis.

77. De effigie Camoni.

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni;
Hæc pueri facies primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatque suas pingere barba genas;
Et libata semel summos modo purpura cultros
Sparserat: invidit de tribus una soror;
Et festinatis incidit stamina pensis;
Absentemque patri rettulit urna rogum.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis maior imago meis.

78. De convivio Prisci.

Quod optimum sit disputat convivium
Facunda Prisci pagina;
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis, convivium?
In quod choraules non venit.

79. Ad Picentinum.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult, puto, Galla viros.

80. Ad Domitianum.

Oderat ante ducum famulos, turbamque priorem,
Et Palatinum Roma supercilium:
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique suæ cura secunda domus:
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

81. De Gellio.

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque
Uxorem; pascit Gellius, et futuit.

82. Ad Auctum.

Lector et auditor nostros probat, Aucte, libellos;
Sed quidam exactos esse poeta negat.
Non nimium curo; nam cœnæ fercula nostræ
Malim convivis, quam placuisse coquis.

83. In Munnam.

Dixerat astrologus periturum te cito, Munna;
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi:
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bisque tuum decies non toto tabuit anno:
Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito?

84. Ad Cæsarem Domitianum.

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

85. Ad Norbanum.

Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides;
Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste poeta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iuncta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

86. De Paullo.

Languidior noster si quando est Paullus, Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.
Tu languore quidem subito, fictoque laboras;
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

87. In obitum Severi Silii.

Festinata sui gemeret cum fata Severi
Silius, Ausonio non semel ore potens;
Cum grege Pierio mœstus Phœboque querebar,
Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Respexitque suam, quæ stabat proxima fratri,
Calliopen, et ait: Tu quoque vulnus habes.
Aspice Tarpeium, Palatinumque Tonantem:
Ausa nefas Lachesis læsit utrumque Iovem.
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Invidia possis exonerare Deos.

88. Ad Lupercum.

Septem post calices Opimiani,
Denso cum iaceam triente blæsus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum esse iussi
Nastam; (servulus est mihi paternus)
Signa: cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam.

89. Ad Rufum.

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Ut captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cavea fugiat ne male pastus aper.

90. Ad Stellam.

Lege nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella: licet scribere nempe malos.

91. Ad Flaccum.

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc et inde rivis
Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro,
Frontem sutilibus ruber coronis:
Sic uni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella:
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo, precorque, Flacce,
Messes area cum teret crepantes,
Et fulvi iuba sæviet leonis.
At tu, diva Paphi, remitte, nostris
Illæsum iuvenem remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Kalendæ,
Et cum thure, meroque, victimaque,
Libetur tibi candidas ad aras

Secta plurima quadra de placenta.

92. Adulatur Domitiano.

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Iovis;
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem:
Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Iupiter, ecce, tenet.

93. Ad Condylum.

Quæ mala sint domini, quæ servi commoda nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis tegeticula somnos:
Pervigil in pluma Caius, ecce, iacet.
Caius a prima tremebundus luce salutat
Tot dominos; at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, et illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, chiragraque secatur
Caius; et mallet verbera mille pati.
Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quam ter Caius esse tuus?

94. Ad Calocissum.

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, Deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
Nomen, ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

95. De Hippocrate.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga,
Os hominis! mulsum me rogat, Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potet in elleboro.

96. De Athenagora.

Alphicus ante fuit; cœpit nunc Olficus esse,
Uxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum?
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verum, Callistrate, dicere nomen:
Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

97. De Herode.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro:
Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?

98. Ad Iulium.

Rumpitur invidia quidam, carissime Iuli,
Quod me Roma legit; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque
Ius mihi natorum; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe est,
Parvaque in urbe domus; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod sum iucundus amicis,
Quod conviva frequens; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod amamur, quodq; probamur:
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

99. Ad Q. Ovidium.

Vindemiarum non ubique proventus
Cessavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

100. Ad Atticum, de M. Antonio

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert;
Marcus, Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.
Tu, qui longa potes dispendia ferre viarum,
I, liber, absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emtor:
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ stupet unda lacu.

101. In Bassum.

Denariis tribus invitas, et mane togatum
Observare iubes atria, Basse, tua;
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad viduas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque:
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

102. Adulatur Domitiano.

Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro:
Æripedem silvis cervam, Stymphalidas astris,
Abstulit: a Stygia cum cane venit aqua:
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lavit in amne boves.
Hæc minor Alcides: maior quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Iove bella puer:
Solus Iuleas cum iam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit:
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter nive lavit equum:
Sæpe recusatos parcus duxit triumphos,
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit:
Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cœlo sidera, serta Iovi.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodat ora patri.

103. Ad Phœbum.

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere iactes;
Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.

104. De geminis fratribus.

Quæ nova tam similes genuit tibi Leda ministros?
Quæ capta est alio nuda Lacæna cycno?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo:
Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,
Cum vicere duas dona minora Deas,
Mansisses, Helene; Phrygiamque redisset in Idam
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

Liber decimus

1. Liber ad Lectorem.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber, legito pauca; libellus ero.
Terque, quaterque mihi finitur carmine parvo
Pagina: fac tibi me quam cupis esse brevem.

2. Ad eumdem.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc revocavit opus.
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti;
Pars nova maior erit: lector, utrique fave;
Lector, opes nostræ, quem cum mihi Roma dedisset
Nil, tibi quod demus, maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus; et audax

Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec secula prosunt;
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

3. *Ad Priscum.*

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poeta quidam clancularius spargit,
Et vult videri nostra. Credis hoc, Prisce,
Voce ut loquatur psittacus coturnicis,
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam prave,
Constare gratis cum silentium possit?

4. *Ad Mamurram.*

Qui legis Œdipodem, caligantemque Thyesten,
Colchidas, et Scyllas, quid nisi monstra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus et Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusve puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana iuvant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possit dicere vita, Meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Invenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire: legas αἴτια Callimachi.

5. *In maledicum poetam.*

Quisquis, stolæve purpuræve contemtor,
Quos colere debet, læsit impio verso,
Erret per urbem pontis exul et clivi,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, et madens bruma,
Claususque fornix triste frigus extendat.
Vocet beatos, clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda;
Et, cum supremæ fila venerint horæ,
Diesque tardus, sentiat canum litem,
Abigatque moto noxias aves panno;
Nec finiantur morte simplices pœnæ:
Sed modo severi sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter undas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poetarum:
Et, cum fateri Furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, Scripsi.

6. *De adventu Cæsaris Traiani.*

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, et picti tunica Nilotide Mauri,
Ibitis? et populi vox erit una, Venit?

7. *Ad Rhenum, de eodem.*

Nympharum pater amniumque, Rhene,
Quicumque Odrisias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci;
Sic et cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa:
Traianum populis suis, et urbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

8. *De Paulla.*

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo: anus est; vellem, si magis esset anus.

9. *De se.*

Undenis pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen protervo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, (quid invidetis?)
Non sum Andræmone notior caballo.

10. *In Paullum.*

Cum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras;
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, regemque vocabo?
Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas:
Per medium pugnas et prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

11. *In Calliodorum.*

Nil aliud loqueris, quam Thesea, Perithoumque,
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Perithoi.
Donavi tamen, inquis, amico millia quinque,
Et lotam (ut multum) terque quaterque togam.
Quid, quod nil unquam Pyladi donavit Orestes?
Qui donat, quamvis plurima, plura negat.

12. *Ad Domitium.*

Æmiliæ gentes, et Apollineas Vercellas,
Et Phaethontei qui petis arva Padi;
Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
Urbano releves colla perusta iugo.
I, precor, et totos avida cute combibe soles.
Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis!
Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

13. *Ad Tuccam.*

Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo pulvere sudet eques;
Strataque non unas cingant triclinia Baias,
Et Thetis unguento palleat uncta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus;
Ad nocturna iaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet (heu!) lacrymis ianua surda tuis;
Urere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.

14. *Ad Crispum.*

Cedere de nostris nulli te dicis amicis:
Sed, sit ut hoc verum, quid, rogo, Crispe, facis?
Mutua cum peterem sestertia quinque, negasti;
Non caperet nummos cum gravis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisque dedisti,
Cum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando brevis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti venit quando selibra mihi?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

15. *De Apro.*

Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta:
Sed, dum ludit Aper, ludere novit Aper.

16. *In Caium.*

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai,
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis;
Aurea quicquid habet divitis unda Tagi;
Quicquid Erythræa niger invenit Indus in alga,
Quicquid et in nidis unica servat avis;
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno;
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

17. *De Macro, ad Musam.*

Saturnalicio Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet: ipse petit;
Sollemnesque iocos, nec tristia carmina poscit;
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc vacat ille libellis.
Appia, quid facies, si leget ista Macer?

18. *De Mario.*

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum.
Eheu! quam fatuæ sunt tibi, Roma, togæ!

19. *Mittit librum suum ad Plinium (Cæcilium Secundum).*

Nec doctum satis, et parum severum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia,
I, perfer: brevis est labor peractæ
Altum vincere tramitem Suburæ.
Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, avemque regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis
Cælata est aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc, quod sæcula, posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli:
Tunc me vel rigidi legant Catones.

20. *Ad Manium.*

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriæ visere tecta libet;
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia,
Tu facis; in terris, quo non est alter Iberis
Dulcior, et vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Gætula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocumque loco Roma duobus erit.

21. *Ad Sextum.*

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
Iudice te, maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, et sine grammaticis.

22. *In Philænim.*

Cur spleniato sæpe prodeam mento,
Albave pictus sana labra cerussa,
Philæni, quæris? basiare te nolo.

23. *De M. Antonio.*

Iam numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas;
Præteritosque dies, et tutos respicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque:
Nulla fuit, cuius non meminisse velit.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

24. *Ad Kalendas martias.*

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus et puellæ)
Quinquagesima liba, septimamque
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos (si tamen expedit roganti)
Annos addite bis, precor, novenos,
Ut nondum nimia piger senecta,
Sed vitæ tribus areis peractis,
Lucos Elysiæ petam puellæ.
Post hunc Nestora, nec diem rogabo.

25. *De Mucio.*

In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisque tibi durusque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam, cum dicatur, tunica præsente molesta,
Ure manum; plus est dicere, Non facio.

26. *De morte Vari.*

Vare, Parætonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, et centum dux memorande viris;
At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagæi litoris umbra iaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mœstis addere thura rogis.
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

27. *Ad Diodorum.*

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, et rarus non adhibetur eques;
Et tua tricenos largitur sportula nummos:
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

28. *Ad Ianum.*

Annorum, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque vocant,
Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis;
Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

29. *Ad Sextilianum.*

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ;
Et quam donabas dictis a Marte Kalendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Iam constare tibi gratis cœpere puellæ:
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

30. *De Apollinaris littore Formiano.*

O temperatæ dulce Formiæ litus,
Vos, cum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec sic, Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta,
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento;
Nec languet æquor: viva sed quies ponti
Pictam phaselon adiuvante fert aura;

Sicut puellæ non amantis æstas tem-
Mota salubre purpura venit frigus.
Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed a cubili lectuloque iactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de suo mensa.
Piscina rhombum pascit, et lupos vernas;
Natat ad magistrum delicata muræna;
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse iussi prodeunt senes mulli.
Frui sed istis quando Roma permittit?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O ianitores, villicique felices!
Dominis parantur ista: serviunt vobis.

31. *In Calliodorum.*

Addixti servum nummis here mille trecentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, semel:
Nec bene cœnasti: mullus, tibi quatuor emtus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, Non est hic, improbe, non est
Piscis: homo est; hominem, Calliodore, voras.

32. *De imagine M. Antonii, ad Cæditianum.*

Hæc, mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Cæditiane, rogas?
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus: in hoc iuvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

33. *Ad Munatium Gallum.*

Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem;
Sic tibi consoceri claros retinere penates
Perpetua natæ det face casta Venus,
Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos,
Ut facis, a nobis abigas; nec scribere quemquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

34. *Ad Cæsarem Traianum.*

Di tibi dent quicquid, princeps Traiane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint;
Qui sua restituis spoliato iura patrono;
Libertis exul nou erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum servare clientem:
Ut liceat tantum vera probare, potes.

35. *De Sulpicia.*

Omnes Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit;
Sed castos docet et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cuius carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriæ iocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra,
Esses doctior et pudica, Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret,
Frustra; namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella,
Erepto sibi viveret Caleno.

36. *In Munnam.*

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,
A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica sæva vias;
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Hæc, puto, causa tibi est, ne tua vina bibas.

37. *Ad Maternum.*

Iuris, et æquarum cultor sanctissime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo, veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum;
An Laurentino turpes in litore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos,
Ad sua captivum quam saxa remittere mullum,
Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa cœnare pelorida mensa;
Quosque tegit lævi cortice concha brevis?
Ostrea Baianis quam non liventia testis,
Quæ pueri, domino non prohibente, vorent?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes.
Illic, piscoso modo vix educta profundo,
Impediant lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani:
Venator capta mele superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello:
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

38. *Ad Calenum.*

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua iugales
Indulsit Deus et peregit annos!
O nox omnis et hora, quæ notata est
Caris litoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrimque pugnas
Felix lectulus, et lucerna vidit
Nimbis ebria Nicerotianis!
Vixisti tribus, o Calene, lustris.
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos vel unam,
Malles, quam Pyliam quater senectam.

39. *In Lesbiam.*

Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam?
Mentiris: nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoque mentiris: namque, ut tua secula narrant,
Ficta Prometheo diceris esse luto.

40. *Ad Lupum, de Polla.*

Semper cum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo,
Irrupi, Lupe: non erat cinædus.

41. *In Proculeiam.*

Mense novo Iani veterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.
Quid, rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? Dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares;
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Discidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

42. *Ad Dindymum.*

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, et soles, et levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.

Fortius impressi quoties tibi basia quinque,
Barbatus labris, Didyme, sim tuis.

43. Ad Philerotem.

Septima iam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.

44. Ad Q. Ovidium.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem;
Ergo Numæ colles, et Nomentana relinques
Otia? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs: at non et stamina differt
Atropos: atque omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis,
Teque tuas numeres inter amicitias.

45. In delicatum lectorem.

Si quid lene mei dicunt et dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda sonat;
Hoc tu pingue putas; et costam rodere mavis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto:
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

46. In Mathonem.

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

47 Ad Iulium Martialem.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; salubre corpus;
Prudens simplicitas; pares amici;
Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

48. Parat Poeta convivium.

Nuntiat octavam Phariæ sua turba iuvencæ,
Et pilata redit, iamque subitque cohors.
Temperat hæc thermas; nimios prior hora vapores
Halat, et immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis?
Septem sigma capit; sex sumus; adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, et varias, quas habet hortus, opes.
In quibus est lactuca sedens, et sectile porrum;
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos ova lacertos;
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Gustus in his: una ponetur cœnula mensa,
Hædus, inhumani raptus ab ore lupi;
Et, quæ non egeant ferro structoris, ofellæ,
Et faba fabrorum, prototomique rudes.
Pullus ad hæc, cœnisque tribus iam perna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ, bis Frontino consule, plena fuit.
Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, et nil, quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquantur:
Nec facient quenquam pocula nostra reum.

49. In Cottam.

Cum potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano,
Propinas modo conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro?

50. De Scorpo.

Frangat Idumæas tristis Victoria palmas:
Plange, Favor, sæva pectora nuda manu.
Mutet Honor cultus; et iniquis munera flammis
Mitte coronatas, Gloria mœsta, comas.
Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, iuventa
Occidis, et nigros tam cito iungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
Cur fuit et vitæ tam prope meta tuæ?

51. Ad Faustinum.

Sidera iam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, et alternum Castora fugit hiems.
Ridet ager; vestitur humus, vestitur et arbos:
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abstulit! o soles! o tunicata quies!
O nemus, o fontes, solidumque madentis arenæ
Litus, et æquoreis splendidus Anxur aquis!
Et non unius spectator lectulus undæ,
Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli, Pompeianumque, nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora iuncta quater;
Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino,
Quæ tua sunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

52. De Spadone.

Thelin viderat in toga spadonem;
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

53. Epitaphium Scorpi.

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,
Plausus, Roma, tui, deliciæque breves;
Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

54. In Olum.

Mensas, Ole, bonas ponis; sed ponis opertas.
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

55. In Marullam.

Arrectum quoties Marulla penem
Pensavit digitis, diuque mensa est:
Libras, scriptula, sextulasque dicit.
Idem, post opus, et suas palæstras,
Loro cum similis iacet remisso,
Quanto sit levior, Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

56. In Gallum.

Totis, Galle, iubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cascellius ægrum:
Infestos oculis uris, Higine, pilos:
Non secat, et tollit, stillantem Fannius uvam:
Tristia servorum stigmata delet Eros:
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes:
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

57. Ad Sextum.

Argenti libram mittebas: facta selibra est,
Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

58. Ad Frontinum.

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, litoreamque domum,
Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est? iactamur in alto
Urbis, et in sterili vita labore perit;
Dura suburbani dum iugera pascimus agri,

Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
  Limina; nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
  Iuro Deos, et non officiosus amo.

59. *In delicatum lectorem.*

Consumta est uno si lemmate pagina, transis;
  Et breviora tibi, non meliora, placent.
Dives, et ex omni posita est instructa macello
  Cœna tibi; sed te mattea sola iuvant.
Non opus est nobis nimium lectore guloso.
  Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.

60. *De Munna.*

Iura trium petii a Cæsare discipulorum
  Assuetus semper Munna docere duos.

61. *Epitaphium Erotii.*

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
  Crimine quam fati sexta peremit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
  Manibus exiguis annua iusta dato.
Sic, lare perpetuo, sic, turba sospite, solus
  Flebilis in terra sit lapis iste tuo.

62. *Ad magistrum ludi.*

Ludi magister, parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati.
Et delicatæ diligat chorus mensæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Maiore quisquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Iulius coquit messem.
Cirrata loris horridis Scythæ pellis,
Qua vapulavit Marsyas Celenæus,
Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum,
Cessent, et Idus dormiant in Octobres:
Æstate pueri si valent, satis discunt.

63. *Epitaphium nobilis matronæ.*

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
  Mausoli saxis, pyramidumque, legis.
Bis mea Romano spectata est vita Terento,
  Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
  Clauserunt omnes lumina nostra manus.
Contigit et thalami mihi gloria rara; fuitque
  Una pudicitiæ mentula nota meæ.

64. *Ad Pollam.*

Contigeris regina meos si, Polla, libellos,
  Non tetrica nostros excipe fronte iocos.
Ille tuus vates, Heliconis gloria nostri,
  Pieria caneret cum fera bella tuba;
Non tamen erubuit lascivo dicere versu,
  Si nec pædicor, Cotta, quid hic facio?

65. *In Carmenionem.*

Cum te municipem Corinthiorum
Iactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor, ex Iberis
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris;
Hispanis ego contumax capillis.
Lævis dropace tu quotidiano;
Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blæsum tibi, debilisque lingua est;
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

66. *De Theopompo.*

Quis, rogo, tam durus quis tam fuit ille superbus,
  Qui iussit fieri te, Theopompe, coquum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina
  Sustinet? has uncto polluit igne comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla teuebit?
  Qua sapieut melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
  Iupiter utatur iam Ganymede coquo.

67. *Epitaphium vetulæ.*

Pyrrhæ filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laertes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes;
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Calvo Plotia cum Melanthione.

68. *In Læliam.*

Cum tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylena
  Sed domus in vico, Lælia, Patricio;
Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
  Durus Aricina de regione pater;
Ζωη και ψυχη lascivum congeris usque,
  Pro pudor! Hersiliæ civis, et Egeriæ.
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis;
  Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:
  Numquid, cum crissas, blandior esse potes?
Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon,
  Non tamen omnino, Lælia, Lais eris.

69. *De Polla.*

Custodes das, Polla, viro; non accipis ipsa.
  Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

70. *Ad Potitum.*

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
  Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Iustius at quanto mirere, quod exeat unus,
  Labantur toti cum mihi sæpe dies.
Nunc resalutantes video nocturnus amicos,
  Gratulor et multis; nemo, Potite, mihi.
Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam:
  Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, prætorve tenet, reducesque choreæ:
  Auditur toto sæpe poeta die.
Sed nec causidico possis impune negare:
  Nec si te rhetor grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
  Quadrantes: fiet quando, Potite, liber?

71. *De Rabirio.*

Quisquis læta tuis et sera parentibus optas
  Fata, brevem titulum marmoris huius ama.
Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
  Nulli sorte iacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clusit;
  Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis:
  Improbius nihil his fletibus esse potest.

72. *Adulatorium de Cæsare Traiano.*

Frustra, blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus Dominum, Deumque non sum:
Iam non est locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos;
Et turpes, humilesque, supplicesque,
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed iustissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caveto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

73. Ad Marcum.

Littera facundi gratum mihi pignus amici
 Pertulit, Ausoniae dona severa togae,
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti,
 Vellet Maecenas, Caesarianus eques.
Vilior haec nobis, alio mittente, fuisset:
 Non quacumque manu victima caesa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare,
 Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, et nomine gratius ipso,
 Officium docti, iudiciumque viri.

74. Ad Romam.

Iam parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quamdiu salutator
Anteambulones et togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto,
Cum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor auferat saccos?
Non ego meorum praemium libellorum
(Quid enim merentur?) Apulos velim campos:
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus;
Nec quae paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.
Quid concupiscam quaeris ergo? Dormire.

75. De Galla.

Millia viginti quondam me Galla poposcit;
 Et, fateor, magno non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.
 Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem
 Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binae forsan, trinaeve Kalendae;
 Aureolos ultro quatuor ipsa petit.
Non dedimus; centum iussit me mittere nummos:
 Sed visa est nobis haec quoque summa gravis.
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum:
 Hanc voluit: puero diximus esse datam.
Inferius numquid potuit descendere? Fecit.
 Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

76. De Maevio.

Hoc, Fortuna, tibi videtur aequum?
Civis non Syriaeve, Parthiaeve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numaeque verna,
Iucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraque, cuius unum est,
Sed magnum vitium, quod est poeta,
Pullo Maevius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

77. De Caro medico.

Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
 Quam quod febre perit: fecit et illa nefas.
Saeva nocens febris saltem quartana fuisset!
 Servari medico debuit illa suo.

78. Ad Macrum.

Ibis litoreas, Macer, Salonas:
Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferae colone terrae,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras, et exeuntem
Udo, Dalmata, gaudio sequeris.
Nos Celtas Macer, et truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quaecumque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit:
Sic inter veteres legar poetas;
 Nec multos mihi praeferas priores,
 Uno sed tibi sim minor Catullo.

79. De Torquato et Otacilio.

Ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum:
 Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
 Extruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
 Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato, vici fuit ille magister;
 Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
 Sic, puto, Torquatus rumpet Otacilium.

80. De Erote.

Plorat Eros, quoties maculosae pocula myrrhae
 Inspicit aut pueros, nobiliusve citrum;
Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
 Tota miser coemat septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
 Pars maior lacrymas ridet, et intus habet.

81. De Phyllide.

Cum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
 Et nudam cuperet sumere uterque prior,
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam;
 Et dedit: ille pedem sustulit, hic tunicam.

82. Ad Gallum.

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
 Mane, vel a media nocte togatus ero;
Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,
 Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed si non fias quadrante beatior uno,
 Per gemitus nostros, ingenuasque cruces,
Parce, precor, lasso, vanosque remitte labores,
 Qui tibi non prosunt, et mihi, Galle, nocent.

83. Ad Marinum.

Raros colligis hinc et hinc capillos,
Et latum nitidae, Marine, calvae
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt iubente vento,
Redduntur que sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc et inde cingunt.
Inter Spendophorum, Telesphorumque,
Cydan stare putabis Hermerotem.
Vis tu simplicius senem fateri?
Ut tandem videaris unus esse,
Tonsor iam reliquos secet capillos:
Calvo turpius est nihil comato.

84. De Afro, ad Caeditianum.

Miraris, quare dormitum non eat Afer?
 Accumbat cum qua, Caeditiane, vides.

85. De Ladonte, nauta.

Iam senior Ladon, Tiberinae nauta carinae,
 Proxima dilectis rura paravit aquis:
Quae cum saepe vagus premeret torrentibus undis
 Tibris et hiberno rumperet arva lacu;
Emeritam puppim, ripa quae stabat in alta,
 Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas. Quis credere posset?
 Auxilium domino mersa carina tulit.

86. De Lauro.

Nemo novo caluit sic inflammatus amica,
 Flagravit quanto Laurus amore pilae.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit aetas,
 Nunc, postquam desiit ludere, prima pila est.

87. De natali Restituti.

Octobres, age, sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus et favete votis:
Natales colimus: tacete lites.

Absit cereus aridi clientis;
Et vani triplices, brevesque mappæ,
Expectent gelidi iocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas.
Pugnorum reus, ebriæque noctis,
Cœnatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros sardonychas, sed ipsa, tradat.
Mirator veterum senex avorum
Donet Phidiaci toreuma cœli.
Venator leporem, colonus hædum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque, quid poetam
Missurum tibi, Restitute, credis?

88. *Ad Cottam.*

Omnes persequeris prætorum, Cotta, libellos
Accipis et ceras: officiosus homo es.

89. *De Statua Iunonis.*

Iuno, labor, Polyclete, tuus, et gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,
Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
Iudice convictas non dubitante Deas.
Iunonem, Polyclete, suam nisi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

90. *In Ligellam.*

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu iam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, belle
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare, si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

91. *De Almone.*

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse;
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil!

92. *Ad Marium.*

Mari, quietæ cultor et comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Silvani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hædi;
Dominamque sancti virginem Deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem, mearum principem Kalendarum;
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod, Priapo persequente, confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis;
Ubicumque noster Martialis est, dices,
Hac, ecce, mecum dextera litat vobis
Absens sacerdos; vos putate præsentem,
Et date duobus, quicquid alter optarit.

93. *Ad Clementem.*

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva iugis;
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo culta toga.
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo,
Sic nova, nec mento sordida, charta iuvat.

94. *Munusculum pomorum.*

Non mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager:
Sed Nomentana securus germinat hortos
Arbore; nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ sunt mihi nata Suburra,
Mittimus auctumni cerea poma mei.

95. *Ad Gallam.*

Infantem tibi vir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi, puto, non dubie se futuisse negant.

96. *Ad Avitum.*

Sæpe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
Miraris, Latia factus in urbe senex;
Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, et tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit, ager: tepet igne maligno
Hic focus; ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus;
Mensa ibi divitiis ruris operta sui.
Quatuor hic æstate togæ, pluresve teruntur;
Auctumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges; quicquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit, Avite, locus.

97. *De Numa.*

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrham et casiam flebilis uxor emit;
Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato,
Hæredem scripsit me Numa: convaluit.

98. *In Publium.*

Addat cum mihi Cæcubum minister
Idæo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit;
Vis spectem potius tuas lacernas,
Et citrum vetus, Indicosque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege, sordidaque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.
Perdet te pudor hic: habere, Publi,
Mores non potes hos, et hos ministros.

99. *De figura Socratis.*

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent,
Iulius in Satyris qualia Rufus habet.

100. *In commiscentem versus operi suo.*

Quid, stulte, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi, miser, libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

101. *De Capitolino.*

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbamque iocantes
Audierit, dicet, Rustice Galba, tace.

102. *De Phileno.*

Qua factus ratione sit, requiris,
Qui numquam futuit, pater Philenus?
Gaditanus, Avite, dicat istud,
Qui scribit nihil, et tamen poeta est.

103. *Ad Municipes suos Bilbilitanos.*

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis;
Ecquid læta iuvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus et nomen, famaque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo:
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus æstas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis.

Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutavere meos Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

104. *Ad Librum.*

I nostro comes, I, libelle Flacco
Longum per mare, sed faventis undæ;
Et cursu facili, tuisque ventis,
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet; et citatus
Altam Bilbilin, et tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.
Quid maudem tibi, quæris? ut sodales,
Paucos, sed veteres, et ante brumas
Triginta mibi quatuorque visos,
Ipsa protinus a via salutes;
Et nostrum admonens subinde Flaccum,
Iucundos mibi, nec laboriosos,
Secessus pretio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Hæc sunt. Iam tumidus vocat magister,
Castigatque moras; et aura portum
Laxavit melior. Vale, libelle:
Navem, scis, puto, non morator unus.

Liber undecimus

1. *Ad Librum.*

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre? Certe
Vadas, et redeas inevolutus.
Libros non legit ille, sed libellos:
Nec Musis vacat, aut suis vacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illic duo, tresve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cum sponsio, fabulæque lassæ
De Scorpo fuerint, et Incitato.

2. *Ad lectores.*

Triste supercilium, durique severa Catonis
Frons, et aratoris filia Fabricii,
Et personati fastus, et regula morum,
Quicquid et in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, Io Saturnalia, versus:
Et licet; et sub te præside, Nerva, libet.
Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

3. *De suis libellis.*

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus.
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria prælia flare tuba,
Cum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem si mihi Roma daret!

4. *Precatur Deos pro Nerva Traiano.*

Sacra, Laresq; Phrygum, quos Troiæ maluit hæres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes;
Scriptus et æterno nunc primum Iupiter auro,
Et soror, et summi filia tota patris;
Et qui purpureis iam tertia nomina fastis,
Iane, refers Nervæ; vos precor ore pio:
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

5. *In laudem Nervæ Traiani.*

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et, cum tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sulla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit:
Et te, privato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas et tibi Crassus opes.
Ipse quoque, infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

6. *Ad Romam.*

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quicquid venerit obvium, loqua[illegible]ur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios, puer, trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce, Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrent mihi quindecim poetæ.
Da nunc basia, sed Catulliana:
Qui si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

7. *Ad Paullam.*

Iam certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles,
Cæsar in Albanum iussit me mane venire,
Cæsar Circeios: iam stropha talis abit.
Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva:
Sed prohibet scabies, ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ:
Ibit et ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet et hystericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu melius! quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro.

8. *De basiis sui pueri.*

Lassa quod externi spirant opobalsama drauci,
Ultima quod curvo quæ cadit aura croco,
Poma quod hiberna maturescentia capsa,
Arbore quod verna luxuriosus ager,
De Pallatinis dominæ quod serica prælis,
Succina virginea quod regelata manu,
Amphora quod nigri, sed longe fracta, Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,
Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum,
Quod modo divitibus lapsa corona comis:
Singula quid dicam? non sunt satis; omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia mane mei.
Scire cupis nomen? Nil præter basia dicam:
Iurasti; nimium scire, Sabine, cupis.

9. *De statua Memoris.*

Clarus fronde Iovis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

10. *De Turno.*

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? Frater erat.

11. *Ad puerum suum.*

Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili;
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, et tonso pura ministro:
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma qui Mentora frangis
In scaphum mœchæ, Sardanapale, tuæ.

12. *In Zoilum.*

Ius tibi natorum vel septem, Zoile, detur,
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

13. *Epitaphium Paridis, pantomimi.*

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars et gratia, lusus et voluptas,
Romani decus et dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

14. *De Colono.*

Hæredes, nolito brevem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

15. *De libro suo.*

Sunt chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ:
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis;
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas;
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalicios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

16. *Ad Lectores.*

Qui gravis es nimium, potes hinc iam, lector, abire
Quo libet: urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis gravior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum;
Sed coram Bruto. Brute, recede: leget.

17. *Ad Sabinum.*

Non omnis nostri nocturna est pagina libri:
Invenies et quod mane, Sabine, legas.

18. *In Lupum.*

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium rosæ corona est;
In quo non magis invenitur herba,
Quam costi folium, piperve crudum;
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus unam;
Consumto moritur culex salicto;
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Rudere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, et colono
Tanquam sus Calydonius timetur;
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino;
Et cum stet sine falce, mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis;
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, litera sed una:
Nam, quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

19. *In Gallam.*

Quæris cur nolim te ducere, Galla? Diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

20. *Ad lectorem gravem.*

Cæsaris Augusti lascivos, livide, versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis.
Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam? Quid si me Manius oret,
Pædicem? faciam? Non, puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. Quid, quod mihi vita
Carior est ipsa mentula? signa canant.
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui.

21. *In Lydiam.*

Lydia tam laxa est, equitis quam culus aeni;
Quam celer arguto qui sonat ære trochus;
Quam rota transmisso toties intacta petauro;
Quam vetus a crassa calceus udus aqua;
Quam quæ rara vagos expectant retia turdos;
Quam Pompeiano vela negata Noto;
Quam quæ de phthisico lapsa est armilla cinædo;
Culcita Leuconico quam viduata suo;
Quam veteres brachæ Britonis pauperis, et quam
Turpe Ravennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio: piscinam me futuisse puto.

22. *In Pædiconem masturbantem.*

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede iaces,
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
Parce fututrici sollicitare manu.
Lævibus in pueris plus hæc, quam mentula, peccat;
Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba; nec in clara balnea luce placent.
Divisit natura mares: pars una puellis,
Una viris genita est: utere parte tua.

23. *In Silam.*

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est:
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Cum tamen instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis prima te nocte maritus;
Communis tecum nec mihi lectus erit:
Complectarque meam, nec tu prohibebis, amicam;
Ancillam mittes et mihi iussa tuam.
Te spectante, dabit nobis lasciva minister
Basia, sive meus, sive erit ille tuus.
Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis; sed non dabis ultro;
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas,
Invenies, qui te ducere, Sila, velit.

24. *Ad Labullum.*

Dum te prosequor, et domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,

Et, quicquid loqueris, facisque, laudo,
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si, quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat causidicus, poeta carpit,
Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope iam diebus una est
Nobis pagina vix peracta: sic fit,
Cum cœnare domi poeta non vult.

25. *In Linum.*

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis,
Stare Lino desit mentula: lingua, cave.

26. *Ad Telesphorum puerum.*

O mihi grata quies, o blanda, Telesphore, cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo!
Basia da nobis vetulo, puer, uda Falerno,
Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si gaudia vera,
Esse negem melius cum Ganymede Iovi.

27. *Ad Flaccum.*

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
Cum te sex cyathos orat amica gari;
Vel duo frusta roget cybii, tenuemve lacertum,
Nec dignam toto se botryone putat;
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa voret:
Aut, cum perfricuit frontem, posuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque petit.
At mea me libram foliati poscat amica,
Aut virides gemmas, sardonychasve pares:
Nec nisi prima velit de Tusco serica vico;
Aut centum aureolos, sic velut æra, roget.
Nunc tu velle putas hæc me dare dona puellæ?
Nolo: sed, his ut sit digna puella, volo.

28. *De nephritico, sed phrenetico.*

Invasit medicum sica nephriticus, Aucte,
Et præcidit Hylan. Hic, puto, sanus erat.

29. *Ad Phyllidem.*

Languida cum vetula tractare virilia dextra
Cœpisti, iugulor pollice, Phylli, tuo:
Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis,
Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis: Dabo, dic, tibi millia centum;
Et dabo Setini iugera culta soli:
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas.
Nil opus est digitis: sic mihi, Phylli, frica.

30. *In Zoilum.*

Os male causidicis et dicis olere poetis:
Sed fellatori, Zoile, peius olet.

31. *In Cæcilium.*

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat, secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso;
Has prima feret, alterave cœna;
Has cœna tibi tertia reponat.
Hinc seras epidipnidas parabit;
Hinc pistor fatuas facit placentas;
Hinc et multiplices struit tabellas,
Et notas caryotidas theatris:
Hinc exit varium coquo minutal,
Ut lentem positam fabamque credas:
Boletos imitatur, et botellos,
Et caudam cybii, brevesque mænas:
Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium Capellianæ.
Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum putat, hoc putat venustum,
Unum ponere ferculis tot assem.

32. *In Nestorem.*

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges;
Nec puer, aut senior; nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper; et in populo quæris habere locum.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

33. *De Prasino.*

Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Pervenit, at victor præmia plura refert.
I nunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni:
Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

34. *De Apro.*

Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas; adeo nigra, vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
Cœnabit belle, non habitabit, Aper.

35. *Ad Fabullum.*

Ignotos mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus a te,
Miraris, quereris que, litigasque.
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

36. *De Caio Proculo.*

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat, io votis redditus, ecce, meis.
Desperasse iuvat, veluti iam rupta sororum
Fila: minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne, quid expectas piger? immortale Falernum
Funde: senem poscunt talia vota cadum.
Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus,
Caius ut fiat, Iulius, et Proculus.

37. *In Zoilum.*

Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
Te iuvat, et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

38. *De Mulione surdo.*

Mulio viginti venit modo millibus, Aule.
Miraris pretium tam grave? Surdus erat.

39. *In Charidemum.*

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri custos, assiduusque comes.
Iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi: te noster villicus horret:
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi vis, et vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, quereris, suspiria ducis;
Et vix a ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumsi cultus, unxive capillos,
Esclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros adstricta fronte trientes,
Tanquam de cella sit cadus ille tua.
Desine: non possum libertum ferre Catonem.
Esse virum iam me dicet amica tibi.

40. *De Luperco.*

Formosam Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus;
Quam toto sibi mense non fututam
Cum tristis quereretur, et roganti

Causam reddere vellet Æliano,
Respondit, Glyceræ dolere dentes.

41. *De Amynta.*

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaque gregis;
Cedentes oneri ramos, silvamque fluentem
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ,
Damnavitque rogis noxia ligna, pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Iolas:
Te satis est nobis annumerare pecus.

42. *In Cæcilianum.*

Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata: qui fieri, Cæciliane, potest?
Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia, nasci;
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

43. *In Uxorem.*

Deprensum in puero tetricis me vocibus, uxor,
Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Iuno Tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu:
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiva; sed illas
Œbalius flammas iussit abire puer.
Briseis multum quamvis aversa iaceret,
Æacidæ propior levis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus;
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

44. *Ad senem orbum.*

Orbus es, et locuples, at Bruto consule natus:
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ, sed quas iuvenis, quas pauper habebas.
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

45. *In Cantharum.*

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi:
Contentus non es foribus, veloque, seraque;
Secretumque iubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ,
Punctaque, lasciva quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitique pudoris,
Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

46. *In Mævium.*

Iam, nisi per somnum, non arrigis; et tibi, Mævi,
Incipit in medios meiere verpa pedes;
Truditur et digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat extinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culosque lacessis?
Summa petas: illic mentula vivit anus.

47. *In Blattaram.*

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blattara? Ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra,
Nec petit Inachidos limina? Ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelida Virgine? Ne futuat.
Cum sic feminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum Blattara? Ne futuat.

48. *In Silium Italicum.*

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem dominumque sui tumulive larisve
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

49 *De Silio.*

Iam prope desertos cineres et sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper et unus erat.
[Silius optatæ succurrere censuit umbræ]
Silius et vatem, non minor ipse, tulit.

50. *In Phyllida.*

Nulla est hora tibi, qua non me, Phylli, furentem
Despolies; tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto;
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt:
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc, ut emam grandemve lupum, mullumve bilibrem,
Indixit cœnam dives amica tibi.
Sit pudor, et tandem veri respectus, et æqui.
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi Phylli, nega.

51. *De Titio.*

Tanta est, quæ Titio columna pendet,
Quantam Lampsacicæ colunt puellæ.
Hic, nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus et suis lavatur:
Anguste Titius tamen lavatur.

52. *Ad Iulium Cerealem.*

Cœnabis belle, Iuli Cerealis, apud me:
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare: lavabimur una:
Scis, quam sint Stephani balnea iuncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, et porris fila resecta suis.
Mox vetus, et tenui maior cordylla lacerto;
Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favilla;
Et Velabrensi massa recocta foco;
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ:
Hæc satis in gustu. Cætera nosse cupis?
Mentiar, ut venias: pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis, aves:
Quæ nec Stella solet, rara nisi ponere cœna.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

53. *De Claudia Rufina.*

Claudia cœruleis cum sit Rufina Britannis
Edita, quam Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito,
Quod sperat generos, quodque puella nurus.
Sic placeat superis, ut coniuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

54. *In Zoilum.*

Unguenta et casias, et olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe, de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervæ.
Non miror furem, qui fugitivus erat.

55. *De Lupo, ad Urbicum.*

Hortatur fieri quod te Lupus, Urbice, patrem,
Ne credas: nihil est, quod minus ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri:
Ne facias optat, quod rogat ut facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum:
Pallidior fiet iam pariente Lupus.
At tu consilio videaris ut usus amici,
Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

56. *In Chæremonem.*

Quod nimium laudas, Chæremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer suspiciamque tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis, nullo qui tepet igne focus.
Et teges, et cimex, et nudi sponda grabati,

Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.
O quanı magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, et nigro pane, carere potes!
Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura texta toros;
Dormiat et tecum, qui, cum modo Cæcuba miscet,
Convivas roseo torserat ore, puer:
O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

57. *Ad Severum.*

Miraris, docto quod carmina mitto Severo,
Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem?
Iupiter ambrosia satur est, et nectare vivit:
Nos tamen exta Iovi cruda, merumque damus.
Omnia cum tibi sint dono concessa Deorum,
Si, quod habes, non vis, ergo quid accipies?

58. *In Telesphorum.*

Cum me velle vides, tentumque, Telesphore, sentis,
Magna rogas: puta me velle negare; nihil.
Et nisi iuratus dixi, Dabo, subtrahis illas.
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc Libertatem, divitiasque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor;
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Frangam tonsori crura manusque simul.
At tibi nil faciam: sed lota mentula læva
Λειχάζειν cupidæ dicet avaritiæ.

59. *De Charino.*

Senos Charinus omnibus digiti gerit,
Nec nocte ponit, annulos;
Nec cum lavatur. Causa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

60. *De Chione et Phlogide.*

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta, requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
Ulcus habet, quod habere suam vult quisq; puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygea potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adiuvat: absentem, marmoreamve putes.
Exorare, Dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare;
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Ut Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus habet.

61. *De Manneio.*

Lingua maritus, mœchus ore Manneius,
Summœnianis inquinatior buccis;
Quem cum fenestra vidit a Suburana
Obscœna nudum lena, fornicem claudit,
Mediumque mavult basiare, quam summum;
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre;
(Gaudete cunni; vestra namque res acta est)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus hæret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus:
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

62. *De Lesbia.*

Lesbia se iurat gratis nunquam esse fututam.
Verum est: cum futui vult, numerare solet.

63. *In Philomusum.*

Spectas nos, Philomuse, cum lavamur;
Et quare mihi tam mutoniati
Sint leves pueri, subinde quæris.
Dicam simpliciter tibi roganti:
Pædicant, Philomuse, curiosos.

64. *In Faustum.*

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:
Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

65. *In Iustinum.*

Sexcenti cœnant a te, Iustine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit;
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam;
Nec locus hic nobis invidiosus erat.
Postera sed festæ reddes sollennia mensæ:
Sexcentis hodie, cras mihi, natus eris.

66. *In Vacerram.*

Et delator es, et calumniator:
Et fraudator es, et negotiator:
Et fellator es, et lanista: miror
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

67. *In Maronem.*

Nil mihi das vivus: dicis, post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

68. *Ad Mathonem.*

Parva rogas magnos: sed non dant hæc quoq; magni.
Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

69. *Epitaphium Canis Lydiæ.*

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, silvis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar, domino fidissima Dextro,
Qui non Erigones mallet habere canem;
Nec qui, Dictæa Cephalum de gente secutus,
Luciferæ pariter venit ad astra Deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente peremta,
Quantus erat, Calydon, aut Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

70. *In Tuccam.*

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emtos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
Nec te blanditiæ, nec verba, rudesque querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla movent?
Ah facinus! tunica patet inguen utrimque levata;
Inspiciturque tua mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes servos, agros et vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende, miser.
Luxuria est emere hos, (quis enī dubitatve, negatve?)
Sed multo maior vendere luxuria est.

71. *De Leda.*

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi:
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem;
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos;
Et fieri, quod iam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæque recedunt;
Tolluntur que pedes: o medicina gravis!

72. *De Nata.*

Drauci Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

73. *In Lygdum.*

Venturum iuras semper mihi, Lygde, roganti;
Constituisque horam, constituisque locum.
Cum frustra iacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid precer, o fallax, meritis et moribus istis?

Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ.

74. *De Baccara.*

Curandum penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico: Baccara Gallus erit.

75. *In Cæliam.*

Theca tectus aenea lavatur
Tecum, Cælia, servus: ut quid, oro,
Non sit cum citharœdus, aut choraules?
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Cælia, fibulam remitte.

76. *Ad Pætum.*

Solvere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis,
Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu, qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

77. *In Vacerram.*

In omnibus Vacerra quod conclavibus
Consumit horas, et die tota sedet,
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

78. *Ad Victorem sponsum.*

Utere fœmineis complexibus, utere, Victor;
Ignotumque sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ; iam virgo paratur;
Tondebit pueros iam nova nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Sæpius hoc fieri nutrix, materque vetabunt;
Et dicent, Uxor, non puer, ista tibi est.
Heu! quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

79. *Ad Pætum.*

Ad primum decima lapidem quod venimus hora,
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista, viæ non est, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

80. *De Baiis.*

Litus beatæ Veneris aureum, Baias,
Baias superbæ blanda dona Naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baias.
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
Optare utrumque pariter, improbum votum est.
Quod si Deorum munere hoc tibi detur,
Quid gaudiorum est Martialis et Baiæ!

81. *De spadone, et sene.*

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglen;
Et iacet in medio sicca puella toro:
Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc iuvenem facias, hunc, Cytherea, virum.

82. *De Philostrato.*

A Sinuessanis conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte iubente larem,
Pæne imitatus obit sævis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas.

83. *Ad Sosibianum.*

Nemo habitat gratis, nisi dives et orbus, apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

84. *De Antiocho tonsore.*

Quì nondum Stygias descendere quærit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, et Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat;
Carnificem nudo pectore poscet avem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus;
Antiochi tantum barbara tela sonent.
Hæc quæcumque meo numeratis stigmata mento,
In vetuli pyctæ qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor:
Antiochi ferrum est, et scelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

85. *In Zoilum.*

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis: certe, Zoile, nunc futues.

86. *In Parthenopæum.*

Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
Mella dari, nucleosque iubet, dulcesque placentas,
Et quicquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

87. *Ad Charidemum.*

Dives eras quondam; sed tunc pædico fuisti;
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus: o quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

88. *De Charisiano.*

Multis iam, Lupe, posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.
Causam cum modo quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

89. *Ad Pollam.*

Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

90. *In Chrestillum.*

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.
Et tibi Mæonio res carmine maior habetur,
Lucilei columella heic situ' Metrophan' est.
Attonitusque legis, *terrai frugiferai;*
Accius et quicquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poetas?
Dispeream, si scis, mentula quid sapiat.

91. *Epitaphium Canaces.*

Æolidos Canace iacet hoc tumulata sepolcro,
Ultima cui parvæ septima venit hiems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere, viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, et tenero sedit in ore lues:
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi;
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne posset duras flectere lingua Deas.

92. *In Zoilum.*

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

93. *De Theodoro.*

Pierios vatis Theodori flamma penates
Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus! o magnum facinus, crimenque Deorum,
Non arsit pariter quod domus, et dominus!

94. *In verpum æmulum.*

Quod nimium lives, nostris et ubique libellis
Detrahis, iguosco: verpe poeta, sapis.
Hoc quoque non curo, quod, cum mea carmina carpas,
Compilas; et sic, verpe poeta, sapis.
Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis,
Pædicas puerum, verpe poeta, meum.
Ecce negas, iurasque mihi per templa Tonantis.
Non credo: iura, verpe, per Anchialum.

95. *Ad Flaccum.*

Incideris quoties in basia fellaturum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

96. *Ad Germanum.*

Martia, non Rhenus, salit hic, Germane: quid obstas,
Et puerum prohibes divitis imbre lacus?
Barbare, non debet, submoto cive, ministro
Captivam victrix unda levare sitim.

97. *In Thelesillam.*

Una nocte quater possum: sed quatuor annis
Si possum, peream, te Thelesilla, semel.

98. *Ad Bassum.*

Effugere non est, Basse, basiatores.
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, et illinc usquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, et algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis asseret caput tectum.
Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vindicabit sella sæpius clusa.
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Sævique fasces, nec superba clamosi
Licturis abiget virga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli iura gentibus reddas;
Ascendet illa basiator, atque illa:
Febricitantem basiabit, et flentem;
Dabit oscitanti basium, natantique;
Dabit et cacanti. Remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

99. *In Lesbiam.*

De cathedra quoties surgis, iam sæpe notavi,
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cum conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis, et gemitu.
Sic constringuntur gemina Symplegade culi,
Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo:
Lesbia, nec surgas, censeo, nec sedeas.

100. *Ad Flaccum.*

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cuius lacertos annuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, et genu pungat;
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

101. *Ad Flaccum.*

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu, puto, quod non est, Flacce videre potes.

102. *In Lydiam.*

Non est mentitus, qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, et si tam muta recumbas,
Quam silet in cera vultus, et in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque, Lydia, perdis;
Et sua plus nulli, quam tibi, lingua nocet.
Audiat ædilis ne te, videatque caveto;
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

103. *Ad Sophronium.*

Tanta tibi est animi probitas orisque, Sophroni,
Ut mirer fieri te potuisse patrem.

104. *In Uxorem.*

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris:
Non ego sum Curius, non Numa, non Tatius.
Me iucunda iuvant tractæ per pocula noctes:
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,
Et iuvat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæque, obscuraque pallia celant:
At mihi nulla satis nuda puella iacet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das, aviæ qualia mane soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce iuvare,
Nec digitis: tanquam thura, merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et, quamvis Ithaco stertente, pudica solebat
Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho,
Iulia Pompeio, Porcia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Iovi.
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
Sis licet usque die: Laida nocte volo.

105. *Ad Garricum.*

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

106. *Ad Albium Maximum.*

Albi Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege: namque et occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor? Sapisti.

107. *Ad Septicianum.*

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers:
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo: verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

108. *Ad Lectorem.*

Quamvis tam longo possis satur esse libello,
Lector, adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector, solve. Taces, dissimulasque? Vale.

Liber duodecimus

M. Val. Martialis Prisco suo Salutem.

Scio me patrocinium debere contumacissimæ triennii desidiæ; quæ absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur; nedum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam intemperanter studemus, et sine solatio, et sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem; in qua hoc maximum et primum est, quod civitatis aures, quibus assueveram, quæro, et videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor. Illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus studere se voluptatibus non sentiunt: ad summam omnium, ea, quæ delicati reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, et iudicii loco livor, et unus aut alter mali, in pusillo loco multi, adversus quos difficile est habere quoti-

die bonum stomachum. Ne mireris igitur abiecta ab indignante, quæ a gestiente fieri solebant. Nequid tamen et advenienti tibi ab urbe, et exigenti negarem, (cui non refero gratiam, si tantum ea præsto, quæ possim) imperavi mihi, quod indulgere consueveram; et studui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria sua. Tu velim ista, quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æstimare et excutere non graveris; et, quod tibi difficillimum est, de nugis nostris iudices nitore seposito, ne Romam, si ita decreveris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.

1. *Ad eumdem.*

Retia dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non invento silva quiescit apro,
Otia Prisce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

2. *Ad sua carmina.*

Quæ modo littoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite Sacra; iam non pulverulenta via est.

3. *Ad librum suum.*

Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis, io, Romam nunc, peregrine liber,
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis,
Dat patrios manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec iam potes advena dici,
Cuius habet fratres tot domus alta Remi.
Iure tuo veneranda novi pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Suburra:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates,
Clarus Hyanteæ Stella sititor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum:
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? Versus duo tresve legantur;
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

4. *Ad Priscum.*

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Mæcenas, atavis regibus ortus eques,
Gentibus et populis, hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur;
Tu das ingenuæ ius mihi pigritiæ

5. *Ad Cæsarem.*

Longior undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, et breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus otia tota dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan et illa leges.

6. *In commendationem Nervæ.*

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta Fides, hilaris Clementia, cauta Potestas
Iam redeunt: longi terga dedere Metus.
Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur,
Dux tibi sit semper talis, et iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
Et dare, quæ faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, et fas est: sed tu, sub principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

7. *De Ligeia.*

Toto vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligeia, trima est.

8. *In commendationem Traiani.*

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil et nihil secundum,
Traiani modo læta cum futuros
Tot per sæcula computaret annos,
Et fortem, iuvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret;
Dixit præside gloriosa tali:
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem; venite.

9. *Ad Cæsarem.*

Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

10. *De Africano.*

Habet Africanus millies; tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

11. *Mittit librum ad Parthenium.*

Parthenio dic, Musa, tuo nostroque salutem:
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte (sed hoc vix est sperare) vacabit,
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga;
Quatuor et tantum timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: Hunc tua Roma legit.

12. *In Posthumum.*

Omnia promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas Posthume, mane bibe.

13. *Ad Auctum.*

Genus, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse, quam donare, vilius constat.

14. *Ad Priscum.*

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,
Prisce; nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator et acri
Decidit excussus: nec rediturus, equo.
Insidias et campus habet: nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt, qui tanta tibi spectacula præstent,
Invidia fati sed leviore cadant.
Si te delectant animosa pericula, Tuscis
(Tutior est virtus) insidiemur apris.
Quid te frena iuvant temeraria? Sæpius illis, (rem.
Prisce, datum est equitem rumpere, quam lepo-

15. *Adulatorium.*

Quicquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, et stupet superbi
Regis delicias, gravesque luxus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Iove nunc sumus beati:
At nuper (pudet, ah pudet fateri)
Omnes cum Iove pauperes eramus.

16. *In Labienum.*

Addixti, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos:
Pædicas, Labiene, tres agellos.

17. *In Lentinum.*

Quare tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, et usque gemis.
Gestatur tecum pariter, pariterque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, et sæpe Falerno:
Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, et nigra recumbit amomo;
Dormit et in pluma, purpureoque toro.

Cum sit eu pulchre, cum tam bene vivat apud te,
Ad Damam potius vis tua febris eat?

18. *Ad Iuvenalem.*

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuvenalis, in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Cœlius, et minor fatigant;
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis et superba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci
Boterdum, Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quicquid
Ter denos vigilaveram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
Rupta proxima vestis e cathedra.
Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur; sed ille, quem tu
Secreta cupias habere silva.
Dispensat pueris, rogatque longos
Levis ponere villicus capillos.
Sic me vivere, sic iuvat perire.

19. *De Æmilio.*

In thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

20. *Ad Fabullum.*

Quare non habeat, Fabulle, quæris
Uxorem Themison? Habet sororem.

21. *Ad Marcellam.*

Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis; Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam:
Nulla nec in medis certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
Romanam deceat quam magis esse nurum.
Tu desiderium dominæ mihi mitius nrbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

22. *De Philænide.*

Quam sit lusca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

23. *In Læliam.*

ntibus atque comis, nec te pudet, nteris emtis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

24. *Ad Iuvencum, de covino curru.*

O iucunda, covine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus Æliani!
Hic mecum licet, hic, Iuvence, quicquid
In buccam tibi venerit, loquaris.
Non rector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Avitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quam bene sic dies abiret!

25. *In Thelesinum.*

Cum rogo te nummos sine pignore, Non habeo, inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
Exilii comitem quæris? agellus eat.

26. *In avarum amicum.*

Sexaginta teras cum limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quod non a prima discurram luce per urbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? Rupta cum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamatus verna lacernis;
Accedit gelidam servus ad auriculam,
Et, Rogat ut cœnes secum Lætorius, inquit.
Viginti nummis non ego malo famem?
Quod sit cœna mihi, tibi sit provincia merces,
Et facimus idem, nec mereamur idem?

27. *In Seniam.*

A latronibus esse te fututam
Dicis, Seuia: sed negant latrones.

28. *In Cinnam.*

Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces:
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem.

29. *De Hermogene fure.*

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur est,
Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
Tu licet observes dextram, teneasque sinistram,
Inveniet, mappam qua ratione trahat.
Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras alte sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio læso:
Subduxit mappas quatnor Hermogenes.
Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surpuit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile e mensa surpuit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit, medios discingere lectos,
Mensarumque pedes, non timet Hermogenes.
Quamvis non modico caleant spectacula Sole,
Vela reducuntur cum venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam:
A cœna semper rettulit Hermogenes.

30. *Ad Aprum.*

Siccum, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

31. *De hortis Marcellæ uxoris.*

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ,
Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto,
Quodque viret Iani mense, nec alget olus,
Quæque natat clusis anguilla domestica lymphis,
Quæque gerit similes candida turris aves,
Munera sunt dominæ post septima lustra reverso;
Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicae patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, Malo meos.

32. *In Vacerram.*

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas; vidi,
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti.

Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore et fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, et bipes mensa,
Et, cum lucerna, corneoque cratere,
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferenti suberat amphoræ cervix:
Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tholosatis,
Quadrima nigri nec corona pulei,
Calvæque restes allioque, cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.
Quid quæris ædes, villicosque derides,
Habitare gratis, o Vacerra, cum possis?
Hæc sarcinarum pompa convenit ponti.

33. *De Labieno.*

Ut pueros emeret, Labienus vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

34. *Ad Iulium Martialem.*

Triginta mihi, quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Iuli;
Quarum dulcia mixta sunt amaris:
Sed iucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc et illuc
Diversus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, et minus dolebis.

35. *Ad Callistratum.*

Tanquam simpliciter mecum, Callistrate, vivas,
Dicere percisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex, quam vis, Callistrate, credi:
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

36. *In Labullum.*

Libras quatuor aut duas amico,
Algentemque togam, brevemque lænam,
Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas Kalendas,
Quod nemo nisi tu, Labulle, donas,
Non es, crede mihi, bonus. Quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum,
Vis cursu, pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos.

37. *In nasutum.*

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo; nolo polyposum.

38. *Ad Candidum.*

Hunc, qui fœmineis noctesque diesque cathedris
Incedit, tota notus in urbe nimis,
Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber,
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret,
Non est quod timeas, Candide: non futuit.

39. *In Sabellum.*

Odi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus et Sabellus.
Bellum denique malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle!

40. *In Pontilianum.*

Mentiris? credo: recitas mala carmina? laudo.
Cantas? canto: bibis, Pontiliane? bibo.
Pedis? dissimulo: gemma vis ludere? vincor.
Res una est, sine me quam facis, et taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. Mortuus, inquis,
Accipiam bene te. Nil volo: sed morere.

41. *In Tuccam.*

Non est, Tucca, satis, quod es gulosus:
Et dici cupis, et cupis videri.

42. *De Callistrato et Afro.*

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro
Hac, qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces; velarunt flammea vultus;
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.
Dos etiam dicta est. Nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? Expectas numquid ut et pariat?

43. *In Sabellum.*

Facundos mihi, de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus,
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novæ figuræ,
Quales perditus audeat fututor;
Præstent, et taceant quid exoleti;
Quo symplegmate quinque copulentur:
Qua plures teneantur a catena;
Extinctam liceat quid ad lucernam.
Tanti non erat esse te disertum.

44. *Ad M. Unicum.*

Unice, cognato iunctum mihi sanguine nomen,
Quique geris studiis corda propinqua meis;
Carmina cum facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
Te, post Nasonem, blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuvaret;
Sed tu litus amas; hoc quoque fratris habes.

45. *Ad Phœbum.*

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

46. *Ad Classicum.*

Vendunt carmina Gallus, et Lupercus.
Sanos, Classice, nunc nega poetas.

47. *In habentem varios mores.*

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

48. *In lautum invitatorem.*

Boletos et aprumsi, tanquam vilia, ponis,
Et non esse putas hæc mea vota, volo.
Si fortunatum fieri me credis et hæres
Vis scribi, propter quinque Lucrina, vale.
Lauta tamen cœna est; fateor lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,
Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.
Mullorum, leporumque, et suminis exitus hic est,
Sulfureusque color, carnificesque pedes.
Non Albana mihi sit comissatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificumque dapes.
Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Convivas alios cœnarum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas invitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

49. *Ad Linum pædagogum.*

Crinitæ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla dives
Gemmas, aurea, vina, concubinos;
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero, precor, furori,
Et serves aliquando negligenter
Illos, qui male cor meum perurunt,
Quos et noctibus et diebus opto
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niveos, pares, gemellos,
Grandes, non pueros, sed uniones.

50. *In habentem amœnas ædes.*

Daphnonas, platanonas, et aerias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes;
Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx:
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit;
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.
Atria longa patent: sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno, locus est: quam bene non habitas!

51. *De Fabullo.*

Tam sæpe nostrum decipi Fabullinum,
Miraris, Aule? Semper bonus homo tiro est.

52. *Ad Semproniam.*

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus;
Cujus et ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narrat is fabula campo;
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti;
Illa virum voluit nec repetita, sequi.
Ridet, et Iliacos audit Menelaus amores:
Absolvit Phrygium vestra rapina Parim.
Accipient olim cum te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas;
Iste tibi dominam conciliabit amor.

53. *In avarum.*

Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet, paterve, rarus;
Largiris nihil incubasque gazæ,
Ut magnus draco, quem canunt poetæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed causa, ut memoras, et ipse jactas,
Diræ filius est rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rudesque quæris,
Illudas quibus, auferasque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

54. *In Zoilum.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

55. *Ad puellas.*

Gratis qui dare vos jubet, puellæ,
Insulsissimus, improbissimusque est.
Gratis ne date; basiate gratis,
Hoc Ægle negat, hoc avara vendit:
Sed vendat bene, basiare quantum est?
Hoc vendit quoque nec levi rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater a nova moneta,
Ne sint basia muta, nec maligna,
Nec clusis aditum neget labellis,
Humane facit hoc tamen: sed unum est:
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

56. *In Policarmum.*

Ægrotas uno decies aut sæpius anno;
Nec tibi, sed nobis, hoc, Polycharme, nocet.
Nam, quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota jam, Polycharme, semel.

57. *Ad Sparsum.*

Cur sæpe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi; negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores,
Ærariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa;
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot æra verberent manus urbis,
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista nec potes scire.
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus,
Nec in Falerno colle major auctumnus;
Intraque limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
Offensa linguis; nec dies, nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ.
Et ad cubile est Roma. tædio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

58. *Ad Alaudam.*

Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa
Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

59. *De importunis basiatoribus.*

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reverso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo,
Hinc sutor modo pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc dellioculusque, et inde lippus,
Fellatorque, recensque cunnilingus.
Jam tanti tibi non fuit redire.

60. *Ad suum natalem.*

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnaque siderei vidimus ora Dei;
Si te rure coli viridesque pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in urbe mihi:
Da veniam, servire tuis quod nolo Kalendis,
Et, qua sum genitus, vivere luce volo.
Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit; et, ut liquidum potet Alauda merum,
Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco;
Atque inter mensas ire, redire, suas;
Excipere hos, illos et tota surgere cœna,
Marmora calcantem frigidiora gelu:
Quæ ratio est, hæc sponte tua perferre, patique,
Quæ, te si jubeat rex dominusque, negos?

61. *De Ligurra.*

Versus, et breve vividumque carmen
In te ne faciam, times, Ligurra;
Et dignus cupis hoc metu videri:
Sed frustra metuis, cupisque frustra.

In tauros Libyci fremunt leones;
Non sunt papilionibus molesti.
Quaeras, censen, si legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poetam,
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quæ legunt cacantes.
Frons hæc stigmate non meo notanda est.

62. *Ad Saturnum pro Prisco Terentio.*

Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
Scissa nec ad Manes, sed sita dives humus;
Lætus ad hæc facilisque veni sollennia Prisci
Gaudia; cum sacris te decet esse tuis.
Tu reducem patriæ sexta, pater optime, bruma
Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
Pendeat, et quantus luxurietur honos?
Quam non parca manus, largæque nomismata mensæ,
Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?
Utque sit his pretium meritis, et gratia maior,
Et pater, et frugi, sic tua sacra colit.
At tu, sancte tuo sic semper amere Decembri:
Hos illi iubeas sæpe redire dies.

63. *Ad Cordubam.*

Uncto Corduba lætior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quæ superas oves Galesi,
Nullo murice nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo;
Dic vestro, rogo, sit pudor poetæ,
Ne gratis recitet meos libellos:
Ferrem, si faceret bonos poeta,
Cui possem dare mutuos honores:
Corrumpit sine talione cœlebs.
Cæcus perdere non potest, quod aufert.
Nil est deterius latrone nudo:
Nil securius est malo poeta.

64. *De Cinna.*

Vincentem roseos facieque comaque ministros
Cinna cocum fecit. Cinna gulosus homo est.

65. *De Phyllide.*

Formosa Phyllis nocte cum mihi tota
Se præstitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem munus,
Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus acre lanarum,
An de moneta Cæsaris decem flavos;
Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

66. *Ad Amœnum.*

Bis quinquagenis domus est tibi millibus emta,
Vendere quam summa vel breviore cupis.
Arte sed emtorem vafra corrumpis, Amœne,
Et casa divitiis ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.
Argentum atque aurum non simplex Delphica portat:
Stant pueri, dominos quos precor esse meos.
Deinde ducenta sonas, et ais, non esse minoris.
Instructam vili vendis, Amœne, domum.

67. *In natalem Maronis.*

Maiæ, Mercurium creastis, Idus:
Augustis redit Idibus Diana:
Octobres Maro consecravit Idus.
Idus sæpe colas et has et illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

68. *Ad Clientes.*

Matutine cliens, urbis mihi causa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus:
Sed piger, et senior, Pieridumque comes.
Otia me somnusque iuvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic.

69. *Ad Paullum.*

Sic, tanquam tabulas, scyphosque, Paulle,
Omnes archetypos habes amicos.

70. *De Apro.*

Lintea ferret Apro vatius cum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus;
Atque olei stillam daret enterocelicus unctor;
Udorum tetricus censor et asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
A sene sed postquam patruo venere trecenta,
Sobrius a thermis nescit abire domum.
O quantum diatreta valent, et quinque comati!
Tunc, cum pauper erat, non sitiebat Aper.

71. *Ad Lygdum.*

Nil non, Lygde, mihi negas roganti;
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

72. *Ad Pannicum.*

Iugera mercatus prope busta latentis agelli,
Et male compactæ culmina fulta casæ,
Deseris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parvaque, sed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus; nunc emis agricola.

73. *Ad Catullum.*

Hæredem tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

74. *Ad Flaccum.*

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
Munera? sed geminus vilibus usus inest.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem;
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quod securo potat conviva ministro,
Et casum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis,
Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix.

75. *De pueris.*

Festinat Polytimus ad puellas:
Invitus puerum fatetur Hymnus:
Pastas glande nates habet Secundus:
Mollis Dindymus est, sed esse non vult:
Amphion potuit puella nasci.
Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos, amice, malo,
Quam dotis mihi quinquies ducena.

76. *De agricola.*

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.
Ebrius et crudus nil habet agricola.

77. *De Æthonte.*

Multis dum precibus Iovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Æthon in Capitolio pepedit.
Riserunt comites: sed ipse Divum
Offensus genitor, trinoctiali
Affecit domicœnio clientem.
Post hoc flagitium, misellus Æthon,
Cum vult in Capitolium venire,
Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit deciesque, viciesque.
Sed, quamvis sibi caverit crepando,

Compressis natibus Iovem salutat.

78. *De eodem.*

Ante Iovis statuam crepuit satur histrio: pœnam
Iupiter indixit, vivere de proprio.

79. *Ad Bithynicum.*

Nil in te scripsi, Bithynice: credere non vis,
Et iurare iubes: malo satisfacere.

80. *Ad Atticillam.*

Donavi tibi multa, quæ rogasti:
Donavi tibi plura, quam rogasti:
Non cessas tamen usque me rogare.
Quisquis nil negat, Atticilla, fallat.

81. *De Callistrato.*

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

82. *De Umbro.*

Brumæ diebus, feriisque Saturni,
Mittebat Umber aliculam mihi pauper:
Nunc misit alicam; factus est enim dives.

83. *De Menogene.*

Effugere in thermis et circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.
Colliget, et referet laxum de pulvere follem,
Et si iam lotus, iam soleatus erit.
Lintea si sumes, nive candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse tropin de fæce lagenæ,
Frontis et humorem colliget usque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tædia mille, Veni.

84. *De Fabiano.*

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modo colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli,
In thermis subito Neronianis
Vidit se miser, et tacere cœpit.

85. *Ad Polytimum.*

Nolueram, Polytime, tuos violare capillos:
Sed iuvat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras, modo tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, ut totum sponsa videret ebur.

86. *In Fabullum.*

Pædiconibus os olere dicis.
Hoc si, sicut ais, Fabulle, verum est,
Quid tu credis olere cunnilingis?

87. *In non arrigentem.*

Triginta tibi sunt pueri, totidemque puellæ:
Una est, nec surgit, mentula: quid facies?

88. *De Cotta.*

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, et facit turbam;
Excogitavit, homo sagax et astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum;
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

89. *De Tongiliano.*

Tongilianus habet nasum: scio, non nego: sed iam
Nil, præter nasum, Tongilianus habet.

90. *Ad Charinum.*

Quod lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

91. *De Marone.*

Pro sene, sed clare, votum Maro fecit amico,
Cui gravis et fervens hemitritæus erat;
Si Stygias æger non iret missus ad undas,
Ut caderet magno victima grata Iovi.
Cœperunt certam medici spondere salutem.
Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

92. *In Magullam.*

Communis tibi cum viro, Magulla,
Cum sit lectulus, et sit exoletus,
Quare, dic mihi, non sit et minister?
Suspiras: ratio est, times lagenam.

93. *Ad Priscum.*

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens.
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

94. *De Fabulla.*

Qua mœchum ratione basiaret
Coram coniuge, repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem:
Hunc multis rapit osculis madentem
Mœchus protinus, et suis repletum
Ridenti dominæ statim remittit.
Quanto morio maior est maritus!

95. *In Tuccam.*

Scribebamus epos: cœpisti scribere: cessi,
Æmula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos:
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
Fila lyræ movi Calabris exculta Camœnis:
Plectra rapis nobis ambitione nova.
Audemus satyras: Lucilius esse laboras.
Ludo leves elegos; tu quoque ludis idem.
Quid minus esse potest? epigrammata fingere cœpi:
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige, quid nolis? quis enim pudor, omnia velle?
Et, si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

96. *Ad Rufum.*

Musæi pathicissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas
Instanti lege, Rufe: sed puella
Sit tecum tua, ne Thalassionem
Indicas manibus libidinosis,
Et fias sine fœmina maritus.

97. *In Zelotypam.*

Cum tibi nota tui sit vita fidesque mariti,
Nec premat ulla tuos, sollicitetve toros;
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus et brevis est, et fugitiva Venus?
Plus tibi quam domino pueros præstare probabo:
Hi faciunt, ut sis fœmina sola viro.
Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquis,
Ne vagus a thalamis coniugis erret amor.
Non eadem res est: Chiam volo, nolo mariscam.
Ne dubites quæ sit Chia, marisca tua est.
Scire suos fines matrona et fœmina debet:
Cede suam pueris; utere parte tua.

98. *In Bassum.*

Uxor cum tibi sit puella, qualem
Votis vix petat improbis maritus,
Dives, nobilis, erudita, casta;
Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quos parasti.
Et sic ad dominam reversa languet
Multis mentula millibus redemta:
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata, surgit.
Sit tandem pudor, aut eamus in ius.
Non est hæc tua, Basse: vendidisti.

99. *Ad Bætim.*
Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis;
Quem Bromius, quem Pallas amat; cui rector aquarum
Albula navigerum per freta pandit iter;
Ominibus lætis vestras instantius oras
Intret; et hic populis, ut prior, annus eat.
Non ignorat, onus quod sit, succedere Macro.
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

100. *In effrontem.*
Os stavi, patris nasum, duo lumina patris,
Et matris gestus dicis habere tuæ.
Cum referas priscos, nullamque in corpore partem
Mentiris; frontem, dic mihi, cuius habes?

101. *Ad Mattum.*
Qui negat esse domi se tunc cum limina pulsas,
Quid dicat, nescis? Dormio, Matte, tibi.

102. *Ad Milonem.*
Thura, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas,
Vendere, Milo, soles, cum quibus emtor abit.
Coniugis utilior merx est, quæ, vendita sæpe,
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

Liber decimus tertius

Cui Xenia inditum nomen.

1. *Ad lectorem.*
Ne toga cordylis, ne pænula desit olivis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem,
Perdite Niliacas, Musæ, mea damna papyros:
Postulat, ecce, novos ebria bruma sales.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

2. *In detractorem.*
Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego quam dixi: quid dentem dente iuvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
Ne perdas operam, qui se mirantur, in illos
Virus, habe: nos hæc novimus esse nihil.
Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure.
Nec matutina si mihi fronte venis.

3. *Ad lectorem.*
Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor emta tibi.
Quatuor est nimium: poterit constare duobus,
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos sua nomina rebus habebis:
Prætereas, si quid non facit ad stomachum.

4. *Thus.*
Serus ut ætheriæ Germanicus imperet aulæ,
Utque diu terris, da pia thura Iovi.

5. *Piper.*
Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

6. *Alica.*
Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

7. *Conchis Faba.*
Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

8. *Far.*
Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

9. *Lens.*
Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

10. *Simila ex tritico.*
Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit et apta coco.

11. *Hordeum.*
Mulio quod non des taciturnis, accipe mulis.
Hæc ego cauponi, non tibi, dona dedi.

12. *Frumentum triticeum.*
Tercentum Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

13. *Betæ.*
Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ,
O quam sæpe petet vina piperque cocus!

14. *Lactuca.*
Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

15. *Ligna acapna.*
Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

16. *Rapa.*
Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa,
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

17. *Coliculi.*
Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

18. *Porri sectivi.*
Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

19. *Porri capitati.*
Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides stipite cerne comas.

20. *Napi.*
Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

21. *Asparagi.*
Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

22. *Uva duracina.*
Non habilis cyathis, et inutilis uva Lyæo:
Sed, non potanti me tibi nectar ero.

23. *Chia ficus.*
Chia seni similis Baccho, quem Setia misit:
Ipsa merum secum portat, et ipsa salem.

24. *Cydonia.*
Si tibi Cecropio saturata cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela, licet.

25. *Nuces pineæ.*
Poma sumus Cybeles: procul hinc discede, viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

26. *Sorba.*
Sorba sumus, molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

27. *Spathalion caryotarum.*
Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

28. *Coctana.*
Hæc, tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si maiora forent coctana, ficus erant.

29. *Pruna Damascena.*
Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

30. *Caseus Lunensis.*
Caseus, Etruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

31. *Caseus Vestinus.*
Si sine carne voles ientacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

32. *Caseus Velabrensis.*
Non quemcumque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.
33. *Casei Trebulani.*
Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.
34. *Bulbi.*
Cum sit anus coniux, et sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.
35. *Lucanica.*
Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.
36. *Olivæ.*
Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit uliva dapes.
37. *Mala citrea.*
Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Massyli poma draconis erant.
38. *Colostrum.*
Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis,
De primo matrum lacte colostra damus.
39. *Hædi.*
Lascivum pecus, et viridi non utile Baccho,
Det pœnas: nocuit iam tener ille Deo.
40. *Ova*
Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.
41. *Porcellus lactens.*
Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, et Ætolo de sue dives edat.
42. *Apyrina et tuberes.*
Non tibi de Libycis tuberes et apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.
43. *Idem.*
Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?
44. *Sumen.*
Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, et vivo lacte papilla tumet.
45. *Pulli gallinacei.*
Si Libycæ nobis volucres et Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.
46. *Persica, Nucipersica.*
Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.
47. *Panes Picentini.*
Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Ut levis accepta spongia turget aqua.
48. *Boleti.*
Argentum atq; aurum facile est, lænamq; togamque,
Mittere: boletos mittere difficile est.
49. *Ficedula.*
Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?
50. *Tubera.*
Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.
51. *Turdorum corona.*
Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.
52. *Anas.*
Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coco.
53. *Turtur.*
Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca, valebis:
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.
54. *Perna.*
Cæretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

55. *Petaso.*
Musteus est: propera, caros nec differ amicos;
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.
56. *Vulva.*
Te fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de sue vulva capit.
57. *Colocasia.*
Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.
58. *Iecur anseris.*
Aspice, quam tumeat magno iecur ansere maius!
Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?
59. *Glires.*
Tota mihi dormitur hiems; et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.
60. *Cuniculus.*
Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.
61. *Attagenæ.*
Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.
62. *Gallina altilis.*
Pascitur et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris: ingeniosa gula est.
63. *Capo.*
Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.
64. *Idem.*
Succumbit sterili frustra gallina marito:
Hunc matris Cybeles esse decebat avem.
65. *Perdix.*
Ponitor Ausoniis avis hæc rarissima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.
66. *Columbini.*
Ne violes teneras periuro dente columbas,
Tradita si Gnidiæ sunt tibi sacra Deæ.
67. *Palumbus torquatus.*
Inguina torquati tardant hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.
68. *Galbula.*
Galbula decipitur calamis et retibus ales;
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.
69. *Cattæ.*
Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc domino mittere dona Pudens.
70. *Pavo.*
Miraris, quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere, dure, coco?
71. *Phœnicopterus.*
Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit. Quid si garrula lingua foret?
72. *Phasianus.*
Argiva primum sum transportata carina:
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.
73. *Numidicæ.*
Ansere Romano quamvis satur Hannibal esset:
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.
74. *Anser.*
Hæc servavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? Nondum fecerat illa Deus.
75. *Grues.*
Turbabis versus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem.
76. *Rusticula.*
Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix: sic sapit illa magis.
77. *Cycnus.*
Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

78. *Porphyriones.*

Nomen habet magni volucris tam parva gigantis?
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

79. *Mullus.*

Spirat in advecto, sed jam piger, æquore mullus
Languescit: vivum de mare, fortis erit.

80. *Muræna.*

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

81. *Rhombus.*

Quamvis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

82. *Ostrea.*

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino;
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

83. *Squillæ.*

Cæruleus nos Liris amat, quem silva Maricæ
Protegit; hinc squillæ maxima turba sumus.

84. *Scarus.*

Hic scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est; cætera vile sapit.

85. *Coracinus.*

Princeps Niliaci raperis, Coracine, macelli:
Pellææ prior est gloria nulla gulæ.

86. *Echinus.*

Ista licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

87. *Murices.*

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, et non est hoc satis, esca sumus.

88. *Gobius.*

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

89. *Lupus.*

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

90. *Aurata.*

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

91. *Acipensis.*

Ad Palatinas acipensem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

92. *Lepus.*

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

93. *Aper.*

Qui Diomedæis metuendus setiger agris
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

94. *Damæ.*

Dente timentur apri; defendunt cornua cervos:
Imbelles damæ quid, nisi præda, sumus?

95. *Oryx.*

Matutinarum non ultima præda ferarum,
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum!

96. *Cervus.*

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro:
An magis iste tuus, Silvia, cervus erat?

97. *Lalisio.*

Cum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur: hoc infans, sed breve, nomen habet.

98. *Dorcas.*

Delicium parvo donabis dorcada nato:
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

99. *Caprea.*

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres: despicit illa canes.

100. *Onager.*

Pulcher adest onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam removete sinus.

101. *Oleum Venafranum.*

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum; quoties sumis, et istud olet.

102. *Garum Sociorum.*

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe fastosum, munera cara, garum.

103. *Muria.*

Antipolitani, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

104. *Mel Atticum.*

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados a silvis nobile nectar apis.

105. *Favi Siculi.*

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

106. *Passum.*

Gnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

107. *Picatum vinum.*

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

108. *Mulsum.*

Attica, nectareum turbatis, mella, Falernum:
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

109. *Albanum.*

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

110. *Surrentinum.*

Surrentina bibis? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

111. *Falernum.*

De Sinuessanis venerunt Massica prelis:
Condita quo quæris consule? nullus erat.

112. *Setinum.*

Pendula Pomptinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

113. *Fundanum.*

Hæc Fundana tulit felix auctumnus Opimi:
Expressit mustum consul, et ipse bibit.

114. *Trifolinum.*

Non sum de primo, fateor, trifolina Lyæo:
Inter vina tamen septima vitis ero.

115. *Cæcubum.*

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis;
Vitis et in media nata palude viret.

116. *Signinum.*

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

117. *Mamertinum.*

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quodvis nomen habere potest.

118. *Tarraconense.*

Tarraco, Campano tantum cessura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

119. *Nomentanum.*

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

120. *Spoletinum.*

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis,
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

121. *Pelignum.*

Marsica Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

122. *Acetum.*

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti:
Esset cum vinum, vilior illa fuit.

123. *Massilianum.*

Cum tua centenos expunget sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

124. *Cæretanum.*

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ: cum tribus illa bibit.

125. *Tarentinum.*

Nobilis et lanis, et felix vitibus, Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

126. *Unguentum.*

Unguentum hæredi nunquam, nec vina, relinquas.
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

127. *Corona rosea.*

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas:
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

Liber decimus quartus

Cui APOPHORETA inditum nomen.

1. *Ad lectorem.*

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumta Iovem;
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cum videat gelidos iam prope verna lacus:
Divitis alternas et pauperis accipe sortes:
Præmia convivæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, et si quid vilius istis:
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Troiamque, malasque Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
Quo vis cumque loco, potes hunc finire libellum:
Versibus explicitum est omne duobus opus.

2. *Apophoreta.*

Lemmata si quæris cur sint ascripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

3. *Pugillares citrei.*

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

4. *Quincuplices.*

Cæde iuvencorum domini calet area felix,
Quincuplici cera cum datur auctus honor.

5. *Pugillares eborei.*

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

6. *Triplices.*

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi.

7. *Pugillares membranei.*

Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties scripta novare voles.

8. *Vitelliani.*

Nondum legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

9. *Iidem.*

Quod minimos cernis, mitti nos credis amicæ:
Falleris; et nummos ista tabella rogat.

10. *Chartæ maiores.*

Non est, munera quod putes pusilla,
Cum donat vacuas poeta chartas.

11. *Chartæ epistolares.*

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

12. *Loculi eborei.*

Nos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

13. *Loculi lignei.*

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est? ipse locellus erit.

14. *Tali eborei.*

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

15. *Tessera.*

Non sim talorum numero par tessera; dum sit
Maior, quam talis, alea sæpe mihi.

16. *Turricula.*

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

17. *Tabula lusoria.*

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

18. *Nuces.*

Alea parva nuces, et non damnosa, videntur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

19. *Theca calamaria.*

Sortitus thecam, calamis armare memento:
Cætera nos dedimus: tu leviora para.

20. *Calculi.*

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

21. *Graphiarium.*

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

22. *Dentiscalpium.*

Lentiscum melius: sed, si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

23. *Auriscalpium.*

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

24. *Acus aurea.*

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus tortas sustineatque comas.

25. *Pecten ad calvum.*

Quid faciet, nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

26. *Sapo.*

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos:
Captivis poteris cultior esse comis.

27. *Mattiacæ pilæ.*

Si mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

28. *Umbella.*

Accipe, quæ nimios vincant umbracula soles,
Sit licet et ventus, te tua vela tegent.

29. *Causia.*

In Pompeiano tectus spectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare solet.

30. *Venabula.*

Excipient apros, expectabuntque leones:
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

31. *Culter venatorius.*

Si deiecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

32. *Parazonium.*

Militiæ decus hoc et grati nomen honoris,
Arma tribunitium cingere digna latus.

33. *Pugio.*

Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis:
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

34. *Falx ex ense.*

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus.
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

35. *Securicula.*

Cum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus emta fuit.

36. *Ferramenta tonsoria.*

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis:
Unguibus hæc longis utilis, illa genis.

37. *Scrinium.*

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas, trucesque blattas.

38. *Fasces calamorum.*
Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

39. *Lucerna cubicularia.*
Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quicquid vis facias licet, tacebo.

40. *Candela.*
Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

41. *Lucerna polymyxos.*
Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

42. *Cereus.*
Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namque lucerna tuo.

43. *Candelabrum Corinthium.*
Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos uncta lucerna patres.

44. *Candelabrum ligneum.*
Esse vides lignum: serves nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

45. *Pila paganica.*
Hæc, quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, et minus arcta pila.

46. *Pila trigonalis.*
Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

47. *Follis.*
Ite procul, juvenes: mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

48. *Harpasta.*
Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

49. *Halteres.*
Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

50. *Galericulum.*
Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

51. *Strigiles.*
Pergamus has misit: curvo destringere ferro;
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

52. *Guttus corneus.*
Gestavit modo fronte me juvencus.
Verum rhinocerota me putabis.

53. *Rhinoceros.*
Nuper in Ausonia domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

54. *Crepitaculum.*
Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

55. *Flagellum.*
Proficies nihil, hoc cædas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

56. *Dentifricium.*
Quid mecum est tibi? me puella sumat.
Emtos non soleo polire dentes.

57. *Myrobalanum.*
Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat et ex balano.

58. *Aphronitrum.*
Rusticus es? nescis quid Græco nomine dicar:
Spuma vocor nitri. Græcus es? ἀφρόνιτρον.

59. *Opobalsama.*
Balsama me capiunt: hæc sunt unguenta virorum:
Delicias Cosmi vos redolete, nurus.

60. *Lomentum.*
Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

61. *Laterna cornea.*
Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis;
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

62. *Laterna ex vesica.*
Cornea si non sum numquid sum fuscior? aut me
Vesicam, contra qui venit, esse putat?

63. *Fistula.*
Quid me compactam ceris et arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat.

64. *Tibiæ.*
Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon, habet.

65. *Soleæ lanatæ.*
Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere: pro puero pes erit ipse sibi.

66. *Mamillare.*
Taurino poteras pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

67. *Muscaria pavonina.*
Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

68. *Copta Rhodia.*
Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat.

69. *Priapus siligineus.*
Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum:
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.

70. *Porcus.*
Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

71. *Muscarium bubulum.*
Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

72. *Botulus.*
Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

73. *Psittacus.*
Psittacus a vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, Cæsar, ave.

74. *Corvus.*
Corve salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

75. *Luscinia.*
Flet Philomela nefas incesti Tereos; et quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

76. *Pica.*
Pica loquax certa dominum te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis avem.

77. *Cavea eborea.*
Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

78. *Narthecium.*
Artis ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera, quæ cuperet Pactius esse sua.

79. *Flagra.*
Ludite, lascivi, sed tantum ludite, servi:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

80. *Ferulæ.*
Invisæ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

81. *Pera.*
Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat et tetrico cum cane, pera rogat.

82. *Scopæ.*
In pretio scopas testatur palma fuisse:
Otia sed scopis nunc analecta dabit.

83. *Scalptorium.*
Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

84. *Manuale.*

Ne toga barbatos faciat, vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

85. *Lectus pavoninus.*

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Iunonis avis: sed prius Argus erat.

86. *Ephippium.*

Stragula succincti, venator, sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

87. *Stibadia.*

Accipe lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

88. *Gustatorium.*

Fœmineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

89. *Mensa citrea.*

Accipe felices, Atlantica munera, silvas.
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

90. *Mensa acerna.*

Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ;
Sed norunt lautas et mea ligna dapes.

91. *Dentes eborei.*

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris,
An Libycas possint sustinuisse trabes?

92. *Quincupedal.*

Puncta notis ilex, et acuta cuspide clausa,
Sæpe redemtoris prodere furta solet.

93. *Pocula archetypa.*

Non est ista recens, nec nostri gloria cœli:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

94. *Calices.*

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

95. *Phiala aurea cælata.*

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

96. *Calices Vatinii.*

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

97. *Lances chrysendetæ.*

Grandia ne viola parvo, chrysendeta mullo:
Ut minimum, libras debet habere duas.

98. *Vasa Aretina.*

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

99. *Bascauda.*

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me iam mavult dicere Roma suam.

100. *Panaca.*

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhætica vina mea.

101. *Boletaria.*

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis (pudet; heu) servio coliculis.

102. *Calices Surrentini.*

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

103. *Colum nivarium.*

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.

104. *Saccus nivarius.*

Attenuare nives norunt et lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

105. *Urceoli ministrutorii.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

106. *Urceus fictilis.*

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa;
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

107. *Calathi.*

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

108. *Calices Saguntini.*

Quæ non sollicitus teneat servetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

109. *Calices gemmati.*

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aspice: quot digitos exuit iste calix!

110. *Ampulla potoria.*

Hac licet in gemma quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose, bibas, si foliata sitis.

111. *Crystallina.*

Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securæ nimium sollicitæque manus.

112. *Nimbus vitreus.*

Ab Iove qui veniet, miscenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

113. *Myrrhina.*

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit; et melior fit sapor inde mero.

114. *Patella Cumana.*

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

115. *Calices vitrei.*

Aspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus!

116. *Lagena nivaria.*

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis?
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

117. *Nives.*

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De niva, commenta est ingeniosa sitis.

118. *Idem.*

Massiliæ fumos miscere nivalibus undis
Parce, puer, constet ne tibi pluris aqua.

119. *Matella fictilis.*

Dum poscor crepitu digitorum, et verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est!

120. *Ligula argentea.*

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

121. *Cochlearia.*

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

122. *Annuli.*

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus.
Felix, cui comes est non alienus eques.

123. *Dactyliotheca.*

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

124. *Toga.*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

125. *Idem.*

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sæpe toga.

126. *Endromis.*

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus:
Hanc tibi pro læna mittimus endromida.

127. *Canusinæ fuscæ.*

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit: gaude: non cito fiet anus.

128. *Bardocucullus.*

Gallia Santonico vestit te bardocucullo:
Cercopithecorum pænula nuper erat.

129. *Canusinæ rufæ.*

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis;
Et placet hic pueris, militibusque color.

130. *Paenula scortea.*
Ingrediare viam cœlo licet usque sereno.
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.
131. *Lacernae coccineae.*
Si Veneto, Prasinove faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.
132. *Pileus.*
Si possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.
133. *Lacernae Baeticae.*
Non est lana mihi meudax, nec mutor aeno:
Si placeant Tyriae, me mea tinxit ovis.
134. *Fascia pectoralis.*
Fascia, crescentes dominae compesce papillas,
Ut sit quod capiat nostra, tegatque manus.
135. *Cœnatoria.*
Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.
136. *Laena.*
Tempore brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.
137. *Lacernae albae.*
Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.
138. *Gausapa villosa, vel Mantile.*
Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.
139. *Cuculli Liburnici.*
Iungere nesciti nobis, o stulte, lacernas:
Indueras albas; exue callainas.
140. *Udones Cilicii.*
Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:
Cinyphio poterit planta latere sinu.
141. *Synthesis.*
Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.
142. *Focale.*
Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.
143. *Tunicae Patavinae.*
Vellera cum sumant Patavinae multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.
144. *Spongia.*
Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Utilis, expresso cum levia imbre tumet.
145. *Paenula gausapina.*
Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel media sumere messe velis.
146. *Cervical.*
Tinge caput nardi folio; cervical olebit:
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.
147. *Cubicularia gausapina.*
Stragula purpureis lucent villosa tapetis:
Quid prodest, si te congelat uxor anus?
148. *Lodices.*
Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctae nos tibi venimus sorores.
149. *Amictorium.*
Mammosas metuo: tenerae me trade puellae,
Ut possint niveo pectore lina frui.
150. *Cubicularia polymita.*
Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.
151. *Zona.*
Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.
152. *Gausape quadratum.*
Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.
153. *Semicinctium.*
Det tunicam dives: ego te praecingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.
154. *Lanae amethystinae.*
Ebria Sidoniae cum sim de sanguine conchae,
Non video, quare sobria lana vocer.
155. *Lanae albae.*
Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.
156. *Lanae Tyriae.*
Nos Lacedæmoniae pastor donavit amicae:
Deterior Ledae purpura matris erat.
157. *Lanae Pollentinae.*
Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet et calices haec dare terra suos.
158. *Idem.*
Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.
159. *Tomentum Leuconicum.*
Oppressæ nimium vicina est fascia plumae?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.
160. *Tomentum Circense.*
Tomentum concisa palus Circense vocatur:
Haec pro Leuconico stramina pauper emit.
161. *Pluma.*
Lassus Amyclaea poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.
162. *Fœnum.*
Fraudata tumeat fragilis tibi culcita mula:
Non venit ad duros pallida cura toros.
163. *Tintinnabulum.*
Redde pilam: sonat aes thermarum. Ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.
164. *Discus.*
Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Este procul, pueri: sit semel ille nocens.
165. *Cithara.*
Reddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.
166. *Idem.*
De Pompeiano saepe est eiecta theatro,
Quae duxit silvas, detinuitque feras.
167. *Plectru.*
Fervida ne trito tibi pollice pusula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.
168. *Trochus.*
Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.
169. *Idem.*
Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.
170. *Signum Victoriae.*
Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna, puer.
171. *Βρούτου παιδίον.*
Gloria tam parvi non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.
172. *Sauroctonos Corinthius.*
Ad te reptanti, puer insidiose, lacertae
Parce: cupit digitis illa perire tuis.
173. *Hyacinthus in tabula pictus.*
Flectit ab inviso morientia lumina disco
Œbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.
174. *Hermaphroditus marmoreus.*
Masculus intravit fontes: emersit utrumque.
Pars est una patris: caetera matris habet.
175. *Danae picta.*
Cur a te pretium Danae, regnator Olympi,
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

176. *Persona Germanica.*
Sum figuli lusus, rufi persona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.
177. *Hercules Corinthius.*
Elidit geminos infans, nec respicit, angues.
Iam poterat teneras hydra timere manus.
178. *Hercules fictilis.*
Sum fragilis: sed tu, moneo, ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.
179. *Minerva argentea.*
Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis et hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.
180. *Europa picta.*
Mutari melius tauro, pater optime Divum,
Tunc poteras, Iu cum tibi vacca fuit.
181. *Leander marmoreus.*
Clamabat tumidis audax Leander in undis,
Mergite me, fluctus, cum rediturus ero.
182. *Sigillum gibberi fictile.*
Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus:
Saturnalicio lusit et ipse luto.
183. *Homeri Batrachomyomachia.*
Perlege Mæonio cantatas carmine ranas;
Et frontem nugis solvere disce meis.
184. *Homerus in membranis.*
Ilias, et Priami regnis inimicus Ulysses,
Multiplici pariter condita pelle latent.
185. *Virgilii Culex.*
Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Ne, nugis positis, Arma virumque canas.
186. *Virgilius in membrana.*
Quam brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.
187. *Menandri Thais*
Hæc primum iuvenum lascivos lusit amores;
Nec Glycere, vere Thais amica fuit.
188. *Cicero in membranis.*
Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.
189. *Propertius.*
Cynthia, facundi carmen iuvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.
190. *Livius in membranis.*
Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.
191. *Sallustius.*
Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.
192. *Ovidii Metamorphosis in membranis.*
Hæc tibi, multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.
193. *Tibullus.*
Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota iuvit quem nihil esse domo.
194. *Lucanus.*
Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam:
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.
195. *Catullus.*
Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.
196. *Calda et frigida aqua.*
Hæc tibi, quæ fuerint caldarum nomina, dicunt:
Ipsa suas melius charta natabit aquas.
197. *Mulæ pumilæ.*
His tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altius in terra pæne sedere soles.
198. *Catella Gallicana.*
Delicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

199. *Asturco.*
Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus, Astur equus.
200. *Canis vertagus.*
Non sibi, sed domino, venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.
201. *Palæstrita.*
Non amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et dicit melius την ανακλινοπαλην.
202. *Simius.*
Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret cercopithecus eram.
203. *Puella Gaditana.*
Tam tremulum crissat, tam blandù prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.
204. *Cymbala.*
Æra Celænæos lugentia Matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.
205. *Puer cinædus.*
Sit nobis ætate puer, non pumice levis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.
206. *Cestos.*
Collo necte, puer, meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.
207. *Idem.*
Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Ussit amatorem balteus iste Iovem.
208 *Notarius.*
Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.
209. *Concha.*
Levis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo via.
210. *Morio.*
Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa.
Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.
211. *Caput arietinum.*
Mollia Phryxei secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit?
212. *Pumilio.*
Si solum spectes hominis caput, Hectora credas:
Si stantem videas, Astyanacta putes.
213. *Parma.*
Hæc, quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.
214. *Pueri comœdi.*
Non erit in turba quisquam μισουμενος ista:
Sed poterit quivis esse δις εξαπατων.
215. *Fibula.*
Dic mihi simpliciter, comœdis et citharœdis
Fibula quid præstat? Carius ut futuant.
216. *Accipiter.*
Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, et captas non sibi mœret aves.
217. *Opsonator.*
Dic, quotus et quanti cupias cœnare; nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.
218. *Calami aucupatorii.*
Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.
219 *Cor bubulum.*
Pauper causidicus nullos referentia nummos
Carmina cum scribas; accipe cor, quod habes.
220. *Cocus.*
Non satis est ars sola coco: servire palatum
Nolo: cocus domini debet habere gulam.
221. *Craticula cum veru.*
Parva tibi curva craticula sudet ofella:
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

222. *Pistor dulciarius.*
Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat apis.

223. *Ientacula.*
Surgite: iam vendit pueris ientacula pistor;
Cristatæque sonant undique lucis aves.

Epigrammata quaedam

M. Val. Martiali afficta

Excerpta partim ex MSS. Codd. et vet. Glossariis; partim ei ab Hadr. Iunio et aliis assuta.

1. *De Mediocritate.*
Nec volo me summis fortuna, nec applicet imis,
Sed medium vitæ temperet illa gradum.
Invidia excelsos, inopes iniuria vexat;
Quam felix vivit, quisquis utroque caret!

2. *Ad Scævolam.*
Scævola, tu cœnas apud omnes, nullus apud te:
Alterius siccas pocula, nemo tua.
Aut tu redde vices, aut desine velle vocari:
Dedecus est semper sumere, nilque dare.

3. *Ad Auctum.*
Exigis a nobis, quem nulli solvis, amorem:
Quam nulli præstas, exigis, Aucte, fidem.
Exigis a uobis, quem non merearis, honorem:
Mirum est, quod uou das, id tibi velle dari.

4. *De Filo.*
Pallia Filus habet; digitos circumligat auro:
Sed tamen est Filus paupere pauperior.
Sunt Tyriæ chlamydes, mille instrumenta, clientes
Filo: sed tamen est paupere pauperior.
Atria sunt Filo regali consita cultu:
Sed tamen est Filus paupere pauperior.
Exurit atque sitit: gemmis instructus et auro:
Cyclada vestitus esurit atque sitit.
Pondus adesse famis, pallor maciesque loquuntur:
Aurea bulla uegat pondus adesse famis.
Ergo miser se servitio pro pane locabit:
Sed, ne sit servus, aurea bulla facit.
Si vero quemquam pulsabit supplice voto,
Ut non exoret, serica vestis adest.
Ergo, ne pereat, fiat de divite pauper:
Pauper enim factus, ditior esse potest.

5. *Ad Aulum.*
Non sanguis, non oris honor, non gloria census,
Non gravitas morum proderit, Aule, tibi.
Pauper enim tu semper eris, quia pauper es: et te
Colligit ulterior ulteriore gradus.

6. *Ad Regulum.*
Prædicat Hermagoras, non omnibus esse placendum.
Elige de multis, Regule, cui placeas.

7. *Ad Aulicum.*
Multa mihi donas, vereor ne multa requiras.
Nolo mihi dones, Aulice, ri repetas.

8. *Ad Germanicum.*
Exaltas in lite tuam, Germanice, vocem,
Ut furias mentis vox furiosa sonet.

9. *Ad Bassum.*
Omnis amicus amat; sed uon, qui amat, omnis amicus:
Sed quem, Basse, tu ames, esto et amicus ei.

10. *In Turgidum.*
In noctem prandes; in noctem, Turgide, cœnas;
Multimodoque mades nocte dieque mero.
Cumque cuti studeas, uxorem ducere non vis:
Cum nolis, dicis, Vita pudica placet.
Turgide, mentiris: non est hæc vita pudica.
Vis dicam, quæ sit vita pudica? modus.

11. *In Chloen.*
Lascivo Ganymede cales: te quilibet intrat:
Hippolytos etiam reddis amore graves.
Plurimus interea tibi limen servat adulter;
Exposita es cuivis: quam populare sapis!
Demophilen cuperem te dicere, te nisi mater
Esse Chloen vellet: non sapit, atque sapit.

12. *In Laidem.*
Formosissima Lai fœminarum,
Dum noctis pretium tibi requiro,
Magnum continuo petis talentum:
Tanti non emo, Lai, pœnitere.

13. *In Macrinum.*
Defungi fungis homines, Macrine, negabas:
Boleti leti causa fuere tui.

DECIUS MAGNUS AUSONIUS

D. Magnus Ausonius, Iulii filius, Burdingalensis, vixit Valentiniano, Gratiano et Theodosio imperantibus; et a Gratiano discipulo an. 9. C. 379. ad Consulatum evectus fuit. Quamvis eruditi scriptores Ethnicum fuisse contendant, Christi fidem secutum esse certa testimonia confirmant. Obiit circa annum 394. In carminibus ingenium magnum, et acutum demonstravit Ausonius; sed durus interdum, incultusque, et nimium sæpe obscœnitatis amator apparet.

D. Magni Ausonii Burdingalensis opera iuxta edit. Bipontinam.

EPIGRAMMATA

1. *De Augusto.*
Phœbe potens numeris, præses Tritonia bellis,
Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandique potens Augustus, honorem
Bis meret: ut geminet titulos, qui prælia Musis
Temperat: et Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter Chunosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis.
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas:
Musarum ad calamos fertur manus, otia nescit:
Et commutata meditatur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis, bella horrida Martis
Odrysii, Thressæque viraginis arma retractat.

Exulta Æacide, celebraris vate superbo
Rursum: Romanusque tibi contingit Homerus.

2. De fera a Cæsare interfecta.

Cedere quæ lato nescit fera saucia ferro,
Armatique urget tela cruenta viri;
Quam grandes parvo patitur sub vulnere mortes,
Et solam leti vim probat esse manum!
Mirantur casusque novos, subitasque ruinas,
Quæritur, et fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictus letaliter ire per artus,
Coniungit mortes una sagitta duas.
Plurima communi pereunt si fulminis ictu:
Hæc quoque de cœlo vulnera missa putes.

3. Danubius Augg. alloquitur.

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Augustos iubeo, natumque, patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuntius Euxino iam nunc volo currere ponto:
Ut sciat hoc Superum cura secunda Valens;
Cæde, fuga, flammis stratos periisse Suevos;
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis;
Huc possem victos inde referre Gothos.

4. Idem eosdem alloquitur.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo:
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua seco Pannonias:
Et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto.
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.
Augusto dabitur, sed proxima palma, Valenti.
Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

5. Sub Valentiniani Iunioris signo marmoreo.

Nunc te marmoreum pro sumtu fecimus; at cum
Augustus frater remeaverit, aureus esto.

6. Picturæ subditi, ubi Leo una a Gratiano sagitta occisus est.

Quod leo tam tenui patitur sub arundine letum,
Non vires ferri; sed ferientis agunt.

7. De matre Augusti.

Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicar:
Sive Deum peperi fœmina, sive virum.

8. Exhortatio ad modestiam.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis;
Et misceret opes pauperiemque simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

9. De suis poematis.

Est iocus in nostris, sunt seria multa, libellis:
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum;
Ludat permissis sobria Musa iocis.

10. In Eumpinam adulteram.

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti letalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum.
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ.
Protinus et vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor;
Et quum fata volunt, bina venena iuvant.

11. Echo ad pictorem.

Vane, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
Ignotamque oculis sollicitare Deam?
Aeris et linguæ sum filia, mater inanis
Indicii vocem quæ sine mente gero.
Extremos pereunte modos a fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

12. In simulacrum Occasionis et Pœnitentiæ.

Cuius opus? Phidiæ, qui signum Pallados, eius,
Quique Iovem fecit, tertia palma ego sum.
Sum Dea quæ rara, et paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum. Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ sis.
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterii.
Tu quoque, dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

13. Ad Gallam puellam iam senescentem.

Dicebam tibi: Galla, senescimus, effugit ætas.
Utere vere tuo; casta puella, anus est.
Sprevisti; obrepsit non intellecta senectus.
Nec revocare potes, qui periere, dies.
Nunc piget: et quereris, quod non aut ista voluntas
Tunc fuit: aut non est nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus: oblitaque gaudia iunge.
Da, fruar, et si non quod volo, quod volui.

14. De Lepore capto a cane marino.

Trinacrii quondam currentem in litoris ora
Ante canes leporem cœruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ pelagique rapina est,
Forsitan et cœli: si canis astra tenet.

15. De Pergamo scriptore fugitivo, qui captus fuerat.

Tam segnis scriptor, quam lentus Pergame cursor,
Fugisti: et primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu;
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

16. In eundem Pergamum.

Pergame, non recte punitus: fronte subisti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce:
Iniustum, falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram:
Aut profugos, ferri pondere, necte pedes.

17. De Myrone, et Laide.

Canus rogabat Laidis noctem Myron:
Tulit repulsam protinus.
Causamque sensit: et caput fuligine
Fucavit atra candidum.
Idemque vultu, crine non idem Myron,
Orabat oratum prius.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similemque non ipsum rata,
Fortasse et ipsum, sed volens ludo frui,
Sic est adorta callidum.
Inepte, quid me, quod recusavi, rogas?
Patri negavi iam tuo.

18. De se et uxore.

Laidas, et Glyceras, lascivæ nomina famæ,

Coniux in nostro carmine cum legeret:
Ludere me dixit, falsoque in amore iocari:
Tanta illi nostra est de probitate fides.

19. *Ad uxorem suam.*

Uxor, vivamus, quod viximus: et teneamus
Nomina, quæ primo sumsimus in thalamo:
Nec ferat ulla dies ut commutemur in ævo:
Quin tibi sim iuvenis, tuque puella mihi:
Nestore sim quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben;
Nos ignoremus, quid sit matura senectus:
Scire ævi incertum, non numerare decet.

20. *In Meroen anum ebriosam.*

Qui primus Meroe nomen tibi condidit, ille
Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare est, nomen componere, quod sit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.
Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt:
Victima quod Troiæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt:
Discendas artes nomina præveniunt.
Et tu sic, Meroe: non quod sis atra colore,
Ut quæ Niliaca nascitur in Meroe;
Infusum sed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum sueta merumque merum.

21 *Nemesis, e Græco.*

Me lapidem quondam Persæ advexere, tropæum
Ut fierem bello: nunc ego sum Nemesis.
At sicut Græcis victoribus adsto tropæum:
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

22. *De varietate fortunæ, e Græco.*

Thesauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit: et periit.

23. *Idem aliter.*

Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum:
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non reperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

24. *De Thrasybulo Lacedæmonio.*

Excipis adverso quod pectore vulnera septem:
Arma superveheris quod, Thrasybule, tua;
Non dolor hic patris: Pitanæ sed gloria maior.
Rarum, tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mœsto socii posuere feretro,
Talia magnanimus edidit ora pater:
Flete alios: natus lacrymis non indiget ullis,
Et meus, et talis, et Lacedæmonius.

25. *De Lacæna matre.*

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

26. *In divitem quendam.*

Quidam superbus opibus, et fastu tumens,
Tantumque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara secli nomine,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remumque, et conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veste contexi iubet:
Hos cœlat argento gravi,
Ceria inaureus ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo, quod illi nec pater certus fuit:
Et mater est vere lupa.

27. *Antisthenes Cynicus Philosophus.*

Inventor primus Cynices ego: quæ ratio istæc?
Alcides multo dicitur esse prior:
Alcida quondam fueram doctore secundus:
Nunc ego sum Cynices primus, et ille Deus.

28. *Idem.*

Discipulus melior nulli, meliorve magister,
Εἰς ἀρετὴν συνέβη, καὶ Κυνικὴν σοφίην.
Dicere me novit, verum qui novit utrumque,
Καὶ Θεὸν Ἀλκείδην καὶ κύνα Διογένην.

29. *Libero patri.*

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ, Μυσῶν δὲ Φανάκης,
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς,
Πυρογενής, δίκερως, τιτανολέτης, Διόνυσσος.

30. *Myobarbum Liberi patris, signo marmoreo in villa nostra omnium Deorum argumenta habentis.*

Ogygia me Bacchum vocat.
Osirin Ægyptus putat:
Mysi Phanacen nominant.
Dionyson Indi existimant.
Romana sacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

31. *In Corydonem marmoreum.*

Αἴξ, χίμαρος, πήρη, ποιμήν, ῥαβδοῦχος, ἐλαίη,
Εἰς λίθος· ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.

32. *In simulacrum Sapphus.*

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis,
Εἰμ' ἐνάτη Λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη.

33. *Deæ Veneris.*

Orta salo, suscepta solo, patre edita Cœlo,
Æneadum genitrix, hic habito alma Venus.

34. *Ad libellum suum de Proculo.*

Si tineas, cariemque pati te, charta, necesse est;
Incipe versiculis ante perire meis.
Malo, inquis, tineis. Sapis, ærumnose libelle,
Perfugii mavis qui leviore malo.
Ast ego damnosæ nolo otia perdere Musæ,
Iacturam somni quæ parit, atque olei.
Utilius dormire fuit, quam perdere somnum,
Atque oleum: bene sis: causa sed ista mihi est;
Irascor Proculo, cuius facundia tanta est,
Quantus honor: scripsit plurima, quæ cohibet.
Hunc studeo ulcisci; et prompta est hæc ultio voti:
Qui sua non edit carmina, nostra legat.
Huius in arbitrio est, seu te iuvenescere cedro,
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.
Huic ego, quod nobis superest ignobilis oti,
Deputo: sive legat, quæ dabo, sive tegat.

35. *De nomine cuiusdam Lucii, sculpto in marmore.*

Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis
Litera; prænomen sic L.. nota sola facit.
Post M incisum est: puto sic M. non tota videtur.
Dissiluit saxi fragmine læsus apex.
Nec quisquam, Marius, seu Martius, anne Metellus
Hic iaceat, certis noverit indiciis.
Truncatis convulsa iacent elementa figuris,
Omnia confusis interiere notis.
Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

36. *De Sabina uxore.*

Sive probas Tyrio textam subtegmine vestem:
Seu placet inscripti commoditas tituli:
Ipsius hoc dominæ concinnat utrumque venustas,
Has geminas artes una Sabina colit.

37. *De eadem Sabina.*

Laudet Achæmenias Orientis gloria telas:
Molle aurum pallis, Græcia, texe tuis;
Non minus Ausoniam celebret dum fama Sabinam,
Parcentem magnis sumtibus, arte parem.

38. *De eadem Sabina.*

Licia qui texunt et carmina; carmina Musis,
 Licia contribuunt, casta Minerva, tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo, Sabina:
 Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

39. *Qualem velit amicam.*

Hanc volo, quæ non volt; illam quæ volt, ego nolo.
 Vincere volt animos, non satiare Venus.
Oblatas sperno illecebras, detrectu negatas.
 Nec satiare animum, nec cruciare volo.
Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere.
 Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.
Callida sed mediæ Veneris mihi venditet artem
 Fœmina, cui iungar, quod volo, nolo vocet.

40. *De Chresto et Acindyno fratribus.*

Χρῆςος, Ἀκίνδυνος, εἰσὶν ἀδελφοὶ, αἰσχρὰ δὲ τέκνα,
 Moribus ambo malis, nomina falsa gerunt.
Οὐδ' οὗτος χρηστός, οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐςιν.
 Una potest ambos litera corrigere.
Αἴκεν Χρῆςος ἕλῃ, καὶ Ἀκίνδυνος ἄλφ' ἀπολέσσῃ;
 Κίνδυνος hic fiet: frater *Ἄχρηςος erit.

41. *De iisdem.*

Germani fratres sunt, Chrestos, Acindynos alter.
 Falsum nomen utrique: sed ut verum sit utrique,
Alpha suum Chresto det Acindynos, ipse sine alpha
 Permaneat; verum nomen uterque geret.

42. *De Pallade et Venere armata.*

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.
 Nunc certemus, ait, iudice vel Paride.
Cui Venus: Armatam tu me, temeraria, temnis,
 Quæ, quo te vici tempore, nuda fui?

43. *Idem aliter.*

Armatam Pallas Venerem Lacedæmone visens,
 Visne, ut iudicium sic ineamus? ait.
Cui Venus arridens, Quid me galeata lacessis?
 Vincere si possum nuda, quid arma gerens?

44. *Ad Philomusum grammaticum.*

Emtis quod libris tibi bibliotheca referta est,
 Doctum, et grammaticum te Philomuse putas?
Hoc genere et chordas et plectra, et barbita conde.
 Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

45. *In statuam Rufi Rhetoris semiviri, et elinguis.*

Rhetoris hæc Rufi statua est: nil verius: ipsa est.
 Ipsa adeo linguam non habet, et cerebrum.
Et riget, at surda est, at non videt: omnia Rufi.
 Unum dissimile est: mollior ille fuit.

46. *In tabulam, ubi erat picta imago Rufi rhetoris.*

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?
 Dic mihi, Rufe: taces: nil tibi tam simile est.

47. *De eadem tabula.*

Hæc Rufi tabula est: nil verius: Ipse ubi Rufus?
 In cathedra. Quid agit? Hoc quod et in tabula.

48. *De eodem Rufo.*

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
 Cor ergo versus, immo Rufus non habet.

49. *Idem.*

Qui *reminisco* putat se dicere posse Latine;
 Hic ubi *Co* scriptum est, legeret *Cor*, si cor haberet.

50. *De eodem Rufo.*

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
 Celebri fit ut convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
 Hæc vota dixit nuptiis:
Et masculini, et feminini gignite,
 Generisque neutri filios.

51. *Imago Rufi rhetoris.*

Ore pulchro, et ore muto, scire vis quæ sim? Volo.
 Imago Rufi rhetoris Picta vici.
Diceret sed ipse, vellem, Rhetor hoc mi. Non potest.
 Cur? ipse rhetor est imago imaginis.

52. *De eadem Rufi statua.*

Rhetoris hæc Rufi statua est: Si saxea, Rufi,
 Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

53. *De Diogene Cynico philosopho.*

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supel-
 Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam. (lex
Namque cavis manibus cernens potare bubulcum,
 Cur scyphe, te, dixit, gesto supervacuum?

54. *De Crœso et eodem Diogene.*

Effigiem, rex Crœse, tuam, ditissime regum,
 Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul, solito maiore cachinno
 Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, regum rex o ditissime, cum sis
 Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcumque habui, mecum fero: cum nihil ipse
 Ex tantis tecum, Crœse, feras opibus.

55. *Lais dicans Veneri speculum suum.*

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
 Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus: quia cernere talem,
 Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

56. *De Castore, Polluce, et Helena.*

Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo,
 Patribus ambiguis et matribus assere natos.
Hos genuit Nemesis; sed Leda puerpera fovit.
 Tyndareus pater his, et Iupiter: hic putat, hic scit.

57. *De imagine Veneris sculpta a Praxitele.*

Vera Venus Gnidiam cum vidit Cyprida, dixit:
 Vidisti nudam me, puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus.
 Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.
Qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren,
 Talem fecerunt ferrea cœla Deam.

58. *In buculam æream Myronis.*

Bucula sum, cœlo genitoris facta Myronis
 Ærea: nec factam me puto, sed genitam.
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit:
 Sic vitulus sitiens ubera nostra petit.
Miraris, quod fallo gregem? gregis ipse magister
 Inter pascentes me numerare solet.

59. *De eadem bucula.*

Ubera quid pulsas frigentia matris ahenæ,
 O vitule, et succum lactis ab ære petis?
Hunc quoque præstarem: si me pro parte parasset
 Exteriore Myron, interiore Deus.

60. *Ad Dædalum de eadem bucula.*

Dædale, cur vana consumis in arte laborem?
 Me potius clausæ subiice Pasiphaæ.
Illecebras veræ si vis dare, Dædale, vaccæ,
 Viva tibi species vacca Myronis erit.

61. *Eadem de se.*

Errasti, attendens hæc ilia nostra, iuvence.
 Non manus artificis lac dedit uberibus.

62. *Eadem.*

Pasce greges procul hinc; ne quæso, bubulce, Myro-
 Æs, veluti spirans, cum bubus exagites. (nis

63. *Eadem.*

Me vitulus cernens, immugiet: irruet in me
 Taurus amans: pastor cum grege mittet agens.

64. *De eadem Myronis bucula.*

Ærea mugitum poterat dare vacca Myronis:
 Sed timet artificis deterere ingenium.
Fingere nam similem vivæ, quam vivere, plus est;

Nec sunt facta Dei mira, sed artificis.

65. *Eadem bucula de se.*

Ærea bos steteram, mactata est vacca Minervæ.
Sed Dea proflatam transtulit huc animam
Et modo sum duplex: pars ærea, pars animata.
Hæc manus artificis dicitur, illa Deæ.

66. *Ad taurum eadem bucula.*

Quid me taure paras, specie deceptus, inire?
Non sum ego Minoæ machina Pasiphaæ.

67. *De eadem Myronis bucula.*

Nec dum caduco sole iam sub vespere,
Ageret iuvencas cum domum pastor suas,
Suam relinquens, me minabat, ut suam.

68. *De eadem bucula.*

Unam iuvencam pastor forte amiserat;
Numerumque iussus reddere,
Me defuisse conquerebatur, sequi
Quæ noluissem ceteras.

69. *Quæ sexum mutarint.*

Vallebanæ (nova res, et vix credenda poetis:
Sed quæ de vera promitur historia)
Fœmineam in speciem convertit masculus ales:
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior agna
Adstitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ novitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænida convertit proles Saturnia Consus:
Ambiguoque fuit corpore Tiresias.
Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum:
Vidit nubentem Plinius Androgyunm.
Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus epheborum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

70. *Ad Pythagoram de Marco.*

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
Corporibusque novis das reduces animas:
Dic, quid erit Marcus iam fata novissima functus,
Si redeat vitam rursus in aeriam?
Quis Marcus? Feles nuper pullaria dictus:
Corrupit totum qui puerile secus,
Perversæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo, pullipremo.
Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper, aut aries, sed scarabæus erit.

71. *Subscriptum picturæ Crispæ mulieris impudicæ.*

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus,
Reperit obscœnas veneres vitiosa libido.
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas;
Quam toga facundi scenis agitavit Afrani,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno,
Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam;
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

72. *De Achilla, qui dissecuit calvariam.*

Abiecta in triviis inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute calvitium.
Fleverunt alii: fletu non motus Achillas,
Insuper et silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo ictu rediit lapis ultor ab osse:
Auctorisque sui frontem oculosque petit.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
Auctorem ut feriant tela retorta suum.

73. *De Alcone medico, et Diodoro haruspice.*

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus divis fatisque potentior Alcon,
Falsum convicit illico haruspicium:
Tractavitque manum victuri, ni tetigisset.
Illico nam Marco sex periere dies.

74. *De signo Iovis, et Alcone medico.*

Alcon hesterno signum Iovis attigit: ille,
Quamvis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta
Effertur: quamvis sit Deus, atque lapis.

75. *In Eunomum Medicum.*

Languentem Caium moriturum dixerat olim
Eunomus: evasit fati ope, non medici.
Paulo post ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem, et multa mortis in effigie.
Quis tu? Caius, ait. Vivisne? hic abnuit. At quid
Nunc agis hic? iussu Ditis, ait, venio.
Ut quia notitiam rerumque hominumque tenerem
Accirem medicos. Eunomus obriguit.
Tum Caius: Metuas nihil, Eunome: dixi ego et omnes,
Nullum qui saperet, dicere te medicum.

76. *In hominem vocis absonæ.*

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Capripedumque pecus, lanigerosque greges
Balatu assimilas: asinos quoque rudere dicas,
Cum vis Arcadium, fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, et ovantes gutture corvos,
Et quicquid vocum bellua et ales habet.
Omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur:
Non potes humanæ vocis habere sonum.

77. *Ad Crispam.*

Deformem quidam te dicunt Crispa: at ego istud
Nescio, mi pulchra es: iudice me satis est.
Quin etiam cupio, iunctus quia zelus amori est,
Ut videare aliis fœda, decora mihi.

78. *Qualem velit habere amicam.*

Sit mihi talis amica, velim:
Iurgia quæ temere incipiat:
Nec studeat quasi casta loqui.
Pulchra, procax, petulante manu:
Verbera quæ ferat, et regerat;
Cæsaque ad oscula confugiat.
Nam nisi moribus his fuerit:
Casta, modesta, pudenter agens;
(Dicere abominor) uxor erit.

79. *Ad Cupidinem, ex Græco.*

Hoc quod amare vocant, misce, aut dissolve, Cupido,
Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.

80. *Ad Dionem de amore suo.*

Aut restingue ignem, quo torreor alma Dione:
Aut transire iube: vel face utrimque parem.

81. *Ex Græco,* ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.

Incipe dimidium facti est, cœpisse: supersit
Dimidium: rursum hoc incipe: et efficies.

82. *Ex Græco,* Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.

Gratia quæ tarda est, ingrata est. Gratia namque,
Cum fieri properat, gratia grata magis.

83. *Idem.*

Si bene quid facias, facias cito: nam cito factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

84. *In saltatorem ineptum.*

Deceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio, saltavit qui Capanea, ruit.
Idem qui Nioben saltavit saxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace, visus multo felicior ipsa:
Quod non hic gladio viscera dissecuit.

85. *De eodem.*

Daphnen et Nioben saltavit simius idem,
Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.

86. *Dodralis potio.*

Dodra ex dodrante est: sic collige, ius, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

87. *De eadem.*

Dodra vocor. Quæ causa? Novem species gero. Quæ sunt?
Ius, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.

88. *De eadem dodra potione.*

Δόδρα πότος καὶ ἀριθμός, ἔχω μέλι, οἶνον, ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμόν, ὕδωρ, πέπερι.

89. *De Iurisconsulto, qui uxorem habebat adulteram.*

Iurisconsulto, cui vivit adultera coniux,
Papia lex placuit: Iulia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

90. *Ad Zoilum, qui uxorem mœcham duxerat.*

Semivir uxorem duxisti, Zoile, mœcham.
O quantus fiet questus utrinque domi!
Cum dabit uxori molitor tuus, et tibi adulter,
Quantum deprensi damna pudoris ement!
Sed modo quæ vobis lucrosa libido videtur,
Iacturam senio mox subeunte, feret.
Incipient operas conducti vendere mœchi,
Quos modo munificos lena iuventa tenet.

91. *Ad Venerem* Δύσερως.

Hanc amo, quæ me odit: contra, hanc, quoniam me amat, odi.
Compone inter nos, si potes, alma Venus.
Perfacile id faciam: mores mutabo, et amores.
Oderit hæc, amet hæc. Rursus idem patiar.
Vis ambas ut ames? Si diligat utraque, vellem.
Hoc tibi tu præsta, Marce: ut ameris, ama.

92. *Item.*

Suasisti, Venus ecce, duas dyseros ut amarem.
Odit utraque: aliud da modo consilium.
Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi res.
Pellice promissis: nulla fides inopi.
Attestare Deos. Nec fas mihi fallere divos.
Pervigila ante fores. Nocte capi metuo.
Scribe elegos. Nequeo, Musarum et Apollinis expers.
Frange fores. Pœnas iudicii metuo.
Stulte ab amore mori pateris: non vis ob amorem.
Malo miser dici, quam miser atque reus.
Suasi quod potui: tu alios modo consule. Dic quos?
Quod sibi suaserunt, Phædra et Elissa dabunt,
Quod Canace, Phyllisque, et fastidita Phaoni.
Hoc das consilium? Tale datur miseris.

93. *Pulchrum Dei responsum.*

Doctus Hylas cæstu, Phegeus catus arte palæstræ,
Clarus Olympiacis et Lycus in stadiis,
An possent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ consuluere Deum.
Sed Deus, ut sapiens, Dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, si caveatis, ait,
Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne cursu te Lyce prætereat.

94. *De Hermiones zona.*

Punica turgentes redimibat zona papillas
Hermiones: zonæ textum elegion erat.
Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me:
Exemploque tuo neminem amare vetes.

95. *De Hyla, quem Naiades rapuerunt.*

Aspice quam blandæ necis ambitione fruatur,
Letifera experiens gaudia, pulcher Hylas!
Oscula et infestos inter morituras amores,
Ancipites patitur Naiadas Eumenidas.

96. *Ad Nymphas, Narcissum persequentes.*

Furitis procaces Naiades,
Amore sævo, et irrito.
Ephebus iste flos erit.

97. *De Narcisso, qui sui ipsius amore captus erat.*

Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri.
Nunc tibi amoris adest copia: fructus abest.

98. *De eodem.*

Quid non ex huius forma pateretur amator,
Ipse suam qui sic deperit effigiem?

99. *In Echo dolentem propter mortem Narcissi.*

Commoritur Narcisse tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis,
Ultima nunc etiam verba loquentis amat.

100. *De Hermaphrodito.*

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere,
Nominis ut mixti, sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus, utroque:
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

101. *De coniunctione Salmacis cum Hermaphrodito.*

Salmacis optato concreta est nympha marito.
Felix virgo, sibi si scit inesse virum.
Et tu formosæ, iuvenis, permixte puellæ,
Bis felix, unum si licet esse duos.

102. *Ad Apollinem, de Daphne puella fugiente.*

Pone arcum Pæan, celeresque reconde sagittas:
Non te virgo fugit, sed tua tela timet.

103. *Ad corticem, quo Daphne tegebatur.*

Invide cur properas cortex operire puellam?
Laurea debetur Phœbo, si virgo negatur.

104. *In duas sorores diversorum morum.*

Delia, vos miramur: et est mirabile, quod tam
Dissimiles estis, tuque sororque tua.
Hæc habitu casto, cum non sit, casta videtur;
Tu præter cultum nil meretricis habes.
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus:
Te tamen et cultus damnat, et actus eam.

105. *Ad Gallam.*

Vado, sed sine me, quia te sine: nec nisi tecum,
Totus ero; pars cum sim altera, Galla, tui,
Vado tamen, sed dimidius: vado minor ipso
Dimidio: nec me iam locus unus habet.
Nam tecum fere totus ero, quocumque recedam.
Pars veniet mecum quantulacumque mei.
Separor unus ego: sed partem sumo minorem
Ipse mei: tecum pars mea maior abit.
Si redeam, tibi totus ero: pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua iura. Vale.

106. *In Venerem anadyomenen.*

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Iam tibi nos Cypri, Iuno, inquit, et innuba Pallas,
Cedimus: et formæ præmia deferimus.

107. *In puerum formosum.*

Dum dubitat natura, marem, faceretne puellam,
Factus es o pulcher pæne puella puer.

108. *In scabiosum Polygitonem.*

Thermarum in solio si quis Polygitona vidit
Ulcera membrorum scabie putrefacta foventem,
Præposuit cunctis spectacula talia ludis.
Principio tremulis gannitibus aera pulsat.
Verbaque lascivos meretricum imitantia cœtus
Vibrat, et obscœnæ numeros pruriginis implet.
Brachia deinde rotat, velut enthea dæmone Mænas,
Pectus, crura, latus, ventrem, femora, inguina, suras,

Tergum, colla, humeros, luteæ Symplegadis antrum:
Tam diversa locis vaga carnificina pererrat,
Donec marcentem calidi fervore lavacri
Blandus letali solvat dulcedine morbus.
Defectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cœtus, et non sua bella lacessit,
Irrita vexato consumere gaudia lecto:
Titillata brevi cum iam sub fine voluptas
Fervet, et ingesta peragit ludibria morsu.
Turpia non aliter Polygiton membra resolvit.
Et quia debentur suprema piacula vitæ,
Ad Phlegethonteas sese iam præparat undas.

109. *De quodam Silvio Bono, qui erat Brito.*

Silvius ille Bonus, qui carmina nostra lacessit,
Nostra magis meruit disticha Brito Bonus.

110. *Item.*

Silvius hic Bonus est: quis Silvius? iste Britannus.
Aut Brito hic non est Silvius, aut malus est.

111. *Item.*

Silvius iste Bonus fertur, ferturque Britannus:
Quis credat civem degenerasse bonum?

112. *Item.*

Nemo bonus Brito est: si simplex Silvius esse
Incipiat, simplex desinet esse Bonus.

113. *Item.*

Silvius hic Bonus est: sed Brito est Silvius idem.
Simplicior res est, credite, Brito malus.

114. *Item.*

Silvi, Brito, Bonus: quamvis homo non bonus esse
Ferris: nec se quit iungere Brito Bono.

115. *In Furippum.*

Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum;
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis: aut tende, aut corripe nomen.
Conveniet quodvis, fur, furiose, tibi.

116. *Epicuri opinio.*

Quod est beatum, morte et æternum carens,
Nec sibi parit negotium, nec altari.

117. *De homine pigro.*

Sanus piger febriente multo est nequior.
Potat duplum, dapesque duplices devorat.

118. *In Didus imaginem.*

Illa ego sum Dido vultu, quem conspicis, hospes,
Assimilata modis pulchraque mirificis.
Talis eram: sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo: castus quod perculit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse iuvat: vixi sine vulnere famæ.
Ulta virum, positis mœnibus, oppetii.
Invida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, lectores, credite de me,
Quam qui furta Deum concubitusque canunt
Falsidici vates: temerant qui carmine verum,
Humanisque Deos assimilant vitiis.

119 *De tribus incestis.*

Tres uno in lecto: stuprum duo perpetiuntur,
Et duo committunt: quatuor esse reor.
Falleris: extremis da singula crimina: et illum
Bis numeres medium, qui facit, et patitur.

120. *In Castorem.*

Lambere cum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi:
Reperit, ut nullum fellator perderet inguen;
Uxoris cœpit lingere membra suæ.

121. *De amissa puella.*

Tres fuerant Charites: sed dum mea Lesbia vixit,
Quatuor; ut periit, tres numerantur item.

122. *In Faustulum staturæ brevis Anicii Probini.*

Faustulus insidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, et terræ terga supina dedit.
Mox que idem ad mortem est mulctatus calcibus eius,
Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus: Quid rides, improbe Livor,
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaethon.

123. *In Eunum liguritorem.*

Eune, quid affectas vendentem Phyllida odores?
Diceris hanc mediam lambere, non molere.
Perspice, ne mercis fallant te nomina: vel ne
Aere Seplasiæ decipiare, cave,
Dum Custon Costonque putas communis odoris,
Et Nardum et Sardas esse sapore pari.

124. *In eundem Eunum.*

Diversa infelix et lambit, et olfacit Eunus.
Dissimilem olfactum naris, et oris habet.

125. *In eundem Eunum.*

Salgama non hoc sunt, quod Balsama: cedite odores.
Nec male olere mihi, nec bene olere placet.

126. *In eundem Eunum.*

Ἀχὶς, Ἔρως, et Ἴτυς, Χείρων, et Ἔρως, Ἴτυς alter,
Nomina si scribis, prima elementa adime:
Ut facias verbum, quod tu facis, Eune magister.
Dicere me Latium non decet opprobrium.

127. *In eundem.*

Eune, quod uxoris gravidæ putria inguina lambis,
Festinas glossas non natis tradere natis.

128. *Ad eundem pædagogum liguritorem.*

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister (sic eum docet Phyllis)
Muliebre membrum quadriangulum cernit.
Triquetra coectu Δ literam ducit.
De valle femorum altrinsecus pares rugas
Mediumque, fissi rima qua patet, callem,
Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.
Cui ipse linguam cum dedit suam, Λ est.
Veramque in illis esse Φ notam sentit.
Quid, imperite, ρ putas ibi scriptum,
Ubi locare I convenit longum?
Miselle doctor, ϛ tibi sit obscœno,
Tuumque nomen Θ sectilis signet.

129. *In Medeæ imaginem.*

Medeam vellet cum pingere Timomachi mens,
Volventem in natos crudum animo facinus;
Immanem exhausit rerum in diversa laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrymis, miseratio non caret ira.
Alterutrum videas, ut sit in alterutro.
Cunctantem satis est: nam digna est sanguine mater
Natorum; tua non dextera, Timomache.

130. *In eandem.*

Quis te pictorum simulavit, pessima Colchis,
In natos crudum volvere mente nefas?
Usque adeone sitis puerorum haurire cruorem,
Ut ne picta quidem parcere cæde velis?
Numnam te pellex stimulat? numne alter Iason,
Altera vel Glauce sunt tibi causa necis?
Quin ne picta quidem sis barbara: namque tui vim
Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachum: matrem quod pinxit in ense
Cunctantem, prolis sanguine ne maculet.

131. *In quendam qui lævia sibi inguina faciebat.*

Inguina quod calido lævas tibi dropace, causa est:

Irritant vulsas lævia membra lupas.
Sed quod et elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice Clazomenas:
Causa latet: bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit: at tergo fœmina, pube vires.

132. *In cæcum et claudum.*

Insidens cæco graditur pede claudus utroque.
Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo gressumque ministrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

133. *Idem.*

Ambulat insidens cæco, pede captus utroque:
Atque alterna subit mania debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat: ille vicissim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

134. *De divite et paupere.*

Non est dives opum dives: nec pauper inopsque
Infelix: alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis, cereali munere pauper.
Sed cum egeant ambo, pauper egens minus est.

135. *De Penelope.*

Intemerata procis, et tot servata per annos,
Oscula vix ipsi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas facibus tibi luxit adultis:
Arsit et invidia principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui nova fœmina somnis;
Lapsaque non merito sunt mihi verba sono:
Et tamen ignotos sensi experrecta dolores,
Strataque tentavi sicca pavente manu.
Nam tibi anhelanti, supremaque, bella moventi,
Paruit indulgens et sine voce dolor;
Dente nihil violare fero, nihil unguibus ausæ:
Fœdera nam tacita pace peregit amor.
Denique non aviam tremulo clamore vocavi:
Nec prior obsequio serva cucurrit anus.
Ipsa verecundo tetigi pallore puellas,
Impositum teneri fassa pudoris opus.

136. *In grammaticum.*

Felix Grammaticus non est: sed nec fuit unquam;
Nec quisquam est felix nomine grammaticus.
At si quis felix præter fatum extitit unquam;
Is demum excessit grammaticus canonas.

137. *De infausto matrimonio Grammatici.*

Arma virumque docens, atque arma virumq; peritus
Non duxi uxorem, sed magis arma, domum.
Namque dies totos, totasque ex ordine noctes
Litibus oppugnat meque, meumque larem;
Atque ut perpetuis dotata a marta duellis,
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Iamque repugnanti dedam ma: ut denique victum
Iurget ob hoc solum, iurgia quod fugiam.

138. *De Auxilio Grammatico.*

Emendata potest quænam vox esse magistri,
Nomen qui proprium cum vitio loquitur?
Auxilium te nempe vocas: inscite magister,
Da rectum casum: iam Solecismus eris.

139. *De fratribus Thebanis.*

Nec Stygiis lucis ineunt sua fœdera fratres.
Œdipodionidæ, de misero ah miseri!
Namque etiam ex uno surgentes aggere flammæ
In diversa sui dissiliunt cineris.
Infaudos iuvenes! quos nec discordia cassos
Luce, nec in semet linquit atrox animus.
Atque utinam et Thebas quissent partirier ipsas,
Regnorum et metas, ut cinerum nemulas!

140. *De ingratis, ex Menandro.*

Nil homine terra peius ingrato creat.
Vicinus, hospes, notus, ignotus, clians,
Et si qua genera civium sunt id genus,
Si quid petenti promtus opis impertias,
Ut misereare, gratia actutum perit.

141. *De Demosthene.*

Discere si cupis, a doctis quam multa licebit.
Quæ nosti, meditando velis inolescere menti.
Quæ didicisti, haud dum discendo absumere tendas.

142. *De uxore deformi.*

Deformis uxor cui sit, ancilla alegans,
Uxorem habere, subigere ancillam velit.

143. *De fortunæ varietate.*

Fortuna nunquam sistit in eodem statu.
Semper movetur: variat, et mutat vices,
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

144. *In Stellam.*

Stella prius superis fulgebas Lucifer: at nunc
Extinctus, cassis lumine Vesper eris.

145. *Ex Menandro.*

Re fruere, ut natus mortalis, dilige sed rem,
Tanquam immortalis: sors est in utroque verenda.

146. *Ad notarium velocissime excipientem.*

Puer, notarum præpetum
Sollers minister, advola.
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta singulis,
Ut una vox absolvitur.
Evolvo libros uberes,
Instarque densæ grandinis
Torrente lingua perstrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
Nec occupatur pagina.
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Cum maxime nunc proloquor,
Circumloquentis ambitu,
Tu sensa nostri pectoris
Ut dicta iam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dedisset mens mea.
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista iam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Excercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum absolverit?
Doctrina non hæc præstitit:
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deusque donum tradidit:
Quæ loquerer, ut scires prius:
Idemque velles, quod volo.

EPIGRAMMATA IV

QUIBUS FASTORUM A SE DIGESTORUM MEMINIT.

1. *Ausonius Hesperio filio salutem.*

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ,
Regibus, at patrum ducta sub imperiis,
Digessi Fastos, et nomina perpetis ævi,
Sparsa iaceut Latiam si qua per historiam.
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obsequitur studio nostra lucerna tuo.
Tu quoque venturos per longum consere Ianos,

Ut mea congessit pagina præteritos.
Exemplum iam patris habes, ut protinus et te
Aggreget Ausoniis purpura consulibus.

2. Supputatio ab urbe condita in consulatum nostrum.

Annis undecies centum coniunge quaternos:
Undecies unumque super trieterida necte.
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.

3. De eodem ad Proculum.

Urbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum seriem cum, Procule, accipies;
Mille annos, centumque, et bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit, ut lustrum cum se cumulaverit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem.

4. In fine eiusdem libri additi.

Hactenus adscripsi Fastos: si sors volet, ultra
Adiiciam: si non: qui legis adiicies.
Scire cupis, qui sim? titulum qui quartus ab imo est,
Quære, leges nomen Consulis Ausonii.

EPHEMERIS

ID EST TOTIUS DIEI NEGOTIUM.

Mane iam clarum reserat fenestras.
Iam strepit nidis vigilax hirundo.
Tu, velut primam, mediamque noctem
Parmeno dormis.
Dormiunt glires hyemem perennem,
Sed cibo parcunt: tibi causa somni,
Multa quod potas, nimiaque tendis
Mole saginam.
Inde nec flexas sonus intrat aures:
Et locum mentis sopor altus urget,
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam iuveni quietem,
Noctis et lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, cui Luna somnos
Continuarit.
Surge nugator, lacerande virgis:
Surge; ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur, rape membra molli
Parmeno lecto.
Fors et hæc somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu.
Lesbiæ depelle modum quietis
Acer Iambe.

Item Parecbasis.

Puer, eia, surge: et calceos,
Et linteam da sindonem.
Da, quidquid est, amictui
Quod iam parasti, ut prodeam.
Da rore fontano abluam
Manus, et os, et lumina.
Pateatque, fac sacrarium,
Nullo paratu extrinsecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia est.
Nec thus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei:
Foculumque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus est mihi,
Ac filius summi Dei,
Maiestas uniusmodi,
Sociata sacro spiritu.
Et ecce iam vota ordior:
Et cogitatio, numinis
Præsentiam sentit, pavens.
Pavet ne quidquam spes, fides?

Oratio.

Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu,
Ignorate malis, et nulli ignote piorum,
Principio, extremoque carens: antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet: cuius formamque modumque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus, coramque audire iubentem
Fas habet, et patriam propter considere dextram:
Ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis,
Ipse Dei verbum, verbum Deus, anticipator
Mundi quam facturus erat: generatus in illo
Tempore quo tempus nondum fuit: editus ante,
Quam iubar, et rutilus cœlum illustraret Eous:
Quo sine nil actum: per quem facta omnia: cuius
In cœlo solium: cui subdita terra sedenti,
Et mare, et obscuræ chaos insuperabile noctis:
Irrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum:
Non genito genitore Deus, qui fraude superbi
Offensus populi, gentes in regna vocavit,
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus.
Cernere quem licuit proavis: quo numine viso,
Et patrem vidisse datum: contagia nostra,
Qui tulit, et diri passus ludibria leti,
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ:
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, et inane sepulcri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
Nate patris summi, nostroque salutifer ævo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum;
Pande viam precibus, patriasque hæc perfer ad aures.
Da, pater, invictam contra omnia crimina mentem,
Vipereamque nefas nocituri averte veneni.
Sit satis, antiquam serpens quod perdidit Evam,
Deceptumque adiunxit Adam: nos sera nepotum
Semina veridicis ætas prædicta prophetis,
Vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis.
Pande viam: quæ me post vincula corporis ægri
In sublime ferat: puri qua lactea cœli
Semita ventosæ superat vaga nubila Lunæ.
Qua proceres abiere pii, quaque integer olim
Raptus quadriiugo penetrat super æthera curru
Helias, et solido cum corpore prævius Enoch.
Da pater æterni speratam luminis auram:
Si lapides non iuro Deos, unumque verendi
Suspiciens altare sacri, libamina vitæ
Intemerata fero: si te Dominique, Deique,
Unigenæ cognosco patrem, missumque duobus,
Qui super æquoreas volitabat spiritus undas.
Da, genitor, veniam, cruciataque pectora purga:
Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
Quæro: nec arcanis numen coniecto sub extis:
Si scelere abstineo; errori obnoxius: et si
Opto magis, quam fido, bonus, purusque probari.
Confessam dignare animam: si membra caduca
Execror, et tacitum si pœnitet: altaque sensus
Formido excruciat, tormentaque sera gehennæ
Anticipat, patiturque suos mens saucia manes.
Da, pater, hæc nostro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiamque nihil: satis hoc rear esse,
Quod satis est: nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi: non faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi: nec vero crimine lædar,
Nec macular dubio: paulum distare videtur
Suspectus vereque reus: male posse facultas
Nulla sit: at bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu, atque habitu: sim carus amicis.

Et semper genitor, sine vulnere nominis huius.
Non animo doleam; non corpore: cuncta quietis
Fungantur membra officiis. nec saucius ullis
Partibus amissum quicquam desideret usus.
Pace fruar: securus agam: miracula terræ
Nulla putem: suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis cum, te indulgente, videbor,
Omnia despiciam: fuerit cum sola voluptas
Iudicium sperare tuum: quod dum sua differt
Tempora, cunctaturque dies, procul exige sævum
Insidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mœsto trepidantia vota reatu
Christe, apud æternum placabilia assere patrem,
Salvator, Deus, ac Dominus, meus, gloria, verbum,
Filius, ex vero verus, de lumine lumen,
Æterno cum patre manens, in secula regnans.
Consona quem celebrant modulati carmina David:
Et responsuris ferit aera vocibus, Amen.

Egressio.

Satis precum datum Deo.
Quamvis satis nunquam rei
Fiat precatu numini.
Habitum forensem da, puer.
Dicendum amicis est Ave,
Valeque, quod fit mutuum.
Quod cum per horas quatuor
Inclinet ad meridiem.
Monendus est iam Sosias.

Locus invitationis.

Tempus vocandis namque amicis appetit;
Ne nos, vel illi, demoremur prandium:
Propere per ædes curre vicinas, puer.
Scis ipse, qui sint: iamque dum loquor, redi.
Quinque advocavi: sex enim convivium
Cum rege iustum: si super, convicium est.
Abiit, relicti nos sumus cum Sosia.

Locus ordinandi coqui.

Sosia prandendum est, quartam iam totus in horam
Sol calet: ad quintam flectitur umbra notam.
An vegeto madeant condita obsonia gustu,
(Fallere namque solent) experiundo proba.
Concute ferventes palmis volventibus ollas,
Tinge celer digitos iure calente tuos:
Vibranti lambat quos humida lingua recursu.

* * * * *

---

* * *Desunt multa.* * *

Quadrupedum, et volucrum, vel cum terrena marinis
Monstra admiscentur: donec purgantibus Euris
Difflatæ liquidum tenuantur in aera nubes:
Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Visitur: et turmas equitum, cædesque latronum
Perpetior: lacerat nostros fera bellua vultus;
Aut in sanguinea gladio grassamur arena.
Per mare navifragum gradior pedes: et freta cursu
Transilio, at subitis volito super aera pennis.
Infandas etiam veneres, incestaque noctis
Dedecora, et tragicos patimur per somnia cœtus.
Perfugium tamen est, quotiens portenta soporum
Solvit rupta pudore quies, et imagine fœda
Libera mens vigilat: totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus: probrosa recedit
Culpa tori, et profugi minuiscunt crimina somni.
Cerno, triumphantes inter, me plaudere; rursum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa Deum, sanctasque fores, palatiaque aurea
Specto, et Sarrano videor discumbere in ostro:
Et mox fumosis conviva accumbo popinis.
Divinum perhibent vatem, sub frondibus ulmi
Vana ignavorum simulacra locasse soporum;
Et geminas numero portas: quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aera formas:
Altera, quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubiis conceditur optio nobis:
Deesse fidem lætis melius, quam vana timeri.
Ecce ego iam malim falli: nam, dum modo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
Quam trepidare malis: satis est bene, si metus absit.
Sunt et qui fletus, et gaudia controversa
Coniectent: varioque trahant eventa relatu.
Ite per obliquos cœli, mala somnia, mundos,
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi;
Lunares habitate polos: quid nostra subitis
Limina, et angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignavas placidum traducere noctes,
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod si me nullis vexatum nocte figuris,
Mollis tranquillo permulserit aere somnus;
Hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
Ulmeus, excubiis habitandum dedico vestris.

PARENTALIA

PRÆFATIO.

Scio versiculis meis evenire, ut fastidiose legantur: quippe sic meritum est eorum. Sed quosdam solet commendare materia: et aliquotiens fortasse lectorem solum lemma sollicitat tituli, ut festivitate persuasus, et ineptiam ferre contentus sit. Hoc opusculum nec materia amœnum est, nec appellatione iucundum. Habet mœstam religionem, qua carorum meorum obitus tristi affectione commemoro. Titulus libelli est, *Parentalia*. Antiqua appellatione hic dies, et iam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus: nec quicquam sanctius habet reverentia superstitum, quam ut amissos venerabiliter recordetur.

Item præfatio versibus annotata.

Nomina carorum iam condita funere iusto,
Fleta prius lacrymis, nunc memorabo modis,
Nuda, sine ornatu, fandique carentia cultu.
Sufficit inferiis exequialis honos.
Nænia funereis satis officiosa querelis,
Annua ne tacitus munera prætereas:
Quæ Numa cognatis sollemnia dedicat umbris:
Ut gradus aut mortis postulat: aut generis.
Hoc satis est tumuli, satis est telluris egenis.
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici;
Frontibus hoc scriptis et monumenta iubent.
Ille etiam mœsti cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto pæne sepultus erit.
At tu quicunque es, lector, qui fata meorum
Dignaris mœstis commemorare elegis,
Inconcussa tuæ percurras tempora vitæ:
Et præter iustum funera nulla fleas.

1. *Iulius Ausonius Pater.*

Primus in his pater Ausonius: quem ponere primum,
Etsi cunctetur filius, ordo iubet.
Cura Dei, placidæ functus quod honore senectæ,
Undecies binas vixit Olympiadas.
Omnia quæ voluit, qui prospera vidit: et idem
Optavit quicquid, contigit, ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia: sed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem sua contendit septem sapientibus ætas:
Quorum doctrinam moribus excoluit:

Viveret ut potius, quam diceret arta sophorum,
Quamquam et facundo non rudis ingenio.
Præditus et vitas hominum ratione medendi
Porrigere, et fatis amplificare moras.
Inde et perfunctæ manet hæc reverentia vitæ,
Ætas nostra illi quod dedit hunc titulum:
Ut nullum Ausonius, quem sectaretur, habebat:
Sic nullum, qui se nunc imitetur, habet.

2. *Æmilia Æonia, mater.*

Proxima tu genitrix Æonia, sanguine mixto
Tarbellæ matris, patris et Æduici.
Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis;
Fama pudicitiæ, lanificæque manus,
Coniugiique fides, et natos cura regendi,
Et gravitas comis, lætaque serietas.
Æternum placidos Manes complexa mariti,
Viva thorum quondam, functa fove tumulum.

3. *Æmilius Magnus Arborius, avunculus.*

Culta mihi est pietas, patre primum, et matre voca-
Dicere sed rea fit, tertius Arborius. (tis.
Quem primum memorare nefas mihi, patre secundo:
Rursum non primum ponere, pæne nefas.
Temperies adhibenda ....
Ante alios: quanquam patre secundus erit.
Tu frater genitricis, et unanimis genitoris:
Et mihi qui fueris, quod pater, et genitrix.
Qui me lactentem, puerum, iuvenemque, virumque
Artibus ornasti, quas didicisse iuvat.
Tesibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ:
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornasti cuius Latio sermone tribunal,
Et fora Hiberorum quæque Novempopulis.
Hinc tenus Europam, fama crescente, perito
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos, per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.
Tu postquam primis placui tibi traditus annis,
Dixisti, nato me, satis esse tibi.
Me tibi, me patribus, clarum decus esse professus,
Dictasti satis verba notanda meis.
Ergo vale, Elysiam sortitus avuncule sedem.
Hæc tibi de Musis carmina libo tuis.

4. *Cæcilius Argicius Arborius, avus.*

Officiosa pium ne desere pagina munus.
Maternum post hos commemoremus avum
Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen,
Complexum multas nobilitate domus:
Qua Lugdunensis provincia, quaque potentes
Ædues, Alpino quaque Vienna iugo.
Invida sed nimium generique opibusque superbis
Ærumna incubuit: namque avus et genitor
Proscripti, regnum cum Victorinus haberet
Victor; et in Tetricos recidit imperium.
Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturrus,
Tarbellique furor perstrepit Oceani,
Grassantis dudum fortunæ tela paventem
Pauperis Æmiliæ conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæsita pecunia nisu,
Solamen fesso, non et opes tribuit.
Tu cœli numeros, at conscia sidera fati
Callebas, studium dissimulanter agens.
Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ,
Signatis quam tu condideras tabulis;
Prodita non unquam: sed matris cura retexit
Sedula, quam timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitam cum duxeris annos,
Expertus furtis tela cavenda Deæ,
Amissum flesti post trina decennia natum,
Saucius, atque uno lumine cassus eras.
Dicebas sed te solatia longa fovere;
Quod mea præcipuus fata maneret honos.
Et modo conciliis animarum mixte piorum
Fata tui certe nota nepotis habes.
Sentis quod quæstor, quod te præfectus, et idem
Consul, honorifico munere commemoro.

5. *Æmilia Corinthia Maura, avia.*

Æmiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis:
Coniux prædicto quæ fuit Arborio.
Nomen huic ioculare datum, cute fusca quod olim,
Æquales inter Maura vocata fuit.
Sed non atra animo; qui clarior esset olore,
Et non calcata qui nive candidior.
Hæc non deliciis ignoscere promta pudendis,
Ad perpendiculum seque suosque habuit.
Hæc me præreptum cunis, et ab ubere matris,
Blanda sub austeris imbuit imperiis.
Tranquillos aviæ cineres præstate quieti
Æternum Manes: si pia verba loquor.

6. *Æmilia Hilaria, matertera, virgo devota.*

Tuque gradu generis matertera, sed vice matris,
Affectu nati commemoranda pio,
Æmilia in cunis Hilari cognomen adepta,
Quod læta, et pueri comis ad effigiem,
Reddebas verum non dissimulanter ephebum,
More virum medicis artibus experiens.
Fœminei sexus odium tibi semper: et inde
Crevit devotæ virginitatis amor;
Quæ tibi septenos novies est culta per annos.
Quique ævi finis, ipse pudicitiæ.
Hæc, quia uti mater monitis et amore fovebas,
Supremis reddo filius exequiis.

7. *Cl. Contentus, et Iulius Calippio, patrui.*

Et patruos Elegea meos reminiscere cantu;
Contentum, tellus quem Rutupina tegit,
Magna cui et variæ quæsita pecunia sortis,
Hæredis nullo nomine tuta perit.
Raptus enim lætis, et adhuc florentibus annis,
Trans mare, et ignaris fratribus oppetiit.
Iulius in longam produxit fata senectam,
Affectus damnis innumerabilibus.
Qui comis, blandusque, et mensa commodus uncta,
Hæredes solo nomine nos habuit.
Ambo pii, vultu similes, ioca seria mixti,
Ævi fortunam non habuere parem.
Discreti quanquam tumulis, et honore iacetis:
Commune hoc verbi munus habete, Vale.

8. *Attusius Lucanus Talisius, socer.*

Qui proceres, veteremque volet celebrare Senatum,
Claraque ab exortu stemmata Burdigalæ:
Teque, tuumque genus memoret, Lucane Talisi:
Moribus ornasti qui veteres proavos.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore, comis,
Facundo civis maior ab ingenio:
Venatu, et ruris cultu, victusque nitore,
Omne ævum peragens; publica despiciens:
Nosci inter primos cupiens, prior esse recusans,
Ipse tuo vivens segregus arbitrio.
Optabas tu me generum florente iuventa:
Optare hoc tantum, non et habere datum.
Vota probant superi meritisque faventia sanctis
Implent fata, viri quod voluere boni.
Et nunc perpetui sentis sub honore sepulcri,
Quam reverens natæ, quamque tui maneam.
Cœlebs namque gener nunc hæc pia munera solvo:
Nam et cœlebs nunquam desinet esse gener.

9. *Attusia Lucana Sabina, uxor.*

Hactenus ut caros, ita iusto funere fletos
Functa piis cecinit nænia nostra modis.

Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile fulmen,
Coniugis ereptæ mors memoranda mihi.
Nobilis a proavis, et origine clara senatus;
Moribus usque bonis clara Sabina magis.
Te iuvenis primis luxi deceptus in annis,
Perque novem cœlebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum senio sopire dolorem:
Semper crudescit nam mihi pœna recens.
Admittunt alii solatia temporis ægri.
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita cœlibe canos:
Quoque magis solus, hoc mage mœstus ago.
Vulnus alit, quod muta domus silet, et torus alget:
Quod mala non cuiquam, non bona participo.
Mœreo, si coniux alii bona: mœreo contra,
Si mala: ad exemplum tu mihi semper ades.
Tu mihi crux ab utraque venis: sive est mala, quod tu
Dissimilis fueris: seu bona, quod similis.
Non ego opes cassas, et inania gaudia plango:
Sed iuvenis iuveni quod mihi rapta viro.
Læta, pudica, gravis, genus inclyta, et inclyta for-
Et dolor, atque decus coniugis Ausonii. (ma,
Quæ modo septenos quater impletura Decembres,
Liquisti natos, pignora nostra, duos.
Illa favore Dei, sicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor ut vigeant. Tandemque superstite utroque
Nuntiet hoc cineri nostra favilla tuo.

10. *Ausonius parvulus filius.*

Non ego te infletum memori fraudabo querela,
Primus nate meo nomine dicte puer.
Murmura quem primis meditantem absolvere verbis
Indolis ut plenæ planximus exsequiis.
Tu gremio in proavi funus commune locatus,
Invidiam tumuli ne paterere tui.

11. *Pastor, nepos ex filio.*

Tu quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis mœsti luctus acerbus avi.
Pastor care nepos, spes cuius certa fuit res,
Hesperii patris tertia progenies.
Nomine quod casus dederat: quia fistula primum
Pastorale melos concinuit genito.
Sero intellectum vitæ brevis argumentum:
Spiritus afflatis quod fugit e calamis.
Occidis amissæ percussus pondere testæ,
Abiecit tecto quam manus artificis.
Non fuit artificis manus hæc: manus illa cruenti
Certa fuit fati, supposita in eum.
Heu quæ vota mihi! quæ rumpis gaudia, Pastor!
Illa meum petiit tegula missa caput.
Dignior o, nostræ gemeres qui fata senectæ;
Et quererere meas mœstus ad exequias.

12. *Iulia Dryadia soror.*

Si qua fuit virtus, cuperet quam fœmina prudens
Esse suam, soror hac Dryadia enituit.
Quin etiam multas habuit, quas sexus habere
Fortior optaret, nobilitasque virum.
Docta satis, vitamque colo, famamque tueri:
Docta bonos mores ipsa, suosque docens.
Et verum vita cui carius: unaque cura,
Nosse Deum, et fratrem diligere ante alios.
Coniuge adhuc iuvenis caruit: sed seria vitam
Moribus austeras æquiparavit anus.
Produxit celerem per sena decennia vitam,
Inque domo, ac tecto, quo pater, oppetiit.

13. *Avitianus, frater.*

Avitianum, Musa, germanum meum
Dona querela funebri.
Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
Verum iuventæ flore læto perfrui,
Ævique supra puberis
Exire metas, vetuit infesta Atropos.
Heu quem dolorem sauciis
Heu quanta vitæ decora, quem cultum spei
Germane pubes deseris!
Germane carnis lege, et ortu sanguinis,
Amore pæne filius.

14. *Val. Latinus Euronius gener.*

O generis clari decus, o mihi funus acerbum,
Euroni, e iuvenum lecte cohorte gener,
Occidis in primæ raptus mihi flore iuventæ,
Lactentis nati vix bene note pater.
Tu procerum de stirpe satus, prægressus et ipsos,
Unde genus claræ nobilitatis erat.
Ore decens, bonus ingenio, facundus, et omni
Dexteritate vigens, præcipuusque fide.
Hoc præfecturæ sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus et ipse cliens.
Nil ævi brevitate tamen tibi laudis ademtum:
Indole maturus, funere acerbus obis.

15. *Pomponius Maximus, affinis.*

Et te germanum, non sanguine, sed vice fratris,
Maxime, devinctum nænia nostra canat.
Coniux namque meæ tu consociate sorori
Ævi fruge tui destituis viduam.
Non domus hoc tantum sensit tua: sensit acerbum
Saucia proh casum curia Burdigalæ,
Te primore vigens, te deficiente relabens,
Inque Valentinum te moriente cadens.
Heu! quare nato, cur fruge et flore nepotum
Ereptus nobis, Maxime, non frueris?
Sed frueris: divina habitat si portio Manes;
Quæque futura olim gaudia, nosse datur.
Longior hic etiam lætorum fructus habetur,
Anticipasse diu, quæ modo participas.

16. *Veria Liceria, uxor Arborii sororis filii.*

Tu quoque vel nurus mihi nomine, vel vice natæ
Veria, supremi carmen honoris habe.
Cuius si probitas, si forma et fama, fidesque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus,
Nunc laudanda forent; procul et de manibus imis
Arcessenda esset vox proavi Eusebii.
Qui quoniam functo iam pridem conditus ævo,
Transcripsit partes in mea verba suas:
Accipe funereas neptis defleta querelas,
Coniux Arborii commemoranda mei.
Cui parva ingentis luctus solatia linquens
Destituis natum, quo magis excrucias.
At tibi dilecti ne desit cura mariti,
Iuncta colis thalamo nunc monumenta tuo.
Hic, ubi primus hymen, sedes ibi mœsta sepulcri:
Nupta magis dici, quam tumulata potes.

17. *Pomponius Maximus Herculanus, sororis filius.*

Nec Herculanum genitum germana mea,
Modulamine nænia tristi
Tacitum sine honore relinquat:
Super indole cuius adulti
Magnæ bona copia laudis.
Verum memorare magis, quam
Functum laudare decebit.
Decus hoc matrisque, meumque,
In tempore puberis ævi
Vis perculit invida fati
Ehu! quem, Maxime, fructum?
Facunde, et musice, et acer,
Mente bonus, ingenio ingens,

Volucer pede, corpore pulcher,
Lingua catus, ore canorus,
Cape munus triste parentum,
Lachrymabilis orsa querelæ;
Quæ funereum modulatus
Tibi mœstus avunculus offert.

18. *Fl. Sanctus, maritus Pudentillæ, quæ soror Sabinæ meæ.*

Qui ioca lætitiamque colis, qui tristia damnas,
Nec metuis quenquam, nec metuendus agis:
Qui nullum insidiis captas, nec lite lacessis,
Sed iustam et clemens vitam agis, et sapiens:
Tranquillos Manes, supremaque mitia sancti
Ore pio, et verbis advenerare bonis:
Militiam nullo qui turbine sedulus egit:
Præside lætatus quo Rutupinus ager.
Octoginta annos cuius tranquilla senectus
Nullo mutavit deteriore die.
Ergo precare favens, ut qualia tempora vitæ,
Talia et ad manes otia Sanctus agat.

19. *Namia Pudentilla, affinis.*

Tuque Pudentillam verbis affare supremis,
Quæ famæ curam, quæ probitatis habes.
Nobilis hæc, frugi, proba, læta, pudica, decora,
Coniugium Sancti iugiter hæc habuit.
Inviolata tuens castæ præconia vitæ,
Rexit opes propriis, otia agente viro:
Non ideo exprobrans, aut fronte obducta, marito,
Quod gereret totam fœmina sola domum.
Heu, nimium iuvenis, sed læta superstite nato,
Atque viro, patiens fata suprema obiit.
Unanimis nostræ at quondam germana Sabinæ,
Et mihi inoffenso nomine dicta soror.
Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat:
Atque Pudentillam fantis honore colit.

20. *Lucanus Talisius * curam filii.*

Nec iam tu metris, spes unica, ephebe Talisi,
Consobrine, meis immemoratus eris.
Ereptus primis ævi florentis in annis;
Iam tamen et coniux, iam properate pater.
Festinasse putes fatum. ne funus acerbum
Duceret hoc genitor, tam cito factus avus.

21. *Attusia Lucana Talisia. Erminiscius a Regulus, affinis.*

Notitia exilis nobis, Attusia, tecum,
Cumque tuo plane coniuge nulla fuit.
Verum tu nostræ soror es germana Sabinæ;
Affinis quoque tu, Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam cara vocabula nobis,
Stringamus mœsti carminis obsequio.
Quamvis Santonica procul in tellure iacentes,
Parvenit ad Manes exequialis honos.

22. *Severus Censor Iulianus, consocer.*

Desinite, o veteres, Calpurnia nomina, Frugi,
Ut proprium hoc vestræ gentis habere decus.
Nec solus semper Censor Cato, nec sibi solus
Iustus Aristides, his placeant titulis.
Nam sapiens quicunque fuit, verumque fidemque
Qui coluit, comitem se tibi, Censor, agat.
Te gravis, et comis, cum iustitiaque remissus,
Austeris doctus iungere temperiem.
Tu non ascito tibi me, nec sanguine iuncto,
Optasti nostras consociare domos.
Nempe aliqua in nobis morum simulacra tuorum
Effigies nostri præbuit ingenii.
Aut iam Fortunæ sic se vertigo rotabat,
Ut pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud Manes sentis, fovet hoc tibi mentem,
Quod fieri optaras, id voluisse Deum.

23. ***Paulinus et Dryadia, filii Paulini, et Megentiræ sororis filiæ.***

Qui nomen vultumque patris, Pauline, gerebas,
Amissi specimen qui genitoris eras:
Propter quem luctus miseræ decedere matris
Cœperat; offerret cum tua forma patrem:
Redderet et mores, et moribus adderet illud,
Paulinus caruit quo pater, eloquium.
Eriperis lætis, et pubescentibus annis,
Crudaque adhuc matris pectora sollicitas.
Flemus enim raptam thalami de sede sororem,
Heu! non maturo funere, Dryadiam.
Flemus: ego in primis, qui matris avunculus, et vos
Natorum tanquam diligo progeniem.
Illa manus inter genitricis, et oscula patris
Occidit, Hispana tum regione procul.
Quam tener, et primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus, ephebe, genas!
Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus:
Funera sed tumulis iam geminata dedit.
Sit satis hoc, Pauline pater: divisio facta est:
Debetur matri cætera progenies.

24. *Paulinus, sororis gener.*

Qui lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quique fidem sancta cum pietate colit:
Paulini Manes mecum veneratus, amicis
Irroret lacrymis, annua liba ferens.
Æquævus, Pauline, mihi; natamque sororis
Indeptus thalamo: si mihi pæne gener.
Stirpis Aquitanæ mater tibi: nam genitori
Cossio Vasatum, municipale genus.
Scrinia Præfecti meritus, rationibus inde
Præpositus Lybicis, præmia opima capis.
Nam Correcturæ tibi Tarraco Hibera tribunal
Præbuit, affectans esse clienta tibi.
Tu socrum pro matre colens, affinis haberi
Non poteras, nati cum fruerere loco.
Inter concordes vixisti fidus amicos,
Duodeviginti functus Olympiadas.

25. *Æmilia Dryadia, matertera.*

Te quoque Dryadiam materteram,
Flebilibus modulis,
Germana genitus, prope filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædisque iugalibus
Invida mors rapuit:
Mutavitque torum feretri vice
Exequialis honor.
Discebas in me, matertera,
Mater uti fieres.
Unde modo hoc mœstum tibi defero
Filius officium.

26. *Iulia Cataphronia, amita.*

Quin et funereis amitam impartire querelis,
Musa, Cataphroniam.
Innuba devota quæ virginitatis amorem,
Parcaque anus coluit;
Et mihi, quod potuit, quamvis de paupere summa,
Mater uti, attribuit.
Ergo commemorata, Ave: mœstumque vocata
Pro genitrice, Vale.

27. *Iulia Veneria, amita.*

Et amita Veneria properiter obiit:
Cui brevia mela modifica recino;
Ciuis uti placidula supera vigeat,
Loca tacita celeripes adeat Erebi.

28. *Iulia Idalia, consobrina.*

Parva etiam fuit Idalia;
Nomine prædita quæ Paphiæ,

Et speciem meruit Veneris.
Quæ genita est, mihi pæne soror.
Filia nam fuit hæc amitæ,
Quam celebrat sub honore pio
Nænia, carmine funereo.

29. *Æmilia Melania, soror.*

Æmilia, hos, vix nota mihi soror, accipe questus
Debent quos cineri mœsta Elegea tuo.'
Coniunxit nostras æquævs infantia cunas:
Unoquamvis tu consule maior eras.
Invida sed nimium Lachesis properata peregit
Tempora: et ad Manes funera acerba dedit.
Præmissa ergo vale; Manesque verere parentum;
Qui maiore ævo, quique minore venit.

30. *Pomponia Urbica, consocrus, uxor Iuliani Censoris.*

Ut generis clari, veterum sic fœmina morum
Urbica, Censoris nobilitata toro,
Ingenitis pollens virtutibus, auctaque et illis
Quas docuit coniux, quas pater, et genitrix:
Quas habuit Tanaquil, quas Pythagorea Theano,
Quæque sine exemplo est in nece functa viri.
Et tibi si fatum sic permutare dedisset,
Viveret hoc nostro tempore Censor adhuc.
Sed neque tu viduam longum cruciata sub ævo,
Protinus optato fine secuta virum.
Annua nunc mœstis ferimus tibi iusta querelis,
Cum genero et natis consocer Ausonius.

COMMEMORATIO

PROFESSORUM BURDIGALENSIUM.

Præfatio.

Vos etiam, quos nulla mihi cognatio iunxit,
Sed fama, et caræ relligio patriæ,
Et studium in libris, et sedula cura docendi,
Commemorabo, viros morte obita celebres.
Fors erit, ut nostros Manes sic asserat olim,
Exemplo cupiet qui pius esse meo.

1. *Tiberius victor Minervius, orator.*

Primus Burdigalæ columen dicere, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quinctiliane togæ.
Illustres quondam quo præceptore fuerunt
Constantinopolis, Roma, dehinc patria.
Non equidem certans cum maiestate duarum;
Solo sed potior nomine, quod patria.
Asserat usque licet Fabium Calagurris alumnum:
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc iuvenes; bis mille Senatus
Adiecit numero, purpureisque togis:
Me quoque: sed quoniam multa est prætexta, silebo:
Teque canam de te, non ab honore meo.
Sive Panegyricos placeat contendere libros,
In Panathenaicis tu numerandus eris:
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quinctilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia: quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret illuviem.
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te sic viguit, cedat ut ipse tibi.
Anne et divini bona naturalia doni
Adiiciam? memori quam fueris animo?
Audita ut, vel lecta semel, ceu fixa teneres:
Auribus et libris esset ut una fides?
Vidimus et quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos:
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt excisi per cava buxa gradus:
Narrantem fido per singula puncta recursu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Nullo felle tibi mens livida; tum sale multo
Lingua dicax, blandis et sine lite iocis.
Mensa nitens, quam non censoria regula culpet:
Nec nolit Frugi Piso vocare suam:
Nonnunquam pollens natalibus, et dape festa:
Non tamen angustas ut tenuaret opes.
Quanquã hæredis egens, bis sex quinquennia functus,
Fletus es a nobis, ut pater, et iuvenis.
Et nunc, sive aliquid post fata extrema superest,
Vivis adhuc, ævi, quod periit meminens.
Sive nihil superest, nec habent longa otia sensus,
Tu tibi vixisti: nos tua fama iuvat.

2. *Latinus Alcimus Alethius, Rhetor.*

Nec me nepotes impii silentii
Reum ciebunt, Alcime:
Minusque dignum, non et oblitum ferent
Tuæ ministrum memoriæ;
Opponit unum quem viris prioribus
Ætas recentis temporis.
Palmæ forensis, et Camœnarum decus,
Exemplar unum in literis:
Quas aut Athenis docta colnit Græcia,
Aut Roma per Latium colit.
Moresne fabor, et tenorem regulæ,
Adusque vitæ terminum?
Quod laude clarus, quod paratus literis,
Omnem refugisti ambitum?
Te nemo gravior, vel fuit comis magis,
Aut liberalis indigis:
Danda salute, si forum res posceret;
Studio docendi, si scholam.
Vivent per omnem posterorum memoriam,
Quos tu sacræ famæ dabas.
Et Iulianum tu magis famæ dabis,
Quam sceptra, quæ tenuit brevi.
Sallustio plus conferent libri tui,
Quam consulatus addidit.
Morum tuorum, decoris, et facundiæ
Formam dedisti filiis.
Ignosce, nostri læsus obsequio stili:
Amoris hoc crimen tui est;
Quod digna nequiens promere, officium colo,
Iniuriose sedulus.
Quiesce placidus, et caduci corporis
Damnum repende gloria.

3. *Luciolus, Rhetor.*

Rhetora Luciolum condiscipulum, atque magistrum,
Collegamque dehinc, nænia mœsta refer;
Facundum, doctumque virum, seu lege metrorum,
Condita, seu prosis solveret orsa modis.
Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo,
Linquentem natos sexui utroque duos:
Nequaquam meritis cuius responderit hæres,
Obscuros quamvis nunc tua fama iuvet.
Mitis amice, bonus frater, fidissime coniux,
Nate pius, genitor, pœnitet, ut fueris.
Comis convivis, nunquam inclamare clientes,
Ad famulos nunquam tristia verba loqui.
Ut placidos mores, tranquillos sic cole Manes;
Et cape ab Ausonio munus, amice, Vale.

4. *Attius Patera pater, Rhetor.*

Ætate quamquam viceris dictos prius,
Patera, fandi nobilis:
Tamen, quod ævo floruisti proximo,
Iuvenisque te vidi senem.
Honore mœstæ non carebis næniæ,
Doctor potentum Rhetorum.
Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,

Beleni sacratum ducis e templo genus:
Et inde vobis nomina:
Tibi Paterae: sic ministrus nuncupant
Apollinaris mystici.
Fratri, patrique nomen a Phœbo datum:
Natoque de Delphis tuo.
Doctrina nulli tanta in illo tempore,
Cursusque tot fandi et rotæ
Memor, disertus, lucida facundia,
Canore, cultu præditus,
Salibus modestus, felle nullo perlitus,
Vini, cibique abstemius;
Lætus, pudicus, pulcher; in senio quoque, ut
Aquilæ senectus, aut equi.

5. *Attius Tiro Delphidius, Rhetor.*

Facunde, docte, lingua et ingenio celer,
Iocis amœne, Delphidi,
Subtextus esto flebili threno patris,
Laudi ut subibas æmulus.
Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis
Dei poeta nobilis,
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Iovem.
Mox inde cursim more torrentis freti,
Epos ligasti metricum:
Ut nullus æqua lege liber carminum
Orationem texeret.
Celebrata varie cuius eloquentia
Domi forisque claruit:
Seu tu cohortis Præsulem prætoriæ;
Provinciarum aut iudices
Coleres, tuendis additus clientibus,
Famæ, et salutis sauciis.
Felix, quietis si maneres literis,
Opus Camœnarum colens:
Nec odio magnis concitata litibus
Armaret ultor impetus:
Nec inquieto temporis tyrannici
Palatio te attolleres.
Dum spem remotam semper arcessis tibi,
Fastidiosus obviæ,
Tuumque mavis esse, quam fati, bonum;
Desiderasti plurima,
Vagus per omnes dignitatum formulas,
Meritusque plura, quam gerens.
Unde insecuto criminum motu gravi,
Donatus ærumnis patris:
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax,
Curam fefellisti patrum;
Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es:
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus coniugis.

6. *Alethio Minervio, filio, Rhetori.*

O flos iuvenum,
Spes læta patris,
Nec certa tuæ
Data res patriæ,
Rhetor Alethi.
Tu primævis
Doctor in annis,
Et præceptor
Tempore, quo te
Dicere adultum
Non turpe foret.
Prætextate
Iam genitori
Collatus eras.
Ille superba
Mœnia Romæ
Fama et meritis
Inclytus auxit:
Te Burdigalæ
Lætus patriæ
Clara cohortis
Vexilla regens,
Post Nazarium,
Postque Pataram;
Maior utroque,
Non sine morsu
Gravis invidiæ,
Cuncta habuisti
Commoda fati.
Non mansuris
Ornate bonis;
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, et rapuit.
Solstitialis
Velut herba solet,
Ostentatus
Raptusque simul,
Pubere in ævo
Deseruisti
Vota tuorum,
Et Rhetoricam
Floris adulti
Fruge carentem;
Et connubium
Nobile soceri,
Sine pace patris;
Et divitias
Utriusque domus
Sine hærede tuo.
Quam fatiloquo
Dicta profatu
Versus Horatî!
NIHIL EST AB OMNI
PARTE BEATUM.

7. *Leontius, grammaticus, cognomento lascivus.*

Qui colis lætos, hilarosque mores,
Qui dies festos, ioca, vota, ludum,
Annum functi memora Leontî
Nomine threnum.
Iste Lascivus patiens vocari,
Nomen indignum probitate vitæ
Abnuit nunquam: quia gratum ad aures
Esset amicas.
Literis tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedræ:
Posset insertus numero ut videri
Grammaticorum.
Tu meæ semper socius iuventæ,
Pluribus quamvis cumulatus annis,
Nunc quoque in nostris recales medullis,
Blande Leonti!
Et iuvat tristi celebrare cura
Flebilem cantum memoris querelæ:
Munus ingratum, tibi debitumque
Carmine nostro.

8. *Grammaticis Græcis Burdigalensibus.*

Romulum post hos prius, an Corinthi,
Anne Sperchei, pariterque nati
Atticas Musas memorem Menesthei
Grammaticorum?
Sedulum cunctis studium docendi;
Fructus exilis, tenuisque sermo:
Sed, quia nostro docuere in ævo,
Commemorandi.
Tertius horum mihi non magister;
Ceteri primis docuere in annis,
Ne forem vocum rudis, aut loquendi;
Sed sine cultu.
Obstitit nostræ quia, credo, mentis
Tardior sensus: neque disciplinis
Appulit Græcis puerilis ævi
Noxius error.
Vos levis cæspes tegat, et sepulcri
Tecta defendant cineres opertos:
At meæ vocis titulus supremum
Reddat honorem.

9. *Iucundo, Grammatico Burdigalensi, fratri Leontii.*

Et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruisse putant;
Voce ciebo tamen, simplex, bone, amice, sodalis;
Iucunde, hoc ipso care magis studio:
Quod, quamvis impar, nomen tam nobile amasti,
Es meritos inter commemorande viros.

10. *Grammaticis Latinis Burdigalensibus, Philologis, Macrino, Phœbicio, Concordio, Sucuroni, Ammonio, Anastasio Grammatico Pictaviorum.*

Nunc, ut quemque mihi
Flebilis officii
Relligiosus honor
Suggeret, expediam.

Qui, quamvis humili
Stirpe, loco, ac merito,
Introtulere tamen
Grammaticæ studium
Ingenuis hominum
Burdigalæ rudibus.
Permaneat series;
Sit Macrinus in his,
Sobrius et puerorum
Utilis ingeniis.
Hinc mea principio
Credita pueritiæ.
Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium:
Qui Beleni ædituus,
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidum,
Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.
Et tu, Concordi,
Qui profugus patria,
Mutasti sterilem
Urbe alia cathedram.
Et libertina,
Sucuro, progenies;
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.
Pange et Anastasio
Flebile, Musa, melum,
Et memora tenuem,
Nænia, Grammaticum:
Burdigalæ hunc genitum,
Transtulit ambitio,
Pictonicæque dedit;
Pauper ubi, at tenuem
Victum habitumq; colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, at cathedræ
Perdidit in senio:
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem:
Sed tamen hunc noster
Commemoravit honos.
Religiosum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ;
Ne pariter tumulus
Nomen et ossa tegat.

11. *Herculano, sororis filio, Grammatico Burdigalensi.*

Herculane, qui profectus gremio de nostro et schola,
Spem magis, quam rem fruendā præbuisti avunculo,
Particeps scholæ, at cathedræ pæne successor meæ;
Lubricæ nisi te iuventæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam:
Esto placidus, et quietis Manibus sedem fove,
Iam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

12. *Thalasso, Grammatico Latino, Burdigalensi.*

Officium, nomenque tuum, primæve Thalasse,
Parvulus audivi: vix etiam memini,
Qua forma, aut merito fueris, qua stirpe parentum.
Ætas nil de te posterior celebrat.
Grammaticum iuvenem te tantum fama ferebat,
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.
Sed quicunque tamen, nostro quia doctor in ævo
Vixisti, hoc nostrum munus habeto, Vale.

13. *Citario, Siculo Syracusano, Grammatico Burdigalensi, Græco.*

Et, Citari dilecte, mihi memorabere, dignus
Grammaticos inter qui celebrere bonos.
Esset Aristarchi tibi gloria, Zenodotique,
Graiorum; antiquus si sequeretur honos.
Carminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis,
Concedit Cei Musa Simonidei.
Urbe satus Sicula, nostram peregrinus adisti:
Excultam studiis quam prope reddideras.
Coniugium nactus cito nobilis, et locupletis,
Invidia fati non genitor moreris.
At nos defunctum memori celebramus honore,
Fovimus ut vivum munere amicitiæ.

14. *Censorio Attico Agricio, Rhetori.*

Eloquii merito primis æquande, fuisti,
Agrici, hic positus posteriore loco:
Ævo qui quoniam genitus functusque recenti,
Dilatus nobis, non et omissus eras.
Quocunque in numero, tristi memorabere threno:
Unus honos tumuli serus, et ante datus.
Tam generis tibi celsus apex, quam gloria fandi.
Gloria Athenæi cognita sede loci;
Nazario, et claro quondam delata Pateræ,
Egregie multos excoluit iuvenes.
Coniuge nunc, natisque superstitibus, generoque,
Maiorum Manes, et monumenta foves.

15. *Nepotiano Grammatico, eidem Rhetori.*

Facete, comis, animo iuvenali senex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens,
Ævum per omne nil amarum miscuit:
Nostri medela, Nepotiane, pectoris;
Tam seriorum quam iocorum particeps,
Taciturne, Amyclas qui silendo viceris.
Te fabulantem non Ulixes linqueret,
Liquit canentes qui melodas virgines.
Probe, et pudice, parce, frugi, abstemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens stilo,
Et disputator ad Cleanthen Stoicon:
Scaurum, Probumque corde callens intimo:
Et Epirotæ Cinea memor magis.
Sodalis, et convictor, hospes iugiter:
Parum quod hospes; mentis agitator meæ.
Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore gesti Præsidatus inclitus,
Decies novenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis,
Dolore multo, tam tuorum, quam meo.

16. *Æmilius Magnus Arborius, Rhetor Tolosæ.*

Inter cognatos iam fletus, avuncule, Manes:
Inter Rhetoricos nunc memorandus eris.
Illud opus pietas, istud reverenda virorum
Nomina, pro patriæ religione habeant.
Bis meritum duplici celebremus honore parentem
Arborium, Arborio patre, et avo Argicio.
Stemma tibi patris Æduici; Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit; ambo genus procerum.
Nobilis et dotata uxor, domus, et schola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt iuveni.
Dum Constantini fratres opulenta Tolosa
Exilii specie sepositos cohibet.
Byzanti inde arcem, Thressæque Propontidis urbem
Constantinopolim fama tui pepulit.
Illic dives opum, doctoque ibi Cæsare honorus,
Occumbis patribus, Magne, superstitibus.
In patriam sed te sedem, ac monumenta tuorum
Principis Augusti restituit pietas.
Hinc renovat causam lacrimis, et flebile munus,
Annuus ingrata religione dies.

17. *Exuperius, Rhetor Tolosæ.*

Exuperi, memorande mihi, facunde sine arte,
Incessu gravis, et verbis ingentibus, ore
Pulcher, et ad summam, motuq; habituque venusto:
Copia cui fandi longe pulcherrima; quam si
Auditu tenus acciperes; deflata placeret;
Discussam scires solidi nihil edere sensus.
Palladiæ primum toga te venerata Tolosæ,
Mox pepulit levitate pari. Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi
Formasti Rhetor, metam prope puberis ævi.
Cæsareum qui mox indepti nomen, honorem
Præsidis, Hispanumque tibi tribuere tribunal.
Decedens, placidos mores, tranquillaque vitæ
Tempora prædives finisti sede Cadurca.
Sed patriæ te iura vocant, et origo parentum,
Burdigalæ ut rursum nomen de Rhetore reddas.

18. *Marcello Marcelli filio, Grammatico Narbonensi.*

Nec te Marcello genitum, Marcelle, silebo;
Aspera quem genitrix urbe, domo, pepulit:
Sed fortuna potens cito reddidit omnia, et auxit.

Amissam primum Narbo dedit patriam.
Nobilis hic hospes Clarentius indole motus,
Egregiam natam coniugio attribuit.
Mox schola, et auditor multus prætextaque pubes,
Grammatici nomen, divitiasque dedit.
Sed nunquam ingem cursum fortuna secundat,
Præsertim pravi nacta virum ingenii.
Verum oneranda mihi non sunt : memoranda recepi
Fata: sat est dictum, cuncta perisse simul;
Non tamen et nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti.

19. *Sedatus, Rhetor Tholosanus.*

Relligio est, tacitum si te, Sedate, relinquam,
Quamvis docendi munus indepte es foris.
Communis patria est tecum mihi: forte potentis
Fati Tolosam nactus es sedem scholæ.
Illic coniugium, natique, opulensque senectus,
Et fama, magnoqualis est par Rhetori.
Quamvis externa tamen a regione reducit
Te patria, et civem morte obita repetit.
Cumque vagantem operam divisæ impenderis urbi,
Arbitrium de te sumit origo suum.
Est tua nunc soboles, moremque secuta parentis,
Narbonem, ad Romam nobilitat studiis.
. . . . sed
Fama, velit nolit, Burdigalam referet.

20. *Staphylius Rhetor, civis Auscius.*

Hactenus observata mihi lex commemorandi
Cives, sive domi, seu docuere foris.
Externum sed fas coniungere civibus unum
Te, Staphyli, genitum stirpe Novempopulis.
Tu mihi, quod genitor, quod avunculus; unus utrum-
Alter ut Ausonius, alter ut Arborius. (que;
Grammatice ad Scaurum atque Probū, promtissime
Historiam callens Livii et Herodoti. (Rhetor,
Omnia doctrinæ ratio tibi cognita; quantam
Condit sexcentis Varro voluminibus.
Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus,
Nec cunctator eras, nec properante sono.
Pulchra senecta, nitens habitus, procul ira, dolusq;,
Et placidæ vitæ congrua meta fuit.

21. *Crispus et Urbicus grammat. latini et græci.*

Tu quoque in ævum, Crispe, futurum
Mœsti venies commemoratus
Munere threni.
Qui primævos, fandique rudes
Elementorum prima docebas
Signa novorum,
Creditus olim fervere mero,
Ut Virgilii Flaccique locis
Æmula ferres.
Et tibi Latiis posthabite orsis,
Urbice, Graiis celebris, carmen
Sic ἐλελίσω.
Nam tu Crispo coniuncte tuo
Prosa solebat, et versu loqui
Impete eodem,
Priscos ut et Heroes olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres:
Dulcem in paucis ut Plisthenidem,
Et torrentis ceu Dulichii
Ninguida dicta,
Et mellitæ nectare vocis
Dulcis fatu verba canentem
Nestora regem.
Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes mython plasmata, et historiam.
Liberi et ambo genus: sed quos meruisse deceret
Nancisci, ut cluerent patribus ingenuis.

22. *Victorio Subdoctori, sive Proscholo.*

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Assidue in libris, nec nisi operta legens;
Exesas tineis, opicasque evolvere chartas,
Maior quam promtis cura tibi in studiis.
Quod ius Pontificū, quæ fœdera, stemma quod olim
Ante Numam fuerat sacrificis Curibus:
Quod Castor cunctis de regibus ambiguis, quod
Coniugis e libris ediderat Rhodope:
Quod ius Pontificum, veterum quæ scita Quiritum,
Quæ consulta patrum: quid Draco, quidve Solon
Sanxerit; et Locris dederit quæ iura Zaleucus;
Sub Iove quæ Minos, quid Themis ante Iovem;
Nota tibi potius, quam Tullius, et Maro nostri,
Et quicquid Latia conditur historia.
Fors istos etiam tibi lectio longa dedisset:
Supremum Lachesis ni celerasset iter.
Exili nostræ fucatus honore cathedræ,
Libato tenuis nomine Grammatici:
Longinquis posthac Romæ defunctus in oris:
Ad quas de Siculo litore transieras.
Sed modo nobilium memoratus in agmine, gaude:
Pervenit ad Manes si pia cura tuos.

23. *Dynamio Burdigalensi, qui in Hispania docuit, et obiit.*

Sed neque te mœsta, Dynami, fraudabo querela,
Municipem patriæ causidicumque meæ.
Crimine adulterii quem saucis fama fugavit;
Parvula quem latebris fovit Ilerda suis.
Quem locupletavit coniux Hispana latentem;
Namque ibi mutato nomine Rhetor eras.
Rhetor, Flavinii cognomine dissimulatus,
Ne posset profugum prodere culpa suum.
Reddiderat quamvis patriæ te sera voluptas,
Mox residem rursum traxit Ilerda domus.
Qualiscunque tuæ fuerit fuga, famaque vitæ;
Iungeris antiqua tu mihi amicitia.
Officiumque meum, sensus si Manibus ullus,
Accipe iam verus morte obita, Dynami.
Diversis quamvis iaceas defunctus in oris,
Commemorat mœstis te pia cura elegis.

24. *Agilio Glabrioni, Grammatico, Iun. Burdigalensi.*

Doctrinæ, vitæque pari brevitate caducum,
Glabrio, te mœstis commemorabo elegis.
Stemmate nobilium deductum nomen avorum,
Glabrio Aquilini Dardana progenies.
Tu quondam puero compar mihi discipulo: mox,
Me dehinc facto Rhectore, Grammaticus.
Inque foro tutela reis, et cultor in agris,
Digne, diu partis qui fruerere bonis.
Commode, læte, benigne, abstemie, tam bone dandis
Semper consiliis, quam taciturne datis.
Tam decus omne tuis, quam mox dolor, omnia acer-
Funere præreptus, Glabrio, destituis: (bo
Uxore et natis, genitore et matre relictis,
Eheu quam multis perdite hominibus!
Flete diu nobis, nunquam satis, accipe acerbum,
Glabrio in æternum commemorate, Vale.

25. *Coronis.*

Quos legis a prima deductos menide libri,
Doctores patriæ scito fuisse meæ,
Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in utroque,
Quos memorasse mihi, morte obita, satis est.
Viventum illecebra est laudatio; nomina tantum
Voce ciere, suis sufficiet tumulis.
Ergo qui nostræ legis otia tristia chartæ,

Eloquium tu ne quære, sed officium,
Quo claris doctisque viris pia cura parentat;
Dum decora egregiæ commemiuit patriæ.

26. *Poeta.*

Valete, Manes inclytorum Rhetorum:
Valete, doctores probi:
Historia si quos, vel poeticus stilus,
Forumve fecit nobiles:
Medicæ vel artis, dogma vel Platonicum,
Dedit perenni gloriæ:
Et si qua cunctis cura viventum placet,
Iuvatque honor superstitum;
Accipite mœstum carminis cultum mei,
Textum querela flebili.
Sedem sepulcris servet immotus cinis.
Memoria vivat nominum:
Dum remeat illud, iudicis dono Dei,
Commune cum Dis seculum.

EPITAPHIA HEROUM

QUI BELLO TROICO INTERFUERUNT.

Ausonius Lectori suo S.

Ad rem pertinere existimavi, ut vel vanum opusculum materiæ congruentis absolverem, et libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregre docuerunt, Epitaphia subnecterem, scilicet titulos sepulcrales Heroum, qui bello Troico interfuerunt. Quæ antiqua cum apud philologum quendam repperissem, Latino sermone converti, non ut inservirent ordini persequendi, sed ut cohærerent libere, nec aberrarent.

1. *Agamemnoni.*

Rex regum Atrides, fraternæ coniugis ultor,
Oppeti manibus coniugis ipse meæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet?

2. *Menelao.*

Felix o Menelae, Deûm cui debita sedes,
Decretumque piis Manibus Elysium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
Coniugii vindex, ultor adulterii:
Æterno pollens ævo, æternaque iuventa,
Nec leti passus tempora, nec senii.

3. *Aiaci.*

Aiacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Illacrymans bustis funeris ipsa mei:
Incomptas lacerata comas, quod pravus Atrides
Cedere me structis compulit insidiis.
Iam dabo purpureum claro de sanguine florem,
Testantem gemitu criminis iudicii.

4. *Achilli.*

Non una Æaciden tellus habet, ossa teguntur
Litore Sigeo, crinem Larissa cremavit.
Pars tumuli.....
Orbe sed in toto.... Homer...

5. *Ulixi.*

Conditus hoc tumulo Laerta natus Ulixes.
Perlege Odysseam, omnia nosse volens.

6. *Diomedi.*

Conditur hic, genitore bono melior Diomedes;
Crimen ob uxoris pulsus dotalibus Argis,
Argyripam, clarosque viris qui condidit Arpos:
Clarior urbe nova, patriæ quam sede vetusta.

7. *Antilocho.*

Consiliis, belloque bonus, quæ copula rara est,
Carus et Atridis, carus et Æacidis:
Præmia virtutis simul et pietatis adeptus,
Servato Antilochus Nestore patre, obii.
Non hic ordo fuit; sed iustius ille superstes,
Trois capi sine quo perfida non poterat.

8. *Nestori.*

Hoc tegor in tumulo, quarti iam prodigus ævi
Nestor, consilio clarus, et eloquio.
Obiecit sese cuius pro morte peremtus
Filius; et nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur fatis disponere sic placet ævum,
Tam longum, ut nobis: tam breve ut Antilocho?

9. *Pyrrho.*

Orbe tegor medio, maior virtute paterna,
Quod puer, et regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes;
Quid mirum, cæsa iam genitrice furens?

10. *Euryalo.*

Nec me non dignum tituli Pleuronia credit:
Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo, et Sthenelo: nam tertius hoc ego regnum
Possedi: de quo nunc satis est tumulus.

11. *Guneo.*

Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen,
Fama homines inter; cœlum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.
Quæ? cœlum, et tellus, et mare, et ora virum.

12. *Protesilao.*

Fatale adscriptum nomen mibi Protesilao.
Nam primus Danaum bello obii Phrygio,
Audaci ingressus Sigeia litora saltu,
Captus pellacis Laertiade insidiis.
Qui, ne Troianæ premeret pede litora terræ,
Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum iam tum mea fata canebant,
Tale mibi nomen enim pater imposuit.

13. *Deiphobo.*

Proditus ad pœnam, scelerata fraude Lacenæ,
Et deformato corpore Deiphobus,
Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, et Maro composuit.

14. *Hectori.*

Hectoris hic tumulus: cum quo sua Trois sepulta est.
Conduntur pariter, qui periere simul.

15. *Astyanacti.*

Flos Asiæ, tantaque unus de gente superstes,
Parvulus, Argivis sed iam de parte timendus,
Hic iaceo Astyanax, Scæis deiectus ab altis.
Pro dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

16. *Sarpedoni.*

Sarpedon Lycius, genitus Iove, numine patris
Sperabam cœlum; sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis: pro ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere potest?

17. *Nasti et Amphimacho.*

Nastes, Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis et umbra sumus.

18. *Troilo.*

Hectore prostrato, nec Dis, nec viribus æquis
Congressus sævo Troilus Æacidæ,
Raptatus bigis fratris coniungor honori.
Cuius ob exemplum nec mihi pœna gravis.

19. *Polydoro.*

Cede procul, myrtumque istam fuge nescius hospes,
Telorum seges est sanguine adulta meo.
Confixus iaculis, et ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo his Polydorus ego.
Scit pius Æneas, et tu, rex impie: quod me
Thracia pœna premit, Troia cura tegit.

20. *Euphemo.*

Euphemum Ciconum ductorem Troia tellus
Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri;
Insuper et frontem mole onerant statuæ.
Ocyus ista ruunt, quæ sic cumulata locantur:
Maior ubi est cultus, magna ruina subest.

21. *Hippothoo, et Pyleo, in horto sepultis.*

Hippothoum, Pyleumque tenet gremio intima tellus;
Caulibus et malvis terga superna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu molle nlus excolitur.

22. *Ennomo, et Chromio.*

Eunomus hic, Chrominsque iacent; queis Mysia regnum,
Queis pater Alcinus, Oceanusque atavus.
Nobilitas quid tanta iuvat? quo clarius istis
Est genus, hoc mortis conditio gravior.

23. *Priamo.*

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede: caput Danai diripuere meum.
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic et natos, Troiamque; Asiamque sepultam
Inveni, et nostrum quidquid ubique iacet.

24. *Item Priamo.*

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante.
Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
Hectoris, et patris simul est commune sepulcrum,
Amborum quoniam iuncta ruina fuit.

25. *Hecubæ.*

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami coniux, Hectora quæ genui;
Hic Hecuba iniectis perii superobruta saxis.
Sed rabie linguæ me tamen ulta prius.
Fidite ne regnis, et prole, et stirpe parentum,
Quicunque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

26. *Polyxenæ.*

Troas Achilleo coniuncta Polyxena busto,
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi,
Hoc violare magis, quam sepelire fuit.

ALIQUOT ALIORUM EPITAPHIA.

27. *Niobæ, in Sipylo monte iuxta fontem sepultæ.*

Thebarum regina fui, Sipyleia cautes
Quæ modo sum; læsi numina Latoidum.
Bis septem natis genitrix læta atque superba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec satis hoc Divis: duro circumdata saxo,
Amisi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obstructis quanquam vitalibus, hæret:
Perpetuasque rigat fonte pio lacrymas.
Pro facinus! tantæne animis cœlestibus iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago perit.

28. *Eidem.*

Vivebam: sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu.
Hunc ego, cum læsi numina, nuu habui.

29. *Eidem.*

Habet sepulcrum non id intus mortuum.
Habet nec ipse mortuus bustum super.
Sibi sed est ipse hic sepulcrum, et mortuus.

30. *Didoni.*

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

31. *Diogeni Cynico, in cuius sepulcro, pro titulo, canis signum est.*

Dic, canis, hic cuius tumulus? Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? Non obiit, sed abit.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia sedes,
Ad manes abiit? Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat qua stella Leonis,
Additus est iustæ nunc canis Erigonæ.

32. *Sedecenni matronæ.*

Omnia quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Ante quater plenum consumsit Anicia lustrum.
Infans lactavit: pubes et virgo adolevit.
Nupsit, concepit, peperit, iam mater obivit.
Quis mortem accuset? quis non accuset in ista?
Ætatis meritis anus est, ætate puella.

33. *Glauciæ, immatura morte prævento.*

Læta bis octono tibi iam sub Consule pubes
Cingebat teneras, Glaucia adulte, genas.
Et iam desieras puer, an ne puella, videri:
Cum properata dies abstulit omne decus.
Sed neque functorum socius miscebere vulgo:
Nec metues Stygios flebilis umbra lacus.
Verum aut Persephonæ Cinyreius ibis Adonis:
Aut Iovis Elysii tu catamitus eris.

34. *Callicrateæ.*

Viginti atque novem genitrici Callicrateæ
Nullius sexus mors mihi visa fuit.
Sed centum et quinque explevi bene messibus annos,
Intremulam baculo non subeunte manum.

35. *Equo admirabili, iussu Augusti.*

Phosphore, clamosi spatiosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias,
Improperanter agens primos a carcere cursus,
Fortis prægressis ut potereris equis:
Promtum et veloces erat anticipare quadrigas:
Victores etiam vincere; laus potior.
Hunc titulum vani solatia sume sepulcri,
Et gradere Elysios præpes ad slipedes.
Pegasus hic dexter currat tibi: lævus Arion
Funalis: quartum det tibi Castor equum.

36. *In tumulo hominis felicis.*

Sparge mero cineres, bene olentis et unguine nardi,
Hospes, et adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis urna:
Et commutavi sæcula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ:
Seu meminisse putes omnia, sive nihil.

37. *Sepulcrum Cari vacuum.*

Me sibi, et uxori, et natis commune sepulcrum
Constituit seras Cærus ad exequias.
Iamque diu monumenta vacant: sitque ista querela
Longior; et veniat ordine quisque suo,
Nascendi qui lege datus: placidumque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior.

38. *Ex sepulcro Latinæ viæ:*

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum sum, cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram: genitus tamen e nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

DE XII CAESARIBUS

PER SUETONIUM TRANQUILLUM SCRIPTIS.

Ausonius Hesperio filio S. D.

Cæsareos proceres, in quorum regna, secundis
Consulibus, dudum Romana potentia cessit,
Accipe bis senos: sua quemque monosticha signant,
Quorum per plenam seriem bello! Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitamque, obitumque peregit.

Monosticha de ordine XII. Imperatorum.

Primus regalem patefecit Iulius aulam
Cæsar, et Augusto nomen transcripsit, et arcem.
Privignus post hunc regnat Nero Claudius, a quo
Caius, cognomen Caligæ cui castra dederunt.
Claudius hinc potitur regno. Post quem Nero sævus
Ultimus Æneadum. Post hunc tres, nec tribus annis;
Galba senex, frustra socio confisus inerti:
Mollis Otho, infami per luxum degener ævo:
Nec regno dignus, nec morte Vitellius ut vir.
His decimus, fatoque accitus Vespasianus.
Et Titus imperii felix brevitate. Secutus
Frater, quem Calvum dixit sua Roma Neronem.

Tempus imperii XII. Cæsarum.

Iulius, ut perhibent, divus trieteride regnat.
Augustus post lustra decem sex prorogat annos.
Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hyems grassantis tempora Caii.
Claudius hebdomadem duplicem trahit: et Nero dirus
Tantundem: summæ consul sed defuit unus.
Galba senex, Otho lascive, et famose Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes nesciit ætas,
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi Vespasianus.
Ter, dominante Tito, cingit nova laurea Ianum:
Quindecies, sævus potitur dum frater habenis.

De mortibus eorum.

Iulius interiit Cæsar grassante senatu.
Addidit Augustum divis matura senectus.
Sera senex Capreis exul Nero fata peregit.
Exegit pœnas de Cæsare Chærea mollis.
Claudius ambiguo conclusit fata veneno.
Matricida Nero proprii vim pertulit ensis.
Galba senex periit, sævo prostratus Othone.
Mox Otho famosus, clara sed morte potitus.
Prodiga succedunt perimendi sceptra Vitelli.
Laudatum imperium, mors lenis, Vespasiano.
At Titus, orbis amor, rapitur florentibus annis.
Sera trucem perimunt, sed iusta piacula, fratrem.

TETRASTICHA

A IULIO CÆSARE USQUE AD TEMPORA SUA.

Nunc et prædictos, et regni sorte sequentes
Expediam, series quos tenet imperii.
Incipiam ab Divo; percurramque ordine cunctos:
Novi Romanæ quos memor historiæ.

1. *Iulius Cæsar.*

Imperium, binis fuerat sollemne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breve ius regni, sola trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæva togæ.

2. *Octavius Augustus.*

Ultor, successorque dehinc Octavius, idem
Cæsar: at Augusti nomine nobilior.
Longæva, et nunquam dubiis violata potestas,
In terris positum credidit esse Deum.

3. *Tiberius Nero.*

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuventæ
Tempora laudato gessit in imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

4. *Caius Caligula.*

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit sævo sævior ingenio;
Cædibus, Incestisque dehinc maculosus, et omni
Crimine pollutum qui superavit avum.

5. *Claudius Cæsar.*

Claudius irrisæ privato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum et crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

6. *Nero.*

Æneadum generis qui sextus et ultimus heres,
Polluit, et clausit Iulia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ,
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

7. *Servius Galba.*

Spem frustrate senex, privatus sceptra mereri
Visus es; et imperio proditus inferior:
Fama tibi melior iuveni: sed iustior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

8. *Marcus Otho.*

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit: qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod periit.

9. *Aulus Vitellius.*

Vitæ ut sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæsar: sic sibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii; quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

10. *Divus Vespasianus.*

Quærendi attentus, moderato commodus usu,
Auget nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam,
Rarum aliis, princeps transtulit in melius.

11. *Titus Vespasianus.*

Felix imperio, felix brevitate regendi,
Expers civilis sanguinis, orbis amor;
Unum dixisti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

12. *Domitianus.*

Hactenus edideras dominos, gens Flavia, iustos.
Cur, duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt brevia; æternum, quæ nocuere, dolent.

13. *Nerva.*

Proximus extincto moderatur sceptra tyranno
Nerva senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem,
Quem legisse iuvet, quam genuisse velit.

14. *Traianus.*

Aggreditur regimen viridi Traianus in ævo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prole carens, sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

15. *Ælius Hadrianus.*

Ælius hinc subiit mediis præsignis in actis:
Principia et finem fama notat gravior.
Orbus et hic: sociatque virum documenta daturum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

16. *Antoninus Pius.*

Antoninus abhinc regimen capit: ille vocatu
Consultisque Pius, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus: sed lege suorum
A patria sumsit, qui regeret patriam.

17. *Marcus Antoninus.*

Post Marco tutela datur; qui scita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior.
Successore suo moriens, sed principe pravo,
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

18. *Commodus.*

Commodus insequitur, pugnis maculosus arenæ,
Threicidico princeps bella movens gladio.
Eliso tandem persolvens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

19. Helvius Pertinax.

Helvi, iudicio et consulto lecte senatus.
  Princeps decretis prodite, non studiis,
Quod doluit malefida cohors; errore probato,
  Curia quod castris cesserat imperio.

20. Didius Iulianus.

Di bene, quod spoliis Didius non gaudet opimis:
  Et cito periuro præmia ademta seni.
Tuque, Severe pater, titulum ne horresce novantis,
  Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

21. Severus Pertinax.

Impiger egelido movet arma Severus ab Istro,
  Ut parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi: sed qui virtute probaret,
  Non obstare locum, cum valet ingenium.

22. Bassianus Antoninus Caracalla.

Dissimilis virtute patri, et multo magis illi,
  Cuius adoptivo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
  In risu populi tu Caracalla magis.

23. Opilius Macrinus.

Principis hinc custos, sumtum pro Cæsare ferrum
  Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. Gravibus pulsare querelis
  Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

24. Antoninus Heliogabalus.

Tune etiam Augustæ sedis penetralia fœdas,
  Antoninorum nomina falsa gerens?

* * * *

Reliqua desiderantur.

ORDO NOBILIUM URBIUM

1. Roma.

Prima urbes inter, Divum domus, aurea Roma.

2. Constantinopolis et Carthago.

Constantinopoli assurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu: quia tertia dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum,
Qui fuit ambarum: vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens: fuit hæc, subit ista, novisque
Excellens meritis, veterem præstringit honorem:
Et Constantino concedere cogit Elissam.
Accusat Carthago Deos iam plena pudoris,
Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.
Componat vestros fortuna antiqua tumores.
Ite pares, tandem memores, quod numine Divum
Angustas mutastis opes et nomina: tu cum
Byzantina Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.

3. Antiochia et Alexandria.

Tertia Phœbeæ lauri domus Antiochia,
Vellet Alexandri si quarta colonia poni.
Ambarum locus unus: et has furor ambitionis
In certamen agit vitiorum: turbida vulgo
Utraque, et amentis populi male sana tumultu.
Hæc Nilo munita quod est, penitusque repostis
Insinuata locis, fœcunda, et tuta superbit.
Illa quod infidis opponitur æmula Persis.
Et vos ite pares: Macetumque attollite nomen.
Magnus Alexandrum te condidit: illa Seleucum
Nuncupat: ingenuum cuius fuit anchora signum
(Qualis inusta solet) generis nota certa: per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

4. Treveri.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit:
Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio secura quiescit:
Imperii vires quod alit, quod vestit et armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

5. Mediolanum.

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, et mores læti: tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, et inclusi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec iuncta premit vicinia Romæ.

6. Capua.

Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore silebo;
Fortuna variante vices, quæ freta secundis,
Nescivit servare modum: nunc subdita Romæ
Æmula tunc. Fidei memor, anne infida, senatum
Sperneret, at coleret dubitans, sperare curules
Campanis ausa auspiciis, unoque suorum
Consule: ut imperium divisi attolleret orbis.
Quinetiam rerum dominam, Latiique parentem
Appetiit bello, ducibus non freta togatis,
Hannibalis iurata armis: deceptaque in hostis
Servitium demens specie transivit herili.
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerunt, Pœni luxu, Campania fastu,
(Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!)
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ paribus potuit fastigia conis,
Octavum reiecta locum vix pæne tuetur.

7. Aquileia.

Non erat iste locus: merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes,
Itala ad Illyricos obiecta colonia montes,
Mœnibus et portu celeberrima: sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solveret exacto cui iusta piacula lustro,
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixa.
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

8. Arelas.

Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, et quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis:
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes: populosque alios et mœnia ditas:
Gallia quis fruitur, gremioque Aquitania lato.

9. Emerita.

Clara mihi post has memorabere nomen Iberum
Emerita: æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat,
Quæque sinu pelagi iactat se Bracara dives.

10. Athenæ.

Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados et Consi quondam certaminis arcem:
Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ.
Attica facundæ cuius mera gloria linguæ:
Unde per Ionias populos, et nomen Achæum,
Versa Graia manus, centum se effudit in urbes.

11. Catina, et Syracusæ.

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?

Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis et amnis.
Qua maris Ionii subter vada salsa meantes
Consociant dulces placita sibi sede liquores,
Incorruptarum miscentes oscula aquarum.

12. *Tolosa.*

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna:
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, et pinea Cebennarum,
Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se cum effuderit urbes;
Non ulla exhaustæ sentit dispendia plebis:
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

13. *Narbo.*

Nec tu, Martie Narbo, silebere, nomine cuius
Fusa per immensum quondam provincia regnum,
Obtinuit multos dominandi iure colonos.
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris:
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi:
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Usque in Tectosagos primævo nomine Volcas,
Totum Narbo fuit: tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio proconsule fasces.
Quis memoret portusque tuos, montesque, lacusque?
Quis populos vario discrimine vestis, et oris?
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina, Cæsar?
Te maris Eoi merces, et Iberica ditant
Æquora: te classes Libyci, Siculique profundi:
Et quidquid vario per flumina, per freta cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

14. *Burdigala.*

Impia iamdudum condemno silentia, quod te,
O patria, insignem Baccho, fluviisque, virisque. (tu,
Moribus, ingeniisque hominum, procerumque sena-
Non inter primas memorem: quasi conscius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis: nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Hæmo.
Burdigala est natale solum: clementia cœli
Mitis ubi, et riguæ larga indulgentia terræ;
Ver longum, brumæque breves, iuga frondea subsunt.
Fervent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum species, sic turribus altis
Ardua, ut aerias intrent fastigia nubes.
Distinctas interne vias mirere, domorum
Dispositum, et latas nomen servare plateas,
Tum respondentes directa in compita portas,
Per mediumque urbis fontani fluminis alveum;
Quem pater Oceanus refluo cum impleverit æstu,
Allabi totum spectabis classibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi fervere freto? quanta unda profundi!
Quantus in amne tumor! quanto ruit agmine præceps
Marmore contenti bis sena per ostia cursus;
Innumeros populi non unquam exhaustus ad usus!
Hunc cuperes, rex Mede, tuis coniungere castris,
Flumina consumto cum defecere meatu:
Huius fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas solitus portare Choaspem.
Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.
Salve urbis genius, medico potabilis haustu,
Divona Celtarum lingua fons addite Divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
Purior; æquoreo non plenior amne Timavus.
Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, sic capite isto
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.
Hæc patria est; patrias sed Roma supervenit omnes.
Diligo Burdigalam: Romam colo: consul in hac sum,
Civis in ambabus. Cunæ hic, ibi sella curulis.

LUDUS SEPTEM SAPIENTUM

Ausonius Consul Latino Drepanio Pacato Proconsuli.

Ignoscenda isthæc, an cognoscenda rearis:
Attento, Drepani, perlege iudicio.
Æquanimus fiam te iudice: sive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem:
Proxima defensi cura pudoris erit.
Possum ego censurem lectoris ferre severi:
Et possum modica laude placere mihi.
Novit equus plausæ sonitum cervicis amare:
Novit et intrepidus verbera lenta pati.
Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti.
Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum.
Palmas, non culpas esse putabo meas:
Et correcta magis, quam condemnata vocabo,
Apponet docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: sin minus, ut taceam.

Prologus.

Septem sapientes, nomen quibus istud dedit
Superior ætas, nec secuta sustulit,
Hodie in orchestram palliati prodeunt.
Quid erubescis tu togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum hoc, non et Atticis quoque:
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.
Nostris negotiis sua loca sortito data:
Campus comitiis, ut Conscriptis curia:
Forum, atque Rostra separatis civium.
Una est Athenis, atque in omni Græcia,
Ad consulendum publici sedes loci:
Quam in urbe nostra sero luxus condidit.
Ædilis olim scenam tabulatam dabat
Subito excitatam nulla mole saxea.
Muræna sic, et Gallius: nota eloquar.
Post quam potentes, nec verentes sumtuum,
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
Pompeius hanc, et Balbus, et Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumtibus.
Sed ego quid istæc? non hac causa huc prodii,
Ut expedirem, quis theatra, quis forum,
Quis condidisset privas partes mœnium:
Sed ut verendos, disque laudatos viros,
Prægrederer, ac referrem, quid vellent sibi.
Pronuntiare suas solent sententias,
Quas quisque prudentum anteverterit:
Scitis profecto quæ sint: sed si memoria
Rebus vetustis cludit, veniet Ludius
Edisserator harum, quam tenero minus.

Ludius.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν: quod Latinum est, Nosce te.
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon, sit tuum, nec ne ambigunt,
Quod introfertur, ὅρα τέλος μακροῦ βίου,
Finem intueri longæ vitæ quo iubes.
Multi hoc Solonem dixe Crœso existimant.
Et Pittacum dixisse fama est Lesbium,
Γίγνωσκε καιρόν Tempus ut noris, iubet.
Sed καιρὸς ista, tempestivum tempus est.
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί·
Quod est Latinum, Plures homines sunt mali:
Sed imperitos scito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, Periandri est Corinthii:
Esse meditationem totum qui putat.
Ἄριστον μέτρον esse dixit Lindius
Cleobulus: hoc est, Optimus cunctis modus.
Thales, ἐγγύα, πάρεστι ἄτη, protulit.
Spondere qui nos, noxa quod præsest, vetat.
Hoc nos monere, fœneratis non placet.
  Dixi; recedam: legifer venit Solon.

Solon.

De more Græco prodeo in scenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit.
Sed fama non est iudicii severitas.
Neque me esse primum horum nec imum existimo:
Æqualitas quod ordinem nescit pati.
Recte olim ineptum Delphicus iussit Deus
Quærentem, quisnam primus Sapientum foret,
Ut in orbe tereti nomina eorum incideret:
Ne primus esset, ne vel imus quispiam.
Eorum e medio prodeo gyro Solon:
Ut quod dixisse Crœso regi existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet.
Græce coactum: ὅρα τέλος μακροῦ βίου:
Quod longius sit, si Latine edisseras:
Spectare vitæ iubeo cunctos terminum.
Proinde miseros, aut beatos dicere
Evita: quod sunt semper ancipiti statu.
Id adeo sic est: si queam, paucis loquar.
  Rex, an tyrannus, Lydiæ Crœsus fuit
His in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat.
Is me evocavit: venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege possint Lydii.
Rogat, beatum prodam, si quem noverim,
Tellum dico civem non ignobilem.
Pro patria pugnans iste vitam obiecerat.
Despexit: alium quærit: inveni Aglaum,
Fines qui agelli proprii nunquam excesserat.
At ille ridens: Quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui solus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ prius:
Tum iudicandum, si manet felicitas.
Dictum moleste Crœsus accepit: at ego
Relinquo regem. Bellum ille in Persas parat.
Profectus, victus, vinctus, regi deditus.
* * * * * * * *
At ille captus, funeris ipse instar sui,
* * * * * * * *
Quin flamma totum se per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æstu globos.
At pæne sero Crœsus ingenti sono,
O vere vates, inquit: o Solon, Solon.
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, exstingui iubet
Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram:
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem. Crœsus ad regem illico
Deductus lectam per ministrorum manum,
Interrogatus, quem Solonem diceret,
Et quam ciendi causam haberet nominis,
Seriem per omnem cuncta regi edisserit.
Miseratur ille: vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem: Crœsum in amicis habet.
Vinctumque pedicis aureis secum iubet
Reliquum quod esset vitæ, totum degere.
Ego duorum regum testimonio
Laudatus, et probatus ambobus fui.
Quodque uni dictum est, quisque sibi dictum putet.
  Ego iam peregi, qua de causa huc prodii.
Venit ecce Chilon. Vos valete, et plaudite.

Chilon.

Lumbi sedendo, oculique spectando dolent,
Manendo Solonem quoad sese recipiat.
Hui, quam pauca quam diu loquuntur Attici!
Unam trecentis versibus sententiam
Tandem peregit, meque respectans abit.
Spartanus ego sum Chilo, qui nunc prodeo.
Brevitate nota, qua Lacones utimur.
Commendo nostrum γνῶθι σεαυτὸν, Nosce te,
Quod in columna iam tenetur Delphica.
Labor molestus iste, fructi est optimi,
Quid ferre possis, quidve non, dignoscere,
Noctu, diuque quæ geras, quæ gesseris,
Adusque puncti tenuis instar quærere.
Officia cuncta, pudor, honor, constantia,
In hoc, et illa spreta nobis gloria.
  Dixi. Valete memores. Plausum non moror.

Cleobulus.

Cleobulus ego sum, parvæ civis insulæ,
Magnæ sed auctor, qua cluo, sententiæ:
Ἄριστον μέτρον quem dixisse existimant.
Interpretare tu, qui orchestræ proximus,
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes:
Ἄριστον μέτρον, an sit Optimus modus,
Dic: annuisti: gratiam habeo: persequar
Per ordinem: poeta dixe isthoc loco
Afer videtur vester, Ut ne quid nimis.
Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν: Huc pertinet
Uterque sensus, Italus, seu Dorius:
Fandi, tacendi, somni, vigiliæ est modus,
Beneficiorum, gratiarum, iniuriæ,
Studii, laborum, vita in omni quidquid est,
Istum requirit optimæ pausæ modum.
  Dixi. Recedam, ut sit modus; venit Thales.

Thales.

Milesius Thales sum: Aquam qui principem
Rebus creandis dixi, ut vates Pindarus.
* * * * * * * *
Dedere piscatores extractum mari.
Namque hi iubente Delio me legerant:
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi: at reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum, ac remissum, rursus ad me referunt.
Ego receptum consecravi Apollini.
Nam, si sapientem deligi Phœbus iubet,
Non hominem quenquam, sed Deum credi decet.
Is igitur ego sum: causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me,
Assertor ut sententiæ fierem meæ.
En displicebit; non tamen prudentibus,

Quos docuit usus, et peritos reddidit.
Nos ἐγγύα πάρεστι δ' ἄτη, dicimus:
Latinum est, Sponde: noxia est præsto tibi.
Per mille possum currere exempla, ut probem
Prædes vadesque pœnitudinis reos:
Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quisque vestrum dicat, et secum putet,
Spondere quantis damno fuerit, et malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ergo: pars offensi explaudite.

Bias.

Bias Prieneus dixi, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Latine dictum suspicor, Plures mali.
Dixisse nollem: veritas odium parit.
Malos sed imperitos dixi, et barbaros,
Qui ius, et æquum et sacros mores negligunt.
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum est: hostium tellus habet,
Dixisse quos me creditis, plures malos.
Sed nemo quisquam tam malus iudex fuat,
Qui non honorum partibus se copulet,
Sive ille vere bonus est, seu dici studet.
Iam fugit illum nomen invisum mali.
Abeo. Valete, et plaudite, plures boni.

Pittacus.

Mitylena oriundus Pittacus sum Lesbius,
Γίγνωσκε καιρὸν, qui dixi sententiam.
Sed iste καιρὸς, tempus ut noris, monet:
Et esse καιρὸν, tempestivum quod vocant.
Romana sic est vox, Venito in tempore.
Vester quoque ille comicus Terentius,
Rerum omnium primum esse tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo
Nullo impeditam, temporis servans vicem.
Reputate cuncti, quotiens offensam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tempus me abire, ne molestus. Plaudite.

Periander.

Ephyra creatus huc Periander prodeo,
Μελέτη τὸ πᾶν qui dixi: et qui dictum probo,
Meditationem id esse totum, quod geras.
Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.
Adversa rerum, vel secunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius.
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere:
Magnas, modicasque res etiam, parvas quoque
Agere volentem, semper meditari decet.
Nam seguiores omnes in cœptis novis,
Meditatio si rei gerendæ defuit.
Nihil est, quod ampliorem curam postulet,
Quam cogitare, quod gerendum sit: dehinc
Incogitantes fors, non consilium regit.
Sed ego me ad partes iam recipio. Plaudite,
Meditati, ut vestram rem curetis publicam.

EORUNDEM SEPTEM SAPIENTUM SENTENTIÆ

SEPTENIS VERSIBUS EXPLICATÆ.

Bias Prieneus.

Quænam summa boni? Mens, quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Cum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse, et velle nocere.

Pittacus Mitylenæus.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem sanxeris.
Plures amicos re secunda compara.
Paucos amicos rebus adversis proba.

Cleobulus Lindius.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortunæ invidiæ est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa: nihil tibi.
Parcit quisque malis, perdere vult bonos.
Maiorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Periander Corinthius.

Nunquam discrepat utile a decoro.
Plus est sollicitus, magis beatus.
Mortem optare malum, timere peius.
Faxis ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna iuvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Solon Atheniensis.

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sint.
Par pari iugator coniux: quidquid impar, dissidet,
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, propalam lauda veris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
Certa si decreta fors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Chilo Lacedæmonius.

Nolo minor me timeat, despiciatque maior.
Vive memor mortis, uti sis memor et salutis,
Tristia cuncta exsuperans aut animo, aut amico.
Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.
Quæ benefacta accipias, perpetuo memento.
Grata senectus homini, quæ parilis iuventæ.
Illa iuventa est gravior, quæ similis senectæ.

Thales Milesius.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Cum vere obiurgas, sic inimice iuvas:
Cum falso laudas, tunc et amice noces.
Nil nimium. Satis est: ne sit et hoc nimium.

De iisdem septem Sapientibus, e Græco.

Septenis patriam sapientum, nomina, voces,
Versibus expediam: sua quemque monosticha dicent.
Chilo, cui patria est Lacedemon, Noscere seipsum.
Periander, Trepidam moderare, Corinthius iram.
Ex Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
Mensuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures esse Bias pravos, quem clara Priene.
Mileti, fugisse Thales vadimonia, alumnus.

EDYLLIA

1. Versus Paschales Procodicti.

Sancta salutiferi redeunt solemnia Christi:
Et devota pii celebrant ieiunia Mystæ.
At nos æternum cohibentes pectore cultum,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura sacris, iugis reverentia nobis.
Magne pater rerum, cui terra, et pontus, et aer,

Tartaraque et picti servit plaga lactea cœli:
Noxia quem scelerum plebes tremit, almaque rursum
Concelebrat votis animarum turba piarum:
Tu brevis hunc ævi cursum, celeremque caducæ
Finem animæ donas, æternæ munere vitæ.
Tu miles legum monitus, sacrosque prophetas
Humano impertis generi: servasque nepotes,
Deceptum miseratus Adam: quem capta venenis
Implicuit socium blandis erroribus Eva.
Tu Verbum, Pater alme, tuum, natumque, Deumque
Concedis terris totum, similemque, paremque,
Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum:
Ut super æquoreas nabat qui spiritus undas,
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.
Trina fides, auctore uno: spes certa salutis
Hunc numerum iunctis virtutibus amplectenti.
Tale et terrenis specimen spectatur in oria
Augustus genitor, geminum fator Augustorum.
Qui fratrem, natumque pio complexus utrumque
Numine, partitur regnum, neque dividit unum,
Omnia solus habens, atque omnia dilargitus.
Hos igitur nobis trina pietate vigentes,
Rectores terræ placidos, cœlique ministros,
Christe, apud æternum placabilis assere patrem.

AUSONIUS *Lectori suo S. D.*

Post Deum semper patrem colui: secundamque reverentiam genitori meo debui. Sequitur ergo hanc summi Dei venerationem Epicedion patris mei. Titulus a Græcis auctoribus, defunctorum honori dicatus, non ambitiosus, sed religiosus: quem commendo lectori meo, sive is filius est, seu pater, sive utrumque. Neque, ut laudet, exigo; sed, ut amet, postulo. Neque vero nunc patrem meum laudo, quod ille non eget: et ego functum oblectatione viventium onerare non debeo. Neque dico, nisi quod agnoscunt, qui parti ætatis eius interfuerunt. Falsum me autem, morte eius obita, dicere, et verum tacere, eiusdem piaculi existimo. Imagini ipsius hi versus subscripti sunt: neque minus in opusculorum seriem relati. Alia omnia mea displicent mihi: hos relegisse amo. Vale.

2. *Epicedion in patrem suum Iulium Ausonium*

Nomen ego Ausonius, non ultimus arte medendi:
  Et mea si nosses tempora, primus eram.
Vicinas urbes colui patriaque domoque,
  Vasates patria, sed lare Burdigalam.
Curia me duplex, et uterque Senatus habebat
  Muneris exsortem, nomine participem.
Non opulens, nec egens, parcus sine sordibus egi.
  Victum, habitum, mores semper eadem habui.
Sermone impromtus Latio: verum Attica lingua
  Suffecit culti vocibus eloquii.
Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemtæ:
  Officiumque meum cum pietate fuit.
Iudicium de me studui præstare bonorum;
  Ipse mihi nunquam, iudice me, placui.
Officia in multos diverso debita cultu,
  Personis, meritis, tempore distribui.
Litibus abstinui: non auxi, non minui rem.
  Indice me nullus, sed neque teste, periit.
Invidi nunquam: cupere atque ambire refugi.
  Iurare, aut falsum dicere, par habui.
Factio me sibi non, non coniuratio iunxit.
  Sincero colui fœdere amicitias.
Felicem scivi, non qui, quod vellet, haberet:
  Sed qui per fatum non data non cuperet.
Non occursator, non garrulus, obvia cernens,
  Valvis et velo condita non adii.
Famam, quæ posset vitam lacerare bonorum,
  Non finxi: et veram si scierim, tacui.
Ira procul: spes vana procul: procul anxia cura,
  Inque bonis hominum gaudia falsa procul.
Vitati cœtus, eiuratique tumultus,
  Et semper fictæ principum amicitiæ.
Deliquisse nihil nunquam laudem esse putavi,
  Atque bonos mores legibus antetuli.
Irasci promtus, properavi condere motum:
  Atque mihi pœnas pro levitate dedi.
Coniugium per lustra novem, sine crimine, concors,
  Unum habui, gnatos quatuor edidimus.
Prima obiit lactens: at qui fuit ultimus ævi,
  Pubertate rudi non rudis interiit.
Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
  Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio,
Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
  In genitore suo mente animoque pater.
Huius ego et natum et generum pro Consule vidi.
  Consul ut ipse forel, spes mihi certa fuit.
Matronale decus possedit filia: cuius
  Egregia et nuptæ laus erat, et viduæ;
Quæ nati, generique et progeneri, simul omnium
  Multiplici illustres vidit honore domos.
Ipse nec affectans, nec detrectator honorum,
  Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia suasit,
  Numine adorato, vitæ abitum petere:
Ne fortunatæ spatium inviolabile vitæ,
  Fatali admorsu stringeret ulla dies.
Obtinui: auditæque preces: spem, vota, timorem,
  Sopitus placido fine, relinquo aliis.
Inter mœrentes, sed non ego mœstus, amicos
  Dispositis iacui funeris arbitriis.
Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
  Exegi, cunctis integer officiis.
Hæc quicunque leges, non aspernabere fari:
  Talis vita tibi, qualia vota mihi.

Cum de palatio, post multos annos honoratissimus, quippe iam Consul, redisset ad patriam, villulam, quam pater reliquerat, introgressus, his versibus lusit, Luciliano stilo.

3. *Ausonii villula.*

Salve, herediolum, maiorum regna meorum,
  Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi iam senior properata morte, relinquit:
  Heheu nolueram tam cito posse frui!
Iusta quidem series patri succedere: verum
  Esse simul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor et curæ mea sunt: sola ante voluptas
  Partibus in nostris: cetera patris erant.
Parvum herediolum, fateor: sed nulla fuit res
  Parva unquam æquanimis: adde etiam, unanimis.
Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re.
  Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum;
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum;
  Aurea non satis est Lydia tota Midæ.
Cui nullus finis cupiendi est, nullus habendi.
  Ille opibus modus est, quem statuas animo.
Verum ager iste meus, quantus sit, nosce: etiam me
  Noveris, et noris te quoque, si potis es:
Quanquam difficile est se noscere: γνῶθι σεαυτόν,
  Quam propere legimus, tam cito negligimus.
Agri bis centum colo iugera: vinea centum
  Iugeribus colitur, prataque dimidium.
Sylva supra duplum quam prata, et vinea, et arvum.
  Cultor agri nobis nec superest, nec abest.

Fons propter, puteusque brevis, tum purus et amnis.
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit.
Conduntur fructus geminum mihi semper in annum.
Cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
Hæc mihi non procul urbe sita est, nec prorsus ad ur-
Ne patiar turbas, utque bonis potiar. (bem:
Et quotiens mutare locum fastidia cogunt,
Transeo: et alternis rure, vel urbe fruor.

Ausonius Hesperio filio.

Libellum, quem ad nepotulum meum, sororis tuæ filium, instar protreptici luseram, venturus ipse præmisi legendum. Hoc enim malui, quam ipse recitare: esset ut tibi censura liberior, quæ duabus causis impediri solet: quod aures nostras audita velocius, quam lecta prætereunt; et quod sinceritas iudicandi præsentia recitantis oneratur. Nunc tibi utrumque integrum est: quia et legenti tibi libera mora est; et iudicaturo non obstat nostri verecundia. Sed heus tu, fili dulcissime, habeo quod admoneam. Si qua tibi in his versiculis videbuntur (nam vereor, ut multa sint) fucatius concinnata, quam verius; et plus coloris quam succi habere: ipse sciens fluere permisi, venustula ut essent magis, quam forticula; instar virginum,

quas matres student (sicut.
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles

nosti cetera. Superest igitur, ut dicas: Quid moraris iudicationem meam de eo, quod ipse pronuntias esse mendosum? Dicam scilicet me huiusmodi versibus foris erubescere, sed intra nos minus verecundari: namque ego hæc annis illius magis quam meis scripsi, aut fortasse et meis. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Ad summam, valeat auctoritas tua: mihi cum infante ratio est. Vale, fili dulcissime.

4. Ad nepotem Ausonium protrepticon de studio puerili.

Sunt etiam Musis sua ludicra: mista Camœnis
Otia sunt, mellite nepos; nec semper acerbi
Exercet pueros vox imperiosa magistri:
Sed requie, studiique vices rata tempora servant.
Et satis est puero memori legisse libenter.
Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut otia Musis.
Quo magis alternum certus succedere ludum,
Disce libens, longum delenitura laborem
Intervalla damus. Studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris varientur festa profestis.
Disce libens: tetrici nec præceptoris habenas
Detestere nepos: nunquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec voce serenus,
Aspera contractæ minitetur iurgia frontis;
Nunquam immanis erit, placita assuetudine vultus,
Qui semel imbuerit: rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem: pappos, aviasque trementes
Anteferunt patribus seri nova cura nepotes.
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo: nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum: sed blandus uterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas: quamvis schola verbere multo
Increpet, et truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi consta
Intrepidus: nec te clamor, plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis:
Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa supellex
Virgea, quod fallax scuticam prætexit aluta,
Quod fervent trepido subsellia vestra tumultu.
Pompa loci, et vani fugiatur scena timoris.
Hæc olim genitorque tuus, genitrixque secuti
Securam placido mihi permulsere senectam.
Tu senium, quodcunque superlabentibus annis
Fata dabunt, qui nomen avi geris indole prima,
Prime nepos, vel re vel spe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum, mox in iuvenilibus annis,
Iamque virum cernam, si fors ita iusserit; aut si
Invidia est, sperabo tamen: nec vota fatiscent,
Ut patris, utque mei non immemor, ardua semper
Præmia Musarum cupias: facundus et olim
Hac gradiare via, qua nos præcessimus: et cui
Proconsul genitor, Præfectus avunculus instant.
Perlege quodconque est memorabile: prima monebo.
Conditor Iliados, et amabilis ora Menandri
Evolvenda tibi: tu flexu et acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer.
Affectusque impone legens: distinctio sensum
Auget, et ignavis dant intervalla vigorem.
Ecquando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totque per ævum
Connexa historiæ, soccos aulæaque regum,
Et melicos, lyricosque modos præfando, novabis,
Obductosque seni facies puerascere sensus?
Te præeunte, nepos, modulata poemata Flacci,
Altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.
Iam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Iam lego civili mixtum mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hæc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus: multos lactantibus annis
Ipse alui: gremioque fovens, et murmura solvens,
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu et formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesticipes motu iam puberis ævi,
Ad mores, artesque bonas, fandique vigorem
Produxi: quanquam imperium cervice negarent
Ferre, nec insertis præberent ora lupatis.
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum spectatus ab usu,
Ut regat indocilem mitis censura iuventam.
Quæ tolerata mihi, donec iam ærumna iuvaret,
Leniretque usu bona consuetudo laborem.
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer, varioque accingerer auctus honore:
Aurea cum parere mihi palatia iussum.
Absistat Nemesis: ferat et fortuna iocantem.
Præsedi imperio, dum prætextatus in ostro,
Et sceptro, et solio, sibi præfert iura magistri,
Maioresque putat nostros Augustus honores.
Quos mox sublimi maturus protulit auctu:
Quæstor ut Augustis, patri, natoque crearer:
Ut præfecturam duplicem, sellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, Consul
Induerer: fastisque meis prælatus haberer.
His ego quæsivi meritum quam grande nepoti
Consul avus: lumenque tuæ præluceo vitæ.
Quamvis et patrio iamdudum nomine clarus,
Posses ornatus, posses oneratus haberi:
Accessit tamen ex nobis honor inclytus: hunc tu
Effice, ne sit onus: per te ut connixus in altum
Conscendas; speresque tuos, te Consule, fasces.

5. *Genethliacon ad eundem Ausonium nepotem.*

Carmina prima tibi cum iam puerilibus annis
Traderet assidui permulceus cura magistri,
Imbueretque nuvas aures, sensusque sequaces,
Ut respondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato,
Addidimus nil triste senes: ne cura mouendi
Læderet, aut dulces gustus vitiaret amaris.
At modo, cum motu vigeas iam puberis ævi,
Fortiaque a teneris possis secernere: et ipse
Admonitor morumque tibi, fandique videri:
Accipe nou præcepta quidem, sed vota precantis,
Quiu gratantis avi festum ad solemne nepotis.
Annuito, ut reducem fatorum a fine senectam
Sospes agam: festumque diem, dubitataque cernam
Sidera, deposito prope conclamatus iu ævo.
Hoc, mellite uepos, duplicato fœnore partum,
Natali accedente tuo, munusque salutis
Plenius hoc uostræ, quod iam tibi puberis ævi
Crescit honos, iuvenemque senex iam ceruo nepotem.
Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno,
Septembres notis referens natalibus Idus,
Idus alma dies, geniis quoque culta Deorum.
Sextiles Hecate Latonia vandicat Idus;
Mercurius Maias superorum adiunctus honori.
Octobres olim genitus Maro dedicat Idus.
Idus sæpe colas bissenis mensibus omnes,
Ausonii quicunque mei celebraveris Idus.

Vale, nepos dulcissime.

Ausonius Gregorio filio S.

En unquam vidisti nebulam pictam in pariete? vidisti utique et meministi. Treveris quippe in triclinio Æoli fucata est pictura hæc: Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices, non hæ de nostro sæcuculo, quæ sponte peccant: sed illæ Heroicæ, quæ sibi ignoscunt, et plectunt Deum: quarum partem in lugentibus campis Maro noster enumerat. Hanc ego imaginem specie et argumento miratus sum: deinde mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi. Mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum. Nævos nostros et cicatrices amamus: nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus, ut amentur. Verum quid ego huic eclogæ studiose patrocinor? certus sum, quodcunque meum scieris, amabis: quod magis specto, quam ut laudes. Vale.

6. *Cupido cruci affixus.*

Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides, et sua quæque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant
Errantes silva in magna, et sub luce maligna
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum et puerorum nomina flores,
Mirator Narcissus, et Œbalides Hyacinthus,
Et Crocus auricomans, et murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis et amoribus anxia mœstis
Exercent memores obita iam morte doloris,
Rursus in amissum revocant Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, et ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, sexu gavisa virili,
Mœret in antiquam Cænis revocata figuram.
Vulnera siccat adhuc Procris: Cephalique cruentam
Diligit et percussa manum: fert fumida testa
Lumina Sestiaca præceps de turre puella.
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.
Harmoniæ cultus Eriphyle mœsta recusat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aeriæ Minoia fabula Cretæ,
Picturarum instar tenui sub imagine vibrat.
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri.
Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.
Respicit abiectas desperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit: hæc vanæ simulacra coronæ:
Dædaliæ pudet hanc latebras subiisse iuvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodameia duas, vivi functique mariti.
Parte truces alia strictis mucronibus omnes
Et Thisbe, et Canace, et Sidonis horret Elissa. (sem.
Coniugis hæc, hæc patris, et hæc gerit hospitis en-
Errat et ipsa olim, qualis per Latmia saxa
Endymioneos solita affectare sopores
Cum face, et astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus et mœstis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias furvæ caliginis umbram
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum: memorique recursu
Communem sensere reum, quanquā humida circum
Nubila et auratis fulgentis cingula bullis,
Et pharetram, et rutilæ fuscarent lampados ignem:
Agnoscunt tamen: et vanum vibrare vigorem
Occipiunt: hostemque unum loca non sua nactum,
Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt: trepidantem et cassa parantem
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Invidiosa Deum pœnis; cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Huius in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Affigunt: reus est sine crimine, iudice nullo
Accusatus Amor: se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati insignia leti
Expediunt: hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque perit, studeat punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit: illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, et sine fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces: rescindit adultum
Myrrha uterum lacrimis lugentibus; inq; paventem
Gemmea fletiferi iaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum
Sola volunt: stilus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo rosa nata, cruorem;
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genetrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus.
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites furias, natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum: quod vincula cæca mariti
Depreso Mavorte tulit: quod pube pudenda
Hellespontiaci ridetur forma Priapi:
Quod crudelis Eryx; quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis: roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, et graviora paventem
Olli purpureum mulcato corpore rorem
Sutilis expressit crebro rosa verbere: quæ, iam

Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ: vindictaque maior
Crimine visa suo, Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroides, et sua quæque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem.
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit, pulsa tandem caligine somni
Evolat ad superos, portaque evadit eburna.

Ausonius Paulo suo S. P. D.

Pervincis tandem: et operta Musarum mearum, quæ initiorum velabat obscuritas, quanquam non profanus, irrumpis, Paule carissime. Quamvis enim te non eius vulgi existimem, quod Horatius arcet ingressu: tamen sua cuique sacra: nec idem Cereri, quod Libero, etiam sub iisdem cultoribus. Poematia, quæ in alumnam meam luseram, rudia, et inchoata ad domesticæ solatium cantilenæ, cum sine metu arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coegisti. Verecundiæ meæ scilicet spolium concupisti; aut, quantum tibi in me iuris esset, ab invito indicari. Ne tu Alexandri Macedonis pervicaciam supergressus: qui fatalis iugi lora cum solvere non posset, abscidit: et Pythiæ specum, quo die nefas erat patere, penetravit. Utere igitur ut tuis, pari iure, sed fiducia dispari: quippe tua possunt populum non timere; meis etiam intra me erubesco.

Ut voluisti, Paule, cunctos Bissulæ versus habes:
Lusimus quos in Suevæ gratiam virgunculæ,
Otium magis foventes, quam studentes gloriæ.
Tu molestus flagitator lege molesta carmina. (iubet.
Tibi, quod intristi, exedendũ est: sic vetus verbum
Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

Ad lectorem huius libelli.

Carminis incomti tenuem lectura libellum,
Pone supercilium.
Seria contractis expende poemata rugis.
Nos Thymelen sequimur.
Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasinus.
Admoneo, ante bibas.
Ieiunis nil scribo: meum post pocula si quis
Legerit, hic sapiet.
Sed magis hic sapiet, si dormiet: et putet ista
Somnia missa sibi.

7. Ausonii Bissula. Ubi nata sit, et quomodo in manus domini venerit.

Bissula, trans gelidum stirpe et lare prosata Rhenũ;
Conscia nascentis Bissula Danubii,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in eius
Deliciis, cuius bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, nescivit herai
Imperium . . . .
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria sensit,
Illico inexperto libera servitio.
Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cærula, flava comas.
Ambiguam modo lingua facit, modo forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

De eadem Bissula.

Delicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quæ Latias vincis alumna pupas,
Bissula nomen teneræ rusticulum puellæ,
Horridulum non solitis, sed domino venustum.

Ad pictorem, de Bissulæ imagine.

Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus fictæ non commodat arti.
Sandyx, et cerussa, alias simulate puellas:
Temperiẽ hanc vultus nescit manus. Ergo age, pictor,
Puniceas confunde rosas, et lilia misce:
Quique erit ex illis color aeris, ipse sit oris.

Ad eundem.

Pingere si nostram, pictor, meditaris alumnam,
Æmula Cecropias ars imitetur apes.

8. Precatio Ausonii Consulis designati, pridie Kalendas Ianuarii fascibus sumtis.

Iane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol,
Consulis Ausonii Latiam visure curulem.
Ecquid ab Augusta nunc maiestate secundum,
Quod mireris, habes? Roma illa, domusque Quirini,
Et toga purpurei rutilans prætexta senati,
Hoc capite æternis signat sua tempora Fastis.
Anne, bonis cœpte auspiciis, da vere salubri
Apricas ventorum animas, da roscida Cancro
Solstitia, et gelidum Boream Septembribus horis.
Mordeat Autumnos frigus subtile pruinas:
Et tenuata modis cesset mediocribus Æstas.
Sementem Notus humificet: sit Bruma nivalis,
Dum pater antiqui renovatur Martius anni.
Spirat odorato florum nova gratia Maio.
Iulius et segetes coquat, et mare temperet Euris.
Sirius ardentem non augeat igne Leonem.
Discolor arboreos variet Pomona sapores.
Mitiget Autumnus, quod maturaverit Æstas,
Et genialis Hyems parta sibi dote fruatur.
Pacem mundus agat: nec turbida sidera regnent.
Nulla tuos, Gradive, offendat stella penates,
Quæ non æqua tibi: non Cynthia, non celer Arcas
Finitimus terris: non tu, Saturne, supremo
Ultime circuitu: procul a Pyroente remotus
Tranquillum properabis iter. Vos comiunus ite
Stellæ salutigeri Iovis, et Cythereie Vesper.
Nonnunquam hospitibus facilis Cyllenius adsit.
Iane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Hostibus edomitis, qua Francia mixta Suevis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis:
Qua vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Chuni,
Quaque Getes sociis Histrum assultabat Alanis.
(Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis.)
Iam venit Augustus, nostros ut comat honores,
Officio exornans, quos participare cupisset.
Iane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Aurea venturo, Sol, porrige gaudia Iano:
Fascibus Ausonii succedet Cæsar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
Ecce ubi se cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc, Nemesis) post me dignatur oriri
Augustus Consul: plus quam conferre videtur
Me sibi: qui iussit nostros præcedere fasces.
Iane, veni, novus anne veni: renovate veni Sol.
Coge secuturos bis sena per ostia menses.
Tu tropicum soli da cedere; rursus et illum
Terga dare, ut duplex tropicus varietur ab astro,
Et quater a ternis properet mutatio signis.
Æstivos impelle dies, brumamque morantem
Noctibus acceleret promissus Cæsaris annus.
Illum ego si cernam, tum terque quaterque beatus,
Tunc ero bis Consul: tunc tangam vertice cœlum.

9. Item precatio Kalendis Ianuariis.

Anne, bonis cœpte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonii primordia: prome coruscum,
Sol æterne caput: solitoque illustrior, almo
Lumine purpureum iubar exere lucisecæ.
Anne, pater rerum, quas Iani mense bifrontis
Volvis in hibernum glaciali fine Decembrem,
Anne, veni, et festum veteris novus aspice Iani.

Solemnes pervade vias, bissenaque mundo
Curricula æquatis varians per tempora signis,
Præcipitem æterna perfer vertigine cursum:
Sic prono raptate polo, contraria Phœbus
Ut momenta ferat servata parte dierum,
Et novus hiberno reparet sua lumina pulsu.
Menstrua ter decies redeunt dum cornua Lunæ,
Exortus, obitusque manu volvente rotabis,
Legitimum Phœbi cohibens per signa meatum.

10. *Ausonii Mosella.*

Transieram celerem nebuloso lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
Infletæque iacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arvaque Sauromatum decerneret metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nivomagum, divi castra inclyta Constantini.
Purior hic campis aer; Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat iam sudus Olympum.
Nec iam, consertis per mutua vincula ramis,
Quæritur exclusum viridi caligine cœlum:
Sed liquidum iubar, et rutilam visentibus æthram
Libera perspicui non invidet aura diei:
In speciem cum me patriæ, cultumque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia visu,
Culmina villarum pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, et amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.
Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ:
Amnis odorifero iuga vitea consite Baccho,
Consite gramineas amnis viridissime ripas:
Naviger, ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius: vitreoque lacus imitate profundo,
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu:
Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus, et amnis,
Et lacus, et bivio refluus munimine pontus.
Tu placidis prolapsus aquis, nec murmura venti
Ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.
Non superante vado rapidos reparare meatus
Cogeris, extantes medio non æquore terras
Interceptus habes: iusti ne demat honorem
Nominis, exclusum si dividat insula flumen.
Tu duplices sortite vias, et cum amne secundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi:
Et cum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
Legitimosque putas prope segnius ire meatus?
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis,
Nec piger immundo perfundis litora cœno:
Sicca sed in prima aspergis vestigia lympha.
I nunc, et Phrygiis sola lævia consere crustis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt,
Naturæ mirabor opus: non cura nepotum,
Lætaque iacturis ubi luxuriatur egestas.
Hic solidæ sternunt humentia litora arenæ,
Nec retinent memores vestigia pressa figuras.
Spectaris vitreo per lævia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti:
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti:
Cum vada lene meant, liquidarum et lapsus aquarum
Prodit cærulea dispersas luce figuras:
Quod sulcata levi crispatur arena meatu:
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo.
Utque sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas; lucetque, latetque
Calculus: et viridem distinguit glarea muscum.
Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum virides algas, et rubra corallia nudat
Æstus, et albentes concharum germina baccas,
Delicias hominum locupletum, quæque sub undis
Assimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ subter vada læta Mosellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen usque oculos errore fatigant
Interludentes examina lubrica pisces.
Sed neque tot species, obliquatosque natatus,
Quæque per adversum succedunt agmina flumen,
Nominaque, et cunctos numerosæ stirpis alumnos,
Edere fas: haud ille sinit, cui cura secundæ
Sortis, et æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix Nais in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque sub alveo
Dissere cæruleo fluitantes amne catervas.
Squameus herbosas Capito interlucet arenas
Viscere præ tenero fartim congestus aristis,
Nec duraturus post bina trihoria mensis.
Purpureisque Salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinæ nociturus acumine Redo,
Effugiensque oculos celeri levis Umbra natatu.
Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famæ maioris in amnem,
Liberior laxos exerces, Barbe, natatus.
Tu melior peiore ævo, tibi contigit omni
Spirantum ex numero non illaudata senectus.
Nec te puniceo rutilantem viscere, Salmo,
Transierim, latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in undas,
Occultus placido cum proditur æquore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem
Lubricus, et dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupta morarum,
Præsignis maculis capitis: cui prodiga nutat
Alvus, opimatoque fluens abdomine venter.
Quæque per Illyricum, per stagna binominis Istri,
Spumarum indiciis caperis, Mustella, natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra superne
Puncta notant tergum, quæ lutea circuit Iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescis: at illinc
Usque sub extremam squallet cutis arida caudam.
Nec te delicias mensarum, Perca, silebo,
Amnigenos inter pisces dignanda marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mullis.
Nam neque gustus iners; solidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.
Hic etiam Latio risus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
Lucius, obscuras ulva, cœnoque lacunas
Obsidet: hic nullos mensarum lectus ad usus,
Fervet fumosis olido nidore popinis.
Quis non et virides vulgi solatia Tincas
Norit, et Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentesque focis obsonia plebis Alausas?
Teque inter species geminas, neutrumq. et utrumq.

Qui necdum Salmo, nec iam Salar, ambiguusque
Amborum medio Fario intercepte sub ævo?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes,
Gobio, non maior, geminis sine pollice palmis,
Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo:
Propexique iubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere, magne Silure;
Quem velut Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam Delphina reor: sic per freta magnum
Laberis, et longi vix corporis agmina solvis,
Aut brevibus defensa vadis, aut fluminis ulvis.
At cum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ: diffunditur alveo
Æstus, et extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam Balæna profundo,
Cum vento motuve suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare; magnaque surgunt
Æquora, viciniique timent decrescere montes.
Hic tamen, hic nostræ mitis Balæna Mosellæ,
Exitio procul est, magnoque honor additus amni.
Iam liquidas spectasse vias, et lubrica pisces
Agmina, multiplicesque satis numerasse catervas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam,
Sollicitentque vagos Baccheia munera visus:
Qua sublimis apex longo super ardua tractu,
Et rupes, et aprica iugi, flexusque, sinusque,
Vitibus assurgunt, naturalique theatro.
Gauranum sic alma iugum vindemia vestit,
Et Rhodopen, proprioque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis.
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
Summis quippe iugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantesque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc deiuge dorso,
Certantes stolidis clamoribus: inde viator
Riparum subiecta terens, hinc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus: adstrepit ollis
Et rupes, et silva tremens, et concavus amnis.
Nec solos hominum delectat scena locorum.
Hic ego et agrestes Satyros, et glauca tuentes
Naidas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cum læta protervia Panas,
Insultantque vadis, trepidasque sub amne sorores
Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam mediis furata e collibus uvas
Inter Oreidas Panope fluvialis amicas,
Fugit lascivos paganica numina Faunos.
Dicitur et medio cum Sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros, vitreasque sorores,
Consortes celebrare choros: cum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus.
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus.
Sed non hæc spectata ulli, nec cognita visu,
Fas mihi sit pro parte loqui: secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palam species, cum glaucus opaco
Respondet colli fluvius: frondere videntur
Fluminei latices, et palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis, seras cum protulit umbras
Hesperus, et viridi perfundit monte Mosellam?
Tota natant crispis iuga motibus, et tremit absens
Pampinus, et vitreis vindemia turget in undis.
Annumerat virides derisus navita vites,
Navita caudiceo fluitans super æquora lembo,
Per medium, qua sese amni confundit imago
Collis, et umbrarum confinia conserit amnis.
Hæc quoque quam dulces celebrant spectacula pompas,
Remipedes medio certant cum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis!
Puppibus, et proris alacres gestire magistros,
Impubemque manum super amnica terga vagantem
Dum spectat, transire diem, sua seria, ludo
Posthabet: excludit veteres nova gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei cum per iuga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi:
Cum Venus Actiacis Augusti læta triumphis,
Ludere lascivos fera prælia iussit Amores;
Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces;
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulsus, pugnasque iocantes
Naumachiæ, Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus.
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis,
Pubertasque amnis, et picti rostra phaselli.
Hos Hyperionio cum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inversi corporis umbras.
Utque agiles motus dextra, lævaque frequentant,
Et commutatis alternant pondera remis,
Unda refert alios simulacra humentia nautas.
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos,
Candentem late speculi explorantis honorem
Cum primum caræ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignoto fruitur virguncula ludo,
Germanæque putat formam spectare puellæ:
Oscula fulgenti dat non referenda metallo:
Aut fixas prætentat acus; aut frontis ad oram
Vibratis captat digitis extendere crines.
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsique figuris.
Iam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo:
Heu male defensus penetrali flumine piscis!
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina verrit;
Ast hic tranquillo qua labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis.
Ille autem scopulis subiectas pronus in undas,
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos escis iaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum
Rictibus invasit, patulæque per intima fauces
Sera occultati senserunt vulnera ferri:
Dum trepidant, subit indicium; crispoque tremori
Vibrantis setæ nutans consentit harundo.
Nec mora: et excussam stridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer: excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motoque assibilat aere ventus.
Exultant udæ super arida saxa rapinæ,
Luciferique pavent letalia tela diei.
Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
Segnis anhelantis vitam consumit in auris.
Iam piger invalido vibratur corpore plausus;
Torpida supremos patitur iam cauda tremores,
Nec coeunt rictus: haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos exspirans branchia flatus.

hic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
Collegisse animas: mox in sublime citatos,
Cernua subiectum præceps dare corpora in amnem,
Desperatarum potientes rursus aquarum.
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit, et stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glauces
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piscibus herbas
Sumsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
Ille hamis et rete potens, scrutator operti
Nereos, æquoream solitus converrere Tethyn,
Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendantes saxis instanti culmine villæ.
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis: et alternas comunt prætoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Æquor, Abydeni freta quis miretur ephebi?
Quis Chalcedonio constratum ab litore pontum,
Regis opus Magni, mediis euripus ubi undis,
Europæque Asiæque vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non sæva furentum
Prælia Caurorum: licet hic commercia linguæ
Iungere, et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent litora voces,
Et voces, et pæne manus: resonantia utrinque
Verba refert, mediis concurrens fluctibus Echo.
Qui potis, innumeras cultusq; habitusq; retexens,
Pandere tectonicas per singula prædia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrii pepulere dolores.
Non Philo Cecropius: non qui laudatus ab hoste,
Clara Syracosii traxit certamina belli.
Forsan et insignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas: hic clari viguere Menecratis artes,
Atque Ephesi spectata manus: vel in arce Minervæ
Ictinus; magico cui noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadro cui in fastigia cono
Surgit, et ipsa suas consumit Pyramis umbras:
Iussus ob incesti qui quondam fœdus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi.
Spirat enim tecti testudine Corus Achates,
Afflictamque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scenas posuisse domorum,
Molitos celsas fluvii decoramina villas.
Hæc est nativi sublimis in aggere saxi.
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captumque sinu sibi vindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Usurpat faciles per culta, per aspera, visus:
Utque suis fruitur dives speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis,
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto,
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare novales.
Hæc summis innixa iugis labentia subter
Flumina despectu iam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus assita pratis?
Innumerisque super nitentia tecta columnis?
Quid quæ fluminea substructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lavacri
Fastidisse lacus, et frigora piscinarum,
Ut vivis fruerentur aquis: mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris,
Crederet Euboicas simulacra exilia Baias
His donasse locis: tantus cultusque nitorque
Allicit, et nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? dignandumque mari memorare Mosellam?
Innumeri quod te diversa per ostia late
Incurrunt amnes? quanquam differre meatus
Possent; sed celerant in te consumere nomen.
Namque et Pronææ Nemesæque adiuta meatu
Sura tuas properat non degener ire sub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto.
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quam primum allambere lymphis.
Nobilibus Gelbis celebratus piscibus: ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per lævia marmora serras,
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
Prætereo exilem Lesuram, tenuemque Drahonum,
Nec fastiditos Salmonæ usurpo fluores.
Naviger undisona dudum me mole Saravus
Tota veste vocat: longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris.
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.
Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
Esse tui cupiunt: tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles: quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset:
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris,
Nec præferre suos auderet Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens: pulsa, oro, facessat
Invidia: et Latiæ Nemesis non cognita linguæ,
Imperii sedem, Romæque tuere parentes.
Salve, magne parens frugumque virumque, Mosella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, et lætum fronte severa
Ingenium, natura tuis concessit alumnis.
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones;
Aut unus tantum iusti spectator et æqui
Pollet Aristides, veteresque illustrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium spatiatus habenis
Victus amore tui præconia detero? conde,
Musa, chelyn, pulsis extremo carmine nervis.
Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas, senique aprica foventem,
Materiæ commendet honos: cum facta viritim
Belgarum, patriosque canam decora inclita mores.
Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides: tenuique aptas subtegmine telas
Percurrent: dabitur nostris quoque purpura fusis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas: legumque catos, fandique potentes,
Præsidium sublime reis: quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum:
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.

Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, et innocuas illustravere secures;
Aut Italum populos, aquilonigenasque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo:
Quique caput rerum Romam, populumq;, patresque
Tantum non primo rexit sub nomine, quamvis
Præfuerit primis: festinat solvere tandem
Errorem, fortuna, tuum, libataque supplens
Præmia iam, veri fastigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus: at modo cœptum
Detexatur opus: dilata et laude virorum,
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, Rhenique sacremus in undis.

Cæruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem
Pande peplum, spatiumque novi metare fluenti
Fraternis cumulandus aquis: nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit iunctos natique patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super, et Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Histri.
Hæc profligati venit modo laurea belli;
Mox alias aliasque feret: vos pergite iuncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu verere minor, pulcherrime Rhene, videri:
Invidiæ nil hospes habet: potiare perenni
Nomine: tu fratrem, famæ securus, adopta.
Dives aquis, dives Nymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communesque vias diversa per ostia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves,
Germanique tremant: tunc verus habebere limes.
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni.
Cumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.

Hæc ego, Viviscа ducens ab origine gentem,
Belgarum hospitiis nunc per nova fœdera notus,
Ausonius, nomen Latium, patriaque, domoque
Gallorum extremos inter, celsamque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino: fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musæ.
Nec laudem affecto; veniam peto: sunt tibi multi,
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum, totamque solent haurire Aganippen.
Ast ego, quanta mei dederit se vena liquoris,
Burdigalam cum me in patriam, nidumque senectæ
Augustus pater, et natus, mea maxima cura,
Fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
Mittent, emeritæ post tempora disciplinæ,
Latius Arctoi præconia persequar amnis.
Addam urbes, tacito quas subterlaberis alveo;
Mœniaque antiquis te prospectantia muris.
Addam, præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex utraque colonos,
Teque inter medios hominumque boumque labores
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem.
Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non Gallos Belgasque intersita fines,
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.
Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis: et auriferum postponet Gallia Tarnem.
Insanumque ruens per saxa rotantia late
In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.

Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis, ubi fonte supremo
Exeris auratum taurinæ frontis honorem:
Quaque trahis placidos sinuosa per arva meatus,
Vel qua Germanis sub portubus ostia solvis;
Si quis honos tenui volet aspirare Camœnæ,
Perdere si quis in his dignabitur otia Musis,
Ibis in ora hominum, lætoque fovebere cantu.
Te fontes, vivique lacus, te cærula noscent
Flumina, te veteres pagorum gloria luci;
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis;
Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
Qui meat, et Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Ausonius Symmacho S.

Latebat inter nugas meas libellus ignobilis: ut latuisset, neque indicio suo, tanquam sorex, periret. Hunc ego cum, velut gallinaceus Euclionis, situ chartei pulveris eruissem, excussum relegi: atque ut avidus fœnerator, improbum nummum malui occupare, quam condere. Deiu cogitans mecum, non illud Catullianum,

Cui dono lepidum novum libellum:

sed ἀμουσότερον, et verius,

Cui dono illepidum, rudem libellum:

non diu quæsivi. Tu enim occurristi; quem ego, si mihi potestas sit ex omnibus deligendi unum, semper elegerim. Misi itaque ad te frivola gerria Siculis vaniora: ut cum agis nihil, hæc legas; et ne nihil agas, defendas. Igitur iste nugatur libellus, iam diu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus, perveniet tandem in manus tuas. Quem tu aut ut Æsculapius, redintegrabis ad vitam; aut ut Plato, iuvante Vulcano, liberabis infamia, si pervenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ huius ista materia. In expeditione, quod tempus, ut scis, licentiæ militaris est, super mensam meam facta est invitatio, non illa de Rubrii convivio, ut Græco more biberetur; sed illa de Flacci ecloga, in qua propter mediam noctem, et novam lunam, et Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico nostra illa poetica scabies cœpit exscalpere: cuius morbi quoniam facile contagium est, utinam ad te quoque prurigo commigret: et suco tuæ emendationis adiecto, impingas spongiam, quæ imperfectum opus equi male spumantis absolvat. Ac ne me nescias gloriosum, cœptos inter prandendum versiculos ante cœnæ tempus absolvi: hoc est, dum bibo, et paulo ante quam biberem. Sit ergo examen pro materia et tempore. Sed tu quoque hoc ipsum paulo hilarior et dilutior lege; namque iniurium est de poeta male sobrio lectorem abstemium iudicare. Neque me fallit, fore aliquem, qui hunc iocum nostrum acutis naribus, et caperata fronte condemnet: negetque, me omnia, quæ ad ternarium et novenarium numeros pertinent, attigisse. Quem ego verum dicere fatebor; iuste, negabo. Quippe si bonus est, quæ omisi, non oblita mihi, sed præterita existimet. Deinc qualiscunque est cogitet secum, quam multa de his non reperisset, si ipse quæsisset. Sciat etiam me nec omnibus erutis usum, et quibusdam oblatis abusum. Quam multa enim de ternario sciens neglexi! tempora, et personas, genera, et gradus, novem naturalia metra cum trimetris, totam grammaticam, et musicam, librosque medicinæ, ter maximum Hermen, et amatorem primum philosophiæ, Varronisque numeros et quidquid profanum vulgus non ignorat. Postremo, quod facile est, cum ipse multa invenerit, comparet se atque me, occupatum cum otioso, pransum cum abstemio, iocum et ludum meum, diligentiam et calumniam suam. Alius enim alio plura invenire

potest: nemo omnia. Quod si alicui et obscurus videbor, apud eum me sic tuebere. Primum eiusmodi epyllia nisi vel obscura sint, nihil futura: deinde numerorum naturam non esse scirpum, ut sine nodo sint. Postremo si etiam tibi obscurus fuero, cui nihil neque non lectum est, neque non intellectum: tum vero ego beelus, quod effectavi, assequar, me ut requiras, me desideres, de me cogites. Vale.

11. *Gryphus Ternarii numeri.*

Ter bibe, vel totiens ternos; sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cœbum.
Iuris idem tribus est, quod ter tribus, omnia in istis.
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus,
Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres Ope progeniti fratres, tres ordine partæ,
Vesta, Ceres, et Iuno, secus muliebre, sorores.
Inde trisulca Iovis sunt fulmina: Cerberus inde:
Inde tridens: triplexque Helenes cum fratribus ovū.
Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos:
Et totiens terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem sæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi,
Tres quorum ætates superat Phœbeius oscen,
Quem novies senior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ: (ta.
Tres Charites: tria Fata: triplex vox: trina elementa:
Tres in Trinacria Siredones; omnia terna:
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ;
Ter tribus ad palmam iussæ certare Camœnis
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tres sophiæ partes: tria Punica bella: trimestres
Annorum cœlique vices: noctisque per umbram
Tergemini vigiles: ter clara instantis Eoi
Signa canit serus depreuso Marte satelles.
Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Iussa quater ternis effixit opima tropæis.
Et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum,
Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi:
Sed Citheron totiens ternas ex ære sacravit
Relligione patrum, qui sex sprevisse timebant.
Trina Terentino celebret a trinoctie ludo:
Qualis bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tres primas Thracum pugnas tribus ordine sellis,
Iuniadæ patrio inferias misere sepulcro.
Ille etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puelle.
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.
Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigne,
Et quæ supremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicane medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat usus agendi.
In Physicis tria prima, Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenū, genitor, genitrix, generatum.
Per trinas species trigonorum regula currit,
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus: ut idem
Congrege ter trino per ter tria dissolvatur.
Tres primus, par, impar habet, mediumque: sed ipse
Ut tres, sic quinque, et septem quoque dividit unus,
Et numero in toto positus sub acumine centri;
Distinguit solidos cœbo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno:
Et paribus triplex medium: cum quatuor et sex
Bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, et populi commune quod usquam
Interdictorum trinum genus: unde repulsus (est.
Vi fuero, aut utrobi fuerit, quorumve bonorum.
Triplex libertas, capitisque minutio triplex.
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo: triplex quoque forma medendi,
Quoi logos, aut methodos, cuiq; experientia nomen.
Et medicina triplex, servare, cavere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso
Quem Rhodos, Actææ quem dilexistis Athenæ,
Et quem de scenis tetrica ad subsellia traxit
Prosa Asiæ, in causis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua,
Triplex sideribus positus, distantia, forma, (flamma.
Et modus, et genitrix modulorum musica triplex,
Mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.
Martia Rome triplex, equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero Tribus, et sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.
Nomina sunt chordis tria: sunt tria nomina mensi.
Geryones Triplex, triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.
Gorgones, Harpyæque, et Erynnies agmine terno.
Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ:
Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum servat cultura virorum.
Ter bibe. Tres numerus super omnia, ter Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesque novenos.

12. *Ausonius pacato proconsuli Technopægnion.*

Scio mihi apud alios pro laboris modulo laudem non posse procedere. Quam tamen si tu indulseris, ut ait Afranius in Thaide,

Maiorem laudem, quam laborem invenero.

Quæ lecturus es, Monosyllaba sunt, quasi quædam puncta sermonum: in quibus nullus facundiæ locus est, sensuum nulla conceptio, propositio, redditio, conclusio, aliaque sophistica, quæ in uno versu esse non possunt: sed cohærent ita, ut circuli catenarum separati. Et simul ludicrum opusculum texui, ordiri maiuscula solitus: sed in tenui labor, at non tenuis gloria, si probantur. Tu facies, ut sint aliquid. Nam sine te Monosyllaba erunt, vel si quid minus. In quibus ego, quod ad usum pertinet, lusi: quod ad molestiam, laborevi. Libello Technopægnii nomen dedi: ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Vale.

Ausonius Paulino suo.

Misi ed te Technopægnion, inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, et monosyllabis terminati. Nec hic modo stetit scrupea difficultas, sed accessit ed miseriam cogitandi, ut idem monosyllabum, quod esset finis extremi versus, principium fieret insequentis. Dic ergo et, o mora, o pœna! rem vanam quippe curavi; exigua est, et fastiditur: inconnexa, et implicatur: cum sit aliquid vel nihili, deprehenditur. Laboravi tamen, ut haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon. Nam poeticam, vel sophisticam levitatem necessitas observationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris: sed paucis literis additis, est cuius miserearis: neque æmulari velis: et si huc quoque descenderis, maiorem molestiam capias, ingenii et facundiæ detrimento, quam oblectationem, imitationis effectu. Vale.

Versus monosyllabis cœpti, et finiti, ita ut a fine versus ad principium recurrant.

Res hominum fragiles alit, et regit et perimit fors.

Fors dubia, æternumque labans: quam blanda fovet spes.
Spes nullo finita ævo: cui terminus est mors.
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox.
Nox obitura vicem: remeaverit aurea cum lux.
Lux dono concessa Deum, cui prævius est sol.
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars.
Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens.
Gens infrena virum, quibus in scelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare sacris: ferus iste loci mos.
Mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex.
Lex naturalis quam condidit imperio ius.
Ius genitum pietate hominum, ius certa Dei mens.
Mens, quæ cœlesti sensu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi instar habens, animæ vigor, ac vis.
Vis tamen hic nulla est: verũ est iocus et nihili res.

Præfatio Monosyllaborum tantum in fine positorum.

Ut in vetere verbo est, Sequitur vara vibiam: similium nugarum subtexo nequitiam. Et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quanquam fine legitimo. Sed laboravi, ut quantum eius posset apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent: denique haberent et amara dulcedinem, et inamœna venerem, et aspera lævitatem. Quæ quidem omnia quoniam insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora: ut, quod per adagionem cœpimus, proverbio finiamus, et Mutuum muli scabant.

Æmula Diis, naturæ imitatrix, omniparens ars:
Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec congrua carminibus lex.
Iudice sub tanto fandi tamen accipiet ius.
Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

De membris.

Indicat in pueris septennia prima novus dens.
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Invicta et ventis, et solibus, est hominum frons.
Ednrum nervi cum viscere consociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Unde vigent sensus, dominatrix quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulata lege loquax os.
Quam validum est, hominis quota portio; cæruleum fel!
Quam tenue, et molem quantã fert corpoream crus!
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes!

Inconnexa.

Sæpe in coniugiis fit noxia, si nimia est dos.
Sexus uterque potens, sed prævalet imperio mas.
Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, et fœdera dissociat lis.
Incipe, quidquid agas: pro toto est prima operis pars.
Insinuat cœlo, Diisque inserit emeritos laus.
Et disciplinis conferta est, et vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.
Auru magnus honos, auri pretium tamen est æs.
Longa dies operosa viro, sed temperies nox.
Qua caret Æthiopũ plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

De Deis.

Sunt et cœlicolum Monosyllaba: prima Deum Fas:
Quæ Themis est Graiis. Post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Iovis et Consi germanus, Tartareus Dis.
Et soror et coniux fratris, regina Deum, Vis.
Et qui quadriiugo curru pater invehitur Sol.
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars.
Quem nunquã pietas, nunquam bona sollicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.
Fluminibusque Italis præpollens sulfureis Nar.
Quæque piat Divum periuria, nocticolor, Styx.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs.
Et nunquam in dubiis hominem bona destituens Spes.

De cibis.

Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos,
Irritamentum quibus additur æquoreum sal.
Olim communis pecori cibus, atque homini glans,
Ante equidem campis quam spicea surgeret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far,
Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cum dilueretur aqua puls.
Est inter fruges morsu piper æquiparans gith.
Et Pelusiaco de semine plana, teres lens.
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux.
Quodq; cibo et potu placitum, labor acer apum, mel.
Naturæ liquor iste novæ: cui summa natat fex.

De historiis.

Solamen tibi, Phœbe, novum dedit Œbalius flos.
Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus sus.
Periurum Lapitham Iunonia ludificat nubs.
Ludit et Æaciden Parnassia Delphicolæ sors.
Threicium Lybicum freta Cimmeriumq; secat bos.
Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux.
Unde Prometheo de corpore sanguineus ros,
Aspergit cautes, et dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos.
Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.
Sera venenato potu abstulit Hannibalem nex.
Rex Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus!
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Iovis ad cyathũ, generat quẽ Dardanius Tros.
Præpetibus pennis super aera vectus homo Cres.
Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.
Barbarus est Lydus, bellax Geta, fœmineus Phryx,
Fallaces Ligures: nullo sitos in pretio Car.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.
Nota et parvorum cunis, muliebre pecus Strix.

De vere primo.

Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auricomum rus.
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor tus.

Per interrogationem et responsionem.

Quis subit in pœnam capitali iudicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, et pateræ, quæ tertia vasa Deum? lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.
Grex magis, an regnum Minoida sollicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus.
Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.
Quadrupes oscinibus quis iungitur auspiciis? mus.

Quid fluitat pelago, quod non natat in flavio? pix.
Assenas partes quis continat æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quid reliquum? bes.

De literis monosyllabis Græcis ac Latinis.

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.
Et suprema notis adscribitur Argolicis Ω.
Ita quod Æolidum, quodque ε, valet hoc Latiale E
Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica vox E.
Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens ε.
Et quod et O Græcum compensat Romula vox O.
Litera sum Iotæ similis, vox plena iubens, I.
Cecropiis ignota notis, ferale sonans V.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Υ.
Vocibus in Graiis nunquam ultima conspicior M.
Deta iacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum, flexusque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D.
Hostilis quæ forma iugi est, hanc efficiet Π.
Nomen in si P scribas, ero Cecropium P.
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.
Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K.
Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C,
Atque aliam prose titulo replicata dedit Q.
Linea cincta duabus erit cum Iota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc Gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.
Kappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca tricornigera specie, pæne ultima sum Ψ.

Grammaticomastix.

E Logodædalia strides modo qui nimium trux,
Frivola condemnas? nequaquã. Cum pretio est merx.
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al
Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau.
Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Estne peregrini vox nominis, an Latii fit?
Et quod germano mixtum male letiferum min?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons?
Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?
Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac.
Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?
An Lybiæ ferale malum, sit Romula vox seps?
Si bonus est insons, contrarius, et reus est sons?
Dives opum cur nomen habet Iove de Stygio Dis?
Unde Budinos sit, Divum domus altisonum cæl?
Et cuius de more, quod adstruit, endo suam do?
Aut de fronde loquens, cur dicat populea frus?
Sed quo progredior? quæ finis, quis modus et calx?
Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc sparsũ, crinis velut Antiphilæ. Pax.

Ausonius Paulo S.

Perlege hoc etiam, si operæ est, frivolum et nullius pretii opusculum: quod nec labor excudit, nec cura limavit: sine ingenii acumine, et moræ maturitate. Centonem vocant, qui primi hac concinnatione luserunt. Solæ memoriæ negotium sparsa colligere, et integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare possis. Pro quo, si per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius Nauci daret, nec Cicum suum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam ioculari dehonestasse materia. Sed quid facerem? iussum erat: quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui iubere poterat, S. Imperator Valentinianus, vir meo iudicio eruditus: qui nuptias quondam eiusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus et compositione festiva. Experiri deinde volens, quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. Quam scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque posthaberi: cum aliorum quoque iudicio detegenda esset adulatio inepta, si cederem: insolentia, si ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti: feliciterque et obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc, die uno et addita lucubratione properatum, modo inter lituraria mea cum reperissem, tanta mihi candoris tui, et amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. Accipe igitur opusculum de inconnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum: ne in sacris, et fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium; illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, ut doceam, docendus ipse, Cento quid sit absolvam. Variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur: in unum versum ut coeant aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio. Nam duos iunctim locare, ineptum est: et tres una serie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus Heroicus, convenire ut possit, aut penthemimeris cum reliquo anapæsto: aut trochaica cum posteriore segmento: aut septem semipedes cum anapæstico chorico: aut post dactylum atque semipedem, quidquid restat hexametro. Simile ut dicas ludicro quod Græci ὀστομάχιον vocavere. Ossicula ea sunt: ad summam quatuordecim figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: isoscele: vel isopleura: orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum: Elephantus bellua, aut Aper bestia, Anser volans, et Mirmillo in armis, subsidens Venator, et latrans Canis: quin et Turturis, et Cantharus, et alia huiusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum est: imperitorum iunctura ridiculum. Quo prædicto, scies, quod ego posteriorem imitatus sum. Hoc ergo Centonis opusculum, ut ille ludus tractatur, pari modo, sensus diversi ut congruant: adoptiva quæ sunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accersita ne vim redarguant: densa ne supra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum est, dices me composuisse Centonem. Et quia sub Imperatore meo tum merui, procedere mihi inter frequentes stipendium iubebis: sin aliter, ære dirutum facies: ut cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, unde venerunt. Vale.

13. *Cento nuptialis.*

A. 5. Accipite hæc animis: lætasq; advertite mentes,
A. 11. Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
B. 7. Ambo florentes,* genus insuperabile bello. A. 4
A. 6. Tuque prior,* nam te maioribus ire per altum A. 3
A. 3. Auspiciis manifesta fides,* quo iustior alter A. 1
A. 1. Nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
A. 4. Tuque puerque, tuus* magnæ spes altera Romæ. A. 12
A. 8. Flos veterum, virtusque virum,* mea maxima cura, A. 1
A. 12. Nomine avum referens, animo, manibusque parentem.

A. 6. Non iniussa cano. * Sua cuique exorsa laborem, A. 10
A. 10. Fortunamq; ferent: * Mihi iussa capessere fas est. A. 1

Cœna nuptialis.

A. 5. Expectata dies aderat: * diguisque Hymenæis. A. 11
A. 6. Matres atque viri, * iuvenesque ante ora parentum G. 4
A. 1. Conveniunt: stratoq; super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, * oneraatque canistris A 8
Dona laboratæ Cereris; * pinguisque ferinæ A. 1
A. 8. Viscera tosta ferunt. * Series longissima rerum: A. 1
A. 8. Alituum, pecudumque genus, * capreæq; sequaces G. 1
G. 3. Non absunt illis, * nec uves, hædiq; petulci, G. 4
G. 3. Et genus æquoreum, damæ, * cervique fugaces. G. 3
A. 11. Ante oculos, interque manus sunt * mitia poma. B. 1
A. 8. Postquam exemta fames, et amor compressus edendi:
A. 1. Crateras magnos statuunt, * Bacchumque ministrant. A. 8
A. 2. Sacra canunt. * Plaudunt choreas; et carmina dicunt. A. 6
A. 6. Nec non Threicius longa cum veste sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimine vocum.
A. 9. At parte ex alia, * biforem dat tibia cantum. A. 10
A. 4. Omnibus una quies operum; * cunctique relictis A. 8
Consurgunt mensis, * per limina læta frequentes A. 1
A. 9. Discurrunt, variantque vices * populusque patresque, A. 9
A. 11. Matronæ, pueri, * vocemque per ampla volutant A. 1
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. A. 1

Descriptio egredientis sponsæ.

A. 4. Tandem progreditur * Veneris iustissima cura, A. 10
A. 7. Iam matura viro, iam plenis nubilis annis:
A. 1. Virginis os, habitumque gerens, * cui plurimus ignem A. 12
Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit:
A. 7. Intentos volvens oculos, * uritq; videndo. G. 3
A. 7. Illam omnis tectis, agrisque effusa iuventus,
Turbaque miratur matrum, * vestigia primi A. 5
Alba pedis; * dederatque comam diffundere ventis. A. 1
A. 3. Fert picturatas auri subtegmine vestes,
A. 1. Ornatus Argivæ Helenæ: * qualisq; videri A. 2
A. 2. Cœlicolis, et quanta solet * Venus aurea contra: A. 10
A. 6. Talis erat species. * Talem se læta ferebat A. 1
A. 2. Ad soceros; * solioq; alte subnixa resedit. A. 1

Descriptio egredientis sponsi.

A. 9. At parte ex alia * foribus sese intulit altis A. 11
A. 9. Ora puer prima signans intonsa iuventa,
Pictus acu chlamydem auratam, * quam plurima circum A. 5
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit,
A. 10. Et tunicam molli mater quam neverat auro:
A. 4. Os, humerosque Deo similis, * lumenque iuventæ. A. 1
A. 8. Qualis, ubi oceani perfusus Lucifer unda,
Extulit os sacrum cœlo; * sic ora ferebat, A 3
Sic oculos, * cursuque amens ad limina tendit. A. 1
A. 2. Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
A. 1. Oscula libavit, * dextramque amplexus inhæsit. A. 8

Oblatio munerum.

A 5. Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum
Dona ferunt, * pallam signis, auroq; rigentem, A. 1
A. 11. Munera portantes, aurique eborisque talentis,
Et sellam, * et pictum croceo velamen acantho. A. 1
A. 1. Ingens argentum mensis, * colloq; monile A. 1
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
A. 5. Olli serva datur, * gemini sub ubere nati. A. 5
A. 10. Quatuor huic iuvenes, * totidem innuptæque puellæ: A. 1
A. 5. Omnibus in morem tonsa coma. * Pectore summo A. 5
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium utrique.

A. 12. Tum studio effusæ matres * ad limina ducunt. A. 11
G. 4. At chorus æqualis, * pueri innuptæque puellæ, A. 2
G. 2. Versibus incomtis ludunt: * et carmina dicunt. A. 6
B. 8. O digno coniuncta viro, * gratissima coniux, A. 10
A 1. Sis felix, * primos Lucinæ experta labores, G. 4
G. 4. Et mater. Cape Mæonii carchesia Bacchi.
B. 8. Sparge marite nuces. * Cinge hæc altaria vitta, B. 8
A. 8. Flos veterum, virtusque virum: * tibi ducitur uxor, B. 8
A. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat; et pulchra faciat te prole parentem.
A. 9. Fortunati ambo, * si quid pia numina possunt. A.
A. 3. Vivite felices. * Dixerunt, currite, fusis, B. 4
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Ingressus in cubiculum.

G. 4. Postquã est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, * licito tandem sermone fruuntur. A. 8
A. 8 Congressi iungunt dextras * stratisque reponunt. A. 4
A. 1. At Cytherea novas artes, * et pronuba Iuno A. 4
A. 11. Sollicitet: suadetque ignote lacessere bella.
A. 1. Ille ubi complexu * molli fovet: atque repente A. 8
Accepit solitam flammam, * lectumq; iugalem. A. 4
A. 6. O virgo, nova mi facies. * gratissima coniux: A. 10
A. 6. Venisti tandem, * mea sola, et sera voluptas. A. 8
A. 2. O dulcis coniux, non hæc sine numine Divum
A. 12. Proveniunt: * placitone etiam pugnabis amori? A. 4
A. 4. Talia dicentem iamdudum aversa tuetur:
A. 12 Cunctaturq; metu, telumq; instare tremiscit:
A. 1. Spemque metumque inter, * funditque has ore loquelas: A. 5
A. 10. Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formose puer, * nocte non amplius unã A. 1
A. 9. Hanc tu, oro, solare inopem, * et miserere precantis. A. 10
A. 12. Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur.

A. 9. Ille autem: Causas nequidquam nectis inanes.
A. 12. Præcipitatque moras omnes, * solvitque A. 4 pudorem.

Parecbasis.

Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale, ambitu loquendi, et circumitione, velavi. Verum quoniam et Fescenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit: cetera quoque cubiculi et lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut bis erubescamus, qui et Virgilium facimus impudentem. Vos, si placet, hic iam legendi modum ponite: cetera curiosis relinquite.

Imminutio.

A. 11. Postquam congressi * sola sub nocte per A. 6 umbram,
G. 3. Et mentẽ Venus ipsa dedit, * nova prælia A. 3 tentant.
A. 10. Tollit se arrectum: * conantem plurima A. 9 frustra,
A. 10. Occupat, os, faciemque, * pedem pede A. 12 fervidus urget,
A. 7. Perfidus alta petens: * ramum qui veste A. 6 latebat
E. 10. Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem,
A. 12. Nudato capite, * et pedibus per mutua A. 7 nexis,
A. 3. Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
A. 10. Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.
A. 1. Est in secessu, * tenuis quo semita ducit, A. 11
A. 8. Ignea rima micans: * exhalat opaca me- A. 7 phitim.
A. 6. Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
A. 7. Hic specus horrendum. * Talis sese hali- A. 6 tus atris
A. 6. Faucibus effundens, * nares contingit odore. A. 9
A. 11. Huc iuvenis nota fertur regione viarum:
A. 5. Et super incumbens * nodis et cortice crudo A. 9
A. 9. Intorquet summis adnixus viribus hastam.
A. 11. Hæsit: virgineumque alte bibit acta cruorem.
A. 2. Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.
A. 11. Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
A. 3. Altius ad vivũ persedit * vulnere mucro. A. 11
A. 4. Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit:
Ter revoluta toro est. * Manet imperterritus A. 10 ille.
A. 3. Nec mora, nec requies: clavumque * affixus A. 5 et hærens
Nusquam amittebat: oculosque sub astra tenebat.
A. 6. Itque, reditque viam toties: * uteroque A. 2 recusso
A. 9. Transadigit costas: * et pectine pulsat A. 6 eburno.
A. 5. Iamq; fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finẽ adventabant. * tũ creber anhelitus artus, A. 5
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis:
A. 11. Labitur exsanguis; * destillat ab inguine G. 3 virus.

Contentus esto, Paule mi,
Lasciva, Paule, pagina:
Ridere nil ultra expeto.

Sed cum legeris, adesto mihi adversum eos, qui, ut Iuvenalis ait,

Curios simulant, et Bacchanalia vivunt:

ne forte mores meos spectent de carmine.

Lasciva est nobis pagina, vita proba,

ut Plinius dicit. Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram. Prurire opusculum Sulpitiæ, frontem caperare: esse Appuleium in vita philosophum, in epigrammatis amatorem; in præceptis omnibus extare severitatem, in epistolis ad Cærelliam subesse petulantiam. Platonis Symposion composita in ephebos edyllia continere. Nam quid Anniani Fescenninos? quid antiquissimi poetæ Lævii Erotopægnion libros loquar? Quid Evenum, quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vita est, et læta materia. Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris? qui octavo Æneidos, cum describeret coitum Veneris atque Vulcani, Αἰσχροσεμνίαν decenter immiscuit. Quid in tertio Georgicorum de summissis in gregem maritis? nonne obscœnam significationem honesta verborum translatione velavit? Et si quid in nostro ioco aliquorum hominum severitas vestita condemnat, de Virgilio arcessitum sciat. Igitur cui hic ludus noster non placet, ne legerit; aut cum legerit, obliviscatur; aut non oblitus, ignoscat. Etenim fabula de nuptiis est: et velit, nolit, aliter hæc sacra non constant.

14. *Rosæ.*

Ver erat: et blando mordentia frigora sensu
Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura iugales,
Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus:
Caulibus et patulis teretes colludere guttas,
Et cœlestis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem,
An daret: et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum.
Sideris, et floris, nam domina una Venus.
Forsan et unus odor: sed celsior ille per auras
Diffluit: expirat proximus iste magis.
Communis Paphie Dea sideris, et Dea floris,
Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat: quo se nascentia florum
Germina comparibus dividerent spatiis.
Hæc viret angusto foliorum tecta galero:
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Iam meditans foliis se numerare suis:
Nec mora: ridentis calathi patefecit honorem
Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: et tellus tecta rubore micat.
Tot species; tantosque ortus, variosque novatus
Una dies aperit: conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia floris est.
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipsa suum.
Collige, virgo, rosas, dum flos novus, et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

15. *Ex Græco, Pythagoricum de ambiguitate eligendæ vitæ.*

Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora: si curia domus anxia; si peregrinos
Cura domus sequitur: mercantem si nova semper
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas:
Si vexat labor agricolam, mare; naufragus horror
Infamat; pœnæque graves in cœlibe vita,
Et gravior cautis custodia vana maritis:
Sanguineum si Martis opus: si turpia lucra
Fœnoris, et velox inopes usura trucidat?
Omne ævum curæ: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest parvis lactentibus: at puerorum
Dura rudimenta, et iuvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, insidiasque, catenatosque labores
Mutandos semper gravioribus. Ipsa senectus
Expectata diu, votisque optata malignis,
Obiicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præsentia: quosdam
Constat nolle Deos fieri. Iuturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Iovem, data sit quod vita perennis.
Respice et ad cultus animi: sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem iuvat, aspiciat pœnas, et crimina regum,
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet servare fidem deleta Saguntos.
Vive, et amicitias semper cole: crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola docta sophorum,
Hoc metuens igitur, nullas cole: crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Dissidet ambiguis semper mens obvia votis.
Nec voluisse homini satis est: optata recusat.
Esse in honore placet: mox pœnitet: et dominari
Ut possit, servire volet: idem auctus honore,
Invidiæ obiicitur. Pernox est cura disertis:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus,
Et defende reos: sed gratia rara clientis.
Esto cliens: gravis imperii persona patroni.
Exercent hunc vota patrum: mox aspera curis
Sollicitudo subit: contemnitur orba senectus,
Et captatoris præda est heredis egenus.
Vitam parcus agas: avidi lacerabere fama.
Et largitorem gravius censura notabit.
Cuncta sibi adversis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia: quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.

16. *De viro bono*, Πυθαγορικὴ ἀπόφασις.

Vir bonus, et sapiens, qualem vix reperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres, atque rotundus:
Externæ ne quid labis per lævia sidat.
Ille, dies quam longus erit sub sidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat, et iusto trutinæ se examine pendit,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis,
Sit solidum quodcumque subest: nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid
Cur isti facto decus abfuit; aut ratio illi? (non?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? Sic dicta et facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam et præmia rectis.

17. Ναὶ καὶ Οὐ Πυθαγορικόν.

Est, et Non, cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demtis, nihil est, hominum quod sermo volutet.
Omnia in his, et ab his sunt omnia, sive negotî,
Sive otî quidquam est, seu turbæ, sive quietis.
Alterutro pariter nonnunquam, sæpe seorsis
Obsistunt studiis: ut mores, ingeniumque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta est.
Si consentitur, mora nulla, intervenit, Est, Est.
Sin controversum, dissensio subiicit, Non.
Hinc fora dissultant clamoribus: hinc furiosi
Iurgia sunt Circi: cuneati hinc læta Theatri
Seditio: et tales agitat quoque curia lites.
Coniugia, et nati cum patribus, ista quietis
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis schola consona disciplinis
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum,
Est lux, estne dies ergo? non convenit istuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei.
Est et Non igitur, quotiens lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem: mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt. (sant
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba ver-

18. *De ætatibus animalium, Hesiodion.*

Ter binos, deciesque novem super exit in annos
Iusta senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis secula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus: at illum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo,
Nymphæ Hamadryades: quarum longissima vita est.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cetera secreti novit Deus arbiter ævi
Tempora: quæ Stilbon volvat, quæ secula Phænon,
Quos Pyrois habeat, quos Iupiter igne benigno
Circuitus: quali properet Venus alma recursu:
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores.
Donec consumpto, Magnus qui dicitur, anno,
Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum;
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

19. *Monosticha de ærumnis Herculis.*

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro et face contudit hydram.
Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.

Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

20. Musarum inventa, et munera.

Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone, Thalia.
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato, saltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Uranie cœli motus scrutatur, et astra.
Signat cuncta manu, loquitur Polybymnia gestu.
Mentis Appollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

ECLOGARIUM

De ratione Libræ.

Miraris quicumque manere ingentia mundi
Corpora, sublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem:
Accipe quod mirere magis. Tenuissima tantis
Principia, et nostros non admittentia visus,
Parvarum serie constant connexa atomorum.
Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen,
Unde vigor viresque manent, æternaque rerum
Mobilitas: nulloque unquam superabilis ævo.
Divinis humana licet componere: sic est
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis
Constat; et in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam si quid numero minuatur, summa vacillat:
Convulsæque ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium si quis vellat de fornice saxum,
Incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
Cetera, communemque trahent a vertice lapsum.
Non aliter libra est: si defuit uncia, totus
Non erit as: nomenque deunx iam casus habebit.
Nec dextans retinet nomen, sextante remoto.
Et dodrans, quadrante carens, auctore carebit.
Divulsusque triens prohibet persistere bessem.
Iam quincunx tibi nullus erit, si prima revellas.
Et semis, cui semis erit pereuntibus assis
Partibus: et cuius libræ pars septima, septunx?
Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet. (rum
Ponderis, et numeri, morumque, operumque, et aqua-
Libra: nec est modulus, quem non hoc nomine signes
Telluris, medioquæ pendet in aere, libra est,
Et Solis, Lunæque vias sua libra coercet.
Libra die, somnique pares determinat horas.
Libra Caledonios sine litore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

De ratione puerperii maturi.

Omnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit: terrenaque tantum
Membra homini: e superis fortuna, et spiritus auris,
Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis
Sortitus regimen nitidæ sol aureus æthræ.
Nec sola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve solliciti spatium producimus ævi:
Creditur occultosque satus, et tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namque ubi conceptus genitali insederit arvo,
Haud dubium solem cuicumque insistere signo.
Qui eum vicini stationem ceperit astri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis,
Scandit purpureo iam tertia sidera curru:
Obliqua exilem demittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia Solis.
Suadet et infusus teneros coalescere fœtus.
Fulgor tetragono aspectu vitale coruscat,
Clarum, et lene micans: quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo.
Ast ubi signiferæ media in regione choortis
Septimus accepit lines rutilantia flammis
Recto castra situ: turgentis fœdera partus
Iam plena sub luce videt: nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ.
Hinc illud, quod legitimos Lucina labores
Prævenit; et gravidos sentit subrepere nixus
Ante expectatum festina puerpera votum.
Quod nisi, septeno cum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus,
Posterior nequeat, possit prior: an quia sexto
Æmulus octavi conspectus inutilis astri
Nescit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires sociante sequenti.
At si difficilis partus trahit Ilithyia,
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

Signa cœlestia.

Ad Boreæ partes Arcti iunguntur, et Anguis.
Post has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus, et Cassiopea,
Auriga et Perseus, Deltoton, et Andromedæ astrum,
Pegasus et Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensq.
Signifer inde subest, bis sex et sidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces. Post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus Chiron, Thuribulum quoque, Piscis, et ingens.
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna et Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoq. fulgens.
Hic Iovis et sidus super omnia sidera lucens.
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

Ratio dierum anni vertentis.

Nonaginta dies et quatuor, ac medium Sol
Conficit, a tropico in tropicum dū permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque, et meta diei.
Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos,
A Cancro in Chelas æquatæ tempora noctis
Atque diei cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Unde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies, decies octonis insuper addens,
Quadrantemque diei: quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coercens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum, ac senis decies et quinque diebus.

De nominibus septem dierum.

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetæ.
Quos indefessa volvens vertigine Mundus,
Signorum obliqua iubet in statione vagari.

Primum, supremumque diem radiatos habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Iovis aurea sidera Zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Hic versus sine auctore est. Quid quoque dis demi de corpore oporteat.

Ungues Mercurio, barbam Iove, Cypride crines.

Hoc sic refellendum.

Mercurius furto probat ungues semper acutos,
Articulisque aciem non sinit imminui.
Barba Iovi, crines Veneri decor: ergo necesse est,
Ut nolint demi, quo sibi uterque placet.
Mavors imberbes, et calvos Luna adamasti.
Non prohibent comi tum capit atque genas.
Sol et Saturnus nihil obstant unguibus: ergo
Non placitum Divis tolle monostichium.

De mensibus, et quatuor anni temporibus.

Æternos menses, et tempora, quatuor anni,
Quatuor ista tibi subiecta monosticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.
Iulius, Augustus, nec non et Iunius, æstas.
Septembri, Octobri autumnus, totoque Novembri.
Brumales, Ianus, Februarius, atque December.

De mensibus monosticha.

Primus Romanas ordiris, Iane, Kalendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
Iunius ætatis proximus est titulo.
Nomine Cæsareo Quinctilem Iulius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum, Pomona, tuum September opimat.
Triticeo October fœnore ditat agros.
Sidera præcipitas pelago intempeste November.
Tu genialem hyemem, feste December, agis.

Disticha de iisdem mensibus.

Iane nove, primo qui das tua nomina mensi,
Iane bifrons, spectans tempora bina simul.
Post Superum cultus, vicino Februa mense
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius et generis Romani præsul, et anni,
Prima dabas Latiis tempora consulibus.
Æneadum genetrix vicino nomen Aprili
Dat Venus: est Marti namque Aphrodita comes.
Maia Dea, an maior, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mensi est auctor uterque bonus.
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore.
Seu nomen Iuno, sive Iuventa dedit.
Inde Dionæo præfulgens Iulius astro,
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum a Cæsare nomen:
Ordine sic anni proximus, ut generis.
Nectuntur post hos, numerumque ex ordine signant:
September, Bacchi munere præla rigans:
Et qui sementis per tempora, fœnore lætus,
October, cupidi spem fovet agricolæ:
Quique salo mergens sollemnia signa November
Præcipitat, cœlo mox reditura suo.
Concludens numerum genialia festa December
Finit, ut a bruma mox novus annus eat.

Quoteni dies sint mensium singulorum.

Implent tricenas per singula menstrua luces
Iunius, Aprilisque, et cum Septembre November.
Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Iani Martisque Kalendis,
Et quas Maius agit, quas Iulius, Augustusque,
Et quas October, positusque in fine December.
Unus erit tantum duodetriginta dierum,
Quem Numa præposito voluit succedere Iano.
Sic tercentenis decies accedere senos,
Quadrantemque, et quinq. dies sibi computat annus.

De tribus menstruis mensium.

Bis senas anno reparat Lucina Kalendas:
Et totidem medias dat currere Iupiter Idus.
Nonarumque diem faciunt infra octo secundi.
Hæc sunt Romano tantum tria nomina mensi.
Cetera per numeros sunt cognomenta dierum.

Quo mense quotæ Nonæ, vel Idus sint.

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maii, Octobris, Martisque recursus,
Et qui solstitio sua tempora Iulius infert.
Cetera pars mensum quartis est prædita Nonis.
Omnes vero Idus octava luce recurrunt.

Quotæ Kalendæ sint mensium singulorum.

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diversæ numero redeunt variante Kalendæ:
Dum rursumque iterumque * * vocantur,
Ut tandem oblati procedant temporis ortus.
Ter senis, unoque die genialia festa
Porrigit, ut Ianum arcessat nova bruma morantem.
Hoc numero mensisque Numæ redit, autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus.
Iulius, et Maius, positusque in fine December,
Octoberque die revocatur tardius uno.
Inde die redeunt minus uno quatuor ultra,
Quos numero adiiciam, Sextilis, Iunius atque
Aprilis, post quos pænultima meta November.
Ter quinis, unoque die Iunonie Mavors,
Ut redeas, referasque exordia prima, cieris.
Hoc numero, ad plenum vertens reparabitur annus.

In quo mense quod Signum sit ad cursum solis.

Principium Iani sancit tropicus Capricornus.
Mense Numæ in medio solidi stat sidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phryxee, Kalendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri.
Iunius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Iulius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo, tuo Bacchum September opimat.
Æquat et October sementis tempore Libram.
Scorpion hybernus præceps iubet ire November.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

Q. Ciceronis versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore illustre sit, noverimus. Quod superius quoque nostris versibus expeditur.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces.
Curriculumque Aries æquat noctisque diique.
Cornua quem condunt florum prænuntia Tauri,
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt.
Longaque iam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post, modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
Et fœtos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens iaculator frigora terris.
Bruma gelu glacians iubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari:
Tenta supra, circaque vigent ubi flumina mundi.
At dextra, lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, et Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis

Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans: quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

A Solstitio in æquinoctium ratio.

Sol profectus a teporo veris æquinoctio,
Post semidiem postque totos nonaginta et quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulsum æstivum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo et octoginta gœris, et super triborio.

* * * *

Inde floridum reflexis ver revisit orbis
Additis ad hos priores gœros geminis orbibus.

De Feriis Romanis.

Nunc et Apollineos Tiberina per ostia ludos,
Et Megalesiacæ matris operta loquar.
Vulcanique dies autumni exordia primi,
Quinquatrusque Deæ Pallados expediam:
Et medias Idus, Maii Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.
Matronæ quæ sacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi cum rediere dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
Cum stola matronis demta teget famulas.
Quatuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, et luces nocte, dieque pares.
Nec Regifugium pulsis ex urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.
Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam,
Festaque servorum, cum famulantur heri?
Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Compita per vicos cum sua quisque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliisque vocant?
Festa hæc, navigiis, aut quæ celebrata quadrigis,
Iungunt Romanos finitimosque duces?
Adiiciam cultus, peregrinaque sacra Deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ:
Nec non lascivi Floralia læta theatri,
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
Prima hæc Romanus nomina Circus habet.
Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quæ sibi vota dicat.
Ædiles plebeii etiam, ædilesque curules
Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.
Et gladiatores funebria prælia notum
Decertasse foro: nunc sibi arena suos
Vindicat: extremo qui iam sub fine Decembris,
Falcigerum placant sanguine Cœligenam.

De lustralibus agonibus.

Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos.
Cœlicolum duo sunt, et duo festa hominum.
Sacra Iovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique:
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

De locis agonum.

Prima Iovi magno celebrantur Olympia Pisæ.
Parnassus Clario sacravit Pythia Phœbo.
Isthmia Portuno bimaris dicat acta Corinthi.
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

De auctoribus agonum.

Primus Olympiacæ sacravit festa coronæ
Iupiter Argivi stadia ad longissima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ sacravit honorem.
Hæc quoque temporibus quinquennia sacra notandis.
Isthmia Neptuno data sunt, et Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu Divorum hominumque sepultis.

Quod iidem, qui sacri agones sunt, et funebres ludi habeantur.

Tantalidæ Pelopi mœstum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæ colunt quinquennia Thebæ.
Isthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.
Pythia placando Delphi statuere Draconi.

EPISTOLARUM LIBER.

1. *Ausonius ad patrem, de suscepto filio.*

Crediderам nil posse meis affectibus addi,
Quo, venerande pater, diligerere magis.
Accessit (grates Superis medioque nepoti,
Bina dedit nostris qui iuga nominibus.
Ipse nepos te fecit avum: mihi filius idem,
Et tibi ego: hoc nato nos sumus ambo patres.
Nec iam sola mihi pietas mea suadet amorem:
Nomine te gemini iam genitoris amo.)
Accessit titulus, tua quo reverentia crescat:
Quo doceam natum, quid sit amare patrem.
Quippe tibi æquatus videor, quod parvulus isto
Nomine honoratum me quoque nobilitat;
Atque ætas quia nostra eadem: nam supparis ævi
Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis,
Quanta solent alios tempora dividere.
Vidi ego natales fratrum distare tot annis,
Quot nostros: ævum nomina non onerant.
Pulchra iuventa tibi senium sic iungit, ut ævum,
Quod prius est, maneat: quod modo, ut incipiat.
Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me nescire tuos, pater optime, testor:
Totque putare meos, quot reor esse tuos.
Nesciat hos natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quam pia vota fovens:
Exemploque docens pravo iuvenescere natos,
Ut nolint patres se quoque habere senes.
Verum ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc ævi tempora grata mihi.
Debeo quod natus, suadet pia cura nepotis,
Addendum patri, quo veneremur avum.
Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus.
Exiguum quod avus: faveant pia numina Divûm,
Deque nepote suo fiat avus proavus.
Largius et poterunt producere fata senectam:
Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

2. *Pater ad filium; cum temporibus tyrannicis ipse Treveris remansisset, et filius a patre profectus esset. Hoc inchoatum neque impletum sic de lituraris scriptum.*

Debeo et hanc nostris, fili dulcissime, curis
Historiam: quanquam titulo non digna sereno
Anxia mœstarum fuerit querimonia rerum.
Iam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ
Protulerat te, nate, rates: mœstique parentis
Oscula et amplexus discreverat invidus amnis.
Solus ego; et quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram: profugæque dabam pia vota carinæ,
Solus adhuc te, nate, videns: celerique remulci
Culpabam properos adverso flumine cursus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus, vacuis solisque exerceor aris.
Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes:
Gramineos nunc frango toros: viridesque per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.
Sic lux prima abiit: sic altera meta diei.
Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,

Sic alias: totusque mihi sic annus abibit,
Restituant donec tua me tibi fata parentem.
Hac ego conditione licet, vel morte paciscar:
Dum decores suprema patria, tu nate, superstes.

3. *Ausonius Hesperio.*

Qualis Picenæ populator turdus olivæ,
Clunes opimat cereas:
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
Pendetque nexus retibus,
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis,
Vel mane tenta roscido:
Tales hibernis ad te de sepibus, ipsos
Capi volentes, misimus,
Bis denos: tot enim crepero sub lucis Eoæ
Præceps volatus intulit.
Tum quas vicinæ suggessit præda lacunæ,
Anates maritas iunximus,
Remipedes, lato populantes cærula rostro,
Et crure rubras punico.
Tricolor vario pinxit quas pluma colore,
Collum columbis æmulas.
Defrodata meæ non sunt hæc fercula mensæ.
Vescente te, fruimur magis.
Vale bene, ut valeam.

4. *Ausonius Theoni suo S.*

Ausonius, cuius ferulam nunc sceptra verentur,
Paganum Medulis iubeo salvere Theonem.
Quid geris, extremis positus telluris in oris,
Cultor arenarum vates? cui litus arandum,
Oceani finem iuxta, Solemque cadentem:
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis,
Et tingit piceo lacrimosa colonica fumo.
Quid rerum, Musæque gerunt, et cantor Apollo?
Musæ non Helicone satæ, nec fonte caballi:
Sed quæ fœcundo de pectore Clementini,
Inspirant vacuos aliena mente poetas.
Iure quidem: nam quis malit sua carmina dici,
Qui te securo possit proscindere risu?
Hæc quoque ne nostrum possint urgere pudorem,
Tu recita: et vere poterunt tua dicta videri.
Quam tamen exerces Medulorum in litore vitam?
Mercatusne agitas, leviore nomismate captans,
Insania quod mox pretiis gravis auctio vendat?
Albentis sevi globulos, et pinguia ceræ
Pondera, Naryciamque picem, scissamque papyrum,
Fumantesque olidum paganica lumina tædas?
An maiora gerens, tota regione vagantes
Persequeris fures? qui te, postrema timentes,
In partem, prædamque vocent; tu mitis, et osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis,
Erroremque vocas, pretiumque imponis abactis
Bobus, et in partem scelerum de iudice transis?
An cum fratre vagos dumata per avia cervos
Circumdas maculis, et multa indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero? moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.
Exemplum de fratre time, qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas,
Perfossasque nates vicino podice nudat.
Inde ostentator volitat: mirentur ut ipsum
Gedippa, Ursinusque suus, prolesque Iovini,
Taurinusque, ipsum priscis heroibus æquans.
Qualis in Olenio victor Calydonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro.
Sed tu parce feris venatibus, at fuge nota
Crimina silvarum: ne sis Cinyreia proles,
Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,
Cæsariem rutilam per candida colla refundis:
Pectore sic tenero, planus sic iunceus alvo,
Per teretes feminum gyros, surasque nitentes
Descendis, talos a vertice pulcher ad imos.
Qualis floricoma quondam populator in Ætna,
Virgineas inter choreas Deoida raptam
Sustulit emersus stygiis fornacibus Orcus.
An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piscandi traheris studio? nam tota supellex
Domnotoni tales solita est ostendere gazas:
Nodosas vestes animantum Nerinorum,
Et iacula, et fundas, et nomina villica lini,
Colaque, et indutos terrenis vermibus hamos.
His opibus confisæ tumes? domus omnis abundat
Litoreis dives spoliis: referuntur ab unda
Corroco, letalis Trygon, mollesque Platessæ,
Urentes Thynni, et male tecti spina Elegati,
Nec duraturi post bina trihoria Corvi.
An te carminibus iuvat incestare canoras
Mnemosynes natas, aut tris, aut octo sorores?
Et quoniam huc ventum, si vis cognoscere, quid sit
Inter doctrinam, deridendasque Camœnas:
Accipe congestas mysteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis,
Scillite decies non si purgaris aceto;
Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen:
Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum: cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam,
Notasque furvæ sepiæ,
Cnidiosque nodos prodidit.
Nunc adsit: et certe modo
Præsul creatus literis,
Enucleabit protinus
Quod militantes scribimus.
Notos fingo tibi poeta versus:
Quos scis Hendecasyllabos vocari:
Sed nescis modulis tribus moveri.
Istos composuit Phalæcus olim,
Qui Penthemimerin habent priorem:
Et post semipedem duos iambos.
Sunt quos Hexametri creant revulsi:
Ut Penthemimeris prior locetur.
Tum quod bucolice toma relinquit.
Sunt et quos generat puella Sappho:
Quos primus regit Hippius secundus:
Ut claudat Choriambon Antibacchus.
Sed iam non potis es, Theon, doceri:
Nec fas est mihi regio magistro
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, nisi quod libris tenetur:
Et quod non opicæ tegunt papyri.
Quas si solveris, o poeta, nugas,
Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec iam post metues ubique dictum:
Hic est ille Theon poeta falsus,
Bonorum mala carminum taberna.

5. *Eidem Theoni.*

Ausonius Salve caro mihi dico Theoni,
Versibus experiens quod volo, quodve queror.
Tertia fissipedes renovavit Luna iuvencas,
Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.
Nonaginta dies sine te, charissime, traxi:
Huc adde æstivos: hoc mihi pæne duplum est.
Vis novies denos dicam, deciesque novenos
Isse dies? omni portio quarta abiit.

Sexaginta horas super et duo millia centum
Te sine consumsi: quo sine et hora gravis.
Millia bis nongenta iubet demensio legum
Annumerata reos per tot obire dies.
Iam potui Romam pedes ire, pedesque reverti,
Ex quo te dirimunt millia pauca mibi.
Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati?
Pauliacus tanti non mihi villa foret.
An quia per tabulam medico pugnante notatam,
Debita summa mihi est, ne repetamus, abes?
Bis septem rutilos regale nomisma Philippos,
Nec tanti fuerint, perdere malo, Theon:
Implicitum quam te nostris interne medullis
Defore tam longi temporis in spatio.
Ergo aut prædictos iam nunc rescribe Darios;
Et redime, ut mora sit libera desidiæ:
Aut alios a me totidem dabo: dummodo cari
Conspicer ora viri, pauperis usque licet.
Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli
Pande. Medullini te feret aura noti
Expositum subter paradas, lectoque iacentem:
Corporis ut tanti non moveatur onus.
Unus Domnotoni te litore perferet æstus
Condatem ad portum: si modo deproperes.
Inque vicem venti, quotiens tua flamina cessant,
Remipedem iubeas protinus ire ratem.
Invenies præsto subiuncta petorita mulis.
Villa Lucani-mox potieris-aco.
Rescisso disces componere nomine versum.
Lucili vatis sic imitator eris.

6. *Eidem Theoni.*

Ausonius Consul vatem resaluto Theonem.
Aurea mala, Theon, sed plumbea carmina mittis.
Unius massæ quis putet has species?
Unum nomen utrisque: sed ast discrimen utrisque:
Poma ut mala voces, carmina vero mala.
Vale beatis nomen a Divis Theon.
Metoche sed ista sæpe currentem indicat.

7. *Ausonius Theoni, cum ei triginta ostrea, grandia quidem, sed tam pauca misisset.*

Exspectaveram, ut rescriberes ad ea, quæ dudum iocul ariter luseram de cessatione tua valde impia, et mea efflagitatione, cuius rei munus reciprocum quoniam in me colendo fastidisti, inventa inter tineas epistola veteri, quam de ostreis et musculis affectata obscuritate condideram: quæ adulescens temere fuderam, iam senior retractavi. Sed in eundem modum instaurata est satyrica, et ridicula concinnatio: saltem ut nunc respondeas notissimæ cantilenæ, qui illam novitiam silentio condemnasti.

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat,
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus.
Verum quot fuerint, subiecta monosticha signant:
Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli,
Aut ter ut Æolidi mensis tenet ignicomus Sol.
Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus.
Quotque annis sublimis agit sua sæcula Phænon.
Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.
Dardaniusque nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia servant.
Quot genuit fœtus Albana sub ilicibus sus.
Et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes.
Vel quot habet iunctos Vasatica rheda caballos.
Quod si figuras fabulis adumbratas,
Numerumque doctis involutum ambagibus
Ignorat alto mens obesa viscera:
Numerare saltim more vulgi ut noveris,
In se retortas explicabo summulas.
Ter denas, puto, quinquiesque senas.
Vel bis quinque, dehinc decem, decemque.
Vel senas quater, et bis adde ternas.
Septenis quater addito unum et unum.
Duc binas decies, semelque denas.
Aut ter quatuor adde bis novenis.
Octonis quater, hinc duæ recedant.
Binas ter decies semel quaternas.
Et sex adde novem vel octo septem.
Aut septem geminis bis octo iunge.
Aut ne sim tibi pluribus molestus,
Triginta numero fuere cunctæ.
Iunctus limicolis musculus ostreis,
Primo composuit fercula prandio,
Gratus deliciis nobilium cibus,
Et sumti modicus pauperibus focis.
Non hic navifrago quæritur æquore,
Ut crescat pretium grande periculis:
Sed primore vado, post refugum mare,
Algoso legitur litore concolor.
Nam testæ duplicis conditur in specu,
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus,
Carnem lacteoli visceris indicat.
Sed damnosa nimis panditur area.
Fac campum replices, Musa, papyrium:
Nec iam fissipedis per calami vias
Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis,
Pingens aridulæ subdita paginæ,
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter versibus obliuat
Fulvam lacticolor spongia sepiam.
Parcamus vitio Domnotinæ domus:
Nec sit charta mihi carior ostreis.

8. *Ausonius Axio Paulo Rhetori S.*

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,
Burdigalæ molles liquimus illecebras:
Santonicamque urbem, vicino accessimus agro.
Quod tibi si gratum est, optime Paule, proba.
Cornipedes raptant imposta petorita mulæ:
Vel cisio triiugi, si placet, insilias:
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
Conscendas, propere dummodo iam venias.
Instantis revocant quia nos sollennia Paschæ:
Libera nec nobis est mora desidiæ.
Perfer in excursu vel teriuga millia epodon,
Vel falsas lites, quas schola vestra ferit.
Nobiscum invenies nullas, quia liquimus istic,
Nugarum veteres cum sale reliquias.

9. *Ausonius Paulo.*

Ostrea nobilium cœnis, sumtuque nepotum
Cognita, diversoque maris deleusa profundo,
Aut refugia udata vadis, aut scrupea subter
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, ceu saxa cohærent,
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,
Enumerare iubes, vetus o mihi Paule sodalis,
Assuefacte meis ioculari carmine nugis
Aggrediar; quamvis curam non ista senilem
Sollicitent, frugique viro dignanda putentur.
Nam mihi non Saliare epulum, non cœna dapalis,
Qualem Penelopæ nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta iuventus.
Enumerabo tamen, famam testesque secutus,

Pro studiis hominum semper diversa proliantum.
Sed mihi præ cunctis mitissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus, nostri quam gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem,
Omnibus ex longo cedentibus; ista et opimi
Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem.
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo
Ex intervallo, quæ Massiliensia: portum,
Quæ Narbo ad Veneris nutrit; cultuque carentis
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi:
Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis:
Santonico quæ tecta salo: quæ nota Genonis:
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo iaceant algarum obducta recessu:
Aspera quæ testis, et dulcia farris opimæ.
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti:
Et quæ Pictonici legit accola litoris: et quæ
Mira Caledonius nonnumquam detegit æstus.
Accedunt, quæ fama recens Byzantia subter
Litora, et insana generata Propontidis acta,
Promoti celebrata ducis de nomine, laudat.
Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis:
Ut solitum, quotiens dextræ invitatio mensæ
Sollicitat lenem comi sermone Lyæum.
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut parasitorum collegia Plautinorum:
Sed festos quis sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis si forte fuit sollemnis amico,
Coniugioque dapes, aut sacra repotia patrum,
Audivi: meminique bonos laudare frequentes.

10. *Ausonius Paulo.*

Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis,
Nec plasma semper allinunt,
Paule, Camœnarum celeberrime Castaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim
Tartessiorum regulus:
Intemerata tibi maneant promissa memento.
Phœbus iubet verum loqui.
Et si Pierias patitur lirare sorores,
Nunquam ipse torquet αὔλακα.
Te quoque ne pigeat consponsi fœderis: et iam
Citus veni remo, aut rota,
Æquoris undosi qua multiplicata recursu,
Garumna pontum provocat.
Aut iteratarum qua glarea trita viarum,
Fert militarem ad Blaviam.
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus
Avemus agrum visere.
Nam populi cœtus, et compita sordida rixis
Fastidientes, cernimus
Angustas fervere vias, et congrege vulgo
Numen plateas perdere.
Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave;
Sus lutulenta fugit, rabidus canis impete sævo,
Et impares plaustro boves.
Nec prodest penetrale domus et operta subire:
Per tecta clamores meant.
Hæc, et quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia:
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna seriis.
Tempora disponas ubi tu tua: iusque tuum sit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ si properas, tota cum merce tuarum
Veni Camœnarum citus.
Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,
Socci et cothurni musicam,
Carpentis impone tuis: nam tota supellex
Vatum piorum chartea est.
Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti,
Non Pœna, sed Græca fide.

11. *Ausonius Paulo S.*

Versus meos utili, et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone præmissis, dum putas elici, repressisti. Nam qui ipse facundus, et musicus, editionis alienæ prolectat audaciam, consilio, quo suadet, exterret. Tegat, oportet, auditor doctrinam suam, qui volet ad dicendum sollicitare trepidantem; nec emerita adversum tirunculos arma concutiat veterana calliditas. Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata iudicio. Pudenter enim, ut apud patrem, velata certaverat: neque deterrebat æmulas ornatus æqualis: at postquam in pastoris examen deducta est lis Dearum; qualis emerserat mari, aut cum Marte convenerat, et consternavit arbitrum, et contendentium certamen oppressit. Ergo nisi Delirus tuus in re tenui non tenuiter laboratus, opuscula mea, quæ promi studueras, retardasset: iamdudum ego, ut palmes audacior, in hibernas adhuc auras improbum germen egissem, periculum iudicii gravis inconsulta festinatione subiturus. Denique dissonum, quem Colonomon existimo proprie a philologis appellatum, ad te mittere ut iubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea, quæ tibi iam cursim fuerant recitata, transmitto. Etenim hoc poposcisti, atque id ego malui: tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes: ego autem quæcunque fortuna esset, semel erubescerem. Vide, mi Paule, quam ineptum lacessieris: in verbis, rudem: in eloquendo, hiulcum: a propositis discrepantem: in versibus, concinnationis expertem: in cavillando, natura invenustum, nec arte conditum: diluti salis et fellis ignavi: nec de mimo planipedem, nec de comœdis histrionem. Ac nisi hæc a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronunciatione rideres. Nunc commodiore fato sunt: quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiva.

Vinum cum biiugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum,
Ovum tu quoque passeris marini:
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Bigerritanæ.

12. Αὐσόνιος Παύλῳ.

Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης, Latiæque Camœnæ.
Ἄξιῳ Αὐσόνιος sermone alludo bilingui.
Musæ quid facimus? τί κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὔτως
Ludimus ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες;
Σαντονικοῖς campoισιὸν ὅτι κρύος ἄσπετόν ἐστιν,
Erramus gelido-τρομεροί, rigidique poetæ
Πιερίδων τερενοπλοκάμων θεράποντες inertes.
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε pedum καὶ κρυμὸς ὀδόν-
Θαλπωρὴ quia nulla πέλει χιονώδεϊ χώρῃ, (των,
Et duplicant frigus ψυχρὰ carmina μητιόωντες.
Ἀρχόμενος δ' ἄρα μῆνιν ἐώϊα.....
Primitias Παύλῳ nostro πέμψω μελιηδεῖς.
Μνημοσύνης κρηδεμνοκόμου πολὺ inclyta τέκνα
Ἐννέα verbosæ, χρυσοστέφανοί τε puellæ,

Ἔνθ' αγε μοι τολυπευέτ' ἔπη, κουρώδεα μολπήν,
Φρόντibus ὑμετέραις πτέρινον præferto libellum
Ὑματαρ... στίχον ....
Παύλῳ ἐφαρμόζητε μιμιγμένον .... ᾠδήν.
Οὐ γάρ μοι θέμις ἐστὶν in hac regione μένοντι,
Ἄξιον ab nostris ἐπιδεύεα esse καμήναις.
Κεινος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,
Qui ioca παντοδαπῇ novit tractare παλαίστρῃ.
Καὶ νῦν sepositus μοναχῷ ἐνὶ rure Κρεβέννῳ,
Ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ, habet θυμαλγέα λέσχην,
Οὔτε φίλοις ἑτάροις, nec mensæ accomodus ulli.
Ὄττι ἀθελξινόοις αἰεὶ συνέμεν φάτο μούσαις.
Iam satis, ὦ φίλη Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν,
Ἔντε foρῳ causαῖς τε, καὶ ingratαῖσι καθέδραις,
Ῥητορικοῖς ludοισι, καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ.
Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας iuvenaλιος ἱδρώς
Ἐκκέχυται μελέων· τρομερὴ λάβε βλέμμα senectus.
Καὶ minus in sumtū δαπανὰς levis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ἀπάλαμνος ἀνήρ......
Κλεινικὸς οὐθ' ὁ γέρων,.....
Æquanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὕδειν
Malueris, λήθη δὲ πόνον ἔσετ', ἠδὲ πενίης.
Κεῖνο δὲ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σὺν φιάλῃ ἢ σὺν δέπαϊ συνοπάονι μουσέων
Θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.
Hic erit et fructus Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
Ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula θέντι,
Κιρνᾶν, αἴκε θέλοις, νέκταρ, vinoio bonoio,
Ambo igitur nostræ, παραλέξομεν otia vitæ,
Dum res, et ætas, et sororum
Νήματα πορφύρεα πλέκονται.

13. Αὐσόνιος Παύλῳ.

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ. σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

14. *Ad eundem Paulum.*

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam:
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete: si tibi cura,
Quæ mihi, conspectu iam potiere meo.
Sed tamen appropera, quantum pote corpore, et ævo,
Ut salvum videam, sat cito te video.
Si post infaustas vigor integratus habenas,
Et rediit membris iam sua mobilitas:
Si riguam lætis recolis Pimpleida Musis,
Iam vates, et non flagrifer Automedon;
Pelle soporiferi senium, nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium, aut pigrum cautus conscendo veredum.
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.
Cantheris moneo male nota petorita vites.
Nec celeres mulas ipse Methyscus agas.
Sic tibi sint Musæ faciles, meditatio promta,
Et memor: et liquidi mel fluat eloquii.
Sic, qui venalis tam longa ætate Crebennus
Non habet emtorem, sit tibi pro pretio.
Attamen ut citius venias, leviusque vehare;
Historiam, mimos, carmina, linque domi.
Grande onus in Musis; tot sæcula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.
Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφέα πληθύν,
Γραμματικῶν τε πλοκάς, καὶ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρῷον, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον,
Σὺν Θαλίης τε χόρῳ σύρματα Τερψιχόρης.
Σωταδικόν, τε κίναιδον, ἰωνικόν, ἀμφοτέρωθεν,
Ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην.
Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα, τρίμετρον.
Ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἐννέα Ἡροδότου.
Ῥητορικῶν θαυμαστά, σοφῶν ἐρικυδέα φῦλα,
Πάντα μάλ' ὅσσ' ἐθέλοις, καὶ πλέον, αἴκε θέλοις.
Hoc tibi de nostris ἀσπαστικὸν offero libris.
Vale: valere si voles me, iam veni.

15. *Ausonius Tetradio salutem.*

O qui venustos uberi facundia
Sales opimas, Tetradi:
Cavesque, ne sit tristis et dulci carens
Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis;
Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes Camœnas qui Suessæ prævenis:
Ævoque cedis, non stilo.
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, ut Lucas boves
Olim resumto præferoces prœlio
Fugit iuventus Romula?
Non ut tigris te, non leonis impetu,
Amore sed caro expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
Et indole optata frui.
Invitus olim devoravi absentiæ
Necessitatem pristinæ,
Quondam docendi munere adstrictum gravi
Iculisma cum te absconderet.
Et invidebam devio, ac solo loco,
Opes Camœnarum tegi.
At nunc frequentes, atque claros, nec procul,
Cum flores inter viros:
Tibique nostras ventus auras deferat,
Auresque sermo verberet:
Cur me supino pectoris fastu tumens
Spernis poetam consulem?
Tuique amantem, teque mirantem, ac tua
Desiderantem carmina,
Oblitus alto negligis fastigio?
Plectendus exemplo tuo:
Ni stabilis ævo pectoris nostri fides
Quanquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me, pervola
Cum scrinio, et Musis tuis.

16. *Ausonius Probo Præfecto Prætorio S.*

Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam exspectatione consumtam, Probe, vir optime. In secundis tamen habeo non fefellisse. Apologos Titiani, et Nepotis chronica, quasi alios apologos (nam et ipsa instar sunt fabularum) ad nobilitatem tuam misi, gaudens atque etiā glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum, sedulitatis meæ studio, conferatur. Libello tamen apologorum antetuli paucos epodos, studio in te observantiæ meæ impudentissimos, paucos quidem, ut ego loquax iudico: verum tu, cum legeris, etiam nimium multos putabis. Adiuro benevolentiam tuam, verecundiæ meæ testem, eos mihi subita persuasione fluxisse. Nam quis hoc diu cogitaret? Quod sane ipsi per se probabunt. Fors fuat, ut si mihi vita suppetet; aliquid rerum tuarum, quamvis incultus, expoliam: quod tu

etsi lectum non probes, scriptum boni consulas. Cumque ego imitatus sim vesaniam Chœrili, tu ignoscas magnanimitata Alexandri. Hi igitur, ut Plautus ait, iuterim erunt antelogium fabularum, garruli, et deceptores. Qui compositi ad honorificentiæ obsequium, ad aurium convicium concurrerunt. Vale, et me dilige.

Ad librum, ut eat ad Probum.

Perge, o libelle, Sirmium,
Et dic hero meo, ac tuo,
Ave atque salve plurimum.
Quis iste sit nobis herus,
Nescis libelle? an, cum scies,
Libenter audis, quod iuvat?
Possum absolute dicere:
Sed dulcius circumloquar,
Diuque fando, perfruar.
Hunc dico, qui lingua potens,
Minorem Atridam præterit,
Orando pauca, et musica.
Qui grandines Ulixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem et Tullium.
Qui solus, exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Prætorioque maximus.
Dico hunc Senati præsulem,
Præfectum eundem, et Consulem,
(Nam consul æternum cluet)
Collegam Augusti Consulis,
Columen curulis Romulæ,
Primum in secundis fascibus.
Nam primus e cunctis erit
Consul, secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satorque prolis aureæ,
Convincit Ascræum senem
Quoi seculum omne ferreum:
Qui vincit ævi iniuriam,
Stirpis novator Anniæ:
Paribusque comit infulis
Aniciorum stemmata.
Probum loquor: scis optime,
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudaverit.
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Quin et require, si sinet,
Tenore fari obnoxio.
  Age vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
Utrumne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Iussit vocari nomine?
Nomen datum præconiis,
Vitæque testimonio.
  Libelle felix, quem sinu
Vir tentus involvet suo,
Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut susurro impertiet:
Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ.
Quem mente, et aure consciis,
Quibusdam omissis, perleget.
Quæcumque fortuna est tibi,
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermine.
Dic me valere, et vivere.
Dic vivere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Ut quem Curulis proxima
Collegio nati dedit:
Hunc rursus Augustus prior
Suis perennet fascibus.
Subnecte et illud leniter:
Apologos, en, misit tibi
Ab usque Rheni limite
Ausonius, nomen Italum,
Præceptor Augusti tui,
Æsopiam trimetriam:
Quam vertit exili stylo,
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.
Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens sanguine,
Probianoque, ac Anicio:
(Ut quondam in Albæ mœnibus
Supremus Ænea satus,
Silvios Iulis miscuit:)
Sic iste, qui natus tuus,
Flos flosculorum Romuli
Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos,
Suescat peritia fabulis,
Simul iocari, et discere.
Et adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo:
Ut genitor Augustus dedit
Collegio nati Probum,
Sic Gratianus hunc novum
Stirpi futuræ copulet.
Rata sunt futura, quæ loquor,
Sic merita, sic fatum iubet.
Sed iam ut loquatur Iulius,
Fandi modum invita accipe
Volucripes dimetria.
Aveque dicto, dic, Vale.

17. *Ausonius Simmacho.*

Modo intelligo, quam mellea res sit oratio: quam delenifica, et quam suada facundia. Persuasisti mihi, quod epistolæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana non esset. Sed hoc non diutius, quam dum epistolam tuam legi: quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibute, ducit. Ubi enim chartulam pono, et me ipsum interrogo, tum absinthium meum resipit: et circumlita melle tuo pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior: et rursum ille suavissimus, ille floridissimus tui sermonis adflatus, deposita lectione vanescit et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me velut aerius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur oblectat: Chamæleontis bestiolæ vice, quæ de subiectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea: et tu me audes fecundissimorum hominum laude dignari? tu, inquam, mihi ista; qui te ultra commendationem hominum protulisti. Quisquam ne ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat? Quis ita ad Æsopi venustatem, quis ad sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri

Maronis accedat? Quis ita affectat singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? Hæc, domine mi, fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse, quam verius. Et expertus es fidem meam, mentis, atque dictorum; dum in comitatu degimus ambo, ævo dispari: ubi tu veteris militiæ præmia tiro meruisti: ego tirocinium iam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui nedum me peregrem existimes composita fabulari: in comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit: ibi me et parentem, et amicum, et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his: ne isthæc commmemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere. Illud quoque, quod pœne præterii, qua affectione addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem? Ego te docebo, docendus adhuc, si essem id ætatis ut discerem? aut ego te vegetum, atque alacrem commonebo? Eadem opera et Musas hortabor, ut canant: et maria, ut effluant: et auras, ut vigeant: et ignes, ut caleant, admonebo: aut, si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluus instigator agitabo. Sat est unius erroris, quod aliquid meorum, me pœnitente, vulgatum est; quod bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes, placere me posse. Hæc ad literas tuas responsa sint: cætera, quæ noscere habes, compendii faciam. Sic quoque iam longa est epistola. Iulianum familiarem domus nostræ, si quid tamen de nobis percunctandum arbitraris, allego: simul admoneo, ut cum caussam adventus eius agnoveris, iuves studium, quod ex parte fovisti. Vale.

18. *Ad Ursulum Grammaticum Trevirorum, cui strenas Kalendis Ianuariis ab Imperatore non datas, reddi fecit.*

Primus iucundi fuit hic tibi fructus honoris,
  Augustæ faustum munus habere manus.
Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici
  Curam pro strenis excubuisse tuis.
Ergo, interceptos regale nomisma Philippos
  Accipe tot numero, quot duo Geryones:
Quot terni biiuges: demtoque triente Camœnæ:
  Quotque super terram sidera Zodiaci:
Quot commissa viris Romana, Albanaque fata:
  Quotque doces horis, quotque domi resides.
Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus:
  Excepto, medium quod patet ad stadium.
Quot pedibus gradiuntur apes; et versus Homeri:
  Quotquot horis pelagus prolluit, aut refluit.
Protulit in scenam quot dramata fabellarum,
  Arcadiæ medio qui iacet in gremio.
Vel quot iuncturas geometrica forma favorum
  Conserit extremis omnibus, et mediis.
Quot telios primus numerus, solusque probatur;
  Quot par, atque impar partibus æquiparat.
Bis ternos, et ter binos qui conserit unus,
  Qui solus totidem congeminatus habet,
Quot faciunt iuncti subterque supraque locati,
  Qui numerant Hyadas, Pleiadasque simul.

* * * *

  Ursule collega nobilis Harmonio,
Harmonio, quem Claranus, quē Scaurus, et Aspers
  Quem sibi conferret Varro, priorque Crates,
Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
  Quique notas spuriis versibus apposuit:
Cecropiæ commune decus; Latiæque Camœnæ,
  Solus qui Chium miscet, et Ammineum.

19. *Ausonius Pontio Paulino filio.*

Condiderat iam solis equos Tartessia Calpe:
Stridebatque freto Titan insignis Ibero:
Iam succedentes qualiebat Luna iuvencas:
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.
Iam volucres, hominumque genus superabile curis,
Mulcebant placidi tranquilla oblivia somni.
Transierant idus, medius suprema December
Tempora venturæ properabat iungere Iano.
Et nonas decimas ab se nox longa Kalendas
Iugiter acciri celebranda ad festa iubebat.

Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere. Medius fidius neque ipse bene intelligo: tamen suspicor. Iam prima nox erat ante diem nonum decimum Kalendarum Ianuariarum, cum redditæ sunt mihi literæ tuæ oppido quam literatæ. His longe iucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti, tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. In his versibus ego ista cognovi:

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ
Membra: quibus Lybiam dubie Sallustius addit,
Europæ adiunctam: possit cum tertia dici.
Regnatas multis, quos fama obliterat, et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumq. Vonon.
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum. (nemo
Quique Magos docuit mysteria vana Necepsus:
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

Hæc tu quam perite, et concinne, quam modulate et dulciter, ita iuxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris, ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. Iam quid de eloquentia dicam? Liquido adiurare possum, nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ iuventutis æquari. Certe ita mihi videris. Si erro, pater sum, fer me: et noli exigere iudicium, obstante pietate. Verum cum pie diligam: sincere ac severe iudico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo et oblector, et honoror. Accessit tibi in artem poeticam mellea adulatio. Quid enim aliud agunt,

  Audax Icario qui fecit nomina ponto,
  Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces,

nisi ut et vegetam, et sublimem alacritatem tuam, temeritatem voces: me vero, et consultum, et quem filius debeat imitari, salutari prudentia præditum dicas? Quod equidem contra est. Nam tu summa sic appetis, ut non decidas: senectus mea satis habet, si consistat. Hæc ad te breviter, et illico, vesperis illius secuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit, oblectabile negotium erit ad te prolixius delirare, te ut eliciam, mihi ut satisfaciam. Vale.

20 *Ausonius Paulino S. P. D.*

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
  Tu prior, et nomen prægrederere meum.
Quanquam et fastorum titulo prior, et tua Romæ
  Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ iamdudum tibi palma poetica pollet,
  Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Longævæ tantum superamus honore senectæ.
  Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
  Vincit centum oculos, regie pavo, tuos.
Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.
  Assurgit Musæ nostra Camœna tuæ.
Vive, vale: et totidem venturos consere Ianos,
  Quot tuus, aut noster conseruere patres.

21. *Ausonius Paulino suo S. D.*

Quantum me affecit beneficio, non delata quidem, sed suscepta querimonia mea, Pauline fili! veritus displicuisse oleum, quod miseras, munus iterasti: addito etiam Barcinonensis muriæ condimento, cumulatius præstitisti. Scis autem me id nomen Muriæ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: cum scientissimi veterum, et Græca vocabula fastidientes, Latinum in Gari appellatione non habeant. Sed ego quocumque nomine loquar, liquor iste Sociorum vocatur. Vale.

Iam patinas implebo meas, ut parcius illa
Maurum mensis applaria siccus inundet.

Quid autem tam amabile, tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? o melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patriuatriugente complexu! Sed hæc, atque alia hujusmodi documenta liberalis animi, alicui fortasse, at aliquando, quamvis rarius: illud de epistolarum tuarum auditione, de poematis iucunditate, de inventione, et continuatione, iure omnia, nulli unquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum. De quo opusculo, ut iubes faciam. Exquisitius universa limabo: et quamvis per te manus summa contigerit, cœlum superfluæ expolitionis adhibebo: magis ut tibi paream, quam ut perfectis aliquid adiiciam. Interea tamen, ne sine corollario poetico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putavi: dum illud, quod a me heroico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te et Hesperium salvos habeam, quod spatio lucubratiunculæ unius effusi, quanquam hoc ipsi de se probabunt, tamen nihil diligentiæ ulterioris habuerunt. Vale.

Iambe Parthis, at Cydonum spiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior,
Iam nunc per auras Persei talaribus,
Petasoque ditis Arcados vectus, vola.
Si vera fama est Hippocrene, quam pedis
Pulsu citatam cornipes fudit fremens:
Tu fonte in ipso procreatus Pegasi,
Primus novorum metra iunxisti pedum:
Illicque Musis concinentibus novem,
Cædem in draconis concitasti Delium.
Fer hanc salutem præpes et vulucripes
Paulini ad usque mœnia. Hebromagum loquor.
Et protinus, iam si resumtis viribus
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere iussum mox reposce mutuum.
Nihil moreris: iamque dum loquor, redi,
Imitatus illum stirpis auctorem tuæ:
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Supervolavit, tutus igne proximo.
Dic et Valere: dic, Avere te iubet
Amicus, at vicinus, et fautor tuus,
Honoris auctor: altor ingenii tui.
Dicet magister, dic parens, dic omnia
Blanda atque sancta caritatis nomina.
Aveque dicto, dic Vale, et actutum redi.
Quod si rogabit, quid super scriptis novis
Maturus ævi, nec rudis diiudicam:
Nescire dices, sed paratum iam fore
Heroicorum versuum plenum essedum.
Cui subiugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa volvunt pondere,
Tripedes caballos terga ruptos verbere:
Hi ut vehantur tres sodales nuntii.
Fors et rogabit, quos sodales dixeris
Simul venire: dic, trinodem Dactylum
Vidi paratum cruciandi canterio:
Spondæus illi lentipes ibat comes,
Paribus moratur qui locis cursum meum:
Mihique similis, semper adversus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare cursim, nec moratus pervola,
Aliquid reportans interim munusculi
De largitate musici promtarii.

22. *Ausonius Paulino suo.*

Multas, et frequentes mihi gratiæ tuæ causas, et occasio subinde nata concinnat, et naturæ tuæ facilitas benigna conciliat, Pauline fili. Nam quia nihil, poscente me, abnuis, magis acuis procaciam quam retundis: ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere: qui apud Hebromagum conditis mercibus, quas per agros diversos coemit, concesso ab hominibus tuis usu hospitio, infirmatur periclitetur expelli. Quod nisi indulseris, rogante me, ut et mora habitandi ad commodum suum utatur, et navio, aliave quavis navi usque ad oppidum præbita, frugis aliquantulum nostræ advehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur mature: tota illa familia hominis literati non ad Tullii frumentarium, sed ad Curculionem Plauti pertinebit. Hoc quo facilius impetrarem, aut quo maiorem vererere molestiam, si negares; concinnatam iambis signatamque ad te epistolam misi, ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait,

Per ceram, et linum, literasque interpretes;

Sed per poeticum characterem magis notavimus, tanquam signum impressum indicares.

Philon, meis qui villicatus prædiis,
Ut ipse vult, epitropos,
(Nam gloriosum Græculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus)
Suis querelis asserit nostras preces:
Quas ipse lentus prosequor.
Videbis ipsum, qualis adstet comminus,
Imago fortunæ suæ,
Canus, comosus, hispidus, trux, attubus,
Terentianus Phormio.
Horrens capillis ut marinus asperis
Echinus, aut versus mei.
Hic sæpe falsus messibus vegrandibus,
Nomen perosus villici,
Semente sera, sive multum præcoqua,
Et siderali inscitia,
Cœlum lacessens, seque culpæ subtrahens,
Reos peregit cœlites.
Non cultor instans, non arator gnaruris,
Promusque, quam condus magis,
Terram infidelam, nec feracem criminans,
Negotiari maluit.
[Mercatur quoquo foro venalium.]
Mutuator ad Græcam fidem.
Sapiensque supra Græciæ septem viros,
Octavus accessit sophos.
Et nunc peravit triticum casco sale,
Novusque pollet emporus.
Adit inquilinos, rura, vicos, oppida,
Soli et sali commercio;
Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate,
Tarnim et Garumnam permeat;
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, et me pauperat.

Is nunc ad usque vectus Hebromagum tuam,
Sedem locavit mercibus.
* * * * * * * *
Ut inde nauso devehat
* * * * * * * *
Nostros in usus, ut refert,
Hunc ergo pauciæ ne graveris hospitem,
* * * * * * * *
Adiutus ut mox navis auxilio tuæ,
Ad usque portus oppidi,
Iam iam Perusina et Saguntina fame,
Lucaniacum liberet.
Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colere, quam Ceres,
Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,
Aut Bullianum Buzygen,
Tuo locabo postferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

23. *Ausonius Paulino.*

Proxima, quæ nostra fuerat querimonia chartæ,
Credideram, quod te, Pauline, inflectere posset,
Eliceretque tuam blanda obiurgatio vocem.
Sed tu, iuratis velut alta silentia sacris,
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.
Non licet, a une pudet, si quis tibi iure paterno
Vivat amicus adhuc, maneasque obnoxius hæres?
Ignavos agitet talis timor: at tibi nullus
Sit metus: et morem missæ, acceptæque salutis
Audacter retine: vel si tibi proditor instat,
Aut quæsitoris gravior censura timetur,
Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.
Threicii quondam quam sæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit, et tacitis mandavit crimina telis:
Et pudibunda suos malo commisit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conscia pomo.
Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus:
Inspirata dehinc vento cantavit arundo.
Lacte incide notas; arescens charta tenebit
Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.
Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus
Non respondentes sparso dabit ordine formas,
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras possum celandi ostendere formas,
Et clandestinas veterum reserare loquelas,
Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Affari verbis: ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus, primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

24. *Ausonius Paulino S.*

Discutimus, Pauline, iugum, quod certa fovebat
Temperies: leve quod positu, et tolerabile iunctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis:
Quod per tam longam seriem volventibus annis
Fabula non unquam, nunquam querimonia movit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,
Nec quæ compositia malesuadæ credula causa
Concinnat veri similia auspicio culpas.
Tam placidum, tam mite iugum: quod utriq; parentes
Ad senium nostrum traxere ab origine vitæ,
Impositumque piis hæredibus usque manere
Optarunt, dum longa dies dissolveret ævum.
Et mansit, dum læta fides, nec cura laborat
Officii servare vices: sed sponte feruntur
Incustoditum sibi continuantia cursum.
Hoc tam mite iugum docili cervice subirent
Martis equi, stabuloque feri Diomedis abacti:
Et qui mutatis ignoti Solis habenis
Fulmineum Phaethonta Padu mersere iugales.
Discutitur, Pauline, tamen: nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua: namque ego semper
Contenta cervice feram: consorte laborum
Destituor: nec tam promtum gestata duobus
Unum deficiente pari perferre sodalem.
Non animus, viresque labant; sed iniqua ferendo
Conditio est oneri, cum pondus utrumque relicto
Ingruit, acceduntque alienæ pondera libræ.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum
Corpus, et exigui quamvis discrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.
Obruar usque tamen, veteris ne desit amici
Me durante fides: memorique ut fixa sub ævo
Restituant profugum solatia casta sodalem.
Impie, Pirithoo disiungere Thesea posses,
Euryalumque suo socium secernere Niso.
Te suadente fugam, Pylades liquisset Orestem;
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono? gratantia cuncti
Verba loquebantur: iam nomina nostra parabant
Inserere antiquis ævi melioris amicis:
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Nisi
Iam minor, et promissa obiens vadimonia Damon.
Nos documenta magis felicia: qualis magnus
Scipio, longævique dedit sapientia Læli.
Nos studiis animisque isdem, miracula cunctis:
Hoc maiora, pares fuimus quod dispare in ævo.
Ocius illa iugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis
Principiis, et utroque caput celantia nodo.
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se
Inferret nimiis vindex Rhamnusia votis;
Arsacidæ ut quondam regis non læta triumphis
Grandia verba premens, ultrix Dea Medica belli
Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
Obstitit, et Graio iam iam fingenda tropæo,
Ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?
In Medos, Arabasque tuos per nubila, et atrum
Perge chaos. Romana procul tibi nomina sunto.
Illic quære alios oppugnatura sodales:
Livor ubi iste tuus, ferrugineumque venenum
Opportuna tuis inimicat pectora fucis.
Paulinum Ausoniumque, viros, quos sacra Quirini
Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus,
Non decet insidiis peregrinæ cedere divæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris iuga ninguida Pyrenæi.
Quæque suo longe dirimit provincia tractu
Trans montes, solemque alium, trans flumina et urbes,
Et quod terrarum cœlique extenditur inter
Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.
Quod si intervallis spatium tolerabile limes
Poneret exiguus; (quamvis longa omnia credant,
Qui simul esse volunt;) faceret tamen ipsa propinquos
Cura locos, mediis ingens distantia verbis,
Mœnibus e patriis formam quoque vestis et oris.
Santonus ut sibi Burdigalam, mox iungit Aginnum
Illa sibi, et populos Aquitanica rura colentes:
Utque duplex Arelas, Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonemque pari spatio sibi conserit; et mox
Quincuplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.

Hoc mihi si spatium viclnis mœnibus esset,
Tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis:
Afflaretque tuas aures nostræ aura loquelæ.
Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenen
Cæsareæ Augustæ domus est. Tyrrhenica propter
Tarraco, at ostrifero superaddita Barcino ponto.
Teriuga Burdigalæ, trino me flumina cœtu
Secernunt turbis popularibus: otiaque inter
Vitiferi exercent colles, lætumque colonis
Uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico:
Totque mea in Novero sibi proxima prædia pago,
Dispositis totum vicibus variata per annum,
Egelidæ ut tepeant hiemes, rabidosque per æstus
Aspirent tenues frigus subtile Aquilones.
Te sine sed nullus grata vice provenit annus.
Ver pluvium sine flore fugit. Canis æstifer ardet.
Nulla autumnales variat Pomona sapores:
Effusaque hiemem contristat Aquarius unda.
Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam,
Paulini illius veteris reverentia durat:
Quæque meo, atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixei;
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achillei,
Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere solvet.
Sed cur tam mœsto sero tristia carmina versu?
Et non in meliora animus se vota propinquat?
Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,
Si genitor natusque Dei pia verba volentum
Accipiat, nostro reddi te posse precatu;
Ne sparsam raptamque domum, lacerataque centum
Per dominos, veteris Paulini regna fleamus:
Teque vagum toto, quam longa Hispania tractu,
Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis.
Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,
Votis, omnibusque bonis, precibusque vocatus,
Appropera; dum tu iuvenis, dum nostra senectus
Servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.
Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paulinus adest: iam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Tarbellica iam tenet arva.
Hebromagi iam tecta subit; iam prædia fratris
Vicina ingreditur; iam labitur amne secundo;
Iamque in conspectu est; iam prora obvertitur amni;
Ingressusque sui celebrata per ostia portus
Totum occursantis populi prævertitur agmen;
Et sua præteriens, iam iam tua limina pulsat.
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

25. *Ausonius Paulino suo S.*

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
Pauline: et blando residem sermone lacessit.
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,
Fausta salutigeris adscribens orsa libellis.
Unde istam meruit non felix charta repulsam,
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit: et salve mediis intervenit armis.
Respondent et saxa homini: percussus ab antris
Sermo redit: redit et nemorum vocalis imago:
Litorei clamant scopuli, dant murmura rivi,
Hyblæis apibus sepes depasta susurrat.
Est et arundineis modulatio musica ripis:
Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis.
Incubuit foliis quotiens levis Eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit: non aeris ales,
Quadrupedesve silent, habet et sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu sonitum, dant palpita saltu
Icta pedum: tentis reboant cava tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus icta
Respondent dociles moderato verbere pelves.
Tu velut Œbaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Pauline, taces. Agnosco pudorem:
Quod vitium fovet ipsa suum cessatio iugis.
Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum
Non servare vices: et amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata
Scribere? felicesque notas mandare libellis?
Non ego longinquos ut texat pagina versus
Postulo: multiplicique oneret sermone tabellas.
Una fuit tantum, qua respondere Lacones,
Litera: et irato regi placuere negantes.
Est etenim comis brevitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum
Est, respondebat, vel Non. O certa loquendi
Regula! nam brevius nihil est, nec plenius istis:
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit: multi brevitate loquendi.
Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus
Provehor? at diversa sibi vicinaque culpa est,
Multa loquens, et cuncta silens; non ambo placemus.
Nec possum reticere iugum quod libera nunquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.
Vertisti Pauline tuos dulcissime mores?
Vasconiæ hoc saltus, et ninguida Pyrenæi
Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli?
Imprecer ex merito quid non tibi Iberica tellus?
Te populent Pœni: te perfidus Annibal urat:
Te belli sedem repetat Sertorius exul.
Ergo meum, patriæque decus, columenque Senati,
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagorris habebit?
Aut quæ deiectis iuga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Hilerda?
Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque curulem
Constituis, patriosque istic sepelibis honores?
Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit?
Impius ut nullos hic vocem vertat in usus:
Gaudia non illum vegetent: non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ,
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat: tacitusque pererret
Alpini convexa iugi: ceu dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum, et vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.
Hæc precor: hanc vocem Bœotia numina, Musæ
Accipite: et Latiis vatem revocate Camœnis.

AD GRATIANUM IMP. DISCIPULUM

GRATIARUM ACTIO PRO CONSULATU.

Ago tibi gratias, Imperator Auguste; si possem, etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem: nec nostra suggerit restituendi facultatem. Privatorum ista copia est, inter se esse munificos. Tua beneficia ut maiestate præcellunt, ita munera non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago: verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quam loquendo. Atque non in sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo et pavore venerabili raro eundem animum

præstat et vultum: sed usquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, et cum voce patui, et cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, et tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuo tam grate profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi. Quis enim locus est, aut dies, qui non me huius, aut similis gratulationis admoneat? Admoneat autem? O inertiam significationis ignavæ! Quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus, inquam, Imperator Auguste, quin admirandam speciem tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu, cum terribile acceperis, amabile præstitisti: non forum, et basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis: (nam de sua, cui non te imperante securitas?) non curia honorificis modo læta decretis, olim sollicitis mœsta querimoniis: non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari; non domus commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas offert. Ipsa autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cuius me fastigio (ex qua mediocritate?) posuisti, quotiens a me cogitatur, vincor magnitudine, redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Ades enim locis omnibus. Nec iam miramur licentiam poetarum, qui omnia Deo plena dixerunt. Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris: quæque animi nostri celeritas Divinum instar affectat, beneficiis prænuntiatus antecedit. Præstare tibi est, quam nobis optare, velocius. Ago igitur gratias, optime Imperator. Ac si quis nunc sermonem meum iisdem verbis tam sæpe repetitum, inopiæ loquentis assignat, experiatur hoc idem persequi: sed nihil poterit proferre facundius. Aguntur enim gratiæ, non propter maiestatis ambitum, nec sine argumentis, Imperatori fortissimo: testis est uno pacatus anno et Danubii limes, et Rheni. Liberalissimo: ostentat hoc dives exercitus. Indulgentissimo: docet securitas erroris humani. Consultissimo: probat hoc tali Principe Oriens ordinatus. Piissimo: huius vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus: instar filii ad imperium frater ascitus: a contumelia belli patruus vindicatus: ad Præfecturæ collegium filius cum patre coniunctus: ad Consulatum præceptor evectus. Possem ira per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proxime fortuna concessit, quas adhuc indulgentia divina meditatur. Vocarem Germanicum, deditione gentilium: Alemannicum, traductione captorum: vincendo, et ignoscendo, Sarmaticum. Connecterem omnia merita virtutis, et cognomina felicitatis: sed alia est ista materia, et suo parata secreto: cum placuerit signanter, et breviter omnia, quæ novimus, indicare, nec persequi; ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt, aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. Nunc autem, quod diei huius proprium, de Consulatu gratias agam. Sed procurrunt at aliæ dignitates, atque in vocem gratulationis erumpunt, ac se prius debere profitentur. Tot gradus nomine Comitis propter tua incrementa congesti ex tuo merito; te ac patre principibus, Quæstura communis: et tui tantum præfecturæ beneficii, quæ et ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius divisa quam iuncta: cum teneamus duo integrum, neuter desiderat separatum. Sed illa, ut paulo ante promisi, habebunt sui muneris peculiare secretum. Consulatus hic meus orat, atque obsecrat, ut obnoxium tibi uni sinas fieri eius dignitatem, quem omnibus prætulisti. Quot quidem et ipse sibi invenit gradus? Cum clarissimo viro collega meo honore coniunctus, nuncupatione prælatus, Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos: qui non prensaverim manus, nec consalutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim: qui Tribus non circumivi, Centurias non adulavi, iure vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus. Iure meo, Auguste Maxime, affirmare possum incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diversa umquam virtute venerunt, venturique sunt, (suus enim cuique animus, suum meritum, sibique mens conscia est) iure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri a cæteris esse secretum. Sunt, quos votorum cruciat inanitas: non optavi: quos exercet ambitus: non petivi: qui assiduitate exprimunt: non coegi: qui offeruntur occasione, non affui: quos iuvat opulentia; obstat temporum disciplina. Non emi: nec possum continentiam iactare; non habui. Unum præstare tentavi, et hoc ipsum quasi meum vindicare non possum; in tua enim positum est opinione, si merui. Fecisti autem, et facies alios quoque Consules, piissime Gratiane, sed non est causa par. Viros gloriæ militaris: habent enim tecum, ut semper laboris, ita dignitatis plerumque consortium, virtutis quam honoris antiquiore collegio: viros nobilitatis antiquæ: dantur enim multa nominibus; et est Roma pro merito: viros fide inclytos et officiis probatos: quorum me etsi non secerno numero, tamen, quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. Quartum hunc gradum novi beneficii tui, Auguste, constituis auferre tibi ipsi, quo alter ornetur; bona animi tui ad alienum referre præstantiam, eruditionemque ostium, quam Deo et patri et tibi debes, ad alterius gratiam gratius relinquere, quam verius. Tua hæc verba sunt a te mihi scripta: Solvere te, quod debebas: et adhuc debere, quod solveris. O mentis aureæ dictum bracteatum! o de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam! Quisquamne tam parcus est in ostentatione beneficii? quisquam pondus gratiæ suæ vim meriti profitetur alienum? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mavult vocare, quam donum? Certent huic sententiæ veteres illi et Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, et instar profundæ grandinis ductor Ithacesius, et melleo delibutus eloquio iam tertiæ Nestor ætatis: sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica brevitate collegit: neque ille contortius, qui cum sensibus verba glomeravit: nec iste dulcius, cuius lenis oratio mulcendo potius, quam extorquendo persuasit. Solvere te dicis, quod debebas: et debiturum esse, cum solveris. Auguste iuvenis, cœli tibi et humani generis rector hoc tribuat, ut prælatus antiquis, quos etiam elegantia sententiæ istius antecessisti, vincas propria singulorum; in Menelao regiam dignationem, in Ulixe prudentiam, in Nestore senectutem. Subiiciet aliquis, ista quidem adeptus es: sed effare, quo merito? Quid me oneras sciscitator? Rationem felicitatis nemo reddit. Deus, et qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio: et beneficiorum suorum indignatus per homines stare iudicium, mavult de subditis dedisse

miraculum. Quo, inquis, merito? ego nullum scio; nisi quod tu, piissime Imperator, debere te dicis: et hoc debere, latissime pertinet: sive hoc eruditionis tuæ fœnus existimas: sive sine fœnere gloriam liberalitatis affectas: sive te pondere conceptæ sponsionis exoneras: seu fideicommissum patris exsolvis: seu magnanimitate cœlesti, ostentatione suppressa, Dei munus imitaris. Debere te dicis. Cui? quando? quo nomine? Lege syngrapham, nomina creditorem. Accepti, et expensi tabulæ conferantur: videbis alio summæ istius transire rationem. Tibi cœpit Deus debere pro nobis. Quid autem mihi debes, gratissime Imperator? Patitur enim humanitas tua, ut præter regias virtutes, privata appellatione lauderis. Quid tu mihi debes? et contra, quid non ego tibi debeo? Anne quod docui? hoc ego possum verius retorquere, dignum me habitum, qui docerem: tot facundia, doctrinaque præstantes, inclinata in me dignatione præteritos: ut esset quem tu matura iam ætate succinctum per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres; timere ut videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes præstare, superesset. Negat Cicero Consularis ultra se habere, quod cupiat. Ego autem iam Consul, et senex, adhuc aviditatem meam iam fatebor. Te videre sæpius in hoc magistratu, Gratiane, desidero: ut et sex Valerii Corvini, et septem Caii Marii, et cognominis tui Augusti tredecim Consulatus unus æquipares. Tibi plures potest ætas et fortuna tua præstare: verum ego in numero parcior, quia tu in munere liberalior: ipsum enim te sæpius hoc honore defraudas, ut et aliis largiaris. Scis enim, Imperator doctissime, (rursum enim utar laude privata) scis, inquam, septem ac decem Domitiani Consulatus, quos ille, invidia alteros provehendi, continuando conseruit, ita in eius aviditate derisos, ut hæc eum pagina Fastorum suorum, immo fastidiorum, fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem. Quod si principi honoris istius temperata, et quæ vocatur aurea, debet esse mediocritas; quid privati status hominibus? quid æquanimis? quid iam senibus erga se oportet esse moderaminis? Ego quidem, quod ad honores meos pertinet, et vota saturavi: tu tamen, Imperator optime, tu piissime, tu quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessavit: tu inquam, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subito es nec opinus ingenio, adhuc aliquid, quod hoc nomine mihi præstetur, invenis. Sic intellexere omnes: sic nobis ordinem ipse fecisti: sic amicus Deo es, ut a te iam impetratum sit, quod optatur: a quo, et quod nondum optamus, adipiscimur. At rursum aliquis adiiciat, aut sermone libere, aut cogitatione liberius: Nonne olim, et apud veteres, multi eiusmodi doctores fuerunt? An tu solus præceptor Augusti? immo ego cum multis coniunctus officio, sed cum paucissimis secretus exemplo. Nolo Constantini temporum taxare collegas: Cæsares docebantur. Superiora contingam. Dives Seneca, nec tamen Consul, arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam. Quintilianus Consularia per Clementem ornamenta sortitus: honestamenta nominis potius videtur, quam insignia potestatis habuisse. Quomodo et Titianus magister. Sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit. Unica mihi amplectenda est Frontonis imitatio: quem tamen Augusti magistrum sic Consulatus ornavit, ut Præfectura non cingeret. Sed Consulatus ille cuiusmodi? Ordinarie suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumtus: quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus Consulibus gesserit Consulatum. Ecce aliud, quod aliquis opponat: In tanti ergo te oratoris fastigium gloriosus attollis? cui talia requirenti respondebo breviter: Non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum. Celebrant quidem sollemnes istos dies omnes ubique urbes, quæ sub legibus agunt, et Roma de more, et Constantinopolis de imitatione, Antiochia pro luxu, et Carthago discincta, et domus fluminis Alexandria: sed Treviri principis beneficio: et mox cum ipso auctore beneficii. Loca inter se distant, vota consentiunt. Unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumque. Non possum fidei causa ostendere imagines maiorum meorum, ut ait apud Sallustium Marius: nec deductum ab Heroibus genus, ad Deorum stemma replicare: nec ignotas opes, et patrimonia sparsa sub regnis: sed ea quæ nota sunt, dicere potius, quam prædicare, patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, innocentiam non coactam, angustas opes, verumtamen libris et liberis dilatatas; frugalitatem sine sordibus, ingenium liberale, animum non illiberalem, victum, vestitum, supellectilem, munda, non splendida: veteribus ut illis Consulibus (excepta, quæ tumerat bellicarum collatione virtutum) si quis me conferre dignetur, seponat opulentiam, non derogaturus industriam. Verum quoniam gratiis agendis iamdudum succumbo materiæ: tu orationi meæ, Gratiane, succede. Tu, Gratiane, qui hoc nomen sic per fortunam adeptus es, ut nemo verius ambitione quæsierit; (neque enim iustius Metellus cognomento Pius, patre revocato, qui esset impius exsulante; aut verius Sylla Felix, qui felicior ante, quam vocaretur; quam, tu Gratianus: cui et hoc nomen est, et illa Metelli Syllæque cognomina). Tu, inquam, Gratiane, qui hoc non singulis factis, sed perpetua grate agendi benignitate, meruisti; cui, nisi ab avo deductum esset, ab omnibus adderetur: tu ipse tibi, inquam, pro me gratiam refer: tu, tuæque virtutes; bonitas, qua in omnes prolixus es, perpetuus in me: pietas, qua orbem tuum temperas, quamque in ulciscendo patruo probas, tuendo in fratre cumulas, ornando in præceptore multiplicas. Agat gratias clementia, quam humano generi impertis: liberalitas, qua ditas omnes: fortitudo, qua vincis; et mens ista aurea, quam de communi Deo plus quam ullus hausisti. Agant et pro me gratias voces omnium Galliarum; quarum Præfecto hanc honorificentiam detulisti. Ultra progredior; et hoc quia debere te dicis, agat, quæ optime agere potest, vox ista, quam docui. Iamdudum autem quam grati animi, tam sermonis exigui, ut supradictum est, succumbo materiæ, neque adhuc illa perstrinxi, quæ ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, eminentia per famam, et omnium gaudiis testata supprimeret; quæ supra vires dicendi mens posita, cunctor attingere, aut ingrati crimine arguendus, aut temerariæ professione culpandus: tamen alterum cum subeundum sit, audaciam quam malevolentiam malo reprehendi. Tu, Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot milibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur, comitia Consulatus mei armatus exerces. Tributa ista, quod in urbe Sirmio geruntur, an, quod in procinctu, Centuriata dicentur? An (ut quondam) Pontificalia vocabuntur, sine arbitrio multitudinis sacerdotum tractata collegio? Sic potius, sic vocentur,

tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti. Non est ingenii mei, piissime Imperator, talia comminisci. Verba sunt literarum tuarum: quibus apud me auctoritatem summi numinis, et vim tuæ voluntatis amplificas. Sic enim loqueris: Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli. Eius auctoritati obsecutus, te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi. Cuius orationis ordo lucidior? Quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere? Valete modo classes populi, et urbanarum tribuum prærogativæ, et centuriæ iure vocatæ. Quæ comitia pleniora unquam fuerunt, quam in quibus præstitit Deus consilium, Imperator obsequium? Et nunc ego, piissime Imperator, ne fastigium auditorii sacri dictorum tuorum timidus interpres offendam, divinitatis tuæ prope cum piaculo verba transcurro. Cum de consulibus, inquis, in annum creandis. Erudita vox, et cura sollennis! Solus mecum volutarem. O profundi altitudo secreti! Habes ergo consiliatorem, et non metuis proditorem. Ut me nosti. Quid familiarius? Ut facere debui. Quid constantius? Ut velle te scivi. Quid dici blandius potest? Consilium meum ad Deum retuli. Et quemadmodum solus, cui præsto est tam grande consilium? An plenius cum senatu, cum equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, et provinciis omnibus deliberasses? Consilium meum ad Deum retuli. Non ut, credo, novum sumeres, sed ut sanctius fieret, quod volebas. Eius auctoritati obsecutus: scilicet ut in consecrando patre, in ulciscendo patruo, in cooptando fratre fecisti. Te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi. Quis hæc verba te docuit? Ego tam propria et tam Latina nescivi. Designavi, et declaravi, et nuncupavi. Non fit hoc temere. Habet moras suas dispertitis gradibus tam matura cunctatio. Has ego literas tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint, instar edicti pendere mandavero: nonne tot statuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum? Sed ad blandiora festino. Ab hac enim literarum ad me datarum parte digressus, eo quoque descendisti, ut quæreres, qualis ad me trabea mitteretur. Omne largitionum tuarum ministerium sollicitudine fatigasti. Non ergo supra consulatum mihi est adhibita per te cura tam diligens, pro me cura tam felix? In Illyrico arma quatiuntur. Tu mea causa per Gallias civilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, et cum maxime dimicaturus, palmatæ vestis meæ ornamenta disponis: feliciter, et bono omine. Namque ista habitus, ut in pace consulis est, sic in victoria triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges: te coram promi iubes. Nec satis habes, ut largitionum ministri ex more fungantur: eligis ipse de multis: et cum elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi, in qua divus Constantius parens noster intextus est. Me beatum, cuius insignibus talis cura præstetur! Hæc plane, hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis. Sed multo plura sunt in eius ornatu, quæ per te instructus intelligo. Geminum quippe in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur: Gratianus in muneris honore sentitur. Accessit tam impensæ beneficio tuo pondus quorundam sciscitatione cumulatum. Interrogatus, quem priorem decerneres consulem, nec dubitandum esse dixisti tu: et, qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent. Fatigantes tamen, quod intellexerant, requirebant. Hic tu, sicut mihi renuntiatum est, noto illo pudore tuo paullisper hæsisti: non rationis ambiguus, sed eorum dubitationem vultu et rubore condemnans, qui studium suum interpretationis errore palpabant. Deinde illico subdidisti: Quid de duobus consulibus designatis quæritis, quis ordo sit nuncupationis? anne alius quam quem præfectura constituit? O felicem verecundiam tuam, cui ista popularis ratio tam prudenter occurrit! Scisti aliud, Gratiane, quod diceres: sed propter quorundam verecundiam dicere noluisti. Scrupulosus hic mihi locus est: et propter eam, quam nunquam appetivi, gloriam, recusandus. Cum prior renuntiatus sim, satis est tuum tenere iudicium: interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime Imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me, inquit, populus Romanus primum fecit, consulem priorem. Ex ipsa eius sententia intelligitur commendabilius ei videri, uni quam pluribus esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi: sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Macedonis hoc fertur, cum legisset illos Homericos versus, quibus Hectore provocante, a novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu, trepida ubi conceptione votorum Iovem Optimum Maximum totus precatur exercitus, ut Aiacem, vel Tydei filium, aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem; Occiderem, inquit, illum, qui me tertium nominasset. O magnanimitatem fortissimi viri! Nominari inter novem tertius recusabat; ubi certe pluribus antecelleret, quam subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus? Est enim in hoc numero ardua plena dignationis electio. Cum universis mortalibus duo, qui fiant consules præferuntur, qui alteri præponitur, non uni, sed omnibus antefertur. Expectare nunc aures præsentium scio, et eminere in omnium vultu intelligo, quid desiderio concipiatur animorum. Existimant enim, cum ea, quæ ad grates agendas pertinebant, summatim tenuiore filo, ut dicitur, deducta libaverim, aliqua me etiam de maiestatis tuæ laudibus debere perstringere. Quanquam me istam dixerim seposuisse materiam, et in tempus aliud reservare, nihilominus tamen, ut nunc aliqua contingam, nutu et prope murmure cohortantur. Itaque faciam, quando cogunt volentem; sed majoribus separatis, tenuiora memorabo, nulla spe ad plenum exequendi; sed universi ut intelligant, eorum, quæ intus prædicanda sunt, a me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem. Nec excellentia, sed quotidiana tractabo. Nullum tu unquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, et reus voti, at illico absolutus egisti; lautis manibus, mente pura, immaculabili conscientia, et, quod in paucis est, cogitatione sincera. Cuius autem unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? In exercendo corpore quis cursum tam perniciter incitavit? Quis palestram tam lubricus expedivit? Quis saltum in tam sublime collegit? Nemo adductius iacula contorsit, nemo spicula crebrius iecit, aut certius destinata percussit. Mirabamur poetam, qui infrænos dixerat Numidas, et alte-

rum, qui ita collegerat, ut diceret in equitando verbera et præcepta esse fugæ et præcepta sistendi. Obscurum hoc nobis legentibus erat. Intelleximus te videntes, cum idem arcum intenderes, et habenas remitteres: aut equum segnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coerceres. Qui te visi sunt hoc docuisse, non faciunt: immo qui visi sunt docuisse, nunc discunt. In cibis autem, cuius sacerdotis abstinentior cærimonia? in vino, cuius senis mensa frugalior? Opertu conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec pulvinar Flaminis tam pudicum. In officiis amicorum non dico paria reddis; antevenis, et quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quam in nobis esse deberet ob Imperatore præventis. In illa vero sede, ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio, sacrarii tui, nullus unquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit. Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior modestia fuit, nec patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis, cum incitate pronuntias! quæ inflexio, cum remissa! quæ temperatio, cum utraque dispensas! Quis oratorum læte iucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut, quod est liberum, cogitavit? Vellem, si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum nostrum venires, tu qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius, quam historiam commodasti: cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. Atque ista omnia, quæ quasi punctis quibusdam acuminata signavi, si facundia pro voluntate suppeteret, et quanquam non copiosus, exequerer, ubertatem stylo rerum magnitudine suggerente. Sed nec huius diei, nec huius istu materiæ. Qui dicturi estis laudes Principis nostri, habetis velut seminarium, unde orationum vestrarum iugera compleatis. Ego ista perstrinxi, atque, ut sciunt omnes, possum videri familiaris notitiæ secretus interpres domestica istæc non tam prædicare, quam prodere. Atque ut ista dixi de cognitis mihi, atque intra aulam familiaribus: possem et foris celebrata memorare; nisi omnia omnes, et separatim sibi quisque novisset. Possem pari brevitate dicere, qua superiora: Emendatissimi viri est pœnitenda non facere. At tu nunquam pœnitenda fecisti, et semper veniam pœnitentibus obtulisti. Pulchrum est indulgere timentibus; sed tu perpetuæ bonitatis edictis occurristi omnibus, ne timerent. Magnificum est largiri honores: tu honoratos et liberalitate ditasti. Laudabile est imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adire cunctantes: etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. Celebre fuit Titi Cæsaris dictum, perdidisse se diem, quo nihil boni fecerat: sed celebre fuit, quia Vespasiani successor dixerat: cuius nimia parsimonia et austeritas vix ferenda miram fecerat filii lenitatem. Tu Valentiniano genitus, cuius alta bonitas, præsens comitas, temperata severitas fuit, parto et condito optimæ reipublicæ statu, intelligis posse te esse lenissimum sine dispendio disciplinæ. Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas: sed indulgentias seculares per singula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum eiusmodi est, de condonatis residuis tributorum? quod tu quam cumulata bonitate fecisti! Quis unquam imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat et Traianus olim, sed partibus retentis, non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulgerat: sed imperii, non beneficii successor invidit, qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere iussisti. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii. Ardebant stirpes fraudum veterum: ardebant seminaria futurarum. Iam se cum pulvere favilla miscuerat: iam nubibus fumus involverat: et adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum, et sestertiorum notas cum titubantia et trepidatione cernebant: quod meminerant lectum, legi posse etiam tunc verentes. Quid te, Imperator Auguste, indulgentius? quid potest esse consultius? Quæ bona præstas, efficis ne caduca sint: quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva. Hæc provincialibus indulgentiæ bona. Quid illa nostro ordini? quid illa militibus? Antoninorum comitas fuit; et iam inde Germanicorum, cohorti amicorum, et legionibus familiaris humanitas. Sed ego nolo benevolentiam tuam aliorum collatione percellere. Abundant in te ea bonitatis et virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas; et si rerum natura pateretur, adscribi sibi voluisset antiquitas. Necesse est tamen aliquid comparari, ut possit intelligi, bona nostra quo præstent. Ægrotantes amicos Traianus visere solebat: hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu et visere solitus, et mederi, præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumtum adiicis medelarum, consolaris affectos, revalescentibus gratularis. In quot vias de una eius humanitate progrederis! Legionibus universis, ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria, satin salvæ, quærere: tractare vulnera sauciorum: et ut salutiferæ apponerentur medelæ, utque ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibum, te commendante, sumsisse. Audivi confirmantia ad salutem verba profari: occurrere desideriis singulorum: huius sarcinas mulis aulicis vehere: his specialia iumenta præbere: illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumtu; horum nuditatem velare vestitu. Omnia agere indefesse, et benigne, pietate maxima, ostentatione nulla: omnia præbere ægris, nihil exprobare sanatis. Inde cunctis salute nostra carior factus, meruisti, ut haberes amicos obnoxios, promtos, devotos, fideles, in ævum omne mansuros: quales caritas, non fortuna conciliat. Concludam deinceps orationem meam, piissime Auguste, sermonis magis fine, quam gratiæ. Namque illa perpetua est: et spatio non transmeabili, terminum calcis ignorat. Flexu tamen parvo, nec a te procul, convertar ad Deum. Æterne omnium genitor, ipse non genite; opifex, et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi, et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti, tu Gratiano humanarum rerum domino, eiusmodi semina nostri amoris inolesti, ut nihil in digressu segnior factus, meminisset et relicti: illustraret absentem, præsentibus anteferret. Dein quia interesse primordiis dignitatis per locorum intervalla non poterat; ad sollemnitatem condendi honoris occurreret, beneficiis ne deesset officium. Quæ enim memoria unquam, transcursum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis, com-

mentu est? Pegasus volucer actus a Lycia, non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque seruerunt. Ipsi Castorum equi, quod longissimum iter est, non nisi mutato vectore transcurrunt. Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersepta regnorum, abusque Thracia, per totum, quam longum est, latus Illyrici, Venetiam, Liguriamque, et Galliam veterem, insuperabilia Rhætiæ, Rheni aquosa, Sequanorum iuvia, porrecta Germaniæ, celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illustres: ut consulem tuum, quamvis desideratus, anticipes: ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam, facias tardiorem. Hoc senectuti meæ, hoc honori a te datum. Supremus ille imperii, et consiliorum tuorum Deus conscius, et arbiter, et auctor, indulsit, ut sellam curulem (cuius sedem frequenter ornabis) ut prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares: Quæstorem ut tuum, præfectum ut tuo Prætorio, consulem tuum, et quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, præceptorem tuum, quem pia voce declaraveras, iusta ratione prætuleras, liberali largitate ditaveras, Augustæ dignationis officiis consecrares.

PERIOCHAE

In Homeri Iliadem et Odysseam.

IN ILIADEM

Si Homerum scriptorem Troici belli eatenus, qua Iliadem suam incipit, quaque finit, percenseamus: orsum ab iracundia Achillis ad sepulturam Hectoris, quatuor et viginti libros contexuisse monstrabimus. Hæc eius species apparet summam cutem primi operis intuenti. Verum hoc scripturæ ipsius tempus Troiano bello non totum, sed pæne ultimum fuit. Nam si ratio putanda est oppugnationis decennis, unus fera annus, idemque prope finem sui, ea negotia continebit, quæ ab iniuria Agamemnonis, ac Briseidis usurpatione, usque ad funus Hectoris digna memoratu erunt: illa temporum series, quæ ab eiusdem belli causis, atque origine, pertinent ad urbis excidium. Atqui ex eo eveniet, ut ignaris iudicandi, et poeticæ œconomiæ expertibus, multa nobilia ab exordio belli usque ad Achillis iurgium omissa videantur. Nec minus multa ab Hectoris funere ad usque deletum Ilium. Quorum quidem maxima expectatio erat, propter tam longi certaminis consummationem: sed ut divinum poetam nihil, quod illustre fuerit, omisisse appareat, atque omnia, quæ finiri oportuit, contigisse; breviter, et in epitomæ speciem, belli Troici causam originis, apparatusque, quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. Horum omnium prima origo est Paridis iudicium inter Deas: deinde classis contextio: qua idem Paris in Europam navigavit. Tum raptio Helenæ: quæ opinione veterum bipertita est: quod plerique Helenam iuxta Homericum plasma ad Troiam deportatam fuisse existimaverunt; nonnulli autem opinati sunt, cum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Ægyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis iniuria, per Ægyptium regem servatissimum iusti virum, Helenam cum iis, quæ una cum eadem fuerant abrepta, Paridi sublatam, expugnatoque demum Ilio Menelao restitutam.

Periocha libri primi Iliados.

Iram, Diva, refer nati Peleos Achillei
Pestiferam: quæ mille dedit discrimina Achivis.

Chryses, Apollinis sacerdos, ob redimendam filiam cum Agamemnoni supplicasset, contumaliose repulsus, Deum precatur ultorem. Insecuta subinde gravi pestilentia, cum Græcorum exercitus interiret; cogit Achilles concilium: at ab eodem invitus Calchas morbi causam compellitur indicare. Qua cognita, Agamemnon concitatur in Achillem: qui percitus iracundia, etiam cædem regis audebat, nisi eum in ultimum furorem progredi Minerva vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cœlum, lacrimas et contumeliam filii miserata, proficiscitur. Quæ fiducia defensi quondam cum Ægeone Iovis, ultum iri affectans iniuriam obtestatur summum Deorum, ut Troianos in rebus belli superiores esse patiatur. Quibus Iuno compertis, iracunde adversum coniugem commovetur. Sed gliscens iurgium, per deridiculum, ministrante Vulcano, simul consilii specie intercedente, lenitur.

Periocha II. Iliados.

Cœlestes, hominumque genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta Tonantem
Leniit, immodicos volventem corde paratus,
Cædibus ut Graium læsum ulciscatur Achillem.

Iupiter Agamemnonem somno monet prælii faciendi tempus adesse: ne cunctetur dimicare. Tum ille in concilium proceribus advocatis, mandatum Iovis, et speciem nocturnæ quietis explanat. Mox in concione, multitudine congregata, pertentat militum voluntatem: utque deposito bello ad sua quique redeant, cohortatur. Iamque omnibus navigatjonem adornantibus, fœda discessio ab Ulixe cohibetur: a quo etiam Thersites deformis, et loquax, in Heroum contumelias verborum licentia promtus, cum acerba obiurgatione pulsatur. Ipse Minervæ monitu cunctos a profectione deterret. Sumto deinde cibo armatur exercitus. Nequa secius a Troianis instructa acies, Iride ita monente, producitur. Sequitur annumeratio copiarum viritim: ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ, referantur.

Periocha III. Iliados.

Argivos sua quemque acies in bella sequuntur.
Dispositi in turmas equitum, cuneosque pedestres,
Turbida clangentes confundunt agmina Troes.

Instructum prælio exercitum, priusquam feriret acies, Priamus spectat e muris: et monstratu Helenæ de viris insignibus edocetur. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexandro provocatur. Qui frustra Agamemnone dehortante congreditur, facta inter utrosque populos sponsione, et fœdere per sacra firmato, sub ea conditione, ut victorem Helena cum dote sequeretur. Sed superatus Paris, regressusque ad urbem, iurgio uxoris excipitur. Ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur.

Periocha IV. Iliados.

Iupiter interea cum Diis genitalibus una
Concilium cogit Superum, de rebus Achivis.

Iovi placet delere Troiam: ad quod pertinacia Iunonis urgetur. Cumque id fieri Minerva properaret, dissidium fœderis comminiscitur: at Pandarum sagittandi peritum astu suadentis aggreditur, ut clam vulnerato Menelao, belli causa crudescat. Quo facto,

a Græcis prælium instauratur; congressisque exercitibus mutua clade decernitur.

Periocha V. Iliados.

Hic et Tydidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet. Vomit aurea flammas
Cassis, et undantem clypeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro.

Diomedes auxilio Minervæ strenue præliatur: Venus quoque filio subvenire conata, vulnere affecta digreditur. Mars etiam fit saucius, exceditque bello. Sequitur Tlepolemi, Sarpedonisque congressio; et Tlepolemus Herculis filius certamine victus, occiditur.

Periocha VI. Iliados.

Solæ decertant acies sine numine Divum,
Cessante auxilio: sua cuique exorsa laborem,
Fortunamque ferunt, proprii discrimine fati.

Troianis fortuna inclinatiore pugnantibus, vates Helenus suadet, ut Minerva placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita, ut peplum in arcem inferat, peragit vota cum matribus. Alexander obiurgatus a fratre, pergit in prælium. Glaucus Lycius, Ætolusque Diomedes congressi ut dimicarent, cum iam certamen oriretur, paterna inter se hospitia recordati, facta armorum permutatione, discedunt.

Periocha VII. Iliados.

Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit Hector.

Minervæ Apollinisque consensu, fortissimus Græcorum ab Hectore provocatur. Novem ducibus ad dimicandum paratis, pugnaturum deligi placet sortis eventu. Ab Aiace Telamonio prælium singulare conseritur: in quo Hector, lapide ictus, in suorum se recipit multitudinem. Perseverante certamine caduceator Idæus intervenit. Tum invicem missis muneribus pugna sedatur. Hector Aiacem gladio, Aiax Hectorem balteo muneratur: intercessu noctis exercitus quique in sua discedunt. Die altero, interfectorum humatio procuratur. Græcorum etiam navalia, fossa ac vallo circumdata, muniuntur.

Periocha VIII. Iliados.

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

Acto Deorum concilio, Iupiter pro parte pronuntiat, sua quisque exercitus sorte decernat. Nullus Deorum odio in alterus vel favore procedat. In Idam montem ipse digressus. Unde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa et aggeribus sese tuentur. Iunonem, ac Minervam Græcis auxiliari volentes, monitis Iovis Iris exterret: diremtoque ob noctem certamine, victores Troiani in ipso prælii loco excubias obsidionis instituunt: multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

Periocha IX. Iliados.

Interea vigilum excubiis cohibentur Achivi.

Græcis et præterita dimicatione perculsis, et instante conterritis, proceres ab Agamemnone convocantur. Quibus rex fugæ consilia, et apparatum ordinandæ per noctem navigationis iudicit, Diomede et Nestore dehortantibus. Suadente autem Nestore, Aiax et Ulixes legantur ad Achillem, dona ingentia pollicentes, si desistat irasci, et se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed Achille in iracundia pertinaciter permanente, legati Achivorum, re non impetrata, irriti revertuntur.

Periocha X. Iliados.

Cætera per naves somno sopita manebat
Turba ducum, solum cura anxia vexat Atriden.

Ulixes et Diomedes speculatum nocte progressi, Dolonem conspicantur, qui et ipse promissis Hectoris incitatus, Græcorum consilia exploratum prodierat; et fateri universa compulsum eodem loco interficiunt. A quo de adventu Rhœsi Thracum regis edocti, ipsum, et cum eo duodecim obtruncant: equosque eius præmium simul et testimonium grassationis abducunt, insignes candore et celeritate, ut et nivibus, et ventis antecederent.

Periocha XI. Iliados.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile
Spargebat terras, referens opera, atque labores.

Ab omnibus Græcis egregie quidem, sed improspere dimicatur. Quorum proceribus vulneratis, incognitæ multitudini pugna committitur. Qua afflictione fortunæ Achilles paulisper inflexus, Patroclum mittit præsentia cogniturum. Qui cum adversi status nuntius reverteretur, Eurypylum contemplatur ægrum ex vulnere; fomentisque medicæ artis admotis, redintegrat sanitati.

Periocha XII. Iliados.

Actorides fovet Eurypylum dum vulnere fessum.

Res dubiæ apud Græcos, vel potius afflictæ, ultimæ fortunæ statu aguntur, præstantibus procerum vulneratis, cetero exercitu fugato aut formidine perculso. Troiani navalium munimenta rescindunt: vallumque transgressi auguriis iuvantur ex eventu ambiguis. Itaque et pars muri ab Sarpedone convellitur: et ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, et in ipsis navalibus pugna conseritur.

Periocha XIII. Iliados.

Iupiter admovit Troes atque Hectora classi.

Neptunus miseratione commotus, Argivorum tuendis navibus auxiliator accedit: et usurpata vatis effigie, Aiaces duos in prælium cohortatur: nec minus cæteram multitudinem præsentia maiestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet. Troiani iam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem, contrahuntur, et ingenti clamore utrinque certatur.

Periocha XIV. Iliados.

Concussit, quamvis potantem, Nestora clamor,
Attonitasque aures pepulit gravitate tumultus.

Iuno vinculum Veneris, cui Cesto nomen est, mutuata, ad Iovem pergit in secessum montis Idæ: exoratoque Somno, ut eum committeret in soporem, dehinc vigilias eius uxoriis labefactat illecebris. Cuius ignoratione Neptunus abutitur: fortunamque Græcorum promtius auxiliando restituit, Aiace Locro ultra cæteros præliante.

Periocha XV. Iliados.

Iam vallum fossamque super Troiana iuventus
Institerat, captæ minitans incendia classi.

Iupiter somno expergitus, videt statum certaminis innovatum, pellique Troianos, Græcis opem ferente Neptuno. Itaque aspere Iunone increpata, et minaciter per Iridem conterrito fratre, iubet auxiliatorem desistere. Ipse Apollinem recreando allegat Hectori: monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. Tum et Aiax Telamonius strenue præliatur: et ab eodem plurimis hostium interfectis, conflagratio classis arcetur.

Periocha XVI. Iliados.

Dum face, dum ferro celsam oppugnare carinam
Troes, et Argolici pergunt defendere reges.

Achilles Græcorum statum iam sub extrema sorte miseratur. Armis suis Patroclum permittit armari Qui cum Myrmidonum produxisset exercitum, consternatosque Troianos Achillis specie fefellisset, ruentes supra vallum, et invicem officientes, cæco pavore usque ad campi aperta compellit. Deinde

congressus Sarpedonem perimit: multisque hostium cæsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

Periocha XVII. Iliados.

Actoridem cæsum nec te, Menelae, fefellit.

Circa interemtum Patroclum pugna contrahitur. Cum in diversa exercitus contenderent: Græci, ut corpus defenderent; Troiani, ut ad ludibrium cadaver eriperent: a Menelao Euphorbus occiditur: et ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis Hector armatur. Antilochus ad Achillem, nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat. Qui et ipse postea cum Merione intra navalium munimenta se recipit: cum tota moles belli Aiacibus ingruisset.

Periocha XVIII. Iliados.

Dum furit in medio belli vis ignea Martis.

Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum: quem vi doloris affectum consolantibus verbis mater alloquitur: nec inultum amicum fore pollicens, perlaturam sese Vulcani arma promittit. Interea et Iris ab Iunone dimittitur; cuius instantia Achilles extra vallum, quanquam inermis, egreditur: conterritisque Troianis super alios aliis præcipitantibus, late fuga, et latius formido porrigitur. Eodemque tempore et Vulcanus exoratus a Thetide, tota nocte, quam longa est, cœlestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

Periocha XIX. Iliados.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

Achilles armis cœlestibus ope Vulcani, et munere matris, instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis, iracundiam suam abolitione deponit: et promissis a rege muneribus coram concione ditatur. Tum militibus cibum capere iussis, ipse abstinet. Infesto deinde atque intento exercitu pergit in prælium.

Periocha XX. Iliados.

Iamque adeo celsis armati e navibus ibant,
Millia, quot magnis unquam venere Mycenis.

At integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Iovis, in partes Deorum studia dividuntur. Cum pro Græcis Iuno et Minerva decertarent, neque secius eos Neptunus et Mercurius et Vulcanus assererent: Troianos Apollo cum Venere, et Diana cum matre; Mars etiam, et cum eis Scamander, adiuvarent: tum Æneam, Diis, et viribus iniquis cum Achille congressum, quanquam studens Græcis, nube circumdatum Neptunus eripuit.

Periocha XXI. Iliados.

Intulerat fluvio trepidas fuga fœda catervas.

Troianis usque ad Scamandri fluminis alveum fuga et terrore compulsis, cum iam longius abeundi spatium non pateret: in ipso amne ** cum flumen exundat, ibi ab Achille duodecim Troianorum iuvenum vinciuntur, qui Patrocli inferiis immolarentur. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso, passim studia Deorum pro sua singulari parte depugnant. Troianorum exercitus, instante victore, in mœnia urbis impingitur.

Periocha XXII. Iliados.

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus: Minerva e contrario specie Deiphobi, ut dimicet adhortante. Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœnia Troiana raptatur: deinde lacerum corpus defertur ad naves, ultione Patrocli, et victoris iracundia, ad ulteriora supplicia reservandum.

Periocha XXIII. Iliados.

Troia vacat lacrimis, ludis Argiva iuventus.

Funebres ludi in honorem Patrocli frequentantur. Quibus Diomedes equis superat, lucta et cursu Ulixes, alioque alii certationis genere antestant.

Periocha XXIV. Iliados.

Quisque suas repetunt misso certamine naves.

Iupiter Thetidem mittit ad filium, cum mandatis eiusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur, ad sepulturam corpore restituto. Eiusdem iussu et Iris cohortatur Priamum, ut auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hostium profectus excubias, Achilli supplex advolvitur: redemtumque filium iustitio publico et dolet, et sepelit.

IN ODYSSEAM.

Periocha libri I. Odysseæ.

Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Minerva in Ithacam, Iove ita volente, descendit: Mentisque Taphiorum ducis sumit effigiem, suasura Telemacho, ut ad Nestorem Menelaumque festinet; qui recens domum regressi certi aliquid de Ulixe novissent. Tunc Phemius citharista, adhibitus convivio procorum, inchoat flebilem cantilenam navigationis improsperæ, quæ profectos ab Ilio Græcos diversis sparsit exiliis: quem Penelope degressa Chalcidico, argumento tam miserabilis offensa materiæ, ut alia concinat, adhortatur.

Periocha II. Odysseæ.

Oceano extulerat roseos Aurora iugales.

Telemachus Ithacesios proceros cogit ad curiam: atque ibidem de contumelia domus, et bonorum profligatione conquestus, consilia profectionis exponit, Antinoo resistente: qui eum priusquam mater nuberet, abire prohibebat. Qua altercatione diu protracta, concilium dissolutum est. Telemachus ad litus procis ignorantibus pergit: adstantem sibi adorans Minervam, peregrinationi accommoda parat, hortante maxime Dea; quæ populum, ipsumque Telemachum, Mentoris simulatione fallebat. Instructo ergo remigio, et nave deducta, Telemachus et Minerva de portu vespere instante solverunt.

Periocha III. Odysseæ.

Iam Sol Oceano radiatos promserat ortus.

Telemachus Nestorem de patre percontatus, nihil novi accipit ab ignorante: verum idem senex sequenti die, cum Pisistrato filio ut ad Menelaum pergat, hortatur. Nec mora facta consilio. Nocte quippe ea, quæ consecuta est, apud Pheras oppidum hospitio Dioclis diversati, altera Lacedæmonem pervehuntur.

Periocha IV. Odysseæ.

Iamq; adeo ventum validæ ad Lacedæmonis arces.

Telemachum, et qui cum eo venerant, Menelaus comiter hospitio accipit: saneque sub vespera quædam de Ulixe cognoscunt. Die vero altera, totum navigationis ordinem Menelaus explanat: quodque in Ogygia insula, promissis et illecebris Nymphæ Calypsonis, Ulixes remoretur, exponit. Quæ quidem Proteus eidem narraverat de Græcorum ducibus requirenti. Proci autem postquam de abitu Telemachi compererunt, instructa deductaque navi, viginti, qui sese legerant, navigavere, redeunti iu-

sidias molientes Circa Asteriam ergo insulam, quæ Ithacam Samumque interiacet, delitescentes, occasionem fraudis expectant.

Periocha V. Odysseæ.

Liquerat in tepido Tithonum Aurora cubili.

Mercurius in Ogygiam insulam devolat, ut Iovis monitis Calypso conterrita, Ulixem patiatur discedere. Qui contextu ratis temere properatæ, navigationem solus aggreditur. Duodevigesima die, tempestate commota, ex iracundia infestante Neptuno, trabium compago dissolvitur. Quo casu proditur ultimæ spei: et irritis conatibus naudo ab Ino Dea misericorde servatur. Quæ calauticam capiti suo demtam natanti accomodat. Cuius ille sustentatu ad usque Phæacum litus evadit.

Periocha VI. Odysseæ.

Carpebat somnos dudum ærumnosus Ulixes.

Ulixes postquam ad Phæacum litus enaverat, fatigationem diluit somno. Sed cum virgo Nausicaa regis Alcinoi, ludum in acta cum æqualibus exerceret, somno excitatus, ut erat nudus, erupit, foliorum opposito pudenda velatus: et cum supplex ad genua regiæ virginis advolveretur, Minervæ instinctu movit misericordiam salutarem: impositusque carpento, et veste donatus, usque ad templum Minervæ, quod ante urbem est, ita suadente virginis pudore, provehitur: ibique familiare sibi numen solita veneratione precatur.

Periocha VII. Odysseæ.

Orabat superos dudum Laertia proles.

Minerva in puellæ speciem mutata, Ulixem primum in oppidum mox in domum regiam ducit. Cumque Arete uxor Alcinoi, et unde vestem haberet, et cuias esset, et qua sorte delatus, sermone ipsius comperisset; bonum animum habere iussus, suadente vespera, concedit quieti.

Periocha VIII. Odysseæ.

Iam cœlum rutilat roseis Aurora quadrigis.

Alcinous navigationis ærumnam summatim ab Ulixe cognoscit. Exinde iussis primoribus in curiam convenire, adventum hospitis, et infortunia diutinæ iactationis explanat. Accitoque ad convivium Ulixe, citharam iubet pulsare Demodocum: qui cum de Dureo equo, et de Troico cantaret excidio, lacrymas Ulixi, memoria fortunæ superioris, elicuit. Quas cum occultare sedulo conaretur, aut vultu dissimulans, aut veste detergens, oculos in se omnium, et maxime regis advertit. Tum Alcinous, causa fletuum cognita, ut cuncta ex ordine tolerata dissereret, benigne omnia pollicitus adhortatur.

Periocha IX. Odysseæ.

Tum vice sermonis fatur Laertius heros.

Quatuor istinc libri de Ulixis errore contexti sunt. Namque ab Alcinoo rogatus seriem multiplicis erroris exponit, ut ab Ilio profectus, primum ad Ciconas delatus sit, atque illic expugnata Ismaro civitate, multis amissis fugatus abscesserit, utque inde Maleam Laconiæ promontorium circumegerit, ac dein ad Lotophagos venerit, mox ad Cyclopum insulam, quæ Lotophagis adiacet, cum una nave processerit: eaque sedulo occultata, ipse cum duodecim sociis, in antrum Polyphemi penetraverit: qui cruentis dapibus expletus, quas cæde sociorum eius instruxerat, vino etiam, quod Ulixes ingesserat, temulentus, cum in somnum procubuisset, ab Ulixe cæcatus, pœnas immanitatis exsolvit.

Periocha X. Odysseæ.

Æoliam ventorum agimur patriamque domumq;

Hinc refert Æoliam se fuisse pervectum, donatumque donatum ab Æolo rege ventorum, qui omnibus comiter præbitis, quo securior navigaret, ventos etiam dederit utre conclusos: utque, cum iam Ithacæ propinquaret, refusus sit in soporem; sociique eius opes aliquas in scorto inesse existimantes, dormiente ipso, vincula dissolverint: adversisque flatibus ab ipsa patria iam sint relati. Inde ut Antiphatem, Læstrygonasque delatus sit. Ibi amissis una minus cæteris navibus, Circeum litus accesserit; ibique veneficio potentis Deæ Eurylochus, et præmissi cum eo socii in ferarum ora conversi sint. Ipse etiam similia passurus, Mercurio procurante vitaverit, cæterosque socios ad speciem pristinam redigi, virtutis admiratione, compulerit.

Periocha XI. Odysseæ.

At postquam ventum ad naves et litora ponti.

Digressus a Circe Avernum pervenit: qui locus descensus ad Manes existimatur. Ibi sacris rite perfectis, scrobem complet sanguine victimarum: et circumvolantibus animabus, nullam sinit haustum cruoris attingere, nisi, ut Circe monuerat, prius Tiresias vates inde libasset. Ibi et heroidas plurimas videt. Quarum enumerationem multa veterum fabularum venustate contexit.

Periocha XII. Odysseæ.

Iamque adeo Oceani liquidos pede liquerat amnes.

Compertis a Tiresia vate, quæ oportuit scire, regreditur ad Circen: ab eaque, ut evitet mala cætera, edocetur: ut Sirenas prætereat, letalem navigantium cantilenam: ut Scyllam prætervehatur, et Charibdim, freti Siculi famosa portenta. Quibus malis non sine gravi perpessione superatis, Trinacriam pervehitur, ubi incustodita Solis armenta, frustra prohibente ipso, cæteri socii, penuria cogente, dilaniant: dirisque prodigiis admissa boum cæde terrentur: ac mox inde navigantes, fulmine ad unum omnes intereunt, excepto Ulixe; qui fragmento laceræ navis cohærens, et adminiculo eius adiutus, ad Ogygiam insulam solus enavit.

Periocha XIII. Odysseæ.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat, a principibus Phæaciæ viris donis plurimis honoratur: a quibus remigio, et necessariis omnibus navis instruitur; dormiensque in Ithacam quietissima navigatione devehitur. Atque illic in portu patrio cum muneribus universis quiescens, et omnium ignarus exponitur; Phæacibus eo dormiente remeantibus.

Periocha XIV. Odysseæ.

Egreditur portu, tenuis quo semita ducit.

Somno expergitus Ulixes portum et litus patriæ non sine animi consternatione cognoscit; admiraturque, ut advectus, ut expositus, ut relictus sit, ut cuncta nesciret. Requirit universa donorum: quæ postquam incolumia videt, quam potest tutissime occultat; consiliisque a Minerva confirmatus, ad servum suum Eumæum subulcum simulatus accedit, naufragi, et mendicantis imitatu. Interrogatus deinde quis esset, ait se esse Cressium: in Ægyptum navigantem Troia fuisse delatum. Eumæus etiam cum affectione mœstissima perurgens, et cogente denique vespere, et imbre continuo, sagulo amicitur: atque ibidem multa secum volvens, tandem concedit quieti.

Periocha XV Odysseæ.

It Lacedæmonias arces Tritonia Pallas.

Telemachus a Minerva per somnium commonetur, domum ut rediret. Matureque digressus cubili,

e Menelao veniam reversionis exorat. Qua comiter impetrata, regreditur ad navem in portu Pylio manentem. Pisistratoque ad urbem, atque ad patrem remisso, ipse propere solvit e litore, comite navigationis assumto Theoclymeno vate Argivo, uno ex iis, quos Melampus Amythaonis erudivit. Vitatisque insidiatoribus procis, advehitur in patriam: et sociis quidem portum petere iussis, ipse diverso itinere ad agrum Eumæumque proficiscitur.

Periocha XVI. Odysseæ.

Commune Eumæus mapale et divus Ulixes.

Telemachus Eumæum nuntium reditus mittit ad matrem. Ipse, Minerva ita volente, patrem cognoscit: et cum eo deinceps agenda disponit. Penelope autem cognito reditu filii; in conventum procorum, qua verecundia sinebat, egreditur: increpatisque insidiatoribus filii, non minus irata, quam mœsta discedit.

Periocha XVII. Odysseæ.

Iam cœlum roseis rutilat Tritonia bigis.

Telemachus anxiæ matri ordinem peregrinationis enarrat. Ulyxes ad oppidum, Eumæo opitulante, perducitur. Domum, in qua proci epulabantur ingressus, emendicat cibos; miserabiliter ambiendo. Inde ab Antinoo iniuriose afficitur. Cui Penelope diras ob inhumanum facinus imprecatur. A qua missus Eumæus est, ut hospes, sic enim se ferebat, ad eam provocaretur. Qui tum quidem invitatus gratiam facit: sed venturum sese ad vesperam pollicetur.

Pariocha XVIII. Odysseæ.

Irus adest populi per mendicabula notus.

Mendicante intra proprios lares Ulixe, alius quoque pari egestate Irus accessit, popularis Ithacesius, stipes in triviis solitus rogare. Iurgium ergo inopiæ communis æmulatione conseritur, quod ex verbis processit ad manus, hortantibus procis, quo magis rixa crudesceret, propositoque præmio caprini ventris omento. Victor igitur Ulixes, seminecem Irum extra ianuam proiicit, ridicula adhortatione compellans. Penelope etiam munera sibi a procis, pro opibus cuiusque conferri, singulorum studia experiens, deposcit; quæ mature, utpote a cupientibus, offeruntur.

Periocha XIX. Odysseæ.

At parte interiore domus secretus Ulixes.

Ulixes et Telemachus arma omnia de medio amoliuntur, procis perniciem comparantes: ne quid aut munimenti, aut teli relinqueretur, qui vel cavere vim, vel inferre possent. Ad Penelopen inde accitu ipsius pergit: ibique, ut Eumæo dixerat, Cretensem se esse mentitur, Ulixemque apud se hospitio diversatum comminiscitur. Mox cum Euryclia eius nutrix, hospitalis officii causa, pedes eius elueret, tactu manus animadvertit cicatricem, quam habebat ex vulnere in Parnasso quondam suis dente percussus. Quo argumento alumnum suum esse agnoscit. Sed ab eodem, ne quid ultra vel quærat vel garriat, coercetur.

Periocha XX. Odysseæ.

Iamque procos genua amplectens orabat Ulixes.

Epulantibus procis Ctesippus in Ulixem crus bubulum iacit: sed destinatione non potitur. Theoclymenus autem apud Ithacenses divinationis expertus, imminens procis vaticinatur exitium. Quorum multa cavillatione derisus, mensa et domo, tamquam furiosus, excluditur.

Periocha XXI. Odysseæ.

Hic mentem dedit Icariæ Tritonia Pallas.

Ulixes Eumæo et Philœtio, fidei eorum industriæque confisus, quis sit, revelat. Et postquam facta cognitio est, cædem procorum tempore instrui placet. Quos Ulixes astu aggreditur, ut ipsum quoque intendendo arcum, vires seniles explorare patiantur, quem uni quondam Ulixi facilem, si quis intenderet, habiturus esset præmium ius Penelopes nuptiarum. Sed prohibentibus procis, ne id ridiculus et mendicus auderet, quod frustra iuventus tam lecta tentasset, dat Telemachus Ulixi, cæteris abnuentibus, experiendi potestatem. Et hinc nascitur admiratio prima virtutis, dedecore suo cæteris erubescentibus, quorum ignaviam senex, et mendicus arguerit.

Periocha XXII. Odysseæ.

Squallentes humeris habitus reiecit Ulixes.

Ulixes loco ulteriore capto intendit arcum, omnibusque foribus occlusis, ne qua pateret effugium, plerosque vino saucios aut novitate rei stupidos, aut quidlibet aliud meditantes conficit. Cum primum omnium confixisset Antinoum, qui audacia, et petulantia cæteros superaverat: Eumæus, et Telemachus, et Philœtius sumtis et ipsi armis, egregia in consternatos cæde grassantur. Iamque omnibus interemtis, duobus tantummodo parcitur: Phemio citharœdo, qui ministerii causa adhibitus, nihil omnino in Ulixis domo, quod contumeliosum esset, ediderat: et Medonti præconi, cuius modestiæ, etiam Telemachus suffragabatur, et qui cum Telemacho erant, Melanthium famulorum Ulyxis unum, qui procorum proterviam semper armaverat, cruciabiliter occidunt. Puellas inde duodecim, quæ cum procis flagitiose consueverant, suspendio perimunt. Ulixes cæde ad plenum perpetrata, ignem adolet: incensoque sulfure domum piaculo purgat.

Periocha XXIII. Odysseæ.

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

Euryclia nutrix gestæ rei nuntia, Penelopen de somno excitat. Quæ advenientem ad se maritum non temere ipsum esse persuadet: quadam cubiculi lege, et genialis lectuli positu sibi tantum et Ulixi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In cœtum deinde conveniunt, totamque noctem mutuo sermone consumunt. Et hinc quidem elegans replicatio laborum, quos Ulixes pertulit, mira concinnatione colligitur.

Periocha XXIV. Odysseæ.

Tartaream vocat in sedem Cyllenius umbras.

Procorum animas recenti et communi cæde congestas, catervatim Mercurius ad inferna compellit. Tunc circa Agamemnonem Manes heroici congregantur. Miratique lectorum iuvenum congregem densitatem, uno agmine commeantem, causas interitionis accipiunt. Tum apud inferos quoque virtus Ulixis, et Penelopes pudicitia prædicantur, ab Agamemnone præ cæteris, cui dispar fuerat in utroque fortuna. Ulyxes ad Laertem patrem in agrum profectus, et inopinato reditu, et rerum gestarum relatu, afficit senem: afficitur ab eo cognitis, quas exantlasset ærumnis. Subinde at patres procorum, neces iuvenum properant ultum ire: consilioque, et vi communicatia, ante expectatum agro superveniunt. Sed eos iam comitatior Ulixes fundit, fugatque. Verum gliscentibus odiis, et maiore seditione aut tumultu spectato, ex sententia Iovis in Ithacam Minerva descendit: et conciliata utrinque pace, studia, et motus partium, rerum gestarum abolitione componit.

Præfatiunculae tres

Theodosio Augusto Ausonius

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ,
Gradivus iubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem:
Fidere tam fas est, quam dubitare nefas;
Insanum quamvis hiemet mare, crudaque tellus
Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono: mortalia quærunt
Consilium: certus iussa capesse Dei.
Scribere me Augustus iubet: et mea carmina poscit,
Pene rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed iussit: habebo.
Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat: et iuvat idem,
Qui iubet: obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse Deo: laudata pudoris
Sæpe mora est, quoties contra parem dubites.
Quin etiam non iussa parant erumpere dudum
Carmina: quis nolit Cæsaris esse liber,
Ne ferat indignum vatem, centumque lituras,
Mutandas semper deteriore nota?
Tu modo te iussisse, pater Romane, memento:
Inque meis culpis da tibi tu veniam

Ausonius Syagrio suo S.

Ausonius genitor nobis, ego nomine eodem
Qui sim, qua secta, stirpe, lare, et patria,
Adscripsi, ut nosses, bone vir, quicumque fuissem,
Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri: gens Ædua matri
De patre: Tarbellis sed genitrix ab Aquis.
Ipse ego Burdigalæ genitus: divisa per urbes
Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc late fusa est cognatio, nomina multis
Ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant
Derivata aliis: nobis ab stemmate primo
Et non cognati, sed genitiva placent.
Sed redeo ad seriem: genitor studuit Medicinæ,
Disciplinarum quæ dedit una Deum.
Nos ad Grammaticen studium convertimus: et mox
Rhetorices etiam quod satis attigimus.
Nec fors non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior: et nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Æmilium aut Scaurum, Berytiumque Probum;
Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
Collatos, non et subditus, aspicerem.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis
Asserui doctor municipalem operam.
Aurea et Augusti palatia iussus adire
Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor: nec enim fiducia nobis
Vana, aut non solidi gloria iudicii.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
Dum nulli fuerit discipulus melior.
Alcides Atlantis, et Æacides Chironis,
Pæne Iove iste satus, filius ille Iovis,
Thessaliam, Thebasque suos habuere penates:
At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cuius ego Comes, et Quæstor, et culmen honorum,
Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio:
Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.
Hic ego Ausonius: sed tu ne temne, quod ultro
Patronum nostris te paro carminibus.
Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri,
Communemque habitas alter ego Ausonium:
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat ut nihilo, sit tuus, anne meus.

Ausonius Latino Pacato Drepanio, filio.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poeta quondam:
Inventoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque,
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, trepidæ silete nugæ,
Nec doctum minus, et magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi carior meorum
Quem pluris faciunt novem Sorores,
Quam cunctos alios, Marone demto.
Pacatum haud dubie, Poeta, dicis.
Ipse est. Intrepide volate, versus:
Et nidum in gremio fovete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget probata tradet.
Post hunc iudicium timete nullum.

CLAUDIUS CLAUDIANUS

Claudium Claudianum nonnulli Florentini viri doctissimi patriæ suæ vindicare voluerunt; sed Ægyptium fuisse potior sententia videtur. Theodosio Magno, et huius filiis Arcadio et Honorio imperantibus, hic poeta floruit; de Raptu Proserpinæ tres Libros scripsit; clarorum sui temporis virorum, præcipue vero Stilichonis laudes celebravit; in Foro Romano æneam statuam decreto publico habuit; militiæ et senatus dignitates obtinuit, summisque aliis honoribus est cumulatus. Et merito. Quamvis enim non paucis maculis in suis carminibus sordescat, eum tot veneres, tot lepores, tantam vim et venustatem dicendi ætate pessima sit consecutus, fatendum est quod, si meliora tempora sortitus esset, summi poetæ laudes attigisset. Christi fidem secutum esse plerique sed non vere scripserunt; carmina enim in quibus Christi laudes leguntur, vel Claudiano false tributa, vel ab illo in Imperatorum obsequium conscripta fuerunt: quin imo idolorum pervicacissimus fuisse cultorem suorum temporum scriptores clarissimi testantur. Quo anno e vita decesserit non liquet. Forsitan in Stilichonis calamitate celeberrima, huius amicitiæ constanter devotus, Claudianus miserrime est involutus.

Cl. Claudiani opera iuxta editionem P. Burmanni secundi.

In Probini et Olybrii fratrum Consulatum Panegyris.

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis,
Volvis inexhausto redeuntia secula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.
Iam nova germanis vestigia torqueat annus
Consulibus; lætique petant exordia menses.
Scis genus Auchenium; nec te latuere potentes
Anniadæ: nam sæpe soles ductoribus illis
Instaurare vias, et cursibus addere nomen.
His neque per dubium pendet Fortuna favorem,
Nec novit mutare vices: sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcumque requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci.
Per fasces numerantur avi; semperque renata
Nobilitate virent, et prolem fata sequuntur.
Continuum simili servantia lege tenorem.
Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, et claro cingatur Roma Senatu,
Se iactare parem: sed, prima sede relicta
Auchenii, de iure licet certare secundo.
Haud secus ac, tacitam Luna regnante per Arcton,
Sidereæ cedunt acies, cum fratre retuso
Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis.
Tunc iubar Arcturi languet: tunc fulva Leonis
Ira perit: Plaustro iam rara intermicat Arctos,
Indignata tegi: iam, caligantibus armis,
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem prius aggrediar? veteris quis facta Probini
Nesciat? aut nimias laudes ignoret Olybri?
Vivit adhuc, completque vagis sermonibus aures,
Gloria fusa Probi, quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteosque recessus.
Audiit et, gelido si quem Mæotia pascit
Sub Iove, vel calido si quis [coniunctus] in axe
Nascentem te, Nile, bibit. Virtutibus ille
Fortunam domuit; nunquamque levantibus alta
Intumuit rebus: sed mens, circumflua luxu
Noverat intactum vitio servare rigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: sed, largior imbre,
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe, velut densos, currentia munera, nimbos,
Cernere semper erat: populis undare penates;
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos,
Aurea dona vomens: sic quis, tellure revulsa,
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum.
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis,
Effluxere decus: quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat: quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.
Non, mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad summi quoties fastigia iuris
Venerit, Italiæ late cum frena teneret,
Illyricosque sinus, et quos arat Africa campos.
Sed nati vicere patrem; solique merentur
Victores audire Probi: non contigit illi
Talis honor, prima cum parte viresceret ævi.
Non consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
Cura, diu maiora petens: non anxia mentem
Spes agit, et longo tendit præcordia voto.
Cœpistis, qua finis erat: primordia vestra
Vix pauci meruere senes: metasque tenetis
Ante genas dulces quam flos iuvenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas.
Tu, precor, ignarum doceas, Parnassia, vatem,
Quis Deus ambobus tanti sit muneris auctor.
Postquam, fulmineis impellens viribus hostem
Belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
Roma, Probo cupiens dignas persolvere grates,
Sedula pro natis dominum flexura rogando
Ire parat. Famuli currum iunxere volantem
Impetus, horribilisque Metus, qui, semper agentes
Prælia, cum fremitu Romam comitantur anhelo,
Sive petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.
Hic ligat axe rotas: hic sub iuga ferrea mittit
Cornipedes, rigidisque docet servire lupatis.
Ipsa, triumphatis qua possidet æthera regnis,
Assilit, innuptæ ritus imitata Minervæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere culto,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto;
Dextrum nuda latus, niveos exerta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxumque coercens
Mordet gemma sinum: nodus, qui sublevat ensem,

Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor, galeæque minaci,
Flava cruentarum prætenditur umbra iubarum;
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mavortis amor, fœtusque notantur
Romulei; pius amnis inest, et bellua nutrix.
Electro Tiberis, pueri formantur in auro:
Fingunt æra lupam: Mavors adamante coruscat.
Iam simul emissis rapido velocior Euro
Fertur equis, strident Zephyri; cursuque rotarum
Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis:
Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
Quem poscunt, tetigere locum; qua fine sub imo
Angustant aditum curvis anfractibus Alpes,
Claustraque congestis scopulis durissima tendunt,
Non alia reseranda manu, sed pervia tantum
Augusto, geminisque fidem mentita tyrannis.
Semirutæ turres, avulsaque mœnia, fumant.
Crescunt in cumulum strages, vallemque profundam
Æquavere iugis: stagnant immersa cruore
Corpora: turbantur permixto funere Manes.
Haud procul, exacto lætus certamine, victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclines humeros: dominum gavisa coronat
Terra suum, surguntque toris maioribus herbæ.
Sudor adhuc per membra calet; creberque recurrit
Halitus, et placidi radiant in casside vultus.
Qualis, letifera populatus cæde Gelonos,
Procubat horrendus Getico Gradivus in Hæmo.
Exuvias Bellona levat; Bellona tepentes
Pulvere solvit equos; immensaque cornus in hastam
Porrigitur, tremulisque ferit splendoribus Hebrum.
Ut stetit ante ducem discussas Roma per auras,
Conscia ter sonuit rupes, et inhorruit atrum
Maiestate nemus. Prior hic: O numen amicum,
Dux ait, et legum genitrix, longeque regendo
Circumfusa polo, consors adiuncta Tonanti,
Dic, agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cælumque tuum? dic, maxima rerum.
Non ego vel Libycos cessem tolerare vapores,
Sarmaticosve pati medio sub frigore Coros,
Si tu, Roma, velis. Pro te, quascumque per oras
Ibimus; et, nulla sub tempestate timentes,
Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum.
Tum regina refert: Non me latet, inclyte rector,
Quam tua pro Latio victricia castra laborent:
Nec quod servitium rursus, Furiæque rebelles
Edomitæ, paribus sub te cecidere triumphis.
Sed, precor, hoc donum, cum libertate recenti,
Adde, precor, si vera manet reverentia nostri.
Sunt mihi pubentes alto de semine fratres.
Pignora cara Probi, festa quos luce creatos
Ipsa meo fovi gremio: cunabula parvis
Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
Solveret, et magnos proferrent sidera partus.
His ego nec Decios pulchros, fortesve Metellos,
Prætulerim; non, qui Pœnum domuere ferocem,
Scipiadas, Gallisque genus fatale Camillos.
Pieriis pollent studiis, multoque redundant
Eloquio; nec desidiis, dapibusve paratis
Indulgere iuvat; nec tanta licentia vitæ
Abripit, ut mores ætas lasciva relaxet:
Sed, gravibus curis animum sortita senilem,
Ignea longævo frenatur corde iuventus.
Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
Oramus præbere velis, annique futurum
Devoveas venientis iter: non improba posco.
Non insueta dabis: domus hoc de more requirit.
Annue: sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per utrumque latus; Medique subactis
Nostra Semiramiæ timeant insignia turres;
Sic fluat attonitus Romana per oppida Ganges.
Ductor ad hæc: Optata iubes, ultroque volentem,
Diva, rogas: non hæc precibus tentanda fuissent.
Usque adeone meam condunt oblivia mentem,
Ut pigeat meminisse Probi, quo vindice totam
Vidimus Hesperiam, fessasque resurgere gentes?
Ante dabunt hiemes Nilum; per flumina damæ
Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus;
Ante, Thyesteis iterum conterrita mensis,
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quam Probus a nostro possit discedere sensu.
Dixerat, et velox iam nuntius advolat Urbem.
Extemplo strepuere chori; collesque, canoris
Plausibus impulsi, septena voce resultant.
Lætatur veneranda parens, et pollice docto
Iam parat auratas trabeas, cinctusque micantes
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera silvæ;
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filaque concreto cogit squalere metallo.
Qualis purpureas præbebat candida vestes
Numinibus Latona suis, cum sacra redirent
Ad loca nutricis iam non errantia Deli.
Illa feros saltus et desolata relinquens
Mænala, lassato certis venatibus arcu:
Phœbus adhuc nigris rorantia tela venenis,
Extincto Pythone, ferens: tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridetque Ægæus alumnis
Lenior, et blando testatur gaudia fluctu.
Sic Proba præcipuo natos exornat amictu,
Quæ decorat mundum; cuius Romana potestas
Fœtibus augetur: credas ex æthere lapsam
Stare Pudicitiam, vel sacro thure vocatam
Iunonem Inachiis oculos advertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Graia vetustas:
Coniuge digna Probo: nam tantum cœtibus extat
Fœmineis, quantum supereminet ille maritos:
Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque,
Hunc legere torum: taceat Nereida nuptam
Pelion: o duplici fœcundam consule matrem,
Felicemque uterum, qui nomina parturit anni!
Ut sceptrum gessere manu, membrisque rigentes
Aptavere togas, signum dat summus hiulca
Nube pater; gratamque facem per inane rotantes,
Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi.
Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris
Ima valle sedens, arrectisque auribus hæsit,
Unde repentinus cœli fragor: ilicet herbis
Pallentes thalamos, et structa cubilia musco
Deserit, ac Nymphis urnam commendat herilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cœruleis infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: crispo densatur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo:
Quam neque fas Zephyris frangi, nec, sole perustam,
Æstivo candore mori; sed vivida frondet,
Æquævum complexa caput: taurina levantur
Cornua temporibus raucos sudantia rivos.
Destillant per pectus aquæ: frons hispida manat
Imbribus: in liquidos fontes se barba repectit.
Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.
Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes

Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ.
Hic stetit, et subitum prospexit ab aggere votum;
Unanimes fratres, juncto stipante Senatu
Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.
Obstupuit visu, suspensaque gaudia vocem
Oppressam tenuere diu; mox inchoat ore:
Respice, si tales iactas aluisse fluentis,
Eurota Spartane, tuis. Quid protulit æquum
Falsus olor, valido quamvis decernere cæstu
Norint, et ratibus sævas arcere procellas?
En nova Ledæis soboles fulgentior astris.
Ecce mei cives: quorum iam Signifer optat
Adventum, stellisque parat convexa futuris.
Iam per noctivagos dominetur Olybrius axes,
Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probini.
Ipsi vela regent: ipsis donantibus auras
Navita tranquillo moderabitur æquore pinum.
Nunc pateras libare Deis, nunc solvere multo
Nectare corda libet: niveos iam pandite cœtus
Naides, et totum violis prætexite fontem.
Mella ferant silvæ: iam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis: iam sponte per agros
Sudent irriguæ spirantia balsama venæ.
Currat, qui sociæ roget in convivia mensæ
Indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant
Montibus, Alpinasque bibunt de more pruinas;
Vulturnusque rapax, et Nar vitiatus odoro
Sulfure, tardatusque suis erroribus Ufens:
Et Phaethonteæ perpessus damna ruinæ
Eridanus, flavæque terens querceta Maricæ
Liris, et Œbaliæ qui temperat arva Galesus.
Semper honoratus nostris celebrabitur undis
Iste dies: semper dapibus recoletur opimis.
Sic ait: et Nymphæ, patris præcepta secutæ,
Tecta parant epulis; ostroque infecta corusco,
Humida gemmiferis illuxit regia mensis.
O bene signatum fraterno nomine tempus!
O consanguineis felix auctoribus annus,
Incipe quadrifidum Phœbi torquere laborem.
Prima tibi procedat hiems, non frigore torpens,
Non canas vestita nives, non aspera ventis,
Sed tepido calefacta Noto: ver inde serenum
Protinus, et liquidi clementior aura Favoni,
Pratis te croceis pingat; te messibus æstas
Induat, autumnusque madentibus ambiat uvis.
Omni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum,
Germanos habuisse duces: te cuncta loquetur
Tellus, te variis scribent in floribus Horæ;
Longaque perpetui ducent in sæcula fasti.

In Rufinum Liber primus.

PRÆFATIO.

Phœbeo domitus Python cum decidit arcu,
Membraque Cirrhæo fudit anhela iugo:
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra iubis;
Iam liber Parnassus arat, nexuque soluto,
Cœperat erecta surgere fronde nemus:
Concussæque diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas.
Et qui vipereo spumavit sæpe veneno
Cephissos, liquidis purior ibat aquis.
Omnis, Io Pæan, regio sonat; omnia Phœbum
Rura canunt: tripodas plenior aura rotat.
Auditoque procul Musarum carmine ducti,
Ad Themidis coeunt antra severa Dei.
Nunc, alio Domini telis Pythone peremto,
Convenit ad nostram sacra caterva lyram,
Qui stabilem servant Augustis fratribus orbem;
Iustitia pacem, viribus arma regunt.

In Rufinum Liber primus.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam, cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno iusserit igni
Compleri, Solemque suo, porrexerit undis
Litora; tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi; quæ Numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos: iam non ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant: vos pandite vati,
Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.
Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Alecto, placidas late cum cerneret urbes.
Protinus infernas ad limina tetra sorores,
Concilium deforme vocat: glomerantur in unum
Innumeræ pestes. Erebi quascumque sinistro
Nox genuit fœtu: nutrix Discordia belli,
Imperiosa Fames, leto vicina Senectus,
Impatiensque sui Morbus, Livorque secundis
Anxius, et scisso mœrens velamine Luctus,
Et Timor, et cæco præceps Audacia vultu,
Et Luxus populator opum, quem semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas,
Fœdaque Avaritiæ complexæ pectora matris,
Insomnes longo veniunt examine Curæ.
Complentur vario ferrata sedilia cœtu,
Torvaque collectis stipatur curia monstris.
Alecto stetit in mediis; vulgusque tacere
Iussit, et obstantes in tergum repulit hydros,
Perque humeros errare dedit: tum corde sub imo
Inclusam rabidis patefecit vocibus iram.
Siccine tranquillo produci sæcula cursu,
Sic fortunatas patiemur vivere gentes?
Quæ nova corrumpit nostros clementia mores?
Quo rabies innata perit? quid inania prosunt
Verbera? quid facibus nequidquam cingimur atris?
Heu nimis ignavæ, quas Iupiter arcet Olympo,
Theudosius terris. En, aurea nascitur ætas:
En, proles antiqua redit. Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas, alta cervice vagantur,
Insignemque canunt nostra de plebe triumphum.
Pro dolor! ipsa mihi, liquidas delapsa per auras,
Iustitia insultat; vitiisque a stirpe recisis,
Elicit oppressas tenebroso carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus ævo,
Omnibus eiectæ regnis? Agnoscite tandem,
Quid Furias deceat: consuetas sumite vires;
Conventuque nefas tanto decernite dignum.
Iam cupio Stygiis invadere nubibus astra,

Iam flatu violare diem, laxare profundo
Frena mari, fluvios ruptis immittere ripis,
Et rerum vexare fidem: sic fata cruentum
Mugiit, et totos serpentum erexit hiatus,
Noxiaque effudit concusso crine venena.
Anceps motus erat vulgi: pars maxima bellum
Indicit Superis; pars Ditis iura tuetur:
Dissensuque alitur rumor; ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cum, flamine fracto
Durat adhuc sævitque tumor, dubiumque per æstum
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.
Improba mox surgit tristi de sede Megæra,
Quam penes insani fremitus, animique profanus
Error, et undantes spumis furialibus iræ.
Non nisi quæsitum cognata sede cruorem,
Illicitumve bibit, patrius quem fuderit ensis,
Quem dederint fratres. Hæc terruit Herculis ora,
Et defensores terrarum polluit arcus;
Hæc Athamantheæ direxit spicula dextræ;
Hæc, Agamemnonios inter bacchata penates,
Alternis lusit iugulis; hac auspice tædæ
Œdipoden matri, natæ iunxit Thyesten.
Quæ tunc horrisonis effatur talia dictis:
Signa quidem, o sociæ, Divos attollere contra
Nec fas est, nec posse reor: sed lædere mundum
Si libet, et populis commune intendere letum,
Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius feta, violentius Austris
Acribus, Euripi refluis incertius undis,
Rufinus: quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio: parvus reptavit in isto
Sæpe sinu; teneroque per ardua colla volutus
Ubera quæsivit fletu, linguisque trisulcis
Mollia lambentes finxerunt ora cerastæ.
Meque etiam tradente dolos artemque nocendi
Edidicit: simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, et blando fraudem prætexere risu,
Plenus sævitiæ, lucrique cupidine fervens.
Non Tartessiacis illum satiarit arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum,
Ardebit maiore siti: quam fallere mentes
Doctus, et unanimos odiis turbare sodales!
Talem progenies hominum si prisca tulisset,
Pirithoum fugeret Theseus; offensus Oresten
Desereret Pylades; odisset Castora Pollux.
Ipsa quidem fateor vinci; rapidoque magistram
Prævenit ingenio: nec plus sermone morabor:
Solus habet, quidquid scelerum possedimus omnes.
Hunc ego, si vestræ res est accommoda turbæ,
Regalem ad summi producam principis aulam.
Sit licet ille Numa gravior, sit denique Minos;
Cedet; et insidiis nostri flectetur alumni.
Orantem sequitur clamor: cunctæque profanas
Porrexere manus, inventaque tristia laudant.
Illa, ubi cœruleo vestes connexuit angue,
Nodavitq. adamante comas, Phlegethonta sonorum
Poscit, et ambusto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo succendit gurgite pinum;
Pigraque veloces per Tartara concutit alas.
Est locus, extremum pandit qua Gallia litus,
Oceani prætentus aquis, ubi fertur Ulixes
Sanguine libato populum movisse silentem.
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus: simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.
Hinc Dea prosiluit, Phœbique egressa serenos
Infecit radios, ululatuque æthera rupit
Terrifico. Sensit ferale Britannia murmur;
Et Senonum quatit arva fragor; revolutaque Tethys
Substitit, et Rhenus proiecta torpuit urna.
Tunc, in canitiem mutatis sponte colubris,
Longævum mentita senem, rugisque severas
Persulcata genas, et ficto languida passu,
Invadit muros Elusæ, notissima dudum
Tecta petens, oculisque diu liventibus hæsit,
Peiorem mirata virum: tunc talia fatur:
Otia te, Rufine, iuvant? frustraque inventæ
Consumis florem patriis inglorius arvis?
Heu! nescis, quid fata tibi, quid sidera donent,
Quid Fortuna paret. Toti dominabere mundo,
Si parere velis. Artus ne sperne seniles:
Namque mihi magicæ vires, ævique futuri
Præscius ardor inest: novi, quo Thessala cantu
Eripiat lunare iubar, quid signa sagacis
Ægypti valeant, qua gens Chaldæa vocatis
Imperet arte Deis: nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potestas
Herbarum, quidquid letali germine pollens
Caucasus, et Scythicæ vernant in gramina rupes,
Quas legit Medea ferox, et callida Circe.
Sæpius horrendos Manes sacrisque citavi
Nocturnis Hecaten, et condita funera traxi
Carminibus victura meis; multosque canendo,
Quamvis Parcarum restarent fila, peremi:
Ire vagas quercus, et fulmen stare coegi:
Versaque non prono curvavi flumina lapsu,
In fontes reditura suos: neu vana locutum
Me fortasse putes, mutatos cerne penates.
Dixerat: et niveæ (mirum!) cœpere columnæ
Ditari, subitoque trabes lucere metallo.
Illecebris capitur, nimiumque elatus avaro
Pascitur intuitu: sic rex ad prima tumebat
Mæonius, pulchro cum verteret omnia tactu.
Sed, postquam riguisse dapes, fulvamque revinctos
In glaciem vidit latices; tum munus acerbum
Sensit, et inviso votum damnavit in auro.
Ergo animi victus, Sequimur, quocumque vocabis,
Seu tu vir, seu Numen, ait: patriaque relicta,
Eoas iussu Furiæ tendebat ad arces,
Instabilesque olim Symplegadas, et freta remis
Inclyta Thessalicis; celsa qua Bosporus urbe
Splendet, et Odrysiis Asiam disterminat oris.
Ut, longum permensus iter, ductusque maligno
Stamine fatorum, claram subrepsit in aulam,
Ilicet ambitio nasci, discedere rectum;
Venum cuncta dari: profert arcana; clientes
Fallit, et ambitos a principe vendit honores.
Ingeminat crimen; commoti pectoris ignem
Nutrit, et exiguum stimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
Nescit; et, undantem quamvis hinc hauriat Istrum,
Hinc bibat æstivum septeno gurgite Nilum,
Par semper similisque manet; sic fluctibus auri
Expleri sitis ista nequit: cuicumque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent,
Rufino populandus erat; dominoque parabat
Exitium fecundus ager: metuenda colonis
Fertilitas: laribus pellit, detrudit avitis
Finibus, aut aufert vivis, aut occupat hæres.
Congestæ cumulantur opes, orbisque ruinas
Accipit una domus: populi servire coacti,
Plenaque privato succumbunt oppida regno.
Quo, vesane, ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Iungantur solium Crœsi Cyrique tiara;
Numquam dives eris, numquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicumque cupit. Contentus honesto

Fabricius parvo spernabat munera regum;
Sudabatque gravi consul Serranus aratro;
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas augustior: hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis: tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos; mihi donat inemtas
Terra dapes. Rapiunt Tyrios tibi vellera fucos,
Et picturatæ saturantur murice vestes:
Hic radiant flores, et prati viva voluptas
Ingenio variata suo: fulgentibus illic
Surgunt strata toris; hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes;
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
Vivitur exiguo melius: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu:
Classica non fremerent: non stridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Crescebat scelerata sitis, prædæque recentis
Incestus flagrabat amor, nullusque petendi
Cogendive pudor. Crebris periuria nectit
Blanditiis; sociat perituro fœdere dextras.
Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
Effera prætumido quatiebat corda furore.
Quæ sic Gætuli iaculo percussa leæna,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua partus,
Aut serpens calcata, furit? Iurata Deorum
Maiestas teritur: nusquam reverentia mensæ,
Non coniux, non ipse simul, non pignora cæsa
Sufficiunt odiis: non extinxisse propinquos,
Non notos egisse sat est, exscindere cives
Funditus, et nomen gentis delere laborat.
Nec celeri mittit leto: crudelibus ante
Suppliciis fruitur: cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone parat: pro sævior ense
Parcendi rabies, concessaque vita dolori!
Mors adeone parum est? causis fallacibus instat:
Arguit attonitos, se iudice; cetera segnis,
Ad facinus velox; penitus regione remotas
Impiger ire vias: non illum Sirius ardens,
Brumave Rhipæo stridens Aquilone retardat.
Effera torquebant avidæ præcordia curæ,
Effugeret nequis gladios, neu perderet ullum,
Augusto miserante, nefas. Non flectitur annis;
Non ætate labat: iuvenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi.
Ibat grandævus, nato moriente superstes,
Post trabeas exul. Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes possit deflere nefandas?
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vel Sinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla?
O mites Diomedis equi! Busiridis aræ
Clementes! iam, Cinna pius, iam, Spartace, lenis,
Rufino collatus, eris. Deiecerat omnes
Occultis odiis terror; tacitique sepultos
Suspirant gemitus, indignarique verentur.
At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
Fracta metu: solus medio sed turbine rerum
Contra letiferos rictus, contraque rapacem
Movit tela feram, volucris non præpete cursu
Vectus equi, non Pegaseis adiutus habenis.
Hic cunctis optata quies, hic sola pericli
Turris erat, clypeusque trucem proiectus in hostem:
Hic profugis sedes, adversaque signa furori;
Servandis hic castra bonis: huc usque minatus
Hærebat, ratroque fuga cedebat inerti.
Haud secus, hiberno tumidus cum vortice torrens
Saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit.
Frangitur obiectu scopuli; quærensque meatum
Spumat, et illisa montem circumtonat unda.
Qua dignum te laude feram, qui pæne ruenti
Lapsuroque tuos humeros obieceris orbi?
Te nobis, trepidæ ceu sidus dulce carinæ,
Ostendere Dei, geminis quæ lassa procellis
Tunditur, et victo trahitur iam cæca magistro.
Inachius rubro perhibetur in æquore Perseus
Neptuni domuisse pecus, sed tutior alis;
Te non penna vehit: rigida cum Gorgone Perseus;
Tu non vipereo defensus crine Medusæ.
Illum vilis amor suspensæ virginis egit;
Te Romana salus: taceat superata vetustas:
Herculeos conferre tuis iam desinat actus.
Una Cleonæum pascebat silva leonem:
Arcadiæ saltum vastabat dentibus unum
Sævus aper: tuque o, compressa matre rebellis,
Non ultra Libyæ fines, Antæe, nocebas;
Solaque fulmineo resonabat Creta iuvenco;
Lernæamque virens obsederat Hydra paludem.
Hoc monstrum non una palus, non una tremebat
Insula: sed Latia quidquid ditione subactum
Vivit, et a primis Ganges horrebat Iberis.
Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Ianitor, æquabunt; nec, si concurrat in unum
Vis Hydræ, Scyllæque fames, et flamma Chimæræ.
Certamen sublime diu, sed moribus impar,
Virtutum scelerumque fuit. Iugulare minatur;
Tu prohibes; ditem spoliat; tu reddis egenti.
Eruit: instauras: accendit prælia; vincis.
Ac velut infectu morbus crudescere cœlo
Incipiens, primos pecudum depascitur artus;
Mox populos urbesque rapit, ventisque perustis
Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes;
Sic avidus prædo iam non per singula sævit,
Sed sceptris inferre minas, omnique peremto
Milite, Romanas ardet prosternere vires.
Iam gentes Istrumque movet, Scythiamque receptat
Auxilio, traditque suas hostilibus armis
Reliquias: mixtis descendit Sarmata Dacis;
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, cæsamque bibens Mæotin Alanus,
Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus;
Rufino collecta manus. Vetat ille domari,
Innectitque moras, et congrua tempora differt.
Nam tua cum Geticas stravisset dextra catervas,
Ulta ducis socii letum, parsque una maneret
Debilior, facilisque capi: tunc impius ille
Proditor imperii, coniuratusque Getarum
Distulit instantes, eluso principe, pugnas,
Hunnorum laturus opem: quos affore bello
Norat, et invisis mox se coniungere castris.
Est genus extremos Scythiæ vergentis in Ortus
Trans gelidum Tanain, quo non deformius ullum
Arctos alit: turpes habitus, obscœnaque visu
Corpora; mens duro nunquam cessura labori.
Præda cibus; vitanda Ceres; frontemque secari
Ludus, et occisos pulchrum iurare parentes.
Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis: acerrima nullo
Ordine mobilitas, insperatique recursus.
Quos tamen impavidus contra spumantis ad Hebri
Tendis aquas, sic ante tubas ferrumque precatus:
Mavors, nubifero seu tu procumbis in Hæmo,
Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo
Sollicitatus Athos, seu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum,
Et Thracas defende tuos: si lætior adsit

Gloria, vestita spoliis donabere quercu.
Audiit illa pater, scopulisque nivalibus Hæmi
Surgit, et hortatur celeres clamore ministros:
Fer galeam, Bellona, mihi, nexusque rotarum
Tende, Pavor: frena rapidos, Formido, iugales.
Festinas urgete manus: meus ecce paratur
Ad bellum Stilichon, qui me de more tropæis
Ditat, et hostiles suspendit in arbore cristas.
Communes semper litui, communia nobis
Signa canunt; iunctoque sequor tentoria curru.
Sic fatus campo insiluit, lateque fugatas
Hinc Stilichon turmas, illinc Gradivus, agebant,
Et clypeis et mole pares: stat cassis utrique
Sidereis hirsuta iubis; loricaque cursu
Æstuat, et largo satiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multoque Megæra
Luxuriata malo, mœstam deprendit in arce
Iustitiam, diroque prior sic ore lacessit:
En tibi prisca quies, revocataque sæcula rursus,
Ut rebare, vigent: en, nostra potentia cessit;
Nec locus est usquam Furiis. Huc lumina flecte:
Aspice barbaricis iaceant quot mœnia flammis;
Quas mihi Rufinus strages, quantumque cruoris
Præbeat, et quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, sortemque meam: pete sidera: notis
Autumni te redde plagis, qua vergit in Austrum
Signifer; æstivo sedes vicina Leoni
Iampridem, geminæque vacant confinia Libræ.
Atque utinam per magna sequi convexa liceret!
Diva refert: Non ulterius bacchabere, demens.
Iam pœnas tuus iste dabit: iam debitus ultor
Imminet: et, terras qui nunc ipsumque fatigat
Æthera, nec vili moriens condetur arena.
Iamque aderit læto promissus Honorius ævo,
Nec forti genitore minor, nec fratre corusco;
Qui subigat Medos, qui cuspide proterat Indos.
Sub iuga venturi reges: calcabitur asper
Phasis equo, pontemque pati cogetur Araxes.
Tuque simul, gravibus ferri religata catenis,
Expellere die, debellatasque draconum
Tonsa comas, imo barathri condere recessu.
Tum tellus communis erit: tum limite nullo
Discernetur ager: nec vomere sulcus adunco
Findetur: subitis messor gaudebit aristis.
Rorabunt querceta favis: stagnantia passim
Vina fluent, oleique lacus: nec murice tinctis
Velleribus quæretur honos; sed sponte rubebunt,
Attonito pastore, greges; pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus algæ.

In Rufinum liber secundus.

PRÆFATIO.

Pandite defensum, reduces, Helicona, sorores;
Pandite: permissis iam licet ire choris.
Nulla per Aonios hostilis buccina campos
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque, securis pulsa formidine Delphis,
Floribus ultorem, Delie, cinge tuum.
Nullus Castalios latices, et præscia fati
Flumina, polluto barbarus ore bibit.
Alpheus late rubuit; Siculumque per æquor
Sanguineas belli retulit unda notas:
Agnovitque novos absens Arethusa triumphos;
Et Geticam sensit, teste cruore, necem.
Immensis, Stilichon, succedant otia curis,
Et nostræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupisse labores,
Et tenuem Musis constituisse moram.
Fertur et indomitus tandem post prælia Mavors
Lassa per Odrysias fundere membra nives;
Oblitusque sui, posita clementior hasta,
Pieriis aures pacificare modis.

In Rufinum Liber secundus.

Iam, post edomitas Alpes, defensaque regna
Hesperiæ, merita complexus sede parentem,
Auctior adiecto fulgebat sidere mundus:
Iamque tuis, Stilichon, Romana potentia curis,
Et rerum commissus apex: tibi credita fratrum
Utraque maiestas, geminæque exercitus aulæ.
Rufinus (neque enim patiuntur sæva quietem
Crimina, pollutæque negant arescere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, et solito pacem vexare tumultu.
Hæc etiam secum: Quanam ratione tuebor
Spem vitæ fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis; hinc milite cingor.
Heu! quid agam? non arma mihi, non principis ullus
Auxiliatur amor. Matura pericula surgunt
Undique; et impositi radiant cervicibus enses.
Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu,
Insontesque meæ populos miscere ruinæ?
Everso iuvat orbe mori: solatia leto
Exitium commune dabit: nec territus ante
Discedam: cum luce simul linquenda potestas.
Hæc fatus, ventis veluti si frena remittat
Æolus, abrupto gentes sic obice fudit,
Laxavitque viam bellis: et, ne qua maneret
Immunis regio, cladem divisit in orbem,
Disposuitque nefas. Alii per terga ferocis
Danubii solidata ruunt, expertaque remos
Frangunt stagna rotis: alii per Caspia claustra,
Armeniasque nives, inopino tramite ducti,
Invadunt Orientis opes: iam pascua fumant
Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum.
Iam rubet altus Halys: nec se defendit iniquo
Monte Cilix. Syriæ tractus vastantur amœni:
Assuetumque choris, et læta plebe canorum,
Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.
Hinc planctus Asiæ: Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis adusque
Dalmatiæ fines: omnis qua mobile Ponti
Æquor, et Adriacas tellus interiacet undas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Instar anhelantis Libyæ, quæ, torrida semper
Solibus, humano nescit mansuescere cultu.
Thessalus ardet ager: reticet, pastore fugato,
Pelion. Emathias ignis populatur aristas.
Iam plaga Pannoniæ, miserandaq; mœnia Thracum,
Arvaque Mysorum, iam nulli flebile damnum,
Sed cursus sollennis erat, camposque furori
Expositos; sensumque malis detraxerat usus.
Heu heu, quam brevibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contra despectat arenas,
Iam non finitimo Martis terrore movetur,
Sed propius lucere faces, et rauca sonare
Cornua, vibratisque peti fastigia telis
Aspicit. Hi vigili muros statione tueri,
Hi iunctis properant portus munire carinis:
Obsessa tamen ille ferus lætatur in urbe,
Exultatque malis; summo que e culmine turris
Impia vicini cernit spectacula campi:

Vinctas ire nurus; hunc per vada proxima mergi
Seminecem; hunc subito percussum vulnere labi,
Dum fugit; hunc animam portis efflare sub ipsis;
Nec canos prodesse seni, puerique cruore
Maternos undare sinus immensa voluptas,
Et risus plerumque subit: dolor afficit unus,
Quod feriat non ipse manu. Videt omnia late,
Exceptis incensa suis; et crimine tanto
Luxuriat: carumque sibi non abnuit hostem.
Iactabatque ultro, quod soli castra paterent,
Sermonumque foret vicibus permissa facultas,
Egregii quoties exisset fœderis auctor.
Stipatur sociis; circumque armata clientum
Agmina privatis ibant famulantia signis.
Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles.
Frenaque, et immanes pharetras, arcusque sonoros,
Assimulat; mentemque palam testatur amictu.
Nec pudet Ausonios currus, et iura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum;
Insignemque habitum Latii mutare togæque
Mœrent pellito captivæ iudice leges.
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim?
Nam miseris nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet. Quonam usque feremus
Exitiale iugum? duræ quis terminus unquam
Sortis erit? quis nos funesto turbine rerum,
Aut tantis solvet lacrymis, quos barbarus illinc,
Hinc Rufinus, agit; quibus arva fretumque negatur?
Magna quidem per rura lues; sed maior oberrat
Intra tecta timor. Tandem succurre ruenti
Heu! patriæ, Stilichon: Dilecta hic pignora certe;
Hic domus; hic thalamis primum genialibus omen,
Hic tibi felices erexit regia tædas.
Vel solus, sperate, veni; te prœlia viso
Languescent, avidique cadet dementia monstri.
Talibus urgetur discors Aurora procellis.
At Stilichon, Zephyris cum primum bruma remitti,
Et iuga diffusis nudari cœpta pruinis,
Partibus Italiæ tranquilla in pace locatis,
Utraque castra movens, Phœbi properabat ad ortus,
Gallica discretis Eoaque robora turmis
Complexus, nunquam tantæ ditione sub una
Convenere manus, nec tot discrimina vocum.
Illinc Armeniæ vibratis crinibus alæ,
Herbida collectæ facili velamina nodo;
Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit:
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus:
Quosque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.
Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt
Vulnera: non odit victus, victorve superbit.
Et quamvis præsens tumor, et civilia nuper
Classica, bellatrixque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conspiravere favorem.
Haud aliter, Xerxen toto simul orbe secutus,
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
Et telis umbrasse diem, cum classibus iret
Per scopulos, tectumque pedes contemneret æquor.
Vix Alpes transgressus erat; nec iam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens, se cogit in unam
Planitiem, tutoque includit pascua gyro.
Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum,
Asperat alternis sudibus, murique locata
In speciem cæsis obtendit plaustra iuvencis.
At procul exsanguis Rufinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ: stetit ore gelato
Incertus, peteretne fugam, veniamne subactus
Posceret, an fidos sese transferret in hostes.
Quid nunc divitiæ, quid fulvi vasta metalli
Congeries, quid purpureis effulta columnis
Atria, prolatæve iuvant ad sidera moles?
Audit iter, numeratque dies, spatioque viarum
Metitur vitam. Torquetur pace futura,
Nec recipit somnos, et sæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pœnæ.
Sed redit in rabiem, scelerumque immane resumit
Ingenium sacrasque fures prædivitis aulæ
Intrat, et Arcadium mixto terrore precatur.
Per fratris regale iubar, per facta parentis
Ætherii, floremque tui te deprecor ævi,
Eripe me gladiis: liceat Stilichonis iniquas
Evitare minas, in nostram Gallia cædem
Coniurata venit: quidquid ligat ultima Tethys,
Extremos ultra volitat gens si qua Britannos,
Mota mihi: tantis capiendi credimur armis?
Tot signis unum petitur caput? unde cruoris
Ista sitis? geminum cœli sibi vindicat axem,
Et nullum vult esse parem: succumbere poscit
Cuncta sibi: regit Italiam, Libyenque coercet:
Hispanis Gallisque iubet: non orbita Solis,
Non illum Natura capit: quascumque paravit
Hic Augustus opes, et, quas post bella recepit,
Solus habet; possessa semel non reddere curat.
Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur;
Nos premat obsidio? quid partem invadere tentat?
Deserat Illyricos fines; Eoa remittat
Agmina; fraternas ex æquo dividat hastas;
Nec sceptri tantum fueris, sed militis, hæres.
Quod si dissimulas nostræ succurrere morti,
Nec prohibere paras; Manes et sidera testor,
Hæc cervix non sola cadet: miscebitur alter
Sanguis; nec Stygias ferar incomitatus ad umbras,
Nec mea securus ridebit funera victor.
Hæc ubi, dictatur facinus: missusque repente,
Qui ferat extortas invito principe voces.
Interea Stilichon, iam lætior hoste propinquo,
Nec multo spatii distantibus æquore vallis,
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes.
Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos
Dexteriora locat: spumis ignescere frena,
Pulveris extolli nimbos, lateque videres
Surgere purpureis undantes anguibus hastas,
Serpentumque vago cœlum sævire volatu.
Implet Thessaliam ferri nitor, antraque docti
Cornipedis, teneroque amnis reptatus Achilli,
Et nemus Œtæum radiat: clamore nivalis
Ossa tonat, pulsoque fragor geminatur Olympo.
Intumuit virtus, et lucis prodigus arsit
Impetus: haud illos rupes, haud alta vetarent
Flumina: præcipiti stravissent omnia cursu.
Si tunc his animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia cædes:
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent:
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis, arces:
Non mare fumasset geminum, flagrante Corintho:
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.
Illa dies potuit nostris imponere finem
Cladibus, et sceleris causas auferre futuri.
Invida, pro, quantum rapuit Fortuna triumphum!
Inter equos, interque tubas, mandata feruntur
Regia, et armati veniunt ductoris ad aures.
Obstupuit; simul ira virum, simul obruit ingens
Mœror: et ignavo tantum licuisse nocenti
Miratur: dubios anceps sententia volvit
Eventus; peragat pugnas, an furtia cœpta
Deserat. Illyricis ardet succurrere damnis:

Præceptis obstare timet: reverentia frangit
Virtutis stimulos: hinc publica commoda suadent,
Hinc metus invidiæ; tandem indignatus ad astra
Extollit palmas, et ab imo pectore fatur:
Numina, Romanis necdum satiata ruinis,
Si iuvat imperium penitus de stirpe revelli;
Uno si placuit deleri sæcula lapsu;
Si piget humani generis; prorumpat in arva
Libertus effræna maris, vel limite nullo
Devius errantes Phaethon confundat habenas.
Cur per Rufinum geritur; procumbere mundum
Hoc auctore pudet. Mediis revocamur ab armis,
(Pro dolor!) et strictos deponere cogimur enses.
Vos, arsuræ urbes, perituraque mœnia, testor:
Cedo equidem, et miserum permitto casibus orbem.
Flectite signa, duces: redeat iam miles Eois.
Parendum est, taceant litui: prohibete sagittas:
Parcite contiguo, Rufinus præcipit, hosti.
His dictis, omnes una fremuere manipli:
Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,
Quantum non madidis elisa tonitrua Coris:
Secernique negant, ereptaque prælia poscunt;
Insignemque ducem populus defendit uterque,
Et sibi quisque trahit: magno certatur amore;
Alternamque fidem non illaudata lacessit
Seditio, talique simul clamore queruntur:
Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis
Excutit, et solvi curvatos imperat arcus?
Quisnam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus.
Iam mihi barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant; ultrixque manus mucrone furenti
Ducitur, et siccum gladium vagina recusat.
Num patiar? semperne Getis discordia nostra
Proderit? en iterum belli civilis imago!
Quid consanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? non dissociabile corpus,
Coniunctumque sumus: te, quo libet ire, sequemur.
Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thulen,
Te vel ad incensas Libyæ comitabor arenas.
Indorum si stagna petas, rubrique recessus
Æquoris, auriferum veniam poturus Hydaspen.
Si calcare Notum, secretaque litora Nili
Nascentis iubeas, mundum post terga relinquam.
Et, quocumque loco Stilichon tentoria figat,
Hic patria est. Dux inde vetat: Desistite, quæso,
Atque avidam differte manum: cadat iste minacis
Invidiæ cumulus: non est victoria tanti,
Ut videar vicisse mihi: vos, fida iuventus,
Ite, mei quondam socii: nec plura locutus,
Flectit iter; vacuo qualis discedit hiatu
Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis,
Et pastorales pepulerunt igne catervæ;
Inclinatque iubas, demissaque lumina velat,
Et trepidas mœsto rimatur murmure silvas.
Ut sese legio vidit disiuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum; galeasque solutis
Humectant lacrymis; pressamque morantia vocem,
Thoracum validos pulsant suspiria nexus.
Tradimur, heu, tantumq; sequi prohibemur amorem,
Exclamant, spernisne tuas, dux optime, dextras,
Quas tibi victrices toties Bellona probavit?
Nos adeo viles? adeo felicior axis
Hesperius, meruit qui te rectore teneri?
Quid nobis patriam, quid clara revisere tandem
Pignora, dilectosve iuvat coluisse penates?
Te sine, dulce nihil: iam formidata tyranni
Tempestas subeunda mihi; qui forte nefandas
Iam parat insidias: qui nos aut turpibus Hunnis,
Aut impacatis famulos præstabit Alanis;
Quamquam non adeo robur defecerit omne,
Tantave gestandi fuerit penuria ferri.
Tu licet occiduo maneas sub cardine Solis, (absens
Tu mihi dux semper, Stilichon; nostramque vel
Experiere fidem: dabitur tibi debita pridem
Victima: promissis [longe] placabere sacris.
Tristior Hæmoniis miles digressus ab oris
Tangebat Macetum fines, muroque subibat,
Thessalonica, tuos. Sensu dolor hæret in alto
Abditus, et tacitas vindictæ præstruit iras;
Spectaturque favens odiis locus, aptaque leto
Tempora: nec quisquam tanta de plebe repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quæ non posteritas, quæ non mirabitur ætas
Tanti consilium vulgi potuisse taceri,
Aut facinus tam grande tegi? mentisque calorem
Non sermone viæ, non inter pocula, rumpi?
Æqualis tantam tenuit constantia turbam;
Et fuit arcanum populo. Percurritur Hebrus;
Deseritur Rhodope; Thracumque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem.
Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes,
Cognita Rufino, magna cervice triumphat,
Omnia tuta ratus; sceptrumque capessere fervet,
Et coniuratos accendit voce clientes.
Vicimus, expulimus: facilis iam copia regni.
Nullus ab hoste timor. Quid enim? quem poscere solum
Horruit, hunc tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatum, quem non superavit inermem?
I nunc, exitium nobis meditare remotus
Incassum, Stilichon; dum nos longissima tellus
Dividat, et mediis Nereus interstrepat undis.
Alpinas transire tibi, me sospite, rupes
Haud dabitur: iaculis illinc me figere tenta:
Quære ferox ensem, qui nostra ad mœnia tendi
Possit ab Italia. Non te documenta priorum,
Non exempla vetant? quis par conatus adire
Has iactat vitasse manus? Detrusimus orbe
Te medio, tantisque simul spoliavimus armis.
Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera, donandumque novis legionibus aurum.
Opportuna meis oritur lux crastina votis.
Quod nolit, rex ipse velit, iubeatque coactus
In partem mihi regna dari: contingat in uno
Privati fugisse modum, crimenque tyranni.
Talibus acclamant dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis crevere rapinis,
Et quos una fecit Rufino causa sodales,
Illicitum duxisse nihil: delicta fuere
Nexus amicitiæ: iam iam connubia læti
Despondent aliena sibi, frustraque vicissim
Promittunt, quas quisque petat, quas devoret, urbes.
Cœperat humanos alto sopire labores
Nox gremio; pigrasque Sopor diffuderat alas.
Ille, diu curis animum stimulantibus ægrum,
Labitur in somnus. Vix toto corde quierat;
Ecce, videt diras alludere protinus umbras,
Quas dedit ipse neci; quarum, quæ clarior, una
Visa loqui: Pro! surge toro: quid plurima volvis
Anxius? hæc requiem rebus finemque labori
Allatura dies: omni iam plebe redibis
Altior, et læti manibus portabere vulgi.
Has canit ambages; occulto fallitur ille
Omine, nec capitis sentit præsagia fixi.
Iam summum radiis stringebat Lucifer Hæmum;
Festinamque rotam solito properantior urget,
Tandem Rufini visurus funera, Titan.
Prosiluit stratis, densæque capacia turbæ

Atria regifico iussit splendere paratu,
Exceptura dapes; et, quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.
Ipse salutatum reduces post prælia turmas,
Iam regale tumens, et principe celsior, ibat;
Collaque fœmineo iactabat mollia gestu,
Imperii certus: tegeret ceu purpura dudum
Corpus, et ambirent ardentes tempora gemmæ.
Urbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,
Planities vicina patet: nam cetera Pontus
Circuit, exiguo dirimi se tramite passus,
Hic ultrix acies, ornatu fulgida Martis,
Explicuit cuneos: pedites in parte sinistra
Consistunt: equites illinc poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis.
Hinc alii sævum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs; coniuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu: credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis: ferrata fronte minantur,
Ferratosque levant securi vulneris armos.
Diviso stat quisque loco: metuenda voluptas
Cernenti, pulcherque timor; spirisque remissis
Mansuescunt varii, vento cessante, dracones:
Augustus veneranda prior vexilla salutat.
Rufinus sequitur, quo fallere cuncta solebat
Callidus afflatu, devotaque brachia laudat,
Nomine quemque vocans: natosque patresq; reversis
Nuntiat incolumes: illi, dum plurima ficto
Certatim sermone petunt, extendere longos
A tergo flexus, insperatoque suprema
Circuitu sociare parant: decrescere campos
Incipit, et clypeis in se redeuntia iunctis
Curvo paulatim sinuantur cornua ductu.
Sic ligat immensa virides indagine saltus
Venator; sic attonitos ad litora pisces
Æquoreus populator agit, rarosque plagarum
Contrahit anfractus, et hiantes colligit oras.
Excludunt alios: cingi se fervidus ille
Nescit adhuc, graviterque, apprensa veste, morantē
Increpat Augustum: scandat sublime tribunal;
Participem sceptri, socium declaret honoris.
Cum subito stringunt gladios: vox desuper ingens
Infremuit: Nobis etiam, deterrime, nobis
Sperasti famulas imponere posse catenas?
Unde redi nescis? patiarne audire satelles,
Qui leges aliis libertatemque reduxi?
Bis domitum civile nefas: bis rupimus Alpes.
Tot nos bella docent nulli servire tyranno.
Diriguit, spes nulla fugæ, seges undique ferri
Circumfusa micat: dextra lævaque revinctus,
Hæsit, et ensiferæ stupuit mucrone coronæ.
Ut fera, quæ montes nuper dimisit avitos,
Altorumque exul nemorum, damnatur arenæ
Muneribus, commota ruit; vir murmure contra
Hortator, nixusque genu venabula tendit.
Illa pavet strepitus, cuneosque erecta theatri
Respicit, et tanti miratur sibila vulgi.
Unus per medios, audendi pronior, ense
Prosilit exerto, dictisque et vulnere torvus:
Hac petit, hac Stilichon, quem iactas pellere, dextra
Te ferit: hoc absens invadit viscera ferro.
Sic fatur, meritoque latus transverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit, et fessi pœnam libaverit orbis.
Mox omnes fodiunt hastis, artusque trementes
Dilaniant: uno tot corpore pila tepescunt;
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi vultus avidos, et adhuc spirantia vellunt
Lumina: truncatos alii rapuere lacertos.
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis
Nexibus: hic fracti resecat curvamina dorsi.
Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
Pulmonis latebras: spatium non invenit ira;
Nec locus est odiis: consumto funere, vix tum
Deseritur, sparsumque perit per tela cadaver.
Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent
Mænades, aut subito mutatum Actæona cornu
Traderet insanis Latonia [virgo] Molossis.
Criminibusne tuis speras, Fortuna, mederi?
Et male donatum certas æquare favorem
Suppliciis? una tot millia morte rependis?
Eversis agedum Rufinum divide terris;
Da caput Odrysiis: truncum mereantur Achivi.
Quid reliquis dabitur? nec singula membra peremtis
Sufficiunt populis: vacuo plebs obvia muro,
Iam secura, fluit: senibus non obstitit ætas,
Virginibusve pudor: viduæ, quibus ille maritos
Abstulit, orbatæque ruunt ad gaudia matres;
Insultantque alacres: lacaros iuvat ire per artus,
Pressaque calcato vestigia sanguine tingui.
Nec minus assiduis flagrant elidere saxis
Prodigiale caput; quod iam de cuspide summa
Nutabat, digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera quin etiam, ludo concessa, vagatur,
Æra petens, fraudesque animi persolvit avari
Terribili lucro; vivosque imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.
Desinat elatis quisquam confidere rebus;
Instabilesque Deos ac lubrica Numina discat.
Illa manus, quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cuius se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu, miseroque revulsa
Corpore, feralem quæstum post fata poposcit.
Aspicis t, quisquis nimium sublata secundis
Colla gerit: triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui, non cedentia templis,
Ornatura suos exstruxit culmina Manes:
Et, qui Sidonio velari creditus ostro,
Nudus pascit aves: iacet, en, qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops; et pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam toties que sepultus.
Senserunt convexa necem, tellusque nefandum
Amolitur onus: iam respirantibus astris,
Infernos gravat umbra lacus: pater Æacus horret,
Intrantemque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc animæ, quas ille fero sub iure peremit,
Circumstant, nigrique trahunt ad iudicis urnam,
Infesto fremitu; veluti pastoris in ora
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia rapto
Mella trahit, pennasque cient et spicula tendunt;
Et, tenuis saxi per propugnacula cinctæ,
Rimosam patriam, dilectaque pumicis antra,
Defendunt, pronoque favos examine velant.
Est locus, infaustis quo conciliantur in unum
Cocytos Phlegethonque vadis: inamœnus uterque
Alveus: hic volvit lacrymas: hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur solidoque rigens adamante sinistrum
Proluit igne latus: dextra Cocytia findit
Æquora, triste gemens, et fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia sæcula vitam
Deveniunt: ibi nulla manent discrimina fati,
Nullus honos: vanoque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens: quæsitor, in alto
Conspicuus solio, pertentat crimina Minos,

Et iustis dirimit sontes: quos nolle fateri
Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris:
Nam iuxta Rhadamanthus agit: cum gesta superni
Curriculi, totosque diu perspexerit actus;
Exæquat damnum meritis, et muta ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit ursis;
Prædonesque lupis, fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus,
[Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,]
Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus.
Qui iusto plus esse loquax, arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent æterna silentia vocem.
Quos ubi per varias, annis ter mille, figuras
Egit Lethæo purgatos flumine; tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.
Tum quoque, dum lites Stygiique negotia solvit
Dura fori, veteresque reos ex ordine quærit,
Rufinum procul ecce notat, visuque severo
Lustrat, at ex imo concussa sede profatur:
Huc, superum labes, huc insatiabilis auri
Proluvies, pretioque nihil non ause parato,
Quodq; mihi summum scelus est, huc, improbe legum
Venditor; Arctoi stimulator perfide Martis,
Cuius ob innumeras strages angustus Averni
Iam sinus, et plena lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? en, pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago;
Nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum
In te ferre libet: dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu: volucer te torqueat axis:
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Arescat decepta sitis; dapibusque relictis,
In tua mansurus migret præcordia vultur.
Quamquam omnes alii, quos hæc tormenta fatigant,
Pars quota sunt, Rufine, tui! quid tale vel audax
Fulmine Salmoneus, vel lingua Tantalus egit,
Aut inconcesso Tityos deliquit amore?
Cunctorum si facta simul iungantur in unum,
Præcedes numero. Cui tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum
Omnibus inveniam, vincunt cum singula pœnas?
Tollite de mediis animarum dedecus umbris.
Aspexisse sat est: oculis iam parcite nostris,
Et Ditis purgate domos: agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebū: vacuo mandate barathro,
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumq; Chaos, qua noctis opacæ
Fundamenta latent: penitusque immersus anhelet,
Dum rotet astra polus; feriant dum litora venti.

DE III. CONSULATU HONORII AUGUSTI

Praefatio

Parvos non aquilis fas est educere fœtus,
Ante fidem solis, indiciumque poli.
Nam pater, excusso saluit cum tegmine proles,
Ovaque maternus rupit hiulca tepor,
Protinus implumes convertit ad æthere nidos,
Et recto flammas imperatore pati.
Consulit ardentes radios; et, luce magistra,
Natorum vires ingeniumque probat.
Degeneres refugo torsit qui lumine visus,
Unguibus hunc sævis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem;
Nutritur, volucrumque potens, et fulminis hæres,
Gesturus summo tela trisulca Iovi.
[illegible] quoque, Pieriis tentatum sæpius antris,
Audet magna suo mittere Roma Deo.
Iam dominas aures, iam regia tecta meremur;
Et chelys, Augusto iudice, nostra sonat.

DE III. CONSULATU HONORII AUGUSTI

Panegyris

Tertia Romulei sumant exordia fasces,
Terque suas ducat bellatrix pompa curules.
Festior annus eat; cinctusque imitata Gabinos,
Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis.
Succedant armis trabeæ: tentoria lictor
Ambiat; et Latiæ redeant ad signa secures.
Tuque, o, qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre regis, procede secundis
Alitibus; Phœbique novos ordire meatus,
Spes votumque poli, quem primo a limine vitæ
Nutrix aula fovet; strictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua privatos nescit Fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit: cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro;
Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, et in mediis cunabula præbuit hastis.
Te nascente, ferox toto Germania Rheno
Intremuit; movitque suas formidine silvas
Caucasus: et, positis numen confessa pharetris,
Ignavas Meroe traxit de crine sagittas.
Reptasti per scuta puer; regumque recentes
Exuviæ tibi ludus erant; primusque solebas
Aspera complecti torvum post prælia patrem,
Signa triumphato quoties flexisset ab Istro,
Arctoa de strage calens, et poscere partem
De spoliis, Scythicosve arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel iaculum Daci, vel frena Suevi.
Ille coruscanti clypeo te sæpe volentem
Sustulit arridens, et pectore pressit anhelo
Intrepidum ferri, galeæ nec triste timentem
Fulgur, et ad summas tendentem brachia cristas.
Tum sic lætus ait: Rex o stellantis Olympi,
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus
Assyria: sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, et grato respersus pulvere belli:
Armaque gaviso referat captiva parenti.
Mox, ubi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, non marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires:
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis;
Æstivum tolerare iubar; tranare sonoras
Torrentum furias; ascensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles et concava saltu:
Nec non in clypeo vigiles producere noctes;
In galea potare nives: nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.
Quoque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat avi, quem litus adustæ
Horrescit Libyæ, ratibusque impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos,
Edomuit, Scotumque vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas;
Et geminis fulgens utroque sub axe tropæis,
Tethyos alternæ refluas calcavit arenas.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat. Non ocyus hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes,
Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.

Interea turbata fides: civilia rursus
Bella tonant, dubiumque quatit discordia mundum.
Pro! crimen Superum! longi pro dedecus ævi!
Barbarus Hesperias exul possederat urbes,
Sceptraque deiecto dederat Romana clienti.
Iam princeps molitur iter, gentesque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascumque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes.
Thuriferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphatem.
Quæ tibi tunc Martis rabies, quantusque sequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campique cruenta
Tempestate frui, truncisque immergere plantas?
Ut leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat,
Uberibus solitum pasci, cum crescere sensit
Ungue pedes, et terga iubis et dentibus ora;
Iam negat imbelles epulas, et rupe relicta,
Getulo comes ire patri, stabulisque minari
Æstuat, et celsi tabo sordere iuvenci.
Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,
Et sacro meritos ornat diademate crines.
Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis,
Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes
Imperium tibi sero datum: victoria velox
Auspiciis effecta tuis: pugnastis uterque;
Tu fatis, genitorque manu: te propter, et Alpes
Invadi faciles: cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis: spes irrita valli
Concidit, et scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter, gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine repulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes; cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti!
Alpinæ rubuere nives, et Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum traiecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Ensis, et ultrices in se converterat iras
Tandem iusta manus. Iam libertate reducta,
Quamvis emeritum peteret Natura reverti
Numen, et auratas astrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conscius Atlas;
Distulit Augustus cupido se reddere cœlo,
Dum tibi pacatum præsenti traderet orbem.
Nec mora: Bistoniis alacer consurgis ab oris,
Inter barbaricas ausus transire cohortes.
Impavido vultu linquis Rhodopeia saxa,
Orpheis animata modis: iuga deseris Œtes,
Herculeo damnata rogo; post Pelion intras,
Nereis illustre toris: te pulcher Enipeus,
Celsaque Dodone stupuit; rursusque locutæ,
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.
Illyrici legitur plaga litoris: arva teruntur
Dalmatiæ: Phrygii numerantur stagna Timavi.
Gaudent Italiæ sublimibus oppida muris,
Adventu sacrata tuo: submissus adorat
Eridanus, blandosque iubet mitescere fluctus;
Et, Phaethonteas solitæ deflere ruinas,
Roscida frondosæ revocant electra sorores.
Quanti tum iuvenes, quantæ sprevere pudorem
Spectandi studio matres, puerisque severi
Certavere senes, cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus!
Quis non Luciferum roseo cum Sole videri
Credidit, aut iunctum Bromio radiare Tonantem?
Floret cristatis exercitus undique turmis,
Quisque sua te voce canens: præstringit ahena
Lux oculos, nudique seges Mavortia ferri
Ingeminat splendore diem; pars nobilis arcu,
Pars longe iaculis, pars cominus horrida contis.
Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant; multusque tumet per nubila serpens
Iratus, stimulante Noto, vivitque receptis
Flatibus, et vario mentitur sibila tractu.
Ut ventum ad sedes; cunctos discedere tectis
Dux iubet, et generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilichon, cuius mihi robur in armis,
Pace probata fides: quid enim per prælia gessi
Te sine? quem merui, te non sudante, triumphum?
Odrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine: Sarmaticas pariter prostravimus alas?
Rhipæasque simul fessos porreximus artus
In glacie, stantemque rota sulcavimus Istrum.
Ergo age, (me quoniam cœlestis regia poscit)
Tu curis succede meis: tu pignora solus
Nostra fova: geminos dextra tu protege fratres.
Per consanguineos thalamos, noctemque beatam,
Per tædas, quas ipsa tuo regina levavit
Coniugio, sociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem: crescentes dilige fœtus,
Ut ducis, ut soceri. Iamiam securus, ad astra,
Te custode, ferar. Rupta si mole Typhoeus
Vinclis prosiliat, Tityos si membra resolvat,
Si furor Enceladi proiecta mugiat Ætna,
Opposito Stilichone cadant: nec plura locutus,
Sicut erat, liquido signavit tramite nubes,
Ingrediturque globum Lunæ, limenque reliquit
Arcados, et Veneris clementes advolat auras.
Hinc Phœbi permensus iter, flammamque nocentem
Gradivi, placidumque Iovem, stetit arce suprema,
Algenti qua zona riget Saturnia tractu.
Machina laxatur cœli, rutilæque patescunt
Sponte fores: Arctoa parat convexa Bootes:
Australes reserat portas succinctus Orion:
Invitantque novum sidus, pendentque vicissim,
Quas partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur stellis, aut qua regione moveri.
O decus ætherium, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
Excipit, et notis Hispania proluit undis.
Fortunate parens, primos cum detegis ortus,
Aspicis Arcadium: cum te proclivior urges,
Occiduum visus remoratur Honorius ignem.
Et quocumque vagos flectas sub cardine cursus,
Natorum per regna venis, qui mente serena,
Maturoque regunt victas moderamine gentes;
Sæcula qui rursus formant meliore metallo.
Luget Avarities Stygiis innexa catenis;
Cumque suo demens expellitur Ambitus auro.
Non dominantur opes: non corrumpentia sensus
Dona valent: emitur sola virtute potestas.
Unanimi fratres, quorum mare terraque fatis
Debentur, quodcumque manus evasit avitas,
Quod superest patri: vobis iam Mulciber arma
Præparat, et Sicula Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exasperat ægida signis;
Altum fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes; nectit thoraca Pyracmon;
Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.
Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos, qui summa freti per cœrula possint
Ferre viam, segetemque levi percurrere motu;
Nesciat ut spumas, nec proterat ungula culmos.

Iam video Babylona rapi, Parthumque coactum
Non ficta trepidare fuga; iam Bactra teneri
Legibus, et famulis Gangen pallescere ripis,
Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus.
Ite per extremum Tanain, pigrosque Triones:
Ite per ardentem Libyam: superate vapores
Solis, et arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas.
Vestri iuris erit, quidquid complectitur axis.
Vobis Rubra dabunt pretiosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

DE IV. CONSULATU HONORII AUGUSTI

Panegyris

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, et nota fruitur iactantior aula.
Limina nec passi circum privata morari,
Exultant reduces, Augusto consule, fasces.
Cernis, ut armorum proceres, legumque potentes,
Patricios sumunt habitus, et more Gabino
Discolor incedit legio, positisque parumper
Bellorum signis, sequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, ridetque togatus
Miles, et in mediis affulget curia castris?
Ipsa Palatino circumvallata senatu,
Iam trabeam Bellona gerit, parmamque removit,
Et galeam, sacras humeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures
Pacata gestare manu, Latiaque micantem
Loricam mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, et Eridani ludunt per prata iugales.
Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti,
Ulpia progenies, et, quæ diademata mundo
Sparsit, Ibera domus: nec tantæ vilior unda
Promeruit gentis seriem: cunabula fovit
Oceanus: terræ dominos pelagique futuros
Immenso decuit rerum de principe nasci.
Hinc processit avus: cui post Arctoa frementi
Classica, Massylas annexuit Africa lauros.
Ille, Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medios Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Litoris, ac pariter Boreæ vastator et Austri.
Quid rigor æternus cœli, quid sidera prosunt,
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades: incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.
Quid calor obsistit forti? per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitque novis Atlanta maniplis.
Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis
Gorgonis vidit thalamos; et vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula ramos.
Arx incensa Iubæ: rabies Maurusia ferro
Cessit: et antiqui penetralia diruta Bocchi.
Sed laudes genitor longe transgressus avitas,
Subdidit Oceanum sceptris, et margine cœli
Clausit opes: quantum distant a Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita tropæis:
Non generis dono, non ambitione potitus.
Digna legi virtus: ultro se purpura supplex
Obtulit, et solus meruit regnare rogatus.
Nam, cum barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, et, mixto turbine gentis,
Iam deserta suas in nos transfunderet Arctos,
Danubii totæ vomerent cum prælia ripæ,
Cum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris,
Flavaque Bistonios operirent agmina campos;
Omnibus afflictis, et vel labentibus ictu,
Vel prope casuris, unus tot funera contra
Restitit, extinxitque faces, agrisque colonos
Reddidit, et lati rapuit de faucibus urbes.
Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus iamiam ruitura subisset
Pondera, turbatamque ratem; certaque levasset
Naufragium commune manu. Velut, ordine rupto,
Cum procul insanæ traherent Phaethonta quadrigæ,
Sæviretque dies, terramque et stagna propinqui
Haurirent radii, solito cum murmure torvis
Sol occurrit equis; qui postquam rursus heriles
Agnovere sonos; rediit meliore magistro
Machina, concentusque poli, currusque recepit
Imperium, flammæque modum: sic traditus illi,
Servatusque Oriens: at non pars altera rerum
Tradita, bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni
Tractibus occiduis: hunc sæva Britannia fudit;
Hunc sibi Germanus famulum delegerat exul;
Ausus uterque nefas, domini respersus uterque
Insontis iugulo: novitas audere priori
Suadebat, cautumque dabant exempla sequentem.
Hic nova moliri præceps; hic quærere tuta
Providus: hic fusis, collectis viribus ille:
Hic vagus, excurrens; hic intra claustra reductus.
Dissimiles; sed morte pares: evadere neutri
Dedecus, aut mixtis licuit procumbere telis.
Amissa specie, raptis insignibus, ambo
In vultus rediere suos: manibusque revinctis
Oblati gladiis submittunt colla paratis:
Et vitam veniamque rogant: pro damna pudoris!
Qui modo tam densas nutu movere cohortes,
In quos iam dubius sese libraverat orbis,
Non hostes victore cadunt, sed iudice sontes.
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.
Amborum periere duces: hic sponte carina
Decidit in fluctus; illum sua abstulit ensis.
Hunc Alpes, hunc pontus habet. Solatia cæsis
Fratribus hæc ultor tribuit: necis auctor uterque
Labitur: Augustas par victima mitigat umbras.
Has dedit inferias tumulis, iuvenumque duorum
Purpureos merito placavit sanguine Manes.
Illi iustitiam confirmavere triumphi:
Præsentes docuere Deos. Hinc secula discant,
Indomitum nihil esse pio, tutumve nocenti.
Nuntius ipse sui, longas incognitus egit,
Prævento rumore, vias: inopinus utrumque
Perculit, et clausos montes, ut plana, reliquit.
Extruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite silvas:
Garganum Alpinis, Apenninumque nivalem
Permixtis sociate iugis, et rupibus Hæmum
Addite Caucaseis, involvite Pelion Ossæ:
Non dabitis murum sceleri: qui vindicet, ibit.
Omnia subsident, meliori pervia causæ.
Nec tamen, oblitus civem, cedentibus atrox
Partibus infremuit: non insultare iacenti
Malebat: mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: paci non intulit iram.
Post acies, odiis idem, qui terminus armis.
Profuit hoc vincente capi; multosque subactos
Prospera laturæ commendavere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum;
Pronus, et in melius gaudens convertere fata.
Hinc amor, hinc validum, devoto milite, robur.
Hinc natis mansura fides: hoc nobilis ortu
Nasceris, æqueva cum maiestate creatus,
Nullaque privatæ passus contagia sortis.

Omnibus acceptis, ultro te regia solum
Protulit, et patrio felix adolescis in ostro;
Membraque, vestitu nunquam temerata profano,
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
Auriferis eduxit aquis: te gaudet alumno
Bosporus. Hesperio de limine surgit origo:
Sed nutrix Aurora tibi: pro pignore tanto
Certatur: geminus te civem vindicat axis.
Herculis at Bromii sustentat gloria Thebas:
Hæsit Apollineo Delos Latonia partu:
Cretaque se iactat tenero reptata Tonanti;
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris,
Quæ dedit hoc Numen regio: non litora nostro
Sufficerent augusta Deo; nec inhospita Cynthi
Saxa tuos artus duro læsere cubili.
Acclinis genetrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros; ululata verendis
Aula puerperiis; quæ tunc documenta futuri?
Quæ voces avium, quanti per inane volatus?
Quis vatum discursus erat? tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere silentia Delphi.
Te Persæ cecinere Magi; te sensit Etruscus
Augur, et inspectis Babylonius horruit astris.
Chaldæi stupuere senes; Cumanaque rursus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustravit Corybas; exercitus undique fulgens
Astitit: ambitur signis augustior infans.
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituis. Vitam tibi contulit idem
Imperiumque dies; inter cunabula consul
Proveheris: signas, posito modo nomine, fastos;
Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.
Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu
Mater, et ad primas docuit reptare curules.
Uberibus sanctis, immortalique Dearum
Crescis adoratus gremio: tibi sæpe Diana
Mænalios arcus venatricesque pharetras
Suspendit, puerile decus: tu sæpe Minervæ
Lusisti clypeo, fulvamque impune pererrans
Ægida, tractasti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam, iam tum gaudente marito,
Velavit regina comas, festinaque voti
Præsumtum diadema dedit: tum lenibus ulnis
Sustulit, et magno porrexit ad oscula patri.
Nec dilatus honos: mutatus Principe Cæsar,
Protinus æquaris fratri: nec certius unquam
Hortati Superi: nullis præsentior æther
Affuit ominibus: tenebris involverat atra
Lumen hiems, densosque Notus collegarat imbres.
Sed mox, cum solita miles te voce levasset,
Nubila dissolvit Phœbus: pariterque dabantur
Sceptra tibi, mundoque dies: caligine liber,
Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni.
Nec tantum vicinæ nitent: sed tota repulsis
Nubibus exuitur Thrace: Pangæa renident,
Insuetosque palus radios Mæotia vibrat.
Nec Boreas nimbos, aut Sol ardentior egit:
Imperii lux illa fuit: præsagus obibat
Cuncta nitor: risitque tuo Natura sereno.
Visa etiam medio, populis mirantibus, audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes.
Emicuitque plagis alieni temporis hospes
Ignis, et agnosci potuit, cum Luna lateret.
Sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit
Divi sidus avi; seu, te properantibus astris
Cernere, Sol patiens cœlum commune remisit.
Apparet, quid signa ferant: ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice fatalis redimiret tempora candor.
At tua cœlestes illustrant omina flammæ.
Talis ab Idæis primævus Iupiter antris
Possessi stetit arce poli, famuloque recepit,
Natura tradente, Deos. Lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ: tum scindere nubes
Discebat, fulmenque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natisque superbus
Iam paribus, duplici fultus consorte redibat,
Splendebatque pio complexus pignora curru.
Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,
Progenies Ledæa, sedent: in utroque relucent
Frater, utroque soror: simili chlamys effluit auro:
Stellati pariter crines: iuvat ipse Tonantem
Error, et ambiguæ placet ignorantia matri.
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.
Ut domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum stabili fertur ditione locutus:
Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset,
Care puer, terrisque procul venerandus Eois,
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras;
Sufficeret sublime genus, luxuque fluentem
Deside nobilitas posset te sola tueri.
Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
Conditio: virtute decet, non sanguine niti.
Maior et utilior fato coniuncta potenti,
Vile latens, virtus: quid enim submersa tenebris
Proderit obscuro? velati sine remige puppis;
Vel lyra, quæ reticet; vel, qui non tenditur, arcus.
Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
Semet, et incertos animi placaverit æstus,
Inveniet: longis illuc ambagibus itur.
Disce orbi, quod quisque sibi, cum conderet artus
Nostros, ætheriis miscens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo,
Continuit claustris, indignantemque revinxit.
Et, cum non aliter possent mortalia fingi,
Adiunxit geminas: illæ, cum corpore lapsæ,
Intereunt: hæc sola manet, bustoque superstes
Evolat: hanc alta capitis fundavit in arce,
Mandatricem operum, prospecturamque labori.
Illas inferius collo, præceptaque summæ
Passuras dominæ, digna statione locavit.
Quippe opifex, veritus confundere sacra profanis,
Distribuit partes animæ, sedesque removit.
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,
Præcipitemque sui. Rabie succensa tumescit:
Contrahitur [tepefacta] metu: cumque omnia secum
Duceret, et requiem membris vesana negaret;
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura Cupido,
In iecur et tractus imos compulsa recessit.
Quæ, velut immanes reserat dum bellua rictus,
Expleri pascique nequit: nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum:
Nunc gaudet; nunc mœsta dolet, satiataque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius Hydra.
Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,
Inconcussa dabit puræ sacraria menti.
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si prave cupis, si duceris ira,
Servitii patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,

Cum poteris rex esse tibi: proclivior usus
In peiora datur: suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favet: tum vivere caste
Asperius, cum prompta Venus: tum durius iræ
Consulitur, cum pœna patet: sed comprime motus;
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat: mentemque domet respectus honesti.
Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in ore
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam; nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis: nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, et abstrusos explorat fama recessus.
Sis pius in primis: nam, cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorumve avidus: qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quam tutatur amor: non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Nonne vides, operum quo se pulcherrimus ille
Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
Conspirent elementa sibi? quod limite Phœbus
Contentus medio, contentus litore pontus?
Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens, oneri nec cesserit aer?
Qui terret, plus ipse timet; sors ista tyrannis
Convenit: invideant claris, fortesque trucident;
Muniti vivant gladiis, septique venenis;
Ancipites habeant arces, trepidique minentur:
Tu civem patremque geras: tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica vota.
In commune iubes si quid, censesve tenendum
Primus iussa subi: tunc observantior æqui
Fit populus; nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
His tamen effectis; neu fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines:
Inquinat egregios adiuncta superbia mores.
Non tibi tradidimus dociles servire Sabæos;
Armeniæ dominum non te præfecimus oræ;
Non damus Assyriam, tenuit quam fœmina, gentem.
Romani, qui cuncta diu rexere, regendi:
Qui nec Tarquinii fastus, nec iura tulere
Cæsaris, annales veterum delicta loquuntur.
Hærebunt maculæ. Quis non per sæcula damnet
Cæsareæ portenta domus? quem dira Neronis
Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit,
Incesto possessa seni? Victura feretur
Gloria Traiani; non tam quod, Tigride victo,
Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quod invectus fractis Capitolia Dacis;
Quam patriæ quod mitis erat: ne desine tales,
Nate, sequi: si bella tonant, prius agmina duris
Exerce studiis; et sævo præstrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula segnes
Enervent torpore manus. Ponenda salubri
Castra loco: præbenda vigil custodia vallo.
Disce, ubi denseri cuneos, ubi cornua tendi
Æquius, aut iterum flecti, quæ montibus aptæ,
Quæ campis acies, quæ fraudi accommoda vallis:
Quæ via difficilis. Fidit si mœnibus hostis,
Tum tibi muralis libretur machina pulsu,
Saxa rotet præceps aries, protectaque portas
Testudo feriat: ruat emersura iuventus
Effossi per operta soli: si longa moretur
Obsidio; tum vota cave secura remittas,
Inclusumve putes: multis damnosa fuere
Gaudia: dispersi pereunt, somnove soluti.
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis; neve imbelles ad signa maniplos
Luxuries armata trahat: neu flantibus Austris
Neu pluviis cedas; neu, defensura calorem,
Aurea submoveant rapidos umbracula soles.
Inventis utare cibis: solabere partes
Æquali sudore tuas: si collis iniquus,
Primus ini; silvam si cædere provocat usus,
Sumta ne pudeat quercum stravisse bipenni.
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes; fluvios tu protere cursu
Hærentes glacie; liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te consere turmas;
Nunc pedes assistas pediti: tum promtius ibunt,
Te socio: tum conspicuus gratusque feretur,
Sub te teste labor. Dictarum plura parentem
Voce subis: Equidem, faveant modo Numina coeptis,
Hæc effecta dabo: nec me fratrique tibique
Dissimilem populi commissaque regna videbunt.
Sed cur non potius, verbis quæ disseris, usu
Experior? gelidas certe nunc tendis in Alpes:
Duc tecum comitem: figant sine nostra tyrannum
Spicula: pallescat nostro sine barbarus arcu.
Italiamne feram furiis prædonis acerbi
Subiectam? patiar Romam servire clienti?
Usque adeone puer? nec me polluta potestas,
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?
Per strages equitare libet: da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
Verteret, et patri non degeneraret Achilli.
Denique si princeps castris hærere nequibo,
Vel miles veniam. Delibat dulcia nati
Oscula, miratusque refert: Laudanda petisti:
Sed festinus amor: veniet robustior ætas:
Ne propera: necdum decimas emensus aristas,
Aggrederis metuenda viris: vestigia magnæ
Indolis agnosco: fertur Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, cum prospera sæpe Philippi
Audiret, lætos inter flevisse sodales,
Nil sibi vincendum patris virtute relinqui.
Hos video motus: fas sit promittere patri:
Tantus eris: nostro nec debes regna favori,
Quæ tibi iam Natura dedit: sic mollibus olim
Stridula ductorum pratis examina regem
Nascentem venerantur apes, et publica mellis
Iura petunt, traduntque favos: sic pascua parvus
Vindicat, et, necdum firmatis cornibus, audax
Iam regit armentum vitulus: sed prælia differ
In iuvenem; patiensque meum cum fratre tuere,
Me bellante, locum: vos impacatus Araxes,
Vos celer Euphrates timeat: sit Nilus ubique
Vester, et amisso quidquid Sol imbuit ortu.
Si pateant Alpes, habeat si causa secundos
Iustior eventus, aderis, partesque receptas
Suscipies; animosa tuas ut Gallia leges
Audiat, et nostros æquus modereris Iberos.
Tunc ego, securus fati, lætusque laborum,
Discedam, vobis utrumque regentibus axem.
Interea Musis, animus dum mollior, instes:
Et, quæ mox imitere, legas; nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces: assuesce futuræ

Militiæ: Latium retro te confer in ævum:
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Meti satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despue mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius; quid rebus in arctis
Dura gerat, ostendat Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc nullos meritis obsistere casus:
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule; successus superant adversa Catonis.
Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit:
Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis;
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra:
Lustratæ lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixi: collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.
Hæc genitor præcepta dabat: velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem sæpe procellis
Exploravit hiems, ponto iam fessus et annis,
Æquoreas alui nato commendat habenas,
Et casus artesque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus possint moderamine falli;
Quæ nota nimborum; quæ fraus infida sereni;
Quid Sol occiduus prodat; quo saucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.
Aspice nunc, quacumq; micas, seu circulus Austri,
Magne parens, seu te gelidi meruere Triones;
Aspice: completur votum: iam natus adæquat
Te meritis, et, quod magis est optabile, vincit,
Subnixus Stilichone tuo; quem fratribus ipse
Discedens clypeum defensoremque dedisti.
Pro nobis nihil ille pati, nullumque recusat
Discrimen tentare sui: non dura viarum,
Non incerta maris. Libyæ squalentis arenas
Audebit superare pedes, madidaque cadente
Pliade, Gætulas intrabit navita Syrtes.
Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare iubes: volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes,
Pergit, et hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos humili reges cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sycambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo. Iuratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.
Bastarnæ venere truces; venit accola silvæ
Bructerus Hercyniæ: latisque paludibus exit
Cymbrus, et ingentes Albin liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
Annuit; et magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus emta.
Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter. Post otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas:
Ionium tegitur velis, ventique laborant
Tot curvare sinus: servaturasque Corinthum
Prosequitur facili Neptunus gurgite classes.
Et puer Isthmiaci iam pridem litoris exul,
Secura repetit portus cum matre, Palæmon.
Plaustra cruore natant: metitur pellita iuventus.
Pars morbo, pars ense perit. Non lustra Lycei,
Non Erymanthei iam copia sufficit umbræ,
Innumeris exusta rogis: nudataque ferro
Sic flagrasse suas lætantur Mænala silvas.
Excutiat cineres Ephyre; Spartanus et Arcas
Tutior exangues pedibus proculcet acervos.
Fessaque pensatis respiret Græcia pœnis:
Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones
Incoluit, cui parvus Athos, angustaque Thrace,
Cum transiret, erat: per te, viresque tuorum
Fracta ducum; lugetque sibi iam rara superstes.
Et, quorum turbæ spatium vix præbuit orbis,
Uno colle latent: sitiens, inclusaque vallo,
Ereptas quæsivit aquas, quas, hostibus ante
Irriguas, alio Stilichon deflexerat ictu;
Mirantemque novas ignota per avia valles,
Iusserat averso fluvium migrare meatu.
Obvia quid mirum vinci, cum barbarus ultro
Iam cupiat servire tibi? Tua Sarmata discors
Sacramenta petit: proiecta pelle, Gelonus
Militat. in Latios ritus transistis Alani.
Ut fortes in Marte viros, animisque paratos,
Sic iustos in pace legis, longumque tueris
Electos: crebris nec succedentibus urges.
Iudicibus notis regimur, fruimurque quietis
Militiæque bonis; ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numa. Non imminet ensis:
Nullæ nobilium cædes: non crimina vulgo
Texuntur: patria mœstus non traditur exul,
Impia continui cessant augmenta tributi:
Non infelices tabulæ, non hasta refixas
Vendit opes: avida sector non voce citatur:
Nec tua privatis crescunt æraria damnis:
Munificus largi, sed non et prodigus, auri.
Perdurat non emta fides: nec pectora merces
Alligat: ipsa suo pro pignore castra laborant.
Te miles nutritor amat: quæ denique Romæ
Cura tibi! quam fixa manet reverentia Patrum!
Firmatur senium iuris, priscamque resumunt
Canitiem leges; emendanturque vetustæ,
Accedruntque novæ. Talem sensere Solonem
Res Pandioniæ: sic armipotens Lacedæmon
Despexit muros, rigido munita Lycurgo.
Quæ sub te vel causa brevis, vel iudicis error,
Negligitur? dubiis quis litibus addere finem
Iustior, et mersum latebris educere verum?
Quæ pietas, quantusque rigor, tranquillaque magni
Vis animi, nulloque levis terrore moveri;
Nec nova mirari facilis! quam docta facultas
Ingenii, linguæque modus! Responsa verentur
Legati, gravibusque latet sub moribus ætas.
Quantus in ore pater! radiat quam torva voluptas
Frontis, et Augusti maiestas grata pudoris!
Iam patrias imples galeas: iam cornus avita
Tentatur vibranda tibi: promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanaque vota moratur.
Quis decor, incedis quoties clypeatus, et auro
Squameus, et rutilus cristis, et casside maior!
Sic, cum Threicia primum sudaret in hasta,
Flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.
Quæ vires iaculis! vel, cum Gortynia tendis
Spicula, quam felix arcus, certique petitor
Vulneris, et iussum mentiri nescius ictum!
Scis, quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas
Armenius; refugo quæ sit fiducia Partho.
Sic, Amphioniæ pulcher sudore palæstræ,
Alcides pharetras, Dircæaque tela solebat
Prætentare feris, olim domitura Gigantas,
Et pacem latura polo: semperque cruentus
Ibat, et Alcmenæ prædam referebat ovanti.
Cœruleus tali prostratus Apolline Python

Implicenit fractis moritura volumina silvis.
Cum vectaris equo, simulacraque Martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum
Acrior, aut subitos melior flexisse recursus?
Non te Massagetæ, non gens exercita campo
Thessala, non ipsi poterunt æquare bimembres.
Vix comites alæ, vix te suspensa sequuntur
Agmina: ferventesque tument post terga dracones.
Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit,
Ignescunt patulæ nares; non sentit arenas
Ungula; discussæque iubæ sparguntur in armos.
Turbantur phaleræ; spumosis morsibus aurum
Fumat; anhelantes exudant sanguine gemmæ.
Ipse labor pulvisque decent, confusaque motu
Cæsaries: vestis radiato murice solem
Combibit: ingesto crispatur purpura vento.
Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera, Nereidum stabulis nutritus, Arion;
Serviretque tuis, contemto Castore, frenis
Cyllarus, et flavum Xanthus sprevisset Achillem.
Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas,
Portaretque libens; melioraque pondera passus,
Bellerophonteas indignaretur habenas.
Quin etiam velox Auroræ nuntius Æthon,
Qui fugat hinnitu stellas, roseoque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernit ab astris,
Invidet, inque tuis mavult spumare lupatis.
Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Ausonio cum iam succinctus amictu
Per Ligurum populos solito conspectior ires,
Atque inter niveas alte veherere cohortes;
Obnixisque simul pubes electa lacertis
Sidereum gestaret onus! Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet: penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem: sed plurimus infra
Liniger et posita suspirat veste sacerdos,
Testatus sudore Deum: Nilotica sistris
Ripa sonat, Phariosque modos Ægyptia ducit
Tibia: submissis admugit cornibus Apis.
Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentant
Thybridis et Latii soboles: convenit in unum
Quidquid in orbe fuit procerum; quibus auctor honoris
Vel tu, vel genitor: numeroso consule consul
Cingeris, et socios gaudes admittere Patres.
Illustri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus, et toto stipavit Roma senatu.
Portatur iuvenum cervicibus aurea sedes,
Ornatuque novo gravior Deus: asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent: amethystus inest; et fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali suffecit gratia texto:
Auget acus meritum; picturatumque metallis
Vivit opus, multaque ornantur iaspide cultus,
Et variis spirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitiosa colus? vel cuius pectinis arte
Traxerunt solidæ gemmarum stamina telæ?
Invia quis calidi scrutatus stagna profundi
Tethyos invasit gremium? quis divitis algæ
Germina flagrantes inter quæsivit arenas?
Quis iunxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonii Rubrique maris? tribuere colorem
Phœnices, Seres subtemina, pondus Hydaspes.
Hoc si Mæonias cinctu graderere per urbes,
In te pampineos transferret Lydia thyrsos,
In te Nysa choros: dubitarent orgia Bacchi,
Cui furerent: irent blandæ sub vincula tigres.
Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, et Caspia flectit eburnis
Colla iugis: Satyri circum, crinemque solutæ
Mænades, adstringunt hederis victricibus Indos:
Ebrius hostili velatur palmite Ganges.
Auspice mox lætum sonuit clamore tribunal,
Te fastos ineunte quater: sollennia ludit
Omina Libertas: deductum Vindice morem
Lex celebrat; famulusque iugo laxatus herili
Ducitur, et grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit.
In civem rubuere genæ; tergoque removit
Verbera permissi felix iniuria voti.
Prospera Romuleis sperantur tempora rebus,
In nomen ventura tuum: permissa futuris
Dant exempla fidem: quoties te curribus avi
Præfecit, toties accessit laurea patri.
Ausi Danubium quondam tranare Gruthungi
In lintres fregere nemus: ter mille ruebant
Per fluvium plenæ cuneis immanibus alni:
Dux Odothæus erat: tantæ conamina classis
Incipiens ætas et primus contudit annus.
Submersæ sedere rates: fluitantia nunquam
Largius Arctoos pavere cadavera pisces.
Corporibus premitur Peuce: per quinque recurrens
Ostia, barbaricos vix egerat unda cruores.
Confessusque parens Odothæi regis opima
Retulit exuviasque tibi: civile secundis
Conficis auspiciis bellum: tibi debeat orbis
Fata Gruthungorum, debellatumque tyrannum.
Ister sanguineos egit, te consule, fluctus.
Sed patriis olim fueras successibus auctor,
Nunc eris ipse tuis: semper venere triumphi
Cum trabeis, sequiturque tuos Victoria fasces.
Sis, precor, assiduus consul, Mariique relinquas,
Et senis Augusti, numerum. Quæ gaudia mundo,
Per tua lanugo cum serpere cœperit ora,
Cum tibi prodiderit festas nox pronuba tædas!
Quæ tali devota toro, quæ murice fulgens
Ibit in amplexus tanti regina mariti?
Quænam tot Divis veniet nurus, omnibus arvis
Et toto dotanda mari? quantusque feretur
Idem per Zephyri metas Hymenæus et Euri!
O mihi si liceat thalamis intendere carmen
Connubiale tuis, si te iam dicere patrem!
Tempus erit, cum tu trans Rheni cornua victor,
Arcadius captæ spoliis Babylonos onustus,
Communem maiore toga signabitis annum,
Crinitusque tuo sudabit fasce Suevus:
Ultima fraternas horrebunt Bactra secures.

EPITHALAMII IN NUPTIAS
Honorii Augusti et Mariae.

PRÆFATIO

Surgeret in thalamum ducto cum Pelion ære,
  Nec caperet tantos hospita terra Deos;
Cum socer æquoreus, numerosaque turba sororum,
  Certarent epulis continuare dies;
Præberetque Iovi communia pocula Chiron,
  Molliter obliqua parte refusus equi;
Peneus gelidos mutaret nectare fontes,
  Œtæis fluerent spumea vina iugis;
Terpsichore facilem lascivo pollice movit
  Barbiton, et molles duxit in antra choros.
Carmina nec Superis, nec displicuere Tonanti
  Cum teneris nussent congrua vota modis.
Centauri Faunique negant: quæ flectere Rhœton,
  Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum?

Septima lux aderat cœlo; totiesque renato
Viderat exactos Hesperus igne choros.
Tum Phœbus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentavit nobiliore lyram.
Venturumque sacris fidibus iam spondet Achillem:
Iam Phrygias cædes, iam Simoenta canit.
Frondoso strepuit felix Hymenæus Olympo:
Reginam resonant Othrys et Ossa Thetin.

EPITHALAMIUM

Honorii Augusti et Mariae.

Hauserat insolitos promissæ virginis ignes
Augustus, pronoque rudis flagraverat æstu.
Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent,
Noverat incipiens, et adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non spicula curæ:
Non iaculum torquere libet; mens omnis aberrat
In vultus, quos finxit Amor: quam sæpe medullis
Erupit gemitus! quoties incanduit ore
Confessus secreta, rubor; nomenque beatum
Iniussæ scripsere manus! Iam munera nuptæ
Præparat, et pulchros, Mariæ sed luce minores,
Eligit ornatus; quidquid venerabilis olim
Livia, Divorumque nurus gessere superbæ.
Incusat spes ægra moras; longique videntur
Stare dies, segnemque rotam non flectere Phœbe.
Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem,
Fraudis adhuc expers: bellatricesque docebat
Ducere fila manus, at, mox quos horruit Ide,
Thessalicos roseo pectebat pollice crines.
Hæc etiam queritur secum: Quonam usque verendus
Cunctatur mea vota socer? quid iungere differt,
Quam pepigit, castasque preces implere recusat?
Non ego, luxuriem regum moremque secutus,
Quæsivi vultum tabulis; ut nuntia formæ,
Lena per innumeros iret pictura penates;
Nec, variis dubium thalamis lecturus amorem,
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.
Non rapio præceps alienæ fœdera tedæ,
Sed, quæ sponsa mihi pridem, patriisque relicta
Mandatis, uno materni sanguinis ortu
Communem partitur avum. Fastigia supplex
Deposui, gessique procum: de limine sacro
Oratum misi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent. Fateor, Stilichon, non parva poposci;
Sed certe merear princeps, hoc principe natus,
Qui sibi te generum fraterna prole revinxit,
Cui Mariam debes: fœnus mihi solve paternum:
Redde suos aulæ: mater fortasse rogari
Mollior. O patrui germen, cui nominis hæres
Successi, sublime decus torrentis Iberi.
Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans,
Inque tuo crevi gremio; partuque remoto,
Tu potius Flaccilla mihi. Quid dividis ergo
Pignora? quid iuveni natam non tradis alumno?
Optatusne dies aderit? dabiturne iugalis
Nox unquam? Tali solatur vulnera questu.
Risit Amor, placidæque volat trans æquora Matri
Nuntius, et totas iactantior explicat alas.
Mons latus Ionium Cypri præruptus obumbrat,
Invius humano gressu, Phariumque cubile
Proteos, et septem despectat cornua Nili.
Hunc neque canentes audent vestire pruinæ;
Hunc venti pulsare timent, hunc lædere nimbi.
Luxuriæ Venerique vacat: pars acrior anni
Exulat: æterni patet indulgentia veris.
In campum se fundit apex: hunc aurea sepes
Circuit, et fulvo defendit prata metallo.
Mulciber, ut perhibent, his oscula coniugis emit
Mœnibus, at tales uxorius obtulit arces.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono:
Umbrosumque nemus, quo non admittitur ales,
Ni probet ante suos Diva sub iudice cantus.
Quæ placuit, fruitur ramis; quæ victa, recedit.
Vivunt in Venerem frondes; omnisque vicissim
Felix arbor amat: nutant ad mutua palmæ
Fœdera: populeo suspirat populus ictu;
Et platani platanis, alnoque assibilat alnus.
Labuntur gemini fontes: hic dulcis, amarus
Alter, et infusis corrumpit mella venenis,
Unde Cupidineas armavit fama sagittas.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt: illum Venus aurea solum
Edidit: ille Deos cœlumque et sidera cornu
Temperat, et summos dignatur figere reges:
Hi plebem feriunt: nec cætera numina desunt.
Hic habitat nullo constricta Licentia nodo;
Et flecti faciles Iræ, vinoque madentes
Excubiæ, Lacrymæque rudes, et gratus amantum
Pallor, at in primis titubans Audacia furtis,
Iucundique Metus, et non secura Voluptas;
Et lasciva volant levibus Periuria pennis.
Quos inter petulans alta cervice Iuventas
Excludit Senium luco. Procul atria Divæ
Permutant radios, silvaque obstante virescunt.
Lemnius hæc etiam gemmis extruxit et auro,
Admiscens artem pretio, trabibusque smaragdis
Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, et iaspide lubrica surgunt
Limina: despectusque solo calcatur achates.
In medio glebis redolentibus area dives
Præbet odoratas messes; hic mitis amomi,
Hic casiæ matura seges, Panchæaque turgent
Cinnama; nec sicca frondescunt vimina costo,
Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno.
Quo postquam dilapsus Amor, longasque peregit
Penna vias; alacer, passuque superbior intrat.
Cæsariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio: dextra lævaque sorores
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat: hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat: sed tertia retro
Dat varios nexus, et iusto dividit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens.
Plus error decuit: speculi nec vultus egebat
Iudicio: similis tecto monstratur in omni,
Et rapitur, quocumque videt. Dum singula cernit,
Seque probat, nati venientis conspicit umbram;
Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem,
Quid tantum gavisus? ait: quæ prælia sudas,
Improbe? quis iacuit telis? iterumne Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire iuvencas?
An Titana domas? an pastoralia Lunam
Rursus in antra vocas? durum magnumque videris
Debellasse Deum: suspensus in oscula matris
Ille refert: Lætare, parens: immane tropæum
Retulimus: nostrum iam sentit Honorius arcum.
Scis Mariam, patremque ducem, qui cuspide Gallos
Italiamque fovet; nec te præclara Serenæ
Fama latet: propera: regalibus annue votis.
Iunge toros: gremio natum Cytherea removit;
Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Allevat, et blando spirantem numine cestum
Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit.

Ut stetit ad litus, parvos affatur alumnos:
Ecquis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
Deferar? haud unquam tanto mihi venerit usu.
Sacri, quos petimus, thalami: perniciùs omnes
Quærite, seu concha Libycum circumtonat æquor,
Ægæas seu frangit aquas. Quicumque repertum
Duxerit, aurata donabitur ille pharetra.
Dixerat; at sparsa diversi plebe feruntur
Exploratores. Pelagi sub fluctibus ibat
Carpathii Triton, obluctantemque petebat
Cymothoen: timet illa ferum, seseque sequenti
Surripit, et duris elabitur uda lacertis.
Heus! inquit speculatus Amor; non vestra sub imis
Furta tegi potuere vadis. Accingere, nostram
Vecturus dominam; pretium non vile laboris
Cymothoen facilem, quæ nunc detrectat, habebis.
Hac mercede veni: prorupit gurgite torvus
Semifer: undosi verrebant brachia crines,
Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Qua pristis commissa viro: ter pectora movit.
Iam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.
Umbratura Deam retro sinuatur in arcum
Bellua: tum vivo squalentia murice terga
Purpureis mollita rosis: hoc navigat ostro
Fulta Venus: niveæ delibant æquora plantæ.
Prosequitur volucrum late comitatus Amorum;
Tranquillumque choris quatitur mare: serta per omnem
Neptuni dispersa domum. Cadmeia ludit
Leucothoe, frenatque rosis delphina Palæmon;
Alternas violis Nereus interserit algas:
Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
Necnon et variis vectæ Nereides ibant,
Audito rumore, feris: hanc, pisce volutam,
Sublevat, Oceani monstrum, Tartessia tigris:
Hanc timor Ægæi, rupturus fronte carinas,
Trux aries: hæc cæruleæ suspensa leænæ
Innatat: hæc viridem trahitur complexa iuvencum.
Certatimque novis onerant connubia donis.
Cingula Cymothoe, rarum Galatea monile,
Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat
Intextum, Rubro quas legerat ipsa profundo.
Mergit se subito, vellitque corallia Doto.
Vimen erat, dum stagna subit: processerat undis:
Gemma fuit: nudæ Venerem cinxere catervæ;
Plaudentesque simul tali cum voce sequuntur:
Hos Mariæ cultus, hæc munera nostra, precamur,
Reginæ regina feras. Dic talia nunquam
Promeruisse Thetin, nec cum soror Amphitrite
Nostro nupta Iovi: devotum sentiat æquor;
Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.
[Victricis nos spem patriæ, classemque paternam
Veximus, ad tristes cum tenderet ultor Achivos.]
Iam Ligurum terris spumantis pectora Triton
Appulerat, lassosque fretis extenderat orbes.
Continuo, sublime volans, ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri suis ostentantia pellem,
Pervenit: adventu Veneris spissata recedunt
Nubila: clarescunt puris Aquilonibus Alpes.
Lætitiæ causas ignorat dicere miles;
Lætaturque tamen. Mavortia signa rubescunt
Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ.
Illa suum dictis affatur talibus agmen:
Gradivum, nostræ comites, arcete parumper;
Ut soli vacet aula mihi. Procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces.
Stent bellatrices aquilæ, sævique dracones.
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
Tibia pro lituis, et, pro clangore tubarum,
Molle lyræ festumque canant. Epulentur ad ipsas
Excubias: mediis spirent crateres in armis.
Laxet terribiles maiestas regia fastus:
Et, sociam plebem non indignata, potestas
Confundat turbæ proceres; solvantur habenis
Gaudia: nec leges pudeat ridere severas.
Tu festas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores
Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas.
Vos, pennata cohors, quocumque vocaverit usus,
Divisa properate manu: neu marceat ulla
Segnities. Alii, funalibus ordine ductis,
Plurima venturæ suspendite lumina nocti:
Hi nostra nitidos postes obducere myrto
Contendant: pars nectareis aspergite tecta
Fontibus, et flamma lucos adolete Sabæos.
Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes.
Ast alii thalamum docto componite textu.
Stamine gemmato, picturatisque columnis,
Ædificetur apex: qualem non Lydia dives
Erexit Pelopi: nec quem struxere Lyæo
Indorum spoliis et opaco palmite Bacchæ.
Illic exuvias omnes cumulate parentum:
Quidquid avus senior, Mauro vel Saxone victis,
Quidquid ab innumeris, socio Stilichone tremendus,
Quæsivit genitor bellis; quodcumque Gelonus,
Armeniusve dedit; quantum crinita sagittis
Attulit extremo Meroe circumflua Nilo;
Misit Achæmenio quidquid de Tigride Medus,
Cum supplex emeret Romanam Parthia pacem.
Nobilibus gazis opibusque cubilia surgant
Barbaricis: omnes thalamo conferte triumphos.
Sic ait: et sponsæ petit improvisa penates.
Illa autem, secura tori, tædasque parari
Nescia, divinæ fruitur sermone parentis;
Maternosque bibit mores; exemplaque discit
Prisca pudicitiæ. Latios nec volvere libros
Desinit, aut Graios, ipsa genitrice magistra;
Mæonius quæcumque senex, aut Thracius Orpheus,
Aut Mitylenæo modulatur pectine Sappho;
Sic Triviam Latona monet: sic mitis in antro
Mnemosyne docili tradit præcepta Thaliæ.
Cum procul augeri nitor, et iucundior aer
Attonitam lustrare domum, fundique comarum
Gratus odor. Mox vera fides, numenque refulsit.
Cunctatur stupefacta Venus; nunc ora puellæ,
Nunc [flavam niveo] miratur vertice matrem.
Hæc modo crescenti, plenæ par altera Lunæ;
Assurgit, ceu forte minor sub matre virenti
Laurus, et ingentes ramos, olimque futuras
Promittit iam parva comas: vel flore sub uno
Ceu geminæ Pæstana rosæ per iugera regnant:
Hæc largo matura die, saturataque vernis
Roribus, indulget spatio: latet altera nodo,
Nec teneris audet foliis admittere soles.
Astitit, et blande Mariam Cytherea salutat:
Salve, sidereæ proles augusta Serenæ,
Magnorum soboles regum, paritura que reges.
Te propter, Paphias sedes Cyprumque reliqui;
Te propter libuit tantos explere labores,
Et tantum tranasse maris; ne vilior ultra
Privatos paterere lares; neu tempore longo
Dilatos iuvenis nutriret Honorius ignes.
Accipe fortunam generis: diadema resume,
Quod tribuas natis; et in hæc penetralia rursus,
Unde parens progressa, redi. Fac nulla subesse
Vincula cognatæ; quamvis aliena fuisses
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.
Quæ propior sceptris facies? quis dignior aula

Vultus erat? non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quam iuncto leviter sese discrimine confert
Umbra supercilii! miscet quam iusta ruborem
Temperies! nimio nec sanguine candor abundat.
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ.
Ipsam iam superas matrem. Si Bacchus amator
Dotali potuit cœlum signare corona,
Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?
Iam tibi molitur stellantia serta Bootes;
Inque decus Mariæ iam sidera parturit æther.
I digno nectenda viro, tantique per orbem
Consors imperii! Iam te venerabitur Ister:
Nomen adorabunt populi: iam Rhenus et Albis
Serviet: in medios ibis regina Sicambros.
Quid numerem gentes, Atlanteosque recessus
Oceani? toto pariter dotabere mundo.
Dixit; et ornatus, dederant quos nuper ovantes
Nereides, collo membrisque micantibus aptat.
Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus:
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.
Ante fores iam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum. Calet obvius ire
Iam princeps, tardumque cupit discedere solem.
Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidas, quatiensque decoras
Turbata cervice iubas, Pharsalia rura
Pervolat, et notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accensis: mulcet fœcunda magistros
Spe gregis, et pulchro gaudent armenta marito.
Candidus interea positis exercitus armis
Exultat socerum circa; nec signifer ullus,
Nec miles, pluviæ flores dispergere ritu
Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.
Hæc quoque velati lauro myrtoque canebant:
Dive parens, seu te complectitur axis Olympi,
Seu colis Elysias, animarum præmia, valles,
En promissa tibi Stilichon iam vota peregit:
Iam gratæ rediere vices: cunabula pensat:
Acceptum reddit thalamum: natoque reponit,
Quod dederas genitor. Nunquam te, sancte, pigebit
Iudicii: nec te pietas suprema fefellit.
Dignus, quem legeres; dignus, cui pignora tanti
Principis, et rerum commendarentur habenæ.
Dicere nunc possem, quæ prælia gesta sub Hæmo,
Quæque cruentarint fumantem Strymona pugnæ:
Quam notus clypeo, quanta vi fulminet hostem;
Ni prohiberet Hymen. Quæ tempestiva relatu,
Nunc canimus. Quis consilio, quis iuris et æqui
Nosse modum, melior? quod semper dissidet, in te
Convenit, ingenio robur, prudentia forti.
Fronte quis æquali? quem sic Romana decerent
Culmina? sufficerent tantis quæ pectora curis?
Stes licet in populo; clamet, quicumque videbit,
Hic est, hic Stilichon: sic se testatur et offert
Celsa potestatis species: non voce feroci,
Non alto simulata gradu, non improba gestu.
Affectant alii quidquid, fingique laborant,
Hoc donat Natura tibi. Pudor emicat una,
Formosusque rigor: vultusque auctura verendos
Canities festina venit. [Consorte remota,]
Contingunt gravitasque seni, viresque iuventæ.
Utraque te cingit propriis insignibus ætas.
Ornatur fortuna viro: non ulla nocendi
Tela, nec infecti iugulis civilibus enses.
Non odium terrore moves, nec frena resolvit
Gratia; diligimus pariter, pariterque timemus.
Ipse metus te noster amat: iustissime legum
Arbiter, egregiæ custos fidissime pacis,
Optime ductorum, fortunatissime patrum,
Plus iam, plus domino cuncti debere fatemur,
Quod gener est, invicte, tuus. Vincire corona:
Insere te nostris, contento iure, choreis.
Sic puer Eucherius superet virtute parentem:
Aurea sic videat similes Thermantia tædas:
Sic uterus crescat Mariæ: sic, natus in ostro,
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

IN NUPTIAS HONORII AUG. ET MARIÆ

Fescennina.

Princeps corusco sidere pulchrior,
Parthis sagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperiosior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet, quam dare Castorem:
Præfert Achilli te proprio Thetis;
Victum fatetur Delos Apollinem:
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu cum per altas impiger ilices
Prædo citatum cornipedem regis,
Luduntque ventis instabiles comæ,
Telis iacebunt sponte tuis feræ;
Gaudensque sacris vulneribus leo
Admittet hastam, morte superbior.
Venus reversum spernat Adonidem,
Damnet reductum Cynthia Virbium.
Cum, post labores, sub platani voles
Virentis umbra, vel gelido specu,
Torrentiorem fallere Sirium,
Et membra somno fessa resolveris;
O quantus uret tum Dryadas calor!
Quot æstuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oscula Naides!
Quis vero acerbis horridior Scythis,
Quis belluarum corde furentior,
Qui, cum micantem te prope viderit,
Non optet ultro servitium pati?
Quis non catenas arripiat libens,
Colloque poscat vincula libero?
Tu si nivalis per iuga Caucasi
Sævas petisses pulcher Amazonas,
Peltata pugnas desereret cohors,
Sexu recepto; patris et immemor,
Inter frementes Hippolyte tubas
Strictam securim languida poneret;
Et seminudo pectore cingulum
Forti negatum solveret Herculi;
Bellumque solus conficeret decor.
Beata, quæ te mox faciet virum,
Primisque sese iunget amoribus.

Age cuncta nuptiali
Redimita vere, tellus,
Celebra toros heriles.
Omne nemus, cum fluviis,
Omne canat profundum.
Ligures, favete, campi;
Veneti, favete, montes;
Subitisque se rosetis
Vestiat Alpinus apex;
Et rubeant pruinæ.
Athesis strepat choreis;
Calamisque flexuosus
Leve Mincius susurret;
Et Padus electriferis
Admoduletur alnis.

Epulisque iam repleto
Resonet Quirite Thybris;
Dominique læta votis,
Aurea septemgeminas
Roma coronet arces.
Procul audiant Iberi,
Fluit unde semen aulæ;
Ubi plena laurearum,
Imperio fœta, domus
Vix numerat triumphos.
Habet hinc patrem maritus;
Habet hinc puella matrem;
Geminaque parte ductum,
Cæsareum flumineo
Stemma recurrit ortu.
Decorent vireta Bætin;
Tagus intumescat auro;
Generisque procreator,
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur antris.
Oriensque regna fratrum,
Simul Occidensque plaudant.
Placidæ iocentur urbes,
Quæque novo, quæque nitent
Deficiente Phœbo.
Aquilonis procellæ,
Rabidi tacete Cori:
Taceat sonorus Auster:
Solus ovantem Zephyrus
Perdominetur annum.

Solitas galea fulgere comas,
Stilichon, molli necte corona.
Cessent litui, sævumque procul
Martem felix tæda relegat.
Tractus ab aula, rursus in aulam
Redeat sanguis patris officiis.
Iunge potenti pignora dextra.
Gener Augusti pridem fueras,
Nunc rursus eris socer Augusti.
Quæ iam rabies livoris erit?
Vel quis dabitur color invidiæ?
Stilichon socer est; pater est Stilichon.

Attollens thalamis Idalium iubar,
Dilectus Veneri nascitur Hesperus.
Iam nuptæ trepidat sollicitus pudor:
Iam produnt lacrymas flammea simplices.
Ne cessa, iuvenis, comminus aggredi,
Impacata licet sæviat unguibus.
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas: mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia iurgio;
Accenditque magis, quæ refugit, Venus.
Quod flenti tuleris, plus sapit, osculum.
Dices o quoties, Hoc mihi dulcius,
Quam flavos decies vincere Sarmatas!
Aspirate novam pectoribus fidem,
Mansuramque facem tradite sensibus.
Tam iunctis manibus nectite vincula,
Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus.
Et murmur, querula blandius alite,
Linguis assiduis reddite mutuis.
Et labris animam conciliantibus,
Alternum rapiat somnus anhelitum.
Amplexu caleat purpura regio;
Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor:
Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera prælii.
Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permissisque iocis turba licentior
Exultet, tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite, milites;
Passim cum pueris ludite, virgines.
Hæc vox ætheriis insonet axibus:
Hæc vox per populos, per mare transeat:
Formosam Mariam ducit Honorius.

De Bello Gildonico Liber.

Redditus imperiis Auster, subiectaque rursum
Alterius convexa poli: rectore sub uno
Conspirat geminis frenis communibus orbis.
Iunximus Europen Libyæ: concordia fratrum
Plena redit: patriis quod solum defuit armis,
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.
Horret adhuc animus, manifestaque gaudia differt,
Dum stupet, et tanto cunctatur credere voto.
Necdum Cinyphias exercitus attigit oras;
Iam domitus Gildon. Nullis victoria nodis
Hæsit, non terræ spatio, non obice ponti.
Congressum, profugum, captum, vox nuntiat una;
Rumoremque sui prævenit laurea belli.
Quo, precor, hæc effecta Deo? robusta vetusque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci?
Quem veniens indixit hiems, ver perculit, hostem.
Exitii iam Roma timens, et fessa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non solito vultu, non qualis iura Britannis
Dividit, aut trepidos submittit fascibus Indos.
Vox tenuis, tardique gradus, oculique latentes
Interius: fugere genæ: ieiuna lacertos
Exedit macies: humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum: laxata casside prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam.
Attigit ut tandem cœlum, genibusque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœsta querelas:
Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci,
Iupiter, auguriis; si stant immota Sibyllæ
Carmina, Tarpeias si necdum respuis arces;
Advenio supplex, non ut proculcet Araxen
Consul ovans, nostræve premant pharetrata secures
Susa, nec ut Rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc ante dabas: nunc pabula tantum
Roma precor: miserere tuæ, pater optime, gentis.
Extremam defende famem. Satiavimus iram,
Si qua fuit: lugenda Getis, et flenda Suevis
Hausimus: ipsa meos exhorret Parthia casus.
Quid referam morbive luem, tumulosve repletos
Stragibus, et crebras corrupto sidere mortes?
Aut fluvium per tecta vagum, summisque minantem
Collibus? ingentes vexi submersa carinas;
Remorumque sonos, et Pyrrhæ sæcula, sensi.
Hei mihi! quo Latiæ vires, Urbisque potestas
[Decidit!] in qualem paulatim fluximus umbram!
Armata quondam populo, Patrumque vigebam
Consiliis: domui terras, urbesque revinxi
Legibus: ad Solem victrix utrumque cucurri.
Postquam iura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, et lapsi mores, desuetaque priscis
Artibus in gremium pacis servile recessi,
Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Ut dominam plebem, bellatoremque senatum,
Classibus æstivis alerent, geminoque vicissim
Litore diversi complerent horrea venti.

Stabat certa salus: Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Getulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
Cum subiit par Roma mihi, divisaque sumsit
Æquales Aurora togas, Ægyptia rura
In partem cessere novam: spes unica nobis
Restabat Libye, quæ vix ægreque fovebat,
Sola ducta Noto: nunquam secura futuri,
Semper inops, ventique fidem poscebat et anni.
Hanc quoque nunc Gildon rapuit sub fine cadentis
Autumni: pavido metimur cœrula voto,
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
Vel pudor extorsit domino, vel prædo reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri: nec debita reddi,
Sed sua concedi, iactat; gaudetque diurnos,
Ut famulis, præbere cibos; vitamque famemque,
Librat barbarico fastu, vulgique superbit
Fletibus, et tantæ suspendit fata ruinæ.
Romuleas vendit segetes, et possidet arva
Vulneribus quæsita meis: ideone tot annis
Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?
Idcirco voluit, contemta luce, reverti
Regulus? hæc damnis, genitor, Cannensibus emi?
Incassum toties lituis navalibus arsit
Hispanum Siculumque fretum? vastataque tellus,
Totque duces cæsi, raptaque emissus ab Alpe
Pœnus, et attonitæ iam proximus Hannibal Urbi?
Scilicet, ut domitis frueretur barbarus Afris,
Muro sustinui Martem, noctesque cruentas
Collina pro turre tuli? Gildonis ad usum
Carthago ter victa ruit? hoc mille gementis
Italiæ clades, impensaque secula bello,
Hoc Fabius, fortisque mihi Marcellus agebant,
Ut Gildon cumularet opes? Haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractumque Metello
Traximus immanem Marii sub vincla Iugurtham?
Et Numidæ Gildonis erunt? Pro funera tanta!
Pro labor! in Bocchi regnum sudavit uterque
Scipio? Romano vicistis sanguine, Mauri?
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas et sceptra dabat, quem semper in armis
Horribilem gentes, placidum sensere subactæ,
Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium; nulloque palam circumdatus hoste,
Obsessi discrimen habet. Per singula letum
Impendet momenta mihi; dubitandaque pauci
Præscribunt alimenta dies: heu prospera fata!
Quid mihi septenos montes, turbamque dedisti,
Quæ parvo non posset ali? felicior essem
Angustis opibus: mallem tolerare Sabinos,
Et Veios: brevior duxi securius ævum.
Ipsa nocet moles: utinam remeare liceret
Ad veteres fines, et mœnia pauperis Anci!
Sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta,
Et Quinti Curiique seges; patriæque petenti
Rusticus inferret proprias dictator aristas.
Nunc quid agam? Libyam Gildon tenet, altera Nilū.
Ast ego, quæ terras humeris pontumque subegi,
Deseror: emeritæ iam præmia nulla senectæ.
Di, quibus iratis crevi, succurrite tandem:
Exorate patrem: tuque, o, quæ fvecta per altum,
Sponte Palatinis mutasti collibus Idam,
Prælatoque lavas Phrygios Almone leones,
Maternis precibus natum iam flecte, Cybebe.
Sin prohibent Parcæ, falsisque elusa vetustas
Auspiciis: alio saltem prosternite casu.
Et pœnæ mutate genus. Porsenna reducat
Tarquinios: renovet ferales Allia pugnas.
Me potius sævi manibus permittite Pyrrhi:
Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
Cuncta fame leviora mihi. Sic fata, refusis
Obticuit lacrymis. Mater Cytherea, parensque
Flet Mavors, sanctæque memor Tritonia Vestæ.
Nec Cybele sicco nec stabat lumine Iuno.
Mœrent Indigetes, et si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa Deos. Genitor iam corda remitti
Cœperat, et sacrum dextra sedare tumultum;
Cum procul, insanis quatiens ululatibus axem,
Et contusa genas, mediis apparet in astris
Africa: rescissæ vestes, et spicea passim
Serta iacent: lacero crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur; talique superbas
Irrupit clamore fores. Quid, magne, moraris,
Iupiter, avulso nexu, pelagique solutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto. Veniant [prærupta] Pachyno
Æquora: laxatis subsidant Syrtibus orbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni. Felicior illa perustæ
Pars Libyæ, nimio quæ se munita calore
Defendit, tantique vacat secura tyranni.
Crescat zona rubens: medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat: melius deserta iacebo,
Vomeris impatiens. Pulsis dominentur aratris
Dipsades, et sitiens attollat gleba cerastas.
Quid me temperies iuvit? quid mitior æther?
Gildoni fœcunda fui: iam Solis habenæ
Bis senas torquent hiemes, cervicibus ex quo
Hæret triste iugum. Nostris iam luctibus ille
Consenuit, regnumque sibi tot vindicat annos.
Atque utinam regnum! privato iure tenetur,
Exigui specie fundi, quod Nilus et Atlas
Dissidet: occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quodque Parætonio secedit litore Ganges;
Hoc sibi transcripsit proprium: pars tertia mundi,
Unius prædonis ager. Distantibus idem
Inter se vitiis cinctus, quodcumque profunda
Traxit avaritia, luxu peiore refundit.
Instat terribilis vivis, morientibus hæres;
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies: oritur, præda cessante, libido;
Divitibusque dies, et nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus,
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt,
Accitus conviva perit: mors nulla refugit
Artificem: varios succos spumasque requirit
Serpentum virides, et adhuc ignota novercis
Gramina. Si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas; incertaque pocula pallens
Haurit, et intentos capiti circumspicit enses.
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio suspecta veneno.
Ut vino calefacta Venus, tum sævior ardet
Luxuries: mixtis redolent unguenta coronis.
Crinitos inter famulos, pubemque canoram,
Orbatas iubet ire nurus, nuperque peremtis
Arridere viris. Phalarin, tormentaque flammæ,
Profuit, et Siculi mugitus ferre iuvenci,
Quam tales audire choros. Nec damna pudoris
Turpia sufficiunt. Mauris clarissima quæque
Fastidita datur: media Carthagine ductæ,
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum,
Ingerit: exterret cunabula discolor infans.

His fretus sociis, ipso iam principe maior
Incedit. Peditum præcurrunt agmina longe:
Circumdant equitum turmæ, regesque clientes,
Quos nostris ditat spoliis: proturbat avita
Quemque domo: veteres detrudit rure colonos.
Exiliis dispersa feror: nunquamne reverti
Fas erit, errantesque solo iam reddere cives?
Iret adhuc in verba dolor, ut Iupiter alto
Cœpisset solio: voces adamante notabat
Atropos; et Lachesis iungebat stamina dictis.
Nec te, Roma, diu, nec te patiemur inultam,
Africa; communem prosternet Honorius hostem.
Pergite securæ. Vestrum vis nulla teuorem
Separat: et soli famulabitur Africa Romæ.
Dixit, et afflavit Romam meliore iuventa.
Continuo redit ille vigor; seniique colorem
Mutavere comæ. Solidatam crista resurgens
Erexit galeam; clypeique recanduit orbis,
Et levis excussa micuit rubigine cornus.
Humentes iam Noctis equos, Lethæque Somnus
Frena regens, tacito volvebat sidera curru.
Iam duo Divorum proceres, seniorq; minorque
Theudosii, pacem laturi gentibus, ibant;
Qui Iovis arcanos monitus, mandataque ferrent
Fratribus, et geminis sancirent fœdera regnis.
Sic, cum præcipites artem vicere procellæ,
Assiduoque gemens undarum verbere nutat
Descensura ratis, cæca sub nocte vocati,
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.
Circulus ut patuit Lunæ, secuere meatus
Diversos: italas senior tendebat in oras:
At pater, intrantem Pontum qua Bosporos arctat,
Arcadii thalamis, urbique illapsus Eoæ.
Quem simul ut vidit natus, (nam clara nitebat
Cynthia) permixto tremuerunt gaudia fletu;
Complexuque fovens, quos non speraverat, artus,
O mihi post Alpes nunc primum reddite, dixit,
Unde tuis optatus ades? Da tangere dextram,
Qua gentes cecidere feræ: quis tale removit
Præsidium terris? Ut te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt!
Cui pater in tales rupit suspiria voces:
Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur; et mundus, germanaque dissidet aula?
Gildonisque salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cuius meritis pietas a fratre recedat!
In primo genitore, (vide) civile calebat
Dissidium: dubio stabant Romana sub ictu.
Quis procul Armenius, vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit, qui me non iuvit euntem?
Auxilio fovere Getæ, venere Geloni.
Solus at hic, non puppe data, non milite misso,
Subsedit, fluitante fide: si signa petisset
Obvia, detecto submissius hoste dolerem.
Restitit in speculis fati; turbaque reductus,
Libravit geminas, eventu indice, vires,
Ad rerum momenta cliens, seseque daturus
Victori: fortuna simul cum Marte pependit.
Et, si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandaque dumis
Impia diversis raptarem membra quadrigis.
Germani nunc usque tui responsa colebat:
En, iterum calcat. Tali te credere monstro,
Post patrem fratremque, paras? Sed magna rependit
Inqua tuam sortem numerosas transtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit
Seditio? Taceo, nisi quod transfuga fratris,
Quod levis ingenio: quamvis, discrimine summo,
Proditor apportet suspensa morte salutem,
Nusquam gratus erit: damnamus, luce reperta,
Perfidiam: nec nos patimur committere tali
Hoc genus emtori: cives cum mœnibus offert?
Hoc vendit patriam. Plerique, in tempus abusi,
Mox odere tamen: tenuit sic Graia Philippus
Oppida. Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper sprevere ministros.
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi, nudata fraude, remisit,
Infesto quem Marte petit; bellumque negavit
Per famuli patrare nefas: ductosque Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi.
Traduntur pœnis alii, cum prælia solvant;
Hic manet, ut moveat: quod respuit alter in hostem,
Suscipis in fratrem? Longi pro dedecus ævi!
Cui placet, Australes Gildon condonat habenas;
Tantaque mutatos sequitur provincia mores.
Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps:
Transfundit secum Libyam, refluumque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Massylas fraudes; removete bilingues
Insidias, et verba soli spirantia virus.
Ne consanguineis certetur comminus armis,
Ne, precor: hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis;
In Mauros hoc crimen eat. Quid noster iniquum
Molitur Stilichon? quando non ille iubenti
Paruit? an quisquam nobis devotior extat?
Ut sileam varios, mecum quos gesserit, actus;
Quæ vidi post fata, loquar: cum Divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidasque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odiis; alternaque iurgia victi
Victoresque dabant: vix hæc amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.
Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, cum cæca remoto
Ferveret iam læta metu! Dissensus acerbus,
Sed gravior consensus erat: tunc ipse paterna
Successit pietate mihi; tenerumque rudemque
Fovit, et in veros eduxit principis annos:
Rufinumque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit: hunc solum memorem, solumque fidelem,
Experior: volui si quid, dum vita maneret,
Aut visus voluisse, gerit: venerabilis illi,
Ceu numen præsensque, vocor. Si tanta recusas,
At soceri reverere faces; at respice fratris
Connubium, pignusque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obvius ire
Hostibus, ille tuis. Quæ gens, quis Rhenus et Ister
Vos opibus iunctos, conspirantesque, tulisset?
Sed tantum permitte cadat: nil poscimus ultra.
Ille licet sese prætentis Syrtibus armet,
Oppositoque Atlante tegat; licet arva referta
Anguibus, et Solis medios obiecerit æstus;
Novi consilium, novi Stilichonis in omnes
Æqualem casus animum: penetrabit arenas:
Inveniet virtute viam: sic Divus; et inde
Sic natus: Iussis, genitor, parebitur ultro.
Amplector præcepta lubens: nec carior alter
Cognato Stilichone mihi: commissa profanus
Ille luat: redeat iam tutior Africa fratri.
Talia dum longo secum sermone retexunt,
Hesperiam pervenit avus, castumque cubile
Ingreditur, Tyrio qua fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Maria cum coniuge somnos.
Assistit capiti: tunc sic per somnia fatur:
Tantane devictis tumuit fiducia Mauris,
Care nepos? Iterum, post me, coniurat in arma

Progenies vesana Iubæ, bellumque resumit
Victoris cum stirpe sui? Firmumne iacentem
Obliti, Libyam, nostro sudore receptam,
Rursus habent? annis Latio contendere Gildon?
Germani nec fata timet? Nunc ire profecto
Nunc vellem, notosque senex ostendere vultus.
Nonne meam fugiet Maurus, cum viderit, umbram?
Quid dubitas? exurge toris: invade rebellem.
Captivum mihi redde meum: desiste morari.
Hoc generi fatale tuo: dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
Iungantur spoliis Firmi Gildonis opima.
Exornet geminos Maurusia laurea currus.
Una domus toties una de gente triumphet.
Di bene, quod, tantis interlabentibus annis,
Servati Firmusque mihi, fraterque nepoti.
Dixit, et afflatus vicino sole refugit.
At iuvenem stimulis immanibus æmula virtus
Exacuit: iam puppe vehi, iam stagna secare
Fervet, et absentes invadere cuspide Mauros.
Tum iubet acciri socerum, dextramque vocato
Conserit, et quæ sit potior sententia, quærit.
Per somnos mihi, sancte pater, iam sæpe futura
Panduntur; multæque canunt præsagia noctes.
Namque procul Libyco venatu cingere saltus,
Et iuga rimari canibus Gætula, videbar.
Mærebat regio sævi vastata leonis
Incursu: pecudum strages, passimque iuvenci
Semineces, et adhuc infecta mapalia tabo,
Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
Aggredior latebras monstri, mirumque relatu
Conspicio: dilapsus honos: cervice minaces
Defluxere iubæ: fractos inglorius armos
Supposuit, servile gemens; ingestaque vincla
Unguibus, et subitæ collo sonuere catenæ.
Nunc etiam paribus secum certare tropæis
Hortator me cogit avus. Quonam usque morati
Cunctamur? Decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare minas: transmittere primus
Ipse paro: quæcumque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat. Germania cuncta feratur
Navibus, et socia comitentur classe Sygambri.
Pallida translatum iam sentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra sedens; iuvenisque relinquam,
Quæ tenui rexique puer? Bis noster ad Alpes
Alterius genitor defensum regna cucurrit:
Nos prædæ faciles, insultandique, iacemus?
Finierat. Stilichon contra cui talia reddit:
Adversine tubam, princeps, dignabere Mauri?
An feret ignavus clari solatia fati,
Te bellante mori? Decernat Honorius inde,
Hinc Gildon? Prius astra Chaos miscebit Averno.
Vindictam mandasse sat est. Plus nominis horror,
Quam tuus ensis, aget: minuit præsentia famam.
Qui stetit, æquatur campo; collataque nescit
Maiestatem acies: sed, quod magis utile facto,
Atque hosti gravius, (sensus adverte) docebo.
Est illi patribus, sed non et moribus, idem
Mascezel; fugiens qui dira piacula fratris,
Spesque suas vitamque tuo commisit asylo.
Hunc ubi tentatis frustra mactare nequivit
Insidiis, patrias in pignora contulit iras;
Et, quos ipse sinu parvos gestaverat, una
Obtruncat iuvenes: inhumataque corpora vulgo
[Dispulit,] et tumulo cognatas arcuit umbras:
Naturamq; simul, fratremq;, hominemque, cruentus
Exuit, et tenuem cæsis invidit arenam.
Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenas,
Avertitque diem: sceleri sed reddidit Atreus
Crimen, et infandas excusat coniuge mensas.
Hic odium, non pœna, fuit: te prodita iura,
Te pater ultorem, te nulli pulvere Manes,
Te pietas polluta rogat: si flentibus aram,
Et proprium miseris numen statuistis, Athenæ;
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides, belloque rogos meruere maritis:
Si mœstæ squalore comæ, lacrymisque, senatum
In Numidas pulsus solio commovit Adherbal;
Hunc quoq; nunc Gildon, tanto quem funere mersit,
Hunc doleat venisse ducem, seseque minorem
Supplicibus sciat esse tuis: quem sede fugavit,
Hunc præceps fugiat: fregit quem clade, tremiscat;
Agnoscatque suum, trahitur dum victima, fratrem.
Hæc ubi sederunt genero, notissima Marti
Robora, præcipuos electa pube maniplos
Disponit, portuque rates instaurat Etrusco.
Herculeam suus Alcides, Ioviamque cohortem
Rex ducit Superum: premitur nec signifer ullo
Pondere: festinant adeo vexilla moveri.
Nervius insequitur, meritusque vocabula Felix,
Dictaque ab Augusto legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste Leones.
Dictis ante tamen princeps confirmat ituros,
Aggere conspicuus: stat circumfusa iuventus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures:
Gildonem domitura manus, promissa minasque
Tempus agi: si quid pro me doluistis in armis,
Ostentata mihi. Iusto magnoque triumpho
Civiles abolete notas: sciat orbis Eous,
Sitque palam, Gallos causa, non robore, vinci.
Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat: an Mauri fremitum, raucosque repulsus
Umbonum, et vestros passuri comminus enses?
Non contra clypeis tectos, galeisve micantes,
Ibitis: in solis longe fiducia telis.
Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
Dextra movet iaculum; prætentat pallia læva:
Cætera nudus eques: sonipes ignarus habenæ:
Virga regit: non ulla fides, non agminis ordo.
Arma oneri, fuga præsidio: connubia mille:
Non ulli generis nexus, non pignora curæ;
Sed numero languet pietas. Hæc copia vulgi.
Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit
Unguentis, crudusque cibo, titubansque Lyæo,
Confectus senio, morbis stuprisque solutus.
Excitet incestos turmalis buccina somnos:
Imploret citharas, cantatricesque choreas,
Offensus stridore tubæ; discatque coactus,
Quas vigilat Veneri, castris impendere noctes.
Nonne mori satius, vitæ quam ferre pudorem?
Nam quæ iam regio restat, si, dedita Mauris
Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
Ius Latium, quod tunc Meroe, Rubroque solebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda?
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani iam finis erit Trinacria regni?
Ite, recepturi, prædo quem sustulit, axem,
Ereptumque Notum: caput insuperabile rerum
Aut ruet, in vestris aut stabit Roma lacertis.
Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
Amissas: uno Lybiam defendite bello.
Vestros imperium remos, et vestra sequatur
Carbasa: despectas trans æquora ducite leges.
Tertia iam solito cervix mucrone rotetur,
Tandem funereis finem positura tyrannis.
Omina conveniunt dicto; fulvusque Tonantis
Armiger ad liquidam, cunctis spectantibus, æthram
Correptum pedibus curvis innexuit hydrum.

Dumque reluctantem morsu partitur obunco,
Hæsit in ungue caput; truncatus decidit anguis.
Ilicet, auguriis alacres, per saxa citati,
Torrentesque ruunt: non mons, non silva retardat.
Pendula ceu parvis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues æstiva relinquunt
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo:
Ordinibus variis per nubila texitur ales
Litera; pennarumque notis inscribitur aer.
Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
Impetus: arripiunt naves, ipsique rudentes
Expediunt, et vela ligant, et cornua summis
Associant malis. Quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alphææ capiunt navalia Pisæ.
Sic Agamemnoniam vindex cum Græcia classem
Solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis.
Non illos strepitus, impendentisque procellæ
Signa, nec adventus dubii deterruit Austri.
Vellite, proclamant, socii, iam vellite funem.
Per vada Gildonem quamvis adversa petamus.
Ad bellum nos trudat hiems: per devia ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris.
Heu nimium segnes, cauta qui mente notatis,
Si revolant mergi, graditur si litore cornix.
Ora licet maculis asperserit occiduus Sol,
Lunaque conceptis livescat turbida Coris,
Et confusa vagos iaculentur sidera crines,
Imbribus humescant Hædi, nimbosumque Taurum
Ducat Hyas, totusque fretis descendat Orion;
Certa fides cœli; sed maior Honorius auctor.
Illius auspiciis immensa per æquora miles,
Non Plaustris Arctove regor: contemne Booten,
Navita: turbinibus mediis permitte carinas.
Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt,
Augusti Fortuna dabit: iam classis in altum
Provehitur: dextra Ligures, Etruria læva
Linquitur, et cæcis vitatur Corsica saxis.
Humanæ in speciem plantæ se magna figurat
Insula, (Sardoam veteres dixere coloni)
Dives ager frugum, Pœnos Italosve petenti
Opportuna situ: quæ pars vicinior Afris,
Plana solo, ratibus clemens; quæ respicit Arcton,
Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora
Flatibus. Insanos infamat navita montes.
Hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer aer
Sævit, et exclusis regnant Aquilonibus Austri.
Quos ubi luctatis procul effugere carinis,
Per diversa ruunt sinuosæ litora terræ.
Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos:
Partem litoreo complectitur Olbia muro.
Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Caralis, tenuemque per undas
Obvia dimittit fracturum flamina collem.
Efficitur portus medium mare: tutaque ventis
Omnibus, ingenti mansuescunt stagna recessu.
Hanc omni petiere manu; prorisque reductis,
Suspensa Zephyros expectant classe faventes.

* * * * * * * *

IN FL. MALLII THEODORI CONSULATUM

Prologus.

Audebisne, precor, doctæ subiecta catervæ,
  Inter tot proceres, nostra Thalia, loqui?
Nec te fama vetat, vero quam celsius actam
  Vel servasse labor, vel minuisse pudor?
An tibi continuis crevit fiducia castris?
  Totaque iam vatis pectora miles habet?
Culmina Romani maiestatemque senatus,
  Et, quibus exultat Gallia, cernis viros.
Omnibus audimur terris, mundique per aures
  Ibimus. Ah! nimius consulis urget amor.
Iupiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet
  Naturæ, regni nescius ipse sui;
Armigeros utrimque duos æqualibus alis
  Misit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnassus geminos fertur iunxisse volatus;
  Contulit alternas Pythius axis aves.
Princeps nos aquilis terram cognoscere curat.
  Certius in nobis æstimat imperium.
Hoc ego concilio collectum metior orbem:
  Hoc video cuncta, quidquid ubique micat.

DE CONSULATU FL. MALLII THEODORI

Panegyris.

Ipsa quidem virtus pretium sibi; solaque late,
Fortunæ secura nitet; nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen invitam blande vestigat, et ultro
Ambit Honos: docuit toties a rure profectus
Lictor, et in mediis consul quæsitus aratris.
Te quoque, Naturæ sacris mundique vacantem,
Emeritum pridem, desudatisque remotum
Iudiciis, eadem cursus complexa potestas
Evehit, et reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ: nil iam, Theodore, relictum,
Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.
Culmen utrumque tenes: talem te protinus anni
Formavere rudes; et dignum vita curuli
Traxit iter, primæque senem cessere iuventæ.
Iam tum canities animi, iam dulce loquendi
Pondus, et attonitas sermo qui duceret aures.
Mox undare foro victrix opulentia linguæ,
Tutarique reos. Ipsa hæc amplissima sedes
Orantem stupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars Libyæ, moderantem iura probavit,
Quæ nunc tota probat: longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ; populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde tibi Macetum tellus, et credita Pellæ
Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaspes.
Tantaque commissæ revocasti gaudia genti
Mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit cum regia Pori.
Sed non ulterius te præbuit urbibus aula:
Maluit esse suum: terris edicta daturus,
Supplicibus responsa, venia; oracula regis
Eloquio crevere tuo: nec dignius unquam
Maiestas meminit sese Romana locutam.
Hinc sacræ mandantur opes, orbisque tributa
Possessi; quidquid fluviis evolvitur auri;
Quidquid, luce procul venas rimata sequaces,
Abdita pallentis fodit solertia Bessi.
  Ac velut exertus lentandis navita tonsis
Præficitur lateri custos; hinc ardua proræ
Temperat, et fluctus tempestatesque futuras
Edocet: assiduo cum Dorida vicerit usu;
Iam clavum totamque subit torquere carinam.
Sic, cum clara diu rerum documenta dedisses;
Non te parte sui, sed in omni corpore, sumsit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores. Hispana tibi Germanaque Tethys
Paruit, at nostro diducta Britannia mundo:
Diversoque tuas coluerunt gurgite voces.

Lentus Arar, Rhodanusque ferox, et dives Hiberus.
O quoties doluit Rhenus, qua barbares ibat,
Quod te non geminis frueretur iudice ripis!
Unius fit cura viri, quodcumque rubescit
Occasu, quodcumque dies devexior ambit.
Tam celer assiduos explevit cursus honores:
Una potestatum spatiis interfuit ætas,
Totque gradus fati iuvenilibus intulit annis.
Postquam parta quies, et summum nacta cacumen,
Iam secura petit privatum gloria portum;
Ingenii redeunt fructus, aliique labores,
Et vitæ pars nulla perit: quodcumque recedit
Litibus, incumbit studiis; animusque vicissim
Aut curam [imponit] populis, aut otia Musis.
Omnia Cecropiæ relegis secreta senectæ,
Discutiens quod quisque novum mandaverit ævo;
Quantaque diversæ producant agmina sectæ.
Namque aliis princeps rerum disponitur aer:
Hic confidit aquis: hic procreat omnia flammis.
Alter, in Ætnæas casurus sponte favillas,
Dispergit revocatque Deum; rursumque receptis
Nectit amicitiis, quidquid discordia solvit.
Corporis hic damnat sensus, verumque videri
Pernegat: hic semper lapsuræ pondera terræ
Conatur rapido cœli fulcire rotatu,
Accenditque diem prærupti turbine saxi.
Ille ferox, unoque tegi non passus Olympo,
Immensum per inane volat, finemque perosus,
Parturit innumeros angusto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis.
Numina constituunt alii, casusque relegant.
Graiorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes
Suetus, et alterno verum contexere nodo.
Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
Docta Cleanthem sonuerunt atria turbæ,
Inventum quodcumque tuo, Chrysippe, recessu;
Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, uno se pectore cuncta vetestas
Condidit, et maior collectis viribus exit.
Ornantur veteres; et nobiliore magistro
In Latium spretis Academia migrat Athenis;
Ut tandem propius discat, quo fine beatum
Dirigitur; quæ norma boni, quis limes honesti;
Quænam membra sui virtus divisa domandis
Obiectet vitiis; quæ pars iniusta recidat;
Quæ vincat ratione metus; quæ frenet amores.
Aut quoties elementa doces, semperque fluentis
Materiæ causas: quæ vis animaverit astra,
Impuleritque choros; quo vivat machina motu.
Sidera cur septem retro nitantur in Ortus,
Obluctata polo: variisne meatibus idem
Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes:
Sitne color proprius rerum, lucisne repulsu
Eludant aciem: tumidos quæ Luna recursus
Nutriat Oceani: quo fracta tonitrua vento:
Quid trahat imbriferas nubes; quo saxa creentur
Grandinis: unde rigor nivibus: quæ flamma per auras
Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox
Torqueat, aut tristem ligat crinita cometen.
Iam tibi compositam fundaverat ancora puppim.
Telluris iam certus eras: fœcunda placebant
Otia; nascentes ibant in sæcula libri;
Cum subito liquida cessantem vidit ab æthra
Iustitia, et tanto viduatas iudice leges.
Continuo, frontem nimbo velata pudicam,
Deserit Autumni portas, qua vergit in Austrum
Signifer, et noctis reparant dispendia Chelæ.
Pax avibus, quæcumque volat; rabiemque frementes
Deposuere feræ: lætatur terra reverso
Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert;
Et castos levibus plantis ingressa penates
Invenit ætherios signantem pulvere cursus,
Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis.
Quæ moveant momenta polum; quam certus in astris
Error; quis tenebras Soli, causisque meantem
[Defectum indicat numerus:] quæ linea Phœben
Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat.
Ut procul aspexit fulgentia virginis ora,
Cognovitque Deam: vultus veneratus amicos,
Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.
Cum sic Diva prior. Malli, sincera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti,
Et ductos video mores meliore metallo.
Iam satis indultum studiis; Musæque tot annos
Eripuere mihi: pridem te iura reposcunt.
Aggredere, et nostro rursum te redde labori.
Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ.
Humanum curare genus; quis terminus unquam
Præscripsit? nullas recipit prudentia metas.
Adde, quod hæc multis potuit contingere sedes:
Sed meriti tantum redeunt; actusque priores
Commendat repetitus honos: virtusque reducit,
Quos Fortuna legit: melius, magnoque petendum
Credis, in abstrusa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quam qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, urbemque carinis
Vexit, et arsuras Medo subduxit Athenas?
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, et sexum leges vicere severæ:
Civibus et vetitis ignavo credere muro,
Tutius obiecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus, annique silentes,
Famosum Œbalii luxum pressere Tarenti:
Quis vero insignem tanto sub principe curam
Respuat? aut quando meritis maiora patebunt
Præmia? quis demens adeo, qui iungere sensus
Cum Stilichone neget? similem quæ protulit ætas
Consilio vel Marte virum? Nunc Brutus amaret
Vivere sub regno: tali succumberet aulæ
Fabricius, cuperent ipsi servire Catones.
Nonne vides, ut nostra soror, Clementia, tristes
Obtundat gladios; fratresque amplexa serenos,
Assurgat Pietas; fractis ut lugeat armis
Perfidia; et laceris morientes crinibus hydri
Lambant invalido Furiarum vincla veneno?
Exultat cum Pace Fides: iam sidera cunctæ
Liquimus, et placidas inter discurrimus urbes.
Nobiscum, Theodore, redi. Subit ille loquentem
Talibus: Agrestem dudum me, Diva, reverti
Cogis; et infectum longi rubigine ruris
Ad tua signa vocas? nam quæ mihi cura tot annos
Altera, quam duras sulcis mollire novales?
Nosse soli vires, nemori quæ commoda rupes:
Quis felix oleæ tractus; quæ gleba faveret
Frugibus; aut quales tegeret vindemia colles?
Terribiles rursum lituos veteranus adibo,
Et desueta vetus tentabo cœrula vector?
Collectamque diu, et certis utcumque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me, quid valeat Natura fortior usus,
Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti.
Desidis aurigæ non audit verbera currus:
Nec manus agnoscit, quem non exercuit, arcum.
Esse sed iniustum fateor, quodcumque negatur
Iustitiæ: tu prima hominem silvestribus antris

Elicis: et fœdo detergis secula victu.
Te propter, colimus leges, animosque ferarum
Exuimus: nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammas; hiberna secabit
Æquora; confertos hostes superabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus;
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.
  Sic fatus, tradente Dea, suscepit habenas
Quatuor, ingenti Iuris temone refusas.
Prima Padum Tiberimq; ligat, crebrisque micantem
Urbibus Italiam: Libyas Pœnosque secunda
Temperat: Illyrico se tertia porrigit orbi:
Ultima Sardiniam, Cyrnon, trifidamque retentat
Sicaniam, et quidquid Tyrrhena tunditur unda,
Vel gemit Ionia. Nec te tot limina rerum,
Aut tantum turbavit onus; sed, ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, et rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animus, per tanta negotia liber
Emergit, similisque sui: iustique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet.
Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro
Commemoret? fuerint aliis hæc forte decori:
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.
Servat inoffensam divina modestia vocem:
Temperiem servant oculi; nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas;
Nullaque mutati tempestas proditur oris.
Quin etiam sontes expulsa corrigis ira,
Et placidus delicta domas: nec dentibus unquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi: cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ. Dis proximus ille est,
Quem ratio, non ira, movet; qui, facta rependens,
Consilio punire potest: mucrone cruento
Se iactent alii; studeant feritate timeri;
Addictoque hominum cumulent æraria censu.
Lene fluit Nilus; sed cunctis amnibus extat
Utilior, nullo confessus murmure vires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia sani
Gurgitis immensum deducit in ostia Gangen.
Torrentes immane fremant, lassisque minentur
Pontibus: involvant spumoso vortice silvas:
Pax maiora decet: peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit; mandataque fortius urget
Imperiosa quies: idem prædurus iniquas
Accepisse preces; rursus, quæ digna petitu,
Largiri facilis: nec, quæ comitatur honores,
Ausa tuam leviter tentare superbia mentem.
Frons privata manet: non se meruisse fatetur,
Qui crevisse putat: rigidi sed plena pudoris
Elucet gravitas fastu iucunda modesto.
Quæ non seditio, quæ non insania vulgi,
Te viso, lenita cadat? quæ dissona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?
Vel quis non, sitiens sermonis mella politi,
Deserat Orpheos blanda testudine cantus?
Qualem te legimus, teneri primordia mundi
Scribentem, aut partes animæ; per singula talem
Cernimus; et similes agnoscit pagina mores.
Nec dilata tuis, Augusto iudice, merces
Officiis: illumque habitum, quo iungitur aulæ
Curia, qui socio proceres cum principe nectit,
Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno;
Deposuitque suas, te succedente, curules.
  Crescite virtutes, fœcundaque floreat ætas
Ingeniis: patuit campus; certusque merenti
Stat favor: ornatur propriis industria donis.
Surgite, sopitæ quas obruit ambitus, artes.
Nil licet Invidiæ, Stilichon dum prospicit orbi,
Sidereusque gener: non hic violata curulis;
Turpia non Latios incestant nomina fastos.
Fortibus hæc concessa viris, solisque gerenda
Patribus, et Romæ nunquam latura pudorem.
  Nuntia votorum, celeri iam Fama volatu
Moverat Aonios, audito consule, lucos.
Concluuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior; et docti riserunt floribus amnes.
Uranie, redimita comas, quæ sæpe magistra
Mallius igniferus radio descripserat axes,
Sic alias hortata Deas: Patimurne, sorores,
Optato procul esse die? nec limina nostri
Consulis, et semper dilectas visimus ædes?
Notior est Helicone domus. Gestare curules,
Et fasces subiisse libet: miracula plebi
Colligite, et claris nomen celebrate theatris.
Tu Iovis æquorei submersam fluctibus aulam,
Oratum volucres, Erato, iam perge, quadrigas,
A quibus haud unquam palmam rapturus Arion.
Illustret Circum sonipes, quicumque superbo
Perstrepit hinnitu Bætin, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoque iubas aspergitur auro.
Calliope, liquidas Alciden posce palæstras.
Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis
Adsit, et Eleo pubes laudata Tonanti.
Tu iuga Taygeti, frondosaque Mænala, Clio,
I, Triviæ supplex: non aspernata rogantem,
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ:
Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu.
Ipsa truces fœtus, captivaque ducat ab antris
Prodigia, et cædis sitientem differat arcum.
Conveniant ursi, magna quos mole rudentes
Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris:
Perfossique ruant, populo pallente, leones,
Quales Mygdonia curru frenare Cybebe
Optet, et Herculei mallent fregisse lacerti.
Obvie fulminei properent ad vulnera pardi,
Semine permixto geniti, cum forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter;
Hi maculis patres referunt, et robore matres.
Quidquid monstriferis nutrit Gætulia campis,
Alpina quidquid tegitur nive, Gallica quidquid
Silva timet, iaceat: largo ditescat arena
Sanguine: consumant totos spectacula montes.
Nec molles egeant nota dulcedine ludi.
Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys; qui pulpita socco
Personat, aut alte graditur maiore cothurno;
Et qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis moderatus aenæ,
Intonet erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas.
Vel qui more avium sese iaculentur in auras,
Corporaque ædificent, celeri crescentia nexu;
Quorum compositam puer amentatus in arcem
Emicet, et vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma reductis;
Inque chori speciem, spargentes ardua flammas
Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes,
Per tabulas impune vagus; pictæque citato

Laudant igne trabes, et non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.
Lascivæ subito confligant æquore lembi;
Stagnaque remigibus spument immissa canoris.
Consul per populos, idemque gravissimus auctor
Eloquii, duplici vita subnixus in ævum
Procedat, libris pariter fastisque legendus.
Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, et cœptis ne desit fascibus hæres.
Decurrat trabeata domus, tradatque secures
Mutua posteritas, servatoque ordine fati
Mallia continuo numeretur consule proles.

In Eutropium Liber primus.

Semiferos partus, metuendaque pignora matri,
Mœnibus in mediis auditum nocte luporum
Murmur, et attonito pecudes pastore locutas,
Et lapidum diras hiemes, nimboque minacem
Sanguineo rubuisse Iovem, puteosque cruore
Mutatos, visasque polo concurrere lunas,
Et geminos soles mirari desinat orbis.
Omnia cesserunt, eunucho consule, monstra.
Heu terræ cœlique pudor! trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effœminat anni.
Pandite, pontifices, Cumanæ carmina vatis;
Fulmineos sollers Etruria consulat ignes,
Immersumque nefas fibris exploret haruspex.
Quæ nova portendunt Superi! Nilusne meatu
Devius, et nostri tentat iam transfuga mundi
Se Rubro miscere mari? ruptone Niphate,
Rursum barbaricis Oriens vastabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Responsura seges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras iugulo placabimus aras?
Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio: quodcumque parant hoc omine fata,
Eutropius cervice luat: sic omnia volvis?
Hoc regni Fortuna tenes? quænam ista iocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi servili placuit fœdare curules
Crimine, procedat laxata compede consul:
Rupta Quirinales sumant ergastula cinctus.
Da saltem quemcumque virum: discrimina quædam
Sunt famulis, splendorq; suus; maculamq; minorem
Conditionis habet, domino qui vixerit uni.
Si pelagi fluctus, Libyæ si discis arenas,
Eutropii numerabis heros. Quot iura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus quoties, medicum dum consulit emtor,
Ne qua per occultum lateat iactura dolorem!
Omnes pœnituit pretii; venumque redibat,
Dum vendi potuit: postquam deforme cadaver
Mansit, et in rugas totus defluxit aniles;
Iam specie doni certatim limina pellunt;
Et fœdum ignaris properant obtrudere munus.
Tot translata iugis submisit colla vetustum
Servitium, semperque novum: nec destitit unquam;
Sæpe tamen cœpit. Cunabula prima cruentis
Debita suppliciis: rapitur castrandus ab ipso
Ubere: suscipiunt, matris post viscera, pœnæ.
Advolat Armenius, certo mucrone recisos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium, fœcundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis: unoque sub ictu
Eripit officiumque patris, nomenque mariti.
Ambiguus vitæ iacuit, penitusque supremum
In cerebrum secti traxerunt frigora nervi.
Laudemusne manum, quæ vires abstulit hosti?
An potius fato causam tribuisse queramur?
Profuerat mansisse virum: felicior extat
Opprobrio: serviret adhuc, si fortior esset.
Inde per Assyriæ trahitur commercia ripæ:
Hinc fora venalis, Galata ductore, frequentat,
Permutatque domos varias. Quis nomina possit
Tanta sequi? Miles stabulis Ptolemæus in illis
Notior: hic longo lassatus pellicis usu
Donat Arinthæo: neque enim iam dignus haberi,
Nec maturus emi: cum fastiditus abiret,
Quam gemuit! quanto planxit divortia luctu!
Hæc erat, hæc, Ptolemæe, fides? hoc profuit ætas
In gremio consumta tuo, lectusque iugalis,
Et ducti toties inter præsepia somni?
Libertas promissa perit? viduumne relinquis
Eutropium? tantasque premunt oblivia noctes,
Crudelis? pro sors generis durissima nostri!
Fœmina cum senuit, retinet connubia partu,
Uxorisque decus matris reverentia pensat.
Nos Lucina fugit; nec pignore nitimur ullo.
Cum forma dilapsus amor: defloruit oris
Gratia: qua miseri scapulas tutabimur arte?
Qua placeam ratione senex? Sic fatus, acutum
Aggreditur lenonis opus: nec segnis ad artem
Mens erat, officiique capax: omnesque pudoris
Hauserat insidias. Custodia nulla tuendo
Fida toro; nulli poterant excludere vectes.
Ille vel ærata Danaen in turre latentem
Eliceret: fletus domini fingebat amantis:
Indomitasque mora, pretio leniebat avaras,
Lascivasque iocis. Non blandior ullus eunti
Ancillæ tetigisse latus, leviterque reductis
Vestibus occulto crimen mandasse susurro;
Nec furtis quæsisse locum, nec fraude reperta,
Cautior elusi fremitus vitare mariti.
Haud aliter iuvenum flammis Ephyreia Lais
E gemino dotata mari, cum serta refundit
Canities, iam turba procax, noctisque recedit
Ambitus, et raro pulsatur ianua tactu;
Seque reformidat speculo damnare senectus;
Stat tamen, atque alias succingit lena ministras,
Dilectumque semel, quamvis longæva, lupanar
Circuit; at retinent mores, quod perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio; cumque omnibus unica virtus
Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos,
Solus adulteriis crevit: nec verbera tergo
Cessavere tamen, quoties decepta libido
Irati caluisset heri: frustraque rogantem,
Iactantemque suos tot iam per lustra labores,
Dotalem genero nutritorique puellæ
Tradidit. Eous rector consulque futurus
Pectebat dominæ crines; et sæpe lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ:
Et, cum se rapido fessam proiecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.
Iamque ævo laxata cutis, sulcisque genarum
Corruerat passa facies rugosior uva.
Flava minus presso finduntur vomere rura;
Nec vento sic vela tremunt: miserabile turpes
Exedere caput tineæ; deserta patebant
Intervalla comæ; qualis, sitientibus arvis,
Arida ieiunæ seges interlucet aristæ;
Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
Scilicet ut trabeis iniuria cresceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ Fortuna suæ: cum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor et macies occursu læderet omnea,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,

Aut crimen famulis, aut procedentibus omen;
Et nihil exhausto caperent in stipite lucri;
(Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ,
Membra negant: aurum, vestes, arcana tueri
Mens infida vetat: quis enim committere vellet
Lenoni thalamum?) tandem, ceu funus acerbum,
Infaustamque suis trusere penatibus umbram.
Contemtu iam liber erat. Sic pastor obesum
Lacte canem ferroque ligat, pascitque revinctum,
Dum validus servare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos: cum tardior idem
Iam scabie laceras deiecit sordidus aures,
Solvit, et exuto lucratur vincula collo.
Est, ubi despectus nimius iuvat: undique pulso
Per cunctas licuit fraudes impune vagari,
Et fatis aperire viam. Pro! quisquis Olympi
Summa tenes, tantone libet mortalia risu
Vertere? qui servi non est admissus in usum,
Suscipitur regnis; et quem privata ministrum
Dedignata domus, moderantem sustinet aula.
Ut primum vetulam traxere Palatia vulpem;
Quis non ingemuit? quin non irrepere sacris
Obsequiis doluit toties venale cadaver?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est illustrior ordo
Servitii; sociumque sibi sprevere superbi.
Cernite, quem Latiis poscant annectere fastis:
Cuius et eunuchos puduit: sed vilior ante
Obscura latuit pars ignotissima turbæ,
Donec, Abundantî furiis, (qui rebus Eois
Exitium, primoque sibi produxit) ab imis
Evectus thalamis summos invasit honores.
Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet!
Sic multos fluvio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inventas primus Busiridis imbuit aras;
Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire iuvencum.
Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
Ereptas possedit opes; nullumque priorem
Perculit exilio: solumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum. Postquam obsitus ævo
Semivir excelsam rerum sublatus in arcem,
Quod nec vota pati, nec fingere somnia possent,
Vidit sub pedibus leges, subiectaque colla
Nobilium, tantumque sibi permittere fata,
Qui nihil optasset plus libertate mereri;
Iam non dissimulat dominos, alteque tumescunt
Serviles animi: procerum squalore repletur
Carcer, et exulibus Meroe campique gemiscunt
Æthiopum; pœnis hominum plaga personat ardens:
Marmaricus cluris violatur cædibus Hammon.
Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: desævit in omnes,
Ut se posse putent: nec bellua tetrior ulla,
Quam servi rabies in libera terga furentis.
Agnoscit gemitus; et pœnæ parcere nescit,
Quam subiit; dominiq; memor, quem verberat, odit.
Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur,
Nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.
Iste nec eunuchis placidus: sed peius in aurum
Æstuat: hoc uno fruitur succisa libido.
Quid nervos secuisse iuvat? vis nulla cruentam
Castrat avaritiam: parvis exercita furtis,
Quæ vastare penum, neglectaque suerat arcæ
Claustra removiri, nunc uberiore rapina
Peccat in orbe manus: quidquid se Tigris ab Æmo
Dividit, hoc certa proponit merce locandum,
Institor imperii, caupo famosus honorum.
Hic Asiam, villa pactus regit; ille redemit
Coniugis ornatu Syriam: dolet ille paterna
Bithynos mutasse domo: suffixa patenti
Vestibulo, pretiis distinguit regula gentes.
Tot Galatæ, tot Pontos eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia pones;
Si Phrygas, adde; parum: propriæ solatia sorti
Communes vult esse notas; et, venditus ipse,
Vendere cuncta cupit: certantum sæpe duorum
Diversum suspendit onus: cum pondere iudex
Vergit, et in geminas notat provincia lances.
Non pudet, heu Superi, populos venire sub hasta?
Vendentis certe pudeat. Quid iure sepultum
Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes?
Pollentem solio Crœsum victoria Cyri
Fregit, ut eunucho fluerent Pactolus et Hermus?
Attalus hæredem voluit te, Roma, relinqui:
Restitit Antiochus præscripto margine Tauri;
Indomitos curru Servilius egit Isauros;
Et Pharos Augusto iacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæstus numerosior esset?
In mercem veniunt Cilices, Iudæa, Sophene,
Romanusque labor, Pompeianique triumphi.
Quo atruis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedent opibus? Nubas ducasve licebit;
Nunquam mater eris, nunquam pater: hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat: te grandibus India gemmis,
Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres;
Nullus inops adeo, nullum sic urget egestas,
Ut velit Eutropii fortunam et membra pacisci.
Iamque oblita sui, nec sobria divitiis, mens
In miseras leges hominumque negotia ludit.
Iudicat eunuchus: quid iam de consule miror?
Prodigium, quodcumque gerit: quæ pagina lites
Fœmineas meminit? quibus unquam secula terris
Eunuchi videre forum? Sed, ne qua vacaret
Pars ignominia, neu quid restaret inausum,
Arma etiam violare parat, portentaque monstris
Aggerat; et secum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, aversaque risit Enyo
Dedecus Eoum; quoties intenta sagittis
Et pharetra fulgens, anus exercetur Amazon;
Arbiter aut quoties belli pacisque recurrit,
Alloquitur Getas: gaudet, cum viderit, hostis;
Et sentit iam deesse viros. Incendia fumant:
Muris nulla fides: squalent populatibus agri;
Et medio spes sola mari. Trans Phasin aguntur
Cappadocum matres; stabulisque abducta paternis,
Caucasias captiva bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argei pabula silvis.
Extra Cimmerias, Taurorum claustra, paludes,
Flos Syriæ servit: spoliis nec sufficit atrox
Barbarus: in cædem vertunt fastidia prædæ.
Ille tamen (quid enim servum, mollemque pudebit?
Aut quid in hoc vultu poterit flagrare ruboris?)
Pro victore redit. Peditum vexilla sequuntur,
Et turmæ similes, eunuchorumque manipli,
Hellespontiacis legio dignissima signis.
Obvius ire cliens, defensoremque reversum
Complecti: placet ipse sibi; lassaque laborat
Distendisse genas, fictumque inflatus anhelat,
Pulvere respersus tineas, et solibus ora
Pallidior; verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis, et prælia narrat:

Perque suam tremula testatur voce sororem,
Defecisse vagas ad publica commoda vires.
Cedere livori, nec sustentare procellas
Invidiæ, mergique fretis spumantibus orat;
Exoretque utinam! Dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrymas, atque inter singula dicta
Flebile suspirat: qualis venit arida socrus,
Longinquam visura nurum: vix lassa resedit;
Et iam vina petit. Quid te, turpissime, bellis
Inseris, aut sævi pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studiis hærere Minervæ;
Tu telas, non tela, pati: tu stamina nosse;
Tu segnes operum sollers urgere puellas,
Et niveam dominæ pensis involvere lanam.
Vel, si sacra placent, habeas pro Marte Cybeben:
Rauca Celænæos ad tympana disce furores.
Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu;
Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris.
Arma relinque viris. Geminam quid dividis aulam,
Concordesque pios odiis committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet: gestis pro talibus, annum
Flagitet Eutropius, ne quid non polluat unus;
Dux acies, iudex prætoria, tempora consul.
Nil adeo fœdum est, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit ævi.
Œdipodes matrem, natam duxisse Thyestes,
Cantantur: peperit fratres Iocasta marito,
Et Pelopea sibi. Thebas ac funera Troiæ
Tristis Erechthei deploret scena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem:
Scylla novos mirata canes: hunc arbore figit;
Elevat hunc pluma; squamis hunc fabula vestit;
Hunc solvit fluvio: nusquam spado consul in orbe,
Nec iudex ductorve, fuit: quodcumque virorum
Est decus, eunuchi scelus est. Exempla creantur,
Quæ socci superent risus, luctusque cothurni.
Quam pulchre conspectus erat, cum tenderet artus
Exangues onerare toga; cinctuque gravatus,
Indutoque senex obscœnior iret in auro!
Romani qualis simulator simius oris,
Quem puer irridens pretioso stamine Serum
Velavit, nudasque nates ac terga reliquit,
Ludibrium mensis. Erecto pectore dives
Ambulat, et claro sese deformat amictu.
Candida pollutos comitatur curia fasces,
Forsitan et dominus: præbet miracula lictor
Consule nobilior; libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal;
Atque inter proprias laudes Ægyptia iactat
Somnia, prostratosque canit se vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum spado Tiresias, enervatusque Melampus
Reptat, ab extremo referens oracula Nilo.
Obstrepuere avium voces: exhorruit annus
Nomen: et insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchumque vetat fastis accedere Ianus.
Sumeret illicitos etenim si fœmina fasces,
Esset turpe minus. Medis levibusque Sabæis
Imperat hic sexus; reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna iacet: genus nulla probatur,
Eunuchi quæ sceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Vesta, Ceres, Cybele, Iuno, Latona, coluntur:
Eunuchi quæ templa Dei, quas vidimus aras?
Inde sacerdotes: hæc intrat pectora Phœbus:
Inde canunt Delphi. Troianam sola Minervam
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, semperque profani.
Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram:
Hoc genus inventum est, ut serviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte: Danai fugere bipennem,
Penthesilea, tuam: claras Carthaginis arces
Creditur, et centum portis Babylona superbam,
Fœmineus struxisse labor: quid nobile gessit
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit urbes?
Illas præterea rerum natura creavit:
Hos fecere manus: seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, levesve genæ, se prodere possent,
Hos sibi coniunxit similes: seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram;
Servatoque diu puerili flore, coegit
Arte retardatam Veneri servire iuventam.
Fama prius falso similis, vanoque videri
Ficta ioco: levior volitare per oppida rumor,
Riderique nefas; veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante ligustris.
Atque aliquis gravior morum, Si talibus, inquit,
Creditur, et nimiis turgent mendacia monstris,
Iam testudo volat; profert iam cornua vultur;
Prona petunt retro fluvii iuga; Gadibus ortum
Carmani texere diem; iam frugibus aptum
Æquor, et advectum silvis delphina videbo;
Iam cochleis homines iunctos, et quidquid inane
Nutrit, Iudaicis quæ pingitur India velis.
Subiicit et mixtis salibus lascivior alter:
Miraris? nihil est, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius: semper nova, grandia semper
Diligit, et celeri degustat singula sensu.
Nil timet a tergo: vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet: lenis facilisque moveri
Supplicibus, mediaque tamen mollissimus ira.
Nil negat, et sese vel non poscentibus offert.
Quidlibet ingenio subigit, traditque fruendum.
Quidquid amas, dabit illa manus: communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque conciliis peperit, meritoque laborum:
Accipit et trabeas, argutæ præmia dextræ.
Postquam vera fides facinus vulgavit Eoum
Gentibus, et Romæ iam certius impulit aures;
Eutropiumne etiam nostra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars esse doloris?
Sic effata, rapit cœli per inania cursum
Diva potens; unoque Padum translapsa volatu,
Castra sui rectoris adit. Tum forte decorus,
Cum Stilichone, gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legesque Caucis,
Arduus, et flavis signabat iura Suevis.
His tribuit reges: bis obside fœdera sancit
Indicto: bellorum alios transcribit in usus,
Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.
Læta subit Romam pietas: et gaudia pæne
Moverunt lacrymas; tantoque exultat alumno.
Sic, armenta suo iam defensante iuvenco,
Celsius assurgunt erectæ cornua matri.
Sic iam terribilem stabulis, dominumque ferarum,
Crescere miratur genitrix Massyla leonem.
Dimovit nebulam, iuvenique apparuit ingens:
Tum sic orsa loqui: Quantum, te principe, possim,
Non longinqua docent; domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco tristique Suevo
Perfruor; et nostrum video, Germanice, Rhenum.
Sed quid agam? discors Oriens felicibus actis
Invidet; atque alio Phœbi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
Gildonis taceo magna cum laude repertam
Perfidiam, et fretos Eoo robore Mauros.

Quam suspecta fames, quantum discriminis Urbi!
Ni tua vel soceri nunquam non provida virtus
Australem Arctois pensasset frugibus annum?
Invectæ Rhodani Tiberina per ostia classes,
Cinyphiaque ferax Araris successit aristis.
Teutonicus vomer, Pyrenæique iuvenci
Sudavere mihi: segetes mirantur Iberas
Horrea; nec Libyæ senserunt damna rebellis,
Iam Transalpina contenti messe, Quirites.
Ille quidem solvit meritas (scit Tabraca) pœnas;
Ut pereat, quicumque tui conflixerit armis!
Ecce repens iisdem clades a partibus exit,
Terrorisque minus, sed plus habitura pudoris,
Eutropius consul: pridem tolerare fatemur
Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu
Sustulit, et nostros corrupit Parthia mores.
Præfecti sed adhuc gemmis, vestique dabantur
Custodes, sacroque adhibere silentia somno.
Militia Eunuchi nunquam transgressa cubile,
Non vita spondente fidem; sed inertia tutum
Mentis pignus erat: secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios; a fronte recedant
Imperii: tenero tractari pectore nescit
Publica maiestas: nunquam vel in æquore puppim
Vidimus eunuchi clavo parere magistri.
Nos adeo sperni faciles? orbisque carina
Vilior? Auroram sane, quæ talia ferre
Gaudet, et assuetas sceptris muliebribus urbes
Possideant: quid belliferam communibus urant
Italiam maculis, nocituraque probra severis
Admisceant populis? Peregrina piacula forti
Pellantur longe Latio; nec transeat Alpes
Dedecus: in solis, quibus extitit, hæreat arvis.
Scribat Halys, scribat famæ contemtor Orontes.
Per te, perque tuos, obtestor, Roma, triumphos,
Nesciat hoc Thybris, nunquam poscentibus olim
Qui dare Dentatis annos Fabiisque solebat.
Martius eunuchi repetet suffragia Campus?
Æmilios inter, servatoresque Camillos,
Eutropius? iam Chrysogonis tua, Brute, potestas,
Narcissique datur? Natos hoc dedere pœnæ
Profuit, et misero civem præponere patri?
Hoc mihi Ianiculo positis Etruriæ castris
Quæsiit, et tantum fluvio Porsenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Visceribus frustra castum Lucretia ferrum
Mersit, et attonitum tranavit Clœlia Thybrim?
Eutropio fasces asservabantur, ademti
Tarquiniis? quemcumque meæ vexere curules,
Laxato veniat, socium aversatus, Averno.
Impensi sacris Decii, prorumpite bustis,
Torquatique truces, animosaque pauperis umbra
Fabricii; tuque, o, si forte inferna piorum
Iugera: et Elysias scindis, Serrane, novales,
Pœno Scipiade, Pœno præclare Lutati,
Sicania, Marcelle, ferox: gens Claudia surgat,
Et Curii series: et qui sub iure negasti
Vivere Cæsareo, parvo procede sepulcro,
Eutropium passure, Cato: remeate tenebris,
Agmina Brutorum, Corvinorumque catervæ.
Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
Ambigui Romana mares: rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhoque togas: flabella perosi,
Aspirant trabeis: iam non umbracula gestant
Virginibus, Latias ausi vibrare secures.
Linquite fœmineas, infelix turba, latebras,
Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter:
Exsecti Veneris stimulos, et vulnere casti:
Mixta duplex ætas: inter puerumque senemque
Nil medium: falsi complete sedilia Patres.
Ite novi proceres; infecundoque senatu
Eutropium stipate ducem: celebrate tribunal
Pro thalamis: verso iam discite more curules,
Non matrum pilenta sequi. Neu prisca revolvam,
Neu numerem; quantis iniuria mille per annos
Fit retro ducibus: quanti fœdabitur ævi
Canities! unam subeant quot secula culpam!
Inter Arinthæi fastus, et nomen herile,
Servus erit; dominoque suos æqualis honores
Inseret: Heu, semper Ptolomæi noxia mundo
Mancipia! en alio lædor graviore Pothino:
En patior maius Phario scelus: ille cruorem
Consulis unius Pellæis ensibus hausit:
Inquinat hic omnes: si nil privata movebunt,
At tu principibus, nostræ tu prospice causæ;
Regalesque averte notas: hunc aspicit unum
Aula magistratum: vobis Patribusque recurrit
Hic alternus honos. In crimen euntibus annis
Parce, quater consul: contagia fascibus, oro,
Defendas ignava tuis: neu tradita libris
Nomina, vestitusque meos, quibus omne, quod ambit
Oceanus, domui, tanta caligine mergi
Calcarique sinas: nam quæ iam bella geramus
Mollibus auspiciis? quæ iam connubia prolem,
Vel frugem latura seges? quid fertile terris,
Quid plenum, sterili possit sub consule nasci?
Eunuchi si iura dabunt, legesque tenebunt,
Ducant pensa viri: mutatoque ordine rerum,
Vivat Amazonio confusa licentia ritu.
Quid trahor ulterius? Stilicho, quid vincere differs,
Dum certare pudet? nescis, quod turpior hostis
Lætitia maiore cadit? piratica Magnum
Erigit; illustrat servilis laurea Crassum.
Agnosco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo Mauri, Gildoque ruit: quid Martia signa
Sollicitas? non est iaculis hastisve petendus:
Conscia succumbent, audito verbere, terga:
Ut Scytha post multos rediens exercitus annos,
Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes
Iret, et arceret dominos tellure reversos,
Armatam ostensis aciem fudere flagellis.
Notus ab inceptis ignobile repulit horror
Vulgus, et adductus sub verbere torpuit ensis.

In Eutropium Liber II. *Præfatio.*

Qui modo sublimes rerum flectebat habenas
  Patricius, rursum verbera nota timet;
Et, solitos tardæ passurus compedis orbes,
  In dominos vanas luget abisse minas.
Culmine deiectum vitæ Fortuna priori
  Reddidit, insano iam satiata ioco.
Scindere nunc alia meditatur ligna securi;
  Fascibus et tandem vapulat ipse suis.
Illatas consul pœnas, se consule, solvit.
  Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infaustum populis in se quoque vertitur omen:
  Sævit in auctorem prodigiosus honos.
Ablato penitus respirant nomine fasti;
  Maturamque luem sanior aula vomit.
Dissimulant socii, coniuratique recedunt;
  Procumbunt pariter cum duce tota cohors;
Non acie victi, non obsidione subacti,
  Ne pereant ritu, quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ:
  Confecit sævum litera Martis opus.
Mollis fœminea detruditur arce tyrannus,
  Et, thalamo pulsus, perdidit imperium.
Sic iuvenis, nutante fide, veterique reducta

Pellice, defletam linquit amica domum.
Canitiem largo raram de pulvere turpat;
Et lacrymis rugas implet, anile gemens:
Suppliciterque pias humilis prostratus ad eres,
Mitigat iratas voce tremente nurus.
Innumeri glomerantur heri, sibi quisque petentes
Mancipium solis utile suppliciis.
Quamvis fœdus enim, mentemque obscœnior ore,
Ira debit pretium; pœna meretur emi.
Quas, spado, nunc terres, aut quem trensibis in axe?
Cingeris hinc odiis: inde recessit amor.
Utraque te gemino sub sidere regia damnat:
Hesperius nunquem, iam nec Eous eris.
Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
Ad propriam cladem, cæca Sibylle, taces.
Iam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus;
Pervigilant vates nec, miserende, tui.
Quid soror? audebit tecum conscendere puppem,
Et veniet longum per mare fida comes?
An fortasse toros eunuchi pauperis odit:
Et te nunc inopem dives amare negat?
Eunuchi iugulum primus secuisse fateris:
Sed tamen exemplo non feriere tuo.
Vive pudor fatis: en, quem tremuere tot urbes!
En, cuius populi sustinuere iugum!
Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poterae principis esse pater.
Improbe, quid pulsas mulieribus astra querelis,
Quod tibi sub Cypri litore parta quies?
Omnia barbarico per te concussa tumultu.
Crede mihi, terra tutius æquor erat.
Iam non Armenios iaculis terrebis et arcu:
Per campus volucrem non agitabis equum.
Dilecto caruit Byzantius ore senatus:
Curie consiliis æstuet orba tuis.
Emeritam suspende togam; suspende pharetram.
Ad Veneris partes, ingeniumque, redi.
Non bene Gradivo lenonia dextere servit.
Suscipiet famulum te Cytherea libens.
Insula læte choris, blandorum mater amorum:
Nulla pudicitiæ cura placere potest.
Prospectent Paphiæ celsa de rupe puellæ:
Sollicitæ, salvam dum feret unda ratem.
Sed vereor, ne te teneant Tritones in alto,
Lascivas doctum fallere Nereidas;
Aut idem cupient pelago te mergere venti,
Gildonis nuper qui tenuere fugam.
Inclyta captivo memoretur Tabraca Mauro.
Naufragio Cyprus sit memorenda tuo.
Vecturum moriens frustra delphine vocabis:
Ad terram solos devehit ille viros.
Quisquis adhuc similes eunuchus tendit in actus,
Respiciens Cyprum, desinat esse ferox.

In Eutropium Liber II.

Mygdonii cineres, et si quid restat Eoi,
Quod pereat, regni; certæ non augure falso
Prodigii patuere minæ; frustraque peracto
Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.
Cautior ante tamen violentum navita Corum
Prospicit, et tumidæ subducit vela procellæ.
Quid iuvat errorem mersa iam puppe fateri?
Quid lacrymæ delicta levant? stant omina vestri
Consulis; immotis hæsere piacula fatis.
Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora, Pæonias nequidquam admoveris herbas.
Ulcera, possessis alte suffusa medullis,
Non leviore manu, ferro sanantur et igni,
Ne noceat frustra, mox erupture, cicatrix.
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali: truncantur et artus,
Ut liceat reliquis securum degere membris.
At vos egregie purgatam creditis aulam,
Eutropium si Cypros habet, vindictaque mundi
Semivir exul erit: quis vos lustrare valebit
Oceanus? tantum facinus quæ diluet ætas?
Induerat necdum trabeas; mugitus ab alto
Redditus: infernae rabies arcana cavernas
Vibrat, et alterno confligunt culmine lapsu.
Bacchatus per operta tremor Chalcedone movit,
Pronus et in geminas nutavit Bosporus urbes:
Concurrere freti fauces: radice revulsa,
Vitant instabilem rursus Symplegada nautæ.
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt signa sorores;
Et sibi iam tradi populos hoc consule gaudent.
Mox oritur diversa lues: hinc Mulciber ignes
Sparserat: hinc victa proruperat obiice Nereus.
Hæc flagrant, hæc tecta natant; quam, Numina, por- (nam
Servetis sceleri, cuius tot cladibus omen
Constitit? Incumbas utinam, Neptune, tridenti;
Pollutumque solum toto cum crimine mergas!
Unam, pro mundo, Furiis concedimus urbem.
Utque semel patuit monstris iter, omnia tempus
Nacta suum, properant: nasci tum decolor imber
Infantumque novi vultus, et dissona partu
Semina: tum lapidum fletus, armentaque vulgo
Ausa loqui, mediisque feræ se credere muris.
Tum vates sine more rapi, lymphataque passim
Pectora terrifici stimulis ignescere Phœbi.
Fac nullos cecinisse Deos: adeone retusi
Quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
Affore fatalem castrati consulis annum?
Sed quam cæcus inest vitiis amor! omne futurum
Despicitur; suadentque brevem præsentia fructum;
Et ruit in vetitum, damni secura, libido;
Dum mora supplicii lucro, serumque quod instat,
Creditur: haud equidem, contra tot signa, Camillo
Detulerim fasces, ne dum (pro sexus!) inerti
Mancipio, cui (cuncta licet responsa iuberent,
Hortantesque licet spondêrent prospera Divi)
Turpe fuit cessisse viros: exquirite retro
Crimina, continui lectis annalibus ævi:
Prisca recensitis evolvite sæcula fastis:
Quid senis infandi Capreæ, quid scena Neronis,
Tale ferunt? Spado, Romaneo succinctus amictu,
Sedit in Augustis laribus: vulgata patebat
Aula salutantum studiis: hunc plebe senatus
Permixta trepidique duces, omnisque potestas
Confluit: advolvi genibus, contingere dextram,
Ambitus, et votum deformibus oscula rugis
Figere: præsidium legum, genitorque vocatur
Principis, et famulum dignatur regia patrem.
Posteritas, admitte fidem: monumenta petuntur
Dedecoris; multisque gemunt incudibus æra
Formatura nefas; hæc iudicis, illa togati,
Hæc nitet armati species; numerosus ubique
Fulget eques: præfert eunuchi curia vultus.
Ac, veluti caveant, ne quo consistere virtus
Possit pura loco, cunctas hoc ore laborant
Incestare vias: maneant immota, precamur,
Certaque perpetui sint argumenta pudoris.
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu,
(Cum vivant domini) quod maxima prælia solus
Impleat, (et patitur miles?) quod tertius urbis
Conditor: (hoc Byzas, Constantinusque videbunt?)

Inter quæ, tumidus leno producere cœnas
In lucem, foetere mero, dispergere plausum
Emturas, in vulgus opes, totosque theatris
Indulgere dies, alieni prodigus auri.
At soror, et, si quid portentis creditur, uxor
Mulcebat matres epulis; et, more pudicæ
Coniugis, eunuchi celebrabat vota mariti.
Hanc amat; hanc summa de re, vel pace vel armis,
Consulit; huic curas et clausa palatia mandat,
Ceu stabulum vacuamque domum: sic magna tueri
Regna nihil? patiensque iugi deluditur orbis?
Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem
Senserat; et primi laxabant germina flores.
Iamque iter in gremio pacis solenne parabant
Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent,
Sed vaga lascivis flueret discursibus ætas.
Unde tamen tanta sublimes mole redibant,
Ceu vinctos traherent Medos, Indumque bibissent.
Ecce autem, flavis Gradivus ab usque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru.
Subsidunt Pangæa rotis, altæque sonoro
Strident axe nives: ut vertice constitit Hæmi,
Fœmineasque togas pressis conspexit habenis,
Subrisit crudale pater, cristisque micantem
Quassabat galeam, tunc implacabile numen,
Bellonam, alloquitur, quæ, sanguine sordida vestem,
Illyricis pingues pectebat stragibus hydros:
Necdum mollitiæ, necdum, germana, mederi
Possumus Eoæ? nunquam corrupta rigescent
Sæcula? Cappadocum tepidis Argæus acervis
Æstuat: infelix etiamnum pallet Orontes.
Dum pereunt, meminere mali: si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera sensu
Prætereunt, tantique levis iactura cruoris.
Aspicis obscœnum facinus? quid crinibus ora
Protegis? en quales sese diffundit in actus
Parva quies! quantum nocuerunt otia ferri!
Qui caruit bellis, eunucho traditur, annus.
Actum de trabeis esset, si partibus una
Mens foret Hesperiis: rueret derisa vetustas,
Nullaque calcati starent vestigia iuris.
Ni memor Imperii Stilichon, morumque priorum,!
Turpe relegasset defenso a Thybride nomen,
Intactamque novo servasset crimine Romam.
Ille dedit portum, quo se pulsata referret
Maiestas Latii, deformatæque secores:
Ille dedit fastos, ad quos, Oriente relicto,
Confugeret sparsum maculis servilibus ævum.
Quam similes hæc aula viros! (ad mœnia visus
Dirige) num saltem tacita formidine mussant?
Num damnant animo? plaudentem cerne Senatum,
Et Byzantinos proceres, Graiosque Quirites.
O Patribus plebes, o digni consule Patres!
Quid, quod et armati cessant, et nulla virilem
Inter tot gladios sexum reminiscitur ira?
Huccine nostrorum cinctus abiere nepotum?
Sic Bruti despectus honos? ignosce parenti,
Romule, quod serus temeratis fascibus ultor
Advenio: iam iam largis hæc gaudia faxo
Compensent lacrymis. quid dudum inflare moraris
Tartaream, Bellona tubam? quid stringere falcem,
Qua populos a stirpe [metas?] molire tumultus?
Excute delicias. Thracum Macetumque ruinas
Tædet, et in gentes iterum sævire sepultas.
Damna minus consueta movent: trans æquora sævas
Verte faces: aliis exordia sume rapinis.
Non tibi Rhipæis hostis quærendus ab oris:
Non per Caucasias accito turbine valles.

Est opus. Ostrogothis colitur, mixtisque Gruthungis
Phryx ager: hos parvæ poterunt impellere causæ
In scelus: ad mores facilis natura reverti.
Sic est: in nostro quando iam milite robur
Torpuit, et molli didicit parere magistro,
Vindicet Arctous violatas advena leges:
Barbara Romano succurrant arma pudori.
Sic fatus, clypeo, quantum vix ipse Deorum
Arbiter, infesto cum percutit ægida nimbo,
Intonuit: responsat Athos, Hæmusque remugit:
Ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem.
Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Hebrus, et exanguem glacie timor alligat Histrum.
Tunc adamante gravem nodisque rigentibus hastam,
Telum ingens, nullique Deo iaculabile, torsit.
Fit late ruptis via nubibus: illa, per auras
Tot freta, tot montes, uno contenta volatu,
Transilit, et Phrygiæ mediis affigitur arvis.
Sensit humus: gemuit Nysæo palmite felix
Hermus, et aurata Pactolus inhorruit ora:
Totaque submissis fleverunt Dindyma sylvis.
Nec Dea præmissæ stridorem segnius hastæ
Consequitur; centumque vias meditata nocendi,
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus alæ
Hic erat) aggreditur. Viso tum forte redibat
Eutropio, vacuus donis, feritasque dolore
Creverat, et, teneris etiam quæ crimina suadet
Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egestas.
Huic sese vultu simulatæ coniugis offert
Mentitoque ferox incedit barbara gressu,
Carbaseos induta sinus: post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes:
Inque orbem tereti mitra redeunte capillum
Strinxerat, et virides flavescere iusserat angues.
Advolat, ac niveis reducem complectitur ulnis,
Infunditque animo furiale per oscula virus.
Principe quam largo veniat, quas inde reportet
Divitias, astu rabiem motura, requirit.
Ille iter ingratum, vanos deflere labores:
Quos super eunuchi fastus quæ probra tulisset.
Continuo secat ungue genas, et tempore pandit
Arrepto gemitus: I nunc, devotas aratris
Scinde solum, positoque tuos mucrone sodales
Ad rastros sudare doce: bene rura Gruthungus
Excolet, et certo disponet sidere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis
Oppida, quas magnis quæsitæ viribus ornant
Exuviæ; quibus Argivæ pulchræque ministrant
Thessalides, famulas et quæ meruere Lacænas!
Me nimium timido, nimium iunxere remisso
Fata viro, totum qui degener exuit Histrum;
Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria; concessoque cupit vixisse colonus,
Quam dominus rapto. Quid pulchra vocabula pigris
Prætentas vitiis? probitatis inertia nomen,
Iustitiæ formido subit: tolerabis iniquam
Pauperiem, cum tela geras? et flebis inultus,
Cum pateant tantæ nullis custodibus urbes?
Quippe metus pœnæ: pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colerent, impacatisque rebelles
Urgerent odiis: at nunc, qui fœdera rumpit,
Ditatur; qui servat, eget: vastator Achivæ
Gentis, et Epirum nuper populatus inultam,
Præsidet Illyrico: iam, quos obsedit, amicus
Ingreditur muros, illis responsa daturus,
Quorum coniugibus potitur, natosque peremit.
Sic hostes punire solent: hæc præmia solvunt
Excidiis: cunctaris adhuc? numerumque tuorum
Respicis, exiguamque manum? tu rumpe quietem

Bella dabunt socios. Nec te tam prona monerem,
Si contra paterere viros: nunc alter in armis
Sexus, et eunuchis se defensoribus orbis
Credidit: hos aquilæ Romanaque signa sequuntur.
Incipe barbaricæ tandem te reddere vitæ.
Te quoque iam timeant, admirenturque nocentem,
Quem sprevere pium: spoliis prædaque repletus,
Cum libeat, Romanus eris: sic fata, repente
In diram se vertit avem, rostroque recurvo
Turpis, et infernis tenebris obscurior alas
Auspicium veteri sedit ferale sepulcro.
Ille, pavor postquam resoluto corde quievit,
Et rigidæ sedere comæ, non distulit atrox
Iussa Deæ: socios, quæ viderit, ordine pandit,
Invitatque sequi. Coniurat barbara pubes,
Nacta ducem, Latiisque palam descivit ab armis.
Pars Phrygiæ, Scythicis quæcumq; Trionibus alget
Proxima, Bithynos; Solem quæ condit, Ionas;
Quæ levat, attingit Galatas: utrimque propinqui
Finibus obliquis Lydi Pisidæque feroces
Continuant Australe latus: gens una fuere
Tot quondam populi, priscum cognomen at unum,
Appellata Phryges: sed quid non longa valebit
Permutare dies? dicti post Mæona regem
Mæones. Ægæos insedit Græcis portus.
Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit;
Gæsaque deposuit, Graio iam mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn: dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus: nec rex Ægyptius ultra
Restitit, humani postquam puer uberis expers
In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.
Hic cecidit Libycis iactata paludibus olim
Tibia, fœdatam cum reddidit umbra Minervam.
Hic et Apollinea victus testudine pastor
Suspensa memores illustrat pelle Celænas.
Quatuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi: nec miror aquas radiare metallo,
Quæ toties lavere Midan: diversus ad Austrum
Cursus et Arctoum fluviis mare. Dindyma fundunt
Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus Amazonii defertur ad ostia Ponti.
Icarium pelagus Mycalæaque litora iuncti
Marsya Mæanderque petunt: sed Marsya velox,
Dum suus est, flexuque carens: iam flumine mixtus
Mollitur, Mæandre, tuo; contraria passus,
Quam Rhodano stimulatus Arar: quos inter aprica
Planities Cererique favet, densisque ligatur
Vitibus, et [glaucos] fructus attollit olivæ,
Dives equis, felix pecori, pretiosaque picto
Marmore, purpureis cedit cui Synnada venis.
Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
Permisere Dei: securas barbarus urbes
Irrupit, facilesque capi: spes nulla salutis,
Nulla fugæ: putribus iam propugnacula saxis
Longo corruerant ævo, pacisque senecta.
Interea gelidæ secretis rupibus Idæ
Dum sedet, et thiasos spectat de more, Cybebe,
Curetumque alacres ad tympana suscitat enses;
Aurea, sanctarum decus immortale comarum,
Defluxit capiti turris; summoque volutus
Vertice, crinalis violatur pulvere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes; et uno
Fixa metu tacitas presserunt orgia buxos.
Indoluit genitrix: tum sic commota profatur:
Hoc mihi iampridem Lachesis grandæva canebat
Augurium: Phrygiæ casus venisse supremos.
Delapsus testatur apex. Heu! sanguine qualis
Ibit Sangarius! quantasque cadavera lenti
Mæandri passura moras! Immobilis hæret
Terminus: hæc dudum nato placuere Tonanti.
Par et finitimis luctus: frustraque Lyæi
Non defensuros implorat Lydia thyrsos.
Iamque vale, Phrygiæ tellus; perituraque flammis
Mœnia, conspicuas quæ nunc attollitis arces;
Mox campi, nudumque solum. Dilecta valete,
Flumina; non vestris ultra bacchabor in antris:
Nec iuga sulcabit noster Berecynthia currus.
Dixit, et ad tristes convertit tympana planctus.
Labentem patriam sacris ululatibus Attis
Personat; et lacrymis torvi maduere leones.
Eutropius, quamvis nequeat metuenda taceri
Clades, et trepidus vulgaverit omnia rumor,
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Dissimulat: parvam latronum errare catervam;
In sontes tormenta magis, quam tela, parari;
Nec duce frangendas iactat, sed iudice, vires;
Vasta velut Libyæ venantum vocibus ales
Cum premitur, calidas cursu transmittit arenas,
Inque modum veli sinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat: si iam vestigia retro
Clara sonent, oblita fugæ stat lumine clauso,
Ridendum revoluta caput; creditque latere,
Quem non ipsa videt. Furtim tamen ardua mittit
Cum donis promissa novis, si forte rogatus
Desinat: ille, semel nota dulcedine prædæ
Se famulo servire negat; nec grata timentum
Munera, militiam nullam, nec prima superbus
Cingula dignari: nam quia non, consule tali,
Vilis honos? Postquam precibus mitescere nullis,
Non auro cessisse, videt; creberque recurrit
Nuntius incassum, nec spes iam fœderis extat;
Tandem consilium belli confessus agendi,
Ad sua tecta vocat. Iuvenes venere protervi,
Lascivique senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptasque dapes variasse decorum;
Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato
Sidereas Iunonis aves, et, si qua loquendi
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitos trans regna cibos: quorumque profundam
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piscibus explent.
Vestis odoratæ studium, laus maxima risum
Per vanos movisse sales: minimeque viriles
Munditiæ comti vultus, onerique vel ipsa
Serica, si Phœbus feriat, si Sarmata portas,
Solliciti scenæ, Romam contemnere sueti,
Mirarique suas, quas Bosporus alluit, ædes;
Saltandi dociles, [aurigarumque] periti,
Pars humili de plebe duces; pars, compede suras,
Cruraque signati nigro liventia ferro,
Iura regunt, facies quamvis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo: sed prima potestas
Eutropium præfert, Hosio subnixa secundo.
Dulcior hic sane cunctis, prudensque movendi
Iuris, et admoto qui temperet omnia fumo;
Fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini dicionis Eoæ,
Hic coquus, hic leno: defossi verbere terga;
Servitio, non arte, pares: hic sæpius emtus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates.
Ergo, ubi collecti proceres, qui rebus in arctis
Consulerent, tantisque darent solatia morbis;
Obliti subito Phrygiæ, belloque relicto,
Ad solitos cœpere iocos, et iurgia Circi,
Tendere: nequidquam magnus colligitur ira,
Quis melius vibrata puer vertigine molli

Membra rotet; verrat quis marmora crine supino;
Quis magis enodes laterum detorqueat artus;
Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet.
Hi tragicos meminere modos: his fabula Tereus,
His, necdum commissa choro, cantatur Agave.
  Increpat Eutropius, Non hæc spectacula tempus
Poscere: nunc alias armorum incumbere curas.
Se satis Armenio fessum pro limite cingi,
Nec tantis unum subsistere posse periclis.
Ignoscant senio: iuvenes ad prælia mittant.
Qualis pauperibus nutrix invisa puellis
Assidet, at tela communem quærere victum
Rauca monet: festis illæ lusisse diebus
Orant, et positis æquævas visere pensis:
Iratæque operi iam lasso pollice fila
Turbant, at teneros detergunt stamine fletus.
  Emicat extemplo, cunctis trepidantibus, audax
Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
Æquatura fames, quem non ieiuna Celæno
Vinceret: hinc nomen fertur meruisse Leonis.
Acer in absentes, linguæ iactator, abundans
Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis unci.
Non alius lanam purgatis sordibus æque
Præbuerit calathis; similis nec pinguia quisquam
Vellera per tenues ferri producere rimas.
Tunc Aiax erat Eutropii, lateque fremebat;
Non septem vasto quatiens umbone iuvencos;
Sed, quam perpetuis dapibus, pigroque sedili,
Inter anus interque colos oneraverat, alvum.
Assurgit tandem, vocemque expromit anhelam:
  Quis novus hic torpor, socii? quonam usque sedemus
Fœmineis clausi thalamis, patimurque periclum
Gliscere desidia? Graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic sudor: nunquam mea dextera segnis
Ad ferrum. Faveat tantum Tritonia cœptis;
Inceptum peragetur opus: iam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanæ
Targibilum tumidum; desertoresque Gruthungos,
Ut miseras populabor oves; et, pace relata,
Pristina restituam Phrygias ad stamina matres.
His dictis iterum sedit: fit plausus, et ingens
Consilii clamor; qualis resonantibus olim
Exoritur caveis, quoties crinitus ephebus
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada, fingit.
  Protinus excitis iter irremeabile signis
Arripit; infaustoque iubet bubone moveri
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher et urbanæ cupiens exercitus umbræ,
Assiduus ludis, avidus splendere lavacris,
Nec soles imbresve pati, multumque priori
Dispar, sub clypeo Thracum qui ferre pruinas,
Dum Stilichon regeret, nudoque hiemare sub axe
Sueverat, et duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires. Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.
Non peditem præcedit eques: non commoda castris
Eligitur regio: vicibus custodia nullis
Advigilat vallo: non explorantur eundæ
Vitandæque viæ: nullo se cornua flectunt
Ordine: confusi passim per opaca vagantur
Lustra, per ignotos angusto tramite valles.
  Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
Fertur in abruptum casu, non sidere, puppis:
Sic ruit in rupes, amisso pisce sodali,
Bellua, sulcandas qui prævius edocet undas,
Immensamque pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat; et tanto coniungit fœdera monstro:
Illa natat rationis inops, et cæca profundi
Iam brevibus deprensa vadis, ignara reverti
Palpitat, et vanos scopulis illidit hiatus.
Targibilus simulare fugam, flatusque Leonis
Spe nutrire leves; improvisusque repente,
Dum gravibus marcent epulis, hostique catenas
Inter vina crepant, largo sopita Lyæo
Castra subit: pereunt alii, dum membra cubili
Tarda levant; alii leto iunxere soporem:
Ast alios vicina palus sine more ruentes
Excipit, et cumulis immanibus aggerat undas.
Ipse Leo, dama cervoque fugacior, ibat
Sudanti tremebundus equo: qui pondere postquam
Decidit, implicitus limo, cunctantis proni
Per vada reptabat, cœno submixa tenaci.
Mergitur, et pingui suspirat corpore moles,
More suis; dapibus quæ iam devota futuris
Turpe gemit, quoties Hosius mucrone corusco
Armatur, cingitque sinus; secumque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ frusta calenti
Mandet aquæ, quantoque cutem distendat echino.
Flagrat opus; crebro pulsatus perstrepit ictu:
Contexit varius penetrans Chalcedona nidor.
Ecce levis frondes a tergo concutit aura;
Credit tela Leo: valuit pro vulnere terror,
Implevitque vicem iaculi; vitamque nocentem
Integer, et sola formidine saucius, efflat.
  Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enses,
Quis solio campum præponere suasit avito?
Quam bene texentum laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora mensis!
Hic, miserande, iaces: hic, dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ.
  Iam vaga pallentem densis terroribus aulam
Fama quatit: stratas acies, deleta canebat
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,
Pamphylos, Pisidasque rapi: metuendus ab omni
Targibilus regione tonat: modo tendere cursum
In Galatas, modo Bithynis incumbere, fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
Sunt qui, correptis ratibus, terraque marique
Adventare ferant: geminantur vera pavoris
Ingenio: longe spectari e puppibus urbes
Accensas, lucere fretum, ventoque citatas
Omnibus in pelago velis hærere favillas.
  Hos inter strepitus, funestior advolat alter
Nuntius, armatam rursus Babylona minari,
Rege novo: resides Parthos, ignava perosos
Otia, Romanæ finem iam quærere paci.
Rarus apud Medos regum cruor; unaque cuncto
Pœna manet generi: quamvis crudelibus æque
Paretur dominis: sed quid non audent summa
Eutropii? Socium nobis, fidumque Saporem
Perculit, et Persas in regia vulnera movit;
Rupturasque fidem, (leto pars ne qua vacaret)
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.
Tum vero cecidere animi; tantisque procellis
Deficiunt, septi latrantibus undique bellis.
Infensos tandem Superos, et consulis omen
Agnovere sui; nec iam revocabile damnum,
Eventu rerum, stolido didicere magistro.
  Namque ferunt geminos uno de semine fratres
Iapetionidas generis primordia nostri
Dissimili finxisse manu; quoscumque Prometheus
Excoluit, multoque intexuit æthera limo,
Hi longa ventura notant; dubiisque parati,
Casibus occurrunt, fabro meliore politi.
Deteriore luto pravus quos condidit auctor,
(Quem merito Graii perhibent Epimethea vates)

Et nihil ætherii sparsit per membra vigoris,
Hi, pecudum ritu non impudentia vitant,
Nec res ante vident: accepta clade, queruntur,
Et seri transacta gemunt: iam sola renidet
In Stilichone salus, et cuius semper acerbum,
Ingratumque sibi, fac orum conscius horror
Credidit adventum; quem si procedere tantum
Alpibus audissent, mortem pœnasque tremebant;
Iam cuncti venisse volunt; scelerumque priorum
Pœnitet. Hunc tantis bellorum sidus in undis
Sperant: hunc pariter iusti sontesque precantur.
Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Devehit, intenti ludo, studiisque soluti,
Lætius amoto passim custode vagantur:
Si gravis auxilio vacuas invaserit ædes
Vicinus, laribusque suis proturbet inultos,
Tum demum patrem implorant, et nomen inani
Voce cient, frustraque oculos ad litora tendunt.
Omnes supplicio dignos letoque fatentur,
Qui se tradiderint famulis, Stilichone relicto.
Mutati stupuere diu; sensuque reducto,
Paulatim proprii mirantur monstra furoris;
Avertuntque oculos. Proiectis fascibus, horret
Lictor; et infames labuntur sponte secures.
Quales Aonio Thebas de monte reversæ
Mænades, infectis Pentheo sanguine thyrsis,
Cum patuit venatus atrox, matrique rotatum
Conspexere caput, gressus caligine figunt,
Et rabiem desisse dolent: quin protinus ipsa
Tendit ad Italiam supplex Aurora potentem,
Non radiis redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum vestita diem: stat livida luctu,
Qualis erat, Phrygio tegeret cum Memnona busto:
Quam simul agnovit Stilichon, (nec causa latebat)
Restitit: illa manum victricem amplexa moratur;
Altaque vix lacrymans inter suspiria fatur:
Tantane te nostri ceperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis risumque relinquis,
Dux quondam rectorque meus? solamque tueris
Hesperiam? domiti nec te post bella tyranni
Cernere iam licuit? sic te victoria nobis
Eripuit, Gallisque dedit? Rufinus origo
Prima mali: geminas inter discordia partes
Hoc auctore fuit: sed iam maiora moventi
Occurrit iusta rediens exercitus ira,
Fortis adhuc, ferrique memor. Brevis inde reluxit,
Falsaque libertas: rursum Stilichonis habenis
Sperabam me posse regi: pro cæca futuri
Gaudia: fraterno coniungi cœperat orbis
Imperio; (quis enim, tanto terrore recentis
Exempli, paribus sese committeret ausis?)
Cum subito, monstrosa mihi turpisque relatu
Fabula, Rufini castratus prosilit hæres;
Et similes iterum luctus Fortuna reduxit,
Ut solum domini sexum mutasse viderer.
Hic primum thalami claustris delicta tegebat,
Clam timideque iubens: erat invidiosa potestas,
Sed tamen eunuchi: necdum sibi publica iura
Sumere, nec totas audebat vertere leges.
Sed postquam, pulsisque bonis, et fæce retenta,
Peiores legit socios; dignusque satelles
Hinc Hosius stetit, inde Leo, fiducia crevit;
Regnandique palam flagravit aperta libido.
Patricius consul maculat, quos vendit, honores:
Plus maculat, quos ipse gerit. Iam signa tubæque
Mollescunt: ipsos ignavia fluxit in enses.
Insultant merito gentes; facilisque volenti
Præda sumus. Iam, Bistoniis Hæmoque nivali
Vastior, expulsis Oricus squalebit aratris.
Hei mihi! quas urbes, et quanto tempore Martis
Ignaras, uno rapuerunt prælia cursu!
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit Antiochi muros; ipsumque decoræ
Pæne caput Syriæ flammis hostilibus arsit.
Utque gravis spoliis, nulloque obstante, profunda
Lætus cæde redit, sequitur mucrone secundo
Continuum vulnus: nec iam mihi Caucasus hostes,
Nec mittit gelidus Phasis: nascuntur in ipso
Bella sinu: legio pridem Romana, Gruthungi,
Iura quibus victis dedimus, quibus arva domosque
Præbuimus, Lydos Asiæque uberrima vastant
Ignibus, et si quid tempestas prima reliquit;
Nec duce nec numero freti: sed inertia nutrit
Proditioque ducum, quorum per crimina miles
Captivis dat terga suis, quos teste subegit
Danubio: partemque timet, qui repulit omnes.
Aula choris epulisque vacat: nec perdita curant,
Dum superest aliquid. Ne quid tamen, urbe reciso,
Venditor amittat; provincia quæque superstes
Dividitur; geminumque duplex passura tribunal,
Cogitur alterius pretium sarcire peremtæ.
Sic mihi restituunt populos: hac arte reperta,
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te iam spes una mihi. Pro fronde Minervæ,
Has tibi protendo lacrymas: succurre ruenti:
Eripe me tandem, servilibus eripe regnis.
Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes;
Nec nova tot meritis offensa prioribus obstet.
Iam iam flecte animum: suprema pericula semper
Dant veniam culpæ. quamvis iratus et exul,
Pro patriæ flammis non distulit arma Camillus.
Non te subtrahimus Latio: defensor utrique
Sufficis. Armorum liceat splendore tuorum
In commune frui: clypeus nos protegat idem;
Unaque pro gemino desudet cardine virtus.

IN PRIMUM CONSULATUM

Fl. Stilichonis Liber primus.

Continuant Superi pleno Romana favore
Gaudia, successusque novis successibus urgent.
Connubii necdum festivos regia cantus
Sopierat; cecinit fuso Gildone triumphos;
Et calidis thalami successit laurea sertis;
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti,
Victorisque decus. Libyæ post prælia, crimen
Concidit Eoum; rursusque, Oriente subacto,
Consule defensæ surgunt Stilichone secures.
Ordine vota meant. Equidem si carmen in unum
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum,
Promtius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam,
Maius erit. Veteres actus, primamque iuventam,
Prosequar? ad sese mentem præsentia ducunt.
Narrem iustitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis.
Quod floret Latium, Latio quod reddita servit
Africa, vicinum quod nescit Iberia Maurum,
Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum.
An gelidam Thracen decertatosque labores,
Hebro teste canam? magnum mihi panditur æquor;
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus
Laudibus innumeris: etenim, mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro: quem vultus honestat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit; bellis insignior ille,

Sed pacem fœdat vitiis: hic publica felix,
Sed privata minus: partitum singula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis:
Hunc rigor, hunc pietas: illum sollertia iuris:
Hunc soboles castique tori: sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt: et, quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes. quid facta revolvam
Militiamque patris? cuius producere famam,
Si nihil egisset clarum, nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilichon: mens ardua semper
A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos. Erectus et acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus; fatisque loqui iam digna futuris.
Iam tum conspicuus, iam tum venerabilis ibas;
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumque modus; qualem nec carmina fingunt
Semideis: quacumque alte gradereris in urbe,
Cedentes spatiis assurgentesque videbas,
Quamvis miles adhuc: taciti suffragia vulgi
Iam tibi detulerant, quidquid mox debuit aula.
Vix primævus eras, pacis cum mitteris auctor
Assyriæ: tanta fœdus cum gente ferire
Commissum iuveni. Tigrin transgressus et altum
Euphraten, Babylona petis: stupuere severi
Parthorum proceres; et plebs pharetrata videndi
Flagravit studio, defixæque hospite pulchro,
Persides arcanum suspiravere calorem.
Thuris odoratæ cumulis et messe Sabæa
Pacem conciliant aræ: penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, ritnque iuvencos
Chaldæo stravere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram: secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.
Si quando sociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Comminus, aut longe virgatas figere tigres?
Flectenti faciles Medus tibi cessit habenas.
Torquebas refugum, Parthis mirantibus, arcum.
Nubilis interea maturæ virginis ætas
Urgebat patrias, suspenso principe, curas:
Quem simul imperioque ducem, natæque maritum
Prospiceret, dubius toto quærebat ab axe
Dignum coniugio generum thalamisque Serenæ.
Iudicium virtutis erat: per castra, per urbes,
Per populos, animi cunctantis libra cucurrit.
Tu legeris; tantosque viros, quos obtulit orbis,
Intra consilium vincis sensumque legentis;
Et gener Augustis, olim socer ipse futurus,
Accedis: radiis auri Tyriaque superbit
Maiestate torus. Comitata parentibus exit
Purpureis virgo: stabat pater inde tropæis
Inclytus; inde pium matris regina regebat
Obsequium, gravibus subnectens flammea gemmis.
Tunc et Solis equos, tunc exultasse choreis
Astra ferunt, mellisque lacus, et flumina lactis
Erupisse solo, cum floribus æquora vernis
Bosporus indueret, roseisque evincta coronis
Certantes Asiæ tædas Europa levaret.
Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Iudicat, et primus censet, quod cernimus omnes.
Talem quippe virum natis adiunxit et aulæ,
Cui neque luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus pretiosior unquam
Laude fuit. Quis enim Visos in plaustra feroces
Repulit, aut sæva Promoti cæde tumentes
Bastarnas una potuit delere ruina?
Pallantis iugulum Turno moriente piavit
Æneas; tractusque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit, vel quæstus, Achilli.
Tu neque vesano raptas venalia curru
Funera; nec vanam corpus meditatus in unum
Sævitiam, turmas equitum, peditumque catervas,
Hostilesque globos, tumulo prosternis amici.
Inferiis gens tota datur. Nec Mulciber, auctor
Mendacis clypei, fabricataque vatibus arma
Conatus iuvere tuos: tot barbara solus
Millia, iampridem miseram vastantis Thracen,
Finibus exiguæ vallis conclusa tenebas.
Non te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vaga Chunnorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.
Extinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Augustas occultus proditor aures,
Obstrueretque moras, strictumque recondere ensem,
Solveret obsessos, præberet fœdera captis.
Assiduus castris aderat, rarissimus Urbi,
Si quando trepida princeps pietate vocaret:
Vixque salutatis Laribus, vix coniuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum.
Nec stetit, Eucherii dum carperet oscula saltem
Per galeam: patris stimulos ignesque mariti
Vincit cura ducis: quoties sub pellibus egit
Edonas hiemes, et tardi flabra Bootæ
Sub dio Rhiphæa tulit! cumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triste rigentem
Danubium calcabat eques, nivibusque profundam
Scandebat cristatus Athon; tatoque corusco
Curvatas glacie silvas umbone ruebat.
Nunc prope Cimmerii tendebat litora Ponti:
Nunc dabat hibernum Rhodope nimbosa cubile.
Vos, Hæmi gelidæ valles, quas sæpe cruentis
Stragibus æquavit Stilichon, vos, Thracia, testor,
Flumina, quæ largo mutastis sanguine fluctus.
Dicite, Bisaltæ, vel qui Pangæa iuvencis
Scinditis, offenso quantæ sub vomere patres
Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris
Ossa peremtorum resonent immania regum.
Singula complecti cuperem: sed densior instat
Gestorum series, laudumque sequentibus undis
Obruimur. Genitor cæsi post bella tyranni
Iam tibi commissis conscenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
Æquali cervice subis: sic Hercule quondam
Sustentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit Signifer astris;
Perpetuaque senex subductus mole parumper,
Obstupuit, proprii spectator ponderis Atlas.
Nulli barbariæ motus, nil turbida rupto
Ordine tentavit novitas; tantoque remoto
Principe, mutatas orbis non sensit habenas.
Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
Ausa manus certe: nec tantis dissona linguis
Turba, nec armorum cultu diversior unquam
Confluxit populus: totam pater undique secum
Moverat Auroram: mixtis hic Colchus Hiberis,
Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
Armenius, hic picta Saces, fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;
Hic Rhodani procera cohors, hic miles [Alanus]
Oceani: ductor Stilichon tot gentibus unus,
Quot vel progrediens vel conspicit occiduus Sol.
In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tanta quies, iurisque metus servator honesti,
Te moderante, fuit nullis ut vinea furtis,
Vel seges exsecta fraudarit messe colonum:
Ut nihil aut sævum rabies, aut turpe libido

Suaderent; placidi servirent legibus enses.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum;
Utque ducum lituos, sic mores, castra sequuntor.
Denique, victrices aquilas quocumque moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.
Illyricum peteres, campi montesque latebant:
Vexillum navale dares, sub puppibus ibat
Ionium: nullis succincta Ceraunia nimbis,
Nec, iuga Leucatæ feriens spumantia fluctu,
Deterrebat hiems: tu si glaciale iuberes
Vestigare fretum, securo milite ducti,
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi:
Si deserta Noti, fontem si quærere Nili,
Æthiopum medios penetrassent vela vapores.
Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycei,
Te pastorali modulantur Mænala cantu,
Partheniumque nemus, quo te pugnante resurgens
Ægra caput mediis erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon
Hæsit; et Alpheus, Geticis angustus acervis,
Tardior ad Siculos etiamnum pergit amores.
Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Cum solo terrore ruant? num classica Francis
Intulimus? iacuere tamen: num Marte Suevos
Contudimus? quis inra damus: quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania servit.
Cedant, Druse, tui, cedant, Traiane, labores.
Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilichon; totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis;
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus:
Impiger a primo descendens luminis ortu
Ad bifidos tractus, et iuncta paludibus ora,
Fulmineum perstrinxit iter: ducis impetus undas
Vincebat celeres; et pax a fonte profecta
Cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice reges,
Qui nec principibus, donis precibusve vocati,
Paruerant, iussi properant; segnique verentur
Offendisse mora; transvecti lintribus amnem,
Occursant ubicumque velis: nec fama fefellit
Iustitiæ: videre pium, videre fidelem:
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus pacem, tam supplice vultu
Captivoque rogant, quam si, post terga revincti,
Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.
Omne, quod Oceanum fontesque interiacet Histri,
Unius incursu tremuit: sine cæde subactus,
Servit io Boreas, exarmatique Triones.
Tempore tam parvo tot prælia sanguine nullo
Perficis, et luna nuper nascente profectus.
Ante redis, quam plena fuit: Rhenumque minacem,
Cornibus infractis, adeo mitescere cogis,
Ut Salius iam rura colat, flexosque Sicambrus
In falcem curvet gladios, geminasque viator
Cum videat ripas, quæ sit Romana, requirat:
Ut iam trans fluvium, non indignante Cauco,
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albin
Gallica Francorum montes armenta pererrent:
Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Relligione truces, et robora, Numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune bipennes.
Ultro quin etiam devota mente tuentur,
Victorique favent: quoties sociare catervas
Oravit, iungique tuis Alamannia signis!
Nec doluit contenta tamen, spretoque recessit
Auxilio laudata fides: provincia missos
Expellet citius, fallax quam Francia reges,
Quos dederis: acie nec iam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire, licet: sub iudice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomeres Sunnoque docent, quorum alter Etrus-
Pertulit exilium: cum se promitteret alter (cum
Exulis ultorem, iacuit mucrone suorum.
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis, et ingenio scelerumque cupidine fratres.
Post domitas Arctos, alio prorumpit ab axe
Tempestas; et, ne qua tuis intacta tropæis
Pars foret, Australis sonuit tuba: moverat amens
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas,
Et quos interior nimio plaga sole relegat;
Quos vagus humectat Cinyps, et proximus hortis
Hesperidum Triton, et Gir notissimus amnis
Æthiopum, simili mentitus gurgite Nilum.
Venerat et parvis redimitus Nuba sagittis,
Et velox Garamas: nec quamvis tristibus Hammon
Responsis alacrem potuit Nasamona morari.
Stipantur Numidæ campi: stant pulvere Syrtes
Gætulæ: Pœnus iaculis obtexitur aer.
Hi virga moderantur equos: his fulva leones
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum
Exuviæ, vastis Meroe quas nutrit arenis:
Serpentum patulos gestant pro casside rictus:
Splendent vipereæ squamosa pelle pharetræ.
Non sic intremuit Simois, cum montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon:
Non Ganges, cum tela procul vibrantibus Indis
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli;
Gildo nempe tibi: nec solum fervidus Austrum,
Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas,
Quamvis obstreperet pietas: his ille regendæ
Transtulerat nomen Libyæ, scelerique profano
Fallax legitimam regni prætenderat umbram.
Surgebat varia geminum formidine bellum:
Hoc armis, hoc triste dolis: hoc Africa sævis
Cinxerat auxiliis: hoc coniuratus alebat
Insidiis Oriens: illinc edicta meabant,
Corruptura duces: hinc frugibus atra negatis
Urgebat, trepidamque fames obsederat Urbem.
Exitiale palam Libycum; civile pudoris
Obtentu tacitum: tales utrimque procellæ
Cum fremerent, lacerumque alternis ictibus anceps
Imperium pulsaret hiems, nil fessa remisit
Officii virtus; contraque minantia fata
Pervigil, eventusque sibi latura secundos,
Maior in adversis micuit: velut arbiter alni,
Nubilus Ægæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina,
Callidus, et pelagi cœlique obnititur iræ.
Quid primum mirer, Stilichon? quod cautus ad o-
Restiteris fraudes; ut te nec noxia furto (mnes
Litera, nec pretio manus inflammata, laterent?
Quod nihil, in tanto rerum terrore, locutus
Indignum Latio? responsa quod ardua semper
Eois dederis, quæ mox effecta probasti
Securus, quamvis et opes, et rura tenerent,
Insignesque domos: levis hæc iactura; nec unquam
Publica privatæ cesserunt commoda causæ.
Dividis ingentes curas; teque omnibus unum
Obiicis, inveniens animo, quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu; dictare paratus,
Quæ scriptis peragenda forent: quæ brachia centum
Quis Briareus aliis numero crescente lacertis,

Tot simul obiectis possent confligere rebus?
Evitare dolos? veteres firmare cohortes,
Explorare novas? duplices disponere classes;
Quæ fruges vel bella ferant? aulæque tumultum,
Et Romæ lenire famem? Quot, nube soporis,
Immunes oculi, per tot discurrere partes,
Tot loca sufficerent, et tam longinqua tueri?
Argum fama canit centeno lumine, centum
Corporis excubiis unam servasse iuvencam.
Unde tot allatæ segetes? quæ silva carinas
Texuit? Unde rudis tanto tirone iuventus
Emicuit; senioque iterum vernante, resumsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi,
Tam subitas acies, conceptas dente draconis,
Exsiluisse reor. Dirceis qualis in arvis
Messis, cum proprio mox bellatura colono,
Cognatos strinxit gladios, cum semine iacto
Terrigenæ galeam matrem nascente ferirent,
Armiger et viridi floreret milite sulcus.
Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco censeret bella senatus.
Neglectum Stilichon per tot iam secula morem
Retulit, ut ducibus mandarent prælia Patres,
Decretoque togæ felix legionibus iret
Tessera. Romuleas leges rediisse fatemur;
Cum procerum iussis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras iunctis transmittere signis,
Et ratibus Syrtes, Lybiam complere maniplis:
Consilio stetit ira minor: ne territus ille,
Te duce, suspecto Martis graviore paratu,
Aut in arenosos æstus zonamque rubentem
Tenderet, aut solis fugiens transiret in ortus;
Missurusve sibi certæ solatia mortis,
Oppida dirueret flammis: res mira relatu!
Ne timeare, times; et, quem vindicta manebat,
Desperare vetas. Quantum fiducia nobis
Profuit hostilis! Salvæ Carthaginis arces;
Illæsis Tyrii gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vastare fuga: spe captus inani,
Nec se surripuit pœnæ, nostrisque pepercit
Demens: qui numero tantum, non robore, mensus
Romanos, rapidis ibat ceu protinus omnes
Calcaturus equis, et (quod iactare solebat)
Solibus effœtos mersurus pulvere Gallos.
Sed didicit, non Æthiopum geminata venenis
Vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,
Non equitum Latiis nimbos obsistere pilis.
Sternitur ignavus Nasamon: nec spicula supplex
Iam torquet Garamas: repetunt deserta fugaces
Autololes: pavidus proiecit missile Mazax.
Cornipedem Maurus nequidquam hortatur anhelum.
Prædonem lembo profugum, ventisque repulsum,
Suscepit merito fatalis Tabraca portu;
Expertum, quod nulla tuis elementa paterent
Hostibus, et lætæ passurum iurgia plebis,
Fracturumque reos humili sub iudice vultus,
Nil tribuat Fortuna sibi, sic prospera semper
Illa quidem: sed non uni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec constitit alea castris,
Nutatura semel. Si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant aliæ post terga biremes:
Venturus dux maior erat. Victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior, unquam
Contigit. An quisquam Tigranen, armaque Ponti,
Vel Pyrrhum, Antiochique fugam, vel vincla Iugurthæ,
Conferat, aut Persen, debellatumque Philippum?
Hi propagandi fuerant pro limite regni;
Hic stabat Romana salus: ibi tempora tutas
Traxerunt dilata moras; hic vincere tarde
Vinci pæne fuit. Discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit;
Et tanto Libyam fructu maiore recepit,
Quam peperit, quanto graviorem amissa dolorem,
Quam necdum quæsita, movent. Quis Punica gesta,
Quis vos, Scipiadæ, quis te iam, Regule, nosset?
Quis lentum caneret Fabium, si, iure peremto,
Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum revocavit adorea lauros.
Restituit Stilichon cunctos tibi, Roma, triumphos.

Liber secundus

Hactenus armatæ laudes: nunc, qualibus orbem
Moribus, et quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastisque suum concesserit annum,
Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis.
Principium magni custos Clementia mundi,
Quæ Iovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris et flammæ mediam, quæ maxima natu
Cœlicolum: nam prima Chaos Clementia solvit,
Congeriem miserata rudem; vultuque sereno,
Discussis tenebris, in lucem secula fudit.
Hæc Dea, pro templis et thure calentibus aris,
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumque putes; ut ferrum, Marte cruentum,
Siccum pace premas; ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis; ut sontibus ultro
Ignovisse velis; deponas ocyus iram,
Quam moveas; precibus nunquã implacabilis obstes;
Obvia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
Transiliunt prædas humiles: hac ipse magistra
Das veniam victis: hac exorante, calores
Horrificos, et quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus solo terrore, coerces;
Ætherii Patris exemplo; qui, cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula defert
In scopulos et monstra maris; nostrique cruoris
Parcus, in Œtæis exercet fulmina silvis.
Huic Divæ germana Fides, eademque sorori
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inserit. Hæc nullo docuit livescere fuco;
Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari;
Invisos odisse palam; non viros in alto
Condere, non lætam speciem præmittere fraudi;
Sed certum mentique parem componere vultum.
Occulto sævire vetat; prodesse remittit.
Hæc et amicitias longo plus tempore firmat,
Mansuroque adamante ligat: nec mobile mutat
Ingenium; parvæ strepitu nec vincula noxæ
Dissolvi patitur; nec fastidire priorem
Allicitur, veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis; pariterque minoris
Officii magnique memor, superare laborat:
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.
Hæc fovet absentes; hæc longe sola remotis
Consulit; hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, ut ignarum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
Nec, vivis annexus, amor meminisse sepultos
Desinit; in prolem transcurrit gratia patrum.
Hac tu Theudosium, tenuit dum sceptra, colebas;
Hac etiam post fata colis; nec pignora curas
Plus tua, quam natos, dederat quos ille movendos

Tutandosque tibi. Iustos nimiumque fideles
Fama putat, qui, cum possent commissa negare,
Maluerint nullo violati reddere quæstu.
At Stilichon non divitias, aurique relictum
Pondus, sed geminos axes, tantumque reservat
Depositum teneris, quantum Sol igneus ambit.
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
Creditur? Hoc clypeo munitus, Honorius altum
Non gemuit patrem; vilæque et lucis in ipso
Limine, contemtus nunquam, dat iura subactis
Gentibus, et secum sentit crevisse triumphos:
Quem tu sic placida formas, sic mente severa,
Ut neque desidiæ tradas, dum pronus ad omne,
Quod libet, obsequeris; nec contra nixus ovantem
Confringas animum; secretus consona regno
Ceu iuvenem doceas, moles quid publica poscat;
Ceu sanctum venerere senem, patriisque gubernes
Imperium monitis; dominum submissus adores,
Obsequiis moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit, ut primos in coniuge disceret ignes;
Ordirique virum, non luxuriante iuventa,
Sed cum lege tori, casto cum fœdere, vellet.
Principe tu felix genero: felicior ille
Te socero: fratrem levior nec cura tuetur
Arcadium: nec, si quid iners atque impia turba,
Prætendens proprio nomen regale furori,
Audeat, adscribis iuveni: discordia quippe
Cum fremeret, nunquam Stilichon sic canduit ira,
Sæpe lacessitus probris, gladiisque petitus,
Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
Illicito, causamque daret civilibus armis.
Huius fulta fide, mediis dissensibus aulæ,
Intemeratorum stabat reverentia fratrum.
Quin et Sidonias chlamydes, et cingula baccis
Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdo
Loricas, galeasque renidentes hyacinthis,
Gestatosque patri capulis radiantibus enses,
Et vario lapidum distinctas igne coronas,
Dividis ex æquo; ne non Augusta supellex,
Ornatusque pares, geminis hæredibus essent.
Mittitur at miles, quamvis certamine partes
Iam tumeant: hostem muniri robore mavis,
Quam peccare fidem: permittis iusta petenti,
Idque negas solum, cuius mox ipse repulsa
Gaudeat, et quidquid fuerat deforme mereri.
Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ, iunxere choros; nunquam receptæ
Pectore, diversos tecum eliguntur in usus.
Iustitia utilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, iniustaque nunquam
Largiri sociis; durum Patientia corpus
Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori;
Temperies, ut casta petas: Prudentia, ne quid
Inconsultus agas; Constantia, futile ne quid
Infirmumque geras: procul importuna fugantur
Numina, monstriferis quæ Tartarus edidit antris.
Ac primam scelerum matrem, quæ, semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Avaritiam; cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, et pretiis commercia pascit honorum,
Pulsa simul; nec te gurges corruptior ævi
Traxit ad exemplum; quod iam firmaverat annis
Crimen, et in legem rapiendi verterat usus.
Denique non dives sub te, pro rure paterno,
Vel laribus, pendet: non insidiator oberrat,
Facturus quemcumque reum: non obruta virtus
Paupertate latet: lectos ex omnibus oris
Evehis, et meritum, non quæ cunabula, quæris;
Et qualis, non unde satus: sub teste benigno
Vivitur: egregios invitant præmia mores.
Hinc priscæ redeunt artes: felicibus inde
Ingeniis aperitur iter; despectaque Musæ
Colla levant; opibusque fluens, et pauper, eodem
Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque,
Quod nec inops iaceat probitas, nec inertia surgat
Divitiis: nec te iucunda fronte fefellit
Luxuries, prædulce malum, quæ, dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effeminat acrius herbis;
Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla
Ultrices fucata genas, et amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis:
Te nunquam conata capit: non prava libido
Stupris advigilat: non tempora somnus agendi
Frustratur: nullo citharæ convivia cantu,
Non pueris lasciva sonant: quis cernere curis
Te vacuum potuit, quis tota mente remissum,
Aut indulgentem dapibus, ni causa iuberet
Lætitiæ? Non indecores æraria lassant
Expensæ: parvo non improba litera libro
Absentum condonat opes: a milite parcus
Diligeris: neque enim neglectas pace cohortes
Tunc ditas, cum bella fremunt: scis nulla placere
Munera, quæ metuens illis, quos spreverit, offert
Serus, et incassum servati prodigus auri.
Antevenis tempus, non expectantibus ultro
Munificus; mensæque adhibes, et nomine quemque
Compellas: clari, sub te quod gesserit olim,
Admonitos facti; figendaque sensibus addis
Verba, quibus magni geminatur gratia doni.
Nec, si quid tribuas, iactatum sæpius idem
Exprobrare soles; nec, quos promoveris, alto
Turgidus alloqueris fastu; nec prospera flatus
Attollunt nimios: quin ipsa superbia longe
Discessit, vitium rebus solenne secundis,
Virtutumque ingrata comes. Contingere passim
Affarique licet: non inter pocula sermo
Captatur; pura sed libertate loquendi
Seria quisque iocis nulla formidine miscet.
Quem videt Augusti socerum regnique parentem,
Miratur conviva parem; cum tanta potestas
Civem lenis agat. Te doctus prisca loquentem,
Te matura senex audit, te fortia miles;
Aspersis salibus, quibus haud Amphiona quisquam
Præferat Aonios meditantem carmine muros;
Nec velit Orpheo migrantes pectine silvas.
Hinc amor, hinc veris, et non fallacibus, omnes
Pro te solliciti votis: hinc nomen ubique
Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quantis fluerent fornacibus æra,
Effigies ductura tuas? quis devius esset
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni semper honorem
Respueres? decus hoc rapiat, quem falsa timentum
Munera decipiunt, qui se diffidit amari.
Hoc solus sprevisse potest, qui iure meretur.
Undique legati properant; generique sub ore
In tua centenas [aptant] præconia voces.
Grates Gallus agit, quod, limite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis, et sævum gentibus amnem,
Thybridis in morem, domibus prævelet amœnis:
Hinc Poeni cumulant laudes, quod rura tyranno
Libera possideant: hinc obsidione solutus
Pannonias, potorque Savi, quod clausa tot annis

Oppida laxatis ausus iam pandere portis,
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exesosque situ cogit splendere ligones;
Agnoscitque casas, et collibus oscula notis
Figit, et impresso glebis non credit aratro.
Exectis, inculta dabant quas secula, sylvis
Restituit terras, et opacum vitibus Histrum
Conserit, et patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit: te sospite, fas est
Vexatum laceri corpus iuvenescere regni.
Sub tot principibus quæcumque amisimus olim,
Tu reddis: solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix:
Inque suos fines tandem redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
   Nec tamen humano cedit cœleste favori
Iudicium, cingunt Superi concordibus unum
Præsidiis, hostesque tuos aut litore produnt,
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor,
Aut in se vertunt furiis, aut militis ense
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu.
Insidias retegunt, et in ipsa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi.
Ominibus ventura notant, aut alite monstrant,
Aut monitos certa dignantur imagine somnos.
Pro quibus innumeræ trabearum insignia terræ
Certatim petiara tibi: poscentibus ipse
Restiteras; at meus, aliarum prona favori,
Iudex dura sui, facibus succensa pudoris,
Tarda verecundis excusat præmia causis.
Ergo avidæ, tantosque novi spe consulis annos
Elusæ, dominæ pergunt ad limina Romæ.
Si minus annueres precibus, vel cogere certæ
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ,
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces:
   Cuncta mihi semper Stilichon, quæcumque popo-
Concessit, tantumque suos invidit honores. (sci,
Augusti potuit soceri contemnere fasces:
Iam negat et genero: si non ut ductor ab orbe,
Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.
Exiguumque putat, quod, sic amplexus Hiberam
Progeniem, nostros immoto iure nepotes
Sustinet, ut patrium commendet purpura Bætin?
Quod pulchro Mariæ fecundat germine regnum?
Quod dominis speratur avus? Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gæsa tenens, animoso pectore fatur:
Qui mihi Germanos solos Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen, quod iam numerare decebat?
Usque adeone levis pacati gloria Rheni?
   Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cuius vestigia verrit
Cœrulus, Oceanique æstum mentitur, amictus:
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilichon, totam cum Scotus Iernen
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne litore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.
Tum spicis et dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:
Sperabam nullas trabeis, Gildone peremto,
Nasci posse moras: etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat fasces præbere triumpho?
Qui mihi Maurorum penitus lacrymabile nomen
Ignorare dedit? Post has, Œnotria, lentis
Vitibus intorquens hederas, et palmite largo
Vina fluens, Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis, ait, quas sola iuvare
Fama potest: quanto me dignius incitat ardor,
Ut præsente fruar, conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem?
   Talibus alternant studiis; Romamque, precantes
Pro cunctis, hortantur, eat: nec segnius illa
Paruit officio: sed, raptis protinus armis,
Ocyor excusso per nubila sidere tendit.
Transvehitur Tuscos; Apenninusque volatu
Stringitur: Eridanus clypei iam fulgurat umbra.
Constitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor: tremit orbe corusco
Iam domus, et summæ tergunt laquearia cristæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
Servatas, Stilichon, per te, venerande, curules,
Ornatas nec dum, fateor: quid profuit anni
Servilem pepulisse notam? defendis honorem,
Quem fugis; et spernis, tanta quem mole tueris;
Respuis oblatum, pro quo labente restitis?
Quænam causa moræ? quo me cunctabere rursus
Ingenio? Nullus Boreæ metus; omnis et Austri
Ora silet: cecidit Maurus; Germania cessit;
Et Ianum pax alta ligat. Te consule necdum
Digna feror? titulumne levem, parvique nitoris
Credimus, Augusti quem se decorare fatentur?
Sub iuga quo gentes, captivis regibus, egi?
Num, si prodigiis casus natura futuros
Signat, polluimur macula? Quod reris, Eois
Omen erat; quamquam nullis mihi cognita rebus
Fabula: vix tanto risit de crimine rumor.
Opprobriis stat nulla fides, nec litera venit
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
Est tua, quod, nostros qui consulis omnia Patres,
De monstris taceas: pellendi denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cœtum:
Nec mea funestum versavit curia nomen.
Pars sceleris dubitasse fuit. Quæcumque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fratum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiæ fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit: lætetur, quisquis Eoos
Scribere desierit: fastos portenta Gabinos
Ista latent: propriam labem tarsisse laborent.
Cur ego, quem nunquam didici sensive creatum,
Gratuler exemtum? Delicti pœnitet illos:
Nos nec credidimus. Fuerit tamen omnibus unum
Crimen, et ad nostras manaverit usque secures;
Plus ideo sumenda tibi fastigia iuris,
Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat: nullo sarciri consule damnum,
Excepto Stilichone, potest. Bene præscia tempus
Mens tua distulerat: titulo tunc crescere posses;
Nunc per te titulus. Consul succurre gravatis
Consulibus, quicumque fuit, quicumque futurus.
Annum redde tuum, quem mox secura sequatur
Posteritas, nec iam doleat defensa vetustas.
Sit trabeis ultor Stilichon, Brutusque repertor.
Libertas populi, primo tunc consule Bruto,
Reddita per fasces: hic fascibus expulit ipsis
Servitium: instituit sublimem Brutus honorem;
Asseruit Stilichon: plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novum: quid tardius ore rubenti
Annuis, at solitus frontem circumluit ignis?
Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo

Te certum est, mirare libens ac suscipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, et eodem nevimus auro,
Aurea quo Lachesis sub te mihi sæcula texit.
Hic ego promissam sobolem, sperataque mundo
Pignora, prælusi; veram mox ipse probabis
Me vatem; nostræque fidem venientia telæ
Fata dabunt: dixit, gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas: insigne Minervam
Spirat opus: rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus. Lucina labores
Solatur: residet fulgente puerpera lecto.
Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris.
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant: teneros de stamine risus,
Vagitusque audire putes: iam creverat infans
Ore ferens patrem; sed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fucantem Serica fræna
Sanguineis, primæ signatus flore iuventæ,
Eucherius flectebat equum; iaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos,
Aureus ipse, ferit. Venus hic, invecta columbis,
Tertia regali iungit connubia nexu;
Pennatique nurum circumstipantur Amores,
Progenitam Augustis, Augustorumque sororem.
Eucherius trepido iam flammea sublevat ore
Virginis: arridet læto Thermantia fratri.
Nam domus hæc utroque petit diademata sexu;
Reginasque parit, reginarumque maritos.
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva simul porrexit ebur: solennibus urnam
Commovet auspiciis, avibusque incepta secundat.
Tunc habiles armis humeros Dea vestibus ambit
Romuleis: Latii sederunt pectore cultus:
Loricæque locum decuit toga: talis ab Istro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Deposito mitis clypeo, candentibus Urbem
Ingreditur trabeatus equis: spatiosa Quirinus
Fræna regit, currumque patris Bellona, cruentam
Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum,
Præcedit; lictorque Metus, cum fratre Pavore,
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiusque iugales,
Formido ingentem vibrat succincta securim.
Vidit ut optato se consule Roma potitam,
Nunc, ait, Elysii lucos irrumpere campi,
Nunc libet; ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciisque feram, famæ qui vulnere nuper
Calcatam flevere togam. Iam prata choreis
Pulsent, nec rigidos pudeat lusisse Catones.
Audiat hoc senior Brutus, Pœnisque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis,
Unius auxilio fasces Libyamque recepi.
Quod superest, unum precibus, fortissime consul,
Adde meis; Urbique tuum largire parumper,
Quem rogat, adventum: quam tu, belloque fameque
Depulsa, terris iterum regnare dedisti.
Splendida suscipiant alium te Rostra Camillum.
Ultorem videant servatoremque Quirites,
Et populus, quem ductor ames; quibus Africa, per te,
Nec prius auditas Rhodanus iam donat aristas;
Ut mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas, messesque vehant nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo; cunctis ditescant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi!
Fallax o quoties pulvis deludet amorem
Suspensum, veniens omni dum crederis hora!
Spectabunt cupidæ matres; spargentur et omnes
Flore viæ, superes cum Pythia limina consul
Arduus, antiqui species Romana senatus.
Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus!
Ad cœlum quoties vallis tibi Martia ducet
Nomen, Aventino Pallanteoque recessu!
Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis,
Mox et cum genero trabeis visura secundis.
Hæc dum Roma refert, iam Fama loquacibus alis
Pervolat Oceanum; linguis et mille citatos
Festinare iubet proceres; nullique senectus,
Non iter, hibernis obstant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clarique vetustis
Fascibus ad socii properant et vindicis annum.
Sic, ubi fecunda reparavit morte iuventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Unguibus ossa piis, Nilique ad litora tendens,
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro;
Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem: procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama busti.
Nec minor in cœlo chorus est: [illegible]at uterque
Theudosius, Divique tui. Sol ipse, quadrigis
Vere coronatis, dignum tibi præparat annum.
Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,
Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine, serpens:
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos, vultu longæva decoro,
Ante fores Natura sedet; cunctisque volantes
Dependent membris animæ: mansura verendus
Scribit iura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt,
Ac pereunt fixis cum legibus; ille recenset,
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis,
Proficiat mundo; quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni; quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius, erret.
Illius ut magno Sol limine constitit antri,
Accurrit Natura potens, seniorque superbis
Canitiem inclinat radiis: tunc sponte reclusas
Laxavit postes adamas: penetrale profundum
Panditur; et sedes ævique arcana patescunt.
Hic habitant, vario faciem distincta metallo,
Sæcula certa locis; illic glomerantur ahena;
Hic ferrata rigent; illic argentea candent.
Eximia regione domus, contingere terris
Difficiles, stabant rutili, grex aureus, anni;
Quorum præcipuum pretioso corpore Titan
Signandum Stilichone legit: tunc imperat omnes
Pone sequi; dictisque simul compellat euntes:
En, cui distulimus melioris secla metalli,
Consul adest. Ite optati mortalibus anni.
Ducite virtutes: hominum florescite rursus
Ingeniis, hilares Baccho, frugumque feraces.
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet; immodico nec frigore sæviat Ursa.
Non torvo fremat igne Leo; nec brachia Cancri
Urat atrox æstas; madidæ nec prodigus urnæ
Semina prærupto dissolvat Aquarius imbre.
Phrixeus roseo producat fertile cornu
Ver Aries; pingues nec grandine tundat olivas
Scorpios: auctumni maturet germina Virgo;
Lenior et gravidis allatret Sirius uvis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus ambit

Oppida laxatis ausus iam pandere portis,
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exesosque situ cogit splendere ligones;
Agnoscitque casas, et collibus oscula notis
Figit, et impresso glebis non credit aratro.
Exectis, inculta dabant quas secula, sylvis
Restituit terras, et opacum vitibus Histrum
Conserit, et patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit: te sospite, fas est
Vexatum laceri corpus iuvenescere regni.
Sub tot principibus quæcumque amisimus olim,
Tu reddis: solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix:
Inque suos fines tandem redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
Nec tamen humano cedit cœleste favori
Iudicium, cingunt Superi concordibus unum
Præsidiis, hostesque tuos aut litore produnt,
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor,
Aut in se vertunt furiis, aut militis ense
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu.
Insidias retegunt, et in ipsa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi.
Ominibus ventura notant, aut alite monstrant,
Aut monitos certa dignantur imagine somnos.
Pro quibus innumeræ trabearum insignia terræ
Certatim petiera tibi: poscentibus ipse
Restiteras; et meus, aliarum prona favori,
Iudex dura sui, facibus succensa pudoris,
Tarda verecundis excusat præmia causis.
Ergo avidæ, tantosque novi spe consulis annos
Elusæ, dominæ pergunt ad limina Romæ.
Si minus annueres precibus, vel cogere certæ
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ,
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces:
Cuncta mihi semper Stilichon, quæcumque poposci,
Concessit, tantumque suos invidit honores.
Augusti potuit soceri contemnere fasces:
Iam negat et genero: si non ut ductor ab orbe,
Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.
Exiguumque putat, quod, sic amplexus Hiberam
Progeniem, nostros immoto iure nepotes
Sustinet, ut patrium commendet purpura Bætin?
Quod pulchro Mariæ fecundat germine regnum?
Quod dominis speratur avus? Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gæsa tenens, animoso pectore fatur:
Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen, quod iam numerare decebat?
Usque adeone levis pacati gloria Rheni?
Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cuius vestigia verrit
Cœrulus, Oceanique æstum mentitur, amictus:
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilichon, totam cum Scotus Iernen
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne litore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.
Tum spicis et dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:
Sperabam nullas trabeis, Gildone perempto,
Nasci posse moras: etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat fasces præbere triumpho?
Qui mihi Maurorum penitus lacrymabile nomen
Ignorare dedit? Post has, Œnotria, lentis
Vitibus intorquens hederas, et palmite largo
Vina fluens, Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis, ait, quas sola iuvare
Fama potest: quanto me dignius incitat ardor,
Ut præsente fruar, conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem?
Talibus alternant studiis; Romamque, precantes
Pro cunctis, hortantur, eat: nec segnius illa
Paruit officio: sed, raptis protinus armis,
Ocyor excusso per nubila sidera tendit.
Transvehitur Tuscos; Apenninusque volatu
Stringitur: Eridanus clypei iam fulgurat umbra.
Constitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor: tremit orbe corusco
Iam domus, et summæ tergunt laquearia cristæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
Servatas, Stilichon, per te, venerande, curules,
Ornatas necdum, fateor: quid profuit anni
Servilem pepulisse notam? defendis honorem,
Quem fugis; et spernis, tanta quem mole tueris;
Respuis oblatum, pro quo labente restitis?
Quænam causa moræ? quo me cunctabere rursus
Ingenio? Nullus Boreæ metus; omnis et Austri
Ora silet: cecidit Maurus; Germania cessit;
Et Ianum pax alta ligat. Te consule necdum
Digna feror? titulumne levem, parvique nitoris
Credimus, Augusti quem se decorare fatentur?
Sub iuga quo gentes, captivis regibus, egi?
Num, si prodigiis casus natura futuros
Signat, polluimur macula? Quod reris, Eois
Omen erat; quamquam nullis mihi cognita rebus
Fabula: vix tanto risit de crimine rumor.
Opprobriis stat nulla fides, nec litera venit
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
Est tua, quod, nostros qui consulis omnia Patres,
De monstris taceas: pellendi denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cœtum:
Nec mea funestum versavit curia nomen.
Pars sceleris dubitasse fuit. Quæcumque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiæ fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit: lætetur, quisquis Eoos
Scribere desierit: fastos portenta Gabinos
Ista latent: propriam labem tersisse laborent.
Cur ego, quem nunquam didici sensive creatum,
Gratuler exemtum? Delicti pœnitet illos:
Nos nec credidimus. Fuerit tamen omnibus unum
Crimen, et ad nostras manaverit usque secures;
Plus ideo sumenda tibi fastigia iuris,
Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat: nullo sarciri consule damnum,
Excepto Stilichone, potest. Bene præscia tempus
Mens tua distulerat: titulo tunc crescere posses;
Nunc per te titulus. Consul succurre gravatis
Consulibus, quicumque fuit, quicumque futurus.
Annum redde tuum, quem mox secura sequatur
Posteritas, nec iam doleat defensa vetustas.
Sit trabeis ultor Stilichon, Brutusque repertor.
Libertas populi, primo tunc consule Bruto,
Reddita per fasces: hic fascibus expulit ipsis
Servitium: instituit sublimem Brutus honorem;
Asseruit Stilichon: plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novum: quid tardius ore rubenti
Annuis, et solitus frontem circumluit ignis?
Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo

Te certum est, mirare libens ac suscipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, et eodem nevimus auro,
Aurea quo Lachesis sub te mihi sæcola texit.
Hic ego promissam sobolem, speratque mundo
Pignora, prælusi: veram mox ipse probabis
Me vatem; nostræque fidem venientia telæ
Fata dabunt: dixit, gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas: insigne Minervam
Spirat opus: rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus. Lucina labores
Solatur: residet fulgente puerpera lecto.
Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris.
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant: teneros de stamine risus,
Vagitusque audire putes: iam creverat infans
Ore ferens patrem; sed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fucantem Serica fræna
Sanguineis, primæ signatus flore iuventæ,
Eucherius flectebat equum; iaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos,
Aureus ipse, ferit. Venus hic, invecta columbis,
Tertia regali iungit connubia nexu;
Pennatique nurum circumstipantur Amores,
Progenitam Augustis, Augustorumque sororem.
Eucherius trepido iam flammea sublevat ore
Virginis: arridet læto Thermantia fratri.
Nam domus hæc utroque petit diademata sexu;
Reginasque parit, reginarumque maritos.
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva simul porrexit ebur: solennibus urnam
Commovet auspiciis, avibusque incepta secundat.
Tunc habiles armis humeros Dea vestibus ambit
Romuleis: Latii sederunt pectore cultus:
Loricæque locum decuit toga: talis ab Istro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Deposito mitis clypeo, candentibus Urbem
Ingreditur trabeatus equis: spatiosa Quirinus
Fræna regit, currumque patris Bellona, cruentam
Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum,
Præcedit; lictorque Metus, cum fratre Pavore,
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiusque iugales,
Formido ingentem vibrat succincta securim.
Vidit ut optato se consule Roma potitam,
Nunc, ait, Elysii lucos irrumpere campi,
Nunc libet; ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciisque feram, famæ qui vulnere nuper
Calcatam flevere togam. Iam prata choreis
Pulsent, nec rigidos pudeat lusisse Catones.
Audiat hoc senior Brutus, Pœnisque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis,
Unius auxilio fasces Libyamque recepi.
Quod superest, unum precibus, fortissime consul,
Adde meis; Urbique tuum largire parumper,
Quem rogat, adventum: quam tu, belloque fameque
Depulsa, terris iterum regnare dedisti.
Splendida suscipiant alium te Rostra Camillum.
Ultorem videant servatoremque Quirites,
Et populus, quem ductor ames; quibus Africa, per te,
Nec prius auditas Rhodanus iam donat aristas;
Ut mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas, messesque vehant nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo; cunctis ditescant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi!
Fallax o quoties pulvis deludet amorem
Suspensum, veniens omni dum crederis hora!
Spectabunt cupidæ matres; spargentur et omnes
Flore viæ, superes cum Pythia limina consul
Arduus, antiqui species Romana senatus.
Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus!
Ad cœlum quoties vallis tibi Murtia ducet
Nomen, Aventino Pallanteoque recessu!
Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis,
Mox et cum genero trabeis visura secundis.
Hæc dum Roma refert, iam Fama loquacibus alis
Pervolat Oceanum; linguis et mille citatos
Festinare iubet proceres; nullique senectus,
Non iter, hibernis obstant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clarique vetustis
Fascibus ad socii properant et vindicis annum.
Sic, ubi fecunda reparavit morte iuventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Unguibus ossa piis, Nilique ad litora tendens,
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro;
Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem: procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama busti.
Nec minor in cœlo chorus est: exsultat uterque
Theudosius, Divique tui. Sol ipse, quadrigis
Vere coronatis, dignum tibi præparat annum.
Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,
Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine, serpens:
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos, vultu longæva decoro,
Ante fores Natura sedet; cunctisque volantes
Dependent membris animæ: mansura verendus
Scribit iura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt,
Ac pereunt fixis cum legibus; ille recenset,
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis,
Proficiat mundo; quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni; quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius, erret.
Illius ut magno Sol limine constitit antri,
Accurrit Natura potens, seniorque superbis
Canitiem inclinat radiis: tunc sponte reclusos
Laxavit postes adamas: penetrale profundum
Panditur; et sedes ævique arcana patescunt.
Hic habitant, vario faciem distincta metallo,
Sæcula certa locis; illic glomerantur ahena;
Hic ferrata rigent; illic argentea candent.
Eximia regione domus, contingere terris
Difficiles, stabant rutili, grex aureus, anni;
Quorum præcipuum pretioso corpore Titan
Signandum Stilichone legit: tunc imperat omnes
Pone sequi; dictisque simul compellat euntes:
En, cui distulimus melioris sæcla metalli,
Consul adest. Ite optati mortalibus anni.
Ducite virtutes: hominum florescite rursus
Ingeniis, hilares Baccho, frugumque feraces.
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet; immodico nec frigore sæviat Ursa.
Non torvo fremat igne Leo; nec brachia Cancri
Urat atrox æstas; madidæ nec prodigus urnæ
Semina prærupto dissolvat Aquarius imbre.
Phrixeus roseo producat fertile cornu
Ver Aries; pingues nec grandine tundat olivas
Scorpios: autumni maturet germina Virgo;
Lenior et gravidis allatret Sirius uvis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus ambit

Rivus, et irriguis largum iubar ingerit herbis,
Quas Solis pascuntur equi: fragrantibus inde
Cæsariem sertis, et luteo lora iubasque
Subligat alipedum; gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc Aurora comas: iuxtaque arridet habenis
Aureus, et nomen prætendit consulis annus:
Inque novos iterum revoluto cardine cursus
Scribunt ætheriis Stilichonem sidera fastis.

De II. Consulatu Stilichonis,

PRÆFATIO

Maior Scipiades, Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non sine Pieriis exercuit artibus arma:
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas.
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.
Ergo seu patriis primævus Manibus ultor,
Subderet Hispanum legibus Oceanum,
Seu, Tyrias certa fracturus cuspide vires,
Inferret Libyco signa tremenda mari?
Hærebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.
Illi, post lituos, pedites favere canenti;
Laudavitque nova cæde cruentus eques.
Cumque triumpharet, gemina Carthagine victa,
(Hanc vindex patris vicerat, hanc patriæ)
Cum longi Lybiam tandem post funera belli
Ante suos mæstam cogeret ire rotas;
Advexit reduces secum Victoria Musas;
Et sertum vati Martia laurus erat.
Noster Scipiades Stilichon, quo concidit alter
Hannibal, antiquo sævior Hannibale,
Te mihi, post quintos annorum, Roma, recursus
Reddidit, et votis iussit adesse suis.

De II. Consul. Stilichonis Liber.

Quem populi plausu, procerum quem voce petebas,
Aspice, Roma, virum: iam tempora desine longæ
Dinumerare viæ, visoque assurgere semper
Pulvere: non dubiis ultra torquebere votis.
Totus adest oculis, aderat qui mentibus olim,
Spe maior, fama melior: venerare curulem,
Quæ tibi restituit fasces: complectere dextram,
Sub iuga quæ Pœnos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur
Imperii, cuius libratur sensibus orbis.
Os sacrum, quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens: hic est pro te bellator ubique,
Defensor Libyæ, Rheni pacator et Histri.
Ostentare suos prisco si more labores,
Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas;
Certassent utroque pares a cardine laurus.
Hæc Alamannorum spoliis, Australibus illa
Ditior exuviis: illinc flavente Sicambri
Cæsarie, nigris hinc Mauri crinibus irent:
Ipse albis veheretur equis; currumque secutus
Laurigerum, festo fremuisset carmine, miles.
Hi famulos traherent reges: hi facta metallo
Oppida, vel montes captivaque flumina, ferrent.
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes:
Inde catenato gemeret Germania Rheno.
Sed non immodicus proprii iactator honoris
Consul, Roma, tuus. Non illum præmia tantum,
Quam labor ipse iuvat: strepitus fastidit inanes;
Inque animis hominum pompa meliore triumphat.
Non alium certe Romanæ clarius arces
Suscepere ducem, nec cum cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cum Capitolia curru
Pellææ domitor Paulus conscenderet aulæ.
Nec similis Latias patefecit gloria portas,
Post Numidas Mario, post classica Martis Eoi
Pompeio: nulli pars æmula defuit unquam,
Quæ gravis obstreperet laudes, stimulisque malignis
Facta sequebatur, quamvis ingentia, Livor.
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumque modum: quis enim livescere possit,
Quod nunquam pereant stellæ? quod Iupiter altum
Possideat cœlum? quod noverit omnia Phœbus?
Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis
Invidiæ mensura capit: ductoribus illis
Præterea divisus erat favor: æquior ille
Patribus, invisus plebi; popularibus illi
Munito studiis languebat gratia Patrum.
Omnis in hoc uno variis discordia cessit
Ordinibus: lætatur eques, plauditque senator;
Votaque patricio certant plebeia favori.
O felix, servata vocat quem Roma parentem!
O mundi communis amor, cui militat omnis
Gallia, quem regum thalamis Hispania nectit!
Cuius et adventum crebris petiere Quirites
Vocibus, et genero meruit præstante senatus!
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non lassis optantur flamina nautis,
Ut tuus aspectus populo: quæ numine tanto
Litora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulget Apollinis arcus?
Quæ sic aurifero Pactoli fonte tumescit
Lydia, cum domitis apparuit Evius Indis?
Nonne vides, et plebe vias, et tecta latere
Matribus? et, Stilichon, cunctis inopina reluxit
Te victore salus! Septem circumspice montes,
Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
Indutosque arcus spoliis, æquataque templa
Nubibus, et quidquid tanti struxere triumphi.
Quantum profueris, quantam servaveris urbem,
Attonitis metire oculis: hæc fabula certe
Cuncta forent, si Roma adhuc incumberet Austro.
Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste
Casurum potuit morti subducere civem.
At tibi quæ poterit pro tantis civica reddi
Mœnibus? aut quantæ pensabunt facta coronæ?
Nec solam populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis; sed, quo iucundior esset
Lucis honoratæ fructus, venerabile fauom
Pondus, et amissas vires, et regna recepit.
Iam non præstumidi supplex Orientis ademtam
Legatis poscit Libyam, famulosve precatur,
Dictu turpe, suos: sed, robore freta Gabino,
Te duce, Romana tandem se vindicat ira.
Ipsa iubet signis; bellaturoque togatus
Imperat; et spectant aquilæ decreta senatus.
Ipsa tibi trabeas ultro dedit; ipsa curulem
Obtulit ultori, fastosque ornare coegit.
Nil perdit decoris prisci, nec libera quærit
Sæcula, cum donet fasces, cum prælia mandet:
Seque etiam crevisse videt: quis Gallica rura,
Quis meminit Latio Senonum servisse ligones?
Aut quibus exemplis fœcunda Thybris ab Arcto
Vexit Lingonico sudatas vomere messes?
Illa seges non auxilium modo præbuit Urbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi, Roma, liceret.
Admonuit dominæ gentes; instarque tropæi,
Retulit ignotum gelidis vectigal ab oris.
Hoc quoque maiestas augescit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quod iudice pallent;

Et post emeritas moderator quisque secures
Discrimen letale subit: quid Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.
Ardua qui late terris responsa dedere,
Hinc trepidant humiles: tremuit quos Africa nuper,
Cernunt Rostra reos: cani virtutibus ævi
Materiem pandit Stilichon: populumque, vetusti
Culminis immemorem, dominandi rursus in usum
Excitat, ut magnos calcet metuendus honores,
Pendat iustitia crimen, pietate remittat
Errorem, puros que probet, damnetque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior extat,
Quam sub rege pio. Quos præficit ipse regendis
Rebus, ad arbitrium plebis Patrumque reducit;
Conceditque libens, meritis seu præmia poscant,
Seu punire velint. Posito iam purpura fastu
De se iudicium non indignatur haberi.
Sic docuit regnare socer: sic cauta iuventæ
Fræna dedit: teneros his moribus [induit] annos,
Verior Augusti genitor, fiducia belli,
Pacis consilium; per quem, squalore remoto,
Pristina Romuleis inflornit arcibus ætas:
Per quam, fracta diu translataque pæne potestas,
Non oblita sui servilibus exulat arvis;
In proprium sed ducta larem, victricia reddit
Fata solo, fruiturque iterum, quibus hæserat olim,
Auspiciis, capitique errantia membra reponit.
Proxime Dis consul, tantæ qui prospicis Urbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther;
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit; quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris;
Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi,
Armorum legumque parens; quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a sede profectas
Dispersit cum Sole manus: hæc, obvia fatis,
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Nunquam succubuit damnis; et territa nullo
Vulnere, post Cannas maior Trebiamque fremebat:
Et cum iam premerent flammæ, murumque feriret
Hostis, in extremos aciem mittebat Hiberos.
Nec stetit Oceano: remisque ingressa profundum,
Vincendos alio quæsivit in orbe Britannos.
Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civesque vocavit,
Quos domuit; nexuque pio longinqua revinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes;
Quod sedem mutare licet: quod cernere Thulen
Lusus, et horrendos quondam penetrare recessus;
Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem;
Quod cuncti gens una sumus: nec terminus unquam
Romanæ ditionis erit: nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia, vertit.
Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas;
Atque idem Thebis cecidit: sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses.
Subiecit Persen Macedo, cessurus et ipse
Romanis. Hæc auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc sacris animata Numæ: huic fulmina vibrat
Iupiter; hanc tota Tritonia Gorgone velat.
Arcanas huc Vesta faces, huc orgia secum
Transtulit, et Phrygios Genitrix turrita leones.
Huc, depulsurus morbos, Epidaurius hospes
Reptavit placido tractu; vectumque per undas
Insula Pæonium texit Tiberina draconem.
Hanc tu cum Superis, Stilichon præclare, tueris:
Protegis hanc clypeo, matrem regumque ducumque,
Præcipueque tuam. Dedit hæc exordia lucis
Eucherio; puerumque ferens hic regia mater
Augusto monstravit avo: lætatus at ille
Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem.
Romaque venturi gaudebat præscia fati,
Quod te iam tanto meruisset pignore civem:
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Nesciat, hunc credas populum, si volvere priscos
Annales libeat, quoties hic prælia sumsit
Pro sociis, quoties dono concessit amicis
Regibus Ausonio quæsitas sanguine terras!
Publica sed nunquam tanto se gratia fudit
Assensu: quis enim princeps [non omnibus egit]
Obsequiis, dominum sese patremque vocari;
Quod tibi continuis resonant convexa diebus?
Macte novis, consul, titulis. Mavortia plebes
Te dominum, Bruto non indignante, fatetur.
Et, quod adhuc nullo potuit terrore subacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit. Exultant avidi, quocumque decorus
Conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt:
Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu,
Seu Circum, trabeis fulgentibus aureus, intres;
Seu celebres ludos; solio seu fultus eburno
Cingas iure forum; denso seu turbine vulgi
Circumfusa tuæ conscendant Rostra secures.
Quæ vero procerum voces, quam certa fuere
Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis,
Ipsa duci sacras Victoria panderet alas!
O palma viridi gaudens, et amicta tropæis,
Custos imperii virgo, quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem!
Seu tibi Dictææ placuerunt astra Coronæ;
Seu magis æstivo sedes vicina Leoni;
Seu sceptrum sublime Iovis, seu Pallados ambis
Ægida; seu fessi mulces suspiria Martis;
Adsis perpetuum Latio, votisque senatus
Annue, Diva, tui. Stilichon tua sæpius ornet
Limina; teque simul rediens in castra reducat.
Hunc bellis comitare favens: hunc redde togatum
Consiliis. Semper placidis te moribus egit;
Servavitque piam victis, nec polluit unquam
Laurum sævitia: cives nec fronte superba
Despicit, aut trepidam vexat legionibus Urbem.
Sed vetus patriæ consul, cessantibus armis,
Contentus lictore venit; nec inutile quærit
Ferri præsidium, solo munitus amore.
Magnarum nec parcus opum geminare profundas
Distulit impensas; sed post miracula castris
Edita vel genero, Romæ maiora reservat.
Auratos Rhodiis imbres, nascente Minerva,
Indulsisse Iovem perhibent; Bacchoque paternum
Iam pulsante femur, mutatus palluit Hermus
In pretium, votique famem passurus avari,
Ditabat rutilo, quidquid Mida tangeret, auro:
Fabula, seu verum, canitur; tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluviasque Tonantis,
Obscurat veteres, obscurabitque futuras,
Par donis armisque manus: si solveret ignis,
Quas dedit immanes vili pro pondere massas,
Argenti potuere lacus et flumina fundi.
Nec tibi, quæ pariter silvis dominaris et astris,
Exiguam Stilichon movit, Latonia, curam.

Tu quoque nobilibus spectacula nostra laboras
Illustrare feris; summoque in vertice rupis
Alpinæ socias, arcu cessante, pudicas,
Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
Concilium: veniunt, humeros et brachia nudæ,
Armatæque manus iaculis, et terga sagittis;
Incomtæ, pulchræque tamen: sudoribus ora
Pulverulenta rubent: sexum nec cruda fatetur
Virginitas: sine lege comæ: duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant. Præcedit amicas
Flava Leontodame, sequitur nutrita Lyceo
Nebrophone, telisque domat quæ Mænala, Thero.
Ignea Cretæa properat Britomartis ab Ida,
Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste.
Iungunt se geminæ, metuenda feris Hecaerge,
Et soror, optatum numen venantibus, Opis,
Progenies Scythiæ: Divas nemorumque potentes
Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis.
Hæ septem venere duces: exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formosa Dianæ,
Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem, casto genuit quas flumine Ladon.
Has ubi collectas vidit, sic Delia cœpit:
O sociæ, mecum thalami quæ iura perosæ
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis, ut Latio Superi communibus ornent
Hunc annum studiis? quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges? laudi quam nulla canendæ
Fratris plectra vacent? Nostram quoq; sentiat idem,
Quam meritis debemus, opem. Non spicula poscit
Iste labor; maneant clausis nunc sicca pharetris;
Omnis et a solitis noster venatibus arcus
Temperet: in solam cruor hic servetur arenam.
Retibus et clathris, dilata morte, tenendæ,
Ducendæque feræ. Cupidas arcete sagittas:
Consulis in plausum casuris parcite monstris.
Acceleret divisa manus: mihi cursus anhelas
Tenditur ad Syrtes: mecum Dictæa Lycaste,
Et comes Opis eat; steriles iuvat ire per æstus.
Namque feras aliis tellus Maurusia donum
Præbuit; huic soli debet, ceu victa, tributum.
Dum nos horribiles Libyæ scrutamur alumnos,
Europæ vos interea perquirite saltus,
Et scopulos: posita ludat formidine pastor;
Securisque canat Stilichonem fistula silvis.
Pacet muneribus montes, qui legibus urbes.
Dixit, et extemplo frondosa fertur ab Alpe
Trans pelagus: cervi currum subiere iugales,
Quos, decus esse Deæ, primi sub limine cœli
Roscida fœcundis concepit Luna cavernis.
Par nitor intactis nivibus: frons discolor auro
Germinat; et, spatio summas æquantia fagos,
Cornua ramoso surgunt procera metallo.
Opis fræna tenet: fert retia rara Lycaste,
Auratasque plagas: immortalesque Molossi
Latrantes mediis circum iuga nubibus ibant.
Quinque aliæ paribus (Phœbe sic inserat) armis
Diversa regione ruunt; ducuntque cohortem
Quæque suam: variæ formis et gente sequuntur
Ingenioque canes; illæ gravioribus aptæ
Morsibus; hæ pedibus celeres; hæ nare sagaces:
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ.
Dalmatiæ lucos, abruptaque brachia Pindi,
Sparsa comam Britomartis agit: tu Gallica cingis
Lustra, Leontodame; Germanorumque paludes
Eruis, et si quis, defensus arundine Rheni,
Vastus aper nimio dentes curvaverit ævo.
Nubiferas Alpes, Apenninique recessus,
Garganique nives, Hecaerge prompta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Hiberas,
Informesque cavis ursos detrudit ab antris,
Quorum sæpe Tagus manantes sanguine rictus
Non satiavit aquis, et quos iam frigore segnes
Pyrenæa tegit latebrosis frondibus ilex.
Cyrneis Siculisque iugis venata, virago
Nebrophone, cervos aliasque in vincula cogit
Non sævas pecudes, sed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum: quodcumq; tremendum
Dentibus, aut insigne iubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum setis, capitur: decus omne timorque
Sylvarum. Non cauta latent; non mole resistunt
Fortia; non volucri fugiunt pernicia cursu.
Hæc laqueis innexa gemunt; hæc clausa feruntur
Ilignis domibus: fabri nec tigna polire
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur et ornis
Frondentes caveæ: ratibus pars ibat onustis
Per freta, per fluvios. Exanguis dextera torpet
Remigis, et propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis; longoque morantur
Ordine plaustra vias, montani plena triumphi:
Et fera sollicitis vehitur captiva iuvencis,
Explebat quibus ante famem: quotiesque reflexi
Conspexere boves, pavidi temone recedunt.
Iamque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Hesperidas qui sæpe fugant, ventoque citatis
Terrificant Atlanta iubis, armentaque longe
Vastant Æthiopum, quorumque impune fragosa
Murmura pastorum nunquam venere per aures.
Non illos tædæ ardentes, non strata superne
Lapsuro virgulta solo, non vocibus hœdi
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.
Ultro se voluere capi; gaudentque videri
Tantæ præda Deæ: respirant pascua tandem:
Agricolæ reserant iam tuta mapalia Mauri.
Tum virides pardos, et cætera colligit Austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen,
Per proceres et vulgus eant; stupor omnibus Indis,
Plurimus ereptis elephas inglorius errat
Dentibus: insedit nigra cervice gementum,
Et fixum Dea quassat ebur; penitusque cruentis
Stirpibus avulsis patulos exarmat hiatus.
Ipsos quinetiam nobis miracula vellet
Ducere: sed pigra cunctari mole veretur.
Tyrrhenas fœtus Libycos amplexa per undas
Classica turba sonat; caudamque a puppe retorquens,
In proram iacet usque leo: vix sublevat unum
Tarda ratis: fremitus stagnis auditur in imis;
Cunctaque prosiliunt cete; terrenaque Nereus
Confert monstra suis; et non æquare fatetur.
Æquora sic victor quoties per Rubra Lyæus
Navigat, intorquet clavum Silenus, et acres
Insudant tonsis Satyri; taurinaque pulsu
Baccharum Bromios iuvitant tympana remos.
Transtra ligant hederæ: malum circumflua vestit
Pampinus: antennis illabitur ebria serpens:
Perque mero madidos currunt saliuntque rudentes
Lynces, et insolitæ mirantur carbasa tigres.

De Bello Getico

PRÆFATIO

Post resides annos, longo velut excita somno,
Romanis fruitur nostra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus;

Personat et noto Pythia vate domus.
Consulis hic fasces cecini, Libyamque receptam:
Hic mihi prostratis bella canenda Getis.
Sed prior effigiem tribuit successus ahenam,
Oraque patricius nostra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum, poscente senatu.
Respice, iudicium quam grave, Musa, subis!
Ingenio minuit merces properata favorem;
Carminibus veniam præmia tanta negant.
Et magis intento studium censore laborat,
Quod legimur medio conspicimurque foro.
Materies tamen ipsa iuvat, solitumque timoris
Dicturo magna sedula parte levat:
Nam mihi conciliat gratas impensius aures
Vel meritum belli, vel Stilichonis amor.

De Bello Getico Liber.

Intacti cum claustra freti, coeuntibus æquor
Armatum scopulis, audax irrumperet Argo,
Æetan Colchosque petens; propiore periclo
Omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
Incolumem tenui damno servasse carinam
Fertur, et ancipitem montis vitasse ruinam,
Deceptoque vagæ concursu rupis in altum
Victricem duxisse ratem: stupuere superbæ,
Arte viri domitæ, Symplegades; at nova passæ
Iura soli, cunctis faciles iam puppibus hærent,
Ut vinci didicere semel. Quod si ardua Tiphyn
Navis ob innocuæ meritum sic gloria vexit:
Quæ tibi, pro tanti pulso discrimine regni,
Sufficiant laudes, Stilichon? Licet omnia vates
In maius celebrata ferant, ipsamque secandis
Argois trabibus iactent sudasse Minervam;
Nec nemoris tantum iunxisse carentia sensu
Robora, sed, cæso Tmarii Iovis augure luco,
Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.
Plurima sed quamvis variis miracula monstris
Ingeminent teneras vincturo carmine mentes;
Harpyiasque truces, insopitisque refusum
Tractibus aurati custodem velleris anguem,
Et iuga taurorum rapidis ambusta favillis,
Et virides galeis sulcos, fœtasque novales
Martis, at in segetem crescentia semina belli;
Nil veris æquale dabunt. Prohibere rapaces
Scilicet Harpyas, unaque excludere mensa,
Nobilior titulus, quam tot potuisse paratas
In Latii prædam Geticas avertere fauces?
Anne ego terrigenas potius mirabor in ipsis
Procubuisse satis, vitæ quibus attulit idem
Principium finemque dies, quam cæsa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona tropæis,
Totaque sub galeis Mavortia canuit ætas?
Per te namque unum mediis exuta tenebris
Imperio sua forma redit; claustrisque solutæ
Tristibus, exangues audent procedere leges.
Iamque potestates priscus discriminat ordo
Iustitiæ, quas ante pares affecerat una
Nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
Eripuit: tectisque suis redduntur et agris
Damnati fato populi, virtute renati.
Iam non, in pecorum morem formidine clausi,
Prospicimus sævos campis ardentibus ignes;
Alta nec incertis metimur lumina votis,
Excidio latura moram: non poscimus amnes
Undosam servare fidem: nubesque fugaces,
Aut coniuratum querimur splendere serenum.
Ipsa quoque, [internis] furiis exercita plebis,
Securas iam Roma levat tranquillior arces,
Surge, precor, veneranda parens, et certa secundis
Fide Deis; humilemque metum depone senectæ,
Urbs æquæva polo. Tum demum ferrea sumet
Ius in te Lachesis, cum sic mutaverit axem
Fœderibus Natura novis, ut, flumine verso,
Irriget Ægyptum Tanais, Mæotida Nilus;
Eurus ab Occasu, Zephyrus se prodat ab Indis,
Caucasiisque iugis calido nigrantibus Austro,
Gætulas Aquilo glacie constringat arenas.
Fatales hucusque manus, crebrisque notatæ
Prodigiis abiere minæ: nec sidera pacem
Semper habent: ipsumque Iovem, turbante Typhoeo,
Si fas est, tremuisse ferunt, cum brachia centum
Montibus armaret totidem, spiramque retorquens,
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.
Quid mirum, si regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos asper Aloeus,
Martem subdiderint vinclis, at in astra negatas
Tentarint munire vias, stateritque revulsis
Pæne tribus scopulis cœlesti machina bello.
Sed caret eventu nimius furor: improba nunquam
Spes lætata diu: nec pervenere iuventæ
Robur Aloidæ: dum vallere Pelion Otus
Nititur, occubuit Phœbo; moriensque Ephialtes
In latus obliquam proiecit languidus Ossam.
Aspice, Roma, tuum iam vertice celsior hostem
Aspice, quam rarum referens inglorius agmen
Italia detrusus est; quantumque priori
Dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti
Pollicitus, patrii numen iuraverat Histri,
Non nisi calcatis loricam ponere Rostris.
O rerum fatique vices! qui fœda parabat
Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
Coniugibus permixta trahi: qui mente profunda
Hauserat Urbis opes, ultro victoribus ipse
Præda fuit: nostri quondam qui militis auro
Aggressus tentare fidem, desertus ab omni
Gente sua, manibusque redit truncatus et armis.
Hoc quoque, quod veniam leti valuere mereri,
Si positis pendas odiis, ignoscere pulchrum
Iam misero, pœnæque genus vidisse precantem.
Quæ vindicta prior, quam cum formido superbos
Flectit, et assuetum spoliis affligit egestas?
Sed magis ex aliis fluxit clementia causis,
Consulitur dum, Roma, tibi: tua cura coegit
Inclusis aperire fugam, ne peior in arcto
Sæviret rabies, venturæ conscia mortis.
Nec tanti nomen stirpemque abolere Getarum,
Ut propius peterere, fuit. Procul arceat altus
Iupiter, ut delubra Numæ, sedemque Quirini,
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit, et arcanum tanti deprendere regni.
Quamquam, si veterum certamina rite recordor,
Tunc etiam, pulchra cum libertate vigerent,
Et propria late florerent milite Patres,
Semper ab his famæ petiere insignia bellis,
Quæ diversa procul tuto trans æquora vires
Exercere dabant: currus, regumque catenæ,
Inter abundantis fati ludibria, ductæ.
At vero Italiam quoties circumstetit atrox
Tempestas, ipsamque caput læsura pependit;
Non illis vani ratio ventosa favoris,
Sed graviter spectata salus; ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omnia casu,
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu nimius, spatiumque morandi,
Vincendique modum, mutatis nosset habenis.
Cautius ingentes morbos, et proxima cordi
Ulcera, Pæoniæ tractat sollertia curæ;

Parcendoque secat, ferro ne largius acto
Irrevocandus eat sectis vitalibus error.
Sublimi certe Curium canit ore vetustas,
Æaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum.
Nec magis insignis Pauli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quam vincla Iugurthæ.
Et, quamvis gemina fessum iam clade fugarit,
Post Decii lituos, et nulli pervia culpæ
Pectora Fabricii, donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.
Quanto maius opus solo Stilichone peractum
Cernimus! hic validam gentem, quam dura nivosis
Educat Ursa plagis, non Chaonas atque Molossos,
Quos Epirus alit, nec Dodonæa subegit
Agmina, fatidicam frustra iactantia quercum.
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compressit Fabius: campo post ausus aperto,
Marcellus vinci docuit: sed tertia virtus
Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris.
Unus in hoc Stilicho diversis artibus hoste
Tres potuit superare duces; fregitque furentem
Cunctando, vicitque manu, victumque relegat:
Atq; hæc tanta brevi! Miscentem incendia Pyrrhum
Sustinuit toto mœrens Œnotria lustro:
Et propter senas Itali per graminis herbas
Massylus Pœno sonipes vastante cucurrit;
Hannibalemque senem vix ad sua repulit arva,
Vindex sera patrum, post bellum nata iuventus.
Hic celer effecit, bruma ne longior una
Esset hiems rerum; primis sed mensibus æstas
Temperiem cœlo pariter belloque referret. (annis
Sed quid ego, Hannibalem contra Pyrrhumque, tot
Certatum memorem? vilis cum Spartacus, omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus et igni,
Consulibusque palam toties congressus, inertes
Exuerit castris dominos, et strage pudenda
Fuderit imbelles aquilas servilibus armis.
Nos, terrorum expers et luxu mollior ætas,
Deficimus queruli, si bos abductus aratro,
Si libata seges. Non hanc ergastula nobis
Immisere manum, nec coniurantis arenæ
Turba fuit. Qualem Stilichon deiecerit hostem,
Thraces et Hæmonii poterunt, Mœsique, fateri.
Frigida ter decies undatum frondibus Hæmum
Tendit hiems vestire gelu; totidemque solutis
Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
Ex quo iam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Istrum transvecta semel, vestigia fixit
Threicio funesta solo; seu fata vocabant,
Seu gravis ira Deum, seriem meditata ruinis.
Ex illo, quocumque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites, per clausa, ruunt; nec contigit ullis
Amnibus aut scopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hæmus
Odrysiis: facili contentum Strymona saltu,
Et frustra rapidum damnant Aliacmona Bessi.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum
More pererratum campi: gemit irrita Tempe
Thessalus, et domitis irrisam cautibus Œten.
Sperchiusque, et virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lavere comas. Non obiice Pindi
Servati Dryopes; nec nubifer Actia texit
Litora Leucates: ipsæ, quæ durius olim
Restiterant Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ: vallata mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquora muro
Isthmos, et angusti patuerunt claustra Lechæi.
Nec tibi Parrhasios licuit munire colonos
Frondosis, Erymanthe, iugis; equitataque summi
Culmina Taygeti trepidæ vidistis Amyclæ.
Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes
Exegere Getis: tot tandem flumina victor
Vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus, alte
Fatorum secreta tegi: quisquamne, reclusis
Alpibus, ulterius Latii fore credidit umbram?
Nonne, velut capta, rumor miserabilis, Urbe,
Trans freta, trans Gallos, Pyrenæumque cucurrit;
Famaque, nigrantes succincta pavoribus alas,
Secum cuncta trahens, a Gadibus usque Britannum
Terruit Oceanum, et nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen?
Mandemusne Noti flabris, quoscumque timores
Pertulimus, festæ doleant ne tristibus aures?
An potius meminisse iuvat, semperque vicissim
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores?
Utque sub occidua iactatis Pliade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum;
Sic mihi tunc maior Stilichon, cum læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
Turribus invalidis fragiles procumbere muri,
Ferrataque Getis ultro se pandere portæ?
Nec vallum densæque sudes arcere volantes
Cornipedum saltus? Iam iam conscendere puppes,
Sardoosque habitare sinus, et inhospita Cyrni
Saxa parant, vitamque freto spumante tueri.
Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto,
Si rerum natura sinat, discedere longe
Optet, et Ionium refugo laxare Peloro.
Fultaque despiciens auro laquearia, dives
Tutior Æoliis mallet vixisse cavernis.
Iamque pueri creduntur opes; tandemque libido
Hæsit avaritiæ, gravioribus obruta curis.
Utque est ingenioque loquax, et plurima fingi
Permittens, credique timor; tum somnia vulgo
Narrari; tum monstra Deum, monitusque sinistri:
Quid meditentur aves; quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui; quid carmine poscat
Fatidico custos Romani carbasus ævi.
Terrebat assiduus Lunæ labor, atraque Phœbe
Noctibus ærisonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam Sole sororem
Telluris subeunte globo; sed, castra secutas
Barbara, Thessalidas patriis lunare venenis
Incestare iubar. Tunc anni signa prioris,
Et si quod fortasse quies neglexerat omen,
Addit cura novis: lapidosos grandinis ictus,
Molitasque examen apes, passimque crematas
Perbacchata domos nullis incendia causis,
Et nunquam cœlo spectatum impune cometen,
Qui, primum roseo Phœbi prolatus ab ortu,
Qua micat astrigera senior cum coniuge Cepheus,
Inde Lycaonia paulatim expulsus ab Arcto,
Crine vago Getici fœdavit sidera plaustri;
Donec in exiguum moriens vanesceret ignem.
Sed gravius mentes cæsorum ostenta luporum
Horrificant: duo quippe lupi sub Principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen, et excepti telis, immane relatu
Prodigium, miramque notam duxere futuri.
Nam simul humano geminas de corpore palmas
Utraque perfossis amisit bellua costis:
Illo læva tremens, hoc dextera ventre, latebant,
Intentis ambæ digitis, et sanguine vivo.
Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
Ora sub Augusti casurum prodidit hostem.

Utque mauus utero virides patuere retecto,
Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.
Sed, malus interpres rerum, metus omne trahebat
Augurium peiore via; truncataque membra,
Nutricemque lupam, Romæ rguoque minari.
Tunc reputant annos; interceptoque volatu
Vulturis, incidunt properatis sæcula metis.
Solus erat Stilichon, qui desperantibus augur
Sponderet meliora manu; dubiæque salutis
Dux idem vatesque fuit. Durate parumper,
Inquit, et, excussis muliebribus ore querelis,
Fatorum toleremus onus. Nil nautica prosunt
Turbatæ lamenta rati; nec segnibus undæ
Planctibus, aut vanis mitescunt flamina votis.
Nunc instare manu, toto nunc robore niti
Communi pro luce decet: succurrere velis,
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes,
Omnibus et docti iussis parere magistri.
Non si, perfidia nacti penetrabile tempus,
Irrupere Getæ, nostras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio desudant Marte cohortes,
Idcirco spes omnis abit. Mirabile posset
Esse mihi, si fraude nova, vel calle reperto,
Barbarus ignotas invaderet inscius Alpes.
Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
Famosum vulgavit iter: nec nota fefellit
Semita præstructum bellis civilibus hostem.
Per solitas venere vias; aditusque sequendos
Barbarico Romana dedit discordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita sæclis.
Sæpe lacessitam, sed non impune, fatemur
Ausoniam: hæc Senonum restinxit sanguine flam-
Hæc, et Teutonico quondam patefacta furori, (mas.
Colla catenati vidit squalentia Cimbri.
Vile decus, quod non erexit prævius horror.
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.
Quid turpes iam mente fugas, quid Gallica rura
Respicitis, Latioque libet post terga relicto
Longinquum profugis Ararim præcingere castris?
Scilicet, Arctois concessa gentibus Urbe,
Considet regnum Rhodano, capitique superstes
Truncus erit? Vestros stimulant si pignora sensus,
Me quoque non impar naturæ cura remordet.
Nec ferro sic corda rigent, ut nosse recusem,
Quam sanctum soceri nomen, quam dulce mariti,
Quantus prolis amor. Sed nunquam, oblita decoris,
Obscœnam latebram pietas ignava requiret.
Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
Hic coniux, hic progenies, hic carior omni
Luce gener: pars nulla mei subducta procellæ.
Accipe tu nostræ, tellus Œnotria, mentis
Vincula, communes tecum subeuntia casus;
Exiguamque morem muris impende tuendis;
Dum redeo, lectum referens in classica robur.
His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
Pectora; migrantisque fugam compescuit aulæ.
Ausaque tum primum tenebris emergere pulsis
Hesperia, ut secum iunxisse pericula vidit
Augustum, tantoque sui stetit obside fati.
Protinus, umbrosa vestit qua litus oliva
Larius, et dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum prætervolat: ocyus inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes,
Nil hiemis cœlive memor. Sic ille, relinquens
Ieiunos antro catulos, immanior exit
Hiberna sub nocte leo, tacitusque per altas
Incedit furiale nives: stant colla pruinis
Aspera: flaventes astringit stiria setas:
Nec meminit leti, nimbosque aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret. Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia silvæ:
Quæ se Danubii iactat Rhenique parentem,
Utraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fonte breves, alto mox gurgite regnant,
Et fluvios cogunt unda coeunte minores
In nomen transire suum. Te Cimbrica Tethys
Divisum bifido consumit, Rhene, meatu.
Thracia quinque vadis Histrum vorat Amphitrite.
Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
Terga rotis: ambo Boreæ Martique sodales.
Sed latus, Hesperiæ quo Rhætia iungitur oræ,
Præruptis ferit astra iugis, panditque [tremendam]
Vix æstate viam. Multi, seu Gorgone visa,
Obriguere gelu: multos hausere profundæ
Vasta mole nives: cumque ipsis sæpe iuvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
Interdum glacie subitam labente ruinam
Mons dedit, et [trepidis fundamina subruit astris,]
Pendenti malefida solo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilichon loca. Nulla Lyæi
Pocula; rara Ceres. Raptos contentus in armis
Delibasse cibos, madidoque oneratus amictu,
Algentem pulsabat equum. Nec mollia fesso
Strata dedere torum: tenebris si cæca repressit
Nox iter, aut spelæa subit metuenda ferarum,
Aut pastorali iacuit sub culmine, fultus
Cervicem clypeo. Stat pallidus hospite magno
Pastor; et ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno.
Illa sub horrendis prædura cubilia sylvis,
Illi sub nivibus somni, curæque, laborque
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabant: illa tibi, Roma, salutem
Alpinæ peperere casæ. Iam fœdera gentes
Exuerant; Latiique audita clade feroces,
Vindelicos saltus et Norica rura tenebant.
Ac, veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falso rumore resolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina chorosque
Persultat vacuis effrena licentia tectis;
Si reducem dominum fors improvisa revexit,
Hærent attoniti; libertatemque perosus,
Conscia servilis præcordia concutit horror:
Sic ducis aspectu cuncti stupuere rebelles;
Inque uno princeps, Latiumque, et tota refulsit
Roma viro. Frons læta parum, non tristior æquo,
Non deiecta malis, mixta sed nobilis ira:
Qualis in Herculeo, quoties infanda iubebat
Eurystheus, fuit ore dolor; vel qualis in atram
Sollicitus nubem, mœsto Iove, cogitur æther.
Tantane vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit? hinc animo frustra tumuistis inani?
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit, ut vestros nequeat punire tumultus
Parte sui: neu vos, longe sermone petito,
Demorer, exemplum veteris cognoscite facti.
Cum ferus Ausonias perfringeret Hannibal arces,
Et Trebiam sævo geminassent funere Cannæ,
Nequidquã Emathium pepulit spes vana Philippum,
Ut, velut afflictos, ferro tentaret inerti,
Romanos commovit atrox iniuria Patres,
Urgerent maiora licet; graviterque tulere,
Urbibus inter se claris de culmine rerum
Congressis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet; sed, bella gerenti
Punica, Levino regis quoque prælia mandant.
Paruit imperiis consul: fususque Philippus
(Vilia dum gravibus populis interserit arma)

Prætereunte manu, didicit, non esse potentum
Tentandas, mediis quamvis in luctibus, iras.
Hoc monitu pariter nascentia bella repressit,
Et bello quæsivit opem, legitque precantes
Auxilio, mensus numerum, qui congruus esset,
Nec gravis Italiæ, formidandusve regenti.
Nec minus accepto nostræ rumore cohortes
(Sic ducis urget amor) properantibus undique signis
Conveniunt; visoque animi Stilichone recepti,
Singultus varios lacrymosaque gaudia miscent.
Sic armenta boum, quæ vasta turbida sylvis
Spargit hiems, cautus ac sibila nota magistri
Certatim repetunt, et avitæ pascua vallis;
Inque vicem se voce regunt, gaudentque fideles
Reddere mugitus; et qua sonus attigit aurem,
Rara per obscuras apparent cornua frondes.
Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper,
Vindelicis auctam spoliis, defensa probavit.
Venit et extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas
Perlegit exangues Picto moriente figuras.
Agmina quin etiam flavis obiecta Sygambris,
Quæque domant Cattos immansuetosque Cheruscos,
Huc omnes vertere minas; tutumque remotis
Excubiis, Rhenum solo terrore relinquunt.
Ullane posteritas credat? Germania, quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Tam sese placidam præstat Stilichonis habenis,
Ut nec præsidiis nudato limite tentet
Expositum calcare solum, nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.
Celsior o cunctis, unique æquande Camillo!
Vestris namque armis Alarici fracta, quievit
Ac Brenni rabies. Confusis rebus uterque
Divinam tribuistis opem: sed tardior ille
Iam captæ vindex patriæ; tu sospitis ultor.
O quantum mutata tuo Fortuna regressu!
Ut sese pariter diffudit in omne regni
Membra vigor, vivusque redit color urbibus ægris!
Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis
Fœmina dilecti fatis impensa mariti:
Et iuvenem, spretæ laniatum fraude novercæ,
Non sine Circæis Latonia reddidit herbis:
Cretaque, si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro:
Quem senior vates avium clangore repertum
Gramine restituit: miræ nam munere sortis,
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos sub morte iacentes,
Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
Ipso Roma die, nec adhuc ostenditur auctor,
Personuit venisse ducem, lætisque Quirites
Vocibus auspicium certi plausere triumphi,
Muniti Stilichone suo. Quis gaudia vero
Principis, amplexus alacris quis disserat aulæ?
Pulveris ambiguam nubem speculamur ab altis
Turribus, incerti, socios apportet an hostes
Ille globus. Mentem suspensa silentia librant:
Donec pulvereo sub turbine, sideris instar,
Emicuit Stilichonis apex, et cognita fulsit
Canities. Gavisa repens per mœnia clamor
Tollitur. Ipse venit: portas secura per omnes
Turba salutatis effunditur obvia signis.
Non iam delectus miseri, nec falce per agros
Deposita, iaculum vibrans ignobile messor;
Nec tentat clypeum proiectis sumere rastris,
Bellona ridente, Ceres, humilisque novorum
Seditio clamosa ducum: sed vera iuventus,
Verus ductor adest, et vivida Martis imago.
Prospera sed quantum nostræ spes addita menti,
Tantum exempta Getæ; qui, vertice proximus astris,
Post Alpes iam cuncta sibi promisit apertas,
Nil superesse ratus: postquam tot flumina pulsus,
Cinctaque fluminibus crebris tot mœnia cernit;
Tot subitos pedites, equitum tot conspicit alas,
Seque velut clausum laqueis, sub pectore furtim
Æstuat; et nimium prono fervore petitæ
Iam piget Italiæ; speratāque Roma teneri
Visa procul: magni subeunt iam tædia cœpti.
Occultat tamen ore metum, primosque suorum
Consultare iubet bellis ennisque verendos.
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia; quos plagis decorat numerosa cicatrix,
Et tremulos regit hasta gradus; et nititur altis,
Pro baculo, contis non exarmata senectus.
Hic aliquis gravior natu, cui plurima dictis
Consiliisque fides, defixus lumina terræ,
Concutiensque comam, capuloque acclinis eburno,
Si numero non fallor, ait, tricesima currit
Bruma fere, rapidum postquam tranavimus Histrum,
Romanamque manum tantis eludimus annis.
Sed nunquam Mavors adeo constrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas. Per tot certamina ducto
Crede seni, qui te tenero, vice patris, ab ævo
Gestatum parva solitus donare pharetra,
Atque aptare breves humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem frustra monui, servator ut icti
Fœderis Emathia tutus tellure maneres.
Sed quoniam calida rapuit te flamma iuventæ,
Nunc saltem, si cura tibi manet ulla tuorum,
Hinc claustris evade, precor: dumque agmina longe,
Dum licet, Hesperiis præceps elabere terris;
Ne, nova prædari cupiens, et parta reponas:
Pastorique lupus scelerum delicta priorum
Intra septa luas. Quid palmitis uber Etrusci,
Quid mihi nescio quā proprio cum Thybride Romam
Semper in ore geris? Referunt si vera parentes,
Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit,
Lætetus violasse redit: nec Numina sedem
Destituunt: iactate procul dicuntur in hostem
Fulmina; divinique volant pro mœnibus ignes;
Seu cœlum, seu Roma, tonat. Si temnis Olympum,
A magno Stilichone cave, qui semper iniquos,
Fortuna famulante premit. Scis ipse, perosis
Arcadiæ quam densa iugis cumulaverit ossa;
Sanguine quam largo Graios calefecerit amnes.
Extinctusque fores, ni te, sub nomine legum,
Proditio regnique favor texisset Eoi.
Talia grandævum flammata fronte loquentem
Obliquisque tuens oculis, non pertulit ultra;
Sed rupit rabidas accensa superbia voces:
Si non mentis inops fraudataque sensibus ætas
Præberet veniam, nunquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius, me sospite, ferret inultus.
Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi,
Te patiar suadente fugam? cum cesserit omnis
Obsequiis natura meis? subsidere nostris
Sub pedibus montes, arescere vidimus amnes.
Non ita Di Getici faxint, Manesque parentum,
Ut mea converso relegam vestigia cursu.
Hanc ego vel victor regno, vel morte tenebo
Victus humum. Per tot populos urbesque cucurri:
Fregi Alpes, galeisque Padum victricibus hausi:
Quid restat, nisi Roma, mihi? Gens robore nostra
Tunc quoque pollebat, nullis cum sideret armis.
At nunc, Illyrici postquam mihi tradita iura,

Meque suum fecere ducem; tot tela, tot enses,
Tot galeas multo Thracum sudore paravi;
Inque meos usus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo iussu Romana coegi:
Sic me fata fovent! ipsi, quos omnibus annis
Vastabam, servire dati: nocitura gementes
Arma dabant, flammisque diu mollitus et arte,
In sua damna chalybs, fabro lugente, rubebat.
Hortantes his adde Deos, non somnia nobis,
Nec volucres; sed clara palam vox edita luco est:
Rumpe omnes, Alarice, moras. Hoc impiger anno,
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad Urbem:
Huc iter usque datur. Quis iam, post talia, segnis
Ambigat, aut cœlo dubitet parere vocanti?
Sic ait: hortatusque suos belloque viæque
Instruit. Attollunt vanos oracula fastus.
O semper tacita sortes ambage malignæ;
Eventuque patens, et nescia vatibus ipsis,
Veri sera fides! Ligurum regione suprema
Pervenit ad fluvium, miri cognominis, Urbem.
Atque illic domitus, vix tandem, interprete casu,
Agnovit dubiis illusa vocabula fatis.
Necnon et Stilichon pugnam poscentia movit
Pleno castra gradu, dictisque instigat euntes:
Nunc, o nunc, socii! temeratæ sumite tandem
Italiæ pœnas. Obsessi principis armis
Excusate nefas; deploratumque Timavo
Vulnus, et Alpinum gladiis abolete pudorem.
Hic est, quem toties campis fudistis Achivis:
Quem discors odiisque anceps civilibus orbis,
Non sua vis tutata diu, dum fœdera fallax
Ludit, et alternæ periuria venditat aulæ.
Credite, nunc omnes, quas dira Britannia, gentes,
Quas Hister, quas Rhenus alit, pendere paratas
In speculis. Uno tot prælia vincite bello.
Romanum reparate decus; molemque labantis
Imperii fulcite humeris. Hic omnia campus
Vindicat; hæc mundo pacem victoria sancit.
Non in Threiciis Hæmi decernimus oris:
Nec super Alpheas umbrantia Mænala ripas
Constitimus: non hic Tegeen Argosque tuemur.
Visceribus mediis, ipsoque in corde, videtis
Bella geri. Patrem clypeis defendite Thybrin.
Talia nunc pediti, turmæ nunc mixtus equestri,
Dicta dabat: simul externis præcepta ferebat
Auxiliis. Ibat patiens ditionis Alanus,
Qua nostræ iussere tubæ: mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis præclarus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus
Finxerat, immanique oculos infeceret ira.
Vulneribus pars nulla vacat: rescissaque contis
Gloria fœdati splendet iactantior oris.
Ille tamen, mandante procul Stilichone, citatis
Acceleravit equis, Italamque momordit arenam
Felix, Elysiisque plagis et carmine dignus,
Qui male suspectam nobis impensius arsit
Vel leto purgare fidem; qui indice ferro
Diluit immeritum laudato sanguine crimen.
Morte viri turbatus eques flectebat habenas:
Totaque præciso nutassent agmina cornu,
Ni celer instructa Stilichon legione secutus,
Subsidiis peditum pugnam instaurasset equestrem.
Quis, Musis ipsoque licet Pæane recepto,
Enarrare queat, quantum Gradivus in illa
Luce suæ dederit fundator originis urbi?
Altius haud unquam toto descendimus ense
In iugulum Scythiæ; tanta nec clade superbum
Contudimus Tanain, vel cornua fregimus Histri.
Invisum miles sitiens haurire cruorem,
Per varias vestes, onerataque plaustra metallo,
Transit, et argenti cumulos; et, cædis avarus,
Contemtas proculcat opes: pretiosior auro
Sanguis erat: passim, neglecti prodiga lucri,
Ira furens strictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus, absumtique igne Valentis
Exuvias, miserisque graves crateras ab Argis,
Raptaque flagranti spirantia signa Corintho
Callidus ante pedes venientibus obiicit hostis
Incassum: neque enim feralis præda moratur;
Sed iustos præbent stimulos monumenta doloris.
Asseritur ferro captivum vulgus; et omnes
Diversæ vocis populi, quos traxerat hostis
Servitio, tandem dominorum strage recepti,
Blanda cruentatis affigunt oscula dextris;
Desertosque lares et pignora læta revisunt.
Miratur sua quemque domus; cladesque renarrant
Ordine; tum grati referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
Divitiæ, spoliisque diu quæsita supellex;
Pulsaretque tuas ululatus coniugis aures?
Coniugis, invicto quæ dudum freta marito
Demens Ausonidum gemmata monilia matrum,
Romanasque alta famulas cervice petebat.
Scilicet Argolidas Ephyreiadasque puellas
Cœperat, et pulchras iam fastidire Lacænas.
Sed Dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam. Domat aspera victos
Pauperies; unoque die Romana rependit,
Quidquid ter denis acies amisimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale solum: memorabile bustum
Barbariæ! nam sæpe locis his finibus illis
Plena lacessito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, aliasque immissa per Alpes,
Isdem procubuit campis. Iam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permisceat ossa,
Et duplices signet titulos, commune tropæum:
Hic Cimbros, fortesque Getas, Stilichone peremtos
Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus.
Discite vesanæ Romam non temnere gentes.

De VI. Consul. Honorii Augusti

PRÆFATIO

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
  Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
  Mens tamen ad silvas et sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus;
  Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans; permutat navita merces;
  Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
  Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
  Artibus assuetis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
  Ante pedes summi carmina ferre Iovis.
Utque favet somnus, plaudebant Numina dictis,
  Et circumfusi sacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat, victusque Typhoeus:
  Hic subit Inarimen; hunc gravis Ætna domat.
Quam lætum post bella Iovem susceperit æther,
  Phlegrææ referens præmia militiæ.
Additur ecce fides: nec me mea lusit imago;
  Irrita nec falsum somnia misit ebur.

Eu princeps, en orbis apex æquatus Olympo:
  Eu, quales memini, turba verenda, Deos.
Fingere nil maius potuit sopor; altaque vati
  Conventum cœlo præbuit aula parem.

De VI. Consul. Honorii Augusti

PANAGYRIS

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, num dignius unquam
Hæc Dea, pro meritis, amplas sibi posceret ædes,
Quam, sua cum pariter trabeis reparatur et Urbi
Maiestas? Neque enim campus sollennis et urna
Luditur in morem; species nec dissona cætu,
Aut peregrina nitet simulati iuris imago.
Indigenas habitus nativa Palatia sumunt,
Et, patriis plebem castris sociante Quirino,
Mars augusta sui renovat suffragia Campi.
Qualia erit terris, quem mons Evandrius offert
Romanis avibus, quem Thybris inaugurat annum?
Quanquam omnes, quicumque tui cognominis, anni
Semper inoffensum dederint successibus omen,
Sintque tropæa tuas semper comitata secures;
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Urbis et Augusti geminato nomine felix:
Namque, velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Cœlicolæ cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione retundunt;
Haud aliter Latiæ sublimis signifer aulæ,
Imperii sidus propria cum sede locavit,
Auget spes Italas: et certius omina surgunt,
Victrici concepta solo. Cum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas, Delphis cessantibus, aras,
Nil tum Castaliæ rivis communibus undæ
Dissimiles; vili nec discrepat arbore laurus:
Antraque mœsta silent, inconsultique recessus.
At si Phœbus adest, et frænis grypha iugalem
Rhipæo, tripodas repetens, detorsit ab axe,
Tunc sylvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes:
Tunc sacer horror aquis; adytisque effunditur Echo
Clarior; et doctæ spirant præsagia rupes.
  Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exultatque habitante Deo: potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque suas ad signa iubet revirescere laurus.
Non alium certe decuit rectoribus urbis
Esse larem: nulloque magis se colle potestas
Æstimat, et summi sentit fastigia iuris.
Attollens apicem subiectis regia Rostris,
Tot circum delubra videt, tantisque Deorum
Cingitur excubiis. Iuvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas,
Cælatasque fores, mediisque volantia signa
Nubibus, et densum stipantibus æthera templis;
Æraque vestitis numerosa puppe columnis
Consita, subnixasque iugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu; spoliisque micantes
Innumeros arcus. Acies stupet igne metalli,
Et circumfuso trepidans obtunditur auro.
Agnoscisne tuos, princeps venerande, penates?
Hæc sunt, quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monstrante, petis: nil optimus ille
Divorum toto meruit felicius ævo,
Quam quod Romuleis victor sub mœnibus egit,
Te consorte, dies; cum, se melioribus addens
Exemplis, civem gereret, terrore remoto,
Alternos cum plebe iocos, dilectaque passus
Iurgia, patriciasque domos, privataque passim
Visere deposito dignatus limina fastu.
Publicus hinc ardescit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modestia culmen.
Teque rudem vitæ, quamvis diademate necdum
Cingebare comas, socium sumebat honorum,
Purpureo fotum gremio; parvumque triumphis
Induit, et magnis docuit præludere fatis.
Te linguis variæ gentes, missique rogatum
Fœdera Persarum proceres, cum patre sedentem
Hac quondam videre domo, positoque tiaram
Submisere genu. Tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus: fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra senatus,
Romano puerum gaudens offerre favori,
Ut novus imperio iam tunc assuesceret hæres.
Hinc tibi concreta radice tenacius hæsit,
Et penitus totis inolevit Roma medullis;
Dilectæque urbis tenero conceptus ab ungue
Tecum crevit amor: nec te mutare reversum
Evaluit propria nutritor Bosporus arce.
Et quoties optare tibi, quæ mœnia malles,
Alludens genitor regni pro parte dedisset,
Divitis Auroræ solium, sortemque paratam,
Sponte remittebas fratri. Regat ille volentes
Assyrios: habeat Pharium cum Tigride Nilum:
Contingat mea Roma mihi. Nec vota fefellit
Eventus. Fortuna, novum molita tyrannum,
Iam tibi quærebat Latium: belloque secundo
Protinus Eoa velox accitus ab aula
Suscipis Hesperiam patrio bis Marte receptam.
Ipsa per Illyricas urbes, Oriente relicto,
Ire Serena comes, nullo deterrita casu,
Materna te mente fovens, Latioque futurum
Rectorem, generumque sibi. Seniore supernas
Iam repetente plagas, illo sub cardine rerum,
Sedula servatum per tot discrimina pignus
Restituit sceptris patrui, catrisque mariti.
Certavit pietate domus, fidæque reductum
Coniugis officio Stilichonis cura recepit.
  Felix ille parens, qui te securus Olympum
Succedente petit! quam lætus ab æthere cernit
Se factis crevisse tuis! duo namque fuere
Europæ Libyæque hostes. Maurusius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce
Nutrierat: qui sæpe tuum sprevere profana
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clausit aquis: alter præcepta vocantis
Respuit; auxiliisque ad proxima bella negatis,
Abiurata palam Libyæ possederat arva.
Quorum nunc, meritā repetens non immemor iram,
Suppliciis fruitur, natoque ultore triumphat.
Ense Thyestiadæ pœnas exegit Orestes;
Sed mixtum pietate nefas; dubitandaque cædis
Gloria materno laudem cum crimine pensat.
Pavit Iuleos inviso sanguine Manes
Augustus: sed falsa pii præconia sumsit,
In luctum patriæ civili strage parentans.
At tibi causa patris, rerum coniuncta saluti,
Bellorum duplicat laurus, isdemque tropæis
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.
Sed mihi iampridem captum Parnasia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys: arma Getarum
Nuper apud socerum plectro celebrata recenti.
Adventus nunc sacra tui libet edere Musis,
Grataque patratis exordia sumere bellis.
  Iam Pollentini tenuatus funere campi,
Concessaque sibi (rerum sic admonet usus)
Luce, tot amissis sociis, atque omnibus una
Direptis opibus, Latio discedere iussus

Hostis, et immensi revolutus culmine fati,
Turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infensa fretis, scelerumque referta
Divitiis, multasque diu populata carinas,
Incidit in magnam bellatricemque triremem,
Dum prædam de more parat; viduataque cæsis
Remigibus, scissis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento iactetur et unda,
Vastato tandem pœnas luitura profundo:
Talis ab Urbe minas retro flectebat inanes,
Italiam fugiens, et, quæ venientibus ante
Prona fuit, iam difficilis, iam dura reversis.
Clausa putat sibi cuncta pavor; retroque relictos,
Quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes.
Undosa tum forte domo vitreisque sub antris,
Rerum ignarus adhuc, ingentes pectore curas
Volvebat pater Eridanus, quis bella maneret
Exitus; imperiumne Iovi, legesque placerent,
Et vitæ Romana quies, an iura perosus,
Ad priscos pecudum damnaret sæcula ritus.
Talia dum secum movet anxius, advolat una
Naiadum, resoluta comam; complexaque patrem,
En Alaricus, ait, non qualem nuper ovantem
Vidimus: exangues, genitor, mirabere vultus.
Percensere manum, tantaque ex gente iuvabit
Reliquias numerasse breves. Iam desine mœsta
Fronte queri, nymphasque choris iam redde sorores.
Dixerat. Ille caput placidis sublime fluentis
Extulit, et totis lucem spargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos: rami caput umbravere virentes
Heliadum; totisque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros; curruque paterno
Intextus Phaethon glaucos incendit amictus.
Fultaque sub gremio, cælatia nobilis astris,
Ætherium probat urna decus: namque omnia luctus
Argumenta sui Titan signavit Olympo,
Mutatumque senem plumis, et fronde sorores,
Et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli.
Stat gelidis auriga plagis: vestigia fratris
Germanæ servant Hyades; Cycnique sodalis
Lacteus extentas aspergit circulus alas.
Stelliger Eridanus, sinuatis flexibus errans,
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite sidereo subterluit Oriona.
Hoc Deus effulgens habitu prospectat euntes
Deiecta cervice Getas: tunc talia fatur:
Siccine mutati properas, Alarice, reverti
Consiliis? Italæ sic te iam pœnitet oræ?
Nec iam cornipedem Tiberino gramine pascis,
Ut rebare tuum? Tuscis nec figis aratrum
Collibus? O cunctis Erebi dignissime pœnis,
Tune Giganteis urbem tentare Deorum
Aggressus furiis? ne te meus, improbe, saltem
Terruit exemplo Phaethon, qui fulmina præceps
In nostris efflavit aquis, dum flammea cœli
Flectere terrenis meditatur fræna lacertis,
Mortalique diem sperat diffundere vultu?
Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
Aspirat Romæ spoliis, aut Solis habenis.
Sic fatus, Ligures Venetosque erectior amnes
Magna voce ciet. Frondentibus humida ripis
Colla levant pulcher Ticinus, et Addua visu
Cærulus, et velox Athesis, tardusque meatu
Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.
Insultant omnes profugo, pacataque lætum
Invitant ad prata pecus: iam Pana Lycæum,
Iam Dryadas revocant, et rustica numina, Faunos.
Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho
Adiungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Astæ.
Hic rursus, dum pacta movet, damnisque coactus,
Extremo mutare parat præsentia casu,
Nil sibi periurum sensit prodesse furorem,
Converti nec fata loco; multisque suorum
Diras pavit aves; inimicaque corpora volvens
Ionios Athesis mutavit sanguine fluctus.
Oblatum Stilichon violato fœdere Martem
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Iam procul, et medius belli Padus arbiter ibat.
Iamque opportunam motu strepuisse rebelli
Gaudet perfidiam; præbensque exempla labori
Sustinet accensos æstivo pulvere soles.
Ipse manu metuendus adest; inopinaque cunctis
Instruit arma locis, et, quo vocat usus, ab omni
Parte venit. Fesso si deficit agmine miles,
Utitur auxiliis, damni securus; et astu
Debilitat sævum cognatis viribus Histrum:
Et, duplici lucro committens prælia, vertit
In se barbariem, nobis utrimque cadentem.
Ipsum te caperet, letoque, Alarice, dedisset,
Ni calor incauti male festinatus Alani
Dispositum turbasset opus. Prope captus, anhelum
Verbere cogis equum: nec te vitasse dolemus.
I potius gentis reliquum, tantisque superstes
Danubii populis, i, nostrum vive tropæum.
Non tamen ingenium tantis se cladibus atrox
Deiicit: occulto tentabat tramite montis,
Si qua per scopulos subitas exquirere posset
In Rhætos Gallosque vias. Sed fortior obstat
Cura ducis: quis enim divinum fallere pectus
Possit, et excubiis vigilantia lumina regni?
Cuius consilium non unquam repperit hostis,
Nec potuit texisse suum: secreta Getarum
Nosse prior, celerique dolis occurrere sensu.
Omnibus exclusus cœptis, considit in uno
Colle tremens: frondesque licet depastus amaras,
Arboreo figat sonipes in cortice morsus;
Et tetris collecta cibis, annique vapore,
Sæviat aucta lues, at miles probra superbus
Ingerat obsesso, captivaque pignora monstret;
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta subire fames, aut prædæ luctus ademtæ,
Aut pudor, aut dictis movere procacibus iræ,
Ut male tentato toties se credere campo
Comminus auderet. Nulla est victoria maior,
Quam quæ confessos animo quoque subiugat hostes.
Iamque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decrescere castris.
Nec iam seditio paucis occulta parari,
Sed cunei, totæque palam discedere turmæ.
Consequitur, vanoque fremens clamore retentat,
Cumque suis iam bella gerit: mox nomina supplex
Cum fletu precibusque ciet; veterumque laborum
Admonet, et frustra iugulum parcentibus offert:
Defixoque malis animo, sua membra suasque
Cernit abire manus: qualis, Cybeleia quassans
Hyblæus procul æra senex, revocare fugaces
Tinnitu conatur apes; quæ sponte relictis
Descivere favis; sonituque exhaustus inani,
Raptas mellis opes, solitæque oblita latebræ,
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo, ubi præclusæ voci laxata remisit
Fræna dolor, notas oculis mœrentibus Alpes
Aspicit, et nimium diversi stamine fati
Præsentes reditus, fortunatosque revolvit

Ingressus. Solo peragens cum murmure bellum,
Protento leviter frangebat mœnia conto,
Irridens scopulos: nunc desolatus et expes
Dubia pulsato reddit spectacula monti.
Tunc sic, Ausonium respectans æthera, fatur:
Heu regio funesta Getis! heu terra sinistris
Auguriis calcata mihi! satiare nocentum
Cladibus, et tandem nostris inflectere pœnis!
En ego, qui toto sublimior urbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exul,
Addictusque reus, Ilatu propiore sequentum
Terga premor. Quæ prima miser, quæ funera dictis
Posteriora querar? non me Pullentia tantum,
Nec captæ cruciastis opes: hoc aspera fati
Sors tulerit, Martisque vices. Non funditus armis
Concideram: stipatus adhuc, equitumque catervis
Integer, ad montes reliquo cum robore cessi,
Quos Apenninum perhibent. Hunc esse ferebat
Incola, qui, Siculum perrectus adusque Pelorum,
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiæ, geminumque latus stringentia longe
Utraque perpetuo discriminat æquora tractu.
Huc ego continuum si per iuga tendere cursum,
Ut prior iratæ fuerat sententia menti,
Iam desperata valuissem luce! quid ultra?
Omnibus oppeterem fama maiore perustis;
Et certe moriens propius te, Roma, viderem:
Ipsaque per cultas segetes mors nostra secuto
Victori damnosa foret. Sed pignora nobis
Romanus, carasque nurus, prædamque, tenebat:
Hoc magis exertum raperem succinctior agmen.
Heu! quibus insidiis, qua me circumdedit arte
Fatalis semper Stilichon! dum parcere fingit,
Retudit hostiles animos, bellumque remenso
Evaluit transferre Pado. Pro fœdera sævo
Deteriora iugo! Tunc vis extincta Getarum:
Tunc mihi, tunc letum pepigi. Violentior armis
Omnibus, expugnat nostram clementia gentem.
Mars gravior sub pace latet; capiorque vicissim
Fraudibus ipse meis. Quis iam solatia fesso
Consiliumve ferat? socius suspectior hoste.
Atque utinam cunctos licuisset perdere bello!
Nam quisquis duro cecidit certamine, nunquam
Desinit esse meus. Melius mucrone perirent;
Auferretque mihi luctu leviore sodales
Victa manus, quam læsa fides. Nullumne clientum
Permanet? offensi comites: odere propinqui.
Quid moror invisam lucem? qua sede recondam
Naufragii fragmenta mei? quæve arva requiram,
In quibus haud unquam Stilichon, nimiumq; potentis
Italiæ nostras nomen circumsonet aures?
Hæc memorans instante fugam Stilichone tetendit,
Expertas horrens aquilas. Comitatur euntem
Pallor, et atra Fames, et saucia lividus ora
Luctus, et inferno stridentes agmine Morbi.
Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis
Numina; purificumque Iovem Triviamque precatus,
Trans caput aversis manibus iaculatur in Austrum,
Secum rapturas cantata piacula, tædas.
Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe Patres; et sæpe negatum
Flagitat adventum. Nec tali publica vota
Consensu tradunt atavi caluisse per Urbem,
Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma,
Atque indignantes in iura redegerat Arctos;
Cum fasces cinxere Hypanin, mirataque leges
Romanum stupuit Mæotia terra tribunal.
Nec tantis patriæ studiis ad templa vocatus
Clemens, Marce, redis; cum gentibus undiq; cinctam
Exuit Hesperiam paribus Fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hostē
Decidit: hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus sonipes: hic tabescente solutus
Subsidit galea, liquefactaque fulgure cuspis
Canduit, et subitis fluxere vaporibus enses.
Tum, contenta polo, mortalis nescia teli
Pugna fuit. Chaldæa mago seu carmina ritu
Armavere Deos; seu (quod reor) omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.
Nunc quoq; præsidium Latio non deesset Olympi,
Deficerat si nostra manus: sed providus æther
Noluit humano titulos auferre labori;
Ne tibi iam, princeps, soceri sudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.
Iam toties missi proceres responsa morandi
Retulerant, donec, differri longius orbis
Communes non passa preces, penetralibus altis
Prosiluit; vultusque palam confessa coruscos,
Impulit ipsa suis cunctantem Roma querelis:
Dissimulata diu tristes in amore repulsas
Vestra parens, Auguste, queror. Quonam usq; tenebit
Prælatus mea vota Ligus? vetitumque propinqua
Luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrin?
Nonne semel sprevisse sat est, cum reddita bellis
Africa venturi lusit spe principis Urbem,
Nec duras tantis precibus permovimus aures?
Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos; et nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monimenta dicabam,
Defensam titulo Libyam testata perenni.
Iamque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpeio spectanda Iovi, cælata metallo
Classis ut auratum sulcaret remige fluctum,
Ut Massyla tuos anteirent oppida currus;
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, et in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.
Ipse Iugurthinam subiturus carcere pœnam,
Præberet fera colla iugo, vi captus et armis,
Non Bocchi Sullæque dolis. Sed prima remitto.
Num præsens etiam Getici me laurea belli
Declinare potest? sedesne capacior ulla
Tantæ laudis erit? Tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritisque suis obnoxia virtus,
Quos servavit amat. Iam flavescentia centum
Messibus æstivæ detondent Gargara falces:
Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus sæcula consul.
His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
Nostra ter Augustos intra pomœria vidi,
Temporibus variis: eadem sed causa tropæis
Civilis dissensus erat. Venere superbi,
Scilicet ut Latio respersos sanguine currus
Aspicerem? quisquamne piæ lætanda parenti
Natorum lamenta putet? Periere tyranni,
Sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo
Prælia iactaret, tacuit Pharsalia, Cæsar,
Namque inter socias acies cognataque signa,
Ut vinci miserum, numquam vicisse decorum est.
Restituat priscum per te iam gloria morem
Verior; et fructum sinceræ laudis ab hoste
Desuetum iam redde mihi; iustisque furoris
Externi spoliis sontes absolve triumphos.

Quem, precor, ad finem laribus seiuncta potestas
Exulat, imperiumque suis e sedibus errat?
Cur mea, quæ cunctis tribuere Palatia nomen,
Neglecto squalent senio? nec creditur orbis
Illinc posse regi? medium non deserit unquam
Cœli Phœbus iter; radiis tamen omnia lustrat.
Segnius en veteres Histrum Rhenumque tenebant,
Qui nostram coluere domum? leviusne tremebant
Tigris et Euphrates, cum fœdera Medus et Indus
Hinc peteret, pacemque mea speraret ab arce?
Hic illi mansere viri, quos mutua virtus
Legit, et in nomen Romanis rebus adoptans,
Iudicio pulchram seriem, non sanguine, duxit.
Hic proles atavum deducens Ælia Nervam,
Tranquillique Pii, bellatoresque Severi.
Hoc civis dignare forum; conspectaque dudum
Ora refer; pompam recolens ut mente priorem,
Quem tenero patris comitem susceperat ævo,
Nunc, duce cum socero, iuvenem te Tybris adoret.
 Orantem medio princeps sermone refovit:
Nunquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,
O Dea; nec legum fas est occurrere matri.
Sed nec, post Libyam, (falsis ne perge querelis
Incusare tuos) patriæ mandata vocantis
Sprevimus. Advectæ misso Stilichone curules,
Ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul
Impleret, generoque socer. Vidistis in illo
Me quoque: sic credit pietas, non sanguine solo,
Sed claris potius factis, experta parentem.
Cuncta quidem centū nequeam perstringere linguis,
Quæ pro me mundoque gerit; sed ab omnibus unum,
Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo,
Subiectum nostris oculis, et cuius agendi
Spectator vel causa fui. Populator Achivæ
Bistoniæque plagæ, crebris successibus amens,
Et ruptas animis spirans immanibus Alpes,
Iam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
Tutior auxilio brumæ; quod gentibus illis
Frigore consuetis favet inclementia cœli:
Meque minabatur calcato obsidere vallo,
Spem vano terrore fovens, si forte, remotis
Præsidiis, urgente metu, qua vellet, obirem
Conditione fidem: nec me timor impulit ullus,
Et duce venturo fretum, memoremque tuorum,
Roma, ducū, quibus haud unquam, vel morte parata,
Fœdus lucis amor pepigit dispendia famæ.
Nox erat: et late, stellarum more, videbam
Barbaricos ardere focos. Iam classica primos
Exciderant vigiles, gelida cum pulcher ab Arcto
Adventat Stilichon. Medius sed clauserat hostis
Inter me socerumque viam, pontemque tenebat,
Addua quo scissas spumosior incitat undas.
Quid faceret? differret iter? discrimina nullas
Nostris dabant adeunda moras. Perrumperet agmen?
Sed paucis comitatus erat: nam plurima retro,
Dum nobis properat succurrere, liquerat arma
Extera, vel nostras acies. Hoc ille locatus
Ancipiti, longum socias tardumque putavit
Expectasse manus; et nostra pericula tendit
Posthabitis pulsare suis: mediumque per hostem,
Flammatus virtute pia, propriæque salutis
Immemor, et stricto prosternens obvia ferro,
Barbara fulmineo secuit tentoria cursu.
 Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quod, iuncto fidens Ithaco, patefacta Dolonis
Indicio, dapibusque simul religataque somno
Thracia sopiti penetraverit agmina Rhesi,
Graiaque retulerit captos ad castra iugales,
Quorum, si qua fides augentibus omnia Musis,
Impetus excessit Zephyros, candorque pruinas.
Ecce virum, taciti qui nulla fraude soporis
Ense palam sibi pandit iter, remeatque cruentus;
Et Diomedeis tantum præclarior ausis,
Quantum lux tenebris, manifestaque prælia furtis.
Adde, quod et ripis steterat munitior hostis,
Et cui nec vigilem fas est componere Rhesum.
Thrax erat: hic Thracum domitor. Non tela retar-
Obiice non hæsit fluvii. Sic ille minacem (dant:
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens,
Traiecit clypeo Tybrin, quo texerat Urbem,
Tarquinio mirante, Cocles, mediisque superbus
Porsennam respexit aquis. Celer Addua nostro
Sulcatus socero: sed, cum transiret, Etruscis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora bellis.
Exere nunc doctos, tantæ certamina laudis,
Roma, choros; et, quanta tuis facundia pollet
Ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem.
 Dixit, et, antiquæ muros egressa Ravennæ,
Signa movet; iamque ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, et pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte, vehit; nudataque litora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetusto;
Despiciturque vagus prærupta valle Metaurus,
Qua mons, arte patens, vivo se perforat arcu,
Admisitque viam sectæ per viscera rupis,
Exsuperans delubra Iovis, saxaque minantes
Apenninigenis cultas pastoribus aras.
Quin et Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit: nec te miracula fontis
Prætereunt; tacito passu quem si quis adiret,
Lentus erat; si voce gradum maiore citasset,
Commixtis fervebat aquis: cumque omnibus una
Sit natura vadis, similes ut corporis umbras
Ostendant; hæc sola, novam iactantia sortem,
Humanos properant imitari flumina mores.
Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum
Regali calcatur equo; rarique coloris
Non procul amnis abest, urbi qui nominis auctor,
Ilice sub densa sylvis arctatus opacis,
Inter utrumque iugum tortis anfractibus albet.
Inde, salutato libatis Tybride nimphis,
Excipiunt arcus, operosaque semita vastis
Molibus, et quidquid tantæ præmittitur urbi.
Ac, velut officiis trepidantibus ora puellæ,
Spe propiore tori, mater sollertior ornat
Adveniente proco, vestesque et cingula comit
Sæpe manu, viridique angustat iaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, et colla monili
Circuit, et baccis onerat candentibus aures:
Sic, oculis placitura tuis, insignior auctis
Collibus, et nota maior se Roma videndam
Obtulit. Addebant pulchrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profecitque opifex decori timor; et, vice mira,
Quam pax intulerat, bello discussa senectus.
Erexit subitas turres, cinctosque coegit
Septem continuo montes iuvenescere muro.
Ipse favens votis, solitoque decentior aer,
Quamvis assiduo noctem fœdaverat imbri,
Principis et Solis radiis detersa removit
Nubila: namque ideo pluviis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auster,
Ut tibi servatum scirent convexa serenum.
Omne, Palatino quod pons a colle recedit
Mulvius, et quantum licuit consurgere tectis,

Ulla replet turbæ facies. Undare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.
Exultant iuvenes æquævi principis annis:
Temnunt prisca senes, et in hunc sibi prospera fati
Gratantur durasse diem: moderataque laudant
Tempora, quod clemens aditu, quod pectore, solus
Romanos vetuit currum præcedere Patres;
Cum tamen Eucherius, cui regius undique sanguis,
Atque Augusta soror, fratri præberet ovanti
Militis obsequium: sic illum dura parentis
Instituit pietas, in se vel pignora parci;
Quique neget nato, procerum quod præstet honori.
  Hæc sibi cura senum, maturaque comprobat ætas:
Idque inter veteris speciem præsentis et aulæ
Iudicat, hunc civem, dominos venisse priores.
  Conspicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, et certatura Lyæo
Inter Erythræas surgentia colla smaragdos,
Mirari sine fine nurus: ignaraque virgo,
Cui simplex calet ore pudor, per singula cernens,
Nutricem consultat anum, quid fixa draconum
Ora velint? ventis fluitent, an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi faucibus hostem?
Ut chalybem indutos equites, et in ære latentes
Vidit cornipedes, Quanam de gente, rogabat,
Ferrati venera viri? quæ terra metallo
Nascentes informat equos? num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, simulacraque belli
Viva dedit? Gaudet metuens, et pollice monstrat,
Quod picturatas galeæ Iunonia cristas
Ornet avis, vel quod, rigidos vibrata per armos,
Rubra sub ærato crispentur serica dorso.
Tum tibi magnorum mercem Fortuna laborum
Persolvit, Stilichon; curru cum vectus eodem,
Urbe triumphantem generum florente iuventa
Conspiceres, illumque diem sub corde referres,
Quo tibi, confusa dubiis formidine rebus,
Infantem genitor moriens commisit alendum.
Virtutes variæ fructus sensere receptos;
Depositum servasse Fides; Constantia parvum
Præfecisse orbi; Pietas fovisse propinquum.
Hic est ille puer, qui nunc ad Rostra Quirites
Evocat, et solio fultus genitoris eburno
Gestarum Patribus causas ex ordine rerum,
Eventusque, refert: veterumque exempla secutus,
Digerit imperii sub iudice fata senatu.
Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat.
Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit. Agnoscunt proceres; habituque Gabino
Principis, et ducibus circumstipata togatis,
Iure paludatæ iam curia militat aulæ.
Affuit ipsa suis ales Victoria templis,
Romanæ tutela togæ; quæ divite pompa
Patricii reverenda fovet sacraria cœtus;
Castrorumque eadem comes indefessa tuorum,
Nunc tandem fruitur votis; atque omne futurum
Te Romæ, seseque tibi, promittit in ævum.
Hinc te iam patriis laribus via nomina vero
Sacra refert. Flagrat studiis concordia vulgi,
Quam non illecebris dispersi colligis auri:
Nec tibi venales captant æraria plausus,
Corruptura fidem. Meritis offertur inemtus
Pura mente favor: nam, munere carior omni,
Obstringit sua quemque salus. Procul ambitus erret.
Non quærat pretium, vitam qui debet amori.
O quantum populo secreti numinis addit
Imperii præsens Genius! quantamque rependit
Maiestas alterna vicem, cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus!
Assensuque cavæ sublatus in æthera vallis,
Plebis adoratæ reboat fragor; unaque totis
Intonat Augustum septenis arcibus Echo!
Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis
Cingunt arva trabes; subitæque aspectus arenæ
Diffundit Libycos aliena valle cruores.
Hæc at belligeros exercuit area lusus.
Armatos hic sæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfusosque recursus,
Et pulchras errorum artes, iucundaque Martis
Cernimus. Insonuit cum verbera signa magister,
Mutatos edunt pariter tot pectora motus;
In latus allisis clypeis, aut rursus in altum
Vibratis: grave parma sonat; mucronis acutum
Murmur; et, umbonum pulsu modulante resultans,
Ferreus alterno concentus clauditur ense.
Una omnis submissa phalanx, tantæque salutant
Te, Princeps, galeæ. Partitis inde catervis,
In varios docto discurritur ordine gyros,
Quos neque semiviri Gortynia tecta iuvenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu.
Discreto revoluta gradu, torquentur in orbes
Agmina: perpetuisque immoto cardine claustris
Ianus bella premens, læta sub imagine pugnæ,
Armorum innocuos paci largitur honores.
Iamque novum fastis aperit felicibus annum,
Ore coronatus gemino; iam Tybris in uno
Et Bruti cernit trabeas, et sceptra Quirini.
Consule lætatur post plurima sæcula viso
Pallanteus apex: agnoscunt Rostra curules
Auditas quondam proavis; desuetaque cingit
Regios auratis fora fascibus Ulpia lictor.
Et sextas Getica prævelans fronde secures,
Colla triumphati proculcat Honorius Histri.
Exeat in populos cunctis illustrior annis,
Natus fonte suo; quem non aliena per arva
Induit hospes honos; cuius cunabula fovit
Curia; quem primi tandem videre Quirites;
Quem domitis auspex peperit Victoria bellis.
Hunc et privati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, retroque priores
Diversis gessere locis, ceu Numen, adorent.
Hunc et quinque tui, vel quos habiturus in orbem
Post alios, Auguste, colant: licet unus in omnes
Consul eas, magno sextus tamen iste superbit
Nomine, præteritis melior, venientibus auctor.

Laus Serenae Reginae,

UXORIS STILICHONIS.

Dic mihi, Calliope, tanto cur tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?
Vile putas donum, solitam consurgere gemmis,
Et Rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ regina comam? sed floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æstibus; æterno sed veris honore rubentes
Fons Aganippæa Permessius educat unda:
Unde piæ pascuntur apes, et prata legentes
Transmittunt sæclis Heliconia mella futuris.
Dignius an vates alios exercuit unum
Fœmineæ virtutis opus? consorte redemto,
Casta maritali successit Thessala fato,
Inque suos migrare virum non abnuit annos.
Hoc Graii memorant. Latiis movet ora Camœnis
Præscia fatorum Tanaquil, sediensque per undas
Clœlia Thybrinas, et eodem flumine ducens
Claudia virgineo cunctantem crine Cybeben.

Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonii mens alta senis? quod stagna Charybdis
Armavit, quod Scylla canes, quod pocula Circe;
Antiphatæ vitata fames, surdoque carina
Remige Sirenum cantus transvecta tenaces;
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypso;
Penelopæ decus est; atque uni tanta paratur
Scena pudicitiæ. Terræ pelagique labores,
Et totidem sævi bellis, quot fluctibus, anni,
Coniugii docuere fidem. Sit Claudia felix
Teste Dea; castosque probet sub numine mores,
Absolvens puppisque moras, crimenque pudoris:
Penelope trahat arte procos; fallatque furentes
Stamina nocturnæ relegens sollertia telæ:
Non tamen audebunt titulis certare Serenæ.
Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ,
Quis venerabilior sanguis, quæ maior origo,
Quam regalis, erit? Non hoc privata dedere
Limina; nec tantum poterat contingere numen
Angustis laribus. Patruo te principe celsam
Bellipotens illustrat avus, qui signa Britanno
Intulit Oceano, Gætulaque repulit arma.
Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem,
Seque minus iactet Libycis dotata tropæis.
Cardine tu gemino laurus prætendis avitas:
Inde Caledoniis, Australibus inde, parentum
Cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
Sumserat illa domus, cum te Lucina beatis
Ederet astrorum radiis: o maxima rerum
Gloria! post genitam didicit regnare Serenam.
Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet? primo levat æquore Solem
India: tu fessos exacta luce iugales
Proluis; inque tuo respirant sidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fœcunda piis: tibi secula debent
Traianum: series his fontibus Ælia fluxit.
Hinc senior pater; hinc iuvenū diademata fratrum.
Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperii: Phariæ segetes, et Punica messis,
Castrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis sudant equitatibus alæ.
Sola novum Latiis vectigal Hiberia rebus
Contulit Augustos. Fruges, ærária, miles,
Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant. Nec laude virorum
Censeri contenta fuit, nisi matribus æque
Vinceret, et, gemino certatim splendida sexu,
Flaccillam Mariamque daret, pulchramque Serenam.
Te nascente, ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undasse Tagum. Callæcia risit
Floribus, et roseis formosus Duria ripis
Vellera purpureo passim mutavit ovili.
Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
Expuit: effossis nec pallidus Astur oberrat
Montibus: oblatum sacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit: Pyrenæisque sub antris
Ignea fluminei legere Ceraunia Nymphæ.
Quæque, relabentes undas æstumque secutæ,
In refluos venere palam Nereides amnes;
Confessæ plausu dominam, cecinere futuris
Auspicium thalamis. Alio tum parvus in axe
Crescebat Stilichon, votique ignarus agebat,
Debita cui longe coniux, penitusque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati.
Nec tue mortalis meruit cunabula nutrix.
Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horæ,
Ternaque te nudis innectens Gratia membris
Afflavit, docuitque loqui. Quocumque per herbam
Reptares, fluxere rosæ: candentia nasci
Lilia. Si placido coniverent lumina somno,
Purpura surgebat violæ, factura cubile
Gramineum, vernansque tori regalis imago.
Omina non audet genitrix tam magna fateri;
Successusque suos, arcani conscia voti,
Spe trepidante tegit. Gestabat Honorius arcto
Te pater amplexu. Quoties ad limina princeps
Theudosius, privatus adhuc, fraterna veniret,
Oscula libabat, teque ad sua tecta ferebat
Lætior. In matrem teneris conversa querelis,
Quid me de propriis auferre penatibus, inquis,
Imperat hic semper? Præsagia luserat error,
Et dedit augurium regnis infantia linguæ.
Defuncto genitore tuo, sublimis adoptat
Te patruus; magnique animo solatia luctus
Restituens, propius, quam si genuisset, amavit
Defuncti fratris sobolem: nec carior olim
Mutua Ledæos divinxit cura Laconas.
Addidit et proprio germana vocabula nato;
Quæque datur, fratris speciem sibi reddit ademti.
Denique cum rerum summas electus habenas
Susciperet, non ante suis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter fidamque sororem
Litus ad Eoum terris acciret Hiberis.
Deseritur iam ripa Tagi; Zephyrique relictis
Sedibus, Auroræ famulas properatur in urbes.
Incedunt geminæ, proles fraterna, puellæ;
Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereia necdum
Sub iuga cervices niveas Hymenæus adegit.
Utraque luminibus tumidū micat: utraque pulchro
Excitat ore faces: qualis Latonia virgo,
Et solo Iove nata soror, cum forte revisunt
Æquorei sortem patrui; spumantia cedunt
Æquora, castarum gressus venerata Dearum.
Non ludit Galatea procax: non improbus audet
Tangere Cymothoen Triton; totoque severos
Indicit mores pelago pudor; ipsaque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra.
Tales, sceptriferi visuræ tecta parentis,
Limen Honoriades penetrant regale sorores.
Ambas ille quidem patrio complexus amore:
Sed merito pietas in te proclivior ibat.
Et quoties, rerum moles ut publica cogit,
Tristior, aut ira tumidus flagrante redibat,
Cum patrem nati fugerent, atque ipsa timeret
Commotum Flaccilla virum, tu sola frementem
Frangere, tu blando poteras sermone mederi.
Alloquiis hærere tuis: secreta fideli * * *
Prisca puellares reverentia transilit annos.
Non talem Triviæ confert laudator Homerus
Alcinoo genitam; quæ, dum per litora vestes
Explicat, et famulas exercet læta choreas,
Auratam iaculata pilam, post naufraga somni
Otia, progressum foliis expavit Ulixen.
Pierius labor, et veterum tibi carmina vatum,
Ludus erat; quos Smyrna dedit, quos Mantua, libros
Percurrens, damnas Helenen, nec parcis Elissæ:
Nobiliora tenent animos exempla pudicos.
Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras
Phylaciden, et prona ruens Capaneia coniux,
Communes ardente viro mixture favillas,
Et gravis incumbens casto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio facinus testata tyranni,
Armavit patriæ iustos in bella dolores,
Exule Tarquinio; memorandaque concidit, uno

Ulta pudicitiam libertatemque cruore.
Talia facta libens nou tu virtute minori,
Sed fato meliore, legis. Iam aubilis ætas,
Principe sollicito, votis erexerat aulam
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
  Antiquos loquitur Musarum pagina reges,
Quod dura sub lege procos certare iuberent,
Emturos thalamum dubii discrimine leti;
Et sua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti. Curru Pisæa marino
Fugit tela Pelops: nam perfidus obiice regis
Prodidit Œnomai deceptum Myrtilus axem.
Hippomenes trepidus cursu ferroque secutam
Aurato volucrem flexit Schœneida pomo.
Herculeas vidit fluvio luctante palæstras
Mœnibus ex altis Calydon; pretiumque labori
Deianira fuit, cum pectora victor anhelo
Alcides premeret, retroque Acheloius iret
Decolor: attonitæ stringebant vulnera Nymphæ:
Saucia truncato pollebant flumina cornu.
Te non Hesperidum pomis, non amne subacto,
Non socerum fallente rota, sed iudice dignus
Augusto, variis Stilichon spectatus in armis
Accipit, et regni dotes virtute paravit.
Sæpe duces meritas bello tribuere coronas:
Hunc cingit muralis honos: hunc civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit rostrata carinis.
Solus militiæ mira mercede iugalem
Promeruit Stilichon, socero referente, coronam.
Agnovit patrui similem Thermantia curam:
Nupsit et illa duci: sed longe fata sororis
Inferiora tuis: alio tibi lumine tædas
Accendit Romana Salus; magnisque coronis
Coniugium fit cura tuum. Delectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ,
Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt,
Primus honos. Gemino mox idem culmine duxit
Agmina, commissòque labor sic gessit honores,
Ut semper merito princeps, cum magna dedisset,
Deberet maiora tamen. Si bellica nubes
Ingrueret, quamvis annis et iure minori
Cedere grandævos equitum peditumque magistros
Aspiceres, totumque palam permittere Martem.
Nec gradus, ætatisve pudor, senioribus obstat,
Ne iuveni parere velint. Ceu, flamine molli,
Tranquillisque fretis, clavum sibi quisque regendum
Vindicat: incumbat si turbidus Auster, et unda
Pulset utrumque latus; posito certamine, nautæ
Contenti meliore manu, seseque fatemque
Unius imperiis tradunt; artemque pavore
Confessis finem studiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilichon, fremuit cum Thracia belli
Tempestas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor: suffragia quippe peregit
Iudex vera timor: victus ratione salutis
Ambitus, et pulsus tacuit formidine livor. (bant
Quis tibi tunc per membra tremor! quantæque cade-
Ubertim lacrymæ, cum, sæva vocantibus arma
Iam lituis, madido respectans limina vultu,
Optares reducem, galeæque insertâ minaci
Oscula cristati raperes festina mariti?
Gaudia quæ rursus, cum, post victricia tandem
Classica, sidereis ferratum pectus in ulnas
Exciperes; castæ tuto per dulcia noctis
Otia pugnarum seriem narrare iuberes?
Non illo nitidos unquam bellante capillos
Comere; non solitos gemmarum sumere cultus.
Numinibus votisque vacas; et supplice crine
Verris humum. Teritur neglectæ gratia formæ,
Iam proprio reditura viro: nec deside cura
Segnis marcet amor. Laudem prudentia belli,
Fœminea pro parte, subit: dum gentibus ille
Confligit, vigili tu prospicis omnia sensu;
Nequid in absentem, virtutibus obvia semper,
Audeat invidiæ rabies, neu rumor iniquus,
Nequa procul positis furto subsederit armis
Calliditas, nocitura domi. Tu sedula quondam,
Rufino meditante nefas, cum quæreret artes
In ducis exitium, coniuratosque foveret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum scriptisque monebas.

Epithal. Palladii et Celerinae

PRÆFATIO

Carmina per thalamum, quamvis festina, negare
  Nec volui genero, nec potui socero.
Hic socius, dux ille mihi: nostrique per aulam
  Ordinis hic consors emicat, ille prior.
Hunc mihi coniungit studiis communibus ætas;
  Hunc mihi præposuit vel senium vel honos.
Carmen amor generi, soceri reverentia poscit,
  Officio vatis, militis obsequio.

Epithalamium

Forte Venus blando quæsitum frigore somnum
Vitibus intexti gremio susceperat antri;
Densaque sidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo: crispatur opaca
Pampinus, et mites undatim ventilat uvas.
Ora decet neglecta sopor: fastidit amictum
Æstus, et exuto translucent pectore frondes.
Idaliæ iuxta famulæ, triplexque vicissim
Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.
Pennati passim pueri; quo quemque vocavit
Umbra, iacent: fluitant arcus, ramisque propinquis
Pendentes placido suspirant igne pharetræ
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagentur.
Scrutantur nidos avium, vel roscida læti
Mala legunt, donum Veneris, flexæque sequuntur
Palmitis, et summas pennis librantur in ulmos.
Defendunt alii lucum; Dryadasque procaces
Spectandi cupidas, et rustica numina pellunt,
Sylvestresque Deos; longeque tuentibus antrum
Flammea lascivis intendunt spicula Faunis:
Cum subito varios vicina clamor ab urbe
Et fausti iuvenum plausus, mixtæque choreis
Auditæ per rura lyræ. Celerinam per omnes
Italiæ canitur montes, omnisque maritum
Palladium resonabat ager. Pervenit ad aures
Vox iucunda Deæ, strepituque excita resedit,
Et reliquum nitido detersit pollice somnum.
Utque erat [interiecta comas, turbata capillos,]
Mollibus exurgit stratis; Hymenæon et omne
Agmen, et innumeros Hymenæon poscit Amores.
Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum iunxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.
Conspicitur tandem: platano namque ille sub alta
Fusus inæquales cera texebat avenas;
Mænaliosque modos, et pastoralia labris
Murmura tentabat relegens; orisque recursu
Dissimili tenuem variabat arundine ventum.
Restitit, ut vidit Venerem, digitisque remissis,
Ad terram tacito defluxit fistula lapsu.
Dulce micant oculi: niveas infecerat igni
Solque pudorque genas; dubiam lanuginis umbram
Cæsaries intonsa tegit. Prior ipsa silentem

Compellat: Nunquamne, puer, dilecta relinques
Carmina? maternis nunquam satiabere donis,
Delite Musarum studio nimiumque parentis
Æmule? quid medio tecum modularis in æstu?
Iamne tibi sordent citharæ? iam lustra Lycæi,
Atque pecus cordi, rediturąque rupibus Echo?
Huc ades, et tantæ nobis edissere causas
Lætitiæ; cui pompa toro tam clara resultet;
Quæ nova dotetur virgo: patriamque genusque
Pande, quibus terris orti, quo semine ducti:
Haud ignarus enim; nec te connubia fallunt
Ulla: tuo primæ libantur fœdere noctes.
Ille refert: Equidem dudum te, Diva, morantem
Mirabar, quid adhuc tanti secura maneres
Coniugii: non parva tibi mandatur origo.
Fascibus insignes, et legum culmine fultæ,
Convenere domus, et qui lectissimus orbi
Sanguis erat. Rubris quæ fluctibus insula latrat,
Quis locus Æthiopum, quæ sic impervia famæ
Secessit regio, quo non rumore secundo
Palladii penetravit amor, mentisque benignæ
Temperies, doctique sales, et grata senectus?
Per cunctos iit ille gradus: aulæque labores
Emensus, tenuit summæ fastigia sedis,
Eoum stabili moderatus iure senatum.
Hic splendor iuvenis Cunabula prima puellæ
Danubius, veteresque Tomi: Mavortia matris
Nobilitas spoliis armisque exultat avitis,
Immensumque trahit Celerini robore lucem,
Qui quondam, Meroen iussus Nilumque tueri,
Cum sibi, [post obitus et Parthica fulmina Cari,]
Sceptra daret miles, robusque imponere vellet,
Despexit fremitus, et prætulit otia regum.
Respuit ingestum, quod vi, quod poscere ferro,
Post habita pietate, solent. Tum purpura primum
Inferior virtute fuit; meruitque repulsam
Obvia maiestas: doluit Fortuna, minorem
Se concessa viro. Magnum delata potestas,
Maiorem contempta, probat. Cognomina sumsit
Plena ducis genitor; paulatim evectus in altum;
Princeps militiæ, qua non illustrior extat.
Altera, cunctorum tabulas assignat honorum;
Rectorum tractat numerum; constringit in unum
Sparsas imperii vires, cuneosque recenset
Dispositos: quæ Sarmaticis custodia ripis,
Quæ sævis obiecta Getis, quæ Saxona frenat,
Vel Scotum legio: quantæ cinxere cohortes
Oceanum; quanto pacatur milite Rhenus.
Casta domus, sincera fides, industria solers:
Elegit Stilichon: nihil ultra laudibus addi
Iudiciove potest. Tali nubente puella,
Nonne tibi cessare nefas? Duc protinus omnes,
Duc age. Marcentes cupio quassare coronas;
Et vibrare faces, et noctem ducere ludo.
Hæc quoque non vilem mihi fistula commodat usum,
Responsura choris. Vix hæc Hymenæus. At illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo
Reddit, et ornatum formæ; prælisque solutæ
Mira Dionææ sumit velamina telæ.
Floribus extruitur currus: iuga floribus halant;
Flores purpureas annectunt fræna columbas.
Undique concurrunt volucres, quæcumque frementem
Permulcent Athesin cantu, quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius: ereptis obmutuit unda querelis.
Eridani ripas, et raucæ stagna Padusæ,
Diffugiens nudavit olor. Lætantur Amores;
Frænatisque truces avibus per nubila vecti,
Ostentant se quisque Deæ, magnoque tumultu
Confligunt; promique manus in verbera tendunt,
Atque impune cadunt. Lapsus meliore volatu
Consequitur, vincitque suos auriga iugales.
Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Desuper invertunt calathos, largosque rosarum
Imbres, et violas plenis sparsere pharetris,
Collectas Veneris prato, quibus ipse pepercit
Sirius, et teneras clementi sidere fovit.
Gemmatis alii per totum balsama tectum
Effudere cadis, duro quæ saucius ungue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentemque pudico
Detraxit matris gremio. Matura tumescit
Virginitas, superatque nives ac lilia candor,
Et patrium flavis testatur crinibus Histrum.
Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, et his ultro sancit connubia dictis:
Vivite concordes, et nostrum discite munus.
Oscula mille sonent: livescant brachia nexu:
Labra ligent animas: non tu virtute paterna
Confidas, iuvenis: non est terrore domanda,
Sed precibus pacanda tibi. Concede marito
Tu quoque, nen Scythicas infensis unguibus iras
Exercere velis: vinci patiare rogamus:
Sic uxor, sic mater eris. Quid lumina tingis,
Virgo? crede mihi, quem nunc horrescis, amabis.
Dixit: et aligera geminos, arcuque manuque
Præstantes, e plebe vocat. Puer ilicet Æthon,
Et Pyrois rutilas respersi murice plumas,
Prosiliunt; paroque imbutis melle sagittis,
Hic nuptam petit, ille virum. Sonuere reducta
Cornua: certa Notos pariter sulcavit arundo,
Et pariter fixis hæserunt tela medullis.

De raptu Proserpinae Libri III.

Libri I præfatio.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
  Et rudibus remis sollicitavit aquas;
Qui, dubiis ausus committere flatibus alnum,
  Quas natura negat, præbuit arte vias;
Tranquillus primum trepidus se credidit undis,
  Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, et linquere terras,
  Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast, ubi paulatim præceps audacia crevit,
  Cordaque languentem dedidicere metum;
Iam vagus exultat pelago; cœlumque secutus,
  Ægæas hiemes Ioniasque domat.

Liber primus

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Iunonis thalamos, audaci prodere cantu
Mens congesta iubet. Gressus removete, profani!
Iam furor humanos de nostro pectore sensus
Expulit; et totum spirant præcordia Phœbum.
Iam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, et claram dispergere culmina lucem,
Adventum testata Dei. Iam magnus ab imis
Auditur fremitus terris; templumque remugit
Cecropium, sanctasque faces extollit Eleusin.
Angues Triptolemi strident, et squamea curvis
Colla levant attrita iugis, lapsuque sereno
Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.
Ecce, procul ternas Hecate variata figuras
Exoritur; lenisque simul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica velat

Tigris, et auratos in nodum colligit ungues.
Ebria Mæonius firmat vestigia thyrsus.
Di, quibus innumerum vacui famulatur Averni
Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris
Quidquid in orbe perit; quos Styx liventibus ambit
Interfusa vadis, et quos fumantia torquens
Æquora gurgitibus Phlegethon perlustrat anhelis;
Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli; qua lampade Ditem
Flexit Amor; quo ducta ferox Proserpina raptu
Possedit dotale Chaos; quantasque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia cursu;
Unde datæ populis leges, et, glande relicta,
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.
Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras,
Prœlia moturus Superis, quod solus egeret
Connubii, sterilesque diu consumeret annos,
Impatiens nescire torum, nullasque mariti
Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.
Iam, quæcumque latent ferali monstra barathro,
In turmas aciemque ruunt; contraque Tonantem
Coniurant Furiæ; crinitaque sontibus hydris
Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum,
Armatos ad castra vocat pallentia Manes.
Pene, reluctatis iterum pugnantia rebus,
Rupissent elementa fidem; penitusque revulso
Carcere, laxatis pubes Titania vinclis
Vidisset cœleste iubar; rursusque cruentus
Ægæon, positis arcto de corpore nodis,
Obvia centeno vexasset fulmina motu:
Sed Parcæ vetuere minas; orbique timentes,
Ante pedes soliumque ducis fudere severam
Canitiem, genibusque suas cum supplice vultu
Admovere manus, quarum sub iure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt sæcula pensis.
Prima fero Lachesis clamabat talia regi,
Incultas dispersa comas: O maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens! cui nostra laborant
Stamina; qui finem cunctis et semina præbes,
Nascendique vices alterna morte rependis;
Qui vitam letumque regis; nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc, te donante, creatur,
Debeturque tibi; certisque ambagibus ævi
Rursus corporeos animæ mutantur in artus:
Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
Quas dedimus, nevitque colus: neu fœdera fratrum
Civili converte tuba. Cur impia tollis
Signa? quid incestis aperis Titanibus auras?
Posce Iovem; dabitur coniux. Vix illa: pepercit,
Erubuitque preces, animusque relanguit atrox,
Quamvis indocilis flecti: ceu turbine rauco
Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali
Hispidus, et Getica concretus grandine pennas,
Bella cupit, pelagus, silvas, camposque sonoro
Flamine rapturus; si forte adversus ahenos
Æolus obiecit postes, vanescit inanis
Impetus, et fractæ redeunt in claustra procellæ.
Tum Maia genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius astitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectusque galero.
Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus
Maiestate sedet: squalent immania fœdo
Sceptra situ; sublime caput mœstissima nubes
Asperat; et diræ riget inclementia formæ:
Terrorem dolor augebat. Tum talia celso
Ore tonat: tremefacta silent, dicente tyranno,
Atria, latratum triplicem compescuit ingens
Ianitor; et, presso lacrymarum fonte, resedit
Cocytos, tacitisque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethontæ requierunt murmura ripæ.
Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et Superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo,
I, celeres proscinde Notos, et iussa superbo
Redde Iovi: Tantumne tibi, sævissime fratrum,
In me iuris erit? sic nobis noxia vires
Cum cælo Fortuna tulit? num robur et arma
Perdidimus, si rapta dies? an forte iacentes
Ignavosque putas, quod non Cyclopia tela
Stringimus, aut vanis tonitru deludimus aures?
Nonne satis visum, grati quod luminis expers
Tertia supremæ patior dispendia sortis,
Informesque plagas; cum te lætissimus ornet
Signifer? et vario cingunt splendore Triones?
Sed thalamis etiam prohibes? Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te consanguineo recipit, post fulmina fessum,
Iuno sinu: quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnamque Themin? tibi tanta crescendi
Copia: te felix natorum turba coronat.
At ego, deserta mœrens inglorius aula,
Implacidas nullo solabor pignore curas?
Non adeo toleranda quies. Primordia testor
Noctis, et horrendæ stagna intemerata paludis,
Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara: Saturni veteres laxabo catenas:
Obducam tenebris lucem: compage soluta,
Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno.
Vix ea fatus erat; iam nuntius astra tenebat:
Audierat mandata pater; secumque volutat,
Diversos ducens animos, quæ tale sequatur
Coniugium, Stygiosque velit, pro sole, recessus.
Certa requirenti tandem sententia sedit.
Hennææ Cereri proles optata virebat
Unica; nec tribuit sobolem Lucina secundam;
Fessaque post primos hæserunt viscera partus,
Infœcunda quidem; sed cunctis altior extat
Matribus, et numeri damnum Proserpina pensat.
Hanc fovet, hanc sequitur. Vitulam non blandius ambit
Torva parens; pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.
Iam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas: tenerum iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat; mixtaque tremit formidine votum.
Personat aula procis: pariter pro virgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,
Et Delon, Clariosque lares. Hinc æmula Iuno,
Hinc poscit Latona nurum. Despexit utramque
Flava Ceres; raptusque timens, (heu cæca futuri!)
Commendat Siculis furtim sua gaudia terris,
Ingenio confisa loci. Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit; sed pontus et æstus
Mutavere situm: rupit confinia Nereus
Victor, et abscissos interluit æquore montes;
Parvaque cognatas prohibent discrimina terras.
Nunc illam, socia raptam tellure, trisulcam
Opposuit natura mari: caput inde Pachyni
Respuit Ionias prætentis rupibus iras;
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæaque pulsat
Brachia consurgens; hinc, dedignata teneri,
Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.
In medio scopulis se porrigit Ætna perustis;
Ætna Giganteos nunquam tacitura triumphos;
Enceladi bustum, qui, saucia terga revinctus,
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulfur:

Et, quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum lævumque latus, tunc insula fundo
Vellitur, et dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Ætnæos apices solo cognoscere visu,
Non aditu tentare, licet: pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas nimbos; piceaque gravatum
Fœdat nube diem: nunc molibus astra lacessit
Terrificis, damnisque suis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet æstu,
Scit nivibus servare fidem; pariterque favillis
Durescit glacies, tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu: fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ scopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Vulcanius amnis?
Sive quod obiicibus discurrens ventus opertis
Offenso per saxa furit rimosa meatu,
Dum scrutatur iter, libertatemque reposcens,
Putria multivagis populatur flatibus antra.
Seu mare sulfurei ductum per viscera montis,
Oppressis ignescit aquis, et pondera librat.
Hic ubi servandum mater fidissima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates;
Turrigeramque petit Cybelen, sinuosa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, et placidis humectant fræna venenis.
Frontem crista tegit: pingunt maculosa virentes
Terga notæ: rutilum squamis intermicat aurum.
Nunc spiris Zephyros tranant; nunc arva volatu
Inferiore secant. Cano rota pulvere labens
Sulcatam fecundat humum: flavescit aristis
Orbita: surgentes condunt vestigia culmi:
Vestit iter comitata seges. Iam linquitur Ætna:
Totaque decrescit refugo Trinacria visu.
Heu quoties, presaga mali, violavit oborto
Rore genas! quoties oculos ad tecta retorsit,
Talia voce movens! Salve, gratissima tellus,
Quam nos prætulimus cœlo. Tibi gaudia nostri
Sanguinis, et caros uteri commendo labores.
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi versabere vomeris ictu:
Sponte tuus florebit ager: cessante iuvenco,
Ditior oblatas mirabitur incola messes.
Sic ait, et fulvis serpentibus attigit Iden.
Hic ædes augusta Deæ, templique colendi
Religiosa silex, densis quam pinus opacat
Frondibus, at nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.
Terribiles intus thiasi, vesanaque mixto
Concentu delubra gemunt: ululatibus Ide
Bacchatur: timidas inclinant Gargara sylvas.
Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant;
Conticuere chori; Corybas non impulit ensem;
Non buxus, non æra sonant: blandasque leones
Submisere iubas. Adytis gavisa Cybebe
Exilit, et pronas intendit ad oscula turres.
Viderat hæc dudum summa speculatus ab arce
Iupiter, ac Veneri mentis penetralia nudat.
Curarum secreta tibi, Cytherea, fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proserpina regi
Iamdudum decreta dari. Sic Atropos urget:
Sic cecinit longæva Themis. Nunc, matre remota,
(Rem peragi tempus) fines invade Sicanos,
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Crastina puniceos cum lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,
Me quoque sæpe, soles. Cur ultima regna quiescunt?
Nulla sit immunis regio, nullumque sub umbris
Pectus inaccensum Veneri. Iam tristis Erinnys
Sentiat ardores. Acheron, Ditisque severa
Ferrea lascivia mollescant corda sagittis.
Accelerat præcepta Venus; iussuque parentis,
Pallas, et inflexo quæ terret Mænala cornu,
Addunt se comites. Divino semita gressu
Claruit: augurium qualis laturus iniquum
Præpes sanguineo dilabitur igne cometes,
Prodigiale rubens: non illum navita tuto,
Non impune vident populi: sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.
Devenere locum, Cereris quo tecta [virebant,]
Cyclopum firmata manu: stant ardua ferro
Mœnia: ferrati postes: immensaque nectit
Claustra chalybs. Nullum tanto sudore Pyracmon,
Nec Steropes, construxit opus: nec talibus unquam
Spiravere Notis animæ; nec flumine tanto
Incoctum maduit lassa fornace metallum.
Atria vestit ebur: trabibus solidatur ahenis
Culmen; et in celsas surgunt electra columnas.
Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu
Irrita texebat rediture munera matri.
Hic elementorum seriem, sedesque paternas,
Insignibat acu: veterem qua lege tumultum
Discrevit Natura parens, et semina iustis
Discessere locis: quidquid leve, fertur in altum:
In medium graviora cadunt: incanduit æther:
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus inest: stellas accendit in auro;
Ostro fundit aquas; attollit litora gemmis,
Filaque mentitos iam iam cælantia fluctus
Arte tument: credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inserpere murmur arenis.
Addit quinque plagas: mediam subtemine rubro
Obsessam fervore notat: squalebat adustus
Limes, et assiduo sitiebant stamina sole:
Vitales utrimque duas; quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris: tum fine supremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, et æterno contristat frigore telas.
Necnon et patrui pingit sacraria Ditis,
Fatalesque sibi Manes. Nec defuit omen:
Præscia nam subitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat et vitreis summo iam margine texti
Oceanum sinuare vadis; sed, cardine verso,
Sentit adesse Deas, imperfectumque laborem
Deserit; et niveos infecit purpura vultus,
Per liquidas succensa genas; castæque pudoris
Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit ostro.
Merserat unda diem: sparso nox humida somno
Languida cæruleis invexerat otia bigis.
Iamque viam Pluton superas molitur ad auras,
Germani monitu: torvos invisa iugales
Alecto temone ligat, qui pascua mandunt
Cocyti, spatiisque Erebi nigrantibus errant;
Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes,
Ægra soporatis spumant oblivia linguis:
Orphnæus crudele micans, Æthonque sagitta
Ocyor, et Stygii sublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisque nota signatus Alastor,
Stabant ante fores iuncti, sævumque fremebant,
Crastina venturæ spectantes gaudia prædæ.

Liber II. PRÆFATIO AD FLORENTINUM.

Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumque diu seposuisset ebur;
Lugebant erepta sibi solatia Nymphæ,
Quærebant dulces flumina mœsta modos:

Sæva feris natura redit; metuensque leonum,
Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius et duri flevere silentia montes,
Sylvaque Bistoniam sæpe secuta chelyn.
Sed, postquam Inachiis Alcides missus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede,
Diraque sanguinei vertit præsepia Regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos;
Tum, patriæ festo lætatus tempore, vates
Desuetæ repetit fila canora lyræ;
Et resides lævi modulatus pectine nervos,
Pollice festino nobile duxit ebur.
Vix auditus erat: venti frænantur et undæ:
Pigrior astrictis torpuit Hebrus aquis:
Porrexit Rhodope sitientes carmine rupes:
Excussit gelidas pronior Ossa nives:
Ardua nudato descendit populus Hæmo,
Et comitem quercum pinus amica trahit:
Cirrhæasque Dei quamvis despexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere Molossi;
Vicinumque lupo præbuit agna latus:
Concordes varia ludunt cum tigride damæ;
Massylam cervi non timuere iubam.
Ille novercales stimulos, actusque canebat
Herculis, et forti monstra subacta manu;
Qui timidæ matri pressos ostenderit angues,
Intrepidusque fero riserit ore puer.
Te neque, Dictæas quatiens mugitibus urbes,
Taurus, nec Stygii terruit ira canis;
Non Leo, sidereos cœli rediturus ad axes,
Non, Erymanthei gloria montis, aper.
Solvis Amazonios cinctus; Stymphalidas arcu
Appetis; occiduo ducis ab orbe greges;
Tergeminique ducis numerosos deiicis artus;
Et toties unum victor ab hoste redis.
Non cadere Antæo, non crescere profuit hydræ:
Non cervam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perit: rubuit Busiride Nilus:
Prostratis rubuit nubigenis Pholoe.
Te Libyci stupuere sinus: te maximus Atlas
Horruit, imposito cum premerere polo.
Firmior Herculea mundus cervice pependit.
Lustrarunt humeros Phœbus et astra tuos.
Thracius hæc vates: sed tu Tirynthius alter,
Florentine, mihi: tu mea plectra moves:
Antraque Musarum, longo torpentia somno,
Excutis, et placidos ducis in orbe choros.

Liber secundus

Impulit Ionios præmisso lumine fluctus
Nondum pura dies: tremulis vibravit in undis
Ardor, et errantes ludunt per cærula flammæ.
Iamque audax animi, fidæque oblita parentis,
Fraude Dionæa riguos Proserpina saltus
(Sic Parcæ voluere) petit. Ter cardine verso
Præsagum cecinere fores: ter conscia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Henna.
Nullis illa tamen monstris, nulloque tenetur
Prodigio: comites gressum iunxere sorores.
Prima dolo gaudens, et tanti callida voti,
It Venus, et raptus metitur corde futuros,
Iam durum flexura Chaos; iam, Dite subacto,
Lugenti famulos Manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis sinuatur in orbes,
Idalia divisus acu: sudata marito
Fibula purpureos gemma suspendit amictus.
Candida Parrhasii post hanc regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuspide protegit arces,
Utraque virgo, ruunt: hæc tristibus aspera bellis;
Hæc metuenda feris: Tritonia casside fulva
Cælatum Typhona gerit, qui, summa peremtus,
Ima parte viget, moriens et parte superstes;
Hastaque terribili surgens per nubila gyro,
Instar habet sylvæ: tantum stridentia colla
Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat.
At Triviæ lenis species, et multus in ore
Frater erat; Phœbique genas et lumina Phœbi
Esse putes, solusque dabat discrimina sexus.
Brachia nuda nitent: levibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remisso
Otia nervus agit: pendent post terga sagittæ.
Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
Poplite fusa tenus, motoque in stamine Delos
Errat, et aurato trahitur circumflua ponto.
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu,
Nec membris nec honore minor; potuitque videri
Pallas, si clypeum, si ferret spicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur iaspide vestes.
Pectinis ingenio nunquam felicior arti
Contigit eventus: nullæ sic consona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hic Hyperionio Solem de semine nasci
Fecerat, et pariter, forma sed dispare, Lunam,
Auroræ noctisque duces: cunabula Tethys
Præbet, et infantes gremio solatur anhelos;
Cæruleusque sinus roseis radiatur alumnis.
Invalidum dextro portat Titana lacerto,
Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte
Cristatum radiis: primo clementior ævo
Fingitur, et tenerum vagitu despuit ignem.
Læva parte soror vitrei libamina potat
Uberis, et parvo signatur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu: comitantur euntem
Naides, et socia stipant utrimque corona,
Quæ fontes, Crimise, tuos, et saxa rotantem
Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant; quas pigra vado Camerina palustri,
Quas Arethusæi latices, quas advena nutrit
Alpheus. Cyane totum supereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulchra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit post prælia turmas;
Seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem
Thermodontiaca Tanain fregere securi.
Aut quales referunt Baccho solennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripasque paternas
Percurrunt auro madidæ; lætatur in antro
Amnis, et undantem declinat prodigus urnam.
Viderat herboso sacrum de vertice vulgus
Henna parens florum, curvaque in valle sedentem
Compellat Zephyrum: Pater o gratissime veris,
Qui mea lascivo regnas per prata meatu
Semper, et assiduis irroras flatibus annum,
Respice Nympharum cœtus, et celsa Tonantis
Germina, per nostros dignantia ludere campos.
Nunc adsis, faveasque, precor: nunc omnia fœtu
Pubescant virgulta, velis, ut fertilis Hybla
Invideat, vincique suos non abnuat hortos.
Quidquid thuriferis spirat Panchaia sylvis,
Quidquid odoratus longe blanditur Hydaspes,
Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, optato repetens exordia busto,
In venas disperge meas, et flamine largo
Rura fove: merear divino pollice carpi,
Et nostris cupiant ornari numina sertis.
Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas

Concutit, et glebas fœcundo rore maritat:
Quaque volat, vernus sequitur rubor; omnis in herbas
Turget humus, medioque patent convexa sereno:
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Induit, et dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura sinus? quæ vellera tantum
Ditibus Assyrii spumis fucantur aeni?
Non tales volucer pandit Iunonius alas:
Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita discretis interviret humida nimbis.
Forma loci superat flores: curvata tumore
Parvo planities, et mollibus edita clivis
Creverat in collem: vivo de pumice fontes
Roscida mobilibus lambebant gramina rivis.
Sylvaque torrentes ramorum frigore soles
Temperat, et medio brumam sibi vindicat æstu.
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Iovi tumulos tectura cupressus,
Ilex plena favis, venturi præscia laurus:
Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus;
Hic hederæ serpunt; hic pampinus induit ulmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, et nemorum frondoso margine cinctus,
Vicinis pallescit aquis: admittit in altum
Cernentes oculos; et late pervius humor
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus,
Imaque perspicui prodit secreta profundi.
Huc elapsa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea, legant: Nunc ita, sorores,
Dum matutinis præsudat solibus aer,
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros,
Roranti prævectus equo. Sic fata, doloris
Carpit signa sui. Varios tum cetera saltus
Invasere cohors. Credas examina fundi
Hybfæum raptura thymum, cum cerea reges
Castra movent, fagique cava demissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
Pratorum spoliatur honos. Hæc lilia fuscis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur stellata rosis; hæc alba ligustris.
Te quoque, flebilibus mœrens Hyacinthe figuris
Narcissumque metunt, nunc inclyta germina veris,
Præstantes olim pueros: tu natus Amyclis;
Hunc Helicon genuit: te disci perculit error;
Hunc fontis decepit amor: te fronte retusa
Delius, hunc fracta Cephisus arundine luget.
Æstuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ spes una Deæ; nunc vimine texto
Ridentes calathos spoliis agrestibus implet:
Nunc sociat flores, seseque ignara coronat,
Augurium fatale tori. Quin ipsa tubarum
Armorumque potens, dextram, qua fortia turbat
Agmina, qua stabiles portas et mœnia vellit,
Iam levibus laxat studiis, hastamque reponit,
Insolitisque docet galeam mitescere sertis.
Ferratus lascivit apex; horrorque recessit
Martius, et cristæ pacato fulgure vernant.
Nec, quæ Parthenium canibus scrutatur odorem,
Aspernata choros, libertatemque comarum
Iniecta tantum voluit frænare corona.
Talia virgineo passim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronaque vibratis radicibus oppida verti.
Causa latet. Dubios agnovit sola tumultus
Diva Paphi, mixtoque metu perterrita gaudet.
Iamque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis: immania findunt
Membra rotæ, pressaque gigas cervice laborat,
Siciliam cum Dite ferens; tentatque moveri
Debilis, et fessis serpentibus impedit axem:
Fumida sulfureo prælabitur orbita dorso.
Ac velut occultus securum prodit in hostem
Miles, et effossi subter fundamina campi,
Transilit elusos arcano limite muros,
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros: sic tertius hæres
Saturni latebrosa vagis rimatur habenis
Devia, fraternum cupiens exire sub orbem.
Ianua nulla patet: prohibebant undique rupes
Oppositæ, duraque Deum compage tenebant.
Non tulit ille moras; indignatusque trabali
Saxa ferit sceptro. Siculæ tonuere cavernæ:
Turbatur Lipare: stupuit, fornace relicta,
Mulciber, et trepidus deiecit fulmina Cyclops.
Audiit, et si quem glacies Alpina coercet,
Et qui te, Latiis nondum præcincte tropæis
Tybri, natet, missamque Pado qui remigat alnum.
Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret,
Peneo stagnante palus, et mersa negarent
Arva coli, trifida Neptunus cuspide montes
Impulit adversos: tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu,
Redduntur fluviusque mari tellusque colonis.
Postquam victa manu duros Trinacria nexus
Solvit, et immenso late discessit hiatu;
Apparet subitus cœlo timor: astra viarum
Mutavere fidem; vetito se proluit Arctos
Æquore: præcipitat pigrum formido Booten:
Horruit Orion: audito palluit Atlas
Hinnitu: rutilos obscurat anhelitus axes
Discolor; et longa solitos caligine pasci
Terruit orbis equos: pressis hæsere lupatis
Attoniti meliore polo; rursusque verendum
In Chaos obliquo pugnant temone reverti.
Mox, ubi pulsato senserunt verbera tergo,
Et solem didicere pati, torrentius amne
Hiberno, tortaque ruunt pernicius hasta.
Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri,
Non leve sollicitæ mentis discurrit acumen.
Sanguine fræna calent: corrumpit spiritus auras
Letifer: infectæ spumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt nymphæ: rapitur Proserpina curru,
Imploratque Deas. Iam Gorgonos ora revelat
Pallas, et intento festinat Delia cornu:
Nec patruo cedunt. Stimulat communis in arma
Virginitas, crimenque feri raptoris acerbat.
Ille velut stabuli decus armentique iuvencam
Cum leo possedit, nudataque viscera fodit
Unguibus, et rabiem totos exegit in armos,
Stat crassa turpis sanie, nodosque iubarum
Excutit, et viles pastorum despicit iras.
Ignavi domitor vulgi, teterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te stimulis facibusque profanis
Eumenides movere? tua cur sede relicta
Audes Tartareis cœlum incestare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ: sunt altera Lethes
Numina: sunt tristes Furiæ, te coniuge dignæ.
Fratris linque domos: alienam desere sortem:
Nocte tua contentus abi. Quid viva sepultis
Admisces? nostrum quid proteris advena mundum?
Talia vociferans avidos transire minaci
Cornipedes umbone ferit, clypeique retardat
Obiice, Gorgoneisque premens assibilat hydris,
Prætentaque aperit crista. Libratur in ictum

Fraxinus, et nigros illuminat obvia currus.
Missaque pæne foret, ni Iupiter, æthere vulso
Pacificas rubri torsisset fulminis alas,
Confessus socerum. Nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, et testes firmant connubia flammæ.
Invitæ cessere Deæ. Compescuit arcum
Cum gemitu, talesque dedit Latonia voces:
Sis memor, o, longumque vale! Reverentia patris
Obstitit auxilio: nec nos defendere contra
Possumus: imperio vinci maiora fatemur.
In te coniurat genitor; populoque silenti
Traderis, heu cupidas non aspectura sorores,
Æqualemque chorum. Quæ te Fortuna supernis
Abstulit, et tanto damnavit sidera luctu?
Iam neque Partheniis innectere retia lustris,
Nec pharetram gestare libet. Securus ubique
Spumet aper, sævumque fremant impune leones.
Te iuga Taygeti, posito te Mænala flebunt
Venatu; mœstoque diu lugebere Cyntho.
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.
Interea volucri fertur Proserpina curru,
Cæsariem diffusa Noto: planctuque lacertos
Verberat, et questus ad nubila rumpit inanes.
Cur non torsisti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela, pater? sic me crudelibus umbris
Tradere, sic toto placuit depellere mundo?
Nullane te flectit pietas? nihilumne paternæ
Mentis inest? tantas quo crimine movimus iras?
Non ego, cum rapido sæviret Phlegra tumultu,
Signa Deis adversa tuli; non robore nostro
Ossa pruinosum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas, aut cuius conscia noxæ,
Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alii quascumque tulerunt
Raptores! saltem communi sole fruuntur.
Sed mihi virginitas pariter cœlumque negatur:
Eripitur cum luce pudor: terrisque relictis,
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.
O male dilecti flores, despectaque matris
Consilia, o Veneris deprensæ serius artes!
Mater, io, seu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circumsonat horrida cantu,
Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, et strictos Curetum respicis enses,
Exitio succurre meo: compesce furentem:
Comprime ferales torvi prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis, fletuque decoro
Vincitur, et primi suspiria sentit amoris.
Tunc ferrugineo lacrymas detergit amictu,
Et placida mœstum solatur voce dolorem:
Desine funestis animum, Proserpina, curis,
Et vano vexare metu. Maiora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Servit, et immensum tendit per inane potestas.
Amissum ne crede diem: sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii: lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios. Illic pretiosior ætas,
Aurea progenies habitant: semperque tenemus,
Quod Superi meruere semel. Nec mollia desunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Est etiam lucis arbor prædives opacis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Hæc tibi sacra datur: fortunatumque tenebis
Autumnum, et fulvis semper ditabere pomis.
Parva loquor. Quidquid liquidus complectitur aer,
Quidquid alit tellus, quidquid salis æquora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari subiecta globo, qui septimus auras
Ambit, et æternis mortalia separat astris.
Sub tua purpurei venient vestigia reges,
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. Tu damnatura nocentes;
Tu requiem latura piis; te iudice, sontes
Improba cogentur vitæ commissa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit fatum, quodcumque voles. Hæc fatus, ovantes
Exhortatur equos, et Tænara mitior intrat.
Conveniunt animæ, quantas truculentior Auster
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.
Cunctaque præcipiti stipantur sæcula cursu,
Insignem visura nurum. Mox ipse serenus
Ingreditur, facili passus mollescere risu,
Dissimilisque sui. Dominis intrantibus ingens
Assurgit Phlegethon: flagrantibus hispida rivis
Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.
Occurrunt properi lecta de plebe ministri.
Pars altos revocant currus; frænisque solutis,
Vertunt emeritos ad pascua nota iugales.
Pars aulæa tenent: alii prætexere ramis
Limina, et in thalamum cultas extollere vestes.
Reginam casto cinxerunt agmine matres
Elysiæ, teneroque levant sermone timores,
Et sparsos religant crines, et vultibus addunt
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, gentesque sepultæ
Luxuriant, epulisque vacant genialibus umbræ.
Grata coronati peragunt convivia Manes.
Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus.
Sedantur gemitus. Erebi se sponte relaxat
Squalor, et æternam patitur rarescere noctem:
Urna nec incertas versat Minoia sortes:
Verbera nulla sonant; nulloque frementia luctu,
Impia dilatis respirant Tartara pœnis.
Non rota suspensum præceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis subducitur invida labris.
(Solvitur Ixion: invenit Tantalus undas.)
Et Tityos tandem spatiosos erigit artus;
Squalentisque novem detexit iugera campi:
Tantus erat; laterisque piger sulcator opaci,
Invitus trahitur lasso de pectore vultur,
Abreptasque dolet iam non sibi crescere fibras.
Oblitæ scelerum, formidatique furoris,
Eumenides cratera parant, et vina feroci
Crine bibunt: flexisque minis, iam lene canentes,
Extendunt socios ad pocula plena cerastas,
Ac festas alio succendunt lumine tædas.
Tunc et pestiferi pacatum flumen Averni
Innocuæ transistis, aves; flatumque repressit
Amsanctus: fixo tacuit torrente vorago.
Tunc Acherontæos mutato gurgite fontes
Lacte novo tumuisse ferunt, hederisque virentem
Cocyton dulci perhibent undasse Lyæo.
Stamina nec rumpit Lachesis, nec turbida sacris
Obstrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur
In terris, nullæque rogum planxere parentes.
Navita non moritur fluctu, non cuspide miles:
Oppida funerei pollent immunia leti.
Impexamque senex velavit arundine frontem
Portitor, et vacuos egit cum carmine remos.
Iam suus inferno processerat Hesperus orbi.
Ducitur in thalamum virgo. Stat pronuba iuxta
Stellantes Nox picta sinus, tangensque cubile,
Omina perpetuo genitalia fœdere sancit.

Exultant cum voce pii; Ditisque sub aula
Talia pervigili sumunt exordia plausu:
Nostra parens Iuno, tuque, o germane Tonantis
Et gener, unanimis consortia discite somni,
Mutuaque alternis innectite colla lacertis.
Iam felix oritur proles: iam læta futuros
Expectat Natura Deos. Nova numina rebus
Addite, et optatos Cereri proferte nepotes.

Liber tertius

Iupiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire iubet, totoque Deos arcessere mundo.
Illa, colorato Zephyros illapsa volatu,
Numina conclamat pelagi; Nymphasque morantes
Increpat, et fluvios humentibus evocat antris.
Ancipites trepidique ruunt, quæ causa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Ut patuit stellata domus, considere iussi.
Nec confusus honos. Cœlestibus ordine sedes
Prima datur: tractum proceres tenuere secundum
Æquorei, placidus Nereus, et cœrula Phorci
Canities. Glaucum series extrema biformem
Accipit, et certo mansurum Protea vultu.
Necnon et senibus fluviis concessa sedendi
Gloria: plebeio stat cætera more iuventus,
Mille amnes. Liquidis incumbunt patribus udæ
Naides, et taciti mirantur numina Fauni.
Tum gravis ex alto genitor sic orsus Olympo;
Abduxere meas iterum mortalia curas,
Iampridem neglecta mihi, Saturnia postquam
Otia et ignavi senium cognovimus ævi,
Sopitosque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit stimulis impellere vitæ,
Incultis ne sponte seges grandesceret arvis,
Undaret neu sylva favis, neu vina tumerent
Fontibus, et totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidem invideo; (nec enim livescere fas est,
Vel nocuisse, Deos) sed quid dissuasor honesti
Luxus, et humanas oblimat copia mentes?
Provocet ut segnes animos, rerumque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas?
Utque artes pariat solertia, nutriat usus?
Nunc mihi cum magnis instat Natura querelis,
Humanum relevare genus; durumque tyrannum,
Immitemque vocat, regnataque sæcula patri
Commemorat; parcumque Iovem, se divite, clamat.
Cur campos horrere situ, dumisque repleri
Rura velim, et nullis exornem fructibus annum?
Se iam, quæ genitrix mortalibus ante fuisset,
In diras subito mores transisse novercæ.
Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia, si frangunt, communia pabula, glandes?
Hæccine vita iuvat silvestribus abdita lustris,
Indiscreta feris? Tales cum sæpe parentis
Pertulerim questus, tandem clementior orbi,
Chaonio statui gentes avertere victu.
Atque adeo Ceream, quæ nunc, ignara malorum,
Verberat Idæos torva cum matre leones,
Per mare, per terras, avido discurrere luctu
Decretum, natæ donec lætata repertæ
Indicio tribuat fruges, currusque feratur
Nubibus, ignotas populis sparsurus aristas,
Et iuga cœrulei subeant Actæa dracones.
Quod si quis Cereri raptorem prodere Divum
Audeat; imperii molem, pacemque profundam
Obtestor rerum, natus licet ille, sororve,
Vel coniux fuerit, natarumve agminis una,
Se licet ille meo conceptum vertice iactet,
Sentiet iratum, procul ægide; sentiet ictum
Fulminis; et genitum divina sorte pigebit,
Optabitque mori: tunc, vulnere languidus, ipsi
Tradetur genero, passurus prodita regna;
Et sciet an propriæ conspirent Tartara causæ.
Hoc sanctum: mansura fluant hoc ordine fata.
Dixit, et horrendo concussit sidera motu.
At procul armisoni Cereram sub rupibus antri
Securam, placidamque diu, iam certa peracti
Terrebant simulacra mali; noctesque timorem
Ingeminant; omnique perit Proserpina somno.
Namque modo adversis invadi viscera telis,
Nunc sibi mutatas horret nigrescere vestes,
Nunc steriles mediis frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos quondam quæ fronde pudica
Umbrabat thalamos: hanc ima stirpe recisam
Vidit, et incomtos fœdari pulvere ramos.
Quærentique nefas, Dryades dixere gementes,
Tartareas Furias debellavisse bipenni.
Sed tunc ipsa, sui, iam non ambagibus ullis,
Nuntia, materno facies ingesta sopori.
Namque videbatur tenebroso obtecta recessu
Carceris, et sævis Proserpina vincta catenis,
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qualem roseis nuper convallibus Hennæ
Suspexere Deæ. Squalebat pulchrior auro
Cæsaries, et nox oculorum infecerat ignes.
Exhaustusque gelu pallet rubor. Illa superbi
Flammeus oris honos, et non cessura pruinis
Membra, colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoscere visu
Evaluit; Cuius tot pœnas criminis? inquit.
Unde hæc informis macies? cui tanta facultas
In me sævitiæ? rigidi cur vincula ferri,
Vix aptanda feris, molles meruere lacerti?
Tu, mea tu proles? an vana fallimur umbra?
Illa refert: Heu dura parens, natæque peremtæ
Immemor, heu fulvas animo transgressa leænas!
Tantane te nostri tenuere oblivia? tantum
Unica despicior? Certe Proserpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc, ut cernis, hiatu
Suppliciis inclusa teror. Tu sæva choreis
Indulges, Phrygiasque etiamnum interstrepis urbes?
Quod si non omnem pepulisti pectore matrem,
Si tu nota Ceres, et non me Caspia tigris
Edidit; his, oro, miseram defende cavernis,
Inque superna refer. Prohibent si fata reverti;
Vel saltem visura veni. Sic fata, trementes
Tendere conatur palmas: vis improba ferri
Impedit, et motæ somnum excussere catenæ.
Obriguit visis: gaudet non vera fuisse:
Complexu caruisse dolet. Penetralibus amens
Prosilit, et tali compellat voce Cybeben:
Iam non ulterius Phrygia tellure morabor,
Sancta parens. Revocat tandem custodia cari
Pignoris, et cunctis obiecti fraudibus anni.
Non mihi, Cyclopum quamvis extructa caminis,
Culmina fida satis. Timeo, ne Fama latebras
Prodiderit, leviusque meum Trinacria celet
Depositum. Terret nimium vulgata locorum
Nobilitas. Aliis sedes obscurior oris
Exquirenda mihi. Gemitu flammisque propinquis
Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri.
Somnia quin etiam variis infausta figuris
Sæpe monent; nullusque dies non triste minatur
Augurium. Quoties flaventia serta comarum
Sponte cadunt: quoties exundant ab ubere sanguis
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,

Iniussæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt:
Tympana si quatiam, planctus mihi tympana red-
Ah vereor, ne quid portendant omina veri! (dunt.
Heu longæ nocuere moræ! Procul irrita venti
Dicta ferant, subicit Cybele: non tanta Tonanti
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat.
I tamen, et nullo turbata revertere casu.
Hæc ubi, digreditur templis. Sed nulla ruenti
Mobilitas: tardos queritur non ire iugales;
Immeritasque movens alterno verbere [pennas,]
Sicaniam quærit, cum necdum absconderit Iden.
Cuncta pavet, speratque nihil. Sic æstuat ales,
Quæ teneros humili fœtus commiserit orno,
Allatura cibos; et plurima cogitat absens;
Ne fragilem ventus decusserit arbore nidum;
Neu furtum pateant homini, neu præda colubris.
Ut domus excubiis incustodita remotis,
Et resupinato neglecti cardine postes,
Flebilis et tacitæ species apparuit aulæ,
Non expectatæ respectu cladis amictus
Conscidit, et fractas cum crine avellit aristas.
Hæserunt lacrymæ: non vox, non spiritus oris,
Redditur; atque imis vibrat tremor ossa medullis.
Succidui titubant gressus; foribusque reclusis,
Dum vacuas sedes et desolata pererrat
Atria, semirutas confuso stamine telas,
Atque interceptas agnoscit pectinis artes.
Divinus perit ille labor; spatiumque relictum
Audax sacrilego supplebat aranea textu.
Nec deflet, plangit vs malum: tamen oscula telæ
Figit, et abrumpit mutas in fila querelas.
Attritosque manu radios, proiectaque pensa,
Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo,
Ceu natam, pressat gremio: castumque cubile
Desertosque toros, et, sicubi sederat olim,
Perlegit: attonitus stabulo ceu pastor inani,
Cui pecus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infestavere catervæ:
Serus at ille redit, vastataque pascua lustrans,
Non responsuros ciet imploratque iuvencos.
Atque ibi secreta tectorum in parte iacentem
Aspicit Electram, natæ quæ sedula nutrix,
Oceani priscas inter notissima nymphas.
Par Cereri pietas. Hæc, post cunabula, dulci
Ferre sinu, summoque Iovi deducere parvam
Sueverat, et genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc custos, hæc proxima mater haberi.
Tum laceras effusa comas, et pulvere canos
Sordida, sidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggressa Ceres, postquam suspiria tandem
Laxavit frænosque dolor, Quod cernimus, inquit,
Excidium? cui præda feror? regnatne maritus?
An cœlum Titanes habent? Quæ talia vivo
Ausa Tonante manus? rupitne Typhoia cervix
Inarimen? fractane iugi compage Vesevi,
Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?
An vicina mihi quassantis faucibus Ætna
Protulit Enceladum? nostros an forte penates
Appetiit centum Briareia turba lacertis?
Heu, ubi nunc, ubi, nata, mihi? quo mille ministræ,
Quo Cyane? volucresque quæ vis Sirenas abegit?
Hæccine vestra fides? sic fas aliena tueri
Pignora? Contremuit nutrix, mœrorque pudori
Cessit; et aspectus miseræ non ferre parentis
Emtam morte velit: longumque immota moratur
Auctorem dubium, certumque expromere funus.
Vix tamen hæc: Acies utinam vesana Gigantum
Hanc dederit cladem! levius communia tangunt.
Sed Divæ, multoque minus quod rere, sorores,
In nostras nimium coniuravere ruinas.
Insidias Superum, cognatæ vulnera certis
Invidiæ. Phlegra nobis infensior æther.
Florebat tranquilla domus: nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat visere saltus,
Præceptis obstricta tuis. Telæ labor illi,
Sirenes requies; sermonum gratia mecum,
Mecum somnus erat, cautique per atria ludi.
Cum subito (quonam, dubium, monstrante latebras
Rescierit) Cytherea venit; suspectaque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada iunxit.
Protinus effuso lætatam se fingere risu;
Nec semel amplecti, nomenque iterare sororis,
Et dura de matre queri, quæ tale recessu
Maluerit damnare decus, vetitoque Deorum
Colloquio, patriis procul amandaverit astris.
Nostra rudis, gaudere malis, et nectare largo
Instaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianæ
Induitur, digitisque attentat mollibus arcum.
Nunc, crinita iubis, galeam, laudante Minerva,
Implet, et ingentem clypeum gestare laborat.
Prima Venus campos Hennæaque rura maligno
Ingerit afflatu. Vicinos callida flores
Ingeminat; meritumque loci, velut inscia, quærit.
Nec credit, quod bruma rosas innoxia servet,
Quod gelidi rubeant alieno germine menses,
Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi,
Persuadet. Teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces? Ruit illa tamen, conlisa sororum
Præsidio: famulæ longo post ordine nymphæ.
Itur in æterno vestitos gramine campos;
Et prima sub luce legunt, cum rore serenus
Albet ager, sparsosque bibunt violaria succos.
Sed, postquam medio sol institit altior axi,
Ecce polum nox fœda rapit, tremefactaque nutat
Insula cornipedum pulsu, strepituque rotarum.
Nosse nec aurigam licuit: seu mortifer æstus,
Seu Mors ipsa fuit; luror permanat in herbas:
Deficiunt rivi: squalent rubigine prata:
Et nihil afflatum vivit: pallere ligustra,
Expirare rosas, decrescere lilia vidi.
Ut rauco reduces tractu detorsit habenas,
Nox sua prosequitur currum; lux redditur orbi.
Persephone nusquam. Voto rediere peracto,
Nec mansere, Deæ. Mediis invenimus arvis
Exanimem Cyanen: cervix redimita iacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur subitæ, et casus scitamur heriles,
(Nam propior cladi steterat) quis vultus equorum?
Quis regat? illa nihil: tacito sed læsa veneno,
Solvitur in laticem: subrepit crinibus humor:
Liquitur, in roremque pedes et brachia manant;
Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons.
Discedunt aliæ. Rapidis Acheloides alis
Sublatæ Siculi latus obsedere Pelori;
Accensæque malo, iam non impune canoras
In pestem vertere lyras: vox blanda carinas
Alligat: audito frænantur carmine remi.
Sola domi, luctu senium tractura, relinquor.
Hæret adhuc suspensa Ceres, et singula demens,
Ceu nondū transacta, timet: mox, lumina torquens,
Ultro in cœlicolas furiato pectore ferri.
Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,
Cuius, Achæmenio regi ludibria, natos
Avexit tremebundus eques. Fremit illa marito
Mobilior Zephyro; totamque virentibus iram

Dispergit maculis, isminsmque haustura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto genitrix bacchatur Olympo;
Reddite, vociferans: non me vagus edidit amnis:
Non Dryadum de plebe sumus: turrita Cybebe
Me quoque Saturno genuit. Quo iura Deorum,
Quo leges abiere poli? quid vivere recte
Proderit? En, audet noti Cytherea pudoris
Ostentare suos, post Lemnia vincula, vultus.
Hos animos bonus illa sopor, castumque cubile,
Præbuit? amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum, si turpe nihil post talia ducit.
Quid vos expertes thalami? tantumne relictus
Virginitatis honos? tantum mutata voluntas?
Iam Veneri et sociis iunctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ, atque hominem sitientibus aris,
Utraque digna coli! tanti quæ causa furoris?
Quam mea vel dicto tenui Proserpina læsit?
Scilicet aut caris pepulit te, Delia, sylvis;
Aut tibi commissas rapuit, Tritonia, pugnas?
An gravis alloquio? vestros an forte petebat
Importuna choros? Atqui Trinacria longe,
Esset ne vobis oneri, deserta colebat.
Quid latuisse iuvat? rabiem livoris acerbi
Nulla potest placare quies. His increpat omnes
Vocibus: ast illæ (prohibet reverentia patris)
Aut reticent, aut nosse negant; responsaque matri
Dant lacrymas. Quid agat? Rursus se victa remittit;
Inque humiles demissa preces, Ignoscite, si quid
Intumuit pietas; si quid flagrantius actum,
Quam decuit miseram. Supplex deiectaque vestris
Advolvor genibus. Liceat cognoscere sortem:
Hoc tantum: liceat certos habuisse dolores.
Scire peto, quæ forma mali. Quamcumque dedistis
Fortunam, si nota, feram, fatumque putabo,
Non scelus. Aspectum, precor, indulgete parenti:
Non repetam. Quæsita manu securus habeto,
Quisquis es: affirmo prædam: desiste vereri.
Quod si nos aliquo prævenit fœdere raptor;
Tu certe, Latona, refer. Confessa Diana
Forte tibi. Nosti, quid sit Lucina, quis horror
Pro genitis, et quantus amor: partusque tulisti
Tu geminos: hæc una mihi. Sic crine fruaris
Semper Apollineo: sic me felicior ævum
Mater agas. Largis tunc imbribus ora madescunt.
[Quid tantum est dignum fleri, dignumque taceri?]
Hei mihi! discedunt omnes. Quid vana moraris
Ulterius? non bella palam cœlestia sentis!
Quin potius natam pelago terrisque requiris?
Accingar lustrare diem: per devia rerum
Indefessa ferar: nulla cessabitur hora.
Non requies, non somnus erit, dum pignus ademtum
Inveniam; gremio quamvis mergatur Hiberæ
Tethyos, et Rubro iaceat vallata profundo.
Non Rheni glacies, non me Rhipæa tenebunt
Frigora; non dubio Syrtis cunctabitur æstu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque nivalem
Vestigare domum: primo calcabitur Atlas
Occasu; facibusque meis lucebit Hydaspes.
Impius errantem videat per rura, per urbes,
Iupiter: extincta satietur pellice Iuno.
Insultate mihi: cœlo regnate superbi.
Ducite præclarum Cereris de stirpe triumphum.
Sic fatur, notæque iugis illabitur Ætnæ,
Noctivago tædas inflammatura labori.
Lucus erat prope flavum Acin, quem candida præ-
Sæpe mari, pulchroque secat Galatea natatu: [fert
Densus, et innexis Ætnæa cacumine ramis,
Qualibet usque, tegens. Illic posuisse cruentam
Ægida, captivamque pater post prælia prædam
Advexisse datur. Phlegræis sylva superbit
Exuviis, totumque nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus, hic prodigiosa Gigantum
Tergore dependent; et adhuc crudele minantur
Affixæ truncis facies; immaniaque ossa
Serpentum passim cumulis exanguibus albent;
Et rigidæ multo suspirant fulmine pelles:
Nullaque non magni iactat se nominis arbor.
Hæc centumgemini strictos Ægæonis enses
Curvata vix fronte levat: liventibus illa
Exultat Cœi spoliis; hæc arma Mimantis
Sustinet; hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior at cunctis abies, umbrosaque late,
Ipsius Enceladi fumantia gestat opima,
Summi terrigenum regis; caderatque gravata
Pondere, ni lassam fulciret proxima quercus.
Inde timor numenque loco; nemorisque senectæ
Parcitur, ætheriisque nefas nocuisse tropæis.
Pascere nullus oves, nec robora lædere, Cyclops
Audet; at ipse fugit sacra Polyphemus ab umbra.
Non tamen hoc tardata Ceres: accenditur ultro
Religione loci, vibratque incerta securim,
Ipsum etiam feritura Iovem: succidere pinus,
Et magis enodes properat prosternere cedros,
Exploratque habiles truncos, rectique tenorem
Stipitis, et certo percenset brachia nisu.
Sic, qui vecturam longinqua per æquora merces,
Molitur tellure ratem, vitamque procellis
Obiectare parat, fagos metitur at alnos;
Et varium rudibus sylvis accommodat usum.
Quæ longa est, tumidis præbebit cornua velis
Quæ fortis, malo potior; quæ lenta, favebit
Remigio; stagni patiens aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inviolata cupressus
Cespite vicino; quales non rupibus Idæ
Miratur Simois; quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeo credas: sic frontibus æquis
Adstant, et socio despectant vertice lucum.
Hæ placuere faces: pernix invadit utramque,
Cincta sinus, exerta manus, armata bipenni:
Alternasque ferit, totisque obnixa trementes
Viribus impellit: pariter traxere ruinam,
Et pariter posuere comam, campoque recumbunt,
Faunorum Dryadumque dolor. Complectitur ambas,
Sicut erant, alteque levat; retroque solutis
Crinibus, ascendit fastigia montis anheli,
Exsuperatque æstus, at nulli pervia saxa,
Atque indignantes vestigia calcat arenas.
Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
Torva Megæra ruit; Cadmi seu mœnia poscat;
Sive Thyesteis properet sævire Mycenis.
Dant tenebræ Manesque locum, plantisque resultant
Tartara ferratis; donec Phlegethontis ad undam
Constitit, et plenos excepit lampade fluctus.
Postquam perventum scopuli flagrantia in ora;
Protinus arsuras adversa fronte cupressus
Faucibus iniecit mediis, lateque cavernas
Texit, et undantem flammarum obstruxit hiatum.
Compresso mons igne tonat; claususque laborat
Mulciber: obducti nequeunt [hærere] vapores.
Coniferi micuere apices: crevitque favillis
Ætna novis; strident admisso sulfure rami.
Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,
Semper inocciduos insopitosque manere
Iussit, et arcano perfudit robora succo;
Quo Phaethon irrorat equos, quo Luna iuvencos.
Iamque soporiferis nocturna silentia terris

Explicuere vices: laniato pectore, longas
Inchoat illa vias, et sic ingressa profatur:
Non tales gestare tibi, Proserpina, tædas
Sperabam: sed vota mihi communia matrum,
Sed thalami festæque faces, cœloque cavendos
Ante oculos Hymenæus erat. Sic Numina fatis
Volvimur, et nullo Lachesis discrimine sævit?
Quam nuper sublimis eram, quantisque procorum
Cingebar studiis? Quæ non mihi pignus ob unum
Cedebat numerosa parens? Tu prima voluptas,
Tu postrema mihi: per te fœcunda videbar.
O decus, o requies, o grata superbia matris!
Qua gessi florente Deam: qua sospite, nusquam
Inferior Iunone fui: nunc squalida, vilis.
Hoc placitum patri. Cur autem ascribimus illum
His lacrymis? Ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deserui, solamque instantibus ultro
Hostibus exposui. Raucis secura fruebar
Nimirum thiasis; et læta sonantibus armis,
Iungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.
Accipe, quas merui, pœnas. En, ora fatiscunt
Vulneribus; grandesque rubent in pectore sulci.
Immemor, en, uterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli, quo te sub cardine quæram?
Quis monstrator erit? quæ me vestigia ducent?
Quis currus? ferus ipse quis est? terræne marisne
Incola? quæ volucrum deprendam signa rotarum?
Ibo, ibo, quocumque pedes, quocumque iubebit
Casus. Sic Venerem quærat deserta Dione.
Efficietne labor? rursus te, nata, licebit
Amplecti? manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortasse videbo
Qualis nocte venis; qualem per somnia vidi?
Sic ait, et prima gressus molitur ab Ætna;
Exitilque reos flores, ipsumque rapinæ
Detestata locum, sequitur dispersa viarum
Indicia, et pleno rimatur lumine campos;
Inclinatque faces. Omnis [perit] orbita fletu:
Omnibus admugit. Quacumq; it in [æthere, sulcis.]
Adnatat umbra fretis; extremaque lucis imago
Italiam Libyamque ferit: clarescit Etruscum
Litus, et accenso resplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit; canibusque reductis,
Pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat.

* * *Cætera desiderantur.* * *

Gigantomachia.

Terra parens quondam, cœlestibus invida regnis,
Titanumque simul crebros miserata dolores,
Omnia monstrifero complebat Tartara fœtu,
Invisum genitura nefas: Phlegramque retexit,
Tanta prole tumens, et in æthera protulit hostes.
Fit sonus: erumpunt Erebo, nondumque creati
Iam dextras in bella parant, Superosque lacessunt,
Stridula volventes gemino vestigia lapsu.
Pallescunt subito stellæ, flectitque rubentes
Phœbus equos, docuitque timor revocare meatus.
Oceanum petit Arctos; inoccidnique Triones
Occasum didicere pati. Tum fervida natos
Talibus hortatur genitrix in prælia dictis:
O pubes domitura Deos, quodcumque videtis,
Pugnando dabitur: præstat victoria mundum.
Sentiat ille meas tandem Saturnius iras,
Agnoscat, quid Terra potest. Sic viribus ullis
Vincor? cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet? quæ forma nocendi
Defuit? Hinc volucrem vivo sub pectore pascit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus.
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per canitiem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon, cuius sub vulture sævo
Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis?
Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis: defendite matrem.
Sunt freta, sunt montes: nostris ne parcite membris.
In Iovis exitium telum non esse recuso.
Ite, precor; miscete polum, rescindite turres
Sidereas. Rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus:
Enceladi iussis mare serviat: alter habenas
Auroræ, pro Sole, regat: te Delphica laurus
Stringat, Porphyrion, Cirrhæaque templa teneto.
His ubi consiliis animos elusit inanes;
Iam credunt vicisse Deos, mediisque revinctum
Neptunum traxisse fretis. Hic sternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros divellere crines.
Hic sibi promittit Venerem, spiratque Dianæ
Coniugium, castamque cupit violare Minervam.
Interea Superos prænuntia convocat Iris,
Qui fluvios, qui stagna colunt: cinguntur et ipsi
Auxilio Manes: nec te, Proserpina, longe
Umbrosæ tenuere fores. Rex ille silentum
Lethæo vehitur curru, lucemque timentes
Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spissas cœruleis tenebras e naribus efflant.
Ac velut hostilis cum machina terruit urbem,
Undique concurrunt arcem defendere cives;
Haud secus omnigenis coeuntia Numina formis
Ad patrias venere domos. Tum Iupiter infit:
O nunquam peritura cohors! o debita semper
Cœlo progenies, nullisque obnoxia fatis!
Cernitis, ut nostrum Tellus coniuret in orbem
Prole nova, dederitque alios interrita partus?
Ergo, quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus. Longo maneat per sæcula luctu,
Tanto pro numero, paribus damnata sepulcris.
Iam tuba nimborum sonuit: iam signa ruendi
His Æther, his Terra dedit: confusaque rursus,
Pro domino Natura timet. Discrimina rerum
Miscet turba potens. Nunc insula deserit æquor:
Nunc scopuli latuere mari. Quot litora restant
Nuda! quot antiquas mutarunt flumina ripas!
Hic rotat Hæmonium praeduris rupibus Œten:
Hic iuga connexis manibus Pangæa coruscat:
Hunc armat glacialis Athos: hoc Ossa movente
Tollitur: hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit,
Et socias truncavit aquas; summaque volutus
Rupe, Giganteos humeros irrorat Enipeus.
Subsidit patulis Tellus sine culmine campis,
In natos divisa suos. Horrendus ubique
It fragor, et pugnæ spatium discriminat aer.
Primus terrificum Mavors non segnis in agmen
Odrysios impellit equos, quibus ille Gelonos,
Sive Getas, turbare solet. Splendentior igni
Aureus ardescit clypeus, galeamque nitentes
Arrexere iubæ. Tunc concitus ense Pelorum
Transigit adverso, femorum qua fine volutus,
Duplex semiferis connectitur ilibus anguis;
Atque uno ternas animas interficit ictu.
Dum, superinsultans, avidus languentia curru
Membra terit, multumque rotæ sparsere cruoris,
Occurrit pro fratre Mimas, Lemnumque calentem,
Cum lare Volcani, spumantibus eruit undis;
Et prope torsisset, si non Mavortia cuspis
Ante terebrato cerebrum fudisset ab ore.
Ille viro toto moriens, serpentibus imis
Vivit adhuc stridore ferox, et parte rebelli
Victorem post fata petit. Tritonia virgo

Prosilit, ostendens rutila cum Gorgone pectus.
Aspectu contenta suo, non utitur hasta:
Nam satis est vidisse semel: primumque furentem
Longius in faciem saxi Pallanta reformat.
Ille, procul subitis fixus sine vulnere nodis,
Ut se letifero sensit durescere visu,
Et steterat iam pæne lapis, Quo vertimur? inquit,
Quæ serpit per membra silex? qui torpor inertem
Marmorea me peste ligat? Vix pauca locutus,
Quod timuit, iam totus erat: sævusque Damastor,
Ad depellendos iaculum dum quæreret hostes,
Germani rigidum misit pro rupe cadaver.
Hic vero interitum fratris miratus Echion,
Inscius, auctorem dum vult tentare nocendo,
Te, Dea, respexit, solam quam cernere nulli
Bis licuit. Meruit sublata audacia pœnas,
Et didicit cum morte Deam. Sed turbidus ira
Palleneus, oculis adversa tuentibus atrox,
Ingreditur, cæcasque manus in Pallada tendit.
Hunc mucrone ferit Dea cominus: ac simul angues
Gorgoneo riguare gelu, corpusque per unum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium spiris delapsus in æquor,
Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon,
Scilicet ad superos ut torqueat improbus axes.
Horruit Ægeus: stagnantibus exsilit antris
Longævo cum patre Thetis; desertaque mansit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidæ Cynthi de vertice Nymphæ;
Nymphæ, quæ rudibus Phœbum docuere sagittis
Errantes agitare feras, primumque gementi
Latonæ struxere torum, cum lumina cœli
Parturiens, geminis ornaret fœtibus orbem.
Implorat Pæana suum conterrita Delos,
Auxiliumque rogat: Si te gratissima fudit
In nostros Latona sinus succurre precanti.
En, iterum convulsa feror. * * * * * *

Cætera desiderantur.

ΕΚ ΤΗΣ ΓΙΓΑΝΤΟΜΑΧΙΑΣ

Κυπρὶς δ' οὔτε βέλος φέρεν, οὔθ' ὅπλον· ἀλλ' ἐκόμιζεν
Ἀγλαΐην· θεμένη γὰρ ἐπ' ὄμμασιν ἄγγελον αὐδήν,
Πρῶτα μὲν ἀπλεκέας περόνῃ διεκρίνατο χαίτας,
Καὶ πλεκτὰς ἔσφιγξε πυκνῷ περιπλέγματι σειράς.
Στίλβει δ' ὀφθαλμῶν ἐρατοὺς ὑπεγράψατο κανθούς·
Λεπτὰς εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος,
Πορφυρέων οὐ κρύπτεν ὑφ' εἵμασιν ἄνθεα μαζῶν,
Ὄμματος εἰς ἀγρὴν ὡπλισμένη· εἶχε γὰρ αὐτή
Πλέγμα κόρυν, δόρυ μαζόν, ὀφρῦν βέλος, ἀσπίδα κάλλος,
"Ὅπλα μέλη, θελγητρον ἐν ἄλγεσιν· εἰ δέ τις αὐτῇ
"Ὄμμα βάλῃ, δέδμητο.

Epistolae

I. Deprecatio ad Hadrianum Præf. Prætorio.

Usque adeone tuæ producitur impetus iræ?
Nullus erit finis lacrymis? subitisne favorem
Permutas odiis? Quo mens ignara nocendi,
Quo sensus abiere pii? Tantumne licebit
Invidiæ? tantum strepitus valuere maligni?
Me dolor incautus, me lubrica duxerit ætas;
Me tumor impulerit; me devius egerit ardor:
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ Superos nunquam tetigere querelæ;
Nec vaga securum penetrant convicia cœlum.
Excessit iam pœna modum. Concede iacenti.
En, adsum; et veniam, confessus crimina, posco.
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles:
Ultrices Furias matris placavit Orestes:
Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces:
Pellæum iuvenum regum flexere ruinæ:
Darium famulis manibus doluisse peremtum
Fertur, et ingenti solatus fata sepulcro:
Tradita captivo spatiosior India Poro.
Conditor hic patriæ: sic hostibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna sequi. Quemcumque Deorum
Læsimus, insultet iugulo, pascatque furorem.
Gratia defluxit: sequitur feralis egestas.
Desolata domus: caris spoliamur amicis.
Hunc tormenta necant; hic undique traditur exul.
Quid supereat damnis? quæ sæva pericula restant?
Prætereunt subiecta feræ; mortisque facultas
Emollit rabiem prædæ; torvique leones,
Quæ stravisse calent, eadem prostrata relinquunt.
Nec nisi bellantis gaudent cervice iuvenci
Nobilior fames. Secuit nascentia fata.
Livor, et ingesto turbavit gaudia luctu.
Iam iam suppliciis fessos, humilesque, serenus
Respice. Quid tanta dignaris mole clientem?
In brevibus nunquam sese probat Æolus undis:
Nec capit angustus Boreæ certamina collis.
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.
Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervæ,
Hoc carmen pro thure damus. Miserere tuorum.
Me, precor, heu! me redde mihi! gravibusque medere
Vulneribus; vitamque iube famamque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat.
Sanus Achillea remeavit Telephus hasta,
Cuius pertulerat vires; et sensit in uno
Letalem placidamque manum. Medicina per hostem
Contigit; et pepulit, quos fecerat ipse dolores.
Quod si nec precibus, fletu nec frangeris ullo,
Eripe calcatis non prospera cingula Musis;
Eripe militiam: comitem me pelle sodali.
Scilicet insignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miseros cognata potentia cives!
Audiat hæc commune solum, longeque carinis
Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum,
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

II. Ad Serenam.

Orphea cum primæ sociarent lumina tædæ,
Ruraque compleret Thracia festus Hymen;
Certavere feræ, picturatæque volucres,
Dona suo vati quæ potiora darent.
Quippe auti memores, cautes ubi sæpe sonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ.
Caucaseo crystalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fulva soli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ
Florea connexis serta tulere rosis:
Fractaque nobilium ramis electra sororum
Cycnus oliviferi vexit ab amne Padi:
Et Nilo Pygmæa grues post bella remenso
Ore legunt Rubri germina cara maris:
Venit et extremo Phœnix longævus ab Euro,
Apportans unco cinnama rara pede.
Nulla avium pecudumque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.

Tunc opibus, totoque Heliconis sedula regno
Ornabat propriam Calliopea nurum.
Ipsam præterea dominam stellantis Olympi
Ad nati thalamos ausa rogare parens.
Nec sprevit Regina Deum, vel matris honore,
Vel iusto vatis ducta favore pii.
Qui sibi carminibus toties lustraverat aras,
Iunonis blanda numina voce canens,
Præliaque altisoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas Enceladique minas.
Ilicet adventu noctem dignata iugalem,
Addidit augendis munera sacra toris;
Munera mortales non admittentia cultus;
Munera, quæ solos fas habuisse Deos.
Sed, quod Threicio Iuno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis esse, Serena, meis.
Illius expectent famulantia sidera nutum:
Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
Non ego, cum peterem, sollenni more procorum,
Promisi gregibus pascua plena meis;
Nec quod mille mihi lateant sub palmite colles,
Fluctuet et glauca pinguis oliva coma;
Nec quod nostra Ceres numerosa falce laboret,
Auratæque ferant culmina celsa trabes.
Sufficit, mandasse Deam: tua litera nobis
Et pecus, et segetes, et domus ampla fuit.
Inflexit soceros, et maiestate petendi
Texit pauperiem nominis umbra tui.
Quid non perficeret scribentis voce Serenæ
Vel Genius regni, vel pietatis amor?
Atque utinam sub luce tui contingeret oris,
Coniugis et castris, et solio generi,
Optatum celebrare diem! me iungeret auspex
Purpura; me sancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam scriptis desponderat ante, puellam
Coniugis eadem pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis maioribus æquor
Invidet, et Libyæ dissidet ora plagæ;
Saltem absens, regina, fave, reditusque secundos
Annue sidereo læta supercilio.
Terrarum tu pande vias: tu mitibus Euris
Æquora pacari prosperiora iube;
Ut tibi Pierides, doctumque fluens Aganippe,
Debita servato vota cliente canant.

III. *Ad Olybrium.*

Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed quæ tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Cicerone tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur;
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui scripta ferat? quin tempore nullo
Cessant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cum sit qui dicta reportet;
Quæ, nisi contemnor, causa relicta tibi?
Despicis ergo tuum, si fas est credere, vatem;
Perfidus et spatio debilitatur amor?
Excidimusne tibi? lucem iam condet Hydaspes,
Et Tartessiaco, Sol, oriere vado:
Candescet Geticis Meroe conversa pruinis,
Claraque se vetito proluet Ursa mari.
Et, si iam nostros fastidit Olybrius ignes,
Constat Oresteam nil valuisse fidem.
Quin, age, rumpe moras, remoraturusque sodalem
Absens eloquio fertiliore doce.
Crebraque fœcundos festinet litera cursus,
Labris atque animis insinuanda meis.
Dignatus tenui Cæsar scripsisse Maroni:
Nec tibi dedecori sit mea Musa. Vale.

IV. *Ad Probinum, ut scribat.*

Quem, precor, inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit caræ litera grata vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum,
Convenit? alterius crimen utrumque tenet.
Transfluxere dies, et dum scripsisse priorem
Pœnitet, æternas itur in usque moras.
Sed quid agam? cœpisse vetat reverentia vestri.
Hinc amor hortatur scribere: vincat amor.
Fors iuvat audentes, prisci sententia vatis.
Hac duce, non dubitem, te reticente, loqui.
Audax ut, si quid vates peccasse videbor,
Arguar, ingrati non subiturus onus.
Romanos bibimus primum, te consule, fontes,
Et Latiæ cessit Graia Thalia togæ:
Incipiensque tuis a fastibus omina cepi:
Fataque debebo posteriora tibi.
Ergo, lacessitus, tandem rescribe roganti;
Et patria florens sorte, Probine, vale.

V. *Ad Gennadium ex Proconsule.*

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama secunda fori;
Graiorum populis, et nostro cognite Nilo:
Utraque gens fasces horret amatque tuos.
Carmina ieiunas poscis solantia fauces?
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
Nam mihi mox nidum, pinnis confisa, relinquunt:
Et, lare contemtô, non reditura volant.

Eidyllia

I. *Phœnix.*

Oceani summo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis; vicinaque verbera sentit,
Humida roranti resonant cum limina curru,
Unde rubet ventura dies, longeque coruscis
Nox afflata rotis refugo pallescit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit; Solisque plaga defensus iniqua,
Possidet intactas ægris animantibus oras;
Sæva nec humani patitur contagia mundi;
Par volucer Superis; stellas qui vividus æquat
Durando, membrisque terit redeuntibus ævum:
Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis fervor alit; ventosaque pabula libat
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.
Arcanum radiant oculi iubar: igneus ora
Cingit honos; rutilo cognatum vertice sidus
Attollit cristatus apex, tenebrasque serena
Luce secat: Tyrio pinguntur crura veneno.
Antevolant Zephyros pinnæ, quas cœrulus ambit
Flore color, sparsoque super ditescit in auro.
Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit:
Sed pater est prolesque sibi; nulloque creante,
Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Namque ubi mille vias longiqua retorserit æstas,
Tot fuerint hiemes, toties ver cursibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras:
Tum multis gravior tandem subiungitur annis,
Lustrorum numero victus: ceu lassa procellis
Ardua Caucasio nutat de culmine pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit assiduo flatu: pars imbre peresa
Rumpitur: arripuit partem vitiosa vetustas.
Iam breve decrescit lumen, languetque senili
Segnis stella gelu: qualis cum forte tenetur

Nubibus, et dubio vanescit Cynthia cornu.
Iam solitæ medios alæ transcurrere nimbos
Vix ima tolluntur humo. Tunc conscius ævi
Defuncti, reducisque parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas;
Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum,
Componit bustumque sibi, partumque futurum.
Hic sedet, et blando Solem clangore salutat
Debilior, miscetque preces, ac supplice cantu
Præstatura novas vires incendia poscit.
Quem procul adductis vidit cum Phœbus habenis,
Stat subito, dictisque pium solatur alumnum:
O senium positure rogo, falsisque sepulcris
Natales habiture vices! qui sæpe renasci
Exitio, proprioque soles pubescere leto;
Accipe principium rursus, corpusque coactum
Desere: mutata melior procede figura.
Hæc fatus, propere flavis e crinibus unum
Concussa cervice iacit, missoque volentem
Vitali fulgore ferit. Iam sponte crematur,
Ut redeat; gaudetque mori festinus in ortum.
Fervet odoratus telis cœlestibus agger,
Consumitque senem. Nitidos stupefacta iuvencos
Luna premit, pigrosque polus non concitat axes.
Parturiente rogo, curis Natura laborat,
Æternam ne perdat avem; flammasque fideles
Admonet, ut rerum decus immortale remittant.
Continuo dispersa vigor per membra volutus
Æstuat, et venas recidivus sanguis inundat.
Victuri cineres, nullo cogente, moveri
Incipiunt, plumaque rudem vestire favillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,
Succeditque novus. Geminæ confinia vitæ
Exiguo medius discrimine separat ignis.
Protinus ad Nilum Manes sacrare paternos,
Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre iuvat. Velox alienum tendit in orbem,
Portans gramineo clausum velamine funus.
Innumeræ comitantur aves, stipantque volantem
Alituum suspensa cohors: exercitus ingens
Obnubit vario late convexa meatu.
Nec quisquam, tantis e millibus, obvius audet
Ire duci: sed regis iter fragrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis,
Bella movent: commune facit reverentia fœdus.
Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
Ductor Parthus agit: gemmis et divite cultu
Luxurians, sertis apicem regalibus ornat.
Auro frenat equum; perfusam murice vestem
Assyria signatur acu: tumidusque regendo,
Celsa per famulas acies ditione superbit.
Clara per Ægyptum placidis notissima sacris
Urbs Titana colit: centumque accline columnis
Invehitur templum Thebæo monte revulsis.
Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, vultumque Dei veneratus herilem,
Iam flammæ commendat onus: iam destinat aris
Semina reliquiasque sui. Myrrhata relucent
Limina: divino spirant altaria fumo:
Et, Pelusiacas productus adusque paludes,
Indus odor, penetrat nares, completque salubri
Tempestate viros; et nectare dulcior aura
Ostia nigrantis Nili septena vaporat.
O felix, hæresque tui! quo solvimur omnes,
Hoc tibi suppeditat vires: præbetur origo
Per cinerem: moritur, te non pereunte, senectus.
Vidisti quodcumque fuit: te sæcula teste
Cuncta revolvuntur. Nosti, quo tempore pontus
Fuderit elatas scopulis stagnantibus undas;
Quis Phaethonteis erroribus arserit annus:
Et clades te nulla rapit; solusque superstes,
Edomita tellure, manes: non stamina Parcæ
In te dura legunt; non ius habuere nocendi.

II. *Hystrix*.

Audieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu.
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Visa diu. Datur ecce fides, et cognitus hystrix
Herculeas affirmat aves. Os longius illi
Assimulat porcum: mentitæ cornua setæ
Summa fronte rigent; oculis rubet igneus ardor:
Parva sub hirsuto catuli vestigia dorso.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præsidio dignata feram. Stat corpore toto
Sylva minax; iaculisque rigens in prælia crescit
Picturata seges, quorum cute fixa tenaci
[Altera subtraxit,] alternantesque colorum
Tincta vices, spatiis internigrantibus, exit
In solidæ speciem pinnæ, tenuataque furtim
Lævis in extremum sese producit acumen:
Sed non hæc acies, ritu sylvestris echini,
Fixa manet: crebris propugnat iactibus ultro,
Et longe sua membra regit; tortumque per auras
Evolat excusso nativum missile tergo.
Interdum fugiens, Parthorum more, sequentem
Vulnerat: interdum, positis velut ordine castris,
Terrificum densa [mucronem] verberat unda,
Et consanguineis hastilibus asperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore sonant: stimulis accensa tubarum
Agmina collatis credas confligere signis.
Tantus in angusto strepitus furit. Additur armis
Calliditas, parcusque sui tumor, iraque nunquam
Prodiga telorum, caute contenta minari,
Nec nisi servandæ iactus impendere vitæ.
Error abest; certum sollertia destinat ictum,
Nil spatio fallente modum: servatque tenorem
Mota cutis, doctique regit conamina nisus.
Quid labor humanus tantum ratione sagaci
Proficit? arripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua; subiectis eadem lentescere cognunt
Ignibus: intendunt taurino viscere nervos:
Instruitur pinnis, ferroque armatur arundo.
Ecce brevis propriis munitur bellua telis;
Externam nec quærit opem: fert omnia secum:
Se pharetra, sese iaculo, sese utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum possidet artes.
Quod si omnis nostræ paulatim industria vitæ
Fluxit ab exemplis, quidquid procul appetit hostem,
Hinc reor inventum: morem hinc traxisse Cydonas
Bellandi, Parthosque retro didicisse ferire,
Prima sagittiferæ pecudis documenta secutos.

III. *Torpedo*.

Quis non indomitam diræ Torpedinis artem
Audiit, et merito signatas nomine vires?
Illa quidem mollis, segnique obnixa natatu
Reptat, et attritis vix languida serpit arenis.
Sed latus armavit gelido natura veneno:
Et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
Miscuit, et proprias hiemes per viscera duxit.
Naturam iuvat ipsa dolis; et, conscia sortis,
Utitur ingenio; longeque extenta per algas,
Hac confisa, iacet: successu læta resurgit,
Et vivos impune ferox depascitur artus.
Si quando vestita cibis incautior æra
Hauserit, et curvis frenari senserit hamis;
Non furit, aut vano conatur vellera morsu:
Sed propius nigræ iungit se callida setæ,

Et meminit captiva sui, longeque per undas
Nigra venenatis effundit flamina venis.
Per setam vis alta meat; fluctusque relinquit
Absentem tactura virum. Metuendus ab imis
Emicat horror aquis, et, pendula fila secutus,
Transit arundineos arcano frigore nodos,
Victricemque ligat concreto sanguine dextram.
Damnosum piscator onus, prædamque rebellem
Iactat, et amissa redit exarmatus avena.

IV. *Nilus.*

Felix, qui Pharias proscindit vomere terras.
Nubila non sperat tenebris condentia cœlum;
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variata luce rubentem.
Ægyptos sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga ventis:
Gaudet aquis, quas ipsa vehit. Niloque redundant;
Qui, rapido tractu mediis elapsus ab Austris,
Flammigeræ patiens Zonæ, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet; nec contigit ulli
Hoc vidisse caput. Fertur sine teste creatus,
Flumina profundens alieni conscia cœli.
Inde, vago lapsu Libyam dispersus in omnem,
Æthiopum per mille ruit nigrantia regna;
Et loca continuo solis damnata vapore
Irrorat, populisque salus sitientibus errat,
Per Meroen, Blemyasque feros, atramque Syenen.
Hunc bibit infrenis Garamas, domitorque ferarum
Girræus, qui vasta colit sub rupibus antra,
Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos;
Et gens compositis crinem vallata sagittis.
Nec vero similes causas crescentibus undis,
Aut tempus, meruit. Glacie non ille soluta,
Nec circumfuso scopulis exuberat imbre:
Nam, cum tristis hiems aliis produxerit undas,
Tunc Nilum retinent ripæ: cum languida cessant
Flumina, tunc Nilus mutato iure tumescit.
Quippe quod ex omni fluvio spoliaverit æstas,
Hoc Nilo Natura refert, totumque per orbem
Collectæ partes unum revocantur in amnem.
Cumque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compescit, radiisque potentibus æstuat axis;
Nilo bruma vehit contraria tempora mundo.
Defectis solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Ægeo stagnantior, acrior alto
Ionio, seseque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager: remis sonuere novales.
Sæpius, æstivo iaceat cum forte sopore,
Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

* * * * * * * * * * * * * * *

V. *Magnes.*

Quisquis sollicita mundum ratione secutus
Semina rimetur rerum, quo Luna laboret
Defectu, quæ causa iubet pallescere solem;
Unde rubescentes ferali crine cometæ;
Unde fluant venti, trepidæ quis viscera terræ
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes; quo lumine floreat arcus:
Hoc mihi quærenti si quid deprendere veri
Mens valet, expediam. Lapis est cognomine Magnes,
Decolor, obscurus, vilis: non ille repexam
Cæsariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per cingula morsu:
Sed, nova si nigri videas miracula saxi,
Tum pulchros superet cultus, et quidquid Eoïs
Indi litoribus rubra scrutantur in alga.
Nam ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur: hoc dulces epulas, hoc pabula novit.
Hinc proprias renovat vires: infusa per artus,
Aspera secretum servant alimenta vigorem.
Hoc absente, perit: tristi morientia torpent
Membra fame; venasque sitis consumit apertas.
Mavors, sanguinea qui cuspide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: sed ferrea Martis
Forma nitet; Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more sacerdos.
Ducit flamma choros: festa frondentia myrto
Limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
Floribus; et thalamum dotalis purpura velat.
Hic mirum consurgit opus: Cytherea maritum
Sponte rapit; cœlique toros imitata priores,
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum suspendit onus, galeæque lacertos
Implicat, et vivis totum complexibus ambit.
Ille, lacessitus longo spiramine nexu,
Arcanis trahitur gemmæ de coniuge nodis.
Pronuba fit Natura Deis, ferrumque maritat
Aura tenax: subitis sociantur Numina furtis.
Quis calor infudit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras iungit concordia mentes?
Flagrat anhela silex, et amicam saucia sentit
Materiem: placidosque chalybs cognoscit amores.
Sic Venus horrificum belli compescere regem,
Et vultu mollire solet, cum sanguine præceps
Æstuat, et strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, solvitque tumorem
Pectoris, et blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur; pugnasque calentes
Deserit, et rutilas declinat in oscula cristas.
Quæ tibi, sæve puer, non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen; cœloque relicto,
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Iam gelidas rupes, vivoque carentia sensu
Membra feris: iam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit; ferrumque tenetur
Illecebris; rigido regnant in marmore flammæ.

VI. *Aponus.*

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi plebeius carmina dictet honos,
Et sit nulla manus, cuius non pollice ductæ
Testentur memores prospera vota notæ;
Nonne reus Musis pariter Nymphisque tenebor,
Si tacitus soli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas est a vate relinqui
Hunc, qui tot populis provocat ora, locum.
Alto colle minor, planis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fœcundus aquæ, quacumque cavernas
Perforat, offenso truditur igne, latex.
Spirat putre solum; conclusaque subter anhelo
Pumice, rimosas perforat unda vias.
Humida flammarum regio Vulcania terræ
Ubera sulfureæ fervida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? firmantia vernant
Pascua: luxuriat gramine cocta silex.
Et cum sic rigidæ cautes fervore liquescant,
Contemtis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes, effosso marmore, sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.
Herculei (sic fama refert) monstratur aratri
Semita; vel casus vomeris egit opus.

In medio, pelagi late flagrantis imago,
Cœruleus immenso panditur ore lacus,
Ingenti fusus spatio: sed maior in altum
Intrat, at arcanæ rupis inane subit,
Densus nube sua, tactuque immitis et haustu,
Sed vitreis idem lucidus usque vadis.
Consuluit Natura sibi, ne tota lateret;
Admisitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulsu venti cum spargitur aer,
Glaucaque fumiferæ terga serenat aquæ;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres hastæ, regia dona, micant:
Quas inter nigræ tenebris obscurus arenæ
Discolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent infra latebræ, quas gurges opacus
Implet, et abstrusos ducit in antra sinus.
Tunc montis secreta patent, qui flexus in arcum,
Æquora pendenti margine summa ligat.
Viva coronatos astringit scena vapores,
Et levis exili cortice terra natat;
Calcantumque oneri nunquam cessura virorum,
Sustentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas: sic leves circuit oras
Ambitus, et tenuis perpetuusque riget.
Hærent stagna lacu plenas æquantia ripas;
Præscriptumque timent exsiluisse modum.
Quod superat, fluvius devexa rupe volutus,
Egerit, et campi dorsa recurva petit.
Devehit exceptum nativo [spina] meatu:
In patulas plumbi labitur inde vias;
Nullo cum strepitu; madidisque infecta favillis,
Despumat niveum fistula cana salem.
Multifidas dispergit opes, artemque secutus,
Qua iussere manus, mobile torquet iter:
Et iunctos rapido pontes subtermeat æstu,
Afflatosque vago temperat igne tholos.
Acrior interius, rauci cum murmure saxi,
Spumeus elisus pellitur amne vapor.
Hunc pingues repetunt fessi sudore lacunas,
Frigora quis longæ blanda dedere moræ.
Salve, Pæoniæ largitor nobilis undæ!
Dardanii, salve, gloria magna soli!
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præsens numen, inemta salus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et nostro Phlegethon devius orbe calet;
Sulfuris in venas gelidus seu decidit amnis,
Accensusque fluit, quod manifestat odor;
Sive pari flammas undarum lance rependens,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat,
Ne cedant superata sibi; sed legibus æquis
Alterius vires possit utrumque pati;
Quidquid erit causæ, quocumque emitteris ortu,
Non sine consilio currere, certa fides.
Quis casum meritis ascribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc statuisse Deos?
Ille pater rerum, qui sæcula dividit astris,
Inter prima poli te quoque sacra dedit;
Et, fragilem nostri miseratus corporis usum,
Telluri medicas fundere iussit aquas:
Parcarumque colos exoratura severas,
Flumina laxatis emicuere iugis.
Felices, proprium qui te meruere, coloni
Fas quibus est Aponon iuris habere sui!
Non illis terrena lues, corrupta nec Austri
Flamina, nec sævo Sirius igne nocet.
Sed, quamvis Lachesis letali stamine damnet,
Inde sibi fati prosperiora petunt.
Quod si forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viscera felle virent,
Non venas reserant, nec vulnere vulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mixta bibent.
Amissum lymphis reparant impune vigorem:
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

VII, *De piis Fratribus, et eorum statuis, quæ sunt apud Catinam.*

Aspice sudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos semper honore coli:
Iusta quibus rapidæ cessit reverentia flammæ,
Et mirata vagas repulit Ætna faces.
Complexi manibus fulto cervice parentes,
Attollunt vultus, accelerantque gradus.
Grandævi gemina sublimes prole feruntur,
Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut sæva senex incendia monstret?
Ut trepido genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam; perque omne metallum
Fusus in attonito palluit ære tremor.
In iuvenum membris animosus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impavidusque sui.
Reiectæ vento chlamydes: dextram exerit ille,
Contentus læva sustinuisse patrem.
Ast illi duplices in nodum colligit ulnas,
Cautior in sexu debiliore, labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis tacitæ quod meruere manus.
Nam, consanguineos eadem cum forma figuret,
Hic propior matri fit tamen, ille patri.
Dissimiles annos sollertia temperat artis.
Alter in alterius redditur ore parens.
Et nova germanis paribus discrimina præbens,
Divisit vultus cum pietate faber.
O bene Naturæ memores, documenta supernæ
Iustitiæ, iuvenum numina, vota senum!
Qui, spretis opibus, medios properastis in ignes,
Nil præter sanctam tollere canitiem.
Haud equidem immerito, tanta virtute repressas,
Enceladi fauces obriguisse reor.
Ipse redundantem frenavit Mulciber Ætnam,
Læderet exempli ne monimenta pii.
Seoserunt elementa fidem: pater affuit æther,
Terraque maternum sedula iuvit onus.
Quod si notus amor provexit in astra Laconas,
Ænean Phrygio raptus ab igne pater:
Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere iugo;
Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Æternum Siculus templa dicavit honos?
Plura licet summæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hoc maius se genuisse nihil:
Nec doleat damnis, quæ devius intulit ardor:
Nec gemat exustas igne furente domos:
Non potuit pietas, flamma cessante, probari.
Emtum est ingenti clade perenne decus.

Epigrammata

I. *De Mulabus Gallicis.*

Aspice morigeras Rhodani torrentis alumnas,
Imperio nexas, imperioque vagas,
Dissona quam varios flectant ad murmura cursus,
Et certas adeant, voce regente, vias.
Quamvis quæque sibi longis discurrat habenis,
Et pateant duro libera colla iugo;
Cen constricta, thoen servit, patiensque laborum,
Barbaricos docili concipit aure sonos.
Absentis longinqua valent præcepta magistri;
Frænorumque vicem lingua virilis agit.

Hæc procul angustat sparsas, spargitque coactas,
Hæc sistit rapidas, hæc properare facit.
Leva iubet? lævo deducunt limite gressum.
Mutavit strepitum? dextera iora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
Exutæ laqueis, sub ditione tamen.
Consensuque pares sed fulvis pellibus hirtæ,
Esseda concordes multisonora trahunt.
Miraris, si voce feras pacaverit Orpheus,
Cum pronas pecudes Gallica verba regant?

II. *De sene Veronensi, qui suburbium nunquam egressus est.*

Felix, qui patriis ævum transegit in agris,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem;
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat secula longa casæ.
Illum non vario traxit Fortuna tumultu;
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator tremuit, non classica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Adspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non consule, computat annum:
Autumnum pomis, ver sibi flore, notat.
Idem condit ager soles, idemque reducit:
Metiturque suo rusticus orbe diem:
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Æquævumque videt consenuisse nemus:
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora Rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisque lacertis
Ætas robustum tertia cernit avum.
Erret, et extremos alter scrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

III. *De Apro et Leone.*

Torvus aper, fulvusque leo coiere superbis
Viribus; hic seta sævior, ille iuba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat: dominatur uterque
Montibus. Herculeus sudor uterque fuit.

IV. *Descriptio Armenti. Fragmentum.*

Non tales quondam species tulit armentorum
Tellus tergemino subdita Geryoni:
Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Iovi:
Non talis Tyrias sparsisse iuvencus arenas
Dicitur, optatum quando revexit onus:
Non Cretæus ager, nec amati conscia tauri
Gnosos, nec similes paverit Ida feras.
Ipse et dispariles monstro commissus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore novo,
Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
Præstarent totum si fera membra patrem.

V. *Concha Serenæ.*

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namque latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaseas numen habebit aquas.

VI. *De Crystallo, cui Aqua inerat.*

Possedit glacies naturæ signa prioris:
Et fit parte lapis, frigore parte negat.
Solers lusit hiems; imperfectoque rigore
Nobilior, vivis gemma tumescit aquis.

VII. *Aliter.*

Nymphæ, quas tegitis cognato carcere Nymphas,
Et quæ nunc estis, quæque fuistis aquæ,
Quod vos ingenium iunxit? qua frigoris arte
Torpuit, et maduit, prodigiosa silex?
Quis tepor inclusas securas vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus claustris arcano mobilis æstu,
Vel concreta fuit, vel resoluta gelu?

VIII. *Aliter.*

Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat, nimio iam pretiosa gelu:
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam;
Sed medio mansit proditor orbe latex.
Auctus honos; liquidi crescunt miracula saxi;
Et conservatæ plus meruistis, aquæ.

IX. *Aliter.*

Aspice porrectam splendenti fragmine venam,
Qua trahitur limes lucidiore gelu.
Hic nullum Borean, nec brumam sentit opacus
Humor; sed varias itque reditque vias.
Non illum constrixit hyems, non Sirius ardens:
Ætatis spatium non tenuabit edax.

X. *Aliter.*

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratisque vagus fons operitur aquis.
Nonne vides, propriis ut spumet gemma lacunis,
Et refluos ducant pocula vive sinus?
Udaque pingatur radiis obstantibus Iris,
Secretas hiemes sollicitante die?
Mira silex, mirusque latex, qui flumina vincit;
[Nec lapis est merito, quod fluit, et lapis est.]

XI. *Aliter.*

Dum crystalla puer contingere lubrica gaudet,
Et gelidum tenero pollice versat onus;
Vidit perspicuo deprensas marmore Nymphas,
Dura quibus solis parcere novit hyems:
Et siccum relegens labris sitientibus orbem,
Irrita quæsitis oscula figit aquis.

XII. *Aliter.*

Marmoreum ne sperne globum. Spectacula transit
Regia; nec Rubro vilior iste mari.
Informis glacies, saxum rude, nulla figuræ
Gratia: sed raras inter habetur opes.

XIII. Ετι περι αυτου

Χιονέη κρύσταλλος, ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθεῖσα,
Δεῖξεν ἀκηρασίοιο πανάιολον εἰκόνα κόσμου,
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχοντα βαρύκτυπον ἔνδοθι πόντον.

XIV. Ετι περι αυτου.

Εἰπ' ἄγε μοι, κρύσταλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ,
Τίς πῆξεν; Βορέης· ἡ τίς ἔλυσε; Νότος.

XV. Προς Φοιβον.

Ἵλαθί μοι, φίλε Φοῖβε, σὺ γάρ, θοὰ τόξα τιταίνων,
Ἐβλήθης ἐπ' Ἔρωτος ὑπ' ὠκυπόροισιν ὀϊστοῖς.

XVI. Εις Μιμαδα γηρασασαν.

Μαχλὰς εὐκροτάλοισιν ἀνευάζουσα χορείαις,
Δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει,
Τῆς μὲν ὑποκλέπτων πολιὴν τρίχα γείτονα μοίρης,
Ἠλεμάτοις ἀκτῖσι χαράσσεται ὄμματος αὔρη.
Ψευδομένων δ' ἐρύθημα καθέγραφεν ἄχροος αἰδώς,
Ἀγλαΐῃ στέψασα νόθῃ κεκαλυμμένα μῆλα.

XVII. Εις Δουλον τυπτηθεντα παρ' αυτου.

Ἕδρην χαλκεόπεζαν ἐπὶ προθύροις Ἑλικῶνος
Ἑστήκει θεράπων τις ὑπὲρ νώτοιο μεμαρπώς,
Οὐδ' ἔθελε μογέοντι πορεῖν ἐπιβάθρον ἀοιδᾶς.
Τοὔνεκά μιν θώρηξεν ἰὸν πολύμητις ἀνάγκη.

XVIII. *In Sphæram Archimedis.*

Iupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Risit, et ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor!

Iura poli, rerumque fidem, legesque Deorum,
  Ecce, Syracosius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris;
  Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum;
  Et simulata novo Cynthia mense redit.
Iamque suum volvens audax industria mundum,
  Gaudet, et humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
  Æmula naturæ parva reperta manus.

XIX. *De Polycaste et Perdicca.*

Quid non sævus Amor flammarum numine cogat?
  Sanguinis affectu mater amare timet.
Pectore dum niveo puerum tenet anxia nutrix,
  Illicitos ignes iam fovet ipsa parens.
Ultrices pharetras tandem depone, Cupido.
  Consule iam Venerem; forsan et ipsa dolet.

XX. *De Zona Equi regii missa Honorio Augusto a Serena.*

Accipe parva tuæ, Princeps venerande, sororis
  Munera, quæ manibus texuit ipsa suis.
Dumque auro phaleræ, gemmis dum fræna renident,
  Hac uterum zona cinge frementis equi;
Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
  Turbidus Argæa seu nive lavit Halys,
Sanguineo virides morsu vexare smaragdos,
  Et Tyrio dignum terga rubere toro.
O quantum formæ sibi conscius erigit armos,
  Spargit et excussis colla superba iugis!
Augescit brevitas doni pietate Serenæ,
  Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.

XXI. *De Zona, ab eadem missa Arcadio Augusto.*

Stamine resplendens et mira textilis arte,
  Balteus alipedis regia terga liget;
Quem decus Eoo fratri, pignusque propinqui
  Sanguinis, Hesperio misit ab orbe soror.
Hoc latus astringi velox optaret Arion:
  Hoc proprium vellet cingere Castor equum.

XXII. *De Chlamyde et Frænis.*

Non semper clypei metuendum gentibus orbem
Dilecto studiosa parens fabricabat Achilli:
Lemnia nec semper supplex ardentis adibat
Antra Dei, nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, et mitia pacis
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
Conspicuus reges inter fulgeret Achivos.
Ipsa manu chlamydes ostro texebat et auro;
Frænaq, quæ volucrem Xanthum Baliumq, decerent,
Æquoreis quæsitis onerabat sedula gemmis.
At tibi diversis, Princeps altissime, certant
Obsequiis soceri. Stilichon Mavortia confert
Munera, barbaricas strages, Rhenique triumphos.
Reginæ contenta modum servare Serena,
In tua sollicitas urget velamina telas.

XXIII. *De Fræno, Phaleris, et Cingulo Equi Honorii, a Serena missis.*

O felix sonipes, tanti cui fræna mereri
Numinis, et sacris licuit servire lupatis!
Seu tua per campos vento iuba lusit Hiberos,
Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
Argææ lavere nives; seu lata solebas
Thessaliæ rapido perstringere pascua cursu:
Accipe regales cultus; et, crine superbus
Erecto, virides spumis perfunde smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos iam purpura vestiat armos,
Et medium te zona liget, variata colorum
Floribus, et castæ manibus sudata Serenæ,
Persarum gentile decus. Sic quippe laborat
Maternis studiis, nec dedignatur equestres
Moliri phaleras, genero latura decorem.

XXIV. *Deprecatio ad Alethium Quæstorem.*

Sic non Æthiopum campos æstate pererrem,
  Nec Scythico brumam sub Iove nudus agam;
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis
  Ionio credam turgida vela mari;
Sic non Tartareo Furiarum verbere pulsus
  Irati lædam carmina grammatici:
Nulla meos traxit petulans audacia sensus;
  Liberior iusto nec mihi lingua fuit.
Versiculos, fateor, non cauta voce notavi,
  Heu miser, ignorans quam grave crimen erat!
Orpheos alii libros impune lacessunt;
  Nec tua securum te, Maro, fama vehit.
Ipse parens vatum, princeps Heliconis, Homerus,
  Iudicis excepit tela severa notæ.
Sed non Virgilius, sed non accusat Homerus:
  Neuter enim quæstor, pauper uterque fuit.
En, moveo plausus, en pallidus omnia laudo:
  Et clarum repeto terque quaterque *Sophos!*
Ignoscat placidus tandem, flatusque remittat:
  Et toto reticet quidlibet ore: placet.

XXV. *In Curetium.*

Fallaces vitreo stellas componere mundo,
  Et vaga Saturni sidera sæpe queri,
Venturumque Iovem paucis promittere nummis,
  Cureti genitor noverat Uranius.
In prolem dilata ruunt periuria patris,
  Et pœnam merito filius ore luit:
Nam spurcos avidæ lambit meretricis hiatus,
  Consumens luxu flagitiisque domum.
Et, quas fallacis collegit lingua parentis,
  Has [eadem] nati lingua refundit opes.

XXVI. *In eundem.*

Si tua, Cureti, penitus cognoscere quæris
  Sidera, patre tuo certius ipse loquar.
Quod furis, adversi dedit inclementia Martis:
  Quod procul a Musis, debilis Areus erat:
Quod turpem pateris iam cano podice morbum,
  Fœmineis signis Luna Venusque fuit.
Attrivit Saturnus opes. Hoc prorsus in uno
  Hæreo, quæ cunnum lambere causa facit?

XXVII. *In Iacobum, Magistrum Equitum.*

Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
  Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.
Sic tua, pro clypeo, sustentet pectora Thomas,
  Et comes ad bellum Bartholomæus eat;
Sic, ope Sanctorum, non barbarus irruat Alpes;
  Sic tibi det vires sancta Susanna suas;
Sic, quicunque ferox gelidum transaverit Histrum,
  Mergatur, volucres ceu Pharaonis equi;
Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas,
  Romanasque tegat prospera Thecla manus;
Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
  Atque tuam vincant dolia fusa sitim:
Sic nunquam hostili maculetur sanguine dextra;
  Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.

XXVIII. *Rimanti telum ira facit.*

In iaculum, quodcumque gerit, dementia mutat.
Omnibus armatur rabies; pro cuspide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera sævit.
Pro telo ingeritur, quidquid suggesserit ira.

XXIX. *In Podagrum.*

Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas,
  Scandere qui nescis, versiculos lacerans?
Claudicat hic versus: Hæc, inquis, syllaba nutat:
  Atque nihil prorsus stare putas podager.

XXX. *De Theodoro et Hadriano.*

Mallius indulget somno noctesque diesque:
Insomnis Pharius sacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, exposcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

XXXI. *Ad Æternalem.*

Quidquid Castalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quidquid fatidico mugit cortina recessu,
Carmina sunt: sed verba negant communia Musæ:
Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo.

XXXII. *Ad Maximum, qui mel misit.*

Dulcia dona mihi tu mittis, Maxime, semper;
Et, quidquid mittis, mella putare decet.

XXXIII. *De Locusta. Fragmentum.*

Horret apex capitis: medio fera lumina surgunt
Vertice: cognatus dorso durescit amictus,
Armavit natura cutem; dumique rubentes
Cuspidibus parvis multos acuere rubores.

XXXIV. *De Balneis Quintianis.*

Fontibus in liquidis paulum requiesce, viator,
Atque tuum rursus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimium miraberis, hospes,
Inter dura viæ, balnea qui posuit.

XXXV. *Descriptio Portus Smyrnensis.*

Urbis conspectum montana cacumina velant,
Tranquillo prætenta mari: ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, et placidam discit servare quietem.

XXXVI. *Est in conspectu longe locus.*

Est procul ingenti regio submota recessu,
Insula qua resides fluctus mitescere cogit,
In longum producta latus; fractasque per undas
Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

XXXVII. *De Quadriga marmorea.*

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus; paribusque lupatis
Unanimes frenantur equi. Quos forma diremit,
Materies cognata tenet, discrimina nullo.
Vir redit in currum: ducuntur ab axe iugales:
Ex alio se quisque facit. Quæ tanta potestas?
Una silex tot membra ligat; ductusque per artem,
Mons, patiens ferri, varios mutatur in artus.

XXXVIII. *Fragmentum.*

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Exercentur equis, at colla comantia pectunt.

XXXIX. *De Paupere amante.*

Paupertas me sæva domat, dirusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

XL. *De eodem.*

Esuriens pauper telis incendor Amoris:
Inter utrumque malum, diligo pauperiem.

XLI. *In Sepulcrum speciosæ.*

Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.
Magna repente ruunt: summa cadunt subito.
Hic formosa iacet Veneris sortita figuram;
Egregiumque decus invidiamque tulit.

XLII. *De Birro castoreo.*

Nominis umbra manet veteris: nam dicere birrum,
Ni castor niteat, castoreum nequeo.
Sex emtus solidis, quid sit, iam scire potestis.
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

XLIII. *De Hippopotamo.*

Utraque fœcundo nutritur bellua Nilo,
Quæque vorat morsu, quæque sonore fremit.

XLIV. *Quæ in mensa de Sardonyche Lapide.*

Mensa coloratis aquilæ sinuatur in alis,
Quam floria distinguit honos: similisque figura
Texitur: implumem mentitur gemma volatum.

XLV. *Carmen Paschale.*

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei; quem fudit ab alta
Mente Pater, tantique dedit consortis regni.
Impia qui nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundi vestire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri:
[Quemque utero inclusum Mariæ, mox numine viso,
Virginei tumuere sinus: innuptaque mater,
Arcano stupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum. Mortalia corda
Artificem texere poli; mundique repertor
Pars fuit humani generis; latuitque sub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem;
Et, qui non spatiis terræ, non æquoris unda,
Non capitur cœlo, parvos confluxit in artus.
Quin et mancipii nomen, nexusque subisti,
Ut nos surriperes leto, mortemque fugares
Morte tua: mox ætherias evectus in auras,
Purgata repetis lætum tellure parentem.
Augustum foveas, festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret ieiunia sacri.

XLVI. Εἰς τὸν Σωτῆρα.

Ὦ πυρὸς ἀενάοιο σοφὴν ὠδῖνα φυλάσσων,
Ἐμβεβαὼς κόσμοιο παλινδίνητον ἀνάγκην,
Χριστὲ, θεορρήτοιο βίου φυσίζοε πηγὴ,
Πατρὸς ἀσημάντοιο Θεοῦ πρωτόσπορε φωνὴ,
Ὃς μέγα μητρῴων τοκετῶν ἐγκύμονα φόρτον,
Καὶ γόνον αὐτοτέλεστον ἀνυμφεύτων ὑμεναίων
Στήσας, Ἀσσυρίης γενεῆς ἑτερόφρονα λύσσαν,
Ὄργια δ' εἰδώλων κενεῶν ψευδώνυμα λύσας,
Αἰθέρος ἀμφιβέβηκας ἐφ' ἑπταζώνου ὄχεα,
Ἀγγελικαῖς πτερύγεσσιν ἐν ἀρρήτοισι θαάσσων·
Ἵλαθι, παγγενέταο Θεοῦ πρεσβήϊον ὄμμα,
Φρουρὲ βίου, σῶτερ μερόπων, αἰῶνος ἀνάσσων.

XLVII. Εἰς τὸν Δεσπότην Χριστόν.

Ἀρτιφανὲς, πολιοῦχε, παλαιγενὲς, υἱὲ νεοττὲ,
Αἰὲν ἐὼν προεῶν τε, ὑπέρτατε, ὕστατε, Χριστὲ,
Ἀθανάτοιο Πατρὸς καὶ ὁμόχρονε, πάμπαν ὅμοιε.

XLVIII. *Laus Christi.*

Proles vera Dei, cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor
Ante tuæ, matrisque parens; quem misit ab astris
Æquævus Genitor, verbique in semina fusum
Virgineos habitare sinus, et corporis arcti
Iussit inire vias, parvaque in sede morari:
Quem sedes non ulla capit: qui lumine primo
Vidisti quidquid mundo nascente crearas.
Ipse opifex, opus ipse tui, dignatus iniquas
Ætatis sentire vices, et corporis huius
Dissimiles perferre modos, hominemque subire,
Ut posses monstrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii sollertia mundi,
Pectora tam multis sineret mortalia seclis
Auctorem nescire suum. Te conscia partus
Mater et attoniti pecudum sensere timores.
Te, nova sollicito lustrantes sidera visu,
In cœlo videre prius, lumenque secuti,
Invenere Magi. Tu noxia pectora solvis,
Elapsasque animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare iubes. Tu, lege recepti
Muneris, ad Manes penetras: mortisque latebras
Immortalis adis. Nasci tibi nam fuit uni
Principium, finisque mori: sed, nocte refusa,
In cœlum Patremque redis; rursusque perenni

Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu solus, Patrisque comes: tu Spiritus insons,
Et toties unus, triplicique in nomine simplex:
Quid, nisi pro cunctis, aliud? quis credere possit,
Te potuisse mori, poteras qui reddere vitam?

XLIX. *Miracula Christi.*

Angelus alloquitur Mariam; quo præscia verbo
  Concipiat, salva virginitate, Deum.
Dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges,
  Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus;
  Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinque explent panes, pisces duo, millia quinque;
  Et Deus ex parvo plus superesse iubet.
Editus ex utero cæcus nova lumina sensit,
  Et stupet ignotum se meruisse diem.
Lazarus e tumulo, Christo inclamante, resurgit,
  Et duræ mortis lex resoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum; cui Christus in alto
  Et dextra gressus firmat, et ore fidem.
Exanguis Christi contingit fœmina vestem.
  Stat cruor in venis: fit medicina fides.
Iussus post multos graditur paralyticus annos,
  Mirandum, lecti portitor ipse sui.

L. *In Sirenas.*

Dulce malum pelago Siren, volucresque puellæ;
Scyllæos inter fremitus, avidamque Charybdin,
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris; terror quoque gratus in undis.
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Implessentque sinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem; nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiumque iuvabat:
Nec dolor ullus erat: mortem dabat ipsa voluptas.

MARCUS ACCIUS PLAUTUS

M. Accius Plautus, patria Sarsinas ex Umbria, comicus Poeta venustissimus, secundo Punico bello floruit. Ingenio dives, sed et genere et paternis opibus humilis ex datis ad populum Fabulis ingentem pecuniæ vim comparavit; quam, cum maioris spe lucri ad mercaturam convertisset, male re gesta, in tantum egestatis pervenit, ut qui pater Latinæ comœdiæ vere dici poterat, suam pistori operam, magna præsertim in annonæ difficultate, locare, ac in molis trusatilibus versandis se occupare coactus sit. Romæ obiit Cl. Pulcbro et L. Porcio Licinio Coss. an. 182 ante Christum natum. Sub Plauti nomine XX comœdiæ ad nos preveuerunt ex CXXX quæ Gellii tempora circumferebantur. In his tantam latinæ linguæ elegantiam et decus Varro mirabatur, ut diceret Musas, si latine loqui voluisseut, Plautino sermone locuturas; sed viri doctissimi arbitrantur, hoc posito, ipsas sæpius plebeio, quam honesto modo usuras, quorum sententiis favere Horatius ipse videtur, cum de Plauto dixerit:

At vestri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque
Ne dicam stulte, mirati.

M. Accii Plauti Comoediae iuxta edit. Bipontinam.

AMPHITRUO.

DRAMATIS PERSONÆ.

Iupiter.	Blepharo, *gubernator.*
Mercurius.	Alcumena.
Amphitruo.	Thessala, *ancilla.*
Sosia, *servus.*	Bromia, *ancilla.*

Argumentum (Prisciani?)

Amore captus Alcumenas, Iupiter
Mutavit sese in eius formam coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus.
Habitu Mercurius ei subservit Sosiæ.
Is advenientis servum, ac dominum, frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atque invicem
Raptant pro mœchis. Blepharo, captus arbiter,
Uter sit, non quit, Amphitruo, decernere.
Omnem rem noscunt: geminos Alcmena enititur.

Prologus. Mercurius.

Ut vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me lætum lucris
Afficere, atque adiuvare in rebus omnibus;
Et ut res rationesque vostrorum omnium
Bene expedire voltis, peregreque et domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro,
Quasque incepistis res, quasque inceptabitis;
Et uti bonis vos vostrosque omnis nuntiis
Me afficere voltis: ea afferam, eaque ut nuntiem,
Quæ maxume in rem vostram communem sient:
(Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum
Mihi esse ab Diis aliis, nuntiis præsim et lucro:)
Hæc ut me voltis approbare, annitier,
Lucrum ut perenne vobis semper suppetat;
Ita huic facietis fabulæ silentium,
Itaque æqui et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc, quoius iussu venio, et quamobrem venerim,
Dicam: simulque ipse eloquar nomen meum.
Iovis iussu venio: nomen Mercuri 'st mihi.
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi, pro imperio, vobis quod dictum foret,
Scibat facturos; quippe qui intellexerat,
Vereri vos se et metuere, ita ut æquum 'st, Iovem:
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis iussit leniter dictis bonis.
Etenim ille, quoiu' huc iussu venio, Iupiter,
Non minus quam vostrum quivis, formidat malum:
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est æquum, sibi si prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iovis sum filius,
Contagione mei patris metuo malum:
Propterea pace advenio, et pacem ad vos affero.
Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo:
Nam iuste ad iustos iustus sum orator datus:
Nam iniusta ab iustis impetrari non decet:
Iusta autem ab iniustis petere, insipientia 'st:
Quippe illi iniqui ius ignorant, neque tenent.
Nunc iam huc animum omnes ea quæ loquar advortite.
Debetis velle quæ velimus: meruimus
Et ego et pater de vobis et republica.
Nam quid ego memorem, ut alios in tragœdiis
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, commemorare quæ bona
Vobis fecissent? quis benefactis meus pater,
Deûm regnator, architectus omnibus.
Sed mos illic nunquam fuit patri meo,
Ut exprobraret, quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi,
Meritoque vobis bona se facere, quæ facit.
Nunc, quam rem oratû huc veni, primum proloquar:
Post huius argumentum eloquar tragœdiæ.
Quid contraxistis frontem? quia tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus sum: commutavero
Eamdem hanc, si voltis; faciam ex tragœdia
Comœdia ut sit, omnibus iisdem versibus.
Utrum sit, an non, voltis? sed ego stultior,
Quasi nesciam vos velle, qui Divos siem.
Teneo, quid animi vostri super hac re siet.
Faciam ut commixta sit tragicocomœdia:
Nam me perpetuo facere ut sit comœdia,
Reges quo veniant et Dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic servus quoq; partis habet,
Faciam, sit, proinde ut dixi, tragicocomœdia.
Nunc hoc, me orarem vobis iussit Iupiter,
Ut conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caveam, spectatoribus,
Siquoi favitores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur togæ
Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici, seu per scriptas literas,

Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium,
Sive aden ædiles perfidiose quoi duint,
Sirempse legem iussit esse Iupiter;
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
Virtute, dixit, vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidia. Qui minus
Eadem histrioni sit lex, quæ summo viro?
Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Sat habet favitorum semper, qui recta facit;
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Ut conquisitores fierent histrionibus,
Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent;
Quive, quo placeret alter, fecissent, minus,
Eis ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Iupiter
Nunc histriones curet. Ne miremini:
Ipse hanc acturu'st Iupiter comœdiam.
Quid admirati estis? quasi vero novum
Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam.
Etiam histriones anno cum in proscenio hic
Iovem invocarunt, venit: auxilio eis fuit:
Præterea certo prodit in tragœdia.
Hanc fabulam (inquam) hic Iupiter hodie ipse aget,
Et ego una cum illo. Nunc animum advortite,
Dum huiusce argumentum eloquar comœdiæ.
Hæc urbs est Thebæ: in illisce habitat ædibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre;
Qui cum Alcumena est nupta, Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectu'st legionibus.
Nam cum Telebois bellum'st Thebano poplo.
Is, priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Iam ego vos novisse credo, ut sit pater meus;
Quam liber harum rerum multarum siet;
Quantusque amator sit, quod complacitum 'st semel.
Is amare occepit Alcumenam clam virum,
Usuramque eius corporis cepit sibi,
Et gravidam fecit is eam compressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrimque est gravida, et ex viro, et ex summo Iove.
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat:
Et hæc, ob eam rem, nox est facta longior,
Dum ille, quacum volt, voluptatem capit.
Sed ita assimulavit se, quasi Amphitruo siet.
Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum servili schema,
Veterem atq; antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novum incessi modum.
Nam meus pater intus nunc est, eccum, Iupiter:
In Amphitruonis vortit sese imaginem;
Omnesque eum esse censent servi, qui vident:
Ita versipellem se facit, quando lubet.
Ego servi sumsi Sosiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum:
Ut præservire amanti meo possem patri:
Atque ut ne, qui essem, familiares quærerent,
Versari crebro hic cum viderent me domi.
Nunc cum esse credent servum, et conservum suum,
Haud quisquam quæret, qui siem, aut quid venerim.
Pater nunc intus suo animo morem gerit:
Cubat complexus, cuius cupiens maxume 'st.
Quæ illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenæ: at illa illum censet virum
Suum esse, quæ cum mœcho'st. Ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugaverit;
Quo pacto sit donis donatus plurimis.
Ea dona, quæ illic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus: facile meus pater, quod volt, facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et servus, cuius ego hanc fero imaginem.
Nunc, internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso: id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit: verum vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic est servus Sosia;
A portu illic nunc cum laterna advenit.
Abigam iam ego illum advenientem ab ædibus.
Adest: ferit. Operæ pretium hic spectantibus
Iovem atque Mercurium facere histrioniam.

ACTUS I. SCENA I. *Sosia, Mercurius.*

S. Qui me alter est audacior homo? aut qui me confidentior,
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras e promtuaria cella depromar ad flagrum;
Nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quidquam auxili siet;
Nec quisquam sit, quin me omnes esse dignum deputent: ita,
Quasi incudem me miserum homines octo validi cædant: ita
Peregre adveniens hospitio publicitus accipiar.
Hæc heri immodestia coegit, me qui hoc
Noctis a portu ingratis excitavit,
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc servitus dura est;
Hoc magis miser est divitis servos:
Noctesque diesque assiduo satis superque est,
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus, dives operis, et laboris expers,
Quodcumque homini accidit libere, posse retur;
Æquom esse putat; non reputat laboris quid sit:
Nec, æquom anne iniquom imperet, cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua:
Habendum et ferendum hoc onus est cum labore.
M. Satius est me queri illo modo servitutem, hodie
Qui fuerim liber: eum nunc potivit pater
Servitutis: hic, qui verna natus est, queritur.
Sum vero verna verbero.
S. Numero mihi in mentem fuit,
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui:
Ne illi, edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mi advenienti os occillet probe;
Quoniam, bene quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.
M. Facit ille, quod volgo haud solent, ut, quid se sit dignum, sciet.
S. Quod numquam opinatus fui, neque alius quisquam civium
Sibi eventurũ, id contigit, ut salvi potiremur domum.
Victores, victis hostibus, legiones, reveniunt domum,
Duello extincto maxumo, atq; internecatis hostibus;
Quod multa Thebano populo acerba obiecit funera,
Id vi et virtute militũ victũ atq; expugnatũ oppidu'st,
Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.
Præda atque agro adoreaque affecit populares suos,
Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suum.
Me a portu præmisit domũ, ut hæc nuntiẽ uxori suæ;
Ut gesserit rem publicã ductu, imperio, auspicio suo.

Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quum illo advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero.
Nam, quô pugnabant maxume, ego fugiebā maxume.
Verumtamen, quasi affuerim, simulabo, atque audita eloquar.
Sed, quo modo, et verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. Sic hoc proloquar:
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes:
Eos legat: Telebois iubet sententiam ut dicant suam.
Si, sine vi et sine bello, velint rapta et raptores tradere,
Si, quæ asportassent, redderent; se exercitum extemplo domum
Reducturū; abituros agro Argivos; pacem atq; otium
Dare illis. Sin aliter sient animati, neque dent quæ petat,
Sese igitur summa vi viris; eorū oppidūexpugnassere.
Hæc ubi Telebois ordine iterarunt, quos præfecerat
Amphitruo; magnanimi viri, freti virtute, et viribus
Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant.
Respondent, bello sese suos tutari posse: proinde uti
Propere de finibus suis exercitus deducerent.
Hæc ubi legati pertulere, Amphitruo castris illico
Producit omnē exercitum. Contra Teleboæ ex oppido
Legiones educunt suas, nimis pulchris armis præditas.
Postquam utrimque exitum est maxuma copia,
Dispertiti viri, dispertiti ordines;
Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones;
Item hostes contra legiones suas instruunt.
Deinde utrique imperatores in medium exeunt
Extra turbam ordinum; colloquuntur simul.
Convenit; victi utri sint eo prœlio,
Urbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.
Postquam id actum 'st, tubæ utrimque canunt: contra
Consonat terra: clamorem utrimque efferunt.
Imperator utrimque hinc et illinc Iovi
Vota suscipere, hortari exercitum:
Pro se quisque, id quod quisque potest et valet,
Edit; ferro ferit: tela frangunt: boat
Cœlum fremitu virum: ex spiritu atque anhelitu
Nebula constat: cadunt volneris vi et virium.
Denique, ut voluimus, nostra superat manus:
Hostes crebri cadunt: nostri contra ingruunt.
Vicimus vi feroces.
Sed fugam in se tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam omittunt, priusquam loco demigrent:
Quisque, uti steterat, iacet, obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est,
Illico equites iubet dextera inducere.
Equites parent citi: ab dextera maxumo
Cum clamore involant, impetu alacri:
Fœdant et proterunt hostium copias iure iniustas.
M. Nunquam etiam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam:
Namque ego fui illic in re præsenti, et meus, quom pugnatum est, pater.
S. Perduelles penetrant se in fugam: ibi nostris animus additu 'st:
Vortentibus Telebois, telis complebantur corpora:
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua obtruncavit manu.
Hæc illic est pugnata pugna usq; a mane ad vesperum:
Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die impransus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes:
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum:
Deduntq; se, divina humanaq; omnia, urbē et liberos,
In ditionem atq; in arbitratū, cuncti, Thebano poplo.
Post, ob virtutem, hero Amphitruoni patera donata aurea 'st,
Qui Pterela potitare rex solitu'st. Hæc sic dicā heræ.
Nunc pergam heri imperium exsequi, et me domum capessere.
M. Atat! illic huc ituru 'st: ibo ego illi obviam:
Neque ego hunc hominem hodie ad ædeis has sinam unquam accedere.
Quando imago 'st huius in me, certum 'st hominem eludere.
Et enimvero, quoniam formam cepi huius in me, et statum,
Decet et facta moresq; huius habere me similes item.
Itaq; me malū esse oportet, callidū, astutū admodum,
Atque hunc, telo suo sibi, malitia a foribus pellere.
Sed quid illuc est? cœlum aspectat; observabo quam rem agat.
S. Certe edepol scio, si aliud quidquam 'st, quod credam, aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnū obdormivisse ebrium.
Nam neque se Septentriones quoquam in cœlo commovent,
Neq; se Luna quoquā mutat, atq; uti exorta 'st semel.
Nec Iugulæ, neq; Vesperugo, neq; Vergiliæ occidunt.
Ita statim stant signa: neq; nox quoquā concedit die.
M. Perge, nox, ut occœpisti! gere patri morem meo:
Optumo optume optumam operam das: datam pulchre locas.
S. Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probe.
Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum.
M. Ain' vero, verbero? Deos esse tui similes putas?
Ego pol te, istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiā; modo sis veni huc: invenies infortunium.
S. Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?
Hæc nox scita 'st exercendo scorto conducto male.
M. Meus pater nunc, pro huius verbis, recte et sapienter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.
S. Ibo, ut, herus quod imperavit, Alcumenæ nuntiē.
Sed quis hic est homo, quem ante ædeis video hoc noctis? non placet.
M. Nullus est hoc meticulosus æque.
S. Quem? in mentem venit,
Illic homo hocdenuo volt pallium detexere.
M. Timet homo: deludam ego illum.
S. Perii! dentes pruriunt.
Certe advenientem me hic hospitio pugnæ accepturu'st.
Credo, misericors est: nunc, propterea quod me meus herus
Fecit, ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie, ut dormiam.
Oppido interii. Obsecro hercle quantus et quam validus est!
M. Clare advorsum fabulabor: hic auscultet quæ loquar.

Igitur magis modum in maiorem in sese concipiet metum.
Agite, pugni: iam diu 'st, quod ventri victum non datis:
Iam pridē videtur factū, heri quod homines quatuor
In soporem collocastis nudos. *S.* Formido male
Ne ego hic nomen meum commutem, et Quintus fiam e Sosia.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat!
Metuo ne numerum augeam illum.
M. Hem! nunc iam ergo: sic [volo.]
S. Cingitur; certe expedit se.
M. Non feret, quin vapulet.
S. Quis homo?
M. Quisquis homo huc profecto venerit, pugno edet.
S. Apage! non placet me hoc noctis esse; cœnavi modo:
Proin tu istam cœnam largire, si sapis, esurientibus.
M. Haud malum huic est pondus pugno.
S. Perii! pugnos ponderat.
M. Quid si ego illum tractim tangam, ut dormiat?
S. Servaveris:
Nam continuas has tris noctes pervigilavi.
M. Pessumum 'st
Facinus! nequiter ferire malam male discit, manus.
Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris.
S. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.
M. Exossatum os esse oportet, quē probe percusseris.
S. Mirū, ni hic me, quasi murænā, exossare cogitat.
Ultro istunc, qui exossat homines! Perii, si me aspexerit.
M. Olet homo quidam malo suo.
S. Hei! numnam ego obolui?
M. Atque haud longe abesse oportet: verum longe hinc abfuit.
S. Illic homo superstitiosus est.
M. Gestiunt pugni mihi.
S. Si in me exercitures, quæso, in parietem ut primum domes.
M. Vox mihi ad aures advolavit.
S. Næ ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.
M. Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.
S. Non equidem ullum habeo iumentum.
M. Onerandu 'st pugnis probe.
S. Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum: etiam nunc nauseo.
Vix incedo inanis; ne ire posse cum onere existumes.
M. Certe enim hic nescio quis loquitur.
S. Salvus sum: non me videt:
Nescio quē loqui autumat: mihi certo nomen Sosia 'st.
M. Hinc enim mihi dextera vox auris (ut videtur) verberat.
S. Metuo, vocis ne vice hodie hic vapulem quæ hunc verberat.
M. Optume, eccum, incedit ad me.
S. Timeo: totus torpeo.
Non edepol nunc, ubi terrarū sim, scio, si quis roget;
Neque miser me commovere possum præ formidine.
Ilicet, mandata heri perierunt, una et Sosia.
Verum certu 'st confidenter hominem contra colloqui,
Qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum.
M. Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?
S. Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus?
M. Servos esne, an liber?
S. Utcumque animo collibitum 'st meo.
M. Ain' vero? *S.* Aio enim vero.
M. Verbero! *S.* Mentiris nunc iam.
M. At iam faciam ut verum dicas dicere.
S. Quid eo 'st opus?
M. Possum scire, quo profectus, quoius sis, aut quid veneris?
S. Huc eo: heri mei sum servos. Numquid nunc es certior?
M. Ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam. *S.* Haud potes:
Bene pudiceque asservatur. *M.* Pergin' argutarier?
Quid apud hasce ædis negoti 'st tibi?
S. Immo, quid est tibi?
M. Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.
S. Bene facit; quia nos eramus peregre, tutatu 'st domum.
At nunc abi sane; advenisse familiares dicito.
M. Nescio quā tu familiaris sis: nisi actutū hinc abis,
Familiaris accipiere, faxo, haud familiariter.
S. Hic, inquā, habito ego, atque horunc servos sum.
M. At scin' quomodo?
Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis.
S. Quonam modo?
M. Auferere, non abibis, si ego fustem sumsero.
S. Quin me esse huius familiæ familiarem prædico.
M. Vide sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.
S. Tun' domo prohibere peregre me advenientem postulas?
M. Hæccine tua domu 'st? *S.* Ita, inquam.
M. Quis herus est igitur tibi?
S. Amphitruo, qui nunc præfectu 'st Thebanis legionibus;
Quicum nupta 'st Alcumena.
M. Quid ais? quid nomen tibi 'st?
S. Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
M. Næ tu istic hodie, malo tuo, compositis mendaciis,
Advenisti, audaciæ columen, consutis dolis.
S. Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.
M. At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis, venis.
S. Ita profecto.
M. Nunc profecto vapula ob mendacium.
S. Non edepol volo profecto.
M. At pol profecto ingratiis.
Hoc quidem profecto certum 'st, non est arbitrariū.
S. Tuam fidem obsecro!
M. Tun' te audes Sosiam esse dicere,
Qui ego sum? *S.* Perii!
M. Parum etiam, præut futurum 'st, prædicas.
Quoius nunc es?
S. Tuus: nam pugnis usu fecisti tuum.
Pro [fidem] Thebani cives!
M. Etiam clamas, carnufex?
Eloquere: quid venisti?
S. Ut esset, quem tu pugnis cæderes.
M. Cuius es? *S.* Amphitruonis, inquam, Sosia.
M. Ergo istoc magis,
Quia vaniloquus, vapulabis; ego sum, non tu, Sosia.
S. Ita Dii faciant, ut tu potius sis, atque ego te ut verberem.
M. Etiam muttis? *S.* Iam taceo.
M. Quis tibi herus 'st? *S.* Quem tu voles.
M. Quid igitur? qui nunc vocare?
S. Nemo, nisi quem iusseris:
M. Amphitruonis te esse aibas Sosiā. *S.* Peccaverā:

Nam Amphitruonis sociũ nam me esse volui dicere.
M. Scibam equidem nullum esse nobis, nisi me, servom Sosiam.
Fugit te ratio. *S.* Utinam istuc pugni fecissent tui.
M. Ego sum Sosia ille, quem te iamdudum esse aibas mihi.
S. Obsecro, per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulẽ.
M. Immo induciæ parumper fiant, si quid vis loqui.
S. Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales.
M. Dicito, si quid vis, non nocebo.
S. Tuæ fidei credo? *M.* Meæ.
S. Quid, si falles? *M.* Tũ Mercurius Sosiæ iratus siet.
S. Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis loqui.
Amphitruonis ego sum servos Sosia. *M.* Etiã denuo?
S. Pacem feci; fœdus feci; vera dico. *M.* Vapula.
S. Ut lubet, quod tibi lubet, fac, quoniam pugnis plus vales.
Verum, ut ut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.
M. Tu me vivus hodie nunquã facies, quin sim Sosia.
S. Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin noster siem:
Nec nobis, præter med, alius quisquam 'st servos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.
M. Hic homo sanus non est.
S. Quod mihi prædicas vitium, id tibi est.
Quid malum! non sum ego servos Amphitruonis Sosia?
Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
Venit, quæ me advexit? nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc sto ante ædis nostras? non mi est laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? non hic homo modo me pugnis contudit?
Fecit, hercle: nam etiam misero nunc malæ dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in nostram domum?
M. Quid, domum vostram? *S.* Ita enimvero.
M. Quin, quæ dixisti modo,
Omnia ementitu's. Equidẽ Sosia Amphitruonis sum.
Nã noctu hac soluta 'st navis nostra e portu Persico:
Et, ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus:
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus.
Et ipsus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in prœlio.
S. Egomet mihi non credo, quom illæc autumare illum audio.
Hic quidem certe, quæ illic sunt res gestæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois datum 'st?
M. Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.
S. Elocutus est. Ubi patera nunc est? *M.* In cistula
Amphitruonis obsignata signo 'st.
S. Signi, dic, quid est?
M. Cum quadrigis sol exoriens. Quid me captas, carnufex?
S. Argumentis vincit: aliud nomen quærendum 'st mihi.
Nescio, unde hæc hic spectavit. Iam ego hunc decipiam probe:
Nam, quod egomet solus feci, nec quisquam alius affuit
In tabernaculo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid in tabernaculo fecisti? victus sum, si dixeris.
M. Cadus erat vini: inde implevi hirneam.
S. Ingressu 'st viam.
M. Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.
S. Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea.
Factũ 'st illud, ut ego illic vini hirneã ebiberĩ meri.
M. Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse Sosiam?
S. Tu negas med esse?
M. Quid ego ni negem, qui egomet siem?
S. Per Iovem iuro, med esse, neque me falsum dicere.
M. At ego per Mercurium iuro, tibi Iovem non credere:
Nã iniurato scio plus credet mihi, quam iurato tibi.
S. Quis ego sũ saltẽ, si non sum Sosia? te interrogo.
M. Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia.
Nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
S. Certe edepol quom illum contemplo, et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sæpe in speculum inspexi, nimis similis 'st mei.
Itidem habet petasum, ac vestitum: tam consimili 'st atque ego.
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malæ, mentum, barba, collum: totus: quid verbis opu 'st?
Si tergum cicatricosũ, nihil hoc simili est similius.
Sed, quom cogito, equidem certo idem sum, qui semper fui.
Novi herum: novi ædis nostras. Sane sapio et sentio.
Non ego illi obtempero, quod loquitur; pultabo foris.
M. Quo agis te? *S.* Domum.
M. Quadrigas si nunc inscendas Iovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
S. Nonne heræ meæ nuntiare, quod herus meus iussit, licet?
M. Tuæ, si quid vis nuntiare: hanc nostram adire non sinam.
Nam si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.
S. Abeo potius: Dii immortales, obsecro vostram fidem!
Ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod nunquã quisquã mortuo faciet mihi.
Ibo ad portũ, atq; hæc, uti sunt facta, hero dicã meo:
Nisi etiam is quoque me ignorabit: quod ille faciat Iupiter!
Ut ego hodie, raso capite calvus, capiam pileum.

ACTUS I. SCENA II. *Mercurius.*

Bene prospereque hoc hodie operis processit mihi.
Amovi a foribus maxumam molestiam,
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Iam ille illuc ad herũ quõ Amphitruonẽ advenerit,
Narrabit, servom hinc sese a foribus Sosiam
Amovisse: ille adeo illum mentiri sibi
Credet; neque credet huc profectum, ut iusserat.
Erroris ambo ego illos et dementiæ
Complebo, atque omnem Amphitruonis familiam,
Adeo usque, satietatem dum capiet pater
Illius quam amat. Igitur demum omnes scient,
Quæ facta. Denique Alcumenam Iupiter

Rediget antiquam in concordiam coniugis.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri. Tum meus pater
Eam seditionem in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena, dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos:
Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatus; alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Iovis.
Verum minori puero maior est pater,
Minor maiori. Iamne hoc scitis quid siet?
Sed, Alcumenæ huius honoris gratia,
Pater curavit uno ut fœtu fieret;
Uno ut labore absolvat ærumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur consuetio.
Quanquam (ut iamdudum dixi) resciscet tamen
Amphitruo rem omnē. Quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenæ: nam Deum
Non par videtur facere, delictum suum
Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat.
Orationem comprimam: crepuit foris.
Amphitruo subditivus, eccum, exit foras
Cum Alcumena uxore usuraria.

SCENA III. *Iupiter, Alcumena, Mercurius.*

I. Bene vale, Alcumena: cura rē communē, quod facis.
Atq; imperce, quæso: menses iam tibi esse actos vides.
Mihi necesse 'st ire hinc: verū, quod erit natū, tollito.
A. Quid istud est, mi vir, negotî, quod tu tam subito domo
Abeas? *I.* Edepol, haud quod tui me, neque domi, distædeat:
Sed, ubi summus imperator non adest ad exercitum,
Citius, quod non facto 'st usus, fit, quam quod facto 'st opus.
M. Nimis hic scitus est sycophanta, qui quidem meus sit pater.
Observatote, quam blande mulieri palpabitur.
A. Ecastor, re experior, quanti facias uxorem tuam.
I. Satin' habes, si feminarū nulla 'st, quā æq; diligam?
M. Edepol, næ illa si istis rebus te sciat operā dare,
Ego faxim, te Amphitruonem esse malis, quam Iovē.
A. Experiri istuc mavellem me, quā mi memorarier.
Prius abis, quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus.
Here venisti media nocte: nunc abis: hoccine placet?
M. Accedam, atque hanc appellabo, et supparasitabor patri.
Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictī deperit.
I. Carnufex, non ego te novi? Abin' e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?
Quoi [pol] ego iam hoc scipione.....
A. Ah! noli. *I.* Muttito modo.
M. Nequiter pene expedivit prima parasitatio.
I. Verū, quod dicis, mea uxor, non te mi irasci decet.
Clanculum abii a legione: operam hanc surripui tibi;
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam.
Ea tibi omnia enarravi. Nisi te amarem plurimum,
Non facerem.
M. Facitne, ut dixi? timidam palpo percutit.
I. Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum 'st mihi;
Ne me uxorem prævortisse dicant præ republica.
A. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. *I.* Tace.
Ne corrumpe oculos; redibo actutum.
A. Id actutum diu 'st.
I. Non ego te hic lubens relinquo, neque abeo abs te.
A. Sentio:
Nam, qua nocte ad me venisti, eadem abis.
I. Cur me tenes?
Tempus est: exire ex urbe, priusquam luciscat, volo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data 'st,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu
Alcumena, tibi condono. *A.* Facis, ut alias res soles.
Ecastor condignū donum quali 'st, qui donum dedit.
M. Immo sic condignum donum, quali 'st, quoi dono datum 'st.
I. Pergin' autē? Nonne ego possū, furcifer, te perdere?
A. Noli, amabo, Amphitruo; irasci Sosiæ causa mea.
I. Faciam ita ut vis.
M. Ex amore hic admodum quam sævus est?
I. Numquid vis?
A. Ut, quū absim, me ames, me tuā absentē tamen
M. Eamus, Amphitruo: luciscit hoc iam.
I. Abi præ, Sosia:
Iam ego sequar. Numquid vis?
A. Etiam; ut actutum advenias. *I.* Licet.
Prius tua opinione hic adero: bonum animum habe.
Nunc te, nox, quæ me mansisti, mitto, ut concedas die,
Ut mortalibus illuciscas luce clara et candida.
Atque, quanto nox fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat faciam, ut æque disparet,
Et dies e nocte accedat. Ibo, et Mercurium subsequar.

ACTUS II. SCENA I. *Amphitruo, Sosia.*

A. Age, i tu secundum. *S.* Sequor, subsequor te.
A. Scelestissumum te arbitror. *S.* Nam quamobrem?
A. Quia id, quod neque est, nec fuit, nec futurum 'st,
Mihi prædicas. *S.* Eccere! iam tuatim
Facis tu, ut tuis nulla apud te sit fides.
A. Quid est? quo modo? iā quidē hercle ego tibi istā
Scelestam, scelus, linguam abscindam. *S.* Tuus sum;
Proinde, ut commodum 'st et lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar ego hæc uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.
A. Scelestissume! audes mihi prædicare id,
Domi te esse nunc, qui hic ades? *S.* Vera dico.
A. Malum! quod tibi Dii dabunt, atque ego hodie
Dabo. *S.* Istuc tibi est in manu: nam tuus sum.
A. Tun' me, verbero, audes herum ludificare?
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?
S. Profecto, ut loquor, res ita est. *A.* Iupiter te perdat!
S. Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?
A. Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me?
S. Merito maledicas mihi, si id ita factum 'st:
Verum haud mentior, resque uti facta, dico.
A. Homo hic ebrius est, ut opinor.
S. Utinam ita essem!
A. Optas, quæ facta. *S.* Egone?
A. Tu istic: ubi bibisti?
S. Nusquam equidem bibi. *A.* Quid hoc sit hominis!
S. Equidem decies dixi:
Domi ego sum, inquam;
Ecquid audis? et apud te assum Sosia idem.
Satin' hoc plane,
Satin' diserte, here, nunc videor tibi locutus
Esse? *A.* Vah! apage te a me! *S.* Quid est negotî?
A. Pestis te tenet. *S.* Nam cur istuc dicis?
Equidem valeo, et salvos sum recte, Amphitruo.
A. At te ego faciam hodie, proinde ac meritus es,
Ut minus valeas, et miser sis,
Salvos domum si rediero. Iam

Sequere sis, herum qui ludificas dictis delirantibus;
Qui, quoniam, herus quod imperavit, neglexisti persequi,
Nunc venis etiam ultro irrisum dominum. Quæ neque fieri
Possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profers, carnufex;
Quoius ego hodie in tergo faxo ista expetant mendacia.
S. Amphitruo, miserruma istæc miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.
A. Quo id, malum, pacto potest (nam mecum argumentis puta)
Fieri, nunc uti tu hic sis et domi? id dici volo.
S. Sũ profecto et hic et illic: hoc cuivis mirari licet.
Neq; tibi istuc mirũ magis videtur, quam ipsi mihi.
A. Quo modo?
S. Nihilo, inquã, mirũ magis tibi istuc quam mihi.
Neque, ita me Dii ament, credebam primo mihimet Sosiæ,
Donec Sosia, ille egomet, fecit sibi uti crederem.
Ordine omne, uti quidque actum 'st, dum apud hostes sedimus,
Edissertavit; tum formam una abstulit cum nomine.
Neque lac lacti magis est simile, quam ille ego similis 'st mei.
Nam, ut dudum ante lucem a portu me præmisisti domum . . . .
A. Quid igitur?
S. Prius multo ante ædeis stabã, quã illo adveneram.
A. Quas, malum, nugas? . . . Satin' tu sanus es?
S. Sic sum, ut vides.
A. Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu,
Postquam a me abiit.
S. Fateor: nam sum obtusus pugnis pessume.
A. Quis te verberavit?
S. Egomet memet, qui nunc sum domi.
A. Cave, quidquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum, iste qui sit Sosia, hoc dici volo.
S. Tuus est servus.
A. Mihi quidem uno te plus etiam 'st, quam volo
Neq; postquã sũ natus, habui, nisi te, servũ Sosiã.
S. At ego nunc, Amphitruo, dico: Sosiã servũ tuum,
Præter me, alterum, inquam, adveniens, faciam, ut offendas domi,
Davo prognatum; patre eodem quo ego sum; forma, ætate item,
Qua ego sum. Quid opu 'st verbis? geminus Sosia hic factu 'st tibi.
A. Nimia memoras mira. Sed vidistin' uxorẽ meam?
S. Quin introire in ædis nunquam licitum 'st.
A. Quis te prohibuit?
S. Sosia ille, quẽ iamdudũ dico; is, qui me contudit.
A. Quis istic Sosia 'st?
S. Ego inquam. Quoties dicendum 'st tibi?
A. Sed quid ais? num obdormivisti dudum?
S. Nusquam gentium.
A. Ibi forte istum si vidisses quemdam in somnis Sosiam . . . .
S. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi.
Vigilans vidi; vigilans nunc te video; vigilans fabulor;
Vigilantem ille me iamdudum vigilans pugnis contudit.
A. Quis homo?
S. Sosia, inquam, ego ille. Quæso, nonne intelligis?
A. Qui, malum, intelligere quisquam potis est? ita nugas blatis.
S. Verum actutum nosces. *A.* Quem?
S. Illum nosces, servum Sosiam.
A. Sequere hac igitur me: nam mi istuc primum exquisito 'st opus.
Sed vide, ex navi efferantur, quæ iã imperavi, omnia.
S. Et memor sum et diligens, ut, quæ imperes, compareant.
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum.
A. Utinam Dii faxint, infecta dicta re eveniant tua!

Sc. II. *Alcumena, Amphitruo, Sosia, Thessala.*

Al. Satin' parva res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,
Præ quam quod molestum est: ita quoiq; comparatũ
Est in ætate hominum;
Ita Diis placitum, voluptatem ut mœror comes consequatur:
Quin incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio, cui voluptas
Parumper data 'st; dum viri mei mihi potestas videndi fuit
Noctem unam modo: atque is repente abiit a me hinc ante lucem.
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quam ex adventu voluptatis, cepi.
Sed hoc me beat saltem, quod perduelles vicit, et domum
Laudis compos revenit: id solatio 'st. Absit; dummodo
Laude parta domũ recipiat se: ferã et perferã usque
Abitum eius animo forti atque obfirmato. Id modo si mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat, satis
Mihi esse ducam. Virtus præmium est optumum.
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria, et prognati, tutantur, servantur:
Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.
Am. Edepol, me uxori exoptatum credo adventurum domum,
Quæ me amat, quam contra amo: præsertim re gesta bene,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratu 'st:
Eos, auspicio meo atque ductu, primo coetu vicimus:
Certe enĩ me illi exspectatum optato venturum scio.
S. Quid? me non rere exspectatum amicæ venturum meæ?
Al. Meus vir hic quidem 'st. *Am.* Sequere hac tu me.
Al. Nam quid ille revortitur,
Qui dudum properare sese aibat? an ille me tentat sciens?
Atque, id si volt experiri, suum abitũ ut desiderem,
Ecastor, med haud invita se domum recipit suam.
S. Amphitruo, redire ad navem melius 'st nos.
Am. Qua gratia?
S. Quia domi daturus nemo 'st prandium advenientibus.
Am. Qui tibi istuc in mentem venit?
S. Quia enim sero advenimus.
Am. Qui?
S. Quia Alcumenã ante ædis stare saturã intelligo.

Am. Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo.
S. Hei perii miser!
Am. Quid tibi est?
S. Ad aquam præbendam, commodũ adveni domum, Decumo post mense, ut rationem te dictare intellego.
Am. Bono animo es.
S. Scin' quam bono animo sim? Si situlam cepero, Nunquam edepol tu mihi divini quidquam creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.
Am. Sequere hac me modo, alium ego isti rei allegabo; ne time.
Al. Magis nunc meum officium facere, si huic eam adversum, arbitror.
Am. Amphitruo uxorem salutat lætus speratã suam, Quam omnium Thebis vir unam esse optumam diiudicat,
Quamq; adeo cives Thebani vero rumificant probam. Valuistin' usque? exspectatusne advenio?
S. Haud vidi magis Exspectatum: eum salutat magis haud quisquam, quam canem.
Am. Et, cum te gravidam, et cum pulchre plenam aspicio, gaudeo.
Al. Obsecro ecastor, quid tu me, deridiculi gratia, Sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris,
Quasique nunc primum recipias te domum huc ex hostibus,
Atque me nunc proinde appellas, quasi multo post videris?
Am. Immo equidem te, nisi nunc hodie, nusquam vidi gentium.
Al. Cur negas?
Am. Quia vera didici dicere. *Al.* Haud æquum facit, Qui, quod didicit, id dediscit. An periclitamini,
Quid animi habeam? sed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auspicium commoratum est? an tempestas continet?
Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?
Am. Dudum! quam dudum istuc factum 'st?
Al. Tentas? iamdudum, modo.
Am. Qui istuc potis est fieri, quæso, ut dicis, iamdudum, modo?
Al. Quid enim censes? te ut deludam contra lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris?
Am. Hæc quidem deliramenta loquitur.
S. Paulisper mane, Dum edormiscat unum somnum.
Am. Quæne vigilans somniat?
Al. Equidem ecastor vigilo; et vigilans id, quod factum 'st, fabulor:
Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi.
Am. Quo in loco?
Al. Hic, in ædibus, ubi tu habitas.
Am. Nunquam factum 'st. *S.* Non taces?
Quid si e portu navis huc nos dormienteis detulit?
Am. Etiam tu quoque assentaris huic?
S. Quid vis fieri?
Non tu scis, Bacchæ bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies; feriet sæpius:
Si obsequare, una resolvas plaga.
Am. At pol quin certa res
Hanc est obiurgare, quæ me hodie advenientẽ domum
Noluerit salutare. *S.* Irritabis crabrones. *Am.* Tace.
Alcumena, unum rogare te volo.
Al. Quid vis rogare? rogo.
Am. Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?
Al. Qui istuc in mentẽ est tibi, mi vir, percontarier?
Am. Quia salutare advenientẽ me solebas antidhac:
Appellare itidem, ut pudicæ suos viros, quæ sunt, solent.
Eo more expertem te factã adveniens offendi domi.
Al. Ecastor, equidem te certo heri advenientẽ illico
Et salutavi, et, valuissesne usque, exquisivi simul,
Mi vir: et manum prehendi, et osculum tetuli tibi.
S. Tun' heri hunc salutavisti?
Al. Et te quoque etiam, Sosia.
S. Amphitruo, speravi ego istam tibi parituram filium:
Verum non est puero gravida. *Am.* Quid igitur?
S. Insania.
Al. Equidem sana sum; et Deos quæso, ut salva pariam filium.
Verum tu magnum malum habebis, si hic suum officium facit.
Ob istuc omen, ominator, capies, quod te condecet.
S. Enimvero prægnanti oportet et malũ et malũ dari,
Ut, quod obrodat, sit, animo si male esse occeperit.
Am. Tu me heri hic vidisti?
Al. Ego, inquam, si vis decies dicere.
Am. In somnis fortasse.
Al. Immo vigilans vigilantem. *Am.* Væ misero mihi!
S. Quid tibi 'st? *Am.* Delirat uxor.
S. Atra bili percita 'st.
Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.
Am. Ubi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier?
Al. Equidem ecastor sana et salva sum.
Am. Cur igitur prædicas,
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?
Ibi cœnavi; atque ibi quievi in navi noctẽ perpetem:
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis, eosque ut vicimus.
Al. Immo mecum cœnavisti, et mecum cubuisti.
Am. Quid id est?
Al. Vera dico.
Am. Non quidem, hercle, de hac re; de aliis nescio.
Al. Primulo diluculo abivisti ad legiones.
Am. Quomodo?
S. Recte dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta es, prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie, aut thure, comprecatã oportuit.
Al. Væ capiti tuo! *S.* Tua istuc refert, si curaveris.
Al. Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.
Am. Tace tu: tu dic: Egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?
Al. Quis igitur, nisi vos narravit mihi, illi ut fuerit prælium?
Am. An etiam id tu scis?
Al. Quippe quæ ex te audivi: ut urbem maxumam
Expugnavisses; regemque Pterelam tute occideris.
Am. Egone istuc dixi?
Al. Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.
Am. Audivistin' tu me narrare hoc hodie?
S. Ubi ego audiverim?
Am. Hanc roga. *S.* Me quidem præsente, nunquam factum 'st, quod sciam.
Al. Mirum quin te advorsus dicat.
Am. Sosia, age, me huc aspice.

S. Spectu. *Am.* Vera volo loqui te:nolo assentari mihi.
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat?
S. Quæso, edepol, num tu quoque etiam insanis, quum id me iuterrogas?
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul.
Am. Quin nunc, mulier, audin' illum?
Al. Ego vero; ac falsum dicere.
Am. Neque tu illi, neque mi viro ipsi credis?
Al. Eo fit, quia mihi
Plurimum credo, et scio ista hæc facta, proinde ut proloquor.
Am. Tun' me heri advenisse dicis?
Al. Tun' te abisse hodie hinc negas?
Am. Nego enimvero; et me advenire nunc primum aio ad te domum.
A. Obsecro, etiamne hoc negabis, te aureā paterā mihi
Dedisse dono hodie, qua te illic donatū esse dixeras?
Am. Neque, edepol, dedi, neque dixi: verum ita animatus fui,
Itaque nunc sum, ut ea te patera donem. Sed quis istuc tibi
Dixit?
Al. Ego quidem ex te audivi, et ex tua accepi manu
Pateram.
Am. Mane, mane, obsecro te. Nimis demiror, Sosia,
Qui illæc illic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc conveuisti, et narravisti hæc omnia.
S. Neque, edepol, ego dixi, neque istam vidi, nisi tecum simul.
Am. Quid hoc sit hominis!
Al. Viu' proferri pateram? *Am.* Proferri volo.
Al. Fiat. Tu, Thessala, intus pateram proferto foras,
Qua hodie meus vir donavit me.
Am. Secede huc tu, Sosia.
Enimvero illud, præter alia mira, miror maxume,
Si hæc habet pateram illam.
S. An etiam id credis, quæ in hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur?
Am. Salvum signum 'st? *S.* Inspice.
Am. Recte, ita 'st, ut obsignavi.
S. Quæso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri?
Am. Edepol, quin facto 'st opus.
Nam hæc quidem edepol larvarum plena 'st.
Al. Quid verbis opu 'st?
Hem tibi pateram: eccam. *Am.* Cedo mihi.
Al. Age, aspice huc sis nunc iam,
Tu, qui, quæ facie, inficiare; quem ego iam hic convincam palam.
Estne hæc patera, qua donatus illic?
Am. Summe Iupiter!
Quid ego video? hæc ea 'st profecto patera. Perii, Sosia!
S. Aut pol hæc præstigiatrix mulier multo maxuma 'st,
Aut pateram hic inesse oportet.
Am. Agedum, solve cistulam.
S. Quid ego istam exsolvem? obsignata 'st recte. Res gesta 'st bene.
Tu peperisti Amphitruonē; ego aliū peperi Sosiam:
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.
Am. Certum 'st aperire, atque inspicere.
S. Vide sis, signi quid siet.
Ne posterius in me culpā conferas. *Am.* Aperi modo:
[illegible] hæc quidē nos delirantes facere dictis postulat.
Al. Unde hæc igitur est, nisi abs te, quæ mihi dono data 'st?
Am. Opus mi est istoc exquisito.
S. Iupiter! pro Iupiter!
Am. Quid tibi 'st? *S.* Hic patera nulla in cistula 'st.
Am. Quid ego audio?
S. Id quod verum 'st.
Am. At cum cruciatu iam, ni apparet, tuo.
Al. Hæc quidem apparet. *Am.* Quis igitur tibi dedit?
Al. Qui me rogat.
S. Me captas, quia tute ab navi clanculu huc alia via
Præcurristi; atque hinc pateram tute exemisti, atque eam
Huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum.
Am. Hei mihi! iam tu quoq; huius adiuvas insaniam!
Ain' heri nos advenisse huc?
Al. Aio; adveniensque illico
Me salutavisti, et ego te, et osculum tetuli tibi.
Am. Iam illud non placet principium de osculo. Pergam exequi.
Al. Lavisti. *Am.* Quid, postquam lavi?
Al. Accubuisti. *S.* Euge! optume!
Nunc exquire. *Am.* Ne interpella. Perge porro dicere.
Al. Cœna apposita 'st: cœnavisti mecum: ego accubui simul.
Am. In eodem lecto? *Al.* In eodem.
S. Hei! non placet convivium.
Am. Sine modo argumenta dicat. Quid, postquam cœnavimus?
Al. Te dormitare aibas: mensa ablata 'st; cubitum hinc abiimus.
Am. Ubi tu cubuisti?
Al. In eodem lecto tecum una in cubiculo.
Am. Perdidisti! *S.* Quid tibi 'st?
Am. Hæc me modo ad mortem dedit.
Al. Quid iam, amabo? *Am.* Ne me appella.
S. Quid tibi 'st? *Am.* Perii miser!
Quia pudicitiæ huius vitiū me hic absente est additū
Al. Obsecro, ecastor, cur istuc, mi vir, ex te audio?
Am. Vir ego tuus sī? ne me appella falsa falso nomine.
S. Hæret hæc res; siquidem hæc iam mulier facta 'st ex viro.
Al. Quid ego feci, qua istæc propter dicta dicantur mihi?
Am. Tute edictas facta tua: ex me quæris, quid deliqueris?
Al. Quid ego tibi deliqui, si, cui nupta sū, tecū fui?
Am. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.
Al. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere.
Am. Pro Dii immortales! cognoscin' tu me saltem, Sosia?
S. Propemodum.
Am. Cœnavin' ego heri in navi in portu Persico?
Al. Mihi quoque assunt testes, qui illud, quod ego dicam, assentiant.
S. Nescio quid istuc negoti dicam, nisi quispiam 'st
Amphitruo alius, qui forte te hic absente tamen
Tuā rē curet, teq; absente, hic munus fungatur tuum:
Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est.
Certe de istoc Amphitruone iā alterū mirū 'st magis.
Nescio quis præstigiator hanc frustratur mulierem.
Al. Per supremi Regis regnum iuro, et matrem familias
Iunonem, quā me vereri et metuere est par maxume,
Ut mi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore

Contigit, quo me impudicam faceret.
Am. Vera istæc velim.
Al. Vera dico, sed nequidquam, quoniam non vis credere.
Am. Mulier es, audacter iuras.
Al. Quæ non deliquit, decet
Audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui.
Am. Satis audacter. *Al.* Ut pudicam decet.
Am. Tu verbis probas.
Al. Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur;
Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem,
Deû metû, parentû amorê, et cognatûm concordiam;
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.
S. Næ ista, edepol, si hæc vera loquitur, ex amussim est optuma.
Am. Delenitus sum profecto ita, ut me, qui sim, nesciam.
S. Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usu perduis:
Ita nunc homines immutantur, postquam peregre advenimus.
Am. Mulier, istam rem inquisitam certum 'st non amittere.
Al. Edepol, me libente facies.
Am. Quid ais? responde mihi.
Quid si adduco tuum cognatû huc a navi Naucratê,
Qui mecû una vectu 'st una navi; atque is si denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum 'st fieri?
Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
Al. Si deliqui, nulla causa est.
Am. Convenit. Tu, Sosia,
Duc hos intro. Ego huc ab navi mecum adducam Naucratem.
S. Nunc quidem, præter nos, nemo 'st: dic mihi verum serio,
Ecquis alius Sosia intu 'st, qui mei similis siet?
Al. Abin' hinc a me dignus domino servus?
S. Abeo, si iubes.
Al. Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi collibitum siet,
Meo viro, sic me insimulare falsû facinus tam malum.
Quidquid est, iam ex Naucrate cognato id cognoscam meo.

Actus III. Scena I. *Iupiter.*

Ego sum ille Amphitruo cui 'st servus Sosia,
Idem, Mercurius qui fit, quando commodum 'st,
In superiore qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Iupiter, quando lubet.
Huc autem quô extemplo adventum apporto, illico
Amphitruo fio, et vestitum immuto meum.
Nunc huc honoris vostri venio gratia,
Ne hanc inchoatam transigam comœdiam;
Simul Alcumenæ, quam vir insontem probri
Amphitruo accusat, veni, ut auxilium feram:
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenæ innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occepi semel,
Esse assimulabo, atque in horum familiam
Frustrationem hodie iniiciam maxumam:
Post igitur demum faciam res fiat palam,
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram,
Faciamque, ut uno fœtu, et quod gravida 'st viro,
Et me quod gravida 'st, pariat sine doloribus.
Mercurium iussi me continuo consequi,
Si quid vellem imperare. Nunc hanc alloquar.

Scena II. *Alcumena, Iupiter.*

A. Durare nequeo in ædibus: ita me probri,
Stupri, dedecoris, a viro argutam meo!
Ea, quæ sunt facta, infecta refert, ac clamitat:
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit;
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam; neque me perpetiar probri
Falso insimulatam; quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mi ille, atque adiuret insuper,
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.
I. Faciundum 'st mi illud, fieri quod illæc postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere;
Quando, ego quod feci, factû id Amphitruoni offuit,
Atque ille dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.
A. Et, eccum, video, qui me miseram arguit
Stupri, dedecoris. *I.* Te volo, uxor, colloqui.
Quo te avortisti? *A.* Ita ingenium meum 'st:
Inimicos semper osa sum obtuerier.
I. Heia autem inimicos! *A.* Sic est: vera prædico:
Nisi, etiam hoc falso dici, insimulaturus es.
I. Nimis verecunda es.
A. Potin' es, ut abstineas manum?
Nam certo, si sis sanus, aut sapias satis,
Quam tu impudicam esse arbitrere et prædices,
Cum ea tu sermonem nec ioco, nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissumo.
I. Si dixi, nihilo magis es, neque ego esse arbitror,
Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.
Nam numquam quidquam meo animo fuit ægrius,
Quam postquam audivi te esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies. Ego expediam tibi.
Non, edepol, quo te esse impudicam crederem:
Verum periclitatus animum sum tuum,
Quid faceres, et quo pacto id ferre induceres.
Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa; vel huc rogato Sosiam.
A. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,
Testem quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse? *I.* Si quid dictû 'st per iocum,
Non æquom 'st, id te serio prævortier.
A. Ego illud scio, quam doluerit cordi meo.
I. Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obsecro,
Da mihi hanc veniam: ignosce; irata ne sies.
A. Ego istæc feci verba virtute irrita:
Nunc, quando factis me impudicis abstines,
Ab impudicis dictis avorti volo.
Valeas; tibi habeas res tuas; reddas meas.
Iuben' mi ire comites? *I.* Sanan' es? *A.* Si non iubes,
Ibo egomet; comitem Pudicitiam duxero.
I. Mane. Arbitratu tuo iusiurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Iupiter,
Quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.
A. Ah! propitius sit potius. *I.* Confide fore:
Nam iusiurandum verum te advorsum dedi.
Iam nunc irata non es? *A.* Non sum. *I.* Bene facis.
Nam, in hominum ætate, multa eveniunt huiusmodi:
Capiunt voluptates; capiunt rursum miserias.
Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum, iræ siquæ forte eveniunt huiusmodi
Inter eos rursum si reventum in gratiam 'st,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.
A. Primum cavisse oportuit ne diceres;
Verum, eadem si isdem purgas, mihi patiunda sunt.
I. Iube vero vasa pura adornari mihi,
Ut, quæ apud legionem vota vovi, si domum

Redissem salvos, ea ego exsolvam omnia.
A. Ego istuc curabo. *I.* Evocate huc Sosiam:
Gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo impransus ludificabitur:
Quom ego Amphitruonē collo hinc obstricto traham.
A. Mirum, quid solus secum secreto ille agat!
Atque aperiuntur ædes: exit Sosia.

SCENA III. *Sosia, Iupiter, Alcumena.*

S. Amphitruo, assum: si quid opus est, impera: imperium exequar.
I. Optume advenis. *S.* Iam pax est inter vos duos?
Nam, quia vos tranquillos video, gaudeo, et volupe est mihi,
Atque ita servom par videtur frugi sese instituere;
Proinde heri ut siut, ipse item sit: voltum e voltu comparet;
Tristis sit, si heri siut tristes: hilarus sit, si gaudeant.
Sed age, responde: iam vos redistis in concordiam?
I. Derides, qui scis hæc iamdudum me dixisse per iocum.
S. An id ioco dixisti? equidem serio ac vero ratus.
I. Habui expurgationem, facta pax est. *S.* Optume 'st.
I. Ego rem divinam intus faciam, vota quæ sunt.
S. Censeo.
I. Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut re divina facta, mecum prandeat.
S. Iam hic ero, quom illic censebis esse me.
I. Actutum huc redi.
A. Numquid vis, quin abeam iam intro, ut apparentur, quibus opu 'st?
I. I sane; et, quantum potest, parata fac siut omnia.
A. Quin venis, quando vis, intro? faxo haud quidquam sit moræ.
I. Recte loquere, et proinde diligentē ut uxorē decet.
Iam hi ambo, et servos et hera, frustra sunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur esse: errant probe.
Nunc tu, divine, fac huc assis, Sosia.
Audis quæ dico, tametsi præsens non ades:
Fac, Amphitruonem advenientem ab ædibus
Ut abigas quovis pacto; fac commentus sies.
Volo deludi illum, dum cum hac usuraria
Uxore nunc mihi morigero: hæc curata siut,
Fac sis, proinde adeo, ut me velle intellegis;
Atque ut ministres mihi, cum mihi sacrufic em.

SCENA IV. *Mercurius.*

Concedite atque abscedite; omnes de via decedite;
Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.
Nam mihi quidem, hercle, qui minus liceat, Deo, minitarier
Populo, nĭ decedat mihi quam servulo in comœdiis?
Ille navem salvam nunciat, aut irati adventum senis:
Ego sum Iovi dicto audiens; eius iussu huc me affero.
Quamobrem mi magis par est via decedere, et concedere.
Pater vocat me: eum sequor; eius dicto imperio sum audiens:
Ut filium bonū patri esse oportet, itidē ego sū patri.
Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volupe 'st, voluptas ea mihi multo maxuma 'st.
Amat? sapit: recte facit, animo quando obsequitur suo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater; faxo probe.
Iam hic deludetur, spectatores, vobis spectantibus.
Capiā coronā mi in caput; assimulabo me esse ebriū:
Atque illuc sursum escendero: inde optume cispellam virum.
De supero, cum huc accesserit, faciam ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum sufferet suus servos pœnas Sosia:
Eum fecisse ille hodie arguet, quæ ego fecero hic: quid id mea?
Meo me æquum 'st morigerum patri, eius studio servire addecet.
Sed eccum Amphitruonem: advenit: iam ille hic deludetur probe;
Siquidem vos voltis auscultando operam dare.
Ibo intro; ornatum capiam, qui potis decet.
Dein sursum ascendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

ACTUS IV. SCENA I. *Amphitruo.*

Naucratem quem convenire volui, in navi non erat:
Neque domi, neque in urbe, invenio quemquam, qui illum viderit.
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia, et myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palæstra, atque in foro:
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis ædis sacras.
Sum defessus quæritando, nusquā invenio Naucratē.
Nunc domum ibo; atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suum stupri compleverit.
Nam me, quam illam quæstionem inquisitam hodie amittere,
Mortuum satius est: sed ædis occluserunt: eugepæ!
Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt. Feriam foris.
Aperite hoc: heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

SCENA II. *Mercurius, Amphitruo.*

M. Quis ad foris est? *A.* Ego sum. *M.* Quid, ego sum?
A. Ita loquor. *M.* Tibi Iupiter
Diique omnes irati certo sunt, qui sic frangas fores.
A. Quo modo?
M. Eo modo, ut profecto vivas ætatem miser.
A. Sosia.
M. Ita sum Sosia, nisi me esse oblitum existimas.
Quid nunc vis?
A. Sceleste! at etiam, quid velim, id tu me rogas?
M. Ita rogo. Pene effregisti, fatue, foribus cardines.
An foris censebas nobis publicitus præberier?
Quid me aspectas, stolide? quid nunc vis tibi? aut quis tu es homo?
A. Verbero! etiam, quis ego sim, me rogitas, ulmorum acheruns?
Quem, pol, ego hodie, ob isthæc dicta, faciam ferventem flagris.
M. Prodigum te fuisse oportet olim in adolescentia.
A. Qui dum?
M. Quia, senecta ætate, a me mendicas malum.
A. Cum cruciatu tuo isthæc hodie, verna, verba funditas.
M. Sacrufico ego tibi. *A.* Qui?
M. Quia enim te macto infortunio.

Supposita.

A. Tun' me mactes, carnufex? nisi formam Dii hodie meam perduint,
Faxo ut bubulis coriis onustus sis, Saturni hostia.

Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo. Exi foras,
Mastigia. *M.* Larva umbratilis, tu me minis territas?
Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaveris,
Si minusculo digito increpueriut fores, hac tegula
Tuum demiuuam caput, ut cum dentibus linguam exscreres.
A. Tun' furcifer, meis me procul prohibessis ædibus?
Tun' meas pulsare foreis? hasce illico toto demoliar cardine.
M. Pergin' *A.* Pergo. *M.* Accipe.
A. Sceleste! in herum? Si te hodie apprehendero,
Ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser.
M. Bacchanal te exercuisse oportuit, senex.
A. Qui dum?
M. Quando tu me tuum servom censes.
A. Quid? censeo?
M. Malum tibi: præter Amphitruonem, herum novi neminem.
A. Num formā perdidi? mirum quin me norit Sosia.
Scrutabor: eho dic mihi, quis videor? uum satis Amphitruo?
M. Amphitruo! sanusne es? Nonne tibi prædictum, senex,
Bacchanal te exercuisse, quom qui sis, alium rogites?
Ascede, moneo: molestus ne sies, dum Amphitruo
Cum uxore, modo ex hostibus adveniens, voluptatem capit.
A. Qua uxore? *M.* Alcumena. *A.* Quis homo?
M. Quotiens vis dictum? Amphitruo,
Herus meus: molestus ne sies. *A.* Quicum cubat?
M. Vide, ne iufortuniū quæras, qui me sic ludifices.
A. Dic, quæso, mi Sosia.
M. Blandire? Cum Alcumena. *A.* In eodemne Cubiculo?
M. Immo, ut arbitror, corpore corpus incubat.
A. Væ misero mihi!
M. Lucri 'st, quod miseriam deputat: nam uxorem usurariam
Perinde est præbere, ac si agrū sterilē fodiendū loces.
A. Sosia! *M.* Quid malum Sosia?
A. Non me novisti, verbero?
M. Novi te hominem molestū, qui ne emas litigium.
A. Adhuc
Amplius: nonne ego herus sum tuus Amphitruo?
M. Tu Bacchus es,
Haud Amphitruo: quoties tibi dictum vis? num denuo?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcumenam complexu tenet.
Si pergas, eum hic sistam, neq; sine tuo magno malo.
A. Cupio accersi. Utinam ne, pro benefactis hodie patriam,
Ædeis, uxorem, familiā, cum forma, una perduam!
M. Accersam equidem: sed de foribus tu interea sis vide.
Si molestus sis, evades nunquā, quin te sacruficem.

Amphitruo, Blepharo, Sosia.

A. Dii, vostram fidem! quæ intemperiæ nostrā agunt familiam! quæ mira
Video, postquam adveuio peregre! nam verum 'st, quod olim est auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
Et sævas belluas mansitasse, nec unquam denuo pa-
Cognitos. (rentibus
B. Quid illuc, Sosia? Magna sunt, quæ mira prædicas.
Aiu' tu alterū te reperisse domi consimilē Sosiam?
S. Aio: sed heus tu! quom ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo, quid scis an
Tu forte alium Blepharonem parias? O Dii faciant ut tu quoque,
Concisus pugnis, et illisis dentibus, id inpransus creduas.
Nam ego ille alter Sosia, qui illic sum, me malis mulcavit modis.
B. Mira profecto: sed gradus condecet grandirē nam, ut video,
Expectat Amphitruo; et vacuus mihi venter crepitat.
A. Et quid aliena
Fabulor? in nostro olim Thebano genere plusquam mira memorant.
Martigenam ille aggressus belluam magnus Europæ quæstor, anguineo
Repente hostis peperit seminio: et, pugnata illac pugna,
Frater trudebat fratrem hasta et galea: et nostræ auctorem gentis
Cum Veneris filia angueis repsisse tellus Epirotica
Vidit. De summo summus Iupiter sic statuit: sic fatum habet.
Optumi omnes nostrates, pro claris factis, diris aguntur malis.
Fata istæc me premunt; pertolerarem vim tantam, cladesque
Exanclarem impatibiles. *S.* Blepharo! *B.* Quid est?
S. Nescio quid mali suspicor.
B. Quid? *S.* Vide sis, herus, salutator oppessulatas ante foreis graditur.
B. Nihil est; famem exspectat ohambulans.
S. Curiose quidem: foreis enim
Clausit, ne prævorteretur foras. *B.* Oggannis.
S. Nec gannio, nec latro.
Si me audias, observes. Nescioquid secū solus, puto,
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam, ne propera.
A. Ut metuo, ne, victis hostibus, Dii partam expungant gloriam.
Totam miris modis nostrā video turbatā familiam.
Tum vero uxor vitio, stupro, dedecore, me plena enicat.
Sed de patera mirum 'st: erat tamen signum obsignatum probe.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, et Pterelam oppugnatum,
Nostris occisum manibus fortiter. Atat! novi iam ludum:
Id Sosiæ factum 'st opera, qui me hodie quoque præsentem ausit
Indigne prævortier.
S. De me locutus, et quæ velim minus.
Hominem ne congrediamur, quæso, priusquam stomachum detexerit.
B. Ut lubet. *A.* Si illum datur hodie mastigiam apprehendere, ostendam quid sit
Herum fallere, minis et dolis incessere.
S. Audin' tu illum? *B.* Audio.
S. Illæc machina meas onerat scapulas; compellemus sis hominem.
Scin' quid vulgo dici solet?
B. Quid dicturus sis, nescio:
Qui tibi patiundum, fere hariolor.
S. Vetu 'st adagium, Fames et mora
Bilem in nasum conciunt.
B. Verum quidem e loco compellemus
Alacre. Amphitruo.
A. Blepharonem audio: mirum quid ad me venit.
Opportune tamen se offert, ut uxuris facta convincam turpia.

Quid huc ad me, Blepharo?
B. Oblitus tam cito, quam diluculo
Misisti ad navimSosiam, ut hodie tecu cenviverem?
A. Nusquam factum gentium. Sed ubi illic scelestus?
B. Quis? *A.* Sosia.
B. Eccum illum. *A.* Ubi? *B.* Ante oculos: non vides?
A. Vix video præ ira; adeo me istic
Hodie deliru fecit. Ne te sacruficē, nunquā evades.
Sine me, Blepharo. *B.* Ausculta, precor.
A. Dic; ausculto. Tu vapula.
S. Qua de re? num satis tempori? Non ocyus quivi,
Dædaleis tulissem remigiis. (si ma
B. Abstine, quæso; non potnimus
Nostros grandius grandire gradus.
A. Sive grallatorius, sive
Testudinaus fuarit, certum 'st mihi hunc scelestum perdere.
En tectum! en tegulas! en obductas fores! en ludificatum herum!
En verborum scelus! *B.* Quid mali fecit tibi?
A. Rogas? ex illo
Tecto exclusum foribus me deturbavit ædibus.
S. Egone?
A. Tu. Quid minitabas te facturum, si istas pepulis-
Negas, sceleste? (sem fores?
S. Quin negem? en testis ampliter, quicum venio;
Missus sedulo, ut ad te vocatum ducerem.
A. Quis te misit,
Furcifer? *S.* Qui me rogat. *A.* Quando gentium?
S. Dudum, iampridem, modo,
Ubi cum uxore domi redisti in gratiam.
A. Bacchus te irritassit.
S. Nec Bacchum salutem hodie, nec Cererem. Tu purgari iusseras (tum mittis,
Vasa, ut rem divinam faceres: et hunc me arcessi-
Ut tecum prandeat.
A. Blepharo, disperearm, si aut intus adhuc fui,
Aut si hunc miserim. Dic, ubi me liquisti?
S. Domi cum Alcumena coniuge.
Ego, a te abiens, portum versus volito, hunc tuis verbis voco:
Venimus; nec te, nisi nunc, video postea.
A. Scelestum caput! cum uxore?
Nunquam abis, quin vapules. *S.* Blepharo!
B. Amphitruo, mitte hunc mea gratia;
Et me audiss. *A.* En, mitto. Quid vis, loquere.
B. Istic iamdudum mihi
Maxuma memoravit mira. Præstigiator forte, aut veneficus,
Hanc excantat tibi familiam. Inquira aliunda: vide quid siet;
Nec aute hunc excruciatum miserum facias, quam rem intellegas.
A. Recte mones, eamus: te advorsum uxori etiam advocatum volo.

Iupiter, Amphitruo, Sosia, Blepharo.

I. Quis tam vasto impete has foreis toto convolsit cardine? (si comperero,
Quis aute ædeis tantas tamdiu turbas concitat? quem
Telebois sacruficabo Manibus.
A. Nihil est, ut dici solet,
Quod hodie bene succedat mihi. Deserui Blepharonem et Sosiam,
Ut cognatum Naucratem convenirem: hunc non reperi, et illos perdidi.
Sed eos video: ibo advorsum, ut, siquid habeut, sciscitur. *S.* Blepharo, illic, qui
Ex ædibus, heru 'st, hic vero veneficus. *B.* Pro Iupiter!
Quid intueor? Hic non est, sed illa, Amphitruo. Istic si fuat,
Illum sane non esse oportuit, nisi quidē sit geminus.
I. Eccum cum Blepharone Sosiam. Compellabo hos prius. Sosia,
Tandē ad nos? Esurio. *S.* Dixin' tibi hunc veneficum?
A. Immo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam
Impudicitia impetivit; per quem teneo thesaurum stupri. (lito.
S. Here, si tu nunc esuris, ego satur pugnis ad te vo-
A. Pergin' mastigia?
S. Abi ad Acheruntē, venefice. *A.* Men' veneficum?
Vapula. *I.* Quæ, hospes, intemperiæ, ut tu meum verberes? *A.* Tuum? *I.* Meum.
A. Mentiris. *I.* Sosia, i intro. Dum hunc sacrufico, fac paretur prandium.
S. Ibo. Amphitruonem, arbitror, ita comiter Amphitruo
Accipiet, ut dudū memet ego ille alter Sosia Sosiam.
Interea, dum isti certant, in popinam devortundum 'st mihi:
Lances detergā omneis, omneisque trullas hauriam.
I. Tun' me
Mentiri ais? *A.* Mentiris, inquam, meæ corruptor familiæ!
I. Oh istuc indignum dictum, te obstricto collo hac arripiam.
A. Væ misero mihi! *I.* At id præcavisse oportuit.
A. Blepharo, suppetias mihi.
B. Consimiles sunt adeo, ut, utri assim, nesciam: rixam tamen,
Ut potest, dirimam. Amphitruo, noli Amphitruonem duello perdere;
Linque collum, precor.
I. Hunc tu Amphitruonem dictitas?
B. Quidni? unus olim; nunc vero partus est geminus:
Dum tu vis esse, alter quoque esse forma non desinit.
Interea, quæso, collum linque.
I. Linquo: sed dic mihi, vidaturne tibi
Istic Amphitruo? *B.* Utarque quidem.
A. Proh summe Iupiter! ubi hodie
Mihi formam adimis? Pergo quærere: tune Amphitruo! *I.* Tu negas?
A. Paruego, quando Thebis, præter me, nemo 'st alter Amphitruo.
I. Immo, præter me, nemo; atque adeo, tu Blepharo, iudex sies.
B. Faciam id, si queo, signis palam. Tu responde prius. *A.* Lubens.
B. Antequam cum Taphiis a te pugna sit inita, quid mandasti mihi?
A. Parata navi, clavo hæreres sedulo. (perem.
I. Ut, si nostri fugam facerent, illuc me tuto reci-
A. Item aliud, ut bene nummatum servaretur marsupium.
I. Quæ pecuniæ?
B. Tace sis tu: meum 'st quærere. Scisti numerum?
I. Talenta quinquaginta Attica.
B. Hic examussim rem enarrat. Et tu,
Quot Philippei? *A.* Duo millia.
I. Oboli vero bis totidem. *S.* Uterque
Rem tenet probe. Intus in crumena clausum alterum esse oportuit.
I. Attende sis: hac dextera, ut nosti, regem mactavi Pterelam;
Spolia ademi; et pateram, qua ille potare solitu 'st, in cistella
Pertuli: dono uxori meæ dedi, quicū hodie domi lavi,

Sacruficavi, cubui.
A. Hei mihi! quid audio? vix apud me sum:
Vigilans quippe dormio: vigilans somnio; vivus et sanus intereo.
Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebanorum
Et Creontis unicus, Teleboarum perduellis; qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, et summa regem virtute bellica.
Illisce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.
I. Ego idem latrones hostes bello et virtute contudi.
Electryonem perdiderant, nostræ et germanos coniugis,
Achaiam, Ætoliam, Phocidem, per freta Ionium et Ægæum et Creticum
Vagati, vi vortebant piratica.
A. Dii immortales! mihimet
Non credo; ita omnia, quæ facta illic, examussim loquitur. Vide,
Blepharo. *B.* Unum superest: Id si fuat, Amphitruones fitote gemini.
I. Quid dicas, novi: cicatricem in dextro musculo ex illoc volnere
Quod mihi impegit Pterela. *B.* Eam quidem.
A. Apposite. *I.* Viden'? en aspice.
B. Detegite, aspiciam. *I.* Deteximus: vide.
B. Supreme Iupiter!
Quid intueor? Utrique in musculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem, apparet probe, ut primum coivit, cicatrix rufula,
Sublurida. Rationes iacent: indicium silet; quid agam, nescio.
[*Suppositorum finis.*]

SCENA III. *Blepharo, Amphitruo, Iupiter.*

B. Vos inter vos partite; ego abeo: mihi negotium 'st.
Neq; ego unquā usquā tanta mira me vidisse censeo.
A. Blepharo! quæso, ut advocatus mi assis, neve abeas. *B.* Vale.
Quid opu 'st me advocato? qui, utri sim advocatus, nescio.
I. Intro hinc eo. Alcumena parturit. *A.* Perii miser!
Quid ego? quem advocati iam atque amici deserunt.
Nunquam, edepol, me inultus istic ludificabit, quisquis est.
Nam ad regem recta me ducam; resque ut facta 'st, eloquar.
Ego, pol, illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui perverse perturbavit familiæ mentem meæ.
Sed ubi ille 'st? intro, edepol, abiit; credo, ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam?
Quē omnes mortales ignorant, et ludificant, ut lubet.
Certum 'st, introrumpam in ædibus, ubi quemque hominem aspexero,
Sive ancillam, sive servom, sive uxorem, sive adulterum,
Seu patrem, sive avom videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Iupiter, neque Dii omnes id prohibebunt, si volent,
Quin sic faciam uti constitui. Pergam in ædibus nunc iam.

ACTUS V. SCENA I. *Bromia, Amphitruo.*

B. Spes atq; opes vitæ meæ iacent sepultæ in pectore;
Neque ulla 'st confidentia iam meo in corde, quin amiserim:
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cœlū, consequi,
Iam ut opprimar, ut enicer. Me miseram! quid agam, nescio:
Ita tanta mira in ædibus sunt facta. Væ miseræ mihi!
Animo male 'st: aquam velim! corrupta sum, atque absumta sum.
Caput dolet; neque audio, neque oculis prospicio satis
Nec me miserior femina 'st, neq; ulla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit. Nam, ubi parturit, Deos sibi invocat:
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subito, ut propere, ut valide tonuit!
Ubi quisque institerat, concidit crepitu. Ibi nescio quis maxuma
Voce exclamat: Alcumena, adest auxilium; ne time:
Et tibi et tuis propitius cœli cultor advenit. (tu.
Exurgite, inquit, qui, terrore meo, occidistis præ me-
Ut iacui, exurgo. Ardere censui ædis; ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: iam ea res me horrore afficit.
Herilis prævortit metus: ocyus accurro, ut sciscam quid velit:
Atq; illam geminos filios pueros peperisse conspicor;
Neque nostrum quisquam sensimus, cum peperit, neque prævidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex, (cussit Iupiter?
Qui ante ædis nostras sic iacet? numnam hunc per-
Credo, edepol; nam, prob Iupiter! sepultus est, quasi sit mortuus.
Ibo, et cognoscam, quisquis est. Amphitruo hic quidem 'st herus meus.
Amphitruo! *A.* Perii! *B.* Surge. *A.* Interii!
B. Cedo manum. *A.* Quis me tenet?
B. Tua Bromia ancilla.
A. Totus timeo; ita me increpuit Iupiter.
Nec secus est, quam si ab Acherunte veniam. Sed quid tu foras
Egressa es?
B. Eadem nos formido timidas terrore impulit:
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. Væ mihi!
Amphitruo! ita mihi animus etiam nunc abest.
A. Agedum, expedi.
Scin' me tuum esse herum Amphitruonem?
B. Scio. *A.* Viden' etiam nunc? *B.* Scio.
A. Hæc sola sanam mentem gestat meorum familiarium.
B. Immo omnes sani sunt profecto.
A. At me uxor insanum facit
Suis fœdis factis.
B. At ego faciam, tu idem ut aliter prædices,
Amphitruo, piam et pudicā esse tuam uxorē ut scias.
De ea re signa atq; argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
A. Ain' tu geminos? *B.* Geminos.
A. Dii me servant. *B.* Sine me dicere,
Ut scias tibi tuæq; uxori Deos esse omnes propitios.
A. Loquere.
B. Postquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut solent puerperæ:
Invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. Ibi continuo contonat
Sonitu maxumo; ædis primo ruere rebamur tuas.
Ædes totæ confulgebant tuæ, quasi essent aureæ.
A. Quæso, absolvito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde?
B. Dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus:

Ita profecto sine dolore peperit. *A.* Iā istuc gaudeo,
Ut ut erga me est merita.
B. Mitte isthæc; atque hæc quæ dicam, accipe.
Postquam peperit pueros, lavere iussit nos. Occepimus.
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est, et multum valet!
Neque eum quisquam colligare quivit incunabulis.
A. Nimia mira memoras! si isthæc vera sunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ suppetiæ sient.
B. Magis iam, faxo, mira dices. Postquam in cunas conditu 'st,
Devolant angues iubati deorsum in impluvium duo
Maxumi: continuo extollunt ambo capita.
A. Hei mihi!
B. Ne pave. Sed angues oculis, omnis circumvisere.
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas recessim rursum vorsū trahere et ducere,
Metuens pueris, mihi formidans: tantoque angues acrius
Persequi. Postquam conspexit angues ille alter puer,
Citus e cunis exilit; facit recta in anguis impetum:
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
A. Mira memoras: nimis formidolosum facinus prædicas.
Nā mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere.
B. Puer ambo angues enicat.
Dum hæc aguntur, voce clara exclamat uxorē tuam.
A. Quis homo?
B. Summus imperator Divū atque hominū Iupiter.
Is se dixit cum Alcumena clam consuetū cubilibus,
Eumque filium suum esse qui illos angues vicerit:
Alterum tuum esse dixit puerum.
A. Pol, me haud pœnitet,
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Iove.
Abi domum: iube vasa pura actutum adornari mihi,
Ut Iovis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam coniectorem advocabo, et consulam,
Quid faciundum censeat; simul hanc rem, ut facta 'st, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! Dii, obsecro vostram fidem!

Scena II. *Iupiter.*

Bono animo es; assū auxilio, Amphitruo, tibi et tuis;
Nihil est quod timeas. Hariolos, haruspices
Mitte omnis. Quæ futura, et quæ facta, eloquar
Multo adeo melius quam illi, quum sim Iupiter.
Primum omnium, Alcumenæ usuram corporis
Cepi, et concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus. Uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi. Haud promeruit, quamobrem vitio verteres.
Mea vi subacta 'st facere. Ego in cœlum migro.

Scena III. *Amphitruo.*

Faciā ita ut iubes; et te oro, promissa ut serves tua.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Iovis summi causa clare plaudite.

+ ASINARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

Libanus, *servus.*	Diabolus, *adolescens.*
Demænetus, *senex.*	Parasitus
Argyrippus, *adolescens.*	Artemona, *uxor.*
Cleæreta, *lena.*	Mercator.
Leonida, *servus.*	Grex.
Philenium. *meretrix.*	

Argumentum (Prisciani?)

Amanti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt senex uxorio.
Itaque ob asinos relatum pretium Saureæ
Numeratier iussit servolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. Cedit noctem filius.
Rivinus amens ob præreptam mulierem,
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat.
Accurrit uxor, ac virum e lustris rapit.

Prologus.

Hoc agite sultis spectatores, nunc iam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique huic, et dominis, atque conductoribus.
Face iam nunc, tu præco, omnem auritum poplum.
Age, nunc reside: cave modo ne gratiis.
Nunc, quid processerim huc, et quid mihi voluerim,
Dicam; ut sciretis nomen huius fabulæ.
Nam, quod ad argumentum attinet, sane breve 'st.
Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen Græce 'st Onagos fabulæ.
Demophilus scripsit; Marcus vortit barbare.
Asinariam volt esse, si per vos licet.
Inest lepos ludusque in hac comœdia.
Ridicula res est. Date benigne operam mihi,
Ut vos item alias, pariter nunc, Mars adiuvet.

Actus I. Scena I. *Libanus, Demænetus.*

L. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ
Superesse vitæ, sospitem et superstitem;
Ita te obtestor, per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam;
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor ætatem siet:
Atque, illa viva, vivus ut pestem oppetas.
D. Per deum Fidium quæris: iurato mihi
Video necesse esse eloqui, quicquid roges:
Ita me obstinate aggressus, ut non audeam
Profecto, percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum, istuc quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
L. Dic, obsecro, hercle, serio, quod te rogem.
Cave mi mendaci quicquam. *D.* Quin tu ergo rogas?
L. Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?
D. Quid istuc est? aut ubi est istuc terrarum loci?
L. Ubi flent nequam homines, qui polentā pransitant
D. Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere,
Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
L. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
D. Modo, pol, percepi, Libane, quid istuc sit loci,
Ubi fit polenta, te fortasse dicere. *L.* Ah!
Neque hercle ego istuc dicō, nec dictum volo.
Teque obsecro hercle ut, quæ locutus, despuas.
D. Fiat, geratur mos tibi. *L.* Age, age, usque exscrea.
D. Etiamne?
L. Quæso hercle usque ex penitis faucibus.

D. Etiam? *L.* Amplius. *D.* Nam quousque?
L. Usque ad mortem volo.
D. Cave sis malam rem. *L.* Uxoris dico, non tuam.
D. Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.
L. Dii tibi dent, quæcumque optes.
D. Redde operam mihi:
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris?
Aut cur postremo filio succenseam,
Patres ut faciunt cæteri? *L.* Quid istuc novi 'st?
Demiror quid sit, et quo evadat, sum in metu.
D. Equidem scio iam, filius quam amet meus,
Isthanc meretricem e proxumo Philenium.
Estne hoc, ut dico, Libane? *L.* Rectam instas viam.
Ea res est. Sed eum morbus invasit gravis.
D. Quid morbi 'st? *L.* Quia non suppetunt dictis data.
D. Tune es adiutor nunc amanti filio?
L. Sum vero, et alter noster est Leonida.
D. Bene, hercle, facitis, et a me initis gratiam.
Verum meam uxorem, Libane, nescis qualis siet?
L. Tu primus sentis; nos tamen prænoscimus.
D. Fateor eam esse importunam atque incommodam.
L. Posterius istuc dicis, quam credo tibi.
D. Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mi auscultabunt, facient obsequentiam:
Quippe qui mage amico utantur gnato et benevolo:
Atque ego me id facere studeo. Volo amari a meis;
Volo me patris mei similem, qui, causa mea,
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, et beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum 'st persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti sibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obsequi gnato meo.
Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut consueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præsertim, quum is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem eius ingenio decet;
Quum me adiit, ut pudentem gnatũ æquum 'st patrẽ;
Cupio esse amicæ quod det argentum suæ.
L. Cupis id, quod cupere te nequidquam intellego.
Dotalem servum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit, quam tibi.
D. Argentum accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim,
Viginti iam usu 'st filio argenti minis.
Face, id ut paratum iam sit. *L.* Unde gentium?
D. Me defrudato. *L.* Maxumas nugas agis.
Nudo detrahere vestimenta me iubes.
Defrudem te ego? age sis, tu sine pennis vola.
Tene ego defrudem, cui ipsi nihil est in manu?
Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris.
D. Qua me, qua uxorem, qua tu servum Sauream
Potes, circumduce, aufer; promitto tibi
Non offuturum, si id hodie effeceris.
L. Iubeas una opera me piscari in aere,
Venari autem rete iaculo in medio mari.
D. Tibi optionem sumito Leonidam.
Fabricare quidvis; quidvis comminiscere.
Perficito, argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. *L.* Quid ais tu, Demænete?
Quid si forte in insidias devenero?
Tu redimes me, si me hostes interceperint?
D. Redimam. *L.* Tum tu igitur aliud cura quid lubet.
D. Ego eo ad forum, nisi quid vis.
L. I: etiamne ambulas?
D. Atque audin' etiam? *L.* Ecce.
D. Si quid te volam, ubi eris?
L. Ubicumque libitum fuerit animo meo.
Profecto nemo 'st, quem iam dehinc metuam, mihi
Ne quid nocere possit; cum mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuum.
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam quo occepi, atque ibi consilia exordiar.
D. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentariũ.
L. Nempe in foro? *D.* Ibi: si quid opus fuerit.
L. Meminero.
D. Non esse servus peior hoc quisquam potest,
Nec magis versutus, nec quo ab caveas ægrius.
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes: moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio esse, quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?
Ibo adeo, atque ibi manebo apud argentarium.

SCENA II. *Argyrippus.*

Siccine hoc fit? foras ædibus me eiici?
Promerenti optume hoccine pretii redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es;
At malo cum tuo: nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad Tresviros, vestraque ibi nomina,
Faxo, erunt: capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium.
Nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hic elavi bonis.
Ingrata atque irrita esse omnia intellego,
Quæ dedi, et quod benefeci: at posthac, tibi
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eodem unde orta es, ad egestatis terminos.
Ego, edepol, te faciam, ut, quæ sis nunc, et quæ fueris, scias.
Quæ, priusquam istam adii, atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.
Atque, ea si erant, magnas habebas omnibus Dis gratias;
Eadem nunc, quom est melius, me, cuius opera est, ignoras; mala.
Reddam ego te, ex fera, fame mansuetem, me specta modo.
Nam, isti quod succenseam ipsi, nihil est: nihil quidquam meret.
Tuo facit iussu; tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciscar; te ego, ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At scelesta, viden' ut ne id quidem me dignum esse existumat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato supplicet:
Atque, eccam, illecebra exit tandem. Opinor, hic ante ostium
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum 'st mihi.

SCENA III. *Cleæreta, Argyrippus.*

C. Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.
Nec recte quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum 'st.

Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio veloque quantum poteris, festina et fuge.
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.
A. Ego pol istum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar;
Quom tu me, ut meritus sum, non tractas, quæ eiicis domo.
C. Magis istuc percipimus linguа dici, quam factis fore.
A. Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli;
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
C. Solus ductato, si semper solus, quæ poscam, dabis.
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.
A. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modo quod accepisti, haud multo post, aliquid, quod poscas, paras.
C. Quid modi 'st? ductando, amando, nunquamne expleri potes?
Modo remisisti: continuo iam, ut remittam ad te, rogas.
A. Dedi equidem, quod mecum egisti.
C. Et tibi ego misi mulierem.
Par pari datum hostimentum 'st, opera pro pecunia.
A. Male agis mecum.
C. Quid me accusas, si facio officium meum?
Nam neque usquam fictum, neque pictum, neque scriptum in poematis,
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi esse volt.
A. Mihi quidem te parcere æquum 'st tandem, ut tibi durem diu.
C. Non tu scis, quæ amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem 'st amator lenæ; nequam 'st, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias.
Vel patinarium vel assum: verses, quo pacto lubet.
Is dare volt, is se aliquid posci: nam, ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat: illi rei studet:
Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ,
Volt famulis, volt ancillis: [et quoque,] etiā catulo meo
Subblanditur novus amator, se ut quom videat, gaudeat.
Vera dico. Ad suum quemque hominem quæstum esse æquum 'st callidum.
A. Perdidici, isthæc esse vera, damno cū magno meo.
C. Si, ecastor, nunc, habeas quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.
A. Non meum 'st. *C.* Nec meum quidem, edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum ætatis atque honoris gratia hoc fiet tui,
Quia nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi:
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem, honoris causa, gratiis dono dabo.
A. Quid, si non est?
C. Tibi non esse credam; illa alio ibit tamen.
A. Ubi illæc, quæ dedi ante?
C. Abusa. Nam, si ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te: nunquam quidquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera, quæque volumus uti, Græca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos disciplina utimur.
Semper oculatæ nostræ sunt manus; credunt, quod vident.
Vetus est, Nihili cocio est: scis cuius? non dico amplius.
A. Aliam nunc mihi orationem despoliato prædicas:
Longe aliam, inquam, præbes nunc atque olim, quum dabam;
Aliam atque olim, quum illiciebas me ad te blande ac benedice:
Tum mi ædes quoque arridebant, cum ad te veniebam, tuæ.
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, aibas mihi.
Ubi quid dederam, quasi columbæ pulli, in ore ambæ meo
Usq; eratis: meo de studio studia erant vostra omnia.
Usq; adhærebatis: quod ego iusseram, quod voluerā,
Faciebatis; quod nolebam ac vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc, neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumæ.
C. Non tu scis? hic noster quæstus aucupi simillimu 'st.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum.
Aves assuescunt. Necesse est facere sumtum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: semel si captæ sunt, rem solvunt aucupi;
Itidem hic apud nos. Ædis nobis area 'st; auceps sum ego;
Esca est meretrix; lectus illix est, amatores aves:
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,
Osculando, oratione vinnula, venustula.
Si papillam pertractavit, haud est ab re aucupis.
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.
Hæccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu?
A. Tua ista culpa 'st, quæ discipulum semidoctum abs te amoves.
C. Remeato audacter, mercedem si eris nactus: nunc abi.
A. Mane, mane; audi! dic, quid me æquum censes pro illa tibi dare;
Annum hunc ne cum quiquam alio sit.
C. Tene? viginti minas.
Atque ea lege, si alius ad me prius attulerit, tu vale.
A. At ego: est etiā, priusquam abis, quod volo loqui.
C. Dic, quod lubet.
A. Non omnino iam perii: est reliquum, quo peream magis.
Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem: sed in leges meas
Dabo, ut scire possis, perpetuum annum hunc mihi uti serviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorsus, quam me, ad se virum.
C. Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.
Postremo, ut voles nos esse, syngrapham facito afferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecū una argentū afferto; facile patiar cætera.
Portitorum simillumæ sunt ianuæ lenoniæ:

Si affers, tum patent: si non est quod des, ædes non patent.
A. Interii, si non invenio ego illas viginti minas.
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundum 'st mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia;
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemq; amicum videro:
Dignos indignos adire, atq; experiri, certũ 'st mihi.
Nam, si mutuas non potero, certum 'st, sumam fœnore.

Actus II. Scena I. *Libanus.*

Hercle vero, Libane, nunc te meliu 'st expergiscier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.
Iam diu 'st factum quom discesti ab hero, atque abiisti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.
Quin tu abs te socordiam omnem reice, et segnitiem amove;
Atque ad ingenium vetus versutum te recipis tuum.
Serva herũ: cave tu idẽ faxis, alii quod servi solent,
Qui, ad heri fraudationem, callidũ ingeniũ gerunt.
Unde sumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratũ 'st: quovis admittunt aves.
Picus et cornix est ab læva; corvus porro ab dextera.
Consuadent. Certum hercle est vostram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium 'st
Certe, hercle, ego quantũ ex augurio auspici intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida?
Metuo, quod illic obscœvavit meæ falsæ falaciæ.

Scena II. *Leonida, Libanus.*

Le. Ubi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium,
Uti ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia 'st?
Maxumã prædã et triumphũ eis affero adventu meo.
Quando mecũ pariter potant, pariter scortari solent,
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
Li. Illic homo ædeis compilavit, more si fecit suo.
Væ illi, qui tam indiligenter observavit ianuam.
Le. Ætatem velim servire, Libanum ut conveniam modo.
Li. Hercle, mea quidem opera liber nunquam fies ocyus.
Le. Etiã de tergo ducentas plagas prægnanteis dabo.
Li. Largitur peculium; omnem in tergo thesaurum gerit.
Le. Nã, si huic occasioni tempus sese subterduxerit,
Nunquam, edepol, quadrigis albis indipiscet postea:
Herũ in obsidione linquet, inimicũ animos auxerit.
Sed, si mecum occasionem opprimere hanc, quæ obvenit, studet,
Maxumas opimitates gaudio effartissumas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et patri,
Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro devincti beneficio. *Li.* Vinctos nescio quos ait.
Non placet: metuo in commune, ne quam fraudem frausus siet.
Le. Perii ego oppido, nisi Libanum invenio iam, ubi ubi est gentium.
Li. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adiungat sibi.
Non placet. Pro monstro extemplo est, quando, qui sudat, tremit.
Le. Sed quid ego hic properans concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
Li. Edepol, hominem infelicem, qui patronam comprimat!
Nam, si quid sceleste fecit, lingua pro illo peierat.
Le. Approperabo, ne post tempus prædæ præsidium parem.
Li. Quæ illæc præda 'st? ibo advorsum, atque electabo, quidquid est.
Iubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.
Le. Gymnasium flagri, salveto. *Li.* Quid agis, custos carceris?
Le. O catenarum colone! *Li.* O virgarum lascivia!
Le. Quot pondo ted esse censes nudum? *Li.* Non, edepol, scio.
Le. Sciebam ego te nescire: at pol ego qui te expendi, scio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
Li. Quo argumento istuc? *Le.* Ego dicam, quo argumento, et quo modo.
Ad pedes quando alligatus es, æquum centupondium;
Ubi manus manicæ complexæ sunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis.
Li. Væ tibi! *Le.* Hoc testamento Servitus legat tibi.
Li. Verbis velitationem fieri compendi volo.
Quid istuc negoti 'st? *Le.* Certum 'st credere? *Li.* Audacter licet;
Le. Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantũ adest boni improviso, verũ commixtũ malo:
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usu 'st nobis inventa et dolis.
Tantũ facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.
Li. Ego mirabar, quod dudũ scapulæ gestibant mihi
Hariolari quæ occeperunt sibi esse in mundo malum
Quidquid est, eloquere. *Le.* Magna 'st præda cum magno malo.
Li. Siquidẽ omnes coniurati cruciamenta conferant,
Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quæram foris.
Le. Si istã firmitudinẽ animi obtinea, salvi sumus.
Li. Quin, si tergo res solvenda 'st, rapere cupio publicum:
Pernegabo atque obdurabo; periurabo denique.
Le. Hem! ista virtus est, quando usu 'st, qui malum fert fortiter.
Fortiter malũ qui patitur, idem post patitur bonũ.
Li. Quin rem actutum edisseris? cupio malum nanciscier.
Le. Placide ergo unumquidque derogita, ut acquiescam. Non vides
Me ex cursura anhelitum etiam ducere? *Li.* Age, age, mansero
Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris. *Le.* Ubinam est herus?
Li. Maior apud forum 'st, minor hic est intus. *Le.* Iam satis est mihi.
Li. Tum igitur tu dives es factus? *Le.* Mitte ridicularia.
Li. Mitto. Istud, quod affers, aures exspectant meæ.
Le. Animum advorte, ut æque mecum hæc scias *Li.* Taceo. *Le.* Beas.
Meministin' asinos Arcadicos mercatori vendere

Pellæo nostrum atriensem?
Li. Memini. Quid tum postea?
Le. Hem! ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureæ
Pro asinis. Adolescens venit modo, qui id argentum attulit.
Li. Ubi is homo 'st?
Le. Iam devorandum censes, si conspexeris?
Li. Ita enimvero. Sed tamen tu nempe eos asinos prædicas
Vetulos, claudos, quibus subtritæ ad femina iam erant ungulæ.
Le. Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.
Li. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. *Le.* Memor es probe.
Verum, in tonstrina ut sedebā, me infit percontarier,
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me novisse extemplo, et me eius servō prædico
Esse, et ædeis demonstravi nostras.
Li. Quid tum postea?
Le. Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureæ,
Viginti minas; sed eum sese non novisse hominem qui (siet.
Ipsum vero se novisse callide Demænetum.
Quoniam ille elocutus hæc sic... *Li.* Quid tum?
Le. Ausculta ergo; scies.
Extemplo facio facetum me, atque magnificum virū;
Dico med esse atriensem. Sic hoc respondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, neque, qua facie sit, scio:
Te non æquum 'st succensere. Si herū vis Demænetū,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturū, et me domi præsto fore.
Ille in balineas iturū 'st; inde huc veniet postea.
Quid nunc consilii captandum censes? dic.
Li. Hem! istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, et adventorem, et Sauream.
Iam hoc opus est exasciatū: nam, si ille argentū prius
Hospes huc affert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solū, seorsū ab ædibus:
Mihi tibique interminatu 'st, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minæ.
Iussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam,
Defraudare: dixit sese operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, et narra, hæc ut nos acturi sumus:
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum afferat mercator pro asinis.
Le. Faciam, uti iubes.
Li. Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte advenerit.
Le. Quid ais? *Li.* Quid vis?
Le. Pugno malam si tibi percussero,
Mox cum Sauream imitabor, caveto ne succenseas.
Li. Hercle, vero, tu cavebis, ne me attigas. Si me tagis,
Næ, hodie malo cum auspicio nomen commutaveris.
Le. Quæso, æquo animo patitor.
Li. Patitor tu item, cum ego te referiam.
Le. Dico, ut usu 'st fieri.
Li. Dico, hercle, ego quoque, ut facturus sum.
Le. Ne nega. *Li.* Quin promitto, inquam, hostire contra, ut merueris.
Le. Ego abeo: tu, iam scio, patiere. Sed quis hic est? is est;
Ille est ipsus. Iam ego recurro huc. Tu hunc interea hic tena.
Volo seni narrare.
Li. Quin tuum officium facis ergo, ac fugis?

Scena III. *Mercator, Libanus.*

M. Ut demonstratæ sunt mihi, hasce ædeis esse oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta;
Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.
L. Quis nostras sic frangit fores? ohe! inquam, siquid audis.
M. Nemo etiam tetigit. Sanusne es?
L. At censebam attigisse,
Propterea, huc quia habebas iter. Nolo ego fores, conservas meas,
A te verberarier. Sane ego sū amicus nostris ædibus
M. Pol, haud periclum 'st, cardines ne foribus effringantur, (debis.
Si istoc extemplo tu omnibus, qui quærunt, respon-
L. Ita hæc morata 'st ianua: extemplo ianitorem
Clamat, procul siquem videt ire ad sese calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas?
M. Demænetum volebam.
L. Si sit domi, dicam tibi. *M.* Quid? eius atriensis?
L. Nihilo mage intus est. *M.* Ubi est?
L. Ad tonsorem ire dixit.
M. Quum venisset, post non rediit?
L. Non, edepol. Quid volebas?
M. Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
L. Qui pro istuc?
M. Asinos vendidit Pellæo mercatori
Mercatu. *L.* Scio. Tu id nunc refers. Iam hic credo eum affuturum.
M. Qua facie voster Saurea 'st? Si is est, iam scire potero.
L. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.
M. Non potuit pictor rectius describere eius formā.
Atque hercle ipsum adeo contuor, quassanti capite incedit.
L. Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit,
Siquidem hercle Æacidinis minis animisque expletus incedit.
M. Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

Scena. IV. *Leonida, Mercator, Libanus.*

Le. Quid hoc sit negoti? neminem meum dictum magnifacere?
Libanū in tonstrinā ut iusserā venire, is nullus venit.
Næ ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore.
M. Nimis imperiosu 'st. *Li.* Væ mihi hodie!
Le. Salvere iussi
Libanum libertum! iam manu emissus?
Li. Obsecro te.
Le. Næ, tu hercle cum magno malo mihi obviam occessisti.
Cur non venisti, ut iusseram, in tonstrinam?
Li. Hic me moratu 'st.
Le. Siquidem hercle nunc summum Iovem te dicas detinuisse,
Atque is precator assiet, malā rem effugies nunquā.
Tu, verbero, imperium meum contemsisti?
Li. Perii! hospes!
M. Quæso hercle noli, Saurea, mea causa hunc verberare.
Le. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit!
M. Quiesce, quæso.
Le. Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.
Abscede, et sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit,
Cuinunquam unā rem me licet semel præcipere furi,

Quin centies eadem imperem, atque ogganniam: itaque iam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Iussin', sceleste, ab ianua hoc stercus hinc auferri?
Iussin' columnis deiici operas aranearum?
Iussin' in splendorē dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tamquam si claudus sim, cum fusti 'st ambulandum.
Quia, triduum hoc unum modo, foro operam assiduam dedi,
Dum reperiā qui quæritet argentū in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi; atque herus in hara, haud ædibus, habitat.
Hem ergo hoc tibi! *Li.* Hospes, te obsecro, defende.
M. Saurea, oro,
Mea causa ut mittas.
Le. Eho! ecquis pro vectura olivi
Resolvit? *Li.* Resolvit. *Le.* Cui datum 'st?
Li. Sticho, vicario ipsi
Tuo. *Le.* Vah! delenire apparas. Scio mihi vicarium esse,
Neque eo esse servom in ædibus heri, qui sit pluris quam ille sit.
Sed vina quæ heri vendidi vinario Exærambo,
Iam pro iis satisfecit Sticho? *Li.* Fecisse satis opinor:
Nam vidi huc ipsū adducere trapezitam Exærambū.
Le. Sic dedero: prius quæ credidi, vix anno post exegi.
Nunc satagit: adducit domum etiam ultro, et scribit nummos.
Dromo mercedem retulit?
Li. Dimidio minus opinor.
Le. Quid reliquum? *Li.* Aibat reddere, quam extemplo redditum esset:
Nam retineri, ut, quod sit sibi operis, efficeret, locatū.
Le. Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulitne?
Li. Non etiam. *Le* Hem! non? si velis, da, commoda homini amico.
M. Perii, hercle! Iam hic me abegerit suo odio.
Li. Heus! iam satis tu?
Audin' quæ loquitur? *Le.* Audio, et quiesco.
M. Tandem, opinor
Conticuit. Nunc adeam optumum 'st, priusquam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das?
Le. Ehem! optume: quamdudum tu advenisti?
Non hercle te provideram. Quæso, ne vitio vertas;
Ita iracundia obstitit oculis.
M. Non mirum factum 'st.
Sed, si domi 'st, Demænetum volebam.
Le. Negat esse intus.
Verum istuc argentū tamen mihi si vis denumerare,
Repromittam, istoc tibi nomine solutam rem futurā.
M. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præsente reddā.
Li. Herus istunc novit, atque herum hic.
M. Hero huic præsente reddam.
Li. Da modo meo periculo; rem salvam ego exhibebo:
Nam, si sciat noster senex fidem non esse huic habitā,
Succenseat, cui omnium rerum ipsus semper credit.
Le. Non magni pendo: ne duit, si non volt. Sic sine astet.
Li. Da, inquam. Vah! formido miser, ne hic me tibi arbitretur
Suasisse, sibi ne crederes. Da, quæso, ac ne formida:
Salvum hercle erit.
M. Credam fore, dum quidem ipse in manu habeo.
Peregrinus ego sum: Sauream non novi.
Li. At nosce sane.
M. Sit, non sit, non edepol scio. Si is est, eum esse oportet.
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.
Le. Hercle, istum Dii omnes perduint! verbo cave supplicassis.
Ferox est, viginti minas meas tractare sese.
Nemo accipit! aufer te domum; abscede hinc; molestus ne sis.
M. Nimis iracunde. Non decet superbum esse hominem servum.
Li. Malo hercle iam magno tuo nunc isti nec recte dicis.
Impure, nihili, non vides irasci? *Le.* Perge porro.
Flagitium hominis!
Li. Da, obsecro, argentum huic, ne male loquatur.
M. Malum hercle vobis quæritis.
Le. Crura hercle diffringentur,
Ni istum impudicum percies.
Li. Perii, hercle! Age, impudice,
Sceleste! non audes mihi scelesto subvenire?
Le. Pergin' precari pessumo?
M. Quæ res? tun' libero homini
Male servus loquere? *Le.* Vapula.
M. Id quidem tibi, hercle, fiet,
Ut vapules, Demænetum simul ac conspexero hodie.
In ius voco te. *Le.* Non eo.
M. Non is? memento. *Le.* Memini.
M. Dabitur, pol, supplicium mihi de tergo vestro
Le. Væ, te!
Tibi quidem supplicium, carnufex, de nobis detur?
M. Atque et iam,
Pro vestris dictis maledictis, pœnæ pendentur mihi hodie.
Le. Quid, verbero? ain' tu, furcifer: herum nosmet fugitare censes?
I nunc iam ad herum, quo vocas iamdudum; quo volebas.
M. Nunc demum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare iusserit Demænetus.
Le. Ita facito. Age, ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum quam tu. *M.* Scilicet ita res est.
Le. Sequere hac ergo.
Præfiscini hoc nunc dixerim, nemo etiā me accusavit
Merito meo, neque me Athenis est alter hodie quisquam,
Cui credi recte æque putent.
M. Fortassis: sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini; non homo, quum, qualis sit, non novit.
Le. Iam nunc secunda mihi facis. Scibam huic te capitulo hodie
Facturum satis pro iniuria. Quamquam ego sum sordidatus;
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.
M. Fortasse!
Le. Etiam nunc dico: Periphanes, Rhodo mercator
Dives, absente hero, solus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, et mihi credidit, neque deceptus in eo.
M. Fortasse! *Le.* Atque etiam tū quoque ipse, si esses percontatus
Me ex aliis, scio, pol, crederes nunc quod fers.
M. Haud negassim.

Actus III. Scena I. *Cleæreta, Philenium.*

C. Nequeon' ego te interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies?
P. Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
C. An decorum 'st adversari meis te præceptis?
P. Quid est?
C. Hoccine est pietatē colere, matris imperium minuera?
P. Neque, quæ recte faciunt, culpo; neque, quæ delinquunt, amo.
C. Satis dicacula es amatrix.
P. Mater, is quæstu 'st mihi:
Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
C. Ego te volui castigare; tu mi accusatrix ades.
P. Neque, edepol, te accuso, neque id me facere fas existumo.
Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem amo, prohibeor.
C. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi?
P. Et meam partem loquendi, et tuam, trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum, tute habeas portisculum.
Quin, pol si reposivi remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi.
C. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?
Quoties te vetui Argyrippum, filium Demæneti,
Compellare aut contrectare, colloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari iussit ad nos? An tu tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis?
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi iubes.
Illos qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si moriatur mater sua? (tur,
Ecastor, nobis periculū magnū et familiæ portenditu eius exspectamus mortē, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo, nisi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille, ecastor, hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summu 'st apud me inopiæ excusatio.
P. Patiar, si cibo carere me iubeas, mater mea.
C. Non veto ted amare, qui dant, quā amentur gratia.
P. Quid si hic animus occupatu 'st, mater? quid faciam? mone. *C.* Hem!
Meū caput contemples, si quidē ex re consultas tua.
P. Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oveis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo.
C. Intro abi: nam te quidem, edepol, nihil est impudentius.
P. Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

Scena. II. *Leonida, Libanus.*

Le. Perfidiæ laudes gratiasque habemus merito magnas,
Quum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
Q[illegible] orsum stimulos, laminas, crucesque, compe[illegible]que,
[illegible]as, carceres, numellas, pedicas, boias,
[illegible]] acerrimos, guarosque nostri tergi,
Qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt;
Eæ nunc legiones, copiæ, exercitusque eorum,
Vi pugnando, periuriis nostris, euge, potiti.
Id virtute huius collegæ, meaque comitate
Factum 'st.
Li. Qui me vir fortior est ad sufferendas plagas?
Le. Edepol, virtutes qui tuas nunc possit collaudare,
Sicut ego possim, quæ domi duellique male fecisti.
Næ, illa, edepol, pro merito nunc tuo memorari multa possunt:
Ubi fidentem fraudaveris; ubi hero infidelis fueris;
Ubi verbis conceptis sciens libenter periuraris;
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus,
Ubi sæpe causam dixeris pendens adversus octo
[Astutos,] audaces viros, valentes virgatores.
Li. Fateor, profecto, ut prædicas, Leonida, esse vera.
Verum, edepol, næ, etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et vero possunt: ubi sciens fideli infidus fueris;
Ubi prehensus in furto sies, et manifesto verberatus;
Ubi periuraris; ubi sacro manus sis admolitus;
Ubi heris damno, molestiæ, et dedecori, sæpe fueris;
Ubi, creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris;
Ubi amicæ, quam amico tuo, fueris magis fidelis;
Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores, ulmeis affectos lentis virgis.
Num male relata 'st gratia? ut collegam collaudavi!
Le. Ut meq; teq; maxume atq; ingenio nostro decuit.
Li. Iam omitte ista; atque hoc, quod rogo, responde.
Le. Rogita quod vis.
Li. Argenti viginti minas habesne? *Le.* Hariolare.
Edepol, senem Demænetum lepidum fuisse nobis.
Ut assimulabat Sauream med esse, quam facete!
Nimis ægre risū continui, ubi hospitem inclamavit,
Quod, se absente, mihi fidem habere noluisset.
Ut memoriter me Sauream vocabat atriensem!
Li. Mane dum. *Le.* Quid est?
Li. Philenium estne hæc, quæ intus exit,
Atque Argyrippus una?
Le. Opprime os: is est: etiam subauscultemus.
Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. Quidnam esse dicam?
Tacite auscultemus.
Li. Attate! modo, hercle, in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. *Le.* Quoi rei?
Li. Qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.

Scena. III.
Argyrippus, Philenium, Libanus, Leonida.

A. Cur me retentas? *P.* Quia tui amans abeuntis egeo.
A. Vale.
P. Aliquando amplius valerem, si hic maneres.
A. Salve.
P. Salvere me iubes, quoi tu abiens affers morbum.
A. Mater supremū mihi tua dixit, domum ire iussit.
P. Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.
Li. Homo, hercle, hinc exclusu'st foras.
Le. Ita res est. *A.* Mitte, quæso.
P. Quo nunc abis? quin tu hic manes?
A. Nox, si voles, manebo.
Li. Audin' hunc? opera ut largus est nocturna? nunc enim est
Negotiosus interdius: videlicet [Solon est,]
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat. Gerræ
Qui sese parere apparent huius legibus, profecto
Nunquam bonæ frugi sient, dies noctesque potent.

Le. Nœ, iste, hercle, ab ista non pedem discedat, si licessit,
Qui nunc festinat, atque ab hac minatur sese abire.
Li. Sermoni iam finem face tuo: huius sermonem accipiam.
A. Vale. *P.* Quo properas?
A. Bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me, iam quantum potest, a vita abiudicabo.
P. Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas?
A. Ego te? quam si intelligam deficere vita, iam ipse
Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam.
P. Cur ergo minitaris tibi, te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis, faxis?
Mihi certum 'st, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.
A. O! melle dulci dulcior mihi tu es.
P. Certe enim tu vita es
Mihi. Complectere. *A.* Facio lubens.
P. Utinam sic efferamur!
Le. O Libane! ut miser est homo qui amat!
Li. Immo, hercle, vero,
Qui pendet, multo est miserior.
Le. Scio, qui periculum feci.
Circumsistamus: alter hinc, hinc alter, appellemus.
Li. Here salve. Sed num fumus est hæc mulier, quam amplexare?
A. Qui dum?
Li. Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.
A. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.
Li. Equidem, hercle, nullum perdidi, ideo quia nunquam ullum habui.
Le. Philenium, salve.
P. Dabunt Dii, quæ velitis, vobis.
Li. Noctē tuam et vini cadum velim, si optata fiant.
A. Verbum cave faxis, verbero!
Li. Tibi equidem, non mihi, opto.
A. Tum tu igitur loquere quod lubet.
Li. Hunc, hercle, verberare.
Le. Quisnam istuc accredat tibi, cinæde calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
A. Ut vostræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe,
Qui hodie nunquam ad vesperum vivam!
Li. Quapropter, quæso?
A. Quia ego hanc amo et hæc me amat: huic quod ego dem, nusquam quidquam 'st.
Hinc med amantem ex ædibus delegit huius mater.
Argenti viginti minæ me ad mortem appulerunt,
Quas hodie adolescens Diabolus ipsi daturus dixit:
Ut hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc annum totum.
Videtin', viginti minæ quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvus est: ego, qui non perdo, pereo.
Li. Iam dedit argentum? *A.* Non dedit.
Li. Bono animo es; ne formida.
Le. Secede huc, Libane: te volo.
Li. Si quid vis. *A.* Obsecro vos:
Eadem istac opera suavius est complexos fabulari.
Li. Non omnia eadem æque omnibus, here, suavia esse scito:
Vobis est suave amantibus complexos fabulari:
Ego complexum huius nil moror.
Le. Meum autem hæc aspernatur.
Proinde istud facias ipse, quod faciamus, nobis suades.
A. Ego vero, et quidem edepol lubens. Interea, si videtur,
Concedite istuc. *Le.* Vin' herum deludi?
Li. Dignu 'st sane.
Le. Vin' faciam ut me Philenium, præsente hoc, amplexetur?
Li. Cupio, hercle. *Le.* Sequere hac.
A. Ecquid est salutis? Satis locuti.
Le. Auscultate, atque operam date, et mea dicta devorate.
Primum omnium, servos tuos nos esse non negamus:
Sed, si tibi viginti minæ argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? *A.* Libertos.
Le. Non patronos?
A. Id potius.
Le. Viginti minæ hic insunt in crumina.
Has ego, si vis, tibi dabo.
A. Dii te servassint semper,
Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amorisque imperator!
Hic pone, hic istam colloca cruminam in collo plane.
Le. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere.
A. Quin tu labore liberas te, atq; istā imponis in me.
Le. Ego baiulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.
A. Quid nunc? quid est? quin tradis huc crumina pressatum herum?
Le. Hanc, cui daturus hanc, iube petere, atque orare mecum.
Nā istuc proclive 'st, quod iubes, me plane collocare.
P. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi; ne nos deiunge amantis.
Le. Dic igitur me tuū passerculū, gallinā, coturnicē;
Agnellum, hœdillum me tuum dic esse, vel vitellum:
Prehende auriculis; compara labella cum labellis.
A. Ten' osculetur, verbero?
Le. Quam vero indignum visum 'st!
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
A. Quidvis egestas imperat: fricentur. Da nunc, quod oro.
P. Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutē.
Redime istoc beneficio te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento.
Le. Nimis bella es, atque amabilis: et, si hoc esset meum, hodie
Nunquā me orares quin darē; illū te orare melius 'st:
Illic hanc mihi servandam dedit. I sane bella belle.
Cape hoc sis, Libane. *A.* Furcifer, etiam me delusisti?
Le. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Agesis, tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc.
Li. Taceas; me spectes.
A. Quin ad hunc, Philenium, aggredimur,
Virū quidem pol optumū, et non similē furis huius?
Li. Inambulandū 'st: nunc mihi vicissī supplicabunt.
A. Quæso, hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari,
Da mi istas viginti minas. Vides me amantem egere.
Li. Videbitur; factum volo. Redito huc conticinio.
Nunc istanc tantisper iube sis petere atq; orare mecū.
P. Amandone exorarier vis te, an osculando?
Li. Enimvero utrumque.
P. Ego obsecro te, et tu utrumque nostrum serva.
A. O Libane, mi patrone! mihi trade istuc. Magis decorum 'st,

Libertū potius, quam patronū, onus in via portare.
P. Mi Libane, ocellus aureus, donū decusq; amoris!
Amabo, faciam quod voles; da istuc argentum nobis.
Li. Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum,
Hirundinem, monedulam, putillum, passerillum.
Fac proserpentē bestiā me, duplicē ut habeā linguam.
Circumdatoq; me brachiis; meū collū circumplecte.
A. Ten' complectatur, carnufex?
Li. Quam vero indignus videor!
Ne istuc nequidquā dixeris tam indignū dictū in me,
Vehes pol hodie me, siquidē hoc argentū ferre speres.
A. Ten' ego veham? *Li*. Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?
A. Perii, hercle! Si verū quidē est, herū vehere servō,
Inscende. *Li*. Sic isti solent superbi subdomari.
Asta igitur, ut consuetus es puer olim: scin' ut dicā?
Hem sic: abi: laudo: nec te equo magis est equus ullus sapiens.
A. Inscende actutum. *Li*. Ego fecero. Hem! quid istuc est? ut tu incedis!
Demam hercle iam de hordeo, tolutim ni badizas.
A. Amabo, Libane, iam sat est.
Li. Nunquam hercle hodie exorabis.
Nam iam calcari quadrupedē agitabo advorsū clivū;
Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.
Asta, ut descendam nunc iam in proclivi, quamquam nequam es.
A. Quid nunc? Quoniam ambo, ut est libitum, nos ambo delusistis,
Datisne argentum? *Li*. Siquidem mihi statuam et aram statuis,
Atque, ut Deo, mihi hic immolas bovem: nam ego tibi Salus sum.
Le. Etiam tu, here, istunc amoves abs te, atque ipse me aggredire?
Atque illa, sibi quæ hic iusserat, mihi statuis, supplicasque?
A. Quem te autem Deum nominem?
Le. Fortunam, atque Obsequentem.
A. Iam istoc es melior. *Li*. An quid est olim homini salute melius?
A. Licet laudem Fortunā, tamen, ut ne Salutē culpē.
P. Ecastor, ambæ sunt bonæ.
A. Sciam, ubi boni quid dederint.
Le. Opta id, quod ut contingat tibi, vis.
A. Quid si optaro? *Le*. Eveniet.
A. Opto, annū hunc perpetuum, mihi huius operas.
Le. Impetrasti.
A. Ain' vero? *Le*. Certe, inquam.
Li. Ad me adi vicissim, atque experire.
Exopta id, quod vis maxume tibi evenire; fiet.
A. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, quoius inopia 'st,
Viginti argenti commodas minas, huius quas dem matri.
Li. Dabuntur: animo sis bono face; exoptata obtingent.
A. Ut consuevere, homines Salus frustratur et Fortuna.
Le. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
Li. Ego pes fui.
A. Quin nec caput nec pes sermonum apparet.
Nec, quid dicatis, nec me cur ludatis, scire possum.
Li. Satis iam delusum censeo; nunc rem, ut est, eloquamur.
Animum, Argyrippe, adverte sis. Pater nos ferre hoc iussit
Argentum ad te *A*. Ut tempore opportuneq; attulistis!
Li. Hic inerunt viginti minæ bonæ, mala opera partæ:
Has tibi nos pactis legibus dare iussit.
A. Quid id est, quæso?
Li. Noctem huius et cœnam sibi ut dares.
A. Iube advenire, quæso.
Meritissumo eius, quæ volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos compulit. *Le*. Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum?
A. Hæc facile faciet, ut patiar.
Leonida, curre, obsecro: patrem huc orato ut veniat.
Li. Iamdudum 'st intus.
A. Hac quidem non venit. *Li*. Angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis se videret
Huc ire familiarium Ne uxor resciscat, metuit.
De argento, si mater tua sciat ut sit factū... *A*. Heia!
Benedicite. Ite intro cito. Valete. *Le*. Et vos amate.

ACTUS IV. SCENA. I. *Diabolus, Parasitus.*

D. Agedum, istum ostende, quem conscripsti syngraphum,
Inter me et amicam et lenam: leges perlege:
Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.
P. Horrescet faxo lena, leges quum audiet.
D. Age, quæso, mi, hercle, translege.
P. Audin'? *D*. Audio.
P. Diabolus, Glauci filius, Clearetæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut secum esset noctes et dies
Hunc annū totū. *D*. Neque cū quiquam alio quidem.
P. Addone? *D*. Adde: et scribas, vide, plane et probe.
P. Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronū.... *D*. Neminem.
P. Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet,
Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi.
In foribus scribat, occupatam esse se.
Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam,
Ne epistola quidem ulla uspiam sit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula: et, si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat: ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit, comburas, si velis.
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Vocet convivam neminem illa; tu voces.
Ad eorum ne quem oculus adiiciat suos.
Si quem alium adspexit, cœca continuo siet.
Tecum una postea æque pocula potitet.
Abs ted accipiat; tibi propinet; tu bibas. (placet
Ne illa minus aut plus, quam tu, sapiat. *D*. Satis
P. Suspiciones omnes abs se segreget;
Neque illæc ulli pede pedem homini premat.
Cum surgat, neque in lectum inscendat proxumum
Neque, cum descendat, inde det cuiquam manum:
Spectandum ne cuiquam annulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoveat, nisi tibi.
Cum iaciat, Te ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam,
Deum nullum. Si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat;
Post, si lucerna exstincta est, nequid sui (mum 'st:
Membri commoveat quidquā in tenebris. *D*. Optu-
Ita scilicet facturam: verum in cubiculo
Deme istuc: equidem illam moveri gestio.
Nolo habere illam causam, et vetitam dicere.
P. Scio, captiones metuis. *D*. Verum.
P. Ergo, ut iubes,

Tollā. *D.* Quidui? *P.* Audi reliqua. *D.* Loquere; au- (dio.
P. Neque ullum verbum faciat perplexabile,
Neque ulla lingua sciat loqui nisi Attica.
Forte si tussire occœpsit, ne sic tussiat,
Ut cuiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam cuiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Nec ulli verbo male dicat. Si dixerit,
Hæc multa ei esto, vino viginti dies
Ut careat. *D.* Pulchre scripsti: scitum syngraphum!
P. Tum, si coronas, serta, unguenta iusserit
Ancillam ferre suam Veneri aut Cupidini,
Tuus servus servet, Venerine eas det, an viro.
Si forte pure velle habere dixerit,
Tot noctes reddat sporcas, quot puras habuerit.
Hæc sunt non nugæ; non enim mortualia.
D. Placent profecto leges. Sequere intro. *P.* Sequor.

SCENA II. *Diabolus, Parasitus.*

D. Sequere hac. Egon' hæc patiar? aut taceam? emori
Me malim, quam hæc non eius uxori indicem.
Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli
Fungare; uxori excuses te, et dicas senem?
Præripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenæ? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendas potius me, quam tacita tu hæc auferas.
Iam quidē, hercle, ad illā hinc ibo, quā tu propediem
Nisi quidem illa ante occupassit te, efflige, scio,
Luxuriæ sumtus suppeditare ut possies.
P. Ego sic faciendum censeo. Me honestiu 'st,
Quam te, palam hanc rem facere, ne illa existumet
Amoris causa percitum id fecisse te,
Magis quam sua causa. *D.* At pol quin dixti rectius.
Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias,
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare. *P.* Iam, ne me mone,
Ego istuc curabo. *D.* At ego te opperiar domi.

ACTUS V. SCENA I. *Argyrippus, Demænetus.*

A. Agedum, decumbamus sis, pater. *D.* Ut iusseris,
Mi gnate, ita fiet. *A.* Pueri, mensam apponite.
D. Numquidnam tibi molestum 'st, gnate mi, si hæc nunc mecum accubat?
A. Pietas, pater, oculis dolorem prohibet. Quamquam ego istanc amo,
Possum equidem inducere animum, ne ægre patiar, quia tecum accubat.
D. Decet verecundum esse adolescentem, Argyrippe.
A. Edepol, pater.
Merito tuo facere possum.
D. Age ergo, hoc agitemus convivium
Vino et sermone suavi. Nolo ego metui: amari mavolo,
Mi gnate, me abs te.
A. Pol, ego utrumque facio, ut æquum 'st filium.
D. Credam istuc, si esse te hilarum videro.
A. An tu esse me tristem putas?
D. Putem ego? quem videam æque esse mœstum, ut quasi dies si dicta sit.
A. Ne dixis istuc.
D. Ne sic fueris; illico ego non dixero.
A. Hem! aspecta: rideo.
D. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant!
A. Scio equidem quamobrem me, pater, tu tristem credas nunc tibi;
Quia istæc est tecum. Atque ego quidem hercle ut verum tibi dicam, pater,
Ea res male habet: ac non eo, quia tibi non cupiam quæ velis:
Verum istam amo: aliam tecum esse equidem facile possim perpeti.
D. At ego hanc volo. *A.* Ergo sunt, quæ exoptas: mihi, quæ ego exoptem, volo.
D. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.
A. Hem! istoc me facto tibi devinxti.
D. Quin te ergo hilarum das mihi?

SCENA II. *Artemona, Parasitus, Demænetus, Argyrippus, Philenium.*

Art. Ain' tu, meum virum hic potare, obsecro, cum filio?
Et ad amicā detulisse argenti viginti minas?
Meoque filio sciente, id facere flagitium patrem?
Pa. Neque divini, neque mi humani posthac quidquam accreduas,
Artemona, si huius rei me esse mendacem inveneris.
Art. At scelesta ego præter alios meū virum fui rata
Siccū, frugi, continentē, amantem uxoris maxime.
Pa. At nunc dehinc scito, illum ante omnes minimi mortalem preti,
Madidum nihili, incontinentem atque osorem uxoris suæ.
Art. Pol ni vera ista essent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.
Pa. Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus.
Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicā ductet decrepitus senex.
Art. Hoc ecastor est, quod ille it ad cœnam cotidie.
Ait sese ire ad Archidemum, Chæreā, Chærestratū,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem.
Is apud scortum corruptelæ et liberis lustris studet.
Pa. Quin tu illum iubes ancillas rapere sublimem domum?
Art. Tace modo næ, illum ecastor miserum habebo.
Pa. Ego istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.
Art. Ego censeo
Eum etiam hominem aut in senatu dare operam, aut clientibus:
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille opere foris faciundo lassus, noctu advenit:
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam corruptus, porro suum corrumpit filium.
Pa. Sequere hac me modo; iam faxo ipsum hominem manifesto opprimas.
Art. Nihil ecastor est quod facere mavelim.
Pa. Mane dum. *Art.* quid est?
Pa. Possis, si forte accubantem tuum virum conspexeris,
Cum corona amplexum amicā, si videas, cognoscere?
Art. Possum ecastor. *Pa.* Hem tibi hominem.
Art. Perii. *Pa.* Paulisper mane.
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.
Arg. Quid modi, pater, amplexandi facies?
D. Fateor, gnate mi.
Arg. Quid fatere?
D. Me ex amore huius corruptum oppido.
Pa. Audin' quid ait? *Art.* Audio.
D. Egon' ut non domo uxori meæ

Surripiam, in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci possum vita uxoris annua.
Pa. Censeu' tu illum hodie primum ire assuetum esse in ganeum?
Art. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar atque insontis miseras cruciabam.
Arg. Pater,
Iube dare vinum: iamdudum factum 'st, quum primum bibi.
D. Da, puere, ab summo. Age tu interibi ab infimo da suavium.
Art. Perii misera! ut osculatur carnufex, capuli decus!
D. Edepol animam suaviorem aliquanto quam uxoris meæ.
Ph. Dic amabo, an fœtet anima uxoris tuæ?
D. Nauteam
Bibere malim, si necessum 'st, quã illam oscularier.
Art. Miser ecastor es. *Pa.* Mecastor dignus est.
Arg. Quid ais, pater?
Art. Ain' tandem? edepol næ tu istuc cum malo magno tuo
Dixisti in me: sine! venias modo domum, faxo ut scias
Quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.
Arg. Ecquid matrem amas?
D. Egone? illam nunc amo quia non adest.
Arg. Quid, quom adest? *D.* periisse cupio.
Pa. Amat homo hic te, ut prædicat.
Art. Næ ille ecastor fœnerato funditat: nam si domum,
Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissimum.
Arg. Iace, pater, talos, ut porro nos iaciamus.
D. Maxume.
Te, Philenium, mihi, atque uxori mortem: hoc Venerium 'st.
Pueri plaudite, et mihi ob iactum cantharo mulsum date.
Art. Non queo durare. *Pa.* Si non didicisti fullonicã,
Non 'st mirandũ. In oculos invadi nunc est optumũ.
Art. Ego pol vivam, et tu isthæc hodie cum tuo magno malo
Invocavisti. *Pa.* Ecquis currit pollinctorẽ arcessere?
Arg. Mater, salve. *Art.* Sat saluti 'st.
Pa. Mortuu 'st Demænetus.
Tempus est subducere hinc me: pulchre hoc gliscit prœlium.
Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque, interea ut decumbamus, suadebo, hi dum litigant.
Post, cum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Ei det, in parte, hac amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari spero poterit, ut sinat
Sese alternas cum illo noctes hac frui: nam, ni impetro,
Regem perdidi: ex amore tantum 'st homini incendium.
Art. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?
Ph. Pol, me quidem
Miseram odio enicavit. *Art.* Surge, amator; i domũ.
D. Nullus sum. *Art.* Immo es, ne nega, omnium, pol, nequissimus.
At etiam cubat cuculus. Surge, amator; i domum.
D. Væ mihi!
Art. Vera hariolare. Surge, amator: i domum.
D. Abscede ergo paululum istuc.
Art. Surge, amator: i domum.
D. Iam, obsecro, uxor.
Art. Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo, quum dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.
D. Totus perii!
Art. Quid tandem? anima fœtetne uxoris tuæ?
D. Murrham olet.
Art. Iam surripuisti pallam, quam scorto dares?
Arg. Ecastor, quin surrepturum pallã promisit tibi.
D. Non taces? *Arg.* Ego dissuadebam, mater.
Art. Bellum filium!
Istoscine patrem æquom 'st mores liberis largirier?
Nilue te pudet?
D. Pol, si aliud nihil sit, tui me, uxor, pudet.
Art. Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit!
D. Non licet manere (cœna coquitur) dum cœnem modo?
Art. Ecastor, cœnabis hodie, ut te dignum 'st, magnum malum.
D. Male cubandum 'st: iudicatum me uxor abducit domum.
Arg. Dicebam, pater, tibi, ne matri consuleres male.
Ph. De palla memento, amabo.
D. Iuben' hanc hinc abscedere?
Ph. Immo intus potius: sequere hac me, mi anime.
D. Ego vero sequor.
Art. I domum. *Ph.* Da savium etiã prius quam abis.
D. I in crucem.

GREX.

Hic senex si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup',
Neque novum neque mirum fecit, nec secus quam alii solent.
Nec quisquam 'st tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene.
Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet,
Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.

AULULARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

Lar, *prologus.*	Congrio, Anthrax, *coci.*
Euclio, *senex.*	
Staphyla, *anus.*	Pythodicus, *servus.*
Eunomia, *mulier.*	Lyconides, *adolescens*
Megadorus, *senex.*	Phædra, *puella.*
Strobilus, *geminus servus.*	

Argumentum (Prisciani?)

Aulam repertam auri plenam Euclio
Vi summa servat; miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Vult hanc Megadorus indotatam ducere.
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio; abstrudit foris:
Reque omni inspecta, compressoris servulus
Id surpit. Illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, et filio.

Prologus. *Lar Familiaris.*

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum Familiaris ex hac familia,
Unde exeuntem me aspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est quom possideo, et colo
Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet.

Sed mihi avus huius obsecrans concredidit
Thesaurum auri clam omneis: in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is [quoniam] moritur, ita avido ingenio fuit,
Nunquam indicare id filio voluit suo:
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum commonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Quo cum labore magno, et misere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi observare, ecqui maiorem filius
Mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire honoribus.
Item a me contra factum 'st: nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avusque huius fuit.
Huic filia una est: ea mihi cotidie
Aut thure aut vino, aut aliqui, semper supplicat:
Dat mihi coronas. Eius honoris gratia,
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nuptum, si vellet, daret.
Nam compressit eam de summo adolescens loco.
Is scit adolescens, quæ sit, quam compresserit:
Illa illum nescit, neque compressam autem pater.
Eam, ego hodie faciam, ut, hic senex de proximo
Sibi uxorem poscat. Id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat.
Et hic, qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adolescentis illius est avunculus,
Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex iam clamat intus, ut solet.
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere volt, ne surreptum siet.

ACTUS I. SCENA I. *Euclio, Staphyla.*

E. Exi, inquam! age, exi! exeundum, hercle, tibi
hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
S. Nam cur me miseram verberas? *E.* Ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.
S. Nam qua me nunc causa extrusisti ex ædibus?
E. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio; illuc sis. Vide, ut
Incedit! at scin' quo modo tibi res se habet?
Si hodie, hercle, fustem cepero aut stimulū in manū,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
S. Utinam me Divi adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam.
E. At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos, hercle, ego istos, improba, effodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede: etiam nunc: etiam nunc: etiam: ohe!
Istic adstato. Si, hercle, tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo, hercle, ego te dedam discipulam cruci.
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam: nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum;
Quæ in occipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo, ut visam, estne ita aurum ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
S. Nec nunc, mecastor, quid hero ego dicam meo
Malæ rei evenisse, quamve insaniam,
Queo comminisci; ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
Nescio, pol, quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius,
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
Neque iam, quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminisci: neque quidquam meliu'st mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

SCENA II. *Euclio, Staphyla.*

E. Nunc defæcato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi nunc iam intro, atque intus serva. *S.* Quippini
Ego intus servem? an, ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus:
Ita inanitis sunt oppletæ atque araneis.
E. Mirum quin tua nunc me causa faciat Iupiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum, fateor, patior: quod Dii dant, fero.
Abi intro, occlude ianuam. Iam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in ædis intromiseris.
Quod quispiam ignem quærat, extingui volo,
Ne causæ quid sit, quod te quisquam quæritet:
Nam, si ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse; atque abstulisse, dicito.
Profecto in ædes meas, me absente, neminem
Volo intromitti; atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
S. Pol, ea ipsa, credo, ne intromittatur, cavet:
Nam ad ædis nostras nusquam adiit, quamquam
prope 'st.
E. Tace, atque abi intro. *S.* Taceo, atque abeo.
E. Occlude sis
Fores ambobus pessulis. Iam ego hic ero.
Discrucior animi, quia ab domo abeundum 'st mihi.
Nimis, hercle, invitus abeo: sed, quid agam, scio.
Nam noster nostræ qui est magister curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id si relinquo, ac non peto, omnes illico
Me suspicentur, credo, habere aurum domi:
Nam non est verisimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc, quom celo sedulo omnes, ne sciant,
Omnes videntur scire; et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius.
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras:
Rogitant me, ut valeam? quid agam? quid rerū gerā?
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursum, quantum potero, tantum recipiam.

ACTUS II. SCENA I. *Eunomia, Megadorus.*

E. Velim te arbitrari, me hæc verba, frater,
Meæ fidei tuæque rei hoc causa
Facere, ut æquom 'st germanam sororem:
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi:
Nam multum loquaces merito omnes habemur;
Nec mutam profecto repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique item esse te;
Ut æquom 'st, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi me, consulere et monere:
Neque occultum id haberi, neq; per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, ut tu me ut facias.
Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

M. Da mihi, optuma fœmina, manum.
E. Ubi ea est? quis ea
Est nam optuma? *M.* Tu. *E.* Tune ais? *M.* Si negas,
Nego. *E.* Decet te equidem vera proloqui:
Nam optuma nulla potest eligi: alia alia
Peior, frater, est. *M.* Idem ego arbitror; nec tibi
Advorsari certum 'st de istac re umquam, soror.
E. Da mihi operam, amabo. *M.* Tua est: utere,
Atque impera, si quid vis. *E.* Id quod in rem tuam
Optumum esse arbitror, te id admonitum advento.
M. Soror, more tuo facis. *E.* Facta volo.
M. Quid est id,
Soror? *E.* Quod tibi sempiternum salutare
Sit, procreandis liberis, ita Dii faxint!
Volo te uxorem domum ducere. *M.* Hei occidi!
E. Quid ita? *M.* Quia mihi misero cerebrū excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris. *E.* Heia! hoc face
Quod te iubet soror. *M.* Si lubeat, faciam. *E.* In rem
Hoc tuam 'st. *M.* Ut quidē emoriar, priusquā ducā.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
E. Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu: media est mulieris ætas.
Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.
M. Num non vis me interrogare te?
E. Immo, si quid vis, roga.
M. Post mediā ætatē, qui mediā ducit uxorē domu,
Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istū, soror, laborē degā, et deminuā tibi.
Ego, virtute Deum et maiorū nostrū, dives sū satis.
Istas magnas factiones, animos, dotas dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpurā,
Nil moror, quæ in servitutē sumtibus redigunt viros.
E. Dic mihi, quæso, quis ea 'st, quam vis ducere uxorem? *M.* Eloquar.
Nostin' hunc senē Euclionē ex proxumo pauperculū?
E. Novi, hominem haud malum, mecastor!
M. Eius cupio filiam
Virginem mihi desponderi: verba ne facias, soror.
Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Hæc pauper placet.
E. Dii bene vertant! *M.* Idem ego spero. *E.* Quid! me nunc quid vis? *M.* Vale.
E. Et tu, frater. *M.* Ego conveniā Euclionē, si domi
Est: sed eccum. Nescio unde sese homo recipit domū.

Scena II. *Euclio, Megadorus.*

E. Præsagibat mi animus, frustra me ire, quom exibam domo:
Itaque abibam invitus: nam neq; quisquam curialiū
Venit, neq; magister, quē dividere argentū oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic; animus domi 'st.
M. Salvus atque fortunatus, Euclio, semper sies.
E. Dii te ament, Megadore.
M. Quid tu? recten', atque ut vis, vales?
E. Non temerarium 'st, ubi dives blande appellat pauperem.
Iam illic homo aurum me scit habere: eo me salutat blandius.
M. Ain' tu te valere?
E. Pol, ego haud a pecunia perbene.
M. Pol, si est animus æquus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.
E. Anus, hercle, huic indicium fecit de auro: perspicue palam 'st:
Cui ego iā linguā præcidā, atq; oculos effodiā domi.
M. Quid tu solus tecum loquere?
E. Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandē, dote cassā, atque illocabilē;
Neque eam queo locare cuiquam.
M. Tace: bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adiuvabere a me: dic, si quid opus est; impera.
E. Nunc petit, quom pollicetur; inhiat aurum, ut devoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui large blandu 'st dives pauperi:
Ubi manū inicit benigne, ibi onerat aliquā zamiā.
Ego istos novi polypos, qui, sibi, quidquid tetigerint, tenent.
M. Da mi operam parumper. Paucis, Euclio, est quod te volo.
De communi re appellare, mea et tua.
E. Hei misero mihi!
Aurū mi intus harpagatū 'st. Nunc hic eā rē volt, scio,
Mecum adire ad pactionem. Verum intervisā domū.
M. Quo abis? *E.* Iam ad te revortar: namque est, quod visam domum.
M. Credo, edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquam 'st alter hodie ex paupertate parcior.
E. Dii me servant: salva res est: salvom 'st, si quid non perit.
Nimis male timui: priusquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.
M. Habeo gratiam.
Quæso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
E. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
M. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum?
E. Bono.
M. Quid fide? *E.* Bona. *M.* Quid factis?
E. Neque malis, neque improbis.
M. Ætatem meam scis?
E. Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
M. Certe, edepol, equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.
E. Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *M.* Quoniam tu me, et ego te qualis sis, scio,
Quæ res recte vortat mihique, tibique, tuæque filiæ,
Filiam tuam mihi uxorem posco: promitte hoc fore.
E. Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem, atque innoxium abs te atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re neque verbis merui, ut faceres, quod facis.
M. Neque, edepol, ego te derisum venio, neque derideo;
Neque dignum arbitror.
E. Cur igitur poscis meam gnatam tibi?
M. Ut, propter me, tibi sit melius, mihique propter te et tuos.
E. Venit hoc mi, Megadore, in mentem, ted esse hominem divitem;
Factiosum; me item hominem pauperū pauperrumū.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentē venit,
Te bovem esse, et me esse asellum. Ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;

Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.
Et ted utar iniquiore, et meus med ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat.
Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.
Hoc magnum 'st periclum, ab asinis me ad boves transcendere.
M. Quam ad probos propinquitate proxume te adjunxeris,
Tam optumum 'st. Tu conditionem hanc accipe: ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi.
E. At nihil est dotis, quod dem. *M.* Ne duas.
Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.
E. Eo dico, ne me thesauros reperisse censeas.
M. Novi; ne doceas. Desponde.
E. Fiat: sed, pro Iupiter!
Non ego disperii? *M.* Quid tibi est?
E. Quid crepuit quasi ferrum modo?
M. Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam, si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congrediri: per metu male rem gerit.
Idem, quando illæc occasio periit, post sero cupit.
E. Si, hercle, ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Impero, auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.
M. Video, hercle, ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta ætate ludos facias, haud merito meo.
E. Neque, edepol, Megadore, facio; neque, si cupiam, copia 'st.
M. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?
E. Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *M.* Sponden' ergo?
E. Spondeo.
Istuc Dii bene vortant! *M.* Ita Dii faxint!
E. Illud facito ut memineris,
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
M. Memini. *E.* At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum 'st, non pactum pactum 'st, quod vobis lubet.
M. Nulla controversia mihi tecū erit. Sed, nuptias
Hodie quin faciamus, num quæ causa est?
E. Immo, edepol, optuma.
M. Ibo igitur: parabo: numquid me vis? *E.* Istuc.
M. Fiet: vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.
E. Illic hinc abiit. Dii immortales! obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illum iam inaudisse, mihi esse thesaurum domi:
Id inhiat: ea affinitatem hanc obstinavit gratia.

SCENA III. *Euclio, Staphyla.*

E. Ubi tu es, quæ deblaterasti iam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturū dotē? Heus, Staphyla! te voco;
Ecquid audis? vascula intus pure propera, atque elue.
Filiam despondi ego: hodie nuptum huic Megadoro dabo.
S. Dii bene vortant! Verum, ecastor, non potest: subitum 'st nimis.
E. Tace, atque abi: curata fac sint, quom a foro redeam domum.
Atque occlude ædes: iam ego hic adero.
S. Quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adest exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo prope adest, ut fiat palam,
Quod celatum 'st atque occultatum usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut, herus quæ imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam, ecastor, malum mœrorem, metuo, ne mixtum bibam.

SCENA IV. *Strobilus, Anthrax, Congrio.*

S. Postquam opsonavit herus, et conduxit coquos,
Tibicinasque hasce, apud forum; edixit mihi,
Ut dispartirem opsonium hic bifariam.
A. Me quidem, hercle, dicam palam, non divides.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
C. Bellum et pudicum vero prostibulum popli.
Post si quis vellet te, haud non velles dividi?
S. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc quod tu insimulas. Sed herus nuptias
Meus hodie faciet. *C.* Cuius ducit filiam?
S. Vicini huius Euclionis e proxumo.
Ei adeo opsoni hinc dimidium iussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
C. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi?
S. Nempe sicut dicis. *C.* Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiæ in nuptiis?
S. Vah! *C.* Quid negoti 'st? *S.* Quid negoti sit, rogas?
Pumex non æque est aridus, atque hic est senex.
C. Ain' tandem ita esse ut dicis? *S.* Tute existuma.
Quin Divum atque hominū clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin, cum it dormitum, follem sibi obstringit ob (gulam.
C. Cur? *S.* Ne quid animæ forte amittat dormiens.
C. Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animæ forte amittat dormiens?
S. Hæc mihi te, ut tibi me, æquom est credere.
C. Immo equidem credo. *S.* At sciu' etiam quomodo?
Aquam, hercle, plorat, quom lavat, profundere.
C. Censeu' talentum magnum exorari potesse
Ab istoc sene, ut det, qui fiamus liberi?
S. Famē, hercle, utendam si roges, numquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues demserat;
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
C. Edepol, mortalem parce parcum prædicas!
Censeu' vero adeo parce et misere vivere?
S. Pulmentum pridem ei deripuit miluus:
Homo ad prætorem deploratundus venit:
Infit ibi postulare, plorans, eiulans,
Ut sibi liceret miluum vadarier.
Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum 'st celerior? memora mihi.
C. Ego, ut multo melior. *S.* Cocū ego, non furē rogo.
C. Cocū ego dico. *S.* Quid tu ais? *A.* Sic sū, ut vides.
C. Cocus ille nundinalis est; in nonum diem
Solet ire coctum. *A.* Tun', trium literarum homo,
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.
S. Tace nunc iam tu: atque, agnum horunc uter est pinguior.....
C. Licet. *S.* Tu, Congrin, eum sume, atque abi
Intro illuc, et vos illum sequimini:
Vos cæteri illuc ad nos. *A.* Hercle, iniuria
Dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.

S. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia: tu autem, Eleusium,
Huc intro abi ad nos. *C.* O Strobile subdole,
Huccine detrusisti me ad senem parcissumum?
Ubi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur. *S.* Stultum et sine gratia 'st,
Ibi recte facere, quando, quod facias, perit.
C. Qui vero? *S.* Rogitas? iam, principio, in ædibus
Turba istic nulla tibi erit: si qui uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poscere.
Hic apud nos magna turba, ac magna familia 'st)
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea;
Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam 'st)
Dicant, coci abstulerunt; comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi istic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est. Sequere hac me.
C. Sequor.

SCENA V. *Strobilus, Staphyla, Congrio.*

Str. Heus, Staphyla, prodi, atque ostium aperi.
Sta. Qui vocat?
Str. Strobilus. *Sta.* Quid vis?
Str. Hos ut accipias coquos,
Tibicinamque, obsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni hæc mittere.
Sta. Cererine, Strobile, has facturi nuptias?
Str. Qui? *Sta.* Quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At iam afferetur, si a foro ipsus redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla sunt. *C.* Sunt asseres?
Sta. Sunt, pol. *C.* Sunt igitur ligna; ne quæras foris.
Sta. Quid? impurate, quamquam Volcano studes,
Cœnæne causa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos nostras ædes postulas comburere?
C. Haud postulo. *Str.* Duc istos intro. *Sta.* Sequi-(mini.

SCENA VI. *Pythodicus.*

Curate: ego intervisam quid faciant coqui:
Quos, pol, ut ego hodie servem, cura maxuma 'st;
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant,
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint;
Superi incœnati sunt, et cœnati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

SCENA VII. *Euclio, Congrio.*

E. Volui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene haberem filiai in nuptiis.
Venio ad macellum, rogito pisceis. Indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est, qui emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi: Festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris,
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Accessit animus ad meam sententiam,
Quam minimo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi, et hasce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædeis nostras conspicor?
Et strepitu 'st intus. Numnam ego compilor miser?
C. Aulam maiorem si potes, vicinia
Pete: hæc est parva; capere non quit. *E.* Hei mihi!
Perii, hercle! aurum rapitur; aula quæritur.
Nimirum occidor, ni intro huc propere currere.
Apollo, quæso, subveni mihi, atque adiuva:
Confige sagittis fures thesaurarios:
Qui in re tali iam subvenisti antidhac.
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

SCENA VIII. *Anthrax.*

Dromo, desquama pisces: tu, Machærio,
Congrum, murænam, exdorsua, quantum potes:
Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.
Ego hinc artopt[a]m ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiu 'st.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui, hercle, credo, faciunt officium suum.
Fugiam intro, ne quid hic turbæ fiat itidem.

ACTUS III. SCENA I. *Congrio.*

Optati cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes,
Date viam, qua fugere liceat; facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum;
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulchrius:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus.
Atat, perii, hercle, ego miser! aperit Bacchanal; adest:
Sequitur. Scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docuit.

SCENA II. *Euclio, Congrio.*

E. Redi. Quo fugis nunc? tene, tene.
C. Quid, stolide, clamas?
E. Quia ad Tresviros iam ego deferam tuum nomen.
C. Quamobrem?
E. Quia cultrum habes. *C.* Cocum decet.
E. Quid comminatus
Mihi? *C.* Istoc male factum arbitror, quia non latus fodi.
E. Homo nullus est te scelestior, qui vivat hodie,
Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.
C. Pol, etsi taceas, palam id quidem 'st: res ipsa testis est.
Ita fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinædus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est? quæ res?
C. Etiam rogitas? An quia minus, quam æquom erat, feci?
C. Sine: at, hercle, cum malo magno tuo, si hoc caput sentit.
E. Pol, ego haud scio quid post fiat; tuum nunc caput sentit.
Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negoti, (ergo
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire. *C.* Tace
Quia venimus coctum ad nuptias.
E. Quid tu, malum, curas,
Utrum crudum an coctum edim, nisi tu mihi es tutor?
C. Volo scire, sinas an non sinas nos coquere hic cœnam?
E. Volo scire item ego, meæ domi meane salva futura?

C. Utinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, salva!
Me haud pœnitet, tua ne expetam.
E. Scio: ne doce, novi.
C. Quid est, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi sequius, quam velles?
E. Etiam rogitas, sceleste homo, qui angulos omnis
Mearum ædium et conclavium mihi pervium facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile haberes caput: merito id tibi factum est.
Adeo, ut tu meam sententiã iam iam noscere possis,
Si ad ianuam huc accesseris, nisi iussero, propius,
Ego te faciam miserrumus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam? quo abis? redi rursum.
C. Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi reddi
Mihi vasa iubes, pipulo hic differam ante ædis.
Quid ego nunc agam? uæ, ego, edepol, veni huc auspicio malo.
Nummo sum conductus: plus iam medico mercede opus est.

Scena III. *Euclio, Congrio.*

E. Hoc quidem, hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram:
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet.
Ite sane nunc iam intro omnes, et coqui, et tibicinæ.
Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc iam quantum lubet.
C. Temperi: postquam implevisti fustibus istorum caput.
E. Intro abi; opera huc conducta 'st vostra, non oratio.
C. Heu, senex, pro vapulando, hercle, ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.
E. Lege agito mecum; molestus ne sis: i, et cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus.
C. Abi tu modo.

Scena IV. *Euclio.*

Illic hinc abiit. Dii immortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit rem habere, aut negotium!
Veluti Megadorus tentat me omnibus miserum modis;
Qui simulavit, mei honoris mittere huc causa coquos,
Is ea causa misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit pænissume.
Ubi erat hæc defossa, occepit ibi scalpurire ungulis
Circumcirca. Quid opu 'st verbis? ita mi pectus peracuit;
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego, edepol, illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam fecisset. Exemi e manu manubrium.
Quid opu 'st verbis? facta 'st pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis, eccum, incedit a foro.
Iam hunc non ausim præterire, quin consistam et colloquar.

Scena V. *Megadorus, Euclio.*

M. Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant cæteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum;
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur:
Et illæ malam rem metuant, quam metuunt, magis;
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem 'st optumum.
In pauciores avidos altercatio 'st:
Quorum animis avidis, atque insatietatibus,
Neque lex, neq; tutor capere est qui possit modum.
Namque, hoc qui dicat: Quo illæ nubent divites
Dotatæ, si istud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.
E. Ita me Dii amabunt, ut ego hunc ausculto lubens.
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
M. Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mi quidem æquom 'st purpuram atque aurum (dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.
E. Ut matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
M. Nunc, quoquo venias, plus plaustrorũ in ædibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum 'st, præ quam ubi sumtus (petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, cariuarii,
Aut manulearii, aut murobrecharii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant; astant molochinarii;
Strophiarii astant: astant semizonarii.
Iam hosce absolutos censeas; cedunt, petunt
Textores, limbolarii, arcularii
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Ducuntur; datur æs: hosce absolutos censeas,
Treceni cum stant phylacistæ in atriis,
Cum incedunt infectores crocolarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.
E. Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum; nunc sic sinam.
M. Ubi nugigerulis res soluta 'st omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles; æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.
Impransus miles astat, æs censet dari.
Ubi disputata 'st ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultro debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumtusque intolerabiles.
Nam, quæ indotata 'st, ea in potestate est viri;
Dotatæ mactant et malo et damno viros.
Sed eccum affinem ante ædes. Quid ais, Euclio?

Scena VI. *Euclio, Megadorus.*

E. Nimium lubenter edi sermonem tuum.
M. Ain'? audivisti? *E.* Usque a principio omnia.
M. Tamen,

Ita profecto sine dolore peperit. *A.* Iā istuc gaudeo,
Ut ut erga me est merita.
B. Mitte isthæc; atque hæc quæ dicam, accipe.
Postquam peperit pueros, lavere iussit nos. Occepimus.
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est, et multum valet!
Neque eum quisquam colligare quivit incunabulis.
A. Nimia mira memoras! si isthæc vera sunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ suppetiæ sient.
B. Magis iam, faxo, mira dices. Postquam in cunas conditu 'st,
Devolant angues iubati deorsum in Impluvium duo
Maxumi: continuo extollunt ambo capita.
A. Hei mihi!
B. Ne pave. Sed angues oculis, omnis circumvisere.
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas recessim rursum vorsū trahere et ducere,
Metuens pueris, mihi formidans: tantoque angues acrius
Persequi. Postquam conspexit angues ille alterpuer,
Citus e cunis exilit; facit recta in anguis impetum:
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
A. Mira memoras: nimis formidolosum facinus prædicas.
Nā mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere.
B. Puer ambo angues enicat.
Dum hæc aguntur, voce clara exclamat uxorē tuam.
A. Quis homo?
B. Summus imperator Divū atque hominū Iupiter.
Is se dixit cum Alcumena clam consuetū cubilibus,
Eumque filium suum esse qui illos angues vicerit:
Alterum tuum esse dixit puerum.
A. Pol, me haud pœnitet,
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Iove.
Abi domum: iube vasa pura actutum adornari mihi,
Ut Iovis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam coniectorem advocabo, et consulam,
Quid faciundum censeat; simul hanc rem, ut facta 'st, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! Dii, obsecro vostram fidem!

SCENA II. *Iupiter.*

Bono animo es; assū auxilio, Amphitruo, tibi et tuis;
Nihil est quod timeas. Hariolos, haruspices
Mitte omnis. Quæ futura, et quæ facta, eloquar
Multo adeo melius quam illi, quum sim Iupiter.
Primum omnium, Alcumenæ usuram corporis
Cepi, et concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus. Uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te immortali afficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi. Haud promeruit, quamobrem vitio verteres.
Mea vi subacta 'st facere. Ego in cœlum migro.

SCENA III. *Amphitruo.*

Faciā ita ut iubes; et te oro, promissa ut serves tua.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Iovis summi causa clare plaudite.

+ ASINARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

LIBANUS, *servus.* DIABOLUS, *adolescens.*
DEMÆNETUS, *senex.* PARASITUS
ARGYRIPPUS, *adolescens.* ARTEMONA, *uxor.*
CLEÆRETA, *lena.* MERCATOR.
LEONIDA, *servus.* GREX.
PHILENIUM. *meretrix.*

Argumentum (PRISCIANI?)

Amanti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt senex uxorio.
Itaque ob asinos relatum pretium Saureæ
Numerarier iussit servolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. Cedit noctem filius.
Rivinus amens ob præreptam mulierem,
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat.
Accurrit uxor, ac virum e lustris rapit.

Prologus.

Hoc agite sultis spectatores, nunc iam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique huic, et dominis, atque conductoribus.
Face iam nunc, tu præco, omnem auritum poplum.
Age, nunc reside: cave modo ne gratiis.
Nunc, quid processerim huc, et quid mihi voluerim,
Dicam; ut sciretis nomen huius fabulæ.
Nam, quod ad argumentum attinet, sane breve 'st.
Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen Græce 'st Onagos fabulæ.
Demophilus scripsit; Marcus vortit barbare.
Asinariam volt esse, si per vos licet.
Inest lepos ludusque in hac comœdia.
Ridicula res est. Date benigne operam mihi,
Ut vos item alias, pariter nunc, Mars adiuvet.

ACTUS I. SCENA I. *Libanus, Demænetus.*

L. Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ
Superesse vitæ, sospitem et superstitem;
Ita te obtestor, per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam;
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor ætatem siet:
Atque, illa viva, vivus ut pestem oppetas.
D. Per deum Fidium quæris: iurato mihi
Video necesse esse eloqui, quicquid roges:
Ita me obstinate aggressus, ut non audeam
Profecto, percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum, istuc quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
L. Dic, obsecro, hercle, serio, quod te rogem.
Cave mi mendaci quicquam. *D.* Quin tu ergo rogas?
L. Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?
D. Quid istuc est? aut ubi est istuc terrarum loci?
L. Ubi flent nequam homines, qui polentā pransitant.
D. Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere,
Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
L. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
D. Modo, pol, percepi, Libane, quid istuc sit loci,
Ubi fit polenta, te fortasse dicere. *L.* Ah!
Neque hercle ego istuc dico, nec dictum volo.
Teque obsecro hercle ut, quæ locutus, despuas.
D. Fiat, geratur mos tibi. *L.* Age, age, usque exscrea.
D. Etiamne?
L. Quæso hercle usque ex penitis faucibus.

D. Etiam? *L.* Amplius. *D.* Nam quousque?
L. Usque ad mortem volo.
D. Cave sis malam rem. *L.* Uxoris dico, non tuam.
D. Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.
L. Dii tibi dent, quæcumque optes.
D. Redde operam mihi:
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris?
Aut cur postremo filio succenseam,
Patres ut faciunt cæteri? *L.* Quid istuc novi 'st?
Demiror quid sit, et quo evadat, sum in metu.
D. Equidem scio iam, filius quam amet meus,
Isthanc meretricem e proxumo Philenium.
Estne hoc, ut dico, Libane? *L.* Rectam instas viam.
Ea res est. Sed eum morbus invasit gravis.
D. Quid morbi 'st? *L.* Quia non suppetunt dictis data.
D. Tune es adiutor nunc amanti filio?
L. Sum vero, et alter noster est Leonida.
D. Bene, hercle, facitis, et a me initis gratiam.
Verum meam uxorem, Libane, nescis qualis siet?
L. Tu primus sentis; nos tamen prænoscimus.
D. Fateor eam esse importunam atque incommodam.
L. Posterius istuc dicis, quam credo tibi.
D. Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mi auscultabunt, facient obsequentiam:
Quippe qui mage amico utantur gnato et benevolo:
Atque ego me id facere studeo. Volo amari a meis;
Volo me patris mei similem, qui, causa mea,
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, et beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum 'st persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti sibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obsequi gnato meo.
Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut consueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præsertim, quum is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem eius ingenio decet;
Quum me adiit, ut pudentem gnatū æquum 'st patrē;
Cupio esse amicæ quod det argentum suæ.
L. Cupis id, quod cupere te nequidquam intellego.
Dotalem servum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit, quam tibi.
D. Argentum accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim,
Viginti iam usu 'st filio argenti minis.
Face, id ut paratum iam sit. *L.* Unde gentium?
D. Me defrudato. *L.* Maxumas nugas agis.
Nudo detrahere vestimenta me iubes.
Defrudem te ego? age sis, tu sine pennis vola.
Tene ego defrudem, cui ipsi nihil est in manu?
Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris.
D. Qua me, qua uxorem, qua tu servum Sauream
Potes, circumduce, aufer; promitto tibi
Non offuturum, si id hodie effeceris.
L. Iubeas una opera me piscari in aere,
Venari autem rete iaculo in medio mari.
D. Tibi optionem sumito Leonidam.
Fabricare quidvis; quidvis comminiscere.
Perficito, argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. *L.* Quid ais tu, Demænete?
Quid si forte in insidias devenero?
Tu redimes me, si me hostes interceperint?
D. Redimam. *L.* Tum tu igitur aliud cura quid lubet.
D. Ego eo ad forum, nisi quid vis.
L. I: etiamne ambulas?
D. Atque audin' etiam? *L.* Ecce.
D. Si quid te volam, ubi eris?
L. Ubicumque libitum fuerit animo meo.
Profecto nemo 'st, quem iam dehinc metuam, mihi
Ne quid nocere possit; cum mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuum.
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam quo occepi, atque ibi consilia exordiar.
D. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentariū.
L. Nempe in foro? *D.* Ibi: si quid opus fuerit.
L. Meminero.
D. Non esse servus peior hoc quisquam potest,
Nec magis versutus, nec quo ab caveas ægrius.
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes: moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio esse, quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?
Ibo adeo, atque ibi manebo apud argentarium.

SCENA II. *Argyrippus.*

Siccine hoc fit? foras ædibus me eiici?
Promerenti optume hoccine pretii redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es;
At malo cum tuo: nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad Tresviros, vestraque ibi nomina,
Faxo, erunt: capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium.
Nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hic elavi bonis.
Ingrata atque irrita esse omnia intellego,
Quæ dedi, et quod benefeci: at posthac, tibi
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eodem unde orta es, ad egestatis terminos.
Ego, edepol, te faciam, ut, quæ sis nunc, et quæ fueris, scias.
Quæ, priusquam istam adii, atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.
Atque, ea si erant, magnas habebas omnibus Dis gratias;
Eadem nunc, quom est melius, me, cuius opera est, ignoras, mala.
Reddam ego te, ex fera, fame mansuetem, me specta modo.
Nam, isti quod succenseam ipsi, nihil est: nihil quidquam meret.
Tuo facit iussu; tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciscar; te ego, ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At scelesta, viden' ut ne id quidem me dignum esse existumat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato supplicet:
Atque, eccam, illecebra exit tandem. Opinor, hic ante ostium
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum 'st mihi.

SCENA III. *Cleæreta, Argyrippus.*

C. Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.
Nec recte quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum 'st.

Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio veloque quantum poteris, festina et fuge.
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.
A. Ego pol istum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar;
Quom tu me, ut meritus sum, non tractas, quæ eiicis domo.
C. Magis istuc percipimus lingua dici, quam factis fore.
A. Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli;
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
C. Solus ductato, si semper solus, quæ poscam, dabis.
Semper tibi promissum habetu hac lege, dum superes datis.
A. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modo quod accepisti, haud multo post, aliquid, quod poscas, paras.
C. Quid modi 'st? ductando, amando, nunquamne expleri potes?
Modo remisisti: continuo iam, ut remittam ad te, rogas.
A. Dedi equidem, quod mecum egisti.
C. Et tibi ego misi mulierem.
Par pari datum hostimentum 'st, opera pro pecunia.
A. Male agis mecum.
C. Quid me accusas, si facio officium meum?
Nam neque usquam fictum, neque pictum, neque scriptum in poematis,
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi esse volt.
A. Mihi quidem te parcere æquum 'st tandem, ut tibi durem diu.
C. Non tu scis, quæ amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem 'st amator lenæ; nequam 'st, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias.
Vel patinarium vel assum: verses, quo pacto lubet.
Is dare volt, is se aliquid posci: nam, ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat: illi rei studet:
Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ,
Volt famulis, volt ancillis: [et quoq.] etiã catulu meo
Subblanditur novus amator, se ut quom videat, gaudeat.
Vera dico. Ad suum quemque hominem quæstum esse æquum 'st callidum.
A. Perdidici, isthæc esse vera, damno cũ magno meo.
C. Si, ecastor, nunc, habeas quod des, alia verba perbibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.
A. Non meum 'st. *C.* Nec meum quidem, edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum ætatis atque honoris gratia hoc fiet tui,
Quia nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi:
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem, honoris causa, gratiis dono dabo.
A. Quid, si non est?
C. Tibi non esse credam; illa alio ibit tamen.
A. Ubi illæc, quæ dedi ante?
C. Abusa. Nam, si ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te: nunquam quidquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera, quæque volumus uti, Græca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos disciplina utimur.
Semper oculatæ nostræ sunt manus; credunt, quod vident.
Vetus est, Nihili coctio est: scis cuius? non dico amplius.
A. Aliam nunc mihi orationem despoliato prædicas:
Longe aliam, inquam, præbes nunc atque olim, quum dabam;
Aliam atque olim, quum illiciebas me ad te blande ac benedice:
Tum mi ædes quoque arridebant, cum ad te veniebam, tuæ.
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, aibas mihi.
Ubi quid dederam, quasi columbæ pulli, in ore ambæ meo
Usq; eratis: meo de studio studia erant vostra omnia.
Usq; adhærebatis: quod ego iusseram, quod voluerã,
Faciebatis; quod nolebam ac vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc, neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumæ.
C. Non tu scis? hic noster quæstus aucupi simillimu 'st.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum.
Aves assuescunt. Necesse est facere sumtum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: semel si captæ sunt, rem solvunt aucupi;
Itidem hic apud nos. Ædis nobis area 'st; auceps sum ego;
Esca est meretrix; lectus illix est, amatores aves:
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,
Osculando, oratione vinnula, venustula.
Si papillam pertractavit, haud est ab re aucupis.
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.
Hæccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu?
A. Tua ista culpa 'st, quæ discipulum semidoctum abs te amoves.
C. Remeato audacter, mercedem si eris nactus: nunc abi.
A. Mane, mane; audi! dic, quid me æquum censes pro illa tibi dare;
Annum hunc ne cum quiquam alio sit.
C. Tene? viginti minas.
Atque ea lege, si alius ad me prius attulerit, tu vale.
A. At ego: est etiã, priusquam abis, quod volo loqui.
C. Dic, quod lubet.
A. Non omnino iam perii: est reliquum, quo peream magis.
Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem: sed in leges meas
Dabo, ut scire possis, perpetuum annum hunc mihi uti serviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorsus, quam me, ad se virum.
C. Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.
Postremo, ut voles nos esse, syngrapham facito afferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecũ una argentũ afferto; facile patiar cætera.
Portitorum simillumæ sunt ianuæ lenoniæ:

Si affers, tum patent: si non est quod des, ædes non patent.
A. Interii, si non invenio ego illas viginti minas.
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundum 'st mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia;
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemq; amicum videro:
Dignos indignos adire, atq; experiri, certū 'st mihi.
Nam, si mutuas non potero, certum 'st, sumam fœnore.

ACTUS II. SCENA I. *Libanus.*

Hercle vero, Libane, nunc te meliu 'st expergiscier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.
Iam diu 'st factum quom discesti ab hero, atque abiisti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.
Quin tu abs te socordiam omnem reice, et segnitiem amove;
Atque ad ingenium vetus versutum te recipis tuum.
Serva herū: cave tu idē faxis, alii quod servi solent,
Qui, ad heri fraudationem, callidū ingeniū gerunt.
Unde sumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratū 'st: quovis admittunt aves.
Picus et cornix est ab læva; corvus porro ab dextera.
Consuadent. Certum hercle est vostram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium 'st
Certe, hercle, ego quantū ex augurio auspici intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida?
Metuo, quod illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ.

SCENA II. *Leonida, Libanus.*

Le. Ubi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium,
Uti ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia 'st?
Maxumā prædā et triumphū eis affero adventu meo.
Quando mecū pariter potant, pariter scortari solent,
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
Li. Illic homo ædeis compilavit, more si fecit suo.
Væ illi, qui tam indiligenter observavit ianuam.
Le. Ætatem velim servire, Libanum ut conveniam modo.
Li. Hercle, mea quidem opera liber nunquam fies ocyus.
Le. Etiā de tergo ducentas plagas prægnauteis dabo.
Li. Largitur peculium; omnem in tergo thesaurum gerit.
Le. Nā, si huic occasioni tempus sese subterduxerit,
Nunquam, edepol, quadrigis albis indipiscet postea:
Heru in obsidione linquet, inimicū animos auxerit.
Sed, si mecum occasionem opprimere hanc, quæ obvenit, studet,
Maxumas opimitates gaudio effertissumas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et patri,
Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro devincti beneficio. *Li.* Vinctos nescio quos ait.
Non placet: metuo in commune, ne quam fraudem frausus siet.
Le. Perii ego oppido, nisi Libanum invenio iam, ubi ubi est gentium.
Li. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adiungat sibi.
Non placet. Pro monstro extemplo est, quando, qui sudat, tremit.
Le. Sed quid ego hic properans concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
Li. Edepol, hominem infelicem, qui patronam comprimat!
Nam, si quid sceleste fecit, lingua pro illo peierat.
Le. Approperabo, ne post tempus prædæ præsidium parem.
Li. Quæ illæc præda 'st? ibo advorsum, atque electabo, quidquid est.
Iubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.
Le. Gymnasium flagri, salveto.
Li. Quid agis, custos carceris?
Le. O catenarum colone! *Li.* O virgarum lascivia!
Le. Quot pondo ted esse censes nudum?
Li. Non, edepol, scio.
Le. Scibam ego te nescire: at pol ego qui te expendi, scio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
Li. Quo argumento istuc?
Le. Ego dicam, quo argumento, et quo modo.
Ad pedes quando alligatus es, æquum centupondium:
Ubi manus manicæ complexæ sunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis.
Li. Væ tibi! *Le.* Hoc testamento Servitus legat tibi.
Li. Verbis velitationem fieri compendi volo.
Quid istuc negoti 'st? *Le.* Certum 'st credere?
Li. Audacter licet.
Le. Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantū adest boni improviso, verū commixtū malo:
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacis usu 'st nobis inventa et dolis.
Tantū facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.
Li. Ego mirabar, quod dudū scapulæ gestibant mihi
Hariolari quæ occeperunt sibi esse in mundo malum.
Quidquid est, eloquere.
Le. Magna 'st præda cum magno malo.
Li. Siquidē omnes coniurati crucismenta conferant,
Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quæram foris.
Le. Si istā firmitudinē animi obtines, salvi sumus.
Li. Quin, si tergo res solvenda 'st, rapere cupio publicum:
Pernegabo atque obdurabo; periurabo denique.
Le. Hem! ista virtus est, quando usu 'st, qui malum fert fortiter.
Fortiter malū qui patitur, idem post patitur bonū.
Li. Quin rem actutum edisseris? cupio malum nanciscier.
Le. Placide ergo unumquidque derogita, ut acquiescam. Non vides
Me ex cursura anhelitum etiam ducere?
Li. Age, age, mansero
Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris.
Le. Ubinam est herus?
Li. Maior apud forum 'st, minor hic est intus.
Le. Iam satis est mihi.
Li. Tum igitur tu dives es factus?
Le. Mitte ridicularia.
Li. Mitto. Istud, quod affers, aures exspectant meæ.
Le. Animum advorte, ut æque mecum hæc scias
Li. Taceo. *Le.* Beas.
Meministin' asinos Arcadicos mercatori vendere

Pellæo nostrum atriensem?
Li. Memini. Quid tum postea?
Le. Hem! ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureæ
Pro asinis. Adolescens venit modo, qui id argentum attulit.
Li. Ubi is homo 'st?
Le. Iam devorandum censes, si conspexeris?
Li. Ita enimvero. Sed tamen tu nempe eos asinos prædicas
Vetulos, claudos, quibus subtritæ ad femina iam erant ungulæ.
Le. Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.
Li. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. *Le.* Memor es probe.
Verum, in tonstrina ut sedebā, me infit percontarier,
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me novisse extemplo, et me eius servō prædico
Esse, et ædeis demonstravi nostras.
Li. Quid tum postea?
Le. Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureæ,
Viginti minas; sed eum sese non novisse hominem qui (siet.
Ipsum vero se novisse callide Demænetum.
Quoniam ille elocutus hæc sic.. *Li.* Quid tum?
Le. Ausculta ergo; scies.
Extemplo facio facetum me, atque magnificum virū;
Dico med esse atriensem. Sic hoc respondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, neque, qua facie sit, scio:
Te non æquum 'st succensere. Si herū vis Demænetū,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adductură, et me domi præsto fore.
Ille in balineas iturū 'st; inde huc veniet postea.
Quid nunc consili captandum censes? dic.
Li. Hem! istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, et adventorem, et Sauream.
Iam hoc opus est exasciatū: nam, si ille argentū prius
Hospes huc affert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solū, seorsū ab ædibus:
Mihi tibique interminatu 'st, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minæ.
Iussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam,
Defraudare: dixit sese operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, et narra, hæc ut nos acturi sumus:
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum afferat mercator pro asinis.
Le. Faciam, uti iubes.
Li. Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte advenerit.
Le. Quid ais? *Li.* Quid vis?
Le. Pugno malam si tibi percussero,
Mox cum Sauream imitabor, caveto ne succenseas.
Li. Hercle, vero, tu cavebis, ne me attigas. Si me tagis,
Næ, hodie malo cum auspicio nomen commutaveris.
Le. Quæso, æquo animo patitor.
Li. Patitor tu item, cum ego te referiam.
Le. Dico, ut usu 'st fieri.
Li. Dico, hercle, ego quoque, ut facturus sum.
Le. Ne nega. *Li.* Quin promitto, inquam, hostire contra, ut merueris.
Le. Ego abeo: tu, iam scio, patiere. Sed quis hic est? is est;
Ille est ipsus. Iam ego recurro huc. Tu hunc interea hic tene.
Volo seni narrare.
Li. Quin tuum officium facis ergo, ac fugis?

SCENA III. *Mercator, Libanus.*

M. Ut demonstratæ sunt mihi, hasce ædeis esse oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta;
Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.
L. Quis nostras sic frangit fores? ohe! inquam, siquid audis.
M. Nemo etiam tetigit. Sanusne es?
L. At censebam attigisse,
Propterea, huc quia habebas iter. Nolo ego fores, conservas meas,
A te verberarier. Sane ego sū amicus nostris ædibus
M. Pol, haud periclum 'st, cardines ne foribus effringantur,
Si istoc extemplo tu omnibus, qui quærunt, respondebis.
L. Ita hæc morata 'st ianua: extemplo ianitorem
Clamat, procul siquem videt ire ad sese calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas?
M. Demænetum volebam
L. Si sit domi, dicam tibi. *M.* Quid? eius atriensis?
L. Nihilo mage intus est. *M.* Ubi est?
L. Ad tonsorem ire dixit.
M. Quum venisset, post non rediit?
L. Non, edepol. Quid volebas?
M. Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
L. Qui pro istuc?
M. Asinos vendidit Pellæo mercatori
Mercatu. *L.* Scio. Tu id nunc refers. Iam hic credo eum affuturum.
M. Qua facie voster Saurea 'st? Si is est, iam scire potero.
L. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.
M. Non potuit pictor rectius describere eius formā.
Atque hercle ipsum adeo contuor, quassanti capite incedit.
L. Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit,
Siquidem hercle Æacidinis minis animisque expletus incedit.
M. Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

SCENA. IV. *Leonida, Mercator, Libanus.*

Le. Quid hoc sit negoti? neminem meum dictum magnifacere?
Libanū in tonstrinā ut iusserā venire, is nullus venit.
Næ ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore.
M. Nimis imperiosu 'st. *Li.* Væ mihi hodie!
Le. Salvere iussi
Libanum libertum! iam manu emissus?
Li. Obsecro te.
Le. Næ, tu hercle cum magno malo mihi obviam occessisti.
Cur non venisti, ut iusseram, in tonstrinam?
Li. Hic me moratu 'st.
Le. Siquidem hercle nunc summum Iovem tu dicas detinuisse,
Atque is precator assiet, malā rem effugies nunquā.
Tu, verbero, imperium meum contemsisti?
Li. Perii! hospes!
M. Quæso hercle noli, Saurea, mea causa hunc verberare.
Le. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit!
M. Quiesce, quæso.
Le. Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis.
Abscede, et sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit,
Cui nunquam unā rem me licet semel præcipere furi,

Quin centies eadem imperem, atque ogganniam: itaque iam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Iussin', sceleste, ab ianua hoc stercus hinc auferri?
Iussin' columnis deiici operas aranearum?
Iussin' in splendorē dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tamquam si claudus sim, cum fusti 'st ambulandum.
Quia, triduum hoc unum modo, foro operam assiduam dedi,
Dum reperiā qui quæritet argentū in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi; atque herus in bara, haud ædibus, habitat.
Hem ergo hoc tibi! *Li.* Hospes, te obsecro, defende.
M. Saurea, oro,
Mea causa ut mittas.
Le. Eho! ecquis pro vectura olivi
Resolvit? *Li.* Resolvit. *Le.* Cui datum 'st?
Li. Sticho, vicario ipsi
Tuo. *Le.* Vah! delenire apparas. Scio mihi vicarium esse,
Neque eo esse servom in ædibus heri, qui sit pluris quam ille sit.
Sed vina quæ heri vendidi vinario Exærambo,
Iam pro iis satisfecit Sticho? *Li.* Fecisse satis opinor:
Nam vidi huc ipsū adducere trapezitam Exærambū.
Le. Sic dedero: prius quæ credidi, vix anno post exegi.
Nunc satagit: adducit domum etiam ultro, et scribit nummos.
Dromo mercedem retulit?
Li. Dimidio minus opinor.
Le. Quid reliquum? *Li.* Aibat reddere, quam extemplo redditum esset:
Nam retineri, ut, quod sit sibi operis, efficeret, locatū.
Le. Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulitne?
Li. Non etiam. *Le.* Hem! non? si velis, da, commoda homini amico.
M. Perii, hercle! Iam hic me abegerit suo odio.
Li. Heus! iam satis tu?
Audin' quæ loquitur? *Le.* Audio, et quiesco.
M. Tandem, opinor
Conticuit. Nunc adeam optumum 'st, priusquam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das?
Le. Ehem! optume: quamdudum tu advenisti?
Non hercle te provideram. Quæso, ne vitio vertas;
Ita iracundia obstitit oculis.
M. Non mirum factum 'st.
Sed, si domi 'st, Demænetum volebam.
Le. Negat esse intus.
Verum istuc argentū tamen mihi si vis denumerare,
Repromittam, istoc tibi nomine solutam rem futurā.
M. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præsente reddā.
Li. Herus istunc novit, atque herum hic.
M. Hero huic præsente reddam.
Li. Da modo meo periculo; rem salvam ego exhibebo:
Nam, si sciat noster senex fidem non esse huic habitā,
Succensent, cui omnium rerum ipsus semper credit.
Le. Non magni pendo: ne duit, si non volt. Sic sine astet.
Li. Da, inquam. Vah! formido miser, ne hic me tibi arbitretur.
Suasisse, sibi ne crederes. Da, quæso, ac ne formida:
Salvum hercle erit.
M. Credam fore, dum quidem ipse in manu habeo.
Peregrinus ego sum: Sauream non novi.
Li. At nosce sane.
M. Sit, non sit, non edepol scio. Si is est, eum esse oportet.
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.
Le. Hercle, istum Dii omnes perduint! verbo cave supplicassis.
Ferox est, viginti minas meas tractare sese.
Nemo accipit! aufer te domum; abscede hinc; molestus ne sis.
M. Nimis iracunde. Non decet superbum esse hominem servum.
Li. Malo hercle iam magno tuo nunc isti nec recte dicis.
Impure, nihili, non vides irasci? *Le.* Perge porro.
Flagitium hominis!
Li. Da, obsecro, argentum huic, ne male loquatur.
M. Malum hercle vobis quæritis.
Le. Crura hercle diffringentur,
Ni istum impudicum percies.
Li. Perii, hercle! Age, impudice,
Sceleste! non audes mihi scelesto subvenire?
Le. Pergin' precari pessumo?
M. Quæ res? tun' libero homini
Male servus loquere? *Le.* Vapula.
M. Id quidem tibi, hercle, fiet,
Ut vapules, Demænetum simul ac conspexero hodie.
In ius voco te. *Le.* Non eo.
M. Non is? memento. *Le.* Memini.
M. Dabitur, pol, supplicium mihi de tergo vestro
Le. Væ, te!
Tibi quidem supplicium, carnufex, de nobis detur?
M. Atque et iam,
Pro vestris dictis maledictis, pœnæ pendentur mihi hodie.
Le. Quid, verbero? aiu' tu, furcifer: herum nosmet fugitare censes?
I nunc iam ad herum, quo vocas iamdudum; quo volebas.
M. Nunc demum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare iusserit Demænetus.
Le. Ita facito. Age, ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum quam tu. *M.* Scilicet ita res est.
Le. Sequere hac ergo.
Præfiscini hoc nunc dixerim, nemo etiā me accusavit
Merito meo, neque me Athenis est alter hodie quisquam,
Cui credi recte æque putent.
M. Fortassis: sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini; non homo, quom, qualis sit, non novit.
Le. Iam nunc secunda mihi facis. Scibam huic te capitulo hodie
Facturum satis pro iniuriā. Quamquam ego sum sordidatus;
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.
M. Fortasse!
Le. Etiam nunc dico: Periphanes, Rhodo mercator
Dives, absente hero, solus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, et mihi credidit, neque deceptus in eo.
M. Fortasse! *Le.* Atque etiam tu quoque ipse, si esses percontatus
Me ex aliis, scio, pol, crederes nunc quod fers.
M. Haud negassim.

Actus III. Scena I. *Cleareta, Philenium.*

C. Nequeon' ego te interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies?
P. Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
C. An decorum 'st adversari meis te præceptis?
P. Quid est?
C. Hoccine est pietatē colere, matris imperium minuere?
P. Neque, quæ recte faciunt, culpo; neque, quæ delinquunt, amo.
C. Satis dicacula es amatrix.
P. Mater, is quæstu 'st mihi:
Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
C. Ego te volui castigare; tu mi accusatrix ades.
P. Neque, edepol, te accuso, neque id me facere fas existumo.
Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem amo, prohibeor.
C. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi?
P. Et meam partem loquendi, et tuam, trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum, tute habeas portisculum.
Quin, pol si reposivi remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi.
C. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?
Quoties te vetui Argyrippum, filium Demæneti,
Compellare aut contrectare, colloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari iussit ad nos? An tu tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis?
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi iubes.
Illos qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si moriatur mater sua?
Ecastor, nobis periculū magnū et familiæ portenditur,
Du eius exspectamus mortē, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo, nisi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille, ecastor, hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summu 'st apud me inopiæ excusatio.
P. Patiar, si cibo carere me iubeas, mater mea.
C. Non veto ted amare, qui dant, qua amentur gratia.
P. Quid si hic animus occupatu 'st, mater? quid faciam? mone. *C.* Hem!
Meū caput contemples, si quidē ex re consultas tua.
P. Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oveis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo.
C. Intro abi: nam te quidem, edepol, nihil est impudentius.
P. Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

Scena. II. *Leonida, Libanus.*

Le. Perfidiæ laudes gratiasque habemus merito magnas,
Quum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
Qui advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
[Inductoresque] acerrimos, gnarosque nostri tergi,
Qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt;
Eæ nunc legiones, copiæ, exercitusque eorum,
Vi pugnando, periuriis nostris, euge, potiti.
Id virtute huius collegæ, meaque comitate
Factum 'st.
Li. Qui me vir fortior est ad sufferendas plagas?
Le. Edepol, virtutes qui tuas nunc possit collaudare,
Sicut ego possim, quæ domi duellique male fecisti.
Næ, illa, edepol, pro merito nunc tuo memorari multa possunt:
Ubi fidentem fraudaveris; ubi hero infidelis fueris;
Ubi verbis conceptis sciens libenter periuraris;
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus,
Ubi sæpe causam dixeris pendens adversus octo
[Astutos,] audaces viros, valentes virgatores.
Li. Fateor, profecto, ut prædicas, Leonida, esse vera.
Verum, edepol, næ, etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et vero possunt: ubi sciens fideli infidus fueris;
Ubi prehensus in furto sies, et manifesto verberatus;
Ubi periuraris; ubi sacro manus sis admolitus;
Ubi heris damno, molestiæ, et dedecori, sæpe fueris;
Ubi, creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris;
Ubi amicæ, quam amico tuo, fueris magis fidelis;
Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores, ulmeis affectos lentis virgis.
Num male relata 'st gratia? ut collegam collaudavi!
Le. Ut meq; teq; maxume atq; ingenio nostro decuit.
Li. Iam omitte ista; atque hoc, quod rogo, responde.
Le. Rogita quod vis.
Li. Argenti viginti minas habesne? *Le.* Hariolare.
Edepol, senem Demænetum lepidum fuisse nobis.
Ut assimulabat Sauream med esse, quam facete!
Nimis ægre risū continui, ubi hospitem inclamavit,
Quod, se absente, mihi fidem habere noluisset.
Ut memoriter me Sauream vocabat atriensem!
Li. Mane dum. *Le.* Quid est?
Li. Philenium estne hæc, quæ intus exit,
Atque Argyrippus una?
Le. Opprime os: is est: etiam subauscultemus.
Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. Quidnam esse dicam?
Tacite auscultemus.
Li. Attate! modo, hercle, in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. *Le.* Quoi rei?
Li. Qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.

Scena. III.
Argyrippus, Philenium, Libanus, Leonida.

A. Cur me retentas? *P.* Quia tui amans abeuntis egeo.
A. Vale.
P. Aliquando amplius valerem, si hic maneres.
A. Salve.
P. Salvere me iubes, quoi tu abiens affers morbum.
A. Mater supremū mihi tua dixit, domum ire iussit.
P. Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.
Li. Homo, hercle, hinc exclusu 'st foras.
Le. Ita res est. *A.* Mitte, quæso.
P. Quo nunc abis? quin tu hic manes?
A. Nox, si voles, manebo.
Li. Audin' hunc? opere ut largus est nocturno? nunc enim est
Negotiosus interdius: videlicet [Solon est,]
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat. Gerræ
Qui sese parere appareant huius legibus, profecto
Nunquam bonæ frugi sient, dies noctesque potent.

Le. Næ, iste, hercle, ab ista non pedem discedat, si licessit,
Qui nunc festinat, atque ab hac minatur sese abire.
Li. Sermoni iam finem face tuo: huius sermonem accipiam.
A. Vale. *P.* Quo properas?
A. Bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me, iam quantum potest, a vita abiudicabo.
P. Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas?
A. Ego te? quam si intelligam deficere vita, iam ipse
Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam.
P. Cur ergo minitaris tibi, te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis, faxis?
Mihi certum 'st, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.
A. O! melle dulci dulcior mihi tu es.
P. Certe enim tu vita es
Mihi. Complectere. *A.* Facio lubens.
P. Utinam sic efferamur!
Le. O Libane! ut miser est homo qui amat!
Li. Immo, hercle, vero,
Qui pendet, multo est miserior.
Le. Scio, qui periculum feci.
Circumsistamus: alter hinc, hinc alter, appellemus.
Li. Here salve. Sed num fumus est hæc mulier, quam amplexare?
A. Qui dum?
Li. Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.
A. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.
Li. Equidem, hercle, nullum perdidi, ideo quia nunquam ullum habui.
Le. Philenium, salve.
P. Dabunt Dii, quæ velitis, vobis.
Li. Noctē tuam et vini cadum velim, si optata fiant.
A. Verbum cave faxis, verbero!
Li. Tibi equidem, non mihi, opto.
A. Tum tu igitur loquere quod lubet.
Li. Hunc, hercle, verberare.
Le. Quisnam istuc accredat tibi, cinæde calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
A. Ut vostræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe,
Qui hodie nunquam ad vesperum vivam!
Li. Quapropter, quæso?
A. Quia ego hanc amo et hæc me amat: huic quod ego dem, nusquam quidquam 'st.
Hinc med amantem ex ædibus delegit huius mater.
Argenti viginti minæ me ad mortem appulerunt,
Quas hodie adolescens Diabolus ipsi daturus dixit:
Ut hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc annum totum.
Videtin', viginti minæ quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvus est: ego, qui non perdo, pereo.
Li. Iam dedit argentum? *A.* Non dedit.
Li. Bono animo es; ne formida.
Le. Secede huc, Libane: te volo.
Li. Si quid vis. *A.* Obsecro vos:
Eadem istac opera suavius est complexos fabulari.
Li. Non omnia eadem æque omnibus, here, suavia esse scito:
Vobis est suave amantibus complexos fabulari:
Ego complexum huius nil moror.
Le. Meum autem hæc aspernatur.
Proinde istud facias ipse, quod faciamus, nobis suades.
A. Ego vero, et quidem edepol lubens. Interea, si videtur,
Concedite istuc. *Le.* Vin' herum deludi?
Li. Dignu 'st sane.
Le. Vin' faciam ut me Philenium, præsente hoc, amplexetur?
Li. Cupio, hercle. *Le.* Sequere hac.
A. Ecquid est salutis? Satis locuti.
Le. Auscultate, atque operam date, et mea dicta devorate.
Primum omnium, servos tuos nos esse non negamus:
Sed, si tibi viginti minæ argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? *A.* Libertos.
Le. Non patronos?
A. Id potius.
Le. Viginti minæ hic insunt in crumina.
Has ego, si vis, tibi dabo.
A. Dii te servassint semper,
Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amorisque imperator!
Hic pone, hic istam colloca cruminam in collo plane.
Le. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere.
A. Quin tu labore liberas te, atq; istā imponis in me.
Le. Ego baiulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.
A. Quid nunc? quid est? quin tradis huc cruminam pressatum herum?
Le. Hanc, cui daturus hanc, iube petere, atque orare mecum.
Nā istuc proclive 'st, quod iubes, me plane collocare.
P. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi; ne nos deiunge amantis.
Le. Dic igitur me tuū passerculū, gallinā, coturnicē;
Agnellum, hœdillum me tuum dic esse, vel vitellum:
Prehende auriculis; compara labella cum labellis.
A. Ten' osculetur, verbero?
Le. Quam vero indignum visum 'st!
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
A. Quidvis egestas imperat: fricentur. Da nunc, quod oro.
P. Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutē.
Redimis istoc beneficio te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento.
Le. Nimis bella es, atque amabilis: et, si hoc esset meum, hodie
Nunquā me orares quin darē: illū te orare meliu 'st:
Illic hanc mihi servandam dedit. I sane bella belle.
Cape hoc sis, Libane. *A.* Furcifer, etiam me delusisti?
Le. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Agesis, tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc.
Li. Taceas; me spectes.
A. Quin ad hunc, Philenium, aggredimur,
Virū quidem pol optumū, et non simile furis hnius?
Li. Inambulandū 'st: nunc mihi vicissī supplicabunt.
A. Quæso, hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari,
Da mi istas viginti minas. Vides me amantem egere.
Li. Videbitur; factum volo. Redito huc conticinio.
Nunc istanc tantisper iube sis petere atq; orare mecū
P. Amandone exorarier vis te, an osculando?
Li. Enimvero utrumque.
P. Ego obsecro te, et tu utrumque nostrum serva.
A. O Libane, mi patrone! mihi trade istuc. Magis decorum 'st,

Libertũ potius, quam patronũ, onus in via portare.
P. Mi Libane, ocellus aureus, donũ decusq; amoris!
Amabo, faciam quod voles; da istuc argentum nobis.
Li. Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum,
Hirundinem, monedulam, putillum, passerillum.
Fac proserpentẽ bestiã me, duplicẽ ut habeã linguam.
Circumdatoq; me brachiis; meũ collũ circumplecte.
A. Ten' complectatur, carnufex?
Li. Quam vero indignus videor!
Ne istuc nequidquã dixeris tam indignũ dictũ in me,
Vehes pol hodie me, siquidẽ hoc argentũ ferre speres.
A. Ten' ego veham? *Li.* Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?
A. Perii, hercle! Si verũ quidẽ est, herũ vehere servõ,
Inscende. *Li.* Sic isti solent superbi subdomari.
Asta igitur, ut consuetus es puer olim: scin' ut dicã?
Hem sic: abi: laudo: nec te equo magis est equus ullus sapiens.
A. Inscende actutum. *Li.* Ego fecero. Hem! quid istuc est? ut tu incedis!
Demam hercle iam de hordeo, tolutim ni badizas.
A. Amabo, Libane, iam sat est.
Li. Nunquam hercle hodie exorabis.
Nam iam calcari quadrupedẽ agitabo advorsũ clivũ;
Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.
Asta, ut descendam nunc iam in proclivi, quamquam nequam es.
A. Quid nunc? Quoniam ambo, ut est libitum, nos ambo delusistis,
Datisne argentum? *Li.* Siquidem mihi statuam et aram statuis,
Atque, ut Deo, mihi hic immolas bovem: nam ego tibi Salus sum.
Le. Etiam tu, here, istunc amoves abs te, atque ipse me aggredire?
Atque illa, sibi quæ hic iusserat, mihi statuis, supplicasque?
A. Quem te autem Deum nominem?
Le. Fortunam, atque Obsequentem.
A. Iam istoc es melior. *Li.* An quid est olim homini salute melius?
A. Licet laudem Fortunã, tamen, ut ne Salutẽ culpẽ.
P. Ecastor, ambæ sunt bonæ.
A. Sciam, ubi boni quid dederint.
Le. Opta id, quod ut contingat tibi, vis.
A. Quid si optaro? *Le.* Eveniet.
A. Opto, annũ hunc perpetuum, mihi huius operas.
Le. Impetrasti.
A. Ain' vero? *Le.* Certe, inquam.
Li. Ad me adi vicissim, atque experire.
Exopta id, quod via maxume tibi evenire; fiet.
A. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, quoius inopia 'st,
Viginti argenti commodas minas, huius quas dem matri.
Li. Dabuntur: animo sis bono face; exoptata obtingent.
A. Ut consuevere, homines Salus frustratur et Fortuna.
Le. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
Li. Ego pes fui.
A. Quin nec caput nec pes sermonum apparet.
Nec, quid dicatis, nec me cur ludatis, scire possum.
Li. Satis iam delusum censeo: nunc rem, ut est, eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte sis. Pater nos ferre hoc iussit
Argentum ad te *A.* Ut tempore opportuneq; attulistis!
Li. Hic inerunt viginti minæ bonæ, mala opera partæ:
Has tibi nos pactis legibus dare iussit.
A. Quid id est, quæso?
Li. Noctem huius et cœnam sibi ut dares.
A. Iube advenire, quæso.
Meritissumo eius, quæ volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos compulit. *Le.* Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum?
A. Hæc facile faciet, ut patiar.
Leonida, curre, obsecro: patrem huc orato ut veniat.
Li. Iamdudum 'st intus.
A. Hac quidem non venit. *Li.* Angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis se videret
Huc ire familiarium. Ne uxor resciscat, metuit.
De argento, si mater tua sciat ut sit factũ... *A.* Heia!
Benedicite. Ite intro cito. Valete. *Le.* Et vos amate.

ACTUS IV. SCENA. I. *Diabolus, Parasitus.*

D. Agedum, istum ostende, quem conscripsti syngraphum,
Inter me et amicam et lenam: leges perlege:
Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.
P. Horrescet faxo lena, leges quem audiet.
D. Age, quæso, mi, hercle, translege.
P. Audin'? *D.* Audio.
P. Diabolus, Glauci filius, Clearetæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut secum esset noctes et dies
Hunc annũ totũ. *D.* Neque cũ quiquam aliu quidem.
P. Addone? *D.* Adde: et scribas, vide, plane et probe.
P. Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronũ.... *D.* Neminem.
P. Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet,
Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi.
In foribus scribat, occupatam esse se.
Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam,
Ne epistola quidem ulla uspiam sit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula: et, si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat: ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit, comburas, si velis.
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Vocet convivam neminem illa; tu voces.
Ad eorum ne quem oculos adiiciat suos.
Si quem alium adspexit, cæca continuo siet.
Tecum una postea æque pocula potitet.
Abs ted accipiat; tibi propinet; tu bibas. (placet
Ne illa minus aut plus, quam tu, sapiat. *D.* Satis
P. Suspiciones omnes abs se segreget;
Neque illæc ulli pede pedem homini premat.
Cum surgat, neque in lectum inscendat proximum
Neque, cum descendat, inde det cuiquam manum:
Spectandum ne cuiquam annulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoveat, nisi tibi.
Cum iaciat, Te ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam,
Deum nullum. Si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat;
Post, si lucerna exstincta est, nequid sui (mum 'st:
Membri commoveat quidquã in tenebris. *D.* Optu-
Ita scilicet facturam: verum in cubiculo
Deme istuc: equidem illam moveri gestio.
Nolo habere illam causam, et votitam dicere.
P. Scio, captiones metuis. *D.* Verum.
P. Ergo, ut iubes,

Tollā. *D.* Quidni? *P.* Audi reliqua. *D.* Loquere; audio.
P. Neque ullum verbum faciat perplexabile,
Neque ulla lingua sciat loqui nisi Attica.
Forte si tussire occœperit, ne sic tussiat,
Ut cuiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam cuiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Nec ulli verbo male dicat. Si dixerit,
Hæc multa ei esto, vino viginti dies
Ut careat. *D.* Pulchre scripsisti: scitum syngraphum!
P. Tum, si coronas, serta, unguenta iusserit
Ancillam ferre suam Veneri aut Cupidini,
Tuus servus servet, Venerine eas det, an viro.
Si forte pure velle habere dixerit,
Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit.
Hæc sunt non nugæ; non enim mortualia.
D. Placent profecto leges. Sequere intro. *P.* Sequor.

SCENA II. *Diabolus, Parasitus.*

D. Sequere hac. Egon' hæc patiar? aut taceam? emori
Me malim, quam hæc non eius uxori indicem.
Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli
Fungare; uxori excuses te, et dicas senem?
Præripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenæ? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendas potius me, quam tacita tu hæc auferas.
Iam quidē, hercle, ad illā hinc ibo, quā tu propediem
Nisi quidem illa ante occupassit te, effliges, scio,
Luxuriæ sumtus suppeditare ut possies.
P. Ego sic faciendum censeo. Me honestius 'st,
Quam te, palam hanc rem facere, ne illa existumet
Amoris causa percitum id fecisse te,
Magis quam sua causa. *D.* At pol quin dixti rectius.
Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias,
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare. *P.* Iam, ne me mone,
Ego istuc curabo. *D.* At ego te opperiar domi.

ACTUS V. SCENA I. *Argyrippus, Demænetus.*

A. Agedum, decumbamus sis, pater. *D.* Ut iusseris,
Mi gnate, ita fiet. *A.* Pueri, mensam apponite.
D. Numquidnam tibi molestum 'st, gnate mi, si hæc nunc mecum accubat?
A. Pietas, pater, oculis dolorem prohibet. Quamquam ego istanc amo,
Possum equidem inducere animum, ne ægre patiar, quia tecum accubat.
D. Decet verecundum esse adolescentem, Argyrippe.
A. Edepol, pater.
Merito tuo facere possum.
D. Age ergo, hoc agitemus convivium
Vino et sermone suavi. Nolo ego metui: amari mavolo,
Mi gnate, me abs te.
A. Pol, ego utrumque facio, ut æquum 'st filium.
D. Credam istuc, si esse te hilarum videro.
A. An tu esse me tristem putas?
D. Putem ego? quem videam æque esse mœstum, ut quasi dies si dicta sit.
A. Ne dixis istuc.
D. Ne sic fueris; illico ego non dixero.
A. Hem! aspecta: rideo.
D. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant!
A. Scio equidem quamobrem me, pater, tu tristem credas nunc tibi;
Quia istæc est tecum. Atque ego quidem hercle ut verum tibi dicam, pater,
Ea res male habet: ac non eo, quin tibi non cupiam quæ velis:
Verum istam amo: aliam tecum esse equidem facile possim perpeti.
D. At ego hanc volo. *A.* Ergo sunt, quæ exoptas: mihi, quæ ego exoptem, volo.
D. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.
A. Hem! istoc me facto tibi devinxti.
D. Quin te ergo hilarum das mihi?

SCENA II. *Artemona, Parasitus, Demænetus, Argyrippus, Philenium.*

Art. Ain' tu, meum virum hic potare, obsecro, cum filio?
Et ad amicā detulisse argenti viginti minas?
Meoque filio sciente, id facere flagitium patrem?
Pa. Neque divini, neque mi humani posthac quidquam accreduas,
Artemona, si huius rei me esse mendacem inveneris.
Art. At scelesta ego præter alios meum virum fui rata
Siccū, frugi, continentē, amantem uxoris maxime.
Pa. At nunc dehinc scito, illum ante omnes minimi mortalem preti,
Madidum nihili, incontinentem atque osorem uxoris suæ.
Art. Pol ni vera ista essent, numquam faceret ea quæ nunc facit.
Pa. Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus.
Verum hoc factu sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicā ductet decrepitus senex.
Art. Hoc ecastor est, quod ille it ad cœnam cotidie.
Ait sese ire ad Archidemum, Chæreā, Chærestratū,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem.
Is apud scortum corruptelæ et liberis lustris studet.
Pa. Quin tu illum iubes ancillas rapere sublimem domum?
Art. Tace modo me, illum ecastor miserum habebo.
Pa. Ego istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.
Art. Ego censeo
Eum etiam hominem aut in senatu dare operam, aut clientibus:
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille opere foris faciundo lassus, noctu advenit:
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam corruptus, porro suum corrumpit filium.
Pa. Sequere hac me modo; iam faxo ipsum hominem manifesto opprimas.
Art. Nihil ecastor est quod facere mavelim.
Pa. Mane dum. *Art.* quid est?
Pa. Possis, si forte accubantem tuum virum conspexeris,
Cum corona amplexum amicā, si videas, cognoscere?
Art. Possum ecastor. *Pa.* Hem tibi hominem.
Art. Perii. *Pa.* Paulisper mane.
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.
Arg. Quid modi, pater, amplexandi facies?
D. Fateor, gnate mi.
Arg. Quid fatere?
D. Me ex amore huius corruptum oppido.
Pa. Audin' quid ait? *Art.* Audio.
D. Egon' ut non domo uxori meæ

Surripiam, in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci possum vita uxoris annua.
Pa. Censen' tu illum hodie primum ire assuetum esse in ganeum?
Art. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar atque insontes miseras cruciabam.
Arg. Pater,
Iube dare vinum: iamdudum factum 'st, quum primum bibi.
D. Da, puere, ab summo. Age tu interibi ab infimo da suavium.
Art. Perii misera! ut osculatur carnufex, capuli decus!
D. Edepol animam suaviorem aliquanto quam uxoris meæ.
Ph. Dic amabo, an fœtet anima uxoris tuæ?
D. Nauteam
Bibere malim, si necessum 'st, quâ illam oscularier.
Art. Miser ecastor es. *Pa.* Mecastor dignus est.
Arg. Quid ais, pater?
Art. Ain' tandem? edepol næ tu istuc cum malo magno tuo
Dixisti in me: sine! venias modo domum, faxo ut scias
Quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.
Arg. Ecquid matrem amas?
D. Egone? illam nunc amo quia non adest.
Arg. Quid, quom adest? *D.* perisse cupio.
Pa. Amat homo hic te, ut prædicat.
Art. Næ ille ecastor fœnerato funditat: nam si domum,
Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissimum.
Arg. Iace, pater, talos, ut porro nos iaciamus.
D. Maxume.
Te, Philenium, mihi, atque uxori mortem: hoc Venerium 'st.
Pueri plaudite, et mihi ob iactum cantharo mulsum date.
Art. Non queo durare. *Pa.* Si non didicisti fullonicâ,
Non 'st mirandû. In oculos invadi nunc est optumu.
Art. Ego pol vivam, et tu isthæc hodie cum tuo magno malo
Invocavisti. *Pa.* Ecquis currit pollinctorê arcessere?
Arg. Mater, salve. *Art.* Sat saluti 'st.
Pa. Mortuu 'st Demænetus.
Tempus est subducere hinc me: pulchre hoc gliscit prœlium.
Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque, interea ut decumbamus, suadebo, hi dum litigant.
Post, eum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Ei det, in parte, hac amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari spero poterit, ut sinat
Sese alternas cum illo noctes hac frui: nam, ni impetro,
Regem perdidi: ex amore tantum 'st homini incendium.
Art. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?
Ph. Pol, me quidem
Miseram odio enicavit. *Art.* Surge, amator; i domu.
D. Nullus sum. *Art.* Immo es, ne nega, omnium, pol, nequissimus.
At etiam cubat cuculus. Surge, amator: i domum.
D. Væ mihi!
Art. Vera hariolare. Surge, amator: i domum.
D. Abscede ergo paululum istuc.
Art. Surge, amator: i domum.
D. Iam, obsecro, uxor.
Art. Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo, quum dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.
D. Totus perii!
Art. Quid tandem? anima fœtetne uxoris tuæ?
D. Murrham olet.
Art. Iam surripuisti pallam, quam scorto dares?
Arg. Ecastor, quin surrepturum pallâ promisit tibi.
D. Non taces? *Arg.* Ego dissuadebam, mater.
Art. Bellum filium!
Istoscine patrem æquom 'st mores liberis largirier?
Nilne te pudet?
D. Pol, si aliud nihil sit, tui me, uxor, pudet.
Art. Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit!
D. Non licet manere (cœna coquitur) dum cœnem modo?
Art. Ecastor, cœnabis hodie, ut te dignum 'st, magnum malum.
D. Male cubandum 'st: iudicatum me uxor abducit domum.
Arg. Dicebam, pater, tibi, ne matri consuleres male.
Ph. De palla memento, amabo.
D. Iuben' hanc hinc abscedere?
Ph. Immo intus potius: sequere hac me, mi anime.
D. Ego vero sequor.
Art. I domum. *Ph.* Da savium etiâ prius quam abis.
D. I in crucem.

GREX.

Hic senex si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup',
Neque novum neque mirum fecit, nec secus quam alii solent.
Nec quisquam 'st tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene.
Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet,
Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.

AULULARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

Lar, *prologus.*
Euclio, *senex.*
Staphyla, *anus.*
Eunomia, *mulier.*
Megadorus, *senex.*
Strobilus, *geminus servus.*
Congrio, Anthrax, *coci.*
Pythodicus, *servus.*
Lyconides, *adolescens*
Phædra, *puella.*

Argumentum (Prisciani?)

Aulam repertam auri plenam Euclio
Vi summa servat; miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere.
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio; abstrudit foris:
Reque omni inspecta, compressoris servulus
Id surpit. Illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, et filio.

Prologus. *Lar Familiaris.*

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum Familiaris ex hac familia,
Unde exeuntem me aspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est quom possideo, et [colo]
Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet.

Sed mihi avus huius obsecrans concredidit
Thesaurum auri clam omneis: in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is [quoniam] moritur, ita avido ingenio fuit,
Nunquam indicare id filio voluit suo:
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum commonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Quo cum labore magno, et misere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi observare, ecqui maiorem filius
Mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire honoribus.
Item a me contra factum 'st: nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avusque huius fuit.
Huic filia una est: ea mihi cotidie
Aut thure aut vino, aut aliqui, semper supplicat:
Dat mihi coronas. Eius honoris gratia,
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nuptum, si vellet, daret.
Nam compressit eam de summo adolescens loco.
Is scit adolescens, quæ sit, quam compresserit:
Illa illum nescit, neque compressam autem pater.
Eam, ego hodie faciam, ut, hic senex de proximo
Sibi uxorem poscat. Id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat.
Et hic, qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adolescentis illius est avunculus,
Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex iam clamat intus, ut solet.
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere volt, ne surreptum siet.

Actus I, Scena I. *Euclio, Staphyla.*

E. Exi, inquam! age, exi! exeundum, hercle, tibi
hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
S. Nam cur me miseram verberas? *E.* Ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.
S. Nam qua me nunc causa extrusisti ex ædibus?
E. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio; illuc sis. Vide, ut
Incedit! at scin' quo modo tibi res se habet?
Si hodie, hercle, fustem cepero aut stimulū in manū,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
S. Utinam me Divi adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam.
E. At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos, hercle, ego istos, improba, effodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum gêram.
Abscede: etiam nunc: etiam nunc: etiam: ohe!
Istic adstato. Si, hercle, tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo, hercle, ego te dedam discipulam cruci.
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam: nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum;
Quæ in occipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo, ut visam, estne ita aurum ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
S. Nec nunc, mecastor, quid hero ego dicam meo
Malæ rei evenisse, quamve insaniam,
Queo comminisci; ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
Nescio, pol, quæ illunc hominem intemperiæ tenent;
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius,
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
Neque iam, quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminisci: neque quidquam meliu'st mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

Scena II. *Euclio, Staphyla.*

E. Nunc defæcato demum animo egredior dômo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi nunc iam intro, atque intus serva. *S.* Quippini
Ego intus servem? an, ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus;
Ita inaniis sunt oppletæ atque araneis.
E. Mirum quin tua nunc me causa faciat Iupiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum, fateor, patior: quod Dii dant, fero.
Abi intro, occlude ianuam. Iam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in ædis intromiseris.
Quod quispiam ignem quærat, exstingui volo,
Ne causæ quid sit, quod te quisquam quæritet:
Nam, si ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse, atque abstulisse, dicito.
Profecto in ædes meas, me absente, neminem
Volo intromitti; atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
S. Pol, ea ipsa, credo, ne intromittatur, cavet:
Nam ad ædis nostras nusquam adiit, quamquam
prope 'st.
E. Tace, atque abi intro. *S.* Taceo, atque abeo.
E. Occlude sis
Fores ambobus pessulis. Iam ego hic ero.
Discrucior animi, quia ab domo abeundum 'st mihi.
Nimis, hercle, invitus abeo: sed, quid agam, scio.
Nam noster nostræ qui est magister curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id si relinquo, ac non peto, omnes illico
Me suspicentur, credo, habere aurum domi:
Nam non est verisimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc, quom celo sedulo omnes, ne sciant,
Omnes videntur scire; et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius.
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras:
Rogitant me, ut valeam? quid agam? quid rerū gerā?
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursum, quantum potero, tantum recipiam.

Actus II. Scena I. *Eunomia, Megadorus.*

E. Velim te arbitrari, me hæc verba, frater,
Meæ fidei tuæque rei hoc causa
Facere, ut æquom 'st germanam sororem:
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi;
Nam multum loquaces merito omnes habemur;
Nec mutam profecto repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique item esse te;
Ut æquom 'st, quod in rem esse utrique arbitramur,
Et mihi te, et tibi me, consulere et monere:
Neque occultum id haberi, neq; per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, et tu me ut facias.
Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

M. Da mihi, optuma fœmina, manum.
E. Ubi ea est? quis ea
Est nam optuma? *M.* Tu. *E.* Tune ais? *M.* Si negas,
Nego. *E.* Decet te equidem vera proloqui:
Nam optuma nulla potest eligi: alia alia
Peior, frater, est. *M.* Idem ego arbitror; nec tibi
Advorsari certum 'st de istac re umquam, soror.
E. Da mihi operam, amabo. *M.* Tua est: utere,
Atque impera, si quid vis. *E.* Id quod in rem tuam
Optumum esse arbitror, te id admonitum advento.
M. Soror, more tuo facis. *E.* Facta volo.
M. Quid est id,
Soror? *E.* Quod tibi sempiternum salutare
Sit, procreandis liberis, ita Dii faxint!
Volo te uxorem domum ducere. *M.* Hei occidi!
E. Quid ita? *M.* Quia mihi misero cerebrū excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris. *E.* Heia! hoc face
Quod te iubet soror. *M.* Si lubeat, faciam. *E.* In rem
Hoc tuam 'st. *M.* Ut quidē emoriar, priusquā ducā.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam; quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
E. Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu: media est mulieris ætas.
Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.
M. Num non vis me interrogare te?
E. Immo, si quid vis, roga.
M. Post mediā ætatē, qui mediā ducit uxorē domū,
Si eam senex anum prægnantem fortuito fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istū, soror, laborē degā, et deminuā tibi.
Ego, virtute Deum et maiorū nostrū, dives sū satis.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpurā,
Nil moror, quæ in servitutē sumtibus redigunt viros.
E. Dic mihi, quæso, quis ea 'st, quam vis ducere uxorem? *M.* Eloquar.
Nostin' hunc senē Euclionē ex proxumo pauperculū?
E. Novi, hominem haud malum, mecastor!
M. Eius cupio filiam
Virginem mihi desponderi: verba ne facias, soror.
Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Hæc pauper placet.
E. Dii bene vertant! *M.* Idem ego spero. *E.* Quid! me nunc quid vis? *M.* Vale.
E. Et tu, frater. *M.* Ego conveniā Euclionē, si domi
Est: sed eccum. Nescio unde sese homo recipit domū.

Scena II. *Euclio, Megadorus.*

E. Præsagibat mi animus, frustra me ire, quom exibam domo:
Itaque abibam invitus: nam neq; quisquam curialiū
Venit, neq; magister, quē dividere argentū oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic; animus domi 'st.
M. Salvus atque fortunatus, Euclio, semper sies.
E. Dii te ament, Megadore.
M. Quid tu? recten', atque ut vis, vales?
E. Non temerarium 'st, ubi dives blande appellat pauperem.
Iam illic homo aurum me scit habere: eo me salutat blandius.
M. Ain' tu te valere?
E. Pol, ego haud a pecunia perbene.
M. Pol, si est animus æquus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.
E. Anus, hercle, huic indicium fecit de auro: perspicue palam 'st:
Cui ego iā linguā præcidā, atq; oculos effodiā domi.
M. Quid tu solus tecum loquere?
E. Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandē, dote cassā, atque illocabilē;
Neque eam queo locare cuiquam.
M. Tace: bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adiuvabere a me: dic, si quid opus est; impera.
E. Nunc petit, quom pollicetur; inhiat aurum, ut devoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.
Nemini credo, qui large blandu 'st dives pauperi:
Ubi manū inicit benigne, ibi onerat aliquā zamiā.
Ego istos novi polypos, qui sibi, quidquid tetigerint, tenent.
M. Da mi operam parumper. Paucis, Euclio, est quod te volo.
De communi re appellare, mea et tua.
E. Hei misero mihi!
Aurū mi intus harpagatū 'st. Nunc hic eā rē volt, scio,
Mecum adire ad pactionem. Verum intervisā domū.
M. Quo abis? *E.* Iam ad te revortar: namque est, quod visam domum.
M. Credo, edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquam 'st alter hodie ex paupertate parcior.
E. Dii me servant: salva res est: salvom 'st, si quid non perit.
Nimis male timui priusquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.
M. Habeo gratiam.
Quæso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
E. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
M. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum?
E. Bono.
M. Quid fide? *E.* Bona. *M.* Quid factis?
E. Neque malis, neque improbis.
M. Ætatem meam scis?
E. Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
M. Certe, edepol, equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.
E. Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *M.* Quoniam tu me, et ego te qualis sis, scio;
Quæ res recte vortat mihique, tibique, tuæque filiæ,
Filiam tuam mihi uxorem posco: promitte hoc fore.
E. Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem, atque innoxium abs te atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re neque verbis merui, ut faceres, quod facis.
M. Neque, edepol, ego te derisum venio, neque derideo;
Neque dignum arbitror.
E. Cur igitur poscis meam gnatam tibi?
M. Ut, propter me, tibi sit melius, mihique propter te et tuos.
E. Venit hoc mi, Megadore, in mentem, ted esse hominem divitem,
Factiosum; me item hominem pauperū pauperrumū.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentē venit,
Te bovem esse, et me esse asellum. Ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;

Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.
Et ted utar iniquiore, et meus med ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.
Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.
Hoc magnum 'st pericium, ab asinis me ad boves transcendere.
M. Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optumum 'st. Tu conditionem hanc accipe: ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi.
E. At nihil est dotis, quod dem. *M.* Ne duas.
Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.
E. Eo dico, ne me thesauros reperisse censeas.
M. Novi; ne doceas. Desponde.
E. Fiat: sed, pro Iupiter!
Non ego disperii? *M.* Quid tibi est?
E. Quid crepuit quasi ferrum modo?
M. Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam, si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congrediri: per metū male rem gerit.
Idem, quando illæc occasio periit, post sero cupit.
E. Si, hercle, ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Impero, auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.
M. Video, hercle, ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta ætate ludos facias, haud merito meo.
E. Neque, edepol, Megadore, facio; neque, si cupiam, copia 'st.
M. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?
E. Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *M.* Sponden' ergo?
E. Spondeo.
Istuc Dii bene vortant! *M.* Ita Dii faxint!
E. Illud facito ut memineris,
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
M. Memini. *E.* At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum 'st, non pactum pactum 'st, quod vobis lubet.
M. Nulla controversia mihi tecū erit. Sed, nuptias
Hodie quin faciamus, num quæ causa est?
E. Immo, edepol, optuma.
M. Ibo igitur: parabo: numquid me vis? *E.* Istuc.
M. Fiet: vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.
E. Illic hinc abiit. Dii immortales! obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illum iam inaudisse, mihi esse thesaurum domi:
Id inhiat: ea affinitatem hanc obstinavit gratia.

SCENA. III. *Euclio, Staphyla.*

E. Ubi tu es, quæ deblateravisti iam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturū dotē? Heus, Staphyla! te voco;
Ecquid audis? vascula intus pure propera, atque elue.
Filiam despondi ego: hodie nuptum huic Megadoro dabo.
S. Dii bene vortant! Verum, ecastor, non potest: subitum 'st nimis.
E. Tace, atque abi: curata fac sint, quom a foro redeam domum.
Atque occlude ædes: iam ego hic adero.
S. Quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adest exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo prope adest, ut fiat palam,
Quod celatum 'st atque occultatum usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut, herus quæ imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam, ecastor, malum mœrorem, metuo, ne mixtum bibam.

SCENA IV. *Strobilus, Anthrax, Congrio.*

S. Postquam opsonavit herus, et conduxit coquos,
Tibicinasque hasce, apud forum; edixit mihi,
Ut dispartirem opsonium hic bifariam.
A. Me quidem, hercle, dicam palam, non divides.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
C. Bellum et pudicum vero prostibulum popli.
Post si quis vellet te, haud non velles dividi?
S. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc quod tu insimulas. Sed herus nuptias
Meus hodie faciet. *C.* Cuius ducit filiam?
S. Vicini huius Euclionis e proxumo.
Ei adeo opsoni hinc dimidium iussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
C. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi?
S. Nempe sicut dicis. *C.* Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiæ in nuptiis?
S. Vah! *C.* Quid negoti 'st? *S.* Quid negoti sit, rogas?
Pumex non æque est aridus, atque hic est senex.
C. Ain' tandem ita esse ut dicis? *S.* Tute existuma.
Quin Divum atque hominū clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin, cum it dormitum, follem sibi obstringit ob gulam.
C. Cur? *S.* Ne quid animæ forte amittat dormiens.
C. Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animæ forte amittat dormiens?
S. Hæc mihi te, ut tibi me, æquom est credere.
C. Immo equidem credo. *S.* At scin' etiam quomodo?
Aquam, hercle, plorat, quom lavat, profundere.
C. Censen' talentum magnum exorari potesse
Ab istoc sene, ut det, qui fiamus liberi?
S. Famē, hercle, utendam si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues demserat;
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
C. Edepol, mortalem parce parcum prædicas!
Censen' vero adeo parce et misere vivere?
S. Pulmentum pridem ei deripuit miluus:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare, plorans, eiulans,
Ut sibi liceret miluum vadarier.
Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum 'st celerior? memora mihi.
C. Ego, ut multo melior. *S.* Cocū ego, non furē rogo.
C. Cocū ego dico. *S.* Quid tu ais? *A.* Sic sū, ut vides.
C. Cocus ille nundinalis est; in nonum diem
Solet ire coctum. *A.* Tun*, trium literarum homo,
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.
S. Tace nunc iam tu: atque, agnum horunc uter est pinguior.....
C. Licet. *S.* Tu, Congrio, eum sume, atque abi
Intro illuc, et vos illum sequimini:
Vos cæteri illuc ad nos. *A.* Hercle, iniuria
Dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.

S. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia: tu autem, Eleusium,
Huc intro abi ad nos. *C.* O Strobile subdole,
Huccine detrusisti me ad senem parcissumum?
Ubi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur. *S.* Stultum et sine gratia 'st,
Ibi recte facere, quando, quod facias, perit.
C. Qui vero? *S.* Rogitas? iam, principio, in ædibus
Turba istic nulla tibi erit: si qui uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poscere.
Hic apud nos magna turba, ac magna familia 'st)
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea;
Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam 'st)
Dicant, coci abstulerunt; comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi istic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est. Sequere hac me.
C. Sequor.

SCENA V. *Strobilus, Staphyla, Congrio.*

Str. Heus, Staphyla, prodi, atque ostium aperi.
Sta. Qui vocat?
Str. Strobilus. *Sta.* Quid vis?
Str. Hos ut accipias coquos,
Tibicinamque, obsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni hæc mittere.
Sta. Cererine, Strobile, has facturi nuptias?
Str. Qui? *Sta.* Quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At iam afferetur, si a foro ipsus redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla sunt. *C.* Sunt asseres?
Sta. Sunt, pol. *C.* Sunt igitur ligna; ne quæras foris.
Sta. Quid? impurate, quamquam Volcano studes,
Cœnæne causa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos nostras ædes postulas comburere?
C. Haud postulo. *Str.* Duc istos intro. *Sta.* Sequi-(mini.

SCENA VI. *Pythodicus.*

Curate: ego intervisam quid faciant coqui:
Quos, pol, ut ego hodie servem, cura maxuma 'st;
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant,
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint;
Superi incœnati sunt, et cœnati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

SCENA VII. *Euclio, Congrio.*

E. Volui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene haberem filiai in nuptiis.
Venio ad macellum, rogito pisceis. Indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est, qui emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi: Festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris,
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Accessit animus ad meam sententiam,
Quam minimo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi, et hasce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædeis nostras conspicor?
Et strepitu 'st intus. Numnam ego compilor miser?
C. Aulam maiorem si potes, vicinia
Pete: hæc est parva; capere non quit. *E.* Hei mihi!
Perii, hercle! aurum rapitur; aula quæritur.
Nimirum occidor, ni intro huc propere currere.
Apollo, quæso, subveni mihi, atque adiuva:
Confige sagittis fures thesaurarios!
Quoi in re tali iam subvenisti antidhac.
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

SCENA VIII. *Anthrax.*

Dromo, desquama pisces: tu, Machærio,
Congrum, murænam, exdorsua, quantum potes:
Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiu 'st.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui, hercle, credo, faciunt officium suum.
Fugiam intro, ne quid hic turbæ fiat itidem.

ACTUS III. SCENA I. *Congrio.*

Optati cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes,
Date viam, qua fugere liceat; facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum;
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulchrius:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus.
Atat, perii, hercle, ego miser! aperit Bacchanal; adest:
Sequitur. Scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docuit.

SCENA II. *Euclio, Congrio.*

E. Redi. Quo fugis nunc? tene, tene.
C. Quid, stolide, clamas?
E. Quia ad Tresviros iam ego deferam tuum nomen.
C. Quamobrem?
E. Quia cultrum habes. *C.* Cocum decet.
E. Quid comminatus
Mihi? *C.* Istuc male factum arbitror, quia non latus fodi.
E. Homo nullus est te scelestior, qui vivat hodie,
Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.
C. Pol, etsi taceas, palam id quidem 'st: res ipsa testis est.
Ita fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinædus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est? quæ res?
C. Etiam rogitas? An quia minus, quam æquom erat, feci?
C. Sine: at, hercle, cum malo magno tuo, si hoc caput sentit.
E. Pol, ego haud scio quid post fiat; tuum nunc caput sentit?
Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negoti, (ergo
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire. *C.* Tace
Quia venimus coctum ad nuptias.
E. Quid tu, malum, curas,
Utrum crudum an coctum edim, nisi tu mihi es tutor?
C. Volo scire, sinas an non sinas nos coquere hic cœnam?
E. Volo scire itē ego, meæ domi meane salva futura?

C. Utinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, salva!
Me haud pœnitet, tua ne expetam.
E. Scio: ne doce, novi.
C. Quid est, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi sequius, quam velles?
E. Etiam rogitas, sceleste homo, qui angulos omnis
Mearum ædium et conclavium mihi pervium facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile haberes caput: merito id tibi factum est.
Adeo, ut tu meam sententiã iam iam noscere possis,
Si ad ianuam huc accesseris, nisi iussero, propius,
Ego te faciam miserrumus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam? quo abis? redi rursum.
C. Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi reddi
Mihi vasa iubes, pipulo hic differam ante ædis.
Quid ego nunc agam? uæ, ego, edepol, veni huc auspicio malo.
Nummo sum conductus: plus iam medico mercede opus est.

SCENA III. *Euclio, Congrio.*

E. Hoc quidem, hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram:
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet.
Ite sane nunc iam intro omnes, et coqui, et tibicinæ.
Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc iam quantum lubet.
C. Temperi: postquam implevisti fustibus istorum caput.
E. Intro abi; opera huc conducta 'st vostra, non oratio.
C. Heu, senex, pro vapulando, hercle, ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.
E. Lege agito mecum; molestus ne sis: i, et cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus.
C. Abi tu modo.

SCENA IV. *Euclio.*

Illic hinc abiit. Dii immortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit rem habere, aut negotium!
Veluti Megadorus tentat me omnibus miserum modis:
Qui simulavit, mei honoris mittere huc causa coquos,
Is ea causa misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit pænissume.
Ubi erat hæc defossa, occepit ibi scalpurire ungulis
Circumcirca. Quid opu 'st verbis? ita mi pectus peracuit;
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego, edepol, illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam fecisset. Exemi e manu manubrium.
Quid opu 'st verbis? facta 'st pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis, eccum, incedit a foro.
Iam hunc non ausim præterire, quin consistam et colloquar.

SCENA V. *Megadorus, Euclio.*

M. Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant cæteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum;
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur:
Et illæ malam rem metuant, quam metuunt, magis;
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem 'st optumum.
In pauciores avidos altercatio 'st:
Quorum animis avidis, atque insatietatibus,
Neque lex, neq; tutor capere est qui possit modum.
Namque, hoc qui dicat: Quo illæ nubent divites
Dotatæ, si istud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.
E. Ita me Dii amabunt, ut ego hunc ausculto lubens.
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
M. Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mi quidem æquom 'st purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.
E. Ut matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
M. Nunc, quoquo venias, plus plaustrorũ in ædibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum 'st, præ quam ubi sumtus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius:
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobrecharii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant; astant molochinarii;
Strophiarii astant: astant semizonarii.
Iam hosce absolutos censeas; cedunt, petunt
Textores, limbolarii, arcularii
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Ducuntur; datur æs: hosce absolutos censeas,
Treceni cum stant phylacistæ in atriis,
Cum incedunt infectores crocotarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.
E. Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.
M. Ubi nugigerulis res soluta 'st omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles; æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.
Impransus miles astat, æs censet dari.
Ubi disputata 'st ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultro debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumtusque intolerabiles.
Nam, quæ indotata 'st, ea in potestate est viri;
Dotatæ mactant et malo et damno viros.
Sed eccum affinem ante ædes. Quid ais, Euclio?

SCENA VI. *Euclio, Megadorus.*

E. Nimium lubenter edi sermonem tuum.
M. Au'? audivisti? *E.* Usque a principio omnia.
M. Tamen,

E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiai in nuptiis.
E. Pro re nitorem, et gloriam pro copia,
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient.
Neque, pol, Megadore, mihi, neque quoiquam pauperi,
Opinione melius res structa 'st domi.
M. Immo est, et Dii faciant uti siet diu,
Plus plusque auspitent istuc, quod nunc habes.
E. Illud mihi verbum non placet, Quod nunc habes.
Tã hoc scit me habere, quã egomet. Anus fecit palã.
M. Quid tu te solus e senatu sevocas?
E. Pol, ego, te ut accusem merito, meditabar.
M. Quid est?
E. Quid sit, me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in ædibus misero mihi:
Qui intromisisti in ædeis quingentos coquos,
Cum senis manibus, genere Geryonaceo;
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is nunquam servet: præterea tibicinam,
Quæ mi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenem potest.
Tum obsonium autem! *M.* Pol, vel legioni sat est.
Etiam agnum misi. *E.* Quo quidem agno, sat scio,
Magis curiosam nusquam esse ullam belluam.
M. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.
E. Qui ossa atque pellis totu 'st, ita cura macet.
Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet quasi laterna Punica.
M. Cædundum illum ego conduxi.
E. Tum tu idem, optumum 'st,
Loces efferendum; nam iam, credo, mortuu 'st.
M. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
E. Non potem ego quidem, hercle. *M.* At ego iussero
Cadum unum vini veteris a me afferrier.
E. Nolo, hercle: nam mihi bibere decretum 'st aquã.
M. Ego te hodie reddam madidum, sed vino, probe,
Te, cui decretum 'st bibere aquam.
E. Scio, quam rem agat:
Ut me deponat vino, eam affectat viam:
Post, hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foris.
Ego faxo, et operam et vinum perdiderit simul.
M. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.
E. Edepol, næ tu, Aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod concreditum 'st tibi.
Nunc hoc mihi factum 'st optumum, te ut auferam,
Aula, in Fidei fanum; ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me, et ego te: cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

ACTUS IV. SCENA I. *Strobilus.*

Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor:
Nec moræ molestiæque imperium herile habeat sibi.
Nam, qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servom sese ut cogitet:
Nam, qui amanti hero servitutem servit, quasi ego servio,
Si herum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor,
Retinere ad salutem: non eum, quo incumbat, eo impellere.
Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent, et moveant manus;
Eodẽ modo servõ ratẽ esse amanti hero æquõ censeo,
Ut toleret, ne pessũ abeat, tamquã [catapirateria.]
Herile imperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant.
Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula.
Nec sua opera rediget unquã in splendorẽ compedes.
Nunc herus meus amat filiã huius Euclionis pauperis:
Eam, hero nunc renuntiatum 'st, nuptum huic Megadoro dari.
Is speculatum huc misit me, ut, quæ fierent, fierem particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic assidam sacra.
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

SCENA II. *Euclio, Strobilus.*

E. Tu modo cave cuiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides.
Non metuo ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm 'st.
Edepol, næ illic pulchram prædam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri! verum id te quæso ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinã faciam, ne affinẽ morer,
Quin, ubi arcessat me, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurũ: in tuo fano modo 'st sitũ.
S. Dii immortales! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fides,
Cave tu illi fidelis, quæso, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, huius, herus meus quam amat.
Ibo hinc intro: perscrutabor fanũ, si inveniam uspiã
Aurũ, dũ hic est occupatus: sed si, repperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciã: verum ego mihi bibã, ubi id fecero.

SCENA III. *Euclio.*

Non temere 'st, quod corvus cantet mihi nunc ab læva manu.
Semel radebat pedibus terram, et voce crocibat sua:
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere.

SCENA IV. *Euclio, Strobilus.*

E. I foras, lumbrice, qui sub terra crepsisti modo,
Qui modo nusquam comparebas: nunc, quom compares, peris.
Ego, edepol, te, præstigiator, miseris iam accipiam modis.
S. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum 'st commerci, senex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa verberas?
E. Verberabilissume, etiã rogitas? non fur, sed trifur!
S. Quid tibi surripui? *E.* Redde huc sis.
S. Quid tibi vis reddam? *E.* Rogitas?
S. Nihil equidem tibi abstuli.
E. At illud, quod tibi abstuleras, cedo.
Ecquid agis? *S.* Quid agam? *E.* Auferre non potes.
S. Quid vis tibi?
E. Pone. *S.* Equidem, pol, te datare credo consuetum senex.
E. Pone hoc sis: aufer cavillum: non ego nunc nugas ago.

S. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.
Non, hercle, equidem quidquam sumsi, nec tetigi. *E.* Ostende huc manus.
S. Hem tibi! *E.* Ostende. *S.* Eccas.
E. Video. Age, ostende etiam tertiam.
S. Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem.
Facin' iniuriam mi, an non?
E. Fateor, quia non pendes, maxumam,
Atq; id quoq; iam fiet, nisi fatere. *S.* Quid fatear tibi?
E. Quid abstulisti hinc? *S.* Dii me perdant, si ego tui quidquam abstuli.
Nive adeo abstulisse vellem. *E.* Agedum, excutedum pallium.
S. Tuo arbitratu. *E.* Ne inter tunicas habeas.
S. Tenta, qua lubet.
E. Vah, scelestus, quam benigne! ut ne abstulisse intellegam.
Novi sycophantias. Age rursum, ostende huc manum
Dexteram. *S.* Hem! *E.* Nunc lævam ostende.
S. Quin equidem ambas profero.
E. Iam scrutari mitto. Redde huc. *S.* Quid reddam?
E. Ah! nugas agis,
Certe habes. *S.* Habeo ego? quid habeo?
E. Non dico: audire expetis,
Id meum, quidquid habes, redde.
S. Insanis: perscrutatus es
Tuo arbitratu; neq; tui me quidquā invenisti penes.
E. Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul?
Perii, hercle! ille nunc intus turbat: hunc si amitto hic abierit.
Postremo iam hunc perscrutavi. Hic nihil habet. Abi, quo lubet.
Iupiter te Diique perdant. *S.* Haud male agit gratias.
E. Ibo hinc intro, atque illi socio tuo iam interstringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin', an non? *S.* Abeo.
E. Cave sis te videam.

SCENA V. *Strobilus.*

Emortuum ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni.
Nam hic iam non audebit aurum abstrudere.
Credo, referet iam secum, et mutabit locum.
Atat! foris crepuit. Senex, eccū, aurū effert foras.
Tantisper hic ego ad ianuam concessero.

SCENA VI. *Euclio, Strobilus.*

E. Fidei censebam maxumam multo fidem
Esse. Ea sublevit os mihi pænissume.
Ni subvenisset corvus, periissem miser.
Nimis, hercle, ego illum corvū, ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam: nam, quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum 'st avius,
Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
Certum 'st, Silvano potius credam, quam Fide.
S. Euge, euge! Dii me salvum et servatum volunt.
Iam ego illuc præcurram, atque inscendam aliquam in arborem:
Indeque observabo, aurum ubi abstrudat senex.
Quamquam hic manere herus me sese iusserat,
Certum 'st, malam rem potius quæram cum lucro.

SCENA VII. *Lyconides, Eunomia, Phædra.*

L. Dixi tibi, mater: iuxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia. Nunc, te obsecro,
Fac mentionem cum avonculo, mater mea:
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram.
E. Scis tute, facta velle me, quæ tu velis.
Et istuc confido a fratre me impetrassere.
Et causa iusta est, siquidem ita est ut prædicas,
Te eam compressisse vinolentum virginem.
L. Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?
P. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet.
Iuno Lucina, tuam fidem! *L.* Hem! mater mea,
Tibi rem potiorem video: clamat, parturit.
E. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
[Ut istuc, quod me oras, impetratum ab eo auferam.]
L. I; iam sequor te, mater. Sed servom meum
Strobilum miror ubi sit, quem ego me iusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi irasci iniurium 'st.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

SCENA VIII. *Strobilus.*

[Pici] divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego solus supero: nam istos reges ceteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
Nam, ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior,
Multoque prius me collocavi in arborem:
Indeque expectabam ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
Effodio aulam auri plenam: inde exeo: illico
Video recipere se senem: ille me non videt:
Nam ego modo declinavi paulum me extra viam.
Atat! eccum ipsum. Ibo, ut hoc condam, domum.

SCENA IX. *Euclio, Lyconides.*

E. Perii! interii! occidi! quo curram? quo non curram?
Tene, tene! quem? quis? nescio; nihil video; cæcus eo; atque
Equidem, quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo
Certum investigare. Obsecro vos ego, mihi auxilio,
Oro, obtestor, sitis, et hominem demonstretis, qui eam abstulerit,
Qui vestitu et creta occultant sese, atque sedent, quasi sint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum 'st: nam, esse bonum, e vultu cognosco.
Quid est? quid ridetis? Novi omnes: scio fores esse hic complures.
Hem! nemo habet horum. Occidisti. Dic igitur, quis habet? nescis!
Heu me miserum! miserum! perii male perditus! pessume ornatus eo.
Tantum gemiti et malæ mœstitiæ hic dies mihi obtulit;
Famem et pauperiem: perditissimus ego sum omnium in terra.
Nam quid mihi opus est vita, qui tantum auri perdidi?
Quod custodivi sedulo: egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum: nunc eo alii lætificantur,
Meo malo et damno: pati nequeo.
L. Quinam homo hic ante ædis nostras eiulans conqueritur mœrens?
Atque hic quidem Euclio est. Est, opinor. Oppido ego interii: palam est res.
Scit peperisse iam ut ego opinor, filiam suam. Nunc mihi incertum est,

Quid agam: abeam? an maneam? an adeam? an fugiam? quid agam, edepol, nescio.

SCENA X. *Euclio, Lyconides.*

E. Quis homo hic loquitur? *L.* Ego sum.
E. Immo ego sum miser, et misere perditus,
Cui tanta mala, mœstitudoque obtigit.
L. Animo bono es.
E. Quo, obsecro, pacto esse possum?
L. Quia istuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, et fateor.
E. Quid ego ex te audio?
L. Id quod verum 'st.
E. Quid ego emerui, adolescens, mali,
Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?
L. Deus impulsor mihi fuit: is me ad illam illexit.
E. Quo modo?
L. Fateor peccavisse; et hanc me culpam commeritum scio.
Id adeo te oratum advenio, ut animo æquo ignoscas mihi.
E. Cur id ausus facere, ut id, quod non tuum esset, tangeres?
L. Quid vis fieri? factum 'st illud: fieri infectum non potest.
Deos credo voluisse: nam, ni vellent, non fieret, scio.
E. At ego Deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem.
L. Ne istuc dixis.
E. Quid tibi ergo meam me invito tactio 'st?
L. Quia vini vitio atque amoris feci.
E. Homo audacissume!
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, impudens?
Nam, si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Post, id, si prehensi sumus, excusemus, ebrios
Nos fecisse amoris causa. Nimis vile 'st vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.
L. Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.
E. Non mi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse: non attactam oportuit.
L. Ergo, quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam
Ego habeam potissumum.
E. Tun' habeas, me invito, meam?
L. Haud, te invito, postulo: sed meam esse oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam esse oportere, Euclio.
E. Nisi refers.... *L.* Quid tibi ego referam?
E. Quod surripuisti meum.
Iam quidem, hercle, te ad prætorem rapiam, et tibi scribam dicam.
L. Surripio ego tuum? unde? aut quid id est?
E. Ita te amabit Iupiter,
Ut tu nescis? *L.* Nisi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.
E. Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi
Te abstulisse.
L. Neque, edepol, ego dixi, neque feci.
E. Negas?
L. Pernego immo: nam neque ego aurum, neque, istæc aula quæ siet,
Scio, nec novi. *E.* Illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedo.
I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero. I vero; refer.
L. Sanus tu non es, qui furem me voces. Ego te, Euclio,
De alia re rescivisse censui, quod ad me attinet.
Magna est res, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.
E. Dic bona fide: tu id aurū non surripuisti? *L.* Bona.
E. Neq; scis, quis abstulerit? *L.* Istuc quoque bona.
E. Atque, id si scies,
Qui abstulerit, mihi indicabis? *L.* Faciam.
E. Neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, inde posces: neque furē excipies?
L. Ita.
E. Quid si fallis?
L. Tum me faciat, quod volt, magnus Iupiter.
E. Sat habeo. Age nunc, loquere quid vis.
L. Si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus; hic mihi est Megadorus avonculus;
Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides:
Mater est Eunomia.
E. Novi genus. Nunc quid vis? id volo
Noscere. *L.* Filiam ex te tu habes.
E. Immo eccillam domi.
L. Eam tu despondisti, opinor, meo avunculo.
E. Omnem rem tenes.
L. Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.
E. Repudiū, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?
Ut illum Dii immortales omnes, Deæque, quantum est, perduint,
Quem propter, hodie auri tantum perdidi, infelix, miser!
L. Bono animo es, et benedice. Nunc, quæ res tibi et gnatæ tuæ
Bene feliciterque vortat ... Ita Dii faxint, inquito.
E. Ita Dii faciant.
L. Et mihi ita Dii faciant. Audi nunc iam.
Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget sese. Nunc te obtestor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mi ignoscas, eamq; uxorē mihi des, ut leges iubent:
Ego me iniuriam fecisse filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiæ.
E. Hei mihi! quod facinus ex te ego audio?
L. Cur eiulas?
Quem ego avom feci iam ut esses filiæ nuptiis:
Nam tua gnata peperit, decumo mense post: numerum cape:
Ea re repudium remisit avunculus causa mea.
I intro, exquire, sitne ita, ut ego prædico.
E. Perii oppido!
Ita mihi ad malū malæ res plurimæ se agglutinant.
Ibo intro, ut, quid huius veri sit, sciam.
L. Iam te sequor.
Hæc propemodū iam esse in vado salutis res videtur.
Nunc, servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio.
Nisi etiā hic opperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar. Nunc interim spatium ei dabo exquirendi

Meum factum ex gnatæ pedisequa nutrice anu. Ea rem novit.

ACTUS V. SCENA I. *Strobilus, Lyconides.*

S. Dii immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo. Quis me est divitior?
Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui Dii sint propitii?
L. Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum. *S.* Hem!
Herumne ego aspicio meum? *L.* Video ego hunc Strobilum, servum meum?
S. Ipsus est. *L.* Haud alius est. *S.* Congrediar.
L. Contollam gradum.
Credo ego illum, ut iussi, eampse anum adisse, huius nutricem virginis.
S. Quin ego illi me invenisse dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat. Ibo, atque eloquar.
Reperi..... *L.* Quid reperisti?
S. Non quod pueri clamitant
In faba se reperisse. *L.* Iamne aute, ut soles, deludis?
S. Here, mane: eloquar: iam ausculta.
L. Age ergo, loquere. *S.* Reperi hodie,
Here, divitias nimias. *L.* Ubinam? *S.* Quadrilibrem inquam, aulam auri plenam.
L. Quod ego facinus audio ex te?
S. Euclioni huic seni surripui.
L. Ubi id est aurum? *S.* In arca apud me. Nunc volo me emitti manu.
L. Egone te emittam manu, scelerum cumulatissume? *S.* Abi, here, scin
Quam rem geras. Lepide, hercle, animum tuum tentavi. Iam,
Ut eriperes, apparabas. Quid faceres, si reperissem?
L. Non potes probasse nugas. I, redde aurum.
S. Reddam ego aurum?
L. Redde, inquam: ut huic reddatur. *S.* Ah! unde?
L. Quod modo fassus es esse
In arca. S. Soleo, hercle, ego garrire nugas: ita loquor. *L.* At scin'
Quomodo? *S.* Vel, hercle, enica: nunquam hinc feres a me.

SUPPOSITA.

L. Quid hic quondam pervicus addit?
Non feramu' unquam? *S.* Quod non habeo.
L. Efferaris, cave,
Nisi actutum seni id auri redditio est.
S. Sive perpensus ferar
Libitinarius, sive pollinctorius efferar, nunquam dabo, nisi fodiam
Noviter arrogiam. *L.* Væh capiti tuo!
S. Immo senis et capiti
Et pectori, qui auri tantū perdidit. *L.* Quis reperit?
S. Quem reperisse vis.
L. Qui in arca illud surreptum habere
Autumat. *S.* Quam pulchre tibi, here, connivereut oculi, si id
Factum fateare Ludo: quod lusi tecum, non par est identidem
Serio vortier. *L.* At nunc iam ne me irritassis, i, et aurum
Redde: susque deque haud agites.
S. Here, id si reperibitur,
Certum est geminam te lanceam confitentem iecre.
L. I, et redde.
S. Vis crassum? *L.* I, et redde.
S. Atat, incassum quæritas.
L. I, et redde. Ego ad senē propero, ut quid comitiis
Proxumis videam. Senex aulam auri perdidit: Megadorus
Repudium renuntiat; filiam peperisse vitio rescit.
S. Hero
Meo, quantum ego video, nemo est benignior. Alii non quod
Inventum est, non occulunt, modo negant: occulunt vaniloqui.
Sed aliud post aliud, si qua sit opportunitas, harpagatum
Volunt: si Eleusiniæ sit, facilem Deam credunt; si Cotytto,
Non videre quem batuat. Ita neque amicis, neque cognatis,
Neque Diis parcunt, dum bene parcant sibi. Istic quidem,
Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam,
Auri aulam, grandem, onustam, plenam, referri iubet,
Ut se faciat olim miserum, atque suam familiam. Ast ego partem
Impartiri malim, unde redimar. Quod vortat bene, picus
A sinistris cantitat, qui auri custos, hercle, olim traditur.
Ibo, at aulam referam: quod illæc mihi bene avis occinat.

SUPPLEMENTUM AULULARIÆ

Ant. Codro Urceo, Italo, Scholastico et Professore Bononiensi, auctore, qui vixit sub Impp. Sigismundo et Friderico III Augg.

. . . . quod non habeo? *Ly.* Feram,
Velis nolis, quum te quadrupedem striuxero:
Et herniosos testes ad trabem tibi
Divellam appenso. Sed cur in fauces moror
Huius scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter præposterum?
Das, an non? *S.* Dabo. *Ly.* Des ut nunc, non olim, volo.
S. Do iam: sed, me animam recipere sinas, te rogo.
Ah! ah! quid ut dem, poscis, here? *Ly.* Nescis, scelus?
Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modo
Te arripuisse? Heia! iam ubi nunc lorarii?
S. Here, audi pauca. *Ly.* Non audio. Lorarii!
Heus! heus! *Lo.* Quid est? *Ly.* Parari catenas volo.
S. Audi, quæso: post me ligare iusseris
Quantum libet. *Ly.* Audio: sed rem expedias ocyus.
S. Si me torqueri iusseris ad necem, vide
Quid consequare. Primum, servi exitium habes:
Deinde, quod concupisces, ferre non potes.
At, si me dulcis libertatis præmio
Dudum captasses, iamdudum votis fores
Tuis potitus. Omnes Natura parit liberos;
Et omnes libertati natura student.
Omni malo, omni exitio peior servitus:
Et quem Iupiter odit, servum hunc primum facit.
Ly. Non stulte loqueris. *S.* Audi reliqua nunc iam:
Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit,
Quos Harpagones, Harpyias, et Tantalos
Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
Et sitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullæ illis satis divitiæ sunt, non Midæ,
Non Crœsi: non omnis Persarum copia

Explere illorum tartaream ingluviem potest.
Inique domini servis utuntur suis;
Et servi inique dominis nunc parent suis:
Sic fit neutrobi, quod fieri iustum foret.
Penum, popinas, cellas promtuarias,
Occludunt mille clavibus parci senes.
Quæ vix legitimis concedi natis volunt:
Servi furaces, versipelles, callidi,
Occlusa mille clavibus sibi reserant;
Furtimque raptant, consumunt, liguriunt,
Centena numquam furta dicturi cruce:
Sic servitutem ulciscuntur servi mali
Risu iocisque. Sic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.
Ly. Recte quidem tu, sed non paucis, ut mihi
Pollicitus. Verum, si te facio liberum,
Reddes, quod cupio? *S*. Reddam: sed testes, volo,
Adsint. Ignosces, here; parum credo tibi.
Ly. Ut lubet; adsint vel centum; iam nil moror.
S. Megadore, et tu, Eunomia, adeste, precor, si lubet.
Exite: perfecta re, mox redibitis.
M. Qui nos vocat? Hem, Lyconide!
E. Hem, Strobile! quid est?
Loquimini. *Ly*. Breve est. *M*. Quid est? *S*. Vos tes-
tes voco.
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc affero,
Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
Mittit; iubetque iuris esse me mei
Itane spondes? *Ly*. Spondeo. *S*. Iamne audistis hoc,
Quod dixit? *M*. Audivimus. *S*. Iura enim per Iovem.
Ly. Hem! quo redactus sum alieno malo!
Nimis procax es. Quod iubet, faciam tamen.
S. Haus tu! nostra ætas non multum fidei gerit,
Tabulæ notantur: adsunt testes duodecim:
Tempus locumque scribit actuarius;
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget.
Ly. Sed me cito expedi sis. *S*. Hem silicem tibi.
Ly. Si ego te sciens fallam, ita me eiiciat Diespiter
Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidē. Satin'
Iam feci tibi? *S*. Satis. Ut ego aurum apportem, eo.
L. I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.

Lyconides, Strobilus, Megadorus, Eunomia, Euclio.

L. Grave est homini prudenti morologus nimis
Servus, qui sapere plus volt hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem;
Ut Euclionem socerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, et mihi concilem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onustus Strobilus. Ut reor,
Aulam apportat: et certe est aula, quam gerit.
S. Lyconide, apporto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?
L. Nempe. O Dii immortales! quid video, aut quid
habeo?
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
O Euclio! Euclio! *M*. Euclio! Euclio! *Euc*. Quid est?
L. Descende ad nos; nam Dii te servatum volunt.
Habemus aulam. *Euc*. Habetisne? an me deluditis?
L. Habemus, inquam. Modo, si potes, huc advola.
Euc. O magne Iupiter! O Lar familiaris, et
Regina Iuno, et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserati miserum senem!
Oh, oh, quam lætis, aula, tibi amicus senex
Complector ulnis, et te dulci capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor! luctum depulveras meum.
L. Auro carere semper duxi pessumum
Et pueris, et viris, et senibus omnibus.
Pueros prostare cogit indigentia,
Viros furari, mendicarier ipsos senes.
At multo peius est, ut video nunc, supra
Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.
Heu quantas passus est ærumnas Euclio,
Ob aulam paulo ante a se deperditam!
Euc. Quoi meritas referam grates? an Diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? utrisque potius. Et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni,
Hæc ego te aule auri condono: accipias lubens:
Tuam hanc esse volo, et filiam meam simul,
Præsente Megadoro, et sorore eius, proba
Eunomia. *L*. Et habetur, et refertur gratia,
Ut meritus es, socer exoptatus mihi, Euclio.
E. Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum, et me ipsū, accipias nunc lubens.
L. Accipio, et Euclionis, volo, mea sit domus.
S. Quod restat, here, nunc, memento, ut sim liber.
L. Recte monuisti. Esto merito liber tuo,
O Strobile, et turbatam iam intus cœnam para.
S. Spectatores, naturam avarū Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est.
Sic liberalitate utimini vos quoque:
Et, si fabula perplacuit, clare plaudite.

---

† BACCHIDES

DRAMATIS PERSONÆ.

Pistoclerus, *adolescens.*	Parasitus.
Lydus, *pædagogus.*	Militis *puer.*
Bacchides, *meretrices.*	Philoxenus, *senex.*
Chrysalus, *servus.*	Cleomachus, *miles*
Nicobulus, *senex.*	Grex.
Mnesilochus, *adolescens.*	

Argumentum (Prisciani?)

Bacchidis amore furit Mnesilochus.
Aurum ut redimat, Præsumia fertur Ephesum.
Cretam Bacchis navigat, atque alteram
Convenit Bacchidem: inde Athenas redit:
Hinc dat Mnesilochus ad Pistoclerum literas,
Illam conquirat. Redit: turbas movet,
Dum putat amari suam. Ut mutent geminas,
Ei dat aurum: pariter amant.
Senes dum gnatis student, scortantur, potitant.

SUPPOSITA

Argumentum præcedens, Prologus, et Scenæ principis initium, est ex editione Coloniensi Gisberti Longolii, Ultraiectini. Fabulatur Lascaris, grammaticus ille Græcus, in epistola ad Bembum, se Messanæ in Sicilia ista invenisse. Sunt etiam, qui a Francisco Petrarcha conficta opinentur. Etiam in Basiliensi editione leguntur.

Silenus, *Prologus.*

Mirum hodie 'st, ni spectatores in subselliis
Ridiculos strepunt, tussiunt, rhonchos cient,
Consulcant frontem, et ore concrepario
Frequenter fremunt, atque male mussitant.
Vix in iuventa locum obtineant
Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii.
Quid veternosus prodit internuntius

Senex, qui durso fertur asinario?
Attendite, quæso, atque animum advortite,
Dum nomen huius eloquor stataria.
Æquum est vos Deo facere silentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui, non ut clament, sed ut spectent, veniunt.
Aurais date otiosas; at non in manum.
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini, ictus an sint minus noxii,
Qui rapetunt laxa, aut biulca obstruunt?
Estis benigni; merito vos amant cœlites.
Factum 'st silentium, tacent pueri.
Novam ad rem iam novom spectate nuntium.
Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar:
Simul huius nomen proferam comœdiæ.
Ecce fabor iam vobis, quod expetitis:
Proinde vos mihi facite audientiam.
Naturæ Deus sum, Bromii altor maxumi,
Femineo qui peperit rem exercitu.
Quidquid huiusce gentes ferunt inclytæ,
Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
Nunquam, quod mihi placet, illi displicet.
Æquom 'st, si pater obsequitur patri.
Asbidam Ionii me vocitant greges,
Quod vectorio senex vehar asinario.
Qui sim, tenetis. Si tenetis, sinite,
Ut nomen huius eloquar statariæ,
Simul sciatis ad vos cur venerim.
Philemon Græcam olim dedit fabulam,
Hanc, qui græcissant, Evantides nuncupant.
Plotus, qui latinissat, vocat Bacchides.
Quare non est mirum, si huc advenerim.
Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides.
Ego ad vos porto . . . . Quid? dixi mendacium?
Non decet mentiri Deum. At vera fabulor:
Non ego eas porto: verum salsus asinus,
Via defessus, tres, si rite memorem,
Fert: unum videtis. Oro, quid farum, specite;
Duas sorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore,
Iisdem parentibus, fœtu gemellitico,
Non minus simileis, quam lacti lac, si conferas,
Aut aquam aquæ: dimidiatas imputes,
Has si videres; ita confundas oculos,
Utra ut sit, non queas internoscere.
Quod restat, expetitis. Iam date silentium;
Huius argumentum eloquar comœdiæ.
Samos, quæ terra sit, nota est omnibus:
Nam maria, terras, monteis, atque insulas,
Vostræ legiones reddidere pervias.
Hac Pyrgoteli Sostrata Pyrocle viro
Uno edidit gnatas nisu geminas.
Placuitque initiatis Trieteride,
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Alteram miles secum in Cretam vexerat;
Altera geminas adnatat Cecropias.
Hanc, ut Nicobuli inspicit Mnesilochus,
Amare occipit: itat ad eam frequentius.
Interea iuvenem pater mittit Ephesum,
Ut inde referat aurum, quod posuerat
Ipse iampridem apud Archidamidem,
Veterem amicum, senem Phœnicarium,
Isquom biennio desideret Ephesi,
Bacchidem abiisse, durum accepit nuntium.
Nam nautæ noti navigasse nuntiant.
Ut fugitivam cura et corde quæreret,
Ad Philoxeni Pistoclerum filium
Sodalem unicum, sulcat epistolium.
Dum Pistoclerus amico impertit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquisitorem in amorem conciunt.
Altera Pistoclerum ad sese allicit:
Altera venienti desidet Mnesilocho.
Geminæ Bacchæ duos bacchanteis pullulos
Quid mirum si ad sese traxerint, blandulæ,
Facetæ, pulchræ, incurvos libitinarios,
Veterrumos senes illorum traherent patres?
Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, et secum insolens
Novos amoris dispuit igniculos.
Nunc prodeo; audite.

Actus I. *Pistoclerus, Lydus.*

P. Dii immortales! ut sentio, quod sentio! quid? nescio.
Stans fugio: nullus est ignis; et totus ardeo.
Quid id, nisi navim? Novum profecto malum
Video et sentio. Potisne est terra, ut terat hominem
Atque prosternat? hodie nil præter terram et Baccham tetigi:
Si Baccha est hæc, non nutrit Baccha, verum iugulat.
E terra quoque obrepare olim dixerunt homines.
Qui dum narant, quom esse cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
L. Amat hic quem video, nimirum si id est, quod emissicius
Fora, templa, theatra, porticus, omneis fornices,
Lustra, et lustraleis cellulas quæsierit sedulo.
P. Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus, celocem
Hanc impellit, agit, quassat, immo frangit, distrahit.
L. Bacchis hunc procellam concitat. Actum 'st: perdidimus remigium.
P. Referam me ad scopulum, ut istic cum ætate rem perduam.
Instabilis est sors rerum: pro lubidine fata agunt homines.
Ego, dum amico Mnesilocho operam impertio,
Illi amicam reperi, ubi pereat cum re assiduo;
Et mihi, meæque ætati, reique meæ, peperi infortunium.
Si volt Cupido, adolescens sum; ætati licet plusculum
Iacturæ facere: melius, ut id nunc fiat, quam senio.
Sapientum profecto 'st illud dictum, quod Lydus increpat:
Si Astartam * * on Bromium, Deosque voluptarios
Contempsit, iuvenis, is aut insanibit aut amabit senex.
Referam me ad scopulum ex naufragio: pater leget fragimina.
Sequere me, Lyde. Video sorores geminas, Bacchanal meum.

[Suppositorum finis]

Actus I. Scena I. *Bacchides, Pistoclerus.*

B.I. Quid si hoc potiu 'st, ut taceas, ego loquar?
B.II. Lepide: licet.
B.I. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias, soror.
B.II. Pol, magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.
B.I. Pol, ego quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.
Sequere hac.
P. Quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?

Quid in coucilio cousuluistis? *B.* Bene.
P. Pol, haud meretricium'st.
B. Miserius uihil est quam mulier.
P. Quid esse dicis dignius?
B. Hæc ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab istoc milite: ut, ubi emeritum sibi sit, se ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. *P.* Quid isti caveam?
B. Ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas; ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.
P. Ubi nunc is homo 'st? *B.* Iam hic, credo, aderit. Sed hoc idem apud uos rectius
Poteris agere; atque, is dum veniat, sedens ibi opperibere.
Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, saviū.
P. Viscus merus vostra 'st blanditia. *B.* Quid iam?
P. Quia enim intellego,
Duæ unum expetitis palumbem. Periil arundo alas verberat.
Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.
B. Qui, amabo? *P.* Quia, Bacchis, Bacchas metuo et Bacchanal tuum.
B. Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?
P. Magis illectum tuum quam lectum metuo. Mala tu es bestia.
Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus locus.
B. Egomet, apud me si quid stulte facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom veniat volo;
Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam iniuriam.
Tu prohibebis, et eadē opera tuo sodali operā dabis:
Et ille adveniens tuam med esse amicā suspicabitur.
Quid, amabo, obticuisti?
P. Quia lepida sunt istæc memoratu;
Eadē in usu, atque ubi periculū facias aculeata sunt;
Animum fodicant; bona destimulant, facta et famam sauciant.
B. Et quid ab hac metuis? *P.* Quid ego metuam, rogitas? homo adolescentulus
Penetrare huiusmodi iu palæstram, ubi damnis desudascitur,
Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus!
B. Lepide memoras.
P. Ubi ego capiam pro machæra turturem,
Ubique imponat in manum alius mihi pro cestu cantharum;
Pro galea scaphium, pro insigui sit corolla plectilis,
Pro hasta talus; pro lorica malacum capiam pallium:
Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.
Apage a me! apage! *B.* Ah! nimiū ferus es. *P.* Mihi sū.
B. Malacissandus es.
Equidem tibi do hanc operam.
P. At nimium pretiosa es operaria.
B. Simulato me amare. *P.* Utrum ego istoc iocon' assimulem, an serio?
B. Heia! hoc agere meliu 'st: Miles quom huc adveniat, te volo
Me amplexari. *P.* Quid eo mihi opus'st?
B. Ut ille te videat, volo.
Scio, quid ago. *P.* Et, pol, ego scio, quid metuo. Sed quid ais? *B.* Quid est?
P. Quid? si apud te veniat desubito prandium, aut potatiu
Forte, aut cœna, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum accubem? *B.* Apud me, mi anime: ut lepidus cum lepida accubet.
Locus hic apud nos, quamvis subito venias, semper liber est.
Ubi tu lepide voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito:
Dato, qui bene sit: ego, ubi bene sit tibi, locum lepidum dabo.
P. Rapidus fluvius est hic; non hac temere transiri potest.
B. Atque, ecastor, apud hunc fluvium aliquid perdundum 'st tibi.
Manum da, et sequere. *P.* Aha, minime! *B.* Quid ita?
P. Quia istoc illecebrosius
Fieri nil potest, Nox, Mulier, Vinum, homini adolescentulo.
B. Age igitur. Equidem, pol, nihili facio, nisi caussa tua.
Ille quidem hanc abducet: tu nullus affueris si non lubet.
P. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?
B. Quid est quod metuas? *P.* Nihil est. Nunc ego, mulier, tibi me emancupo:
Tuus sum; tibi dedo operam. *B.* Lepidus. Nunc ego te facere hoc volo.
Ego sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam:
Ego tibi argentum iubeo iam intus efferri foras:
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.
P. Ego obsonabo. Nam id flagitium sit meum, mea te gratia,
Et operam dare mihi, et ad eam operam facere sumtum de tuo.
B. At ego nolo dare te quidquam *P.* Sine.
B. Sino equidem, si lubet.
Propera, amabo. *P.* Prius hic adero, quam te amare desinam.
B. II. Bene me accipis advenientem, mea soror.
B. I. Quid ita, obsecro?
B. II. Quia piscatus, meo equidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.
B. I. Meus ille quidem 'st. Tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror,
Ut hic accipias potius aurū, quā hinc eas cum milite.
B. II. Cupio. *B. I.* Dabitur opera: aqua calet: eamus hinc intro, ut laves:
Nam, ut in navi vecta es, credo, timida es.
B. II. Aliquantum, soror.
Simul hinc nescio qui turbat, qui huc it. Decedamus.
B. I. Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem.

SCENA II. *Lidus, Pistoclerus.*

L. Iamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor,
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras.
Nam, ita me Dii ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.
Quo nunc capessis te, hinc advorsa via,
Cum tanta pompa? *P.* Huc.
L. Quid huc? quis istic habet?
P. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Iocus, Ludus, Sermo, Suavis-suaviatio.
L. Quid tibi commerci 'st cum Diis damnosissumis
P. Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu Diis nec recte dicis: non æquom facis.

L. An Deus est ullus Suavis-suaviatio?
P. An non putasti esse? nimium quam, o Lyde, es barbarus!
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem,
I, stultior es barbaro Potitio,
Qui, tantus natu, Deorum nescis nomina.
L. Non hic placet mi ornatus. *P.* Nemo ergo tibi
Hoc apparavit? mihi paratum 'st, quoi placet.
L. Etiam me advorsus exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.
P. Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unū in mente 'st mihi nunc, satis ut commode
Pro dignitate obsoni hæc concuret cocus.
L. Iam perdidisti te atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequidquam sæpe monstravi bene.
P. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam:
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.
L. O præligatum pectus! *P.* Odiosus mihi es.
Tace, atque sequere, Lyde, me. *L.* Illuc sis vide,
Non pædagogum iam me, sed Lydum, vocat.
P. Non par videtur, neque sit consentaneum,
Cum herus hic intus sit, et cum amica accubet,
Cumque osculetur, et convivæ alii accubent,
Præsentibus illis pædagogus una ut siet.
L. An hoc ad eas res obsonatum 'st, obsecro? (nn 'st.
P. Sperat quidem animus: quo eveniat, Diis in ma-
L. Tu amicam habebis? *P.* Cum videbis, tum scies.
L. Immo, neque habebis, nec sinam: i tu rursum domum.
P. Omitte, Lyde, ac cave malo. *L.* Quid, Cave malo?
P. Iam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.
L. O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lu-
Video nimio iam multo plus quam volueram. (bens!
Vixisse nimio satiu 'st iam, quam vivere.
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
Nil moror discipulos mi esse iam plenos sanguinis:
Valens afflictet me vacivom virium.
P. Fiam, ut ego opinor, Hercules; tu autem Linus.
L. Pol, metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuum renuntiem.
P. Satis historiarum 'st. *L.* Hic vereri perdidit.
Compendium, edepol, haud ætati optabile
Fecisti, cum istanc nactus impudentiam.
Occisus hic homo 'st. Ecquid in mentem 'st tibi,
Patrem tibi esse? *P.* Tibi ego, aut tu mihi servos es?
L. Peior magister te istæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa quæ te docui, ubi operam perdidi.
P. Istactenus tibi, Lyde, libertas data 'st.
Orationis satis est. Sequere me, ac tace.
L. Edepol, fecisti furtum in ætatem malum,
Quom istæc flagitia me celavisti, et patrem.

ACTUS II. SCENA I. *Chrysalus.*

Herilis patria, salve! quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus nostris accolis, veneroque te,
Ne Nicobulum me sinas, nostrum senem,
Prius convenire, quam sodalem viderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amica Bacchide.

SCENA II. *Pistoclerus, Chrysalus.*

P. Mirum 'st, me, ut redeam, te opere tanto quæsere,
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
C. Pro Dii immortales! Pistoclerum conspicor.
O Pistoclere, salve! *P.* Salve, Chrysale!
C. Compendi verba multa iam faciam tibi.
Venire tu me gaudes; ego credo tibi.
Hospitium et cœnam pollicere, ut convenit
Peregre advenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem tibi ab sodali solidam nuntio.
Rogabis me, ubi sit? *P.* Vivitne, et recte valet?
C. Istuc volebam ego ex te percunctarier.
P. Qui scire possum? *C.* Nullus plus.
P. Quemnam ad modum?
C. Quia, si illa inventa 'st, quam ille amat, vivit recte et valet:
Si non inventa 'st, minus valet; moribundus est:
Anima 'st amica amanti: si abest, nullus est:
Si adest, res nulla 'st; ipsus est nequam et miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?
P. Egon' ut, quod ab illo attigisset nuntius,
Non impetratum id advenienti ei redderem?
Regiones colere mavellem Acheruuticas.
C. Eho, an invenisti Bacchidem? *P.* Samiā quidem.
C. Vide, quæso, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas citu Samium solet.
P. Iamne, ut soles? *C.* Dic ubi ea nunc est, obsecro.
P. Hic, exeuntem me unde aspexisti modo.
C. Ut istuc est lepidum! proxumæ viciniæ
Habitat. Equidnam meminit Mnesilochi? *P.* Rogas?
Immo unice unum plurimi pendit. *C.* Papæ!
P. Immo, ut eum credis, misera amans desiderat.
C. Scitū istuc. *P.* Immo, Chrysale, hem, non tantulū
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
C. Tanto, hercle, melior Bacchis. *P.* Immo.
C. Immo, hercle, abiero
Potius. *P.* Num invitus rem bene gestam audis heri?
C. Non herus, sed actor, mihi cor odio sauciat.
Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo,
Nullam æque invitus specto, si agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi visa 'st? *P.* Rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.
C. Edepol, Mnesiloche, ut rem hanc natam esse intellego,
Quod ames, paratum 'st: quod des, invento 'st opus.
Nā istoc fortasse aurū est opus. *P.* Philippeo quidē.
C. Atque eo fortasse iam opu'st. *P.* Immo etiā prius.
Nam iam huc adveniet miles. *C.* Et miles quidem!
P. Qui de amittenda Bacchide aurum hic exigit.
C. Veniat quando volt, atque ita ne mihi sit moræ.
Domi est: non metuo; nec cuiquam supplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intro; ego hic curabo; tu intus dicito
Mnesilochum adesse Bacchidi. *P.* Faciam, ut iubes.
C. Negotium hoc ad me attinet aurarium.
Mille et ducentos Philippos attulimus aureos
Epheso, quos hospes debuit nostro seni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

SCENA III. *Nicobulus, Crhysalus.*

N. Ibo in Piræeum: visam, ecquæ advenerit
In portum ex Epheso navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere, neque redire, filium.
C. Extexam ego illum pulchre iam, si Dii volunt.
Haud dormitandum 'st: est opus chryso Chrysalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phryxi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem.
Servos salutat Nicobulum Chrysalus.
N. Pro Dii immortales! Chrysale, ubi mi 'st filius?

C. Quin tu primum salutem reddis, quam dedi?
N. Salve: sed ubinam 'st Mnesilochus?
C. Vivit, valet.
N. Venitne? *C.* Venit. *N.* Evax! aspersisti aquam.
Benene usque valuit? *C.* Pancratice atque athletice.
N. Quid hoc? qua causa eum hinc in Ephesum miseram,
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?
C. Heu! cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun' hospitem illum nominas, hostem tuum?
N. Quid ita, obsecro, hercle?
C. Quia, edepol, certe scio,
Vulcanus, Sol, Luna, Dies, Dei quatuor,
Scelestiorem nullum illuxere alterum.
N. Quamne Archidemidem?
C. Quam, inquam, Archidemidem.
N. Quid fecit? *C.* Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primum dum inficias ire cœpit filio;
Negare se debere tibi triobulum.
Continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit, Pelagonem senem:
Eo præsente, homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas, ad eum ut ferret, filio.
N. Quid, ubi ei ostendit symbolum? *C.* Infit dicere,
Adulterinum, et non eum esse symbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum aibat rebus cæteris.
Longum 'st triconem malefirum exornarier.
N. Habetin' aurum? id mihi primum dici volo.
C. Postquam quidem prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus, reddidit
Ducentos et mille Philippum. *N.* Tantum debuit.
C. Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.
N. Etiamne est quid porro?
C. Hem! accipe: trina hæc nunc erit.
N. Deceptus sum. Autolyco hospiti aurum credidi.
C. Quin tu audi. *N.* Immo ingenium avidi haud pernoram hospitis.
C. Postquam aurum abstulimus, in navem conscendimus,
Domum cupientes. Forte ut assedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego lembum conspicor.
N. Perii, hercle: lembus ille mihi lædit latus.
C. Is erat communis cum hospite et prædonibus.
N. Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem!
Cum mihi ipsum nomen eius Archidemides
Clamaret, demturum esse, si quid crederem.
C. Is lembus nostræ navi insidias dabat.
Occepi ego observare eos, quam rem gerant.
Interea e portu nostra navis solvitur.
Ubi portu eximus, homines remigio sequi;
Neque aves neque venti citius: quoniam sentio,
Quæ res gereretur, navem extemplo statuimus.
Quoniam vident nos stare, occeperunt ratem
Turbare in portu. *N.* Edepol, mortales malos!
Quid denique agitis? *C.* Rursū in portum recipimus.
N. Sapienter factum a vobis. Quid illi postea?
C. Revorsionem ad terram faciunt vesperi. (baut.
N. Aurum, hercle, auferre voluere: ei rei operam dabant.
C. Non me fefellit, sensi: eo exanimatus fui.
Quoniam videmus auro insidias fieri,
Capimus consilium continuo; postridie
Auferimus inde aurum omne, illis præsentibus,
Palam atque aperte, ut illi id factum scicerent.
N. Scite, hercle. Cedo, quid illi? *C.* Tristes illico,
Quom extemplo a portu tre nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quassantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus:
Qui illic sacerdos est Dianæ Ephesiæ.
N. Qui istic Theotimu 'st? *C.* Megabyzi filius,
Qui nunc in Epheso 'st Ephesiis carissumus.
N. Næ, ille, hercle, mihi sit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
C. Quin ipsa in æde Dianæ conditum 'st: ibi
Demum publicitus servant. *N.* Occidistis me.
Nimio hic privatim servaretur rectius.
Sed vos nihne attulistis inde auri domum?
C. Immo etiam: vorum, quantum attulerit, nescio.
N. Quid, nescis? *C.* Quia Mnesilochus noctu clanculū
Devenit ad Theotimum: nec mihi credere,
Nec quoiquam in navi voluit: eo ego nescio,
Quantulum attulerit: veru haud permultum attulit.
N. Etiam dimidium censes? *C.* Non, edepol, scio:
Verum haud opinor. *N.* Fertne partem tertiam?
C. Non, hercle, opinor: verum verum nescio.
Profecto de auro nil scin, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum 'st iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu! *N.* Quid vis? *C.* Annulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. *N.* Quid opu 'st annulo?
C. Quia id signum 'st cum Theotimo, qui eum illi afferet,
Ei aurum ut reddat. *N.* Meminero, et recte mones.
Sed divesne est istic Theotimus? *C.* Etiam rogas?
Qui auro habeat soccis subpactum solum.
N. Cur ita fastidit? *C.* Tantas divitias habet:
Nescit quid faciat auro. *N.* Mihi dederit velim.
Sed, qui præsente, id aurum Theotimo datum 'st?
C. Populo præsente: nullu 'st Ephesi, quin sciat.
N. Istuc sapienter saltem fecit filius,
Cum diviti homini id aurum servandum dedit:
Ab eo licebit quamvis subito sumere.
C. Immo, hem, tantisper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
N. Censebam me effugisse a vita maritima,
Ne navigarem tandem hoc ætatis senex,
Id mi haud, utrum velim, licere intellego;
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?
C. Deos atque amicos iit salutatum ad forum. (test.
N. At ego hinc ad illum, ut conveniam, quantum potest.
C. Illo est oneratus recte, et plus iusto vehit.
Exorsa hæc tela non male omnino mihi est,
Ut amantem herilem copem facerem filium.
Ita feci, ut auri, quantum vellet, sumeret:
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Ephesum [hinc] ibit aurum arcessere:
Hic nostra agetur ætas in malacum modum;
Si quidem hic relinquet, nec secum abducet senex
Med et Mnesilochum. Quas ego hic turbas dabo!
Sed quid futurum 'st, cum hoc senex resciverit?
Cum se excucurrisse illuc frustra asciverit,
Nosque aurum abusos? quid mihi fiet postea?
Credo, hercle, adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Crysalo.
Aufugero, hercle, si magis usus venerit.
Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio:
Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi 'st.
Nunc ibo; herili filio hanc fabricam dabo,
Super auro, amicaque eius inventa Bacchide.

ACTUS III. SCENA I. *Lydus.*

Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro;
Nam equidem haud aliter esse duco, quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omnes; esse ut frugi possiet.

Baecbides! uou Baççbides, sed Bacchæ sunt acerrumæ.
Apage istas a me sorores, quæ hominum sorbeut sanguiuem.
Omnis ad peruiciem instructa domus opime atque opipare.
Quæ ut aspexi, me continuo coutuli protinam in pedes.
Egone ut hæc conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula,
Quibus patrem, et me, teque, amicosque omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere una, et perdere?
Neque mei, neque tui intus puditum 'st factis, quæ facis;
Quibus tuum patrem, meq; una, amicos, affiues tuos,
Tua infamia fecisti geruli figulos flagitii.
Nunc, priusquam malum istoc addis, certum'st, iam dicam patri.
De me hanc culpam domolibor iā, et seni faciā palā,
Ut eum ex lutulento cœno propere hinc eliciat foras.

SCENA II. *Mnesilochus.*

Multis modis meditatus egomet mecum sum, et ita esse arbitror;
Homini amico, qui est amicus, ita uti nomen possidet,
Nisi Deos, ei nihil præstare, Id opera expertus sum esse ita.
Nam, ut in Ephesum hinc abii, (hoc factum 'st ferme abhinc biennium)
Ex Epheso huc ad Pistoclerū meum sodalem literas
Misi, amicam ut mihi inveniret Bacchidem. Illum intellego
Inveuisse, ut servos meus mihi nuntiavit Chrysalus.
Condigne is quam techuam de auro advorsum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia esset! sed æquom Id ei reddere:
Nam, pol, quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensiu 'st:
Malefactorē amitti satius, quam relinqui beneficum.
Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum, dicier.
Illum laudabunt boni; hoc etiā ipsi culpabunt mali.
Qua me causa magis cum cura esse m, quam obvigilato, est opus.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur; nunc certamen cernitur:
Sisne necne, ut esse oportet; malus, bonus, cujusmodi;
Iustus, iniustus; malignus, largus; commodus, incommodus.
Cave sis te superare servom siris faciundo bene.
Utut eris, moneō, haud celabis. Sed eccos video incedere,
Patrē sodalis, et magistrum. Hinc auscultabo, quam rem agant.

SCENA III. *Lydus, Philoxenus, Mnesilochus.*

L. Nunc experiar, sitne acetum tibi peracre in pectore.
Sequere. *P.* Quo sequar? quo ducis nunc me?
L. Ad illam, quæ tuum
Perdidit, pessumdedit tibi filium uni unicum.
P. Eia, Lyde: leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Minus mirandu 'st, illæc ætas si quid illorum facit,
Quam si non faciat. Feci ego istæc itidem in adolescentia.
L. Hei mihi! hei mihi! istæc illum perdidit assentatio
Nam, absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum:
Nunc propter tu tuamque pravos factus est fiduciam
Pistoclerus. *M.* Dii immortales! meum sodalem hic nominat.
Quid hoc negoti 'st, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet?
P. Paulisper, Lyde, est libido homini suo animo obsequi:
Iam aderit tempus, cum sese etiam ipse oderit: morem geras:
Dum caveatur, præter æquom ne quid delinquat: sine.
L. Non sino; neque equidem illum, me vivo, corrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis causam filio,
Eademne erat hæc disciplina tibi, cum tu adolescens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longe a pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum;
Et discipulus et magister perhibebantur improbi.
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasi præfecto haud mediocris pœnas penderes.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo, sese exercebant magis, quam scorto, aut saviis:
Ibi suam ætatē extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo et palæstra ubi revenisses domum,
Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres;
Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam,
Fieret coriū tā maculosum, quam est nutricis palliū.
M. Propter me hæc nunc meo sodali dici discrucior miser.
Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.
P. Alii, Lyde, nunc sunt mores.
L. Id equidem ego certo scio:
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quam magistro desinebat esse dicto obediens.
At nunc, priusquā septennis 'st, si attingas eū manu,
Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Cum patrem adeas postulatū, puero sic dicit pater:
Noster esto, dum te poteris defensare iniuria.
Provocatur pædagogus: eho, senex minimi preti,
Ne attigas puerum istac causa, quando fecit strenue.
It magister, quasi lucerna, uncto expretus linteo.
Itur illinc iure dicto. Hoccine hic pacto potest
Inhibere imperiū magister, si ipsus primus vapulet?
M. Acris postulatio hæc est, cum huius dicta intellego.
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.
P. Sed quis hic est, quem astantem video ante ostium? *L.* O Philoxene!
M. Deos propitios me videre, quā illū, mavellē mihi.
P. Quis illic est? *L.* Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri;
Haud consimili ingenio atque ille est, qui in lupanari accubat.
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi!
P. Salvos sis, Mnesiloche: salvō te advenire gaudeo.
M. Dii te ament, Philoxene. *L.* Hic enim rite productu 'st patri:
In mare it; rem familiarem curat, custodit domum;
Obsequens obediensque est mori atq; imperiis patris,

Hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit.
Triduum non interest ætatis, uter maior siet;
Verum ingenium plus triginta annis maius est, quam alteri.
P. Cave malum, et compesce in illum dicere iniuste.
L. Tace:
Stultus es, qui illi male ægre patere dici, qui facit.
Nam illū meū malum promtare malim, quā peculiū.
P. Qui dum? *L.* Quia, malum si promtet, in dies faciat minus.
M. Quid sodalē meū castigas, Lyde, discipulū tuū?
L. Periit tibi sodalis. *M.* Ne Dii sirint. *L.* Sic est, ut loquor.
Quin ego, cum peribat, vidi: non ex audito arguo.
M. Quid factum 'st? *L.* Meretricem indigne deperit.
M. Non tu taces?
L. At quæ acerrume atque æstuose absorbet, ubi quemque attigit.
M. Ubi ea mulier habitat? *L.* Hic *M.* Unde eam esse aiunt? *L.* Ex Samo.
M. Quæ vocatur? *L.* Bacchis. *M.* Erras, Lyde: ego omnem rem scio,
Quemadmodum 'st. Tu Pistoclerum falso atque insontem arguis.
Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo
Rem mandatam exsequitur: ipsus nec amat; nec tu creduas.
L. Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
Ut ipsus in gremio osculantē mulierē teneat sedens?
Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi identidē
Manus ferat ad papillas, labra a labris nusquam auferat?
Nam alia memorare, quæ illū facere vidi, dispudet;
Cum manum sub vestimenta ad corpus detulit Bacchidi,
Me præsente; neque pudere quidquam. Quid verbis opu 'st?
Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius.
Nā ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor.
Quid opu 'st verbis? si opperiri vellē paulisper modo,
Ut opinor, illius inspectandi mihi esset maior copia:
Plus vidissē quā deceret, quā me atq; illo æquō foret.
M. Perdidisti me, sodalis. Egone illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satiu' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, nescias?
L. Viden', ut ægre patitur gnatū esse corruptū tuū,
Suum sodalem! ut ipsus sese cruciat ægritudine!
P. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi sodalem, et mihi filium. *M.* Factum volo.
P. In te ergo hoc onus omne impono. Lyde, sequere hac me. *L.* Sequor.
Melius esset, me quoque una si cum illo relinqueres.
P. Affatim est. Mnesiloche, cura et concastiga hominem probe,
Qui dedecorat te, me, amicos, atque alios, flagitiis suis.

SCENA IV. *Mnesilochus.*

Immitiorem nunc utrum credam magis
Sodalemne esse, an Bacchidem, incertum admodū 'st.
Illum exoptavit potius? habeat: optuma est:
Næ illa illud hercle cum malo fecit suo.
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planeque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam iam domum ibo, atque aliquid surripiam patri:
Id isti dabo: ego istanc multis ulciscar modis:
Adeo ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater.
Sed satin' ego animum mente sincera gero,
Qui ad hunc modum hæc hic, quæ futura, fabulor?
Amo, hercle, opinor utpote quod pro certo sciam.
Verum, quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam, edepol, viva me irridebit: nam mihi
Decretum 'st renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur,
Tum, cum mea illud nihilo pluris referet,
Quam si ad sepulcrum mortuo dicat iocum.
Sed, antequam illa unquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.
Profecto stabile est me patri aurum reddere.
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat; neu quid ei succenseat
Mea causa de auro, quod eum ludificatus est.
Nam illi æquom est me consulere, qui causa mea
Mendacium dixit. Nunc vos me sequimini.

SCENA V. *Pistoclerus.*

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi,
Mnesilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam simul.
Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
Quid remoratur. Ibo, et visam huc ad eum si forte est domi.

SCENA VI. *Mnesilochus, Pistoclerus*

M. Reddidi patri omne aurum. Nunc ego illam me velim
Convenire, postquam inanis sum, contemtricē meā.
Sed veniā mihi quā gravate pater dedit de Chrysalo!
Verum postremo impetravi, ut ne quid ei succenseat.
P. Estne hic meus sodalis?
M. Estne hic hostis, quem aspicio, meus?
P. Certe is est. *M.* Is est.
P. Adibo contra, et tollam gradum.
Salvos sis, Mnesiloche! *M.* Salve.
P. Salvos cum peregre advenis,
Cœna detur.
M. Non placet mihi cœna, quæ bilem movet.
P. Num quæ advenienti ægritudo obiecta est?
M. Atque acerruma.
P. Unde? *M.* Ab homine; quem mihi amicum esse arbitratus sum antidhac.
P. Multi more isto atque exemplo vivunt, quos cum censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam obtingere.
Sibi ne invideatur, ipsi ignavi recte cavent.
M. Edepol, næ tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt: inimicos ipsi in sese omnes habent.
Atque ii, se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existumant:
Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum, atque ipsus sum mihi?
Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Facere, et in me inconciliare copias omnes meas.

P. Improbum istunc esse oportet hominem.
M. Ego ita esse arbitror.
P. Obsecro, hercle, loquere, quis is est?
M. Benevolens vivit tibi.
Nam, ni ita esset, tecū orarē, ut ei, quod posses mali
Facere, faceres. *P.* Dic modo hominem, qui sit: si non fecero
Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissumum.
M. Nequam homo est; verum, hercle, amicus est tibi.
P. Tanto magis
Dic, quis est? nequam hominis ego parvi pendo gratiam.
M. Video non potesse, quin tibi eius nomen eloquar.
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus.
P. Quid istuc est? *M.* Quid est? misine ego ad te ex Epheso epistolam
Super amica, ut mihi invenires?
P. Fateor factum; et repperi.
M. Qui? tibi non erat meretricum aliarum Atheuis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi?
Occiperes tute amare, et me ires consultum male?
P. Sanun' es? *M.* Rem repperi omnem ex tuo magistro: ne nega.
Perdidisti me.
P. Etiamne ultro tuis me prolectas probris?
M. Quid? amas Bacchidem?
P. Duas ergo hic intus eccas Bacchides.
M. Quid? duæ? *P.* Atque ambas sorores.
M. Loqueris nunc nugas sciens.
P. Postremo, si pergis parum mihi fide arbitrarier,
Tollam ego ted in collum, atque intro hinc auferam.
M. Immo, ibo: mane.
P. Non maneo: neque tu me habebis falso suspectum.
M. Sequor.

ACTUS IV. SCENA I. *Parasitus, Puer.*

Pa. Parasitus ego sum hominis nequā atque improbi,
Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.
Nunc me ire iussit ad eam, et percontarier,
Utrum aurum reddat, anne eat secum simul.
Tu, qui dudum, puer, cum illa usque isti simul,
Quæ harum sunt ædes, pulta. Adi actutum ad fores;
Recede hinc dierecte. Ut pulsat propudium!
Comesse panem tris pedes latum potes,
Fores pultare nescis! ecquis his in ædibu'st?
Heus! ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecquis exit?

SCENA II. *Pistoclerus, Parasitus.*

Pi. Quid istuc? quæ istæc est pulsatio?
Quæ te mala crux agitat, ad istunc qui modum
Alieno vires tuas exteutes ostio?
Fores pæne effregisti. Quid nunc vis tibi?
Pa. Adolescens, salve. *Pi.* Salve. Sed quē quæritas?
Pa. Bacchidem. *Pi.* Utram ergo?
Pa. Nihil scio, nisi Bacchidem.
Paucis me misit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.
Pi. Non it. Negato esse ituram. Abi, et renuntia.
Alium illa amat, non illum. Duc te ab ædibus.
Pa. Nimis iracunde. *Pi.* At scin' quā iracundus siē?
Næ, tibi, hercle, haud longe est os ab infortunio;
Ita dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt.
Pa. Cū ego huius verba interpretor, mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis.
Tuo ego istæc igitur dicam illi periculo.
Pi. Quid ais tu? *Pa.* Ego istuc illi dicā. *Pi.* Dic mihi,
Quis tu es? *Pa.* Illius sum integumentum corporis.
Pi. Nequam esse oportet, quoi tu integumentum improbus es.
Pa. Sufflatus ille huc veniet. *Pi.* Diruptum velim.
Pa. Nū quid vis? *Pi.* Abeas celeriter; facto est opus.
Pa. Vale, dentifrangibule.
Pi. Et tu, integumentum, vale.
In eum nunc hæc revenit res locum, ut, quid consili
Dum meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque nummus ullu'st, qui reddatur militi.
Sed huc concedam: nam concrepuerunt fores.
Mnesilochus, eccum, mœstus progreditur foras.

SCENA III. *Mnesilochus, Pistoclerus.*

M. Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore;
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus. Postremo id mihi est, quod nolo
Ego esse aliis. Credibile hoc est? Nequior nemo est, neque indignior,
Quoi Dii benefaciant, neque quem quisquam homo aut amet, aut adeat.
Inimicos quam amicos æquiu'st me habere: malos quam bonos
Par magis me iuvare. Omnibus probris, quæ improbis viris
Digna sunt, dignior nullo 'st homo; qui patri reddidi
Omne aurum amans, quod fuit præ manu. Sumne ego homo miser?
Perdidi me, atque operam Chrysali.
P. Consolandus hic mihi est: ibo ad eum. Mnesiloche, quid fit? *M.* Perii!
P. Dii melius faciant. *M.* Perii!
P. Non taces, insipiens? *M.* Taceam?
P. Sanus satis non es.
M. Perii! multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eveniunt. Criminin' me habuisse fidem?
Immerito tibi iratus fui. *P.* Eia! bonum habe animū.
M. Unde habeam? Mortuus pluris preti 'st, quam ego sum. *P.* Militis
Parasitus modo venerat aurū petere: hinc eū ego, meis
Dictis malis, his foribus atque hac repuli, reieci hominem.
M. Quid mihi id prodest? quid faciam? Nihil habeo miser. Ille quidem
Hanc abducet, scio. *P.* Si mihi sit, non pollicear.
M. Scio; dares.
Novi. Sed, nisi ames, non habeam tibi fidem tantā.
Nunc agitas sat tute tuarum rerū: egone ut opē mihi
Ferre putem posse inopem te?
P. Tace modo: Deus respiciet nos aliquis.
M. Nugæ! *P.* Mane. *M.* Quid est?
P. Tuam copiam eccam Chrysalum video.

SCENA IV. *Chrysalus, Mnesilochus, Pistoclerus.*

C. Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro:
Nam duplex hodie facinus feci; duplicibus spoliis sum affectus.
Herum maiorem meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatus est!

Callidum senem callidis dolis compuli, et perpuli, mihi omuia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio senis, quicum ego bibo, quicum edo, et amo,
Regias copias aureasque obtuli, ut domo sumeret, neu foris quæreret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas
Auferunt heris. Nequius nihil est, quam egens consili servos, nisi habet
Multipotens pectus, ubicumque usus siet, pectore expromat suo.
Nullus frugi esse potest homo, nisi qui et bene et male facere tenet.
Improbis cum improbus sit, harpaget: furibus furetur, quod queat:
Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus quoi sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis; utcumque res sit, ita animum habeat.
Sed lubet scire; quantum aurum herus sibi demsit, et quid suo reddidit patri.
Si frugi est, Herculē fecit ex patre: decumā partē ei
Dedit; sibi novem abstulit. Sed, quem quæro, optume ecce obviam
Mihi est. Num qui nummi exciderunt, here, tibi, quod sic terram
Obtuere? quid vos mœstos tam tristesque esse conspicor?
Non placet; nec est temere etiam. Quin mihi respondetis?
M. Chrysale, occidi!
C. Fortassis tu auri demsisti parum.
M. Qui, malum, parum? immo vero nimio minus multo parum.
C. Quid igitur, stulte? quoniam occasio ad eā rē fuit
Mea virtute parta, ut, quantū velles, tantū sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus? (daret?
An nesciebas, quam eiusmodi homini raro tempus se
M. Erras *C.* At quidem tute errasti, cum parum immersti ampliter.
M. Pol, tu, quam nunc, me accuses magis, si magis rem noveris.
Occidi!
C. Animus iam istoc dicto plus præsagitur mali.
M. Perii! *C.* Quid ita? *M.* Quia patri omne cum ramento reddidi.
C. Reddidisti? *M.* Reddidi. *C.* Omnene? *M.* Oppido.
C. Occisi sumus!
Qui in mentē venit tibi istuc facinus facere tā malū?
M. Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale,
Me male consuluisse: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. *C.* Quid, ubi reddebas aurū, dixisti patri?
M. Id aurum accepisse extemplo ab hospite Archidemide. *C.* Hem!
Istoc dicto dedisti hodie in cruciatum Chrysalum:
Nam, ubi me aspiciet, ad carnificem rapiet continuo senex.
M. Ego patrem exoravi.
C. Nempe ergo, hoc ut faceret, quod loquor?
M. Immo, tibi ne noceat, neu quid ob eam rem succenseat;
Atque ægre impetravi. Nunc hoc tibi curandum est, Chrysale.
C. Quid vis curem?
M. Ut ad senem etiam alteram facias viam
Compara; fabricare; finge quod lubet; conglutina,
Ut senē hodie doctū docte fallas, aurūmque auferas.
C. Vix videtur fieri posse.
M. Perge, ac facile hæc feceris.
C. Quam, malum, facile? quem mendaci prehendit manifestum modo:
Quem si orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere.
M. Immo, si audias, quæ dicta dixit me advorsū tibi.
C. Quid dixit?
M. Si tu illum Solem sibi Solem esse dixeris,
Se illum Lunam credere esse, et noctem, qui nunc est dies.
C. Emungam, hercle, hominem probe hodie; ne id nequidquam dixerit.
M. Nunc quid nos vis facere?
C. Enim nihil, nisi ut ametis, impero.
Ceterū, quantū lubet me poscitote aurum: ego dabo.
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc, quantulum usu 'st auri tibi, Mnesiloche? dic mihi.
M. Militi nummis ducentis iā usus est pro Bacchide.
P. Ego dabo. *M.* Tum nobis opus est sumtu.
C. Ah! placide volo
Unumquidque agamus: hoc ubi egero, tū istuc agam.
De ducentis nummis primum intendam balistam in senem.
Ea balista si pervortam turrim et propugnacula,
Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus:
Si id capso, geritote amicis vostris aurum corbibus,
[Si quoi animus superat.]
P. Apud te est animus noster, Chrysale.
C. Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem; atque effer cito.....
P. Quid? *C.* Stilum, ceram, et tabellas, et linum.
P. Iam faxo hic erunt.
M. Quid nunc es facturus? id mihi dice. Coctum est prandium.
C. Vos duo eritis; atque amica tua erit tecum tertia.
M. Sicut dicis. *C.* Pistoclero nulla amica est.
M. Immo, adest.
Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.
C. Quid tu loqueris? *M.* Hoc, ut futuri sumus.
C. Ubi est biclinium
Vobis stratum? *M.* Quid id exquiris?
C. Res ita est: dici volo.
Nescis, quid ego acturus sim, neque facinus quantum exordiar.
M. Cedo manum, ac subsequere propius me ad fores. Intro inspice.
C. Evax? nimis bellus, atque ut esse maxume optabam, locus.
P. [Quod imperasti (imperatum bene bonis) factum illico est.]
C. Quid parasti? *P.* Quæ parari tu iussisti omnia.
C. Cape stilum propere et tabellas tu has tibi.
M. Quid postea?
C. Quod iubebo, scribito istic: nam propterea te volo
Scribere, ut pater cognoscat literas, quando legat.
Scribe. *M.* Quid scribam?
C. Salutem tuo patri verbis tuis.
P. Quid si potius morbum et mortem scribat? id erit rectius.
M. Ne interturba. Iam imperatum in cera inest.
C. Dic quemadmodum?
M. Mnesilochus salutem dicit suo patri.
C. Adscribe hoc cito;

Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater,
Quia tibi aurum reddidi, et quia non te defraudaverim.
P. Mane, dum scribit.
C. Celerem oportet esse amatoris manum.
P. Atque idem, hercle, est ad perdundum magis, quam ad scribendum, citus.
M. Loquere: hoc scriptum est.
C. Nunc, pater mi, proin' tu ab eo ut caveas tibi,
Sycophantias componit, aurum ut abs ted auferat:
Et profecto se ablaturum dixit. Plane adscribito.
M. Dic modo. *C.* Atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
Quod dem scortis, quodque in lustris comedim, et congræcem, pater.
Sed, pater, vide ne tibi hodie verba det: quæso, cave.
M. Loquere porro. *C.* Adscribe dum.
M. Etiam loquere, quid scribam, modo.
C. Sed, pater, quod promisisti mihi, te quæso ut memineris,
Ne illum verberes; verum apud te vinctum asservato domi.
Cedo tu ceram ac linum actutum. Age, obliga, obsigna cito.
M. Obsecro, quid istis ad istunc usu 'st conscriptis modum?
Ut tibi ne quid credat, atque ut vinctum te asservet domi?
C. Quia mihi ita lubet. Potin' ut cures te, atque ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi; et meo periculo rem gero.
M. Æquom dicis. *C.* Cedo tabellas. *M.* Accipe.
C. Animum advortite.
Mnesiloche, et tu Pistoclere, iam facite, in biclinio
Cum amica sua uterque accubitu eatis: ita negotium 'st.
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.
P. Numquid aliud? *C.* Hoc, atque etiam, ubi erit accubitum semel,
Ne quoquã exsurgatis, donec a me erit signum datũ.
P. O imperatorẽ probum! *C.* Iã bis bibisse oportuit.
M. Fugiamus. *C.* Vos vostrum curate officium; ego efficiam meum.

SCENA V. *Chrysalus.*

Insanum magnum molior negotium;
Metuoque ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mihi atque sævo usus senest.
Nam non conducit huic sycophantiæ
Senem tranquillum esse, ubi me aspexerit.
Vorsabo ego illum hodie, si vivo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum 'st cicer.
Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.

SCENA VI. *Nicobulus, Chrysalus.*

N. Nimio illæc res est magnæ dividiæ mihi,
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum.
C. Salvos sum: iratus est senex. Nunc est mihi
Adeundi ad hominẽ tempus. *N.* Quis loquitur prope?
Atque hic quidẽ, opinor, Chrysalu'st. *C.* Accessero.
N. Bone serve, salve! Quid fit? quam mox navigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domũ?
Taces? Per omnes Deos adiuro, ut, ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiã quæ is velit,
Ut tua iam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino ætatem conteras.
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.
C. Meu' criminatu 'st? Optume 'st: ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus: specta rem modo:
Ego verbum faciam. *N.* Etiam, carnufex,
Minitare? *C.* Nosces tu illum actutum, qualis sit.
Nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi.
Orabat, ut, quod istic esset scriptum, id fieret.
N. Cedo. *C.* Nosce signum. *N.* Novi. Ubi ipse est?
C. Nescio
Nihil iam me oportet scire: oblitus sum omnia.
Scio me esse servom: nescio etiam id quod scio.
Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulchre; ita intendi tenus.
N. Mane dum parumper: iam ad te exeo, Chrysale.
C. Ut verba mihi dat! ut nescio quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur; pulchre hæc confertur ratis.
Sed conticiscam: nam audio aperiri fores.

SCENA VII. *Nicobulus, Chrysalus.*

N. Constringe tu illi, Artamo, actutum manus.
C. Quid feci? *N.* Impinge pugnum, si muttiverit.
Quid hæ loquuntur literæ? *C.* Quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obsignatas attuli.
N. Eho tu! loquitatusne es gnato meo male
Per sermonem, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantias? *C.* Egone istuc dixi? *N.* Ita.
C. Quis homo est, qui dicat me dixisse istuc? *N.* Tace.
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attulisti: hem! hæ te vinciri iubent. *C.* Aha!
Bellerophontem iam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli, ut vincirer? sine!
N. Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo,
Ut pergræcetur tecum, tervenefice.
C. O stulte, stulte! nescis nunc venire te:
Atque adeo in ipso adstas lapide, ubi præco prædicat.
N. Responde: quis me vendit? *C.* Quem Dii diligunt,
Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit:
Hunc si ullus Deus amaret, plus annis decem,
Plus iam viginti, mortuum esse oportuit;
Terræ odium ambulat. Iam nihil sapit,
Nec sentit: tanti 'st, quanti 'st fungus putidus.
N. Tun' terræ me odium esse autumas? abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.
Nunquã auferes hinc aurum. *C.* Atqui ultro iã dabis.
N. Dabo? *C.* Atque orabis me quidem ultro, ut auferã;
Cum illum rescisces criminatorem meum,
Quanto in periculo, et quanta in pernicie siet:
Tum libertatem Chrysalo largibere:
Ego adeo nunquam accipiam. *N.* Dic, scelerum caput,
Dic quo in periculo est meus Mnesilochus filius?
C. Sequere hac me; faxo iam scies. *N.* Quo gentium?
C. Tres unos passus. *N.* Vel decem.
C. Agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillum aperi, placide; ne crepa:
Sat est. Accede huc tu. Viden' convivium?
N. Video exadvorsum Pistoclerum et Bacchidem.
C. Qui sunt in lecto illo altero? *N.* Interii miser!
C. Novistine hominem? *N.* Novi. *C.* Dic, sodes, mihi,
Bellan' videtur specie mulier? *N.* Admodum.
C. Quid illã, meretricemne esse censes? *N.* Quippini?
C. Frustra es. *N.* Quis igitur, obsecro, est? *C.* Inveneris.
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

SCENA VIII. *Cleomachus, Nicobulus, Chrysalus.*

Cl. Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli, filius,
Per vim ut retineat mulierẽ? quæ hæc factio est?
N. Quis ille est? *Ch.* Per tempus hic venit miles mihi.
Cl. Non me arbitratur militem, sed mulierem,
Qui me meamque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam, neq; Mars creduat,

Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exhæredem fecero vitæ suæ.
N. Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?
Ch. Vir hic est illius mulieris, quacum accubat.
N Quid? vir? *Ch.* Vir, inquam.
N. Nupta est illan', obsecro?
Ch. Scies haud multo post. *N.* Oppido interii miser!
Ch. Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?
Age nunc, vincito me; auscultato filio.
Dixin' tibi ego illum inventurum te, qualis sit?
N. Quid nunc ego faciā? *Ch.* Iube sis me exsolvi cito:
Nam, nisi ego exsolvor, iam manifesto hominem opprimet.
Cl. Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.
Ch. Audin' quæ loquitur? quin tu me exsolvi iubes?
N. Exsolvite istum. Perii, pertimui miser!
Cl. Tum illam, quæ corpus publicat volgo suum,
Faxo, se haud dicat nactam, quem derideat.
Ch. Pacisci cum illo paulula pecunia
Potes. *N.* Paciscere ergo, obsecro, quid tibi lubet;
Dum ne manifesto hominem opprimat, neve enicet.
Cl. Nunc nisi ducenti Philippi reddantur mihi,
Iam illorum ego animā amborum exsorbebo oppido.
N. Hem! illoc paciscere, si potes. Perge, obsecro:
Paciscere quidvis. *Ch.* Ibo, et faciam sedulo.
Quid clamas? *Cl.* Ubi herus tuus est?
Ch. Nusquam: nescio.
Vis tibi ducentos nummos iam promittier,
Ut ne clamorem hic facias, neu convicium?
Cl. Nihil est, quod malim.
Ch. Atque ut tibi mala multa ingeram?
Cl. Tuo arbitratu. *Ch.* Ut subblanditur carnufex!
Pater hic Mnesilochi 'st: sequere: is promittet tibi.
Tu aurum rogato; ceterum verbum sat est.
N. Quid fit? *Ch.* Ducentis Philippis rē pepigi. *N.* Vah,
Mea! servavisti me. Quam mox dico dabo? (salus
Ch. Roga hunc tu; tu promitte huic. *N.* Promitto: ro-
Cl. Ducentos nummos aureos Philippos probos (ga.
Dabin'? *Ch.* Dabuntur inque; responde. *N.* Dabo.
Ch. Quid nunc, impure, numquid debetur tibi?
Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego te et ille mactamus infortunio.
Si tibi 'st machæra, et nobis veruina 'st domi:
Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris,
Confossiorem soricina nenia.
Iamdudum, hercle, equidem sentio, suspicio
Quæ te sollicitet, eum esse cum illa muliere.
Cl. Immo, est quoq. *Ch.* Ita me Iupiter, Iuno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament;
Ut ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud quod dici solet.
N. Ut iurat! servat me ille suis periuriis.
Cl. Ubi nunc Mnesilochus ergo est? *Ch.* Rus misit
Illa autem in arcem abivit ædem visere (pater.
Minervæ: nunc aperta est. I, vise, estne ibi?
Cl. Abeo ad forum igitur. *Ch.* Vel, hercle, in malam crucem.
Cl. Hodie exigā aurū hoc? *Ch.* Exige, ac suspende te:
Ne supplicare censeas, nihili homo.
Ille est amotus. Sine me, (per te, here, obsecro
Deos immortales, ire huc intro ad filium.
N. Quid eo introibis? *Ch.* Ut eum dictis plurimis
Castigem, cum hæc sic facta ad hunc faciat modum.
N. Immo, oro ut facias, Chrysale: et ted obsecro,
Cave parsis in eum dicere. *Ch.* Etiam me mones?
Satin' est, si plura ex me audiet hodie mala,
Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio?
N. Lippi illic oculi servos est simillimus:
Si non est, nolis esse, neque desideres:
Si est, abstinere, quin attingas, non queas.
Nam, ni illic hodie forte fortuna hic foret,
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua,
Atque obtruncaret mœchum manifestarium.
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promisi militi: quos non dabo
Temere etiam, priusquam filium convenero.
Nunquam, edepol, quidquā temere credam Chrysalo.
Verum libet etiam mihi has perlegere denuo:
Æquom est tabellis consignatis credere.

SCENA IX. *Chrysalus, Nicobulus.*

C. Atridæ duo fratres cluent fecisse facinus maxumū
Cum Priami patriā, Pergamū, divina mœnitū manu,
Armis, equis, exercitu, atque eximiis bellatoribus,
Millenum numero navium, decumo anno post subegerunt.
Non Pelides termento fuit, præut ego herum expugnabo meum,
Sine classe, sineque exercitu, et tanto numero militū.
Cepi, expugnavi, amanti herili filio aurum ab suo patre.
Nunc, priusquam huc senex venit, libet lamentari, dum exeat:
O Troia! O patria! O Pergamum! O Priame! periisti, senex,
Qui misere male mulcabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas fero,
Non sunt tabellæ, sed equus, quem misere Achivi ligneum.
Epius est Pistoclerus: ab eo hæc sumta. Mnesilochus Sinon est
Relictus. Ellum! non in busto Achilli, sed in lecto, accubat:
Bacchidem habet secum. Ille olim habuit ignem, qui signum daret:
Hæc ipsum exurit. Ego sum Ulysses, cuius consilio hæc geruntur.
Tum quæ hic sunt scriptæ literæ, hoc in equo insunt milites
Armati atque animati probe. Ita res successit, meliusque adhuc.
Atque hic equus non in arcem, verum in arcam, faciet impetum.
Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau 'st: ego Agamemnon, idem Ulysses Laertius.
Mnesilochus est Alexander, qui erit exitium rei patriæ suæ:
Is Helenam abduxit, cuia causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illic eidem audivi Ulyssem, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
Dolis ego deprensus sum: illa mendicans pene inventus interiit,
Dum sibi exquirit fata Iliorum. Assimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis me exemi: item se ille servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio:

Signū ex arce si perisset; alterū etiā est Troili mors;
Tertium, cū portæ Scææ limen superū scinderetur.
Paria item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio:
Nam dudū primo, ut dixeram nostro seni mendaciū
Et de hospite, et de auro, et de lembo; ibi signum ex arce iam abstuli.
Iā duo restabant fata tū; nec magis id ceperā oppidū.
Post ubi tabellas ad senem detuli, ibi occidi Troilū.
Cum censuit Mnesilochū cū uxore esse dudū militis,
Ibi vix me exsolvi: atque id periclum assimulo, Ulyssem ut prædicant
Cognitum ab Helena, esse proditum Hecubæ. Sed, ut olim ille se
Blanditiis exemit, et persuasit, se ut amitteret;
Item ego dolis me illo expuli periculo, et decepi senē.
Postea, cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli; dein pugnam conserui seni:
Ego eum adeo uno mendacio devici: uno ictu extempulo
Cepi spolia. Is nunc ducentos nummos Philippos militi,
Quos dare se promisit, dabit.
Nunc alteris etiā ducentis usu 'st, qui dispensentur
Ilio capto, ut sit mulsum, qui triumphent milites.
Sed Priamus hic multo illi præstat: non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet; atque equidem omnes lectos sine probro:
Eos ego hodie omnes contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc Priamo nostro si est quis emtor, coemtionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum astantem eccum ante portam video. Adibo, atque alloquar.
N. Cuianam vox prope me sonat? *C.* O Nicobule!
N. Quid fit? quid,
Quod te misi, ecquid egisti? *C.* Rogas? congredere.
N. Congredior.
C. Optumus sum orator: ad lacrumas coegi hominem castigando,
Maleque dictis, quæ quidem quivi comminisci.
N. Quid ait? *C.* Verbum
Nullum fecit: lacrumans tacitus auscultabat, quæ ego loquebar:
Tacitus conscripsit tabellas; obsignatas mihi has dedit;
Tibi me iussit dare. Sed metuo, ne idem cantent, quod priores.
Nosce signum. Estne eius? *N.* Novi. Libet perlegere has. *C.* Perlege.
Nunc superū limen scinditur; nunc adest exitiū Ilio.
Turbat equus lepide ligneus.
N. Chrysale, ades, dum ego has perlego.
C. Quid me tibi adesse opus est?
N. Volo, ut, quod iubebo, facias;
Ut scias, quæ hic scripta sient.
C. Nihil moror, neque scire volo.
N. Tamen ades. *C.* Quid opus est? *N.* Taceas: quod iubeo, id facias. *C.* Adero.
N. Euge literas minutas! *C.* Qui quidē videat parū:
Verum, qui satis videat, grandes satis sunt.
N. Animum advortito igitur.
C. Nolo, inquam. *N.* At volo, inquam. *C.* Quid opu 'st? *N.* At enim id, quod te iubeo, facias.
C. Iustum 'st, tuus tibi servos tuo arbitratu serviat.
N. Hoc age sis iam nunc. *C.* Ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.
N. Ceræ quidem haud parsit, neque stilo; sed, quidquid est, perlegere certum 'st.
Pater, ducentos Philippos, quæso, Chrysalo
Da, si esse salvom vis me, aut vitalem tibi.
C. Malum quidem, hercle, magnū, tibi dico. *N.* Quid est?
C. Non prius salutem scripsit? *N.* Nusquam sentio.
C. Non dabis, si sapies; verum, si das maxume,
Næ, ille alium gerulum quærat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si iubeas maxume,
Sat sic suspectus sum, cum careo noxia.
N. Ausculta porro, dū hoc, quod scriptū est, perlego.
C. Inde a principio iam impudens epistola 'st.
N. Pudet prodire me ad te in conspectum, pater:
Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis.
Pol, haud derides: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
C. Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.
N. Stulte fecisse fateor. Sed quæso, pater,
Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui.
Persuasum 'st facere, cuius nunc me facti pudet.
Prius te cavisse ergo, quam pudere, æquom fuit.
C. Eadem istæc verba dudum illi dixi omnia.
N. Quæso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
Me obiurgavit plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis suis,
Ut te ei habere gratiam æquom sit bonam.
C. Estne istuc istic scriptum? *N.* Hem! specta; tum scies.
C. Ut, qui deliquit, supplex est ultro omnibus!
N. Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro.
C. Ne unum quidem, hercle, si sapis. *N.* Sine perlegā:
Ego iusiurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
Priusquam a me abiret. Nunc, pater, ne peierem,
Cura; atque abduce me hinc ab hac, quantum potest,
Quam propter tantum damni feci et flagiti.
Cave tibi ducenti nummi dividiæ fuant.
Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.
Vale, atque hæc cura. Quid nunc censes, Chrysale?
C. Nihil ego tibi hodie consili quidquam dabo:
Neque ego haud committam, ut, si quid peccatū siet,
Fecisse dicas de mea sententia.
Verum, ut ego opinor si ego in istoc siem loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.
Duæ conditiones sunt: utrām tu accipias, vide;
Vel ut aurum perdas, vel ut amator peieret.
Ego neque te iubeo, neque veto, neque suadeo.
N. Miseret me illius. *C.* Tuus est; non mirum facis.
Si plus perdundum sit, perisse suavius 'st,
Quam illud flagitium volgo dispalescere.
N. Næ, ille, edepol, Ephesi multo mavellem foret,
Dum salvos esset, quam revenisset domum.
Quin ergo istic, quod perdundū 'st, propero perdere?
Binos ducentos Philippos iam intus efferam;
Et militi quos dudum promisi miser,
Et istos. Mane istic: iam exeo ad te, Chrysale.
C. Fit vasta Troia; scindunt proceres Pergamū.
Scivi ego iamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol, qui me esse dicat cruciato malo
Dignum, næ, ego cum illo pignus haud ausim dare;
Tantas turbellas facio. Sed crepuit foris:
Effertur præda ex Troia. Taceam nunc iam.
N. Cape hoc tibi aurum, Chrysale: i, fer filio:
Ego ad forum autem hinc ibo, ut solvam militem.
C. Non equidem accipiā. Proin tu quæras, qui ferat.

Nolo ego mihi credi. *N.* Cape vero: odiose facis.
C. Non equidem capiam. *N.* At quæso.
C. Dico, ut res se habet.
N. Morare. *C.* Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet. *N.* Ohe! odiose facis.
C. Cedo, si necesse est. *N.* Cura hoc. Iam ego huc revenero.
C. Curatum 'st, esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta efficere pulchre, veluti mihi
Evenit, ut ovans, præda onustus, cederem.
Salute nostra atque urbe capta per dolum,
Domum reduco integrum omnem hunc exercitum.
Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervolgatum 'st; nihil moror.
Verumtamen accipientur mulso milites.
Nunc hanc prædam omnem iam ad quæsturē deferō.

SCENA X. *Philoxenus.*

Quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,
Quam se ad vitam, et quos ad amores, præcipitem inscitus capessat,
Magis curæ est; magisque afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Scio: ego fui illa ætate, et feci illa omnia; sed more modesto.
Duxi, habui scortum; potavi, edi, donavi: et enim id raro.
Neque placitant mores, quibus video volgo gnatis esse parentes.
Ego dare me ludum meo gnato institui. Ut animo obsequium
Sumere possit, æquom esse puto: sed nimia nolo desidiæ
Ei dare ludū. Nunc Mnesilochū, quod mandavi, viso,
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera sua compulerit;
Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo est ingeniu natus.

ACTUS V. SCENA I. *Nicobulus, Philoxenus.*

N. Quicumque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac,
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longe antedeo stultitia, at moribus indoctis.
Perii! pudet. Hoccine me ætatis ludos bis factum esse indigne?
Magis quam id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit.
Perditus sum, atque etiam eradicatus sum: omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala consectantur; omnibus exitiis interii.
Chrysalus me hodie laceravit; Chrysalus me miserum spoliavit:
Is me scelus usque attondit dolis doctis indoctum, ut lubitum est.
Ita miles memorat meretricem esse, quam ille uxorem esse aiebat:
Omniaque, ut quidquid actum est, memoravit: eam sibi hunc annum conductam.
Reliquum id auri factum, quod ego ei stultissimus homo promisissem.
Hoc, hoc est, quod peracescit; hoc est demum, quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari: immo, edepol, sic ludos factū
Cano capite, atque alba barba! miserum me, auro esse emunctum!

Perii! hoc servom meum non nauci facere esse ausum! Atque ego, si alibi
Plus perdiderim, minus ægre habeam, minusque id mihi damno ducam.
P. Certo hic prope me mihi nescio quis loqui visus est: sed quem video?
Hic quidem pater Mnesilochi.
N. Euge, socium ærumnæ et mei mali video.
Philoxene, salve. *P.* Et tu. Unde agis?
N. Unde homo miser atque infortunatus.
P. At pol ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet atque infortunatum.
N. Igitur pari fortuna, ætate ut sumus, utimur
P. Sic est. Sed tu,
Quid tibi est? *N.* Pol, mihi par idem est, quod tibi.
P. Numquid nam ad filium
Hæc ægritudo attinet? *N.* Admodum.
P. Idem mihi morbus in pectore est.
N. At mihi Chrysalus, optumus homo,
Perdidit filium, me, atque rem omnem
Meam. *P.* Quid tibi ex filio nam, obsecro, ægre est?
N. Scies id: periit
Cum tuo: atque ambo æque amicas habent.
P. Qui scis? *N.* Vidi. *P.* Hei mihi, disperii!
N. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras?
P. Haud moror. *N.* Heus, Bacchis! iube sis actutum aperiri fores,
Nisi mavoltis fores et postes comminui securibus.

SCENA II. *Bacchides, Nicobulus, Philoxenus.*

B. I. Quis, sonitu ac tumultu tanto, nomine nominat
Me, atque pultat ædes? *N.* Ego atque hic. *B. I.* Quid hoc est
Negoti? nam, amabo: quis has huc oves adegit
N. Oves nos vocant pessumæ. *B. II.* Pastor harum
Dormit, cum hæ eunt sic a pecu palitantes.
B. I. At pol nitent; haud sordidæ videntur ambæ.
B. II. Attonsæ hæ quidem ambæ usque sunt. *P.* Ut videntur
Deridere nos! *N.* Sine, suo usque arbitratu.
B. I. Rerin' ter in anno tu has tonsitari? *B. II.* Pol, hodie
Altera iam bis detonsa certo est. *B. I.* Vetulæ
Sunt thymiamæ. *B. II.* At bonas fuisse credo.
B. I. Viden', limulis, obsecro, ut intuentur?
B. II. Ecastor, sine omni arbitror malitia esse.
P. Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
B. I. Cogantur quidem intro.
B. II. Haud scio, quid eo opus sit,
Quæ nec lactē nec lanā ullā habent. Sic sine astent.
Exolvere, quanti fuere. Omnis fructus
Iam illis decidit. Non vides, ut palantes
Solæ libere grassentur? quin ætate credo esse mutas:
Ne balant quidem, cum a pecu cætero absunt.
B. I. Stultæ atque haud malæ videntur.
B. II. Revortamur intro, soror.
N. Illico ambæ manete: hæ oves volunt vos.
B. I. Prodigium hoc quidem est: humana nos voce appellant oves.
P. Hæ oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.
B. I. Si quam debes, te condono: tibi habe; nunquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis vos malum minitamini?
P. Quia nostros agnos conclusos istic esse aiunt duos.
N. Et, præter eos agnos, meus est istic clam mordax canis.

Qui nisi nobis producuntur iã, atq; emittunturforas,
Arietes truces nos erimus; iam in vos incursabimus.
B. I. Soror, est, quod te volo secreto. *B. II.* Eho, amabo. *N.* Quo illæ abeant? *B. I.* Senem illum
Tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas; ego ad hunc
Iratũ aggrediar. Possumus nos hos intro illicere huc?
B. II. Meum
Pensum ego lepide accurabo, quamquam odiosum 'st mortem amplexari.
B. I. Facito ut taceas *B. II.* Tu tuum facito; ego, quod dixi, haud mutabo.
N. Quid illæc illic in consilio duæ secreto consultant?
P. Quid ais tu, homo? *N.* Quid me vis?
P. Pudet dicere me tibi quiddam.
N. Quid est, quod pudeat? P. St! amico homini tibi quid volo credere: certum 'st,
Nihili sum. *N.* Istuc iampridem scio: sed, quid nihili sis, memora.
P. Tactus sũ vehementer visco: cor stimulo foditur.
N. Pol, tibi
Multo æquius est coxendicem. (scire puto me;
Sed quid istuc est? etsi iam ego ipse, quid sit, prope
Verum audire etiam ex te studeo. *P.* Viden' hanc?
N. Video. *P.* Haud mala est mulier.
N. Pol, vero ista mala, et tu nihili. *P.* Quid multa? ego amo. *N.* An amas? *P.* Necas.
N. Tun' homo putide, amator istac fieri ætate audes?
P. Qui non?
N. Quia flagitium 'st. *P.* Quid opu 'st verbis? meo filio non sum iratus.
Neque te tuo est æquom esse iratum: si amant, sapienter faciunt.
B. I. Sequere hac. *N.* Eunt: eccas tandem! Probri perlecebræ et persuastrices.
Quid nunc? etiam redditis nobis filios et servom?
Experior tecum vi maiore? *P.* Abin' hinc? (an ego
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam illepide appelles.
B. I. Senex optume, quantum 'st in terra, sine hoc exorare abs te,
Ut istuc delictũ desistas tanto opere ire oppugnatũ.
N. Nisi abeas, quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo iam. *B. I.* Patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias.
N. Ut blandiloqua est!
Hei mihi, metuo! *B. II.* Hic magis tranquillu 'st.
I, i hac mecum intro; atque ibi, si quid vis, filium concastigato.
N. Abin' a me, scelus? *B. I.* Sine, mea pietas, exorem.
N. Exores tu me?
B. I. Ego quidem ab hoc certe exorabo.
P. Immo ego te oro, ut me intro abducas.
B. II. Lepidum te! *P.* At sciu', quo pacto me ad te intro abducas? *B. II.* Mecum ut sis.
P. Omnia, quæ cupio, commemoras.
N. Vidi ego nequam
Homines, verum te neminẽ deteriorem. *P.* Ita sum.
B. I. I, i hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus, vino, atque unguentis.
N. Satis, satis iam vostri 'st convivi; me nihil pœnitet, ut sim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt;
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream. (tu hac mecum
B. I. Quid tandem, si dimidium auri redditur? isne
Intro, atque ut eis delicta ignoscas? *P.* Faciet.
N. Minime. Nolo: nil moror. Sine sic: malo illos ulcisci ambo.
P. Etiam tu homo nihili, quod Dii dant boni', cave culpa tua amissis.
Dimidium auri datur; accipias, potesque, et scortum accumbas.
N. Egon', ubi filius corrumpatur meus, ibi potem?
P. Potandum 'st.
N. Age, iam id, ut ut est, etsi est dedecorum, patiar: facere inducam
Animum. Egon', cum hæc cum illo accumbet, inspectem? *B. I.* Immo equidem, pol, tecum
Accumbam: te amabo, et te amplexabor.
N. Caput prurit: perii!
Vix negito. *B. I.* Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas,
Tibi bene facias, iam, pol, id quidem esse haud perlonginquum;
Neque, si hoc hodie amiseris, post in morte id eventurum esse unquam?
N. Quid ago? *P.* Quid agas? Rogitas etiam?
N. Libet, et matuo. *B. I.* Quid metuis?
N. Ne obnoxius filio sim, et servo.
B. I. Mel meum! amabo, istæc fiunt.
Tuus est: unde illum censes sumere, nisi quod tute
Hanc veniam illis sine te exorem. (illi dederis?
N. Ut terebrat! Satin' offirmatum
Quod mihi erat, id me exorat? tua sum opera, et propter te, improbior.
B. I. Nusquam me a te avelles. Satin' ego istuc habeo offirmatum?
N. Quod semel dixi, haud mutabo.
B. I. It dies; ite intro accubitum.
Filii vos exspectant intus.
N. Quam quidem actutum emoriamur.
B. I. Vesper hic est; sequimini. *P.* Ducite nos, quo lubet tamquam quidem addictos.
B. I. Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias. Ite.

GREX.

Hi senes, nisi fuissent nihili iã inde ab adolescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus:
Neque adeo hæc faceremus, ni antehac, vidissemus
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres. (fieri,
Spectatores, vos valere volumus, et clare applaudere.

---

† CAPTEIVEI

DRAMATIS PERSONÆ.

ERGASILUS, *parasitus.*	ARISTOPHONTES.
HEGIO, *senex.*	PUER, *Hegionis.*
LORARIUS.	PHILOPOLEMUS.
PHILOCRATES, } *captivi.*	STALAGMUS.
TYNDARUS, } *captivi.*	GREX.

Argumentum (PRISCIANI?)

Captus est in pugna Hegionis filius.
Alium quadrimum fugiens servus vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantum studens, uti natum recuperet:
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is, suo cum domino veste versa ac nomine,
Ut amittatur, fecit: ipsus plectitur.,
Et is reduxit captum et fugitivum simul,
Indicio cuius alium agnoscit filium.

Prologus.

Hos quos videtis stare hic captivos duos,
Illi qui astant, hi stant ambo, non sedent.
Vos vos mihi testes estis, me verum loqui.
Senex, qui hic habitat, Hegio, est huius pater.
Sed, is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo:
Alterum quadrimum puerum servus surpuit,
Eumque, hinc profugiens, vendidit in Alide
Huiusce patri: iam hoc tenetis? Optumum 'st.
Negat, hercle, ille ultimus. Accedito.
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me, tua causa, ne erres, non rupturus sum.
Vos, qui potestis ope vostra censerier,
Accipite reliquom: alieno uti nihil moror.
Fugitivus ille, ut dixeram ante, huius patri,
Domo quem profugiens dominu abstulerat, vendidit.
Hic, postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo
Peculiarem, quia quasi una ætas erat.
Hic nunc domi servit suo patri: nec scit pater.
Enimvero Dii nos, quasi pilas, homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiserit.
Postquam belligerant Ætoli cum Aliis,
Ut fit in bello, capitur alter filius:
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit capteivos commercari hic Alios,
Si quem reperire posset, cum quo mutet suum
Illu captivum. Hunc suum esse nescit, qui domi 'st.
Et quoniam heri inde audivit, de summo loco
Summoque genere captum esse equitem Alium,
Nil pretio parsit, filiu dum parceret:
Reconciliare ut facilius posset domum,
Emit hosce de præda ambos de quæstoribus.
Hice autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hic servus suum herũ hinc amittat domũ.
Itaque inter se commutant vestem et nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Huius illic, hic illius, hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam;
Et suum herum faciet libertatis compotem.
Eodemque pacto fratrem servabit suum,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem,
Imprudens; itidem ut sæpe iam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam prudens, boni.
Sed, inscientes, sua sibi fallacia
Ita compararunt et confinxerunt dolum;
Itaque hi commenti de sua sententia,
Ut in servitute hic ad suum maneat patrem.
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
Homunculi quanti sunt, cum recogito!
Hæc res agetur nobis, vobis fabula.
Sed etiam 'st, paucis vos quod monitos voluerim.
Profecto expediet fabulæ huic operam dare.
Non pertractate facta 'st, neque item ut ceteræ:
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles.
Hic neque periurus leno 'st, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus. Ne vereamini,
Quia bellum Ætolis esse dixi cum Aliis:
Foris illic extra scenam fient prælia.
Nam hoc pæne iniquum 'st comico choragio,
Conari desubito nos agere tragœdiam.
Proin, si quis pugnam exspectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adversarium
Si erit, ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam:
Adeo ut spectare postea omneis oderit.
Abeo. Valete, iudices iustissumi
Domi, bellique duellatores optumi.

Actus I. Scena I. *Ergasilus.*

Iuventus nomen indidit Scorto mihi,
Eo quia invocatus soleo esse in convivio.
Scio absurde dictum hoc derisores dicere,
At ego aio recte. nam, in convivio, sibi
Amator, talus cum iacit, scortum invocat.
Estne invocatum, an non? est planissume.
Verum, hercle, verum nos parasiti planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat neque invocat:
Quasi mures, semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ sunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi, cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit,
Item parasiti, rebus prolatis; latent
In occulto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.
Prolatis rebus, parasiti venatici
Sumus: quando res redierunt, molossici,
Odiosicique et multum incommodistici.
Et hic quidem, hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput,
Vel ire extra portam Trigeminam ad saccum licet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum 'st.
Nam, postquam meus rex est potitus hostium,
Ita nunc belligerant Ætoli cum Aliis.
Nam Ætolia hæc est: illic captu 'st in Alide
Philopolemus, huius Hegionis filius
Senis, qui hic abitat; quæ ædes lamentariæ
Mihi sunt; quas quotiescumque conspicio, fleo.
Nunc hic occepit quæstum hunc filii gratia
Inhonestum, maxume alienum ingenio suo;
Homines captivos commercatur, si queat
Aliquem invenire, suum quo mutet filium.
Quod ego quidem nimis quam cupio ut impetret;
Nam, ni illum recipit, nihil est quo me recipiam.
Nulla iuventutis est spes. sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adolescens moribus;
Cui nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne est pater eius moratus moribus.
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium,
Unde saturitate sæpe ego exii ebrius.

Scena II. *Hegio, Lorarius, Ergasilus.*

H. Advorte animum sis tu: istos captivos duos,
Here quos emi de præda, de quæstoribus,
His indito catenas singularias;
Istas maiores, quibus sunt vincti, demito;
Sinito ambulare, si foris, si intus volent;
Sed uti asserventur magna diligentia.
Liber captivus avis feræ consimilis est:
Semel fugiendi si data 'st occasio,
Satis est: nunquam postilla possis prendere.
L. Omnes profecto liberi lubentius
Sumus, quam servimus. *H.* Non videre ita tu quidē.
L. Si non est quod dem, mene vis dem ipse in pedes?
H. Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.
L. Avis me feræ consimilem faciam, ut prædicas.
H. Ita ut dicis: nam, si faxis, te in caveam dabo.
Sed satis verborum 'st. Cura, quæ iussi, atque abi.
Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos:
Visam, ne nocte hac quidpiam turbaverint.
Inde me continuo recipiam rursum domum.
E. Ægre 'st mihi, hunc facere quæstum carcerarium,
Propter sui gnati miseriam, miserum senem.
Sed, si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Vel carnuficinam hunc facere, possum perpeti.

H. Quis hic loquitur? *E.* Ego, qui tuo mœrore ma-
Macesco, consenesco, et tabesco miser. (ceror,
Ossa atque pellis sum [misera] macritudine.
Neque unquam quidquam me iuvat, quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.
H. Ergasile, salve. *E.* Dii te bene ament, Hegio.
H. Ne fle. *E.* Egon' illū non fleam? egone non defleā
Talem adolescentem? *H.* Semper sensi, filio
Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.
E. Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuus potitu 'st hostium,
Expertus, quanti fuerit, nunc desidero.
H. Alienus cum eius incommodum tam ægre feras,
Quid me patrem par facere 'st, cui ille 'st unicus?
E. Alienus ego? alienus illi? ha, Hegio!
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu 'st; mihi, etiam unico magis unicus.
H. Laudo, malum quom amici tuum ducis malum.
Nunc abe bonum animum. *E.* Eheu! *H.* Huic illud
Quia nunc remissus est edendi exercitus. (dolet,
Nullumne interea nactus, qui posset tibi
Remissum, quem duxti, imperare exercitum?
E. Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat, postquā captu 'st Philopolemus tuus.
H. Non, pol, mirandum 'st, fugitare hanc provinciā.
Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus. Primum dum opus est Pistoriensibus:
Eorum sunt genera aliquot Pistoriensium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus.
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.
E. Ut sæpe summa ingenia in occulto latent!
Hic, qualis imperator, nunc privatus est!
H. Habe modo bonū animū: nam illum confido domū
In his diebus me reconciliassere.
Nam eccum captivum hic adolescentē habeo Alium,
Prognatum genere summo, et summis divitiis:
Hoc illum me mutare, confido fore.
E. Ita Dii Deæque faxint! *H.* Sed num quo foras
Vocatus ad cœnam? *E.* Nusquā equidē, quod sciam.
Sed quid tu id quæris? *H.* Quia mihi natali 'st dies;
Propterea te vocarier ad cœnam volo.
E. Facete dictum. *H.* Sed si pauxillo potes
Contentus esse. *E.* Ne perpauxillum modo;
Nam istoc me assiduo victu delecto domi.
H. Age sis, rogo. *E.* Emtum, nisi qui meliorē afferet,
Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis.
Quasi fundum vendens, meis me addicam legibus.
H. Profundum vendis tu quidē, haud fundum, mihi;
Sed, si venturus, tempori. *E.* Hem! vel iam otium
H. I modo, venare leporem: nunc erim tenes. (est.
Nam meus scruposam victus [commetat] viam.
E. Nunquam istoc vinces me, Hegio; ne postules:
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
H. Asper meus victus sane 'st. *E.* Sentisne esitas?
H. Terrestris cœna 'st. *E.* Sus terrestris bestia 'st.
H. Multis oleribus *E.* Curato ægrotos domi. (nes.
Numquid vis? *H.* Venias tempori. *E.* Memorem mo-
H. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

ACTUS II. Sc. I. *Lorarii, Philocrates, Tyndarus.*

L. Si Dii immortales id voluere, vos hanc ærumnam
exsequi,
Decet id pati animo æquo: si id facietis, levior labos
Domi fuistis, credo, liberi: (erit.
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos ho-
nu 'st,
Eamq; herili imperio ingeniis vostris lenem reddere.
Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit.
P. Oh oh oh!
L. Eiulatione haud opu 'st: oculis multam miseriam
In re mala animo si bono utare, adiuvat. (additis.
P. At nos pudet, quia cum catenis sumus. *L.* At pi-
Nostrum herum, si vos eximat vinculis, (geat postea
Aut solutos sinat, quos argento emerit.
P. Quid a nobis metuit? scimus nos,
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.
L. At fugam fingitis. Sentio quam rem agitis.
P. Nos fugiamus? quo fugiamus? *L.* In patriam.
P. Apage! haud nos id decet
Fugitivos imitari. *L.* Immo, edepol, si erit occasio,
haud dehortor,
P. Unum exorare vos sinite nos. *L.* Quidnam id est?
P. Ut, sine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
L. Fiat. Abscedite hinc: nos concedamus huc. Sed
brevem orationem incipesse.
P. Hem! istuc mihi certum erat. Concede huc.
L. Abite ab istis. *T.* Obnoxii ambo
Vobis sumus propter hanc rem; cum, quæ volumus
Copia 'st; atque ea facitis nos compotes. (nos,
P. Secede huc nunc iam, si videtur, procul;
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,
Neve permanet palam hæc nostra fallacia.
Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam provenit.
Nam, si herus mihi es tu, atque ego me tuum esse
servum assimulo,
Tamen viso opu 'st, cauto 'st opus, ut hoc sobrie, si-
neque arbitris,
Accurate hoc agatur, docte et diligenter.
Tanta incepta res est: haud somniculose hoc
Agendum 'st. *T.* Ero, ut me voles esse. *P.* Spero.
T. Nam tu nunc vides, pro tuo caro capite,
Carum offerre meum caput vilitati. (les, habebis.
P. Scio. *T.* At scire memento, quando id, quod vo-
Nam fere maxuma pars morem hunc homines habent:
quod sibi volunt,
Dum id impetrant, boni sunt; sed, id ubi iam penes
Ex bonis pessumi et fraudulentissumi (sese habent,
Sunt. Nunc, ut te mihi volo esse, esse autumo.
Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.
P. Pol, ego te, si audeam meum patrem nominem:
Nam, secundum patrem, tu es pater proxumus.
T. Audio. *P.* Et propterea sæpius te, ut memineris,
moneo.
Non ego herus tibi, sed servus sum. Nunc obsecro te
hoc unum,
Quoniā nobis Dii immortales animū ostenderunt suu,
Ut qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conser-
vum, velint;
Quod antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro
per precem,
Per fortunam incertam, et per mei te erga bonitatem
patris,
Perque conservitium commune, quod hostica evenit
manu,
Ne me secus honore honestes, quam ego te, cum ser-
vibas mihi:
Atque ut, qui fueris, et qui nunc sis, meminisse ut
memineris.
T. Scio quidem me te esse nunc, et te esse me.
P. Hem! istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

(·) Il che dimostra come anche il tempo dei romani fossero in uso le mancie o il commercio del solo danaro

Scena II. *Hegio, Philocrates, Tyndarus.*

H. Iam ego revortar intro, si ex his, quæ volo, exquisivero.
Ubi sunt isti, quos ante ædis iussi huc produci foras?
P. Edepol, tibi ne quæstioni essemus, cautum intellego;
Ita vinclis custodiisq; circummœniti sumus. (vet.
H. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiā cavet;
Etiā cū cavisse ratu 'st, sæpe is cautor captus est.
An vero non iusta causa 'st, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus præsenti pecunia?
P. Neque, pol, tibi nos, quia nos servas, æquom 'st vitio vortere:
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.
H. Ut vos hic, itidem illic apud vos meus servatur filius.
P. Captus est? *H.* Ita.
P. Non igitur nos soli ignavi fuvimus.
H. Secede huc: nam sunt, ex te quæ solo scitari volo;
Quarum rerum te falsiloquum mihi esse nolo.
P. Non ero,
Quod sciam. Si quid nescivi, id nescium tradā tibi.
T. Nunc senex est in tonstrina: nunc iam cultros attinet,
Ne is quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinet.
Sed utrum, strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio: verum, si frugi 'st, usque admutilabit probe.
H. Quid tu? servus ne esse, an liber, mavelis, memora mihi.
P. Proxumum quod sit bono, quodque a malo longissume,
Id volo: quamquam non multum fuit molesta servitus;
Nec mi secus erat, quam si essem familiaris filius.
T. Eugepæ! Thalem talento nōn emam Milesium.
Nam, ad sapientiam huius, nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad servitutem contulit!
H. Quo dē genere natu 'st illic Philocrates
P. Polyplusio;
Quod genus illic est unum pollens atque honoratissumum.
H. Quid ipsus hic? quo honore est illic?
P. Summo, atque ab summis viris.
H. Tum igitur ei, cum in Aliis tanta gratia 'st, ut prædicas,
Quid divitiæ? suntne opimæ?
P. Unde excoquat sevum senex.
H. Quid? pater vivitne?
P. Vivum, cum inde abiimus, liquimus.
Nunc, vivat, necne, id Orcum scire oportet scilicet.
T. Salva res est: philosophatur quoque iam; non mendax modo 'st.
H. Quod erat ei nomen?
P. Thesaurochrysonicochrysides.
H. Videlicet, propter divitias, inditum id nomen quasi est?
P. Immo, edepol, propter avaritiam ipsius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
H. Quid tu ais? tenaxne pater eius est?
P. Immo, edepol, pertinax.
Quin etiam, ut magis noscas: Genio suo ubi quando sacruficat,
Ad rem divinā, quibus est opus, Samiis vasis utitur,
Ne ipse Genius surripiat. Proinde, aliis ut credat, vide.
H. Sequere hac me igitur. Eadem ego ex hoc, quæ volo, exquæsivero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ex hoc, quo genere natus sis, scio: hic fassu 'st
Hæc tu eadem si confiteri vis, tua re feceris: (mihi.
Quæ tamen scito scire me ex hoc.
T. Fecit officium hic suum,
Cum tibi est confessus verum: quamquam volui sedulo
Meam nobilitatem occultare, et genus, et divitias meas,
Hegio. Nunc quando patriam et libertatem perdidi,
Non ego istunc me potius, quam te metuere, æquum censeo.
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes æquabiles.
Memini, cum dicto haud audebat; facto nunc lædat licet.
Sed viden'? Fortuna humana fingit artatq; ut lubet:
Me, qui liber fuerā, servum fecit; e summo infimum.
Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.
Et quidem si, proinde ut ipse fui imperator familiæ,
Habeam dominum, non verear ne iniuste aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.
H. Loquere audacter. *T.* Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus:
Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus:
Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio.
Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque et videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.
H. Memini ego istoc. Sed fateriu' eadem quæ hic fassu 'st mihi?
T. Ego patri meo esse fateor summas divitias domi,
Meq; summo genere gnatum. Sed te obtestor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ:
Ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis,
Me saturum servire apud te sumtu et vestitu tuo,
Potius quam illi, ubi minime honestum 'st, mendicantem vivere.
H. Ego, virtute Deum et maiorum nostrum dives sum satis.
Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existumo.
Scio ego; multos iam lucrum luculentos homines reddidit:
Est etiam, ubi profecto damnum præstet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis sæpe suasit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea, quæ sentio, pariter scias.
Filius meus illic apud vos servit captus Alide:
Eū si reddis mihi, præterea unum nummum ne duis;
Et te et hunc amittam hinc. Alio pacto abire non potes.
T. Optumum atque æquissumum oras; optumusque hominum homo es.
Sed is privatam servitutem servit illi, an publicam?
H. Privatam medici Menarchi.

P. Pol, hic quidem huius est cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.
H. Fac, is homo ut redimatur.
T. Faciam. Sed te id oro, Hegio...
H. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.
T. Ausculta dum; scies.
Ego me amitti, donicũ ille huc redierit, non postulo.
Verum te quæso, ut æstumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illi.
H. Immo, alium potius misero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc tuum qui conveniat patrem;
Qui tua, quæ tu miseris mandata, ita, ut velis, perferat.
T. At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris.
Hunc mitte: hic omne transactum reddet, si illuc venerit.
Nec quemquam fideliorẽ, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eũ, nec qui magis sit servus ex sententia;
Neque adeo cui tuum concredat filiũ hodie audacius.
Ne vereare: meo periculo huius ego experiar fidem,
Fretus ingenio eius, quod me esse scit erga se benevolum.
H. Mittam equidẽ istunc æstumatum tua fide, si vis.
T. Volo.
Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo.
H. Num quæ causa 'st, quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? *T.* Optuma immo.
H. Solvite istum nunc iam,
Atque utrumque.
T. Dii tibi omnes omnia optata afferant,
Cum me tanto honore honestas, cumque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud molestum 'st iam, quod collus collaria caret.
H. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida 'st bonis.
Nunc tu illum si illo es missurus, dice, demonstra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nuntiari. Vin' vocem huc ad te?
T. Voca.

SCENA III. *Hegio, Philocrates, Tyndarus.*

H. Quæ res bene vortat mihi, meoque filio,
Vobisque; volt te novus herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te æstumatum huic dedi viginti minis;
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.
P. Utroque vorsum rectum 'st ingenium meum,
Ad te, atque illum. Pro rota, me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.
H. Tute tibi a tuopte ingenio prodes plurimum,
Cum servitutem ita fers, ut ferri decet.
Sequere. Hem tibi hominẽ. *T.* Gratiam habeo tibi,
Quom copiam istam mi et potestatem facis:
Ut ego ad parentes hunc remittam nuntium,
Qui me, quid rerum hic agitem, et quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te æstumatum in Alidem mittam ad patrem;
Ac, si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. *P.* Recte convenisse sentio.
Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad se veniat. *T.* Ergo animũ advortas volo,
Quæ nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.
P. Philocrates, ut adhuc locorũ feci, faciam sedulo,
Ut potissumum, quod in rem recte conducat tuam,
Id petam, id persequarq; corde et animo atq; viribus.
T. Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum advortas volo.
Omnium primum salutem dicito matri et patri,
Et cognatis, et si quem alium benevolentem videris;
Me hic valere, et servitutem servire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit, et facit.
P. Istuc ne præcipias: facile memoria memini tamen.
T. Nam quidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De huius filio.
P. Quæ memini, mora mera 'st monerier.
T. Ut eum redimat, et remittat, nostrum huc amborum vicem.
P. Meminero. *H.* At quamprimum poteris: istuc in rem utrique 'st maxume.
P. Non tuum tu magis videre, quam ille suum gnatum cupit.
H. Meus mihi, suus cuique est carus.
P. Numquid aliud vis patri
Nuntiari? *T.* Me hic valere; et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili;
Neq; te commeruisse culpã, neq; me advorsatũ tibi;
Beneq; hero gessisse morẽ in tantis ærumnis tamen.
Neque med unquam deseruisse te, neque factis neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. Hæc pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suũ gnatũ atque se,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu:
Et mea opera, si hinc rebito, faciã ut faciat facilius.
Nam, tua opera et comitate et virtute et sapientia,
Fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo,
Cum apud hunc confessus es et genus et divitias (meas.
Quo pacto emisisti e vinclis tuũ herũ tua sapientia.
P. Feci ego ista, ut commemoras; et te meminisse, id gratum 'st mihi.
Merito tibi ea evenerunt a me. Nam nunc, Philocrates,
Si ego itẽ memorẽ, quæ med erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat. Nam, si servus meus esses, nihilo secius
Mihi obsequiosus semper fuisti. *H.* Dii, vostrã fidẽ!
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas corde amare inter se. Quantis laudibus suum herum
Servus collaudavit! *P.* Istic, pol, haud me centesimã
Partem laudat, quam ipse meritu 'st, ut laudetur laudibus.
H. Ergo, cum optume fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
P. Magis non factum possum velle, quam opera experiar persequi.
Id ut scias, Iovem supremum testem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati.
H. Probus es homo.
P. Nec me secus unquam ei facturum quidquam, quam memet mihi.
T. Istæc dicta te experiri et operis et factis volo.
Et, quo minus dixi, quam volui de te, animum advortas volo:

Atque, horunc verborum causa, caveto mihi iratus fuas.
Sed te, quæso, cogitato, hinc, mea fide, mitti domũ
Te æstumatum, et meam esse vitam hic pro te positam pignori;
Ne tu me ignores, cum extemplo meo s conspectu abscessoris,
Quom me servum in servitute pro te hic reliqueris;
Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras;
Neque des operã, pro me ut huius reducẽ facias filiũ.
Scito te hinc minis viginti æstumatum mittier.
Fac fidelis sis fideli: cave fidem fluxam geras.
Nã pater, scio, faciet, quæ illu facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc, per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age: tu mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo spes opesq; meas. *P.* Mandavisti satis.
Satin' habes, mandata quæ sunt, facta si refero?
T. Satis.
P. Et tua, et tua, huc ornatus reveniam ex sententia.
Numquid aliud? *T.* Ut, quamprimum possis, redeas.
P. Res monet.
(1) *H.* Sequere me, viaticũ ut dem hinc a trapezita tibi:
(11) Eadem opera a prætore sumam syngraphum.
T. Quem syngraphum?
H. Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intro abi. *T.* Bene ambulato. *P.* Bene vale.
H. Edepol, rem meam
Constabilivi, cum illos emi de præda a quæstoribus.
Expedivi ex servitute filium, si Diis placet.
At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu:
Servate istum sultis intus, servi: ne quoquam pedem
Efferat sine custode. Ego apparebo domi
Ad fratrem modo capteivos alios inviso meos.
Eadẽ percontabor, ecquis hunc adolescentẽ noverit.
Sequere tu, te ut amittã: ei rei primũ prævorti volo.

ACTUS III. SCENA I. *Ergasilus.*

Miser homo 'st, qui ipse sibi, quod edit, quærit, et id ægre invenit:
Sed ille est miserior, qui et ægre quærit, et nihil invenit:
Ille miserrumu 'st, qui, cum esse cupit, quod edit, non habet.
Nam, hercle, ego huic diei, si liceat, oculos effodiam lubens;
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque ieiuniosiorem, neque magis effertam fame,
Vidi, nec quoi minus procedat, quidquid facere occeperit.
Itaque venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticæ arti maxumam in malam crucem!
Ita iuventus iam ridiculos inopesque ab se segregat.
Nihil morantur iam Lacones imi subselli viros,
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu et pecunia.
Eos requirunt, qui, lubenter cum ederint, reddant domi:
Ipsi obsonant; quæ parasitorum ante erat provincia.
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quã in tribu aperto capite sontes condemnant reos.
Neq; ridiculos iã terunci faciunt: sese omnes amant.
Nam, ut dudum hinc abii, accessi ad adolescentes in foro:
Salvete, inquam: Quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent;
Quis ait huc? aut Quis profitetur? inquam. Quasi muti silent;
Neque me rident. Ubi cœnamus? inquam; atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier:
Nemo ridet. Scivi extemplo rem de compacto geri.
Ne canẽ quidẽ irritatam voluit quisquam imitarier,
Saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier.
Pergo ad alios; venio ad alios; deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum 'st ius meum omne persequi.
Qui conciliũ iniere, quo nos victu et vita prohibeant,
His diẽ dicã; irrogabo multam, ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, cum cara annona sit. Sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc: est illic mihi una spes cœnatica:
Si ea decollabit, redibo huc ad senẽ, ad cœnã asperam.

SCENA II. *Hegio.*

Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publico? sicut ego feci heri,
Cum emi hosce homines. Ubi quisque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem. Ita me miserũ, restitando
Retinendoque, lassum reddiderunt.
Vix ex gratulando miser iam eminebam.
Tandem abii ad prætorem: ibi vix requievi: rogo syngraphum:
Datur mihi: illico do Tyndaro: ille abiit domum.
Postquam id actum est, eo
Protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium noverit?
Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem. Dico esse eum
Apud me: hic extemplo orat obsecratque, eum sibi ut liceat
Videre: iussi illico hunc exsolvi. Nunc tu sequere me,
Ut, quod me oravisti, impetres, eum hominem ut convenias.

SCENA. III. *Tyndarus.*

Nunc illud est, cum me fuisse, quam esse, nimio mavelim:
Nunc spes, opes, auxiliaque, a me segregant spernuntque se.
Hic ille 'st dies, cum nulla vitæ meæ salus sperabilis est:
Neque exilium exitio 'st; neque adeo spes, quæ mihi hunc aspellat metum:
Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum 'st meis;
Nec sycophantiis nec fucis ullum mantellũ obviã 'st;
Neq; deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga 'st;
Nec confidentiæ usquam hospitium 'st, nec diverticulum dolis.
Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigiæ.
Omnis res palam 'st: neque de hac re negotium 'st, quin male
Occidam, oppetamque pestem, heri vicem meamque.
Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo.
Is me novit: is sodalis Philocrati et cognatus est.
Neq; iã Salus servare, si volt, me potest; nec copia 'st,

(1) Pare [illegible] che i Romani [illegible] (11) Usanza del passaporto)
[illegible]

Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Quam, malum! quid machiner? quid comminiscar?
Nugas iuceptiasque incipisso. Hæreo. (Maxumas

Scena IV. *Hegio, Tyndarus, Aristophontes.*

H. Quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex ædibus?
T. Nunc enim vero ego occidi: eunt ad te hostes, Tyndare. Quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto sita 'st. Quid rebus confidam meis?
Utinam te Dii prius perderent, quam periisti a patria tua,
Aristophontes, qui, ex parata re, imparatam omnem facis.
Occisa est hæc res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.
H. Sequere: hem tibi hominem; adi, atque alloquere. *T.* Quis homo 'st me hominum miserior?
A. Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare?
Proq; ignoto me aspernari, quasi me nunquā noveris?
Equidē tā sū servus, quā tu: etsi ego domi liber fui,
Tu, usque a puero, servitutem servivisti in Alide.
H. Edepol, minime miror, si te fugitat, aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.
T. Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.
Ne tu, quod istic fabuletur, aures immittas tuas.
Nam istic hastis insectatus est domi matrē et patrē.
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.
Proin tu ab istoc procul recedas.
H. Ultro istum a me! *A.* Ain', verbero,
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?
H. Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit. *T.* Atq; Aliis profuit.
A. Quid tu autem, etiam huic credis .... *H.* Quid ego credam huic? *A.* Insanum esse me?
T. Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuetur? concedi optumum 'st.
Hegio, fit, quod tibi ego dixi: gliscit rabies: cave tibi.
H. Credidi esse insanum extemplo, ubi te appellavit Tyndarum.
T. Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit qui siet.
H. At etiam te suum sodalem esse aiebat. *T.* Haud vidi magis.
Et quidē Alcmæo, atq; Orestes, et Lycurgus postea,
Una opera mihi sunt sodales, qua iste.
A. At etiam, furcifer,
Male mihi loqui audes? non ego te novi?
H. Pol, planum id quidem est
Non novisse, qui istunc appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quē vides, eū ignoras: illū nominas, quem non vides.
A. Immo, iste eum sese ait, qui non est, esse: et qui vero est, negat.
T. Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio!
A. Pol, ego ut rē video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas. Sed quæso, hercle, agedum, aspice ad me. *T.* Hem! *A.* Dic modo,
Te negas Tyndarum esse? *T.* Nego, inquam.
A. Tun' te Philocratem esse ais?
T. Ego, inquam. *A.* Tune huic credis? *H.* Plus quidem, quam tibi, aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memoras esse, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem huius. *A.* Quem patrem, qui servus est?
T. Et tu quidem
Servus et liber fuisti, et ego me confido fore,
Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.
A. Quid ais, furcifer? tun' te natum memoras liberū?
T. Non equidē me Liberum, sed Philocratē, esse aio.
A. Quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste ludos facit!
Nam is est servus ipse, neque, præter se, unquam ei servus fuit.
T. Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi 'st,
Omneis inveniri similes tibi vis. Non mirum facis:
Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis.
A. Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere.
Atque, ut perspicio, profecto iam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quod redimere se ait, id neutiquam mihi placet.
T. Scio, te id nolle fieri; efficiam tamen ego id, si Dii adiuvant.
Illum restituam huic; hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum.
A. Quin tute is es:
Neq; præter te, in Alide ullus servus istoc nomine 'st.
T. Pergin' servom me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?
A. Enimvero iam nequeo contineri.
T. Heus! audin' quid ait? quin fugis?
Iā illic [illegible] nos insectabit lapidibus, nisi illum iubes
Comprehendi. *A.* Crucior. *T.* Ardent oculi: fune opu 'st, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totū maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem.
A. At, pol, te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnuficē, tuoq; capiti illuceat.
T. Iam deliramenta loquitur: larvæ stimulant virū.
H. Quid? quid si hunc comprehendi iusserim?
T. Sapias magis.
A. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiæ
Cerebrū excutiā, qui me insanū verbis concinnat suis.
T. Audin' lapidē quæritare? *A.* Solus te solum volo,
Hegio. *H.* Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam.
T. Namque, edepol, si adbites propius, os denasabit tibi
Mordicus. *A.* Neque, pol, me insanum, Hegio, esse creduis,
Neq; fuisse unquā, neq; esse morbū quē istic autumat.
Verum, si quid metuis a me, iube me vinciri: volo,
Dum istic itidem vinciatur.
T. Immo enim vero, Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur.
A. Tace modo: ego te, Philocrates
False, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Quid mi abnutas? *T.* Tibi ego abnuto? quid agat, si absis longius?
H. Quid ais? quid si adeam hunc insanum?
T. Nugas: ludificabitur.
Garriet, quo neq; pes unquam neq; caput compareat.
Ornamenta absunt; Aiacem, hunc cum vides, ipsum vides.

H. Nihili facio, tamen adibo.
T. Nunc ego omnino occidi:
Nunc ego inter sacrum saxumque sto; nec, quid faciam, scio.
H. Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod me velis.
A. Ex me audibis vera, quæ nunc falsa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniā
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio.
At, ita me rex Deorum atque hominum faxit patriæ compotem,
Ut istic Philocrates non magis est, quam aut ego, aut tu. *H.* Eho! dic mihi,
Quis igitur ille 'st?
A. Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi
Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.
H. Quid tu ais? *T.* Me tuum esse servom et te meum herum. *H.* Haud istuc rogo.
Fuistin' liber? *T.* Fui.
A. Enimvero non fuit: nugas agit.
T. Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meæ matri obstetrix,
Qui id tam audacter dicere audes?
A. Puerum te vidi puer.
T. At ego te video maior maiorem: hem rursum tibi!
Meam rem non cures, si recte facias. Num ego curo tuam?
H. Fuitne huic pater Thesaurochrysonicochrysides?
A. Non fuit: neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater.
T. Pereo probe.
Quin quiescis dierectum cor meum? I, ac suspende te.
Tu subsultas; ego miser vix adsto præ formidine.
H. Satin' istuc mihi exquisitum 'st, fuisse hunc servum in Alide?
Neque esse hunc Philocratem? *A.* Tam satis, quam nunquam hoc invenies secus.
Sed ubi is nunc est? *H.* Ubi ego minume, atque ipsus se volt maxume.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser
Huius scelesti technis; qui me, ut lubitum 'st, ductavit dolis.
Sed vide sis. *A.* Quin exploratum dico, et provisum hoc tibi.
H. Certon'? *A.* Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.
H. Sed qua facie est tuus sodalis Philocrates?
A. Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, et oculis nigris,
Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.
H. Convenit.
T. Ut quidem, hercle, in medium ego hodie pessume processerim.
Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo.
H. Verba mihi data esse video.
T. Quid cessatis, compedes,
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custodiam?
H. Satin' me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servum se assimulabat, hic sese autem liberum.
Nucleum amisi; reliquit pigneri putamina:
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite istinc, atque efferte lora.
L. Num lignatum mittimur?

SCENA V. *Hegio, Tyndarus, Aristophontes.*

H. Inicite huic actutum manicas mastigiæ.
T. Quid hoc est negoti? quid ego deliqui? *H.* Rogas?
Sator sartorque scelerum, et messor maxume.
T. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant prius, quam sarriunt, rustici.
H. At ut confidenter mihi contra astitit!
T. Decet innocentem servom atque innoxium
Confidentem esse, suum apud herum potissumum.
H. Astringite isti sultis vehementer manus.
T. Tuus sum; tuas quidem vel præcidi iube.
Sed quid negoti 'st, quamobrem succenses mihi?
H. Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti; deartuavistique opes.
Confecisti omnes res ac rationes meas:
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse servom credidi, te liberum.
Ita vosmet aiebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis. *T.* Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, et fallaciis
Abiisse eum abs te, mea opera atque astutia;
An, obsecro, hercle, te, id nunc succenses mihi?
H. At cum cruciatu maxumo id factum 'st tuo.
T. Dum ne ob malefacta peream, parvi æstumo.
Si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit;
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile;
Meum herum captum, ex servitute atque hostibus,
Reducem fecissē liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Præoptavisse, quam is periret, ponere.
H. Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.
T. Qui per virtutem perbitat, non interit.
H. Quando ego te exemplis excruciavero pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interisse, vel perisse, prædicent;
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.
T. Pol, si istuc faxis, haud sine pœna feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido affore.
A. Pro Dii immortales! nunc ego teneo, nunc scio
Quid sit hoc negoti. Meus sodalis Philocrates
In libertate est ad patrem, in patria. Bene est:
Nec est quisquam mihi, æque melius cui velim.
Sed hoc mihi ægre 'st, me huic dedisse operam malā,
Qui nunc, propter me meaque verba, vinctus est.
H. Vetuin' te quidquam mi hodie falsum proloqui?
T. Vetuisti. *H.* Cur es ausus mentiri mihi?
T. Quia vera obessent illi, quoi operam dabam:
Nunc falsa prosunt. *H.* At tibi oberunt.
T. Optume 'st.
At herum servavi, quem servatum gaudeo;
Cui me custodem addiderat herus maior meus.
Sed malene id arbitrare factum? *H.* Pessume.
T. At ego aio, recte, qui abs te seorsum sentio.
Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuus servus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, necne eum servom manu?
Essetne apud te is servus acceptissumus?
Responde. *H.* Opinor. *T.* Cur ergo iratus mihi es? (*)
H. Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.
T. Quid? tu una nocte postulavisti et die,
Recens captum hominem, nuperum et novitium,
Te perdocere, ut melius consulerem tibi,

(*) Quod tibi non vis, alteri ne feceris —

Quam illi, quicum una a puero ætatem exegeram?
H. Ergo ab eo petito gratiam istam. Ducite,
Ubi ponderosas, crassas capiat compedes;
Inde ibis porro in latumias lapidarias.
Ibi, quom alii octonos lapides effoderint,
Nisi cotidianus sesquiopus confeceris,
Sexcentuplago nomen indetur tibi.
A. Per Deos atque homines, ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis. *H.* Curabitur.
Nam noctu nervo vinctus custodibitur;
Interdius sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo; non uno absolvam die.
A. Certumne 'st tibi istuc? *H.* Non moriri certiu'st.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum:
Iubete huic crassas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus siet:
Atque hunc ita me velle, dicite, curarier,
Ne qui deterius huic sit, quam quoi pessume 'st.
T. Cur ego, te invito, me esse salvom postulem?
Periculum vitæ meæ stat tuo periculo.
Post mortem, in morte nihil est, quod metuā, mali:
Et, si pervivo usque ad summam ætatem, tamen
Breve spatium 'st perferundi, quæ minitas mihi.
Vale atque salve: etsi, aliter ut dicam, meres.
Tu, Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale;
Nam mihi propter te hoc obtigit. *H.* Abducite.
T. At unum hoc quæso, si huc rebitet Philocrates,
Ut mihi eius facias conveniundi copiam.
H. Peristis, nisi hunc iam e conspectu abducitis.
T. Vis hæc quidē, hercle, 'st, et trahi et trudi simul.
H. Illic est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat.
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
Usque offrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certum 'st nulli post hæc quidquam credere.
Satis sum semel deceptus. Speravi miser
Ex servitute me exemisse filium.
Ea spes elapsa 'st. Perdidi unum filium,
Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit:
Neque enim servom unquam reperi, neque filium:
Maior potitus hostium 'st. Quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac: reducam te, ubi fuisti. Neminis
Misereri certum 'st, quia mei miseret neminem.
A. Exauspicavi ex vinclis; nunc intellego,
Redauspicandum esse in catenas denuo.

ACTUS IV. SCENA I. *Ergasilus.*

Iupiter supreme! servas me, measque auges opes.
Maxumas opimitates opiparasque offers mihi;
Laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitatē, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium:
Nec quoiquā homini supplicare nunc certum 'st mihi.
Nā vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies.
Sine sacris hæreditatem sum aptus effertissumam.
Nunc ad senē cursū capessā hunc Hegionem, cui boni
Tantum affero, quantum ipse a Diis optat, atque etiam amplius.
Nunc res certa 'st, eodem pacto ut comici servi solent,
Coniiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroq; me, ob hunc nuntiū, æternū adepturū cibum.

SCENA II. *Hegio, Ergasilus.*

H. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior est in animo.
Ad illum modum sublitum os esse
Hodie mihi? neque id perspicere quivi?
Quod cum scibitur, per urbem irridebor.
Cum extemplo ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic ille est senex doctus, quoi verba data sunt.
Sed Ergasilus estne hic, procul quem video?
Collecto quidem est pallio: quidnam acturu 'st?
E. Move abs te moram, atque, Ergasile, age hanc rem.
Eminor interminorque, ne quis mi obstiterit obviā:
Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur:
Nam, qui obstiterit, ore sistet.
H. Hic homo pugilatum incipit!
E. Facere certum 'st: proinde ut omnes itinera insistant sua,
Ne quis in hac platea negoti conferat quidquam sui.
Nam meus est ballista pugnus; cubitus catapulta 'st mihi,
Humerus aries: tum, genu ad quemque iecero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciā, quemque offendero.
H. Quæ illæc eminatio 'st? nam nequeo mirari satis.
E. Faciam ut eius diei locique, meique, semper meminerit:
Qui mihi in cursu obstiterit, faxo vitæ is extemplo obstiterit suæ.
H. Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis?
E. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suā,
Continete vos domi; prohibete a vobis vim meam.
H. Mira, edepol, sunt, ni hic in ventrem sumsit confidentiam.
Væ misero illi, cuius cibo iste factu 'st imperiosior!
E. Tum pistores scrofipasci, qui alunt furfure sues,
Quarum odore præterire nemo pistrinum potest;
Eorum si quoiusquā scrofam in publico conspexero,
Ex ipsis dominis, meis pugnis, exculcabo furfures.
H. Basilicas edictiones atque imperiosas habet.
Satur homo est: habet profecto in ventre confidentiā.
E. Tum piscatores, qui præbent populo pisces fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio;
Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forū,
Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis;
Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, et duplā agninā danunt,
Qui petroni nomen indunt verveci sectario;
Eum ego si in via petronem publica conspexero,
Et petronē et dominū reddā mortales miserrumos.
H. Eugepæ! edictiones ædilicias hic habet quidem:
Mirumque adeo 'st, ni hunc fecere sibi Ætoli agoranomum.
E. Non ego nunc parasitus sū, sed regū rex regalior;
Tantus, ventri commeatus meo, adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare lætitia senem?
Qui homine hominum adæque nemo vivit fortunatior.
H. Quæ illæc est lætitia, quam illic lætus largitur mihi?
E. Heus! ubi estis? ecquis hoc aperit ostium?
H. Hic homo
Ad cœnam recipit se ad me. *E.* Aperite hasce ambas fores,
Prinsquam pultando assulatim foribus exitiū affero.
H. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergasile!
E. Ergasilum qui vocat?
H. Respice. *E.* Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,
Hoc me iubes. Sed qui est? *H.* Respice ad me; Hegio sum. *E.* O mihi!

Quantum est hominum optumorum optume, in tempore advenis.
H. Nescio quem ad portum nactus es, ubi cœnes: eo fastidis.
E. Cedo manum. *H.* Manum? *E.* Manum, inquam, cedo tuam actutum. *H.* Tene.
E. Gaude. *H.* Quid ego gaudeam? *E.* Quia ego impero. Age, gaude modo.
H. Pol, mœrores mi antevortunt gaudiis. *E.* Noli irascier;
Iā ego ex corpore exigā omnes maculas mœrorū tibi.
Gaude audacter.
H. Gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam.
E. Bene facis. Iube . . . *H.* Quid iubeam? *E.* Ignem ingentem fieri.
H. Ignem ingentem? *E.* Ita dico, magnus ut sit.
H. Quid? me, volturie,
Tuan' causa ædeis incensurū censes? *E.* Noli irascier.
Iuben' an non iubes astitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium pisces præstinatum abire? *H.* Hic vigilans somniat.
E. Alium porcinam, atque agninam, et pullos gallinaceos?
H. Scis bene esse; si sit unde. *E.* Pernam, atque ophthalmia,
Horæum, scombrum, et trigonum, et cetum, et mollem caseum?
H. Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia
Hic apud me, Ergasile. *E.* Mean' me causa hoc censes dicere?
H. Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes; ne frustra sis.
Proin tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.
E. Quin ita faciam, ut te cupias facere sumtum, etsi ego vetem.
H. Egone? *E.* Tute. *H.* Tum tu mi igitur herus es.
E. Immo benevolens.
Vin' te faciam fortunatum? *H.* Malim, quam miserum, quidem.
E. Cedo manum. *H.* Hem manum. *E.* Dii te omnes adiuvant. *H.* Nihil sentio.
E. Non enim es in senticeto, eo non sentis. Sed iube
Vasa tibi pura apparari ad rem divinam cito,
Atque agnum afferri proprium, pinguem.
H. Cur? *E.* Ut sacrufices.
H. Quoi Deorum? *E.* Mihi, hercle: nam ego tibi nunc sum summus Iupiter.
Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Lætitia, Gaudiū.
Proinde tu Deum hunce saturitate facias tranquillum tibi.
H. Esurire mihi videre. *E.* Mihi quidem esurio, non tibi.
H. Tuo arbitratu facile patior. *E.* Credo, consuetus puer.
H. Iupiter te Diique perdant. *E.* Te, hercle, mi æquom 'st gratias
Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. *H.* Abi stultus; sero post tempus venis.
E. Igitur olī si advenissē, magis tu tū istuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe a me, quam fero: nā filiū
Tuum modo in portu Philopolemum vivom, salvom, et sospitem,
Vidi in publica celoce, ibidemq; illū adolescentulū
Aliū una, et tuū Stalagmū servō, qui aufugit domo,
Qui tibi surripuit quadrimum puerum filiolum tuū.
H. Abi in malam rem: ludis me.
E. Ita me amabit sancta Saturitas,
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. *H.* Meum gnatum? *E.* Tuum gnatum, et Genium meum.
H. Et captivum illum Alidensem?
E. Μα τον Απολλω. *H.* Et servolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum surripuit?
E. Νὴ τὰν Κόραν.
H. Iam diu? *E.* Νὴ τὰν Πραινέστην. *H.* Venit?
E. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
H. Certon'? *E.* Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. *H.* Vide sis.
E. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.
H. Quid tu per barbaricas urbes iuras?
E. Quia enim item asperæ
Sunt, ut tuū victū autumabas esse. *H.* Væ ætati tuæ!
E. Quippe quando mihi nil credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quoius erat tunc nationis, cum hinc abiit?
H. Siculus. *E.* At nunc Siculus non est: Boius est; Boiam terit.
Liberorū quærundorū causa, ei, credo, uxor data 'st.
H. Dic, bonan' fide tu mihi istæc verba dixisti?
E. Bona.
H. Dii immortales! iterum gnatus videor, si vera autumas.
E. An tu dubium habebis, etiam sancte cum iurem tibi?
Postremo, Hegio, si parva iuriiurando 'st fides,
Vise ad portum. *H.* Facere certum 'st. Tu intus cura, quod opu 'st.
Sume, posce, prome quidvis: te facio cellarium.
E. Nam, hercle, nisi mantiсinatus probe ero, fusti pectito.
H. Æternum tibi dapinabo victum, si vera autumas.
E. Unde id? *H.* A me meoque gnato. *E.* Sponden' tu istud? *H.* Spondeo.
E. At ego tuum tibi advenisse filium respondeo.
H. Cura quam optume potes. *E.* Bene ambula, et redambula.

SCENA III. *Ergasilus.*

Illic hinc abiit: mihi rem summam credidit cibariā
Dii immortales! iam ut ego collos prætruncabo tergoribus!
Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!
Nam, si aliā memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora 'st.
Nunc ibo in præfecturam, ut ius dicam larido,
Et, quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

SCENA IV. *Puer Hegionis.*

Diespiter te Diiq; Ergasile, perdant, et ventrē tuum,
Parasitosque omnes, et qui posthac cœnam parasitis dabit.
Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.
Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetū
Nimisque, hercle, ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium; prætruncavit tribus tergoribus glandia.

Aulas calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales araut.
Cocum percontabatur, possentne seriæ fervescere.
Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.
Asservata istunc, sultis, servi. Ego ibo, ut conveniam senem.
Dicā, ut sibi penū aliud ornet, siquidē sese uti volet.
Nam, hic quidem ut adornat, aut iam nihil est, aut iam nihil erit.

Actus V. Sc. I. *Hegio, Philopolemus, Philocrates*

H. Iovi Diisque ago gratias merito magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam:
Quomque hunc conspicio in potestate nostra,
Quomque hæc reperta est fides firma nobis.
Satis iam dolui ex animo: et cura me satis
Et lacrumis maceravi. *Philop.* O! satis iam audivi
Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memorasti.
Hoc agamus. *Philoc.* Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci?
H. Fecisti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritu 's de me et filio meo.
Philop. Immo potes,
Pater, et poteris; et ego potero: et Dii eam potestatem dabunt,
Ut beneficium bene merenti nostro merito muneres;
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.
H. Quid opu 'st verbis? lingua nulla 'st, qua negem quidquid roges.
Philoc. Postulo abs te, ut mihi illum reddas servom, quem hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior quā sibi semper fuit;
Pro benefactis eius uti ei pretium possim reddere.
H. Quod benefecisti, referetur gratia, id quod postulas;
Et id, et aliud, quod me orabis, impetrabis: atque te
Nolim succensere, quod ego iratus ei feci male.
Philoc. Quid fecisti?
H. In lapicidinas compeditum condidi,
Ubi rescivi mihi data esse verba.
Philoc. Væ misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo!
H. At, ob eā rem, mihi libellā pro eo argenti ne duis
Gratiis a me, ut sit liber, abducito.
Philoc. Edepol, Hegio,
Facis benigne: sed quæso, hominem ut iubeas arcessi.
H. Licet.
Ubi estis vos? Ite actutum; Tyndarum huc arcessite.
Vos ite intro. Interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi.
Philop. Sequere hac, Philocrates, me intro.
Philoc. Sequor.

Scena II. *Hegio, Stalagmus.*

H. Age, tu, illuc procede, bone vir, lepidum mancupium meum!
S. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero unquā: ne tu spē ponas me bonæ frugi fore.
H. Propemodum ubi loci fortunæ tuæ siut, facile intellegis.
Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliosculam.
Recta et vera loquere; sed neque vere neq; recte adhuc
Fecisti unquam. *S.* Quod ego fatear, credin' pudeat, cum autumes?
H. At ego faciā ut pudeat: nā in ruborē te totū dabo.
S. Eia! credo ego, imperito plagas minitaris mihi.
Tandem ista aufer; dicque quid fers, ut feras hinc quod petis.
H. Satis facundu's: sed iā fieri dictis compendiū volo.
S. Ut vis, fiat. *H.* Bene morigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus. Iam animum advorte, ac mihi, quæ dicam, edissere.
Si eris verax, tuis rebus feceris meliosculas.
S. Nugæ istæc sunt. Non me censes scire quid dignus siem?
H. At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.
S. Pauca effugiam, scio: nam multa evenient, et merito meo,
Quia et fugi, et tibi sorripui filium, et eum vendidi.
H. Cui homini? *S.* Theodoromedi in Alide Polyplusio
Sex minis. *H.* Pro Dii immortales! is quidem huius est pater
Philocratis. *S.* Quin melius novi, quam te, et vidi sæpius.
H. Serva, Iupiter supreme, et me et meū gnatū mihi.
Philocrates, per tuum te geniū obsecro, exi: te volo.

Scena III. *Philocrates, Hegio, Stalagmus.*

P. Hegio, assum: si quid me vis, impera.
H. Hic gnatum meum
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
P. Quamdiu id factum 'st?
S. Hic annus incipit vicesimus.
P. Falsa memorat. *S.* Aut ego, aut tu: nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvolum puero dedit.
P. Quid erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi.
S. Pægniū vocitatu 'st: post vos indidistis Tyndaro.
P. Cur ego te non novi?
S. Quia mos est oblivisci hominibus,
Neque novisse, cuius nihili sit faciunda gratia.
P. Dic mihi: isne istic fuit, quē vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datu 'st? *S.* Istic huius filius.
P. Vivitne is homo?
S. Argentum accepi: nil coravi cæterum.
H. Quid tu ais? *P.* Quin istic ipsu 'st Tyndarus tuus filius,
Ut quidem hic argumenta loquitur: nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatu 'st usque ad adolescentiam.
H. Et miser sum, et fortunatus, si vos vera dicitis.
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meu 'st.
Eheu! cur ego plus minusve feci, quam æquum fuit?
Quod male feci, crucior: modo, si infectū fieri possiet!
Sed, eccū, incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.

Sc. IV. *Tyndarus, Hegio, Philocrates, Stalagmus*

T. Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verum enimvero nolla adæque 'st Acherunes,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi demum est locus,
Ubi labore lassitudo 'st omnis exigunda ex corpore.
Nam, ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent;
Itidem hæc mihi advenienti upupa, qui me delectem, data 'st.

Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum ex Alide
Rediit. *H.* Salve, exoptate gnate mi!
T. Hem! quid, gnate mi?
Atat, scio cur te patrem assimules esse, et me filium;
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendæ copiã.
P. Salve, Tyndare. *T.* Et tu, quoius causa hanc ærumnam exigo.
P. At nunc liber in divitias, faxo, venies: nam tibi
Pater hic est: hic servus qui te huic hinc quadrimum
Vendidit patri meo te sex minis. Is te mihi (surpuit,
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Illic indicium fecit: nã hunc ex Alide huc reducimus.
T. Quid, huius filium? *P.* Intus eccum fratrem germanum tuum.
T. Quid tu ais? adduxtin' illum huius captivũ filiũ?
P. Quin, inquam, intus hic est.
T. Fecisti, edepol, et recte et bene.
P. Nunc tibi pater hic est: hic fur est tuus, qui parvom hinc te abstulit.
T. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnuficem dabo.
P. Meritu'st. *T.* Ergo, edepol, meritã mercedẽ dabo.
Sed dic, oro: pater meus tune es?
H. Ego sum, gnate mi.
T. Nunc demũ in memoriã redeo, cum mecũ cogito;
Nunc, edepol, demum in memoriam regredior, audisse me,
Quasi per nebulam, Hegionẽ patrem meum vocarier.
H. Ego sum. *P.* Compedibus, quæso, ut tibi sit levior filius,
Atque hic gravior servus.
H. Certum 'st principium id prævortier.
Eamus intro, ut arcessatur faber, ut istas compedes
Tibi adimam, huic dem.
S. Cui peculî nihil est, recte feceris.

GREX.

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula 'st.
Neque in hac subagitationes sunt, neque ulla amatio,
Nec pueri suppositio, nec argenti circumductio:
Neque ubi amans adolescens scortum liberet clam patrem suum.
Huiusmodi paucas poetæ reperiunt comœdias,
Ubi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet,
Et si placuimus, neq odio fuimus, signũ hoc mittite:
Qui pudicitiæ esse voltis præmium, plausum date.

CASINA

DRAMATIS PERSONÆ

PROLOGUS.
CHALINUS, *servus.*
OLYMPIO, *villicus.*
CLEOSTRATA, *Stalinonis uxor.*
PARDALISCA, *ancilla.*
MURRHINA, *mulier.*
STALINO, ALCESIMUS, } *senes.*
COQUUS.
ANCILLÆ.
GREX.

Argumentum (PRISCIANI?)

Conservam uxorem conservi duo expetunt.
Alium senex allegat, alium filius.
Sors adiuvat senem; verum decipitur dolis.
Ita ei subiicitur, pro puella, servolus
Nequam, qui dominum mulcat atque villicum.
Adolescens ducit civem Casinam cognitam.

Prologus

Salvere iubeo spectatores optumos,
Fidem qui facitis maxumi; et vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi,
Ut vos mihi esse æquos iam inde a principio sciam.
Qui utuntur vino vetere, sapientes puto,
Et qui libenter veteres spectant fabulas.
Antiqua opera et verba quom vobis placent,
Æquom placere 'st ante veteres fabulas.
Nam, nunc novæ quæ prodeunt comœdiæ,
Multo sunt nequiores, quam nummi novi.
Nos postquam populi rumorem intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas;
Antiquam eius edimus comœdiam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam, iuniorum qui sunt, non norunt, scio:
Verum, ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Hæc quom primum acta 'st, vicit omnes fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.
Sed absentes tamen prosunt præsentibus.
Vos omnes opere magno esse oratos volo,
Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.
Eiicite ex animo curam atque alienum æs:
Ne quis formidet flagitatorem suum.
Ludi sunt; ludus datus est argentariis.
Tranquillum 'st: Alcedonia sunt circum forum.
Ratione utuntur: ludis poscunt neminem;
Secundum ludos reddunt autem nemini.
Aures vacivæ si sunt, animum advortite:
Comœdiai nomen dare vobis volo.
Clerumenœ vocatur hæc comœdia
Græce, Latine Sortientes. Diphilus
Hanc Græce scripsit: post id rursum denuo
Latine Plautus, cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat: eii est filius.
Is una cum patre in illisce habitat ædibus.
Est eii quidam servus, qui in morbo cubat:
Immo, hercle, vero in lecto, ne quid mentiar.
Is servos, sed abhinc annos factum 'st sedecim,
Quom conspicatus est primo crepusculo
Puellam exponi; adit extemplo ad mulierem,
Quæ illam exponebat: orat, ut eam det sibi:
Exorat, aufert, detulit recta domum:
Dat heræ suæ: orat, ut eam curet, educet.
Hera facit: educavit magna industria,
Quasi si esset ex se nata, non multo secus.
Postquam adolevit ad eam ætatem, uti viris
Placere posset: at eam puellam hic senex
Amat efflictim, et item contra filius.
Sibi nunc uterque contra legiones parat,
Pater filiusque, clam alter alterum.
Pater allegavit villicum, qui posceret
Sibi istam uxorem: is sperat, si eii sit data,
Sibi fore paratas, clam uxorem, excubias foris.
Filius autem armigerum allegavit suum,
Qui sibi eam uxorem poscat. Scit, si id impetret,
Futurum, quod amat, intra præsepeis suas.
Uxor senis sensit virum amori operam dare:
Propterea ea una consentit cum filio.
Ille autem postquam sensit filium suum
Eamdem illam amare, et esse impedimento sibi,
Hinc adulescentem peregre ablegavit pater.
Sciens eius mater ei dat operam, absenti tamen.
Is, ne expectetis, hodie in hac comœdia
In urbem non redibit: Plautus noluit:
Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.
Sunt hic, quos credo nunc inter se dicere:
Quæso, hercle, quid istuc est? serviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego aio hoc fieri in Græcia et Carthagini,

Et bic in nostra terra, in Apulia.
Maioreque opera ibi serviles nuptiæ,
Quam liberales etiam curari solent.
Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Pœnusdum iudex siet,
Vel Græcus adeo, vel, mea causa, Apulus.
Quid nunc? Nihil agitis. Sentio: nemo sitit.
Revortor ad illam puellam expositiciam,
Quam servi summa vi sibi uxorem expetunt.
Ea invenietur et pudica et libera,
Ingenua Atheniensis: neque quidquam stupri
Faciet profecto in hac quidem comœdia.
Mox, hercle, vero post, transacta fabula,
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Ultro ibit nuptum; non manebit auspices.
Tantum est. Valete; bene rem gerite, et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.

ACTUS I. *Olympio, Chalinus.*

O. Non mihi licere meam rem me solum, ut volo,
Loqui atque cogitare, sine ted arbitro?
Quid tu, malū! me sequere? *C.* Quia certum 'st mihi,
Quasi umbra, quoquo ibis tu, te persequi.
Quin, edepol, etiam si in crucem vis pergere,
Sequi decretum 'st. Dehinc conicito cœterum,
Possisne, necne, clam me sutelis tuis
Præripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.
O. Quid tibi negoti mecū 'st? *C.* Quid ais, impudens?
Quid in urbe reptas, villice, hic magni preti?
O. Libet. *C.* Quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius, quod legatum 'st tibi negotium,
Id caras, atque urbanis rebus te abstines?
Quid huc venisti sponsam præreptum meam?
Abi rus; abi dierectus tuam in provinciam.
O. Chaline, non sum ego oblitus officium meum.
Præfeci, rure recte qui curet tamen.
Ego, huc quod veni in urbem, ubi impetravero,
Uxorem ut istanc ducam, quam tu deperis,
Bellam et tenellam Casinam, conservam tuam;
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo usque in præfectura mea.
C. Tun' illam ducas? Hercle, me suspendio,
Quam tu eius potior fias, satiu 'st mortuum.
O. Mea præda est illa: proin 'tu te in laqueum induas.
C. Ex sterquilinio effosse, tua illæc præda sit?
O. Scies hoc ita esse. Væ tibi! quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis!
C. Quid tu mihi facies? *O.* Egone quid faciam tibi?
Primum omnium, huic lucebis novæ nuptæ facem,
Postilla ut semper improbus nihilque sis.
Post id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora una, et una semita,
Fons unus, unum ahenum, et octo dolia:
Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe,
Ut postilena possit ex te fieri.
Post autem, ruri nisi tu acervum ederis,
Aut, quasi lumbricus, terram; quod te postules
Gustare quidquam; nunquam, edepol, ieiunium
Ieiunum 'st æque, atque ego reddibo te.
Post id, quom lassus fueris et famelicus,
Nocte ut condigne te cubes, curabitur.
C. Quid facies? *O.* Concludere in fenestrā firmiter,
Unde auscultare possis, quom ego illanc osculer:
Quom mihi illa dicet, Mi animule! mi Olympio!
Mea vita! mea mellilla! mea festivitas!
Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea!
Sine, amabo, te amari, meus festus dies!
Meus pullus passer! mea columba! mi lepus!
Quom mi hæc dicentur dicta, tum tu, furcifer,
Quasi mus, in medio pariete vorsabere.
Nunc, ne tute mihi respondere postules,
Abeo intro: tædet sermonis tui. *C.* Te sequor.
Hic quidem, pol, certo nihil ages sine me arbitro.

ACTUS II. SCENA I. *Cleostrata, Pardalisca.*

C. Obsignate cellas; referte annulum ad me:
Ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam,
Vir si quid volet me, facite hinc me arcessatis.
P. Prandium iusserat senex sibi parari.
C. St! tace, atque abi. Neque paro, neque hodie
Coquetur, quando is mihi et filio advorsatur
Suo, animi amorisque causa sui.
Flagitium illud hominis! ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciscar: ego, pol illum probe incommodis
Dictis augam: faciam uti, proinde ut est dignus,
Vitam colat; Acheruntis pabulum, flagiti
Præsepe, stabulum nequitiæ. Nunc hinc
Meas fortunas eo questum ad vicinas.
Sed foris concrepuit. Atque ea ipsa, eccam, egreditur
Foras. Non, pol, per tempus iter mihi incepi.

SCENA II. *Murrhina, Cleostrata.*

M. Sequimini, comites, in proxumum me huc.
Heus vos! ecquis hæc, quæ loquar, audit? Ego h-c ero,
Vir si, aut quispiam quæret: nam ubi domi sola sum,
Sopor manus calvitur. Iussin' colum
Ferri mihi? *C.* Murrhina, salve. *M.* Salve,
Mecastor. Sed quid tu es tristis, amabo?
C. Ita solent omnes quæ sunt male nuptæ:
Domi et foris ægre quod sit, satis semper est. (est
Nam ego ibā ad te. *M.* Et, pol, ego istuc ad te. Sed quid
Quod tuo nunc animo ægre est? nam, quod tibi est
Ægre, idem mihi est dividiæ. *C.* Credo, ecastor:
Nam vicinam neminem amo merito magis, quam te;
Nec quacum plura sunt mihi, quæ ego velim.
M. Amo te; atque istuc expeto scire quid sit.
C. Vir me habet pessumis despicatam modis;
Nec mihi ius meum obtinendi optio est.
M. Hem! quid est? dic idem hoc: nam, pol, haud
Corde accepi querelas tuas, obsecro. (satis meo
C. Vir me habet pessumis despicatam modis.
M. Mira sunt, vera si prædicas: nam viri
Ius suum ad mulieres obtinere haud queunt. (mea 'st,
C. Quin mihi ancillulam ingratiis postulat, quæ
Quæ meo educata sumtu est, villico suo se dare. (nunc
Sed ipsus eam gmbit. *M.* Obsecro, tace. *C.* Nam hic
Licet dicere: nos sumus. *M.* Ita 'st. Unde ea tibi 'st?
Nam peculi probam nihil habere addecet (di 'st,
Clam virum: et, quæ habet, partum ei haud commo-
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum 'st.
C. Tu quidem advorsū tuam amicam omnia loqueris.
M. Tace sis, stulta; et mihi ausculta: noli sis tu illi
Advorsari. Sine amet; sine, quod libet, id faciat:
Quando tibi nil domi delicuum 'st. (rem
C. Satin' sana es? nam tu quidem advorsus tuam ista
Loquere. *M.* Insipiens! semper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. *C.* Cui verbo? *M.* I foras, mulier. *C.* St!
Tace. *M.* Quid est? *C.* Hem! *M.* Quis est, quem vides?
C. • . . Vir, eccum, it.
Intro abi: appropera, age, amabo! *M.* Impetras.
Abeo. *C.* Mox, magis cum otium mihi et tibi erit,
Igitur tecum loquar: nunc vale. *M.* Valeas.

SCENA III. *Stalino, Cleostrata.*

S. Omnibus rebus ego amorem credo et nitoribus nitidis antevenire;

Nec potis quidquam commemorari, quod plus salis, plusque leporis, hodie
Habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præstat.
Nam, ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo:
Neque salsum neque suave esse potest quidquam, ubi amor non admiscetur.
Fel quod amarum 'st, id mel faciet; hominem, ex tristi, lepidum et lenem.
Hanc ego de me coniecturam domi facio, magis quam ex auditis:
Qui, postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditiam antideo.
Myropolas omnes sollicito, ubicumque est lepidum unguentum, ungor,
Ut illi placeam: et placeo, ut videor: sed uxor me excruciat, quia vivit.
Tristem astare aspicio: blande hæc mihi mala res appellanda 'st.
Uxor mea, meaque amœnitas! quid tu agis?
C. Abi, atque abstine manum.
S. Eia, mea Iuno! non decet te esse tam tristem tuo Iovi.
Quo nunc abis? *C.* Mitte me. *S.* Mane. *C.* Non maneo.
S. At, pol, ego te sequar.
C. Obsecro, sanun' es? *S.* Sanus, quando ted amo.
C. Nolo ames. *S.* Non Potes impetrare. *C.* Enecas. *S.* Vera dicas velim.
C. Credo ego Istuc tibi. *S.* Respice, o mi lepos!
C. Nempe ita, ut tu mihi es.
Unde hic, amabo, unguenta adolent?
S. O! perii! manifesto miser Teneor. Cesso caput pallio detergere? Ut te bonus Mercurius perdat, myropola, qui hæc mihi dedisti.
C. Eho tu Nihili cana culex! Vix teneor, quin, quæ decent te dicam.
Senecta ætate unguentatus per vias, ignave, incedis!
S. Pol, ego amico dedi cuidam operam, dum emit Unguenta. *C.* Ut cito commentatus est!
Ecquid te pudet? *S.* Omnia, quæ tu vis.
C. Ubi in lustra iacuisti?
S. Egone in lustra? *C.* Scio plus, quã tu me arbitrare.
S. Quid id est?
Quid tu scis? *C.* Te sene omnium senem neminem esse ignaviorem.
Unde is, nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti?
Id est, mecastor: vide, palliolum ut rugat.
S. Dii me et te infelicitent, Si ego in os meum hodie vini guttam indidi.
C. Immo age, ut lubet: Bibe, es, disperde rem. *S.* Ohe! iam satis, uxor, est: comprime te: nimium tinnis.
Relinque aliquantũ orationis, cras quod mecũ litiges.
Sed quid ais? iam domuisti animum, potius ut, quod vir velit Fieri, id facias, quam advorsere contra? *C.* Qua de re?
S. Rogas? Super ancilla Casina, ut detur nuptũ nostro villico,
Servo frugi, atque ubi illi bene sit, ligno, aqua calida, cibo,
Vestimentis; ubique educat pueros, quos pariat, potius
Quam illi servo nequam des armigero, nihili atque improbo,
Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.
C. Mirum, ecastor, te senecta ætate officium tuum Non meminisse! *S.* Quid iam?
C. Quia, si facias recte aut commode, Me sinas curare ancillas; quæ mea est curatio.
S. Qui, malum! homini scutigerulo dare lubet?
C. Quia enim filio Nos oportet opitulari unico.
S. At, quamquam unicu 'st, Nihilo magis unicu 'st ille mihi filius, quam ego illi pater:
Illum mihi æquiu 'st, quam me illi, quæ volo, concedere.
C. Tute, ecastor, tibi, homo, malam rem quæris.
S. Subolet: sentio.
Egone? *C.* Tu. Nam quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis?
S. Ut enim frugi servo detur potius, quam servo improbo.
C. Quid si ego impetro, atque exoro a villico, causa mea Ut eam illi permittat?
S. Quid si ego autem ab armigero impetro, Eam illi permittat? atque hoc credo impetrassere.
C. Convenit. Vis, tuis Chalinum huc evocem verbis foras?
Tu eum orato; ego autem orabo villicũ. *S.* Sane volo.
C. Iam hic erit. Nunc experiemur, nostrum uter sit blandior.
S. Hercules Diique istam perdant, quod nunc liceat dicere.
Ego discrucior miser amore: illa autem, quasi ob industriam,
Mi advorsatur. Subolet hoc iam uxori, quod ego machinor:
Propter eam rem, magis armigero dat operam de industria.

SCENA IV. *Stalino, Chalinus.*

S. Qui illum Dii omnes Deæque perdant.
C. Te uxor aiebat tua Me vocare. *S.* Ego enim vocari iussi.
C. Eloquere quid velis.
S. Primũ, ego te porrectiore fronte volo mecũ loqui.
C. Stultitia est ei te esse tristem, quoius potestas plus potest.
S. Proh! bonũ frugi hominem te iam pridem esse arbitror. *C.* Intellego.
Quin, si ita arbitrare emittis me manu?
S. Quin id volo.
Sed nihil est, me cupere factũ, nisi tu factis adiuvas.
C. Quod velis modo, id velim me scire.
S. Ausculta ergo; loquar: Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare.
C. At tua uxor filiusque promiserunt mihi. *S.* Scio.
Sed utrum nunc tu cœlibem esse te mavis liberum,
An maritum servum ætatem degere, et gnatos tuos?
Optio hæc tua est: utram harũ vis conditionẽ accipe.
C. Liber si sim, meo periclo vivam: nunc vivo tuo.
De Casina certum 'st concedere homini nato nemini.
S. Intro abi, atque actutum uxorem huc avoca ante ædis cito;
Et sitellam huc tecum afferto cum aqua, et sortis.
C. Satis placet.
S. Ego, pol, istam iam aliquovorsũ tragulã decidero.
Nam, si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.
Ibi ego te et suffragatores tuos ulciscar. *C.* Attamen Mi obtinget sors.

S. Ut qnidem, pol, pereas cruciatu malo.
C. Mi illa nubet; machinare quod lubet, quovis modo.
S. Abin' hinc ab oculis?
C. Invitus me vides: vivam tamen.
S. Sumne ego miser homo? satiu' omues res sunt advorsæ mihi?
Iam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Casinam ducat. Si id factum 'st, ecce me nullum senem:
Si non impetravit, etiam specula in sortitu 'st mihi.
Si sors autem decolassit, gladium faciam culcitam,
Eumque incumbam. Sed progreditur optume, eccum, Olympio.

SCENA V. *Olympio, Stalino.*

O. Una, edepol, opera iu furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido,
Hera, quam istam operam a me impetres, quod postulas.
S. Salvus sum; salva spes est, ut verba audio.
O. Quid tu me vero libertate territas?
Quid si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis iuvitis, atque amborum ingratiis,
Una libella liber possum fieri.
S. Quid istuc est? quicum litigas, Olympio?
O. Cum eadem, qua tu semper. *S* Cum uxorene mea?
O. Quam tu mihi uxorē? quasi venator tu quidē es;
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
S. Quid agit? quid loquitur tecū? *O.* Orat, obsecrat,
Ne Casinam uxorem ducam. *S.* Quid tu postea?
O. Negavi enim ipsi me concessurum Iovi,
Si is mecum oraret. *S.* Dii te servassint mihi.
O. Nunc in fermento tota 'st; ita turget mihi.
S. Edepol, ego illam mediam diruptam velim.
O. Credo, edepol, esse, siquidem tu frugi bonæ es.
Verum, edepol, tua mihi odiosa 'st amatio:
Inimica est tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. *S.* Quid id refert tua?
Unus tibi hic dum propitius sit Iupiter,
Tu istos minutos cave Deos flocci feceris.
O. Nugæ sunt istæ magnæ: quasi tu nescias,
Repente ut emoriantur humani Ioves.
Sed tandem si tu Iupiter sis emortuus,
Quom ad Deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi subveniet tergo, aut capiti, aut cruribus?
S. Opinione melius res tibi habeat tua,
Si hoc impetramus, ut ego cum Casina cubem.
O. Non, hercle, opinor posse; ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur. *S.* At ego sic agam:
Coniiciam sortis in sitellam, et sortiar
Tibi et Chalino. Ita rem natam intellego:
Necessum est vorsis gladiis depugnarier.
O. Quid si sors aliter, quam voles, evenerit?
S. Benedice. Diis sum fretus; Deos sperabimus.
O. Non ego istuc verbum emissim titivillitio.
Nam omnes mortales Diis sunt freti, sed tamen
Vidi ego Diis fretos sæpe multos decipi.
S. Tace parum. *O.* Quid vis? *S.* Eccum, exit foras
Chalinus intus cum sitella et sortibus.
Nunc nos collatis signis depugnabimus.

SCENA VI. *Cleostrata, Chalinus, Stalino, Olympio.*

Cl. Face, Chaline, me certiorem, quid meus vir me velit.
Ch. Ille, edepol, videre ardentem te extra portam Metiam.
Cl. Credo, ecastor, vellet.
Ch. At, pol, ego haud credo, sed certo scio.
S. Plus artificum 'st mi quam rebar; hariolum hunc habeo domi.
Quid si propius attollamus signa, eamusque obviam?
Sequere. Quid vos agitis?
Ch. Assunt, quæ imperavisti, omnia,
Uxor, sortes, situla, atque egomet.
S. Te uno adest plus quam ego volo.
Ch. Tibi quidem, edepol, ita videtur: stimulus ego nunc sum tibi.
Eo dico, corculum assudassit iam ex metu. *S.* Mastigia!
Cl. Tace, Chaline. Comprime istum.
O. Immo istunc, qui didicit dare.
S. Appone hic sitellam; sortes cedo mihi: animum advortite.
Atque ego censui abs te posse hoc me impetrare, uxor mea,
Casina ut uxor mihi daretur: et nunc etiam censeo.
Cl. Tibi daretur illa?
S. Mihi enim? ah! non id volui dicere;
Dum mihi volui, huic dixi: atque adeo, dum mihi cupio, perperam
Iamdudum, hercle, fabulor.
Cl. Pol, tu quidem; atque etiam facis.
S. Huic, immo, hercle, mihi. Vah! tandem redii vix veram in viam.
Cl. Per, pol, sæpe peccas.
S. Ita fit, ubi quid tantopere expetas.
Sed te, uterque suo pro iure, ego atque hic oramus.
Cl. Quid est?
S. Dicam enim, mea mulsa: de istac Casina huic nostro villico
Gratiam facias.
Cl. At, pol, ego neque facio, neque censeo.
S. Tum igitur ego sortis utrimque iam...
Cl. Quis vetat?
S. Optumū atque æquissumū istud esse, iure iudico.
Postremo, si illuc, quod volumus, eveniet, gaudebimus:
Sin secus, patiemur animis æquis. Tene sortem tibi.
Vide quid scriptū 'st. *O.* Unum. *Ch.* Iniquum 'st; quia isti prius quam mihi est.
S. Accipe hanc sis. *Ch.* Cedo, mane: unum venit in mentem modo.
Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua
S. Verbero,
Men' te censes esse? nulla 'st. Habe quietum animum modo.
Ch. Quod bonum atque fortunatum sit mihi, tuum magnum malum.
O. Tibi quidem, edepol, credo, eveniet; novi pietatem tuam.
Sed mane dum: num ista aut populna sors aut abiegna 'st tua?
Ch. Quid tu id curas? *O.* Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.
S. Euge! cave. Coniicite sortis nunc iam, amabo, huc: ecce re.
Uxor, æqua. *O.* Nolim uxori credere.
S. Habe animum bonum.
O. Credo, hercle, hodie devotabit sortis, si attigerit. *Ch.* Tace.
O. Taceo; Deos quæso. *Ch.* Ut quidem tu hodie canē et furcam feras.
O. Mihi ut sortitio eveniat.
Ch. Ut quidem, hercle, pedibus pendeas.
O. At tu ut oculos emungare ex capite per nasū tuos.
Quid times? paratum oportet esse iam laqueum tibi.
Periisti. *S.* Animum advortite, amabo. *O.* Taceo.
S. Nunc tu, Cleostrata,

Ne a me memores malitiose de hac re factum, aut suspices,
Tibi permitto: tute sorti. *O.* Perdis me.
Ch. Lucrum facit.
Cl. Bene facis. *Ch.* Deos quæso, ut tua sors ex sitella effugerit.
O. Ain' tu? quia tu es fugitivus, omnes te imitari cu-
Utinã tua quidem, sicut Herculeis prædicant (pis.
Quondã prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.
Ch. Tu ut liquescas, ipse actutu virgis calefactabere
S. Hoc age sis, Olympio. *O.* Si hic literatus me sinat.
S. Quod bonum atque fortunatum mihi sit.
O. Ita vero, et mihi.
Ch. Non. *O.* Immo, hercle. *Ch.* Immo mihi, hercle.
S. Hic vincet; tu vives miser.
Præcide os tu illi hodie. Age, ecquid fit?
Cl. Ne obiexis manum.
O. Compressan' palma an porrecta ferio?
S. Age, ut vis. *O.* Hem tibi!
Cl. Quid tibi istunc tactio 'st?
O. Quia Iupiter iussit meus.
Cl. Feri malam tu illi rursum.
O. Perii! pugnis cædor, Iupiter!
S. Quid tibi tactio hunc fuit?
Ch. Quia iussit hæc Iuno mea.
S. Patiundum 'st, siquidem, me vivo, mea uxor imperium exhibet.
Cl. Tam huic loqui licere oportet, quam isti.
O. Cur omen mihi
Vituperat? *S.* Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.
Ch. Tempori, postquam oppugnatum 'st os.
S. Age, uxor mea, nunc iam
Sorti. Vos advortite animum. Præbe tu.
O. Ubi sim, nescio.
Perii! cor lienosum, opinor, habeo; iamdudum salit:
De labore pectus tundit. *Cl.* Teneo sortem.
S. Effer foras.
Ch. Iamne mortuus? *O*[illegible]ende; mea 'st.
Ch. Mala crux ea 'st quidem.
Cl. Victus es, Chaline.
S. Tum nos diu vivere, Olympio,
Gaudeo. *O.* Pietate factum 'st mea, atq; maioru meũ.
S. Intro abi, uxor, atque adorna nuptias.
Cl. Faciam, ut iubes.
S. Scin' tu ruri esse ad villam longe, quo ducat?
Cl. Scio. *S.* Intro abi:
Et, quamquam hoc tibi 'st ægre, tamen fac accures.
Cl. Licet.
S. Eamus nos quoque intro; hortemur ut properent.
O. Numquid moror?
S. Nam, præsente hoc, plura verba non desidero.

SCENA VII. *Chalinus.*

Si nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et, præter operam, restim sumtifecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opu 'st, qui sic mortuus? equidem tamen
Sorti sum victus. Casina nubet villico.
Atque id non tam ægre 'st iam vicisse villicum,
Quam id expetivisse opere tam magno senem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Ut ille trepidabat! ut festinabat miser!
Ut subsultabat, postquam vicit villicus!
Atat! concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolentis. Atque a me prodeunt.
Hic ex insidiis hisce ego insidias dabo.

SCENA VIII. *Olympio, Stalino, Chalinus.*

O. Sine modo rus veniat; ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tamquam carbonarium.
S. Ita fieri oportet. *O.* Factum et curatum dabo.
S. Volui Chalinum, si domi esset, mittere
Tecum obsonatum, ut etiam in mœrore insuper
Inimico nostro miseriam hanc adiungerem.
C. Recessim cedam ad parietem; imitabor nepam.
Captandu 'st horum clanculum sermo mihi:
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic mastigia,
Stimulorum loculi. Protollo mortem mihi:
Certum 'st, hunc Acheruntem præmittam prius.
O. Ut tibi ego inventus sum obsequens! quod maxu-
Cupiebas, eius copiam feci tibi. (me
Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem. *S.* Tace.
Ita me Dii bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob istam rem quin te deosculer, voluptas mea!
C. Quid, deosculer? quæ res est? voluptas quæ tua?
O. Ecquid amas nunc me?
S. Immo, edepol, me, quam te, minus.
Licetne amplecti te? *C.* Quid, amplecti? *O.* Licet.
S. Ut, quia te tango, mel mi videor lingere!
C. Effodere, hercle, hic volt, credo, vesicam villico.
O. Ultro te, amator, apage te a dorso meo.
C. Hodie, hercle, opinor, hice conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos sane sectari senex.
Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum: et
Idem me pridem, cum ei advorsum veneram,
Facere atriensem voluerat sub ianua.
O. Ut tibi morigerus hodie! ut voluptati fui!
S. Ut tibi, dum vivam, bene velim plusquam mihi.
Ut ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi
Bona multa faciam, clam meam uxorem! *C.* Atate!
Nunc, pol, ego demum in rectam redii semitam.
Hic ipsus Casinam deperit. Habeo viros! *S.* Iam
Hercle, amplexari, iam osculari gestio.
O. Sine prius deduci. Quid, malu, properas? *S.* Amo.
O. At non opinor fieri hoc posse hodie. *S.* Potest,
Siquidem cras censes posse te mitti manu.
C. Enimvero huc aures magis sunt adhibendæ mihi.
Iam ego uno in saltu lepide apros capiam duos.
S. Apud hunc sodalem meum atque vicinum, mihi
Locus est paratus. Ei ego amorem omnem meum
Concredui: is mihi se locum dixit dare.
O. Quid eius uxor? ubi erit? *S.* Lepide reperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad se in nuptias,
Ut hic sit secum, se adiuvet, secum cubet.
Ego iussi; et dixit se facturam uxor mea.
Illa hic cubabit: vir aberit faxo do[illegible]o.
Tu rus uxorem duces: id rus hoc e[illegible],
Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin' astute? *O.* Doctè. *C.* Age modo, fabricamini.
Malo, hercle, vostro tam vorsuti vivitis.
S. Scin' quid nunc facias? *O.* Loquere. *S.* Tene mar
Abi, atque obsonia propera: sed lepide volo, (supium
Molliculas escas, ut ipsa mollicula 'st. *O.* Licet.
S. Emito sepiolas, lepadas, lolligiunculas,
Hordeias. *C.* Immo, triticeias, si sapis.
S. Soleas. *C.* Qui, quæso, potius, quam sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissume?
O. Vin' lingulacas? *S.* Quid opus est, quando uxor do-
Ea lingulaca nobis est: nam nunquam tacet. (mi 'st?
O. In re præsenti, ex copia piscaria,
Consulere, quid emam, oportet. *S.* Æquum oras; abi.
Argento parci nolo: obsonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento 'st opus,
Ut, quod mandavi, curet. *O.* Iamne abeo? *S.* Volo.
C. Tribus non conduci possim libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum;

Quinque hanc omnē rē mea heræ iam faciam palam.
Manifesto teneo in noxa inimicos meos.
Sed, si nunc facere volt hera officium suum,
Nostra omnis lis est: pulchre prævortar viros:
Nostro omine it dies: iam victi vicimus.
Ibo intro, ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc vicissim ut alio pacto condiam,
Quidquid paratum 'st, ut paratum ne siet;
Sietque ei paratum, quod paratum non erat.

ACTUS III. SCENA I. *Stalino, Alcesimus.*

S. Nunc, amici anne inimici sis imago, Alcesime, mihi,
Sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.
[Cur autē?] exime castigare; id ponito ad compendiū.
Cano capite! ætate aliena! condito ad compendium.
Cui sit uxor, id quoque illuc ponito ad compendium.
A. Miseriorem ego ex amore, quam te, vidi neminem.
S. Fac vacent ædes.
A. Quin, edepol, servos, ancillas, domo
Certum 'st omnis mittere ad te.
S. Eho! nimium scite scitus es.
Sed facito dum memineris versus quos cantat Colax: cibo
Cū suo, quiqui facito oti veniant; quasi eant Sutriū.
A. Meminero. *S.* Hem! nunc enim te demum nullum scitum scitiu 'st.
Cura; ego ad forū modo ibo; iā hic ero. *A.* Bene ambula.
S. Fac habeant linguam tuæ ædes. *A.* Quid ita?
S. Quom veniam, vocent.
A. Attate! cædundus tu homo es: nimias delicias facis.
S. Quid me amare refert, nisi sī doctus dicax nimis?
Sed tu cave inquisitioni mihi sis. *A.* Usq; adero domi.

SCENA II. *Cleostrata, Alcesimus.*

C. Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecastor id, quod me vir tanto opere orabat meus;
Liberæ ædes ut sibi essent, Casinam quo deduceret.
Nunc adeo nequaquā arcessam, ne qua ignavissumis
Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus.
Sed, eccū, egreditur senati columen, præsidiū popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecastor vilis emtu 'st, modius, qui venit salis.]
A. Miror huc iā non arcessi in proxumū uxorē meā,
Quæ iamdudū, si arcessatur, ornata expectat domi.
Sed, eccam, opinor, arcessit. Salve, Cleostrata.
C. Et tu, Alcesime.
Ubi tua uxor? *A.* Intus illa te, si se arcessas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam istuc ad te adiutum mitterem.
Vin' vocē? *C.* Sine: nolo, si occupata est. *A.* Otiū est.
C. Nil moror: molesta ei esse nolo: post convenero.
A. Non ornatis istic apud vos nuptias?
C. Orno, et paro.
A. Non ergo opu' st adiutrice?
C. Satis domi est. Ubi nuptiæ
Fuerint, tum istam convenibo. Nunc vale, atque istam iube.
A. Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miser,
Propter operam illius hirqui improbi, edentuli,
Qui hoc mihi contraxit. Operā uxoris polliceor foras,
Quasi catillatum. Flagitiū hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse: ea se eam negat morarier.
Atque, edepol, mirum, ni subolet iam hoc huic vicinæ meæ.
Verum autem, altrovorsū cum eam mecum rationem (puto,
Si quid eius esset, esset mecum postulatio.
Ibo intro, ut subducam navi rursum in pulvinarium.
C. Iam hic est lepide ludificatus. Miseri ut festinant senes!
Nunc ego illū nihili, decrepitū, meū virū, veniat veli,
Ut eū ludilicē vicissim, postquā hunc delusi alterum.
Nā ego aliquid contrahere cupio litigī inter eos duos.
Sed, eccum, incedit: at, quom aspicias tristem, frugi censeas.

SCENA III. *Stalino, Cleostrata.*

S. Stultitia magna 'st, mea quidem sententia,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, quoi, quod amet, in mundo siet;
Sicut ego feci stultus. Contrivi diem,
Dum asto advocatus quoidam cognato meo:
Quem, hercle, ego litem adeo perdidisse gaudeo,
Ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.
Rogitare oportet prius, et percontarier,
Assitne animus ei, necne assit, quem advocet.
Si neget adesse, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædis eccam. Hei misero mihi!
Metuo, ne non sit surda, atque hæc audiverit.
C. Audivi ecastor cum malo magno tuo.
S. Accedam propius. Quid agis, mea festivitas?
C. Te ecastor præstolabar. *S.* Iamne ornata res est?
Iamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adiutaret? *C.* Arcessivi, ut iusseras.
Verum hic sodalis tuus, amicus optumus,
Nescio quid se sufflavit uxori suæ.
Negavit posse, quando arcesso, mittere.
S. Vitium tibi istuc maxumum 'st, blanda es parum
C. Non matronarum officium 'st, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, subblandirier.
I tu, atq; arcesse illam: ego intus, quod facto 'st opus,
Volo accurare, mi vir. *S.* Propera ergo. *C.* Licet.
Iam, pol, ego huic aliquem in pectus iniiciam metu:
Miserrumum hodie ego hunc habebo amasium.

SCENA IV. *Alcesimus, Stalino.*

A. Viso huc, amator si a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatu 'st, larua.
Sed eccum ante ædes Ad te, hercle, ibam commodū.
S. Atq; ego, hercle, ad te. Quid ais, vir minimi preti?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? *A.* Quid est?
S. Ut bene vocivas ædis fecisti mihi!
Ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam!
Satin', propter te, pereo ego, atque occasio?
A. Quin tu suspendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arcessituram esse uxorem meam.
S. Ergo arcessivisse ait sese; et dixisse te,
Eam non missurum. *A.* Quin ea ipsa ultro mihi
Negavit eius operam se morarier.
S. Quin ea ipsa me allegavit, qui istam arcesserem.
A. Quin nihili facio. *S.* Quin me perdis. *A.* Quin (bene est.
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid ægre facere, quin faciam libens.
Nunquam tibi hodie quin erit plus quam mihi.
Quin, hercle, Dii te perdant postremo quidem.
S. Quid nunc? missurusne ea ad me uxorem tuam?
A. Ducas, easque in maxumam malam crucem,
Cumque hac, cumque istac, cumque amica etiam tua.
Abi, et aliud cura. Ego iam per hortum iussero
Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam.
S. Nunc tu mihi amicus es in germanum modum.
Qua ego hunc amorem mihi esse avi dicam datum?
Aut quid ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Quoi sic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?

Atat! quid illuc clamoris obsecro in nostra domo 'st?

SCENA V. *Pardalisca, Stalino.*

P. Nulla sum, nulla sum; tota, tota occidi.
Cor metu mortuum 'st; membra miseræ tremunt.
Nescio unde auxili, præsidi, perfugi
Mi, aut opum, copiam comparem, aut expetam.
Tanta factis modo mira veria modia
Intu' vidi, novam atque integram audaciam.
Cave tibi, Cleostrata, abscede ab ista, obsecro,
Ne quid in te mali faxit ira percita.
Eripite isti gladium, quæ sui est impos animi.
S. Nam quid est, quod hæc huc timida atque exanimata exiluit foras?
Pardalisca! *P.* Perii! unde meæ usurpant aures sonitum?
S. Respice modo ad me. *P.* Here mi! *S.* Quid tibi 'st? Quid timida es? *P.* Perii!
S. Quid, peristi? *P.* Perii! et tu peristi. *S.* Aperi, quid tibi? *P.* Væ tibi!
S. Immo, istuc tibi sit. *P.* Ne cadam, amabo, tene me. *S.* Quidquid est,
Eloquere mihi cito. *P.* Contine pectus; face ventulum, amabo,
Pallio. *S.* Timeo hoc negotium, quid est, nisi hæc meraclo
Se uspiam percussit flore Libyco. *P.* Obtine aures, amabo.
S. I in malam crucem: pectus, auris, caput, teque, Dii perduint:
Nam, nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito; iam tibi istuc
Cerebrum dispercutiam, excetra tu: ludibrio pessuma adhuc
Quæ me babuisti. *P.* Here mi! *S.* Quid vis, mea ancilla? *P.* Nimium sævis.
S. Numero dicis. Sed, hoc quidquid est, loquere: in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? *P.* Scibis. Audi malum pessumum,
Quod hic modo intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet disciplinam.
S. Quid est id?
P. Timor præpedit dicta linguæ *S.* Quid est? possum scire ego istuc
Ex te, quid negoti 'st? *P.* Dicā: tua ancilla, quā tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus . . .
S. Quid intus? quid est?
P. Imitatur malarum malam disciplinam, viro suo quæ interminatur vitam.
S. Quid ergo? *P.* Ab! *S.* Quid est? *P.* Interimere ait velle
Vitam. Gladium ... *S.* Hem! *P.* Gladium ... *S.* Quid eum gladium? *P.* Habet. *S.* Hei misero mihi!
Cur eum habet? *P.* Insectatur omnis domi per ædis, nec quemquam
Prope ad se sinit adire: ita omnis, sub arcis, sub lectis
Latentes, metu mussitant. *S.* Occidi atque interii! quid illi
Obiectum 'st mali tam repente? *P.* Insanit.
S. Scelestissumum
Me esse credo. *P.* Immo, si scias dicta, quæ dixit hodie. *S.* Istuc
Expeto scire: quid dixit?
P. Audi. Per omneis Deos et Deas
Deiuravit, occisurum eum hac nocte, quieū cubaret.
S. Me occidet? *P.* An quidpiam ad te attinet?
S. Vah! *P.* Quid eum ea negoti
Tibi 'st? *S.* Peccavi: illuc dicere, villicum, volebam.
P. Sciens
De via in semitam degredere.
S. Numquid mihi minatur?
P. Tibi infesta soli est plus, quam quoiquam.
S. Quamobrem? *P.* Quia se des
Uxorem Olympioni: neque se tuam, nec se suam,
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli. Id huc missa sum
Tibi ut dicerem, ab ea ut caveas tibi.
S. Perii, hercle, miser!
Neque est, neque fuit me senex quisquam amator adæque miser.
P. Ludo ego hunc facete: nam, quæ facta dixi, omnia huic
Falsa dixi. Hera, atque hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt.
Ego huc missa sum ludere. *S.* Heus Pardalisca!
P. Quid est? *S.* Est ... *P.* Quid?
S. Est, quod volo exquirere a te. *P.* Moram offers mihi. *S.* At tu mihi
Offers mœrorem. Sed etiamne habet et nunc Casina
Gladium? *P.* Habet, sed duos. *S.* Quid, duos?
P. Altero te occisurum ait,
Altero villicum hodie.
S. Occisissumus sum omnium qui vivunt.
Loricam induā mihi: optumū esse opinor. Quid uxor
Mea? non adiit, atque ademit?
P. Nemo audet prope accedere.
S. Exoret. *P.* Orat. Negat ponere alio modo ullo profecto,
Ni se sciat villico non datū iri. *S.* Atq; ingratiis, quia
Non volt, nubet hodie. Nam cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, sed nostro villico.
P. Sæpicule peccas. *S.* Timor præpedit verba. Verū,
Obsecro, dic me uxorē orare, ut exoret illam, gladiū
Ut ponat, et redire me intro ut liceat. *P.* Nuntiabo.
S. Et tu orato. *P.* Et ego orabo.
S. At blande orato, ut soles. Sed audin'?
Si effexis hoc, soleas tibi dabo, et anulum in digito
Aureum, et bona plurima. *P.* Operam dabo.
S. Face ut impetres.
P. Eo nunc iam, nisi quidpiam remorare me.
S. Abi, et cura.
P. Redit, eccum, tandem obsonatu eius adiutor: pompam ducit.

SCENA VI. *Olympio, Cocus, Stalino.*

O. Vide, fur, ut sentcis sub signis ducas.
C. Qui vero sunt sentes?
O. Quia, quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.
Ita, quoquo adveniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.
C. Eia! *O.* Atat: cesso magnifice, patriceque, amiceque ita hero
Meo ire advorsum? *S.* Bone vir, salve. *O.* Fateor.
S. Quid fit? *O.* Tu amas:
Ego esurio et sitio. *S.* Lepide excuratus incessisti.
O. Aha hodie! *S.* Mane vero, quamquam fastidis.
O. Ei, ei! fœtet
Tuus mihi sermo. *S.* Quæ res? *O.* Hæc res.
S. Etianne adstas? *O.* Enim vero
Πράγματά μοι παρέχεις.
S. Dabo μέγα κακόν, ut ego opinor,
Nisi resistis. *O.* Ω Ζεῦ! potin' a me abeas, nisi me vis vomere
Hodie? *S.* Mane. *O.* Quid est? quis hic homo est?

S. Herus sum. O. Qui herus?
S. Quoius tu servos es. O. Servos ego?
S. Atque meus. O. Non sum ego liber?
Memento, memento! S. Mane, atque asta.
O. Omitte. S. Servos sum tuus.
O. Optume est. S. Obsecro, Olympisce mi, mi pater, mi patrone ...
O. Hem! sapis sane. S. Tuus sum equidem.
O. Quid mihi servo opus est tam nequam?
S. Quid nunc? quam mox recreas me?
O. Cœna, modo si sit cocta.
S. Intro ergo abeant.
O. Propere, cito introite, et cito deproperate.
S. Ego iam intus ero. Facite cœnam mihi, ut ebria sit.
Cœnare lepide nitideque volo: nihil moror barbarico ritu
Sane esse iam. I, sis: ego hic habito nunc quidem. Gladium
Ancilla Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet.
O. Scio. Sic sine habere. Nugas agunt: novi ego illas malas merces.
Quin tu i modo mecum domum.
S. At, pol, malum metuo. I tu modo;
Perspicito prius, quid intus agatur.
O. Tam mihi mea vita, quam tua
Tibi, cara est. S. Verum modo ...
O. Si tu iubes, inibitur tecum.

ACTUS IV. SCENA I. *Pardalisca.*

Nec, pol, ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque usquam, ludos tam festivos fieri,
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni nostro, et nostro Olympioni villico.
Omnes festinant intus totis ædibus:
Senex in culina clamat; hortatur cocos:
Quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?
Properate: cœnam iam esse coctam oportuit.
Villicus hic autem cum corona, candide
Vestitus, lautus, exornatusque, ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant,
Quem dent pro Casina nuptum nostra.
Sed nimium lepide dissimulant
Fore huius quod futurum 'st. Digne autem coqui
Nimis lepide ei rei dant operam, ne cœnet senex.
Aulas pervortunt; ignem restinguunt aqua.
Illarum oratu faciunt: illæ autem senem
Cupiunt extrudere incœnem ex ædibus,
Ut ipsæ solæ ventres distendant suos.
Novi ego illas ambas estrices: corbitam cibi
Comesse possunt. Sed aperitur ostium.

SCENA II. *Stalino, Pardalisca.*

S. Si sapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta: ego ruri cœnavero.
Nam novum maritum et novam nuptam volo
Rus prosequi, novi hominum mores maleficos,
Ne quis eam abripiat. Facite vostro animo volupe.
Sed properate istum atque istam actutum emittere,
Tandem ut veniamus luci; ego cras hic ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
P. Fit, quod futurum dixi: incœnatum senem
Foras extrudunt mulieres. S. Quid tu hic agis?
P. Ego eo, quo me ipsa misit. S. Veron'? P. Serio.
S. Quid hic speculare? P. Nihil equidē speculor. S. Abi.
Tu hic cunctas: intus alii festinant. P. Eo.
S. Abi hinc, sis, ergo, pessumarum pessuma.
Iamne abiit illæc? dicere hic quidvis licet.
Qui amat, tamen, hercle, etsi esurit, nullus esurit.
Sed, eccum, progreditur cum corona et lampade
Meus socius, compar, commaritus, villicus.

SCENA III. *Olympio, Stalino.*

O. Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnē hanc plateā hymenæo.
Io hymen hymenææ! io hymen!
S. Quid agis, mea salus?
O. Esurio, hercle, atque adeo haud sitio.
S. At ego amo. O. At ego, hercle,
Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Iamdudum intestina murmurant.
S. Nam quid illæc nunc
Tamdiu intus remoratur, quasi ob industriam?
Quanto ego
Plus propero, tanto illa minus.
O. Quid si etiam occentem hymenæum?
S. Censeo; et ego te adiutabo in nuptiis communibus
O. Hymen hymenææ! io hymen!
S. Perii, hercle, ego miser dirupi
Cantando hymenæum; licet illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non est copia. O. Edepol, næ tu, si esses equus, esses indomabilis.
S. Quo argumento? O. Nimis tenax es.
S. Num me expertus uspiam? O. Dii melius faciant.
Sed crepuit ostium; exitur foras.
S. Dii, hercle, me cupiunt servatum: iam oboluit Casina procul.

SCENA IV. *Ancillæ duæ, Olympio, Stalino.*

A. Sensim super attolle limen pedes, nova nupta: sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes, atq;
Ut potior pollentia sis, vincasq; virū, victrixq; sies;
Superetque tuum imperium: vir te vestiat, tu virum despolies.
Noctuque et diu ut viro subdola sies, obsecro, memento.
O. Malo maxumo suo, hercle, illico, ubi tantulum peccassit.
S. Tace. O. Non taceo. S. Quæ res?
O. Mala malæ male monstrant.
S. Perii! Istæ facient hanc rem mihi ex parata imparatam.
Id quærunt: volunt, hæc ut infecta faciant.
A. Age, Olympio,
Quando vis, uxorem accipe hanc a nobis.
O. Date ergo, daturæ
Si unquam estis hodie uxorem. S. Abite intro.
A. Amabo, integræ atque
Imperitæ huic impercito. O. Futurū 'st. Valete. S. Ite.
A. Iam valete. S. Iamne abscessit?
O. Uxor domi est; ne time. S. Evax!
Nunc, pol, demum ego sum liber. Meum corculum, melliculum,
Verculum! O. Heus tu! malo, si sapis, cavebis; mea est hæc. S. Scio:
Sed meus fructus est prior. O. Tene hanc lampadem.
S. Immo, ego illam tenebo.
Venus multipotens! bonam vitam mihi
Dedisti, huius cum copiam mihi fecisti.
Corpusculum melliculum! O. Mea uxorcula!
S. Quid est? O. Institit plantam. S. Quasi iocabo.
Nebula haud est mollis, atque huius est.
O. Edepol, papillam bellulam! hēi misero mihi!
S. Quid est? O. Pectus mihi agit nunc cubito.
S. Quid tu ergo hanc, quæso, tractas tam?

Semperq; istā, quā nunc habes, ætatulam obtinebis;
Multisque damno, et mihi lucro, sine meo sæpe eris sumtu.
G. Dii faxint. *L.* Sine opera tua, nihil Dii horunc facere possunt.
G. Equidem, hercle, addam operam sedulo. Sed quid tu inter istæc verba,
Meus oculus, mea Silenium? quid, cedo, te obsecro, tam abhorret
Hilaritudo? nunquam ego vidi ted esse tristiorem:
Neque munda adæque es, ut soles. Hoc, sis, vide: ut petivit
Suspiriu alte! Et pallida es. Eloquere utrumq; nobis,
Et quid tibi est, et quid velis nostram operam, ut nos sciamus.
Noli, obsecro, lacrumis tuis mihi exercitū imperare,
Mea. *S.* Excrucior, mea Gymnasium; male mihi est; male maceror;
Doleo ab animo; doleo ab oculis; doleo ab ægritudine.
Quid dicam? nisi stultitia mea me in mœrorem rapi.
G. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.
S. Quid faciam? *G.* In latebras abscondas pectore penitissumo.
Tuā stultitiā sola facito ut scias, sine aliis arbitris.
S. At mihi
Cordolium 'st. *G.* Quid id? unde est tibi cordolium, commemora, obsecro?
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
S. Si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet.
G. Amat hæc mulier. *S.* Eho! an amare occipere, amarum est, obsecro?
G. Namque, ecastor, amor et melle et felle est fœcundissumus:
Gustu dat dulce, amarū ad satietatem usque oggerit.
S. Ad istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat.
G. Perfidiosu 'st amor. *S.* Ergo in me peculatū facit.
G. Bono animo es: erit isti morbo melius.
S. Confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
G. Veniet. *S.* Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit.
Sed ego, mea culpa et stultitia, peius misera maceror,
Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum ætatem degerem.
G. Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
Unum amare, et cum eo ætatem exigere, quoi nupta 'st semel.
Verū enim meretrix fortunati est oppidi similluma;
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.
S. Hoc volo agatis: qua arcessitæ causa ad me estis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricē dicier,
Obsecuta est; de ea re gessit morem morigeræ mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.
L. Stulte, ecastor, fecit; sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti? *S.* Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine:
Neque pudicitiā meā mihi alius quisquā imminuit.
L. Obsecro,
Quo is homo insinuavit pacto se ad te?
S. Per Dionysia,
Mater pompam me spectatū duxit; dū redeo, domum,
Conspicillo consecutu 'st clanculum mē usque ad fores:
Inde in amicitiā insinuavit cū matre et mecū simul,
Blanditiis, muneribus, donis.
G. Mihi istum hominem vellem dari:
Ut ego illum vorsarem!
S. Quid opu 'st verbis? consuetudine
Cœpi amare contra ego illum, et ille me.
L. O mea Silenium! *S.* Quid est?
L. Assimulare amare oportet. Nam, si ames, extemplo
Melius illi multo, quē ames, consulas, quā rei tuæ.
S. At ille conceptis iuravit verbis apud matrē meam,
Me uxorem ducturum esse: ei nunc alia ducenda 'st domum,
Sua cognata Lemniensis, quæ habitat hic in proxumo.
Nam eum pater eius subegit. Nunc mea mater irata est mihi,
Quia non redierim domum ad se, postquam eam rem resciverim,
Eum uxorem ducturum esse aliam.
L. Nihil amori iniurium 'st.
S. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse hic, et servare apud me: nam ad matrem arcessita sum.
L. Quamquam mihi istud erit molestum triduum, et damnum dabis,
Faciam. *S.* Facis benigne et amice. Sed tu, Gymnasium mea,
Si, me absente, Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare: utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.
Sed, amabo, tranquille: ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias claves: si quid tibi opus erit promtu, promito.
Ego volo ire. *G.* Ut mi excivisti lacrumas!
Gymnasium mea,
Bene vale.
G. Cura te, amabo. Siccine immunda, obsecro,
Ibis? *S.* Immundas fortunas æquō 'st squalorē sequi.
G. Amiculum hoc sustolle saltem.
S. Sine trahi, cum egomet trahor.
G. Quando ita tibi lubet, vale atque salve.
S. Si possim, velim.
G. Numquid me vis, mater, intro quin eam? Ecastor, mihi
Visa amare. *L.* Istoc aures graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. Abi intro. *G.* Numquid me vis?
L. Ut valeas. *G.* Vale.

SCENA II. *Lena.*

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Quæ hunc quæstum facimus; quæ ubi saburratæ sumus,
Largiloq; extemplo sumus; plus loquimur, quā sat est.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam proiectam ex angiportu sustuli.
Adulescens quidam hic est apprime nobilis:
(Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaque adeo me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua collibitum est mihi:
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est)
Sicyone summo genere ei vivit pater.
Is amore misere hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abiit. Contra, amore hæc perdita 'st.
Eā meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi:
Quod sæpe mecum mentionem fecerit,

Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi,
Recens natum eapse quod sibi supponeret.
Ubi mihi potestas primum evenit, illico
Feci eius eii, quod me oravit, copiam.
Postquam puellam eam a me accepit, illico
Eamdem puellam peperit, quam a me acceperat,
Sine obstetricis opera, et sine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ [bonum] quærunt sibi:
Nam amatorem aiebat esse peregrinum sibi:
Suppositionem eius rei facere gratia.
Id duæ nos solæ scimus; ego, quæ illi dedi,
Et illa, quæ a me accepit; præter vos quidem.
Hæc sic res gesta est. Si quis usus venerit,
Meminisse ego hanc rem vos volo: ego abeo domum.

SCENA III. *Auxilium.*

Utrumque hæc et multiloqua et multibiba est anus.
Sati' ne vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellæ proloqui
Suppositione: quod si tacuisset, tamen
Ego eram dicturus Deus, qui poteram planius:
Nam mi est Auxilio nomen. Nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.
Fuere Sicyoni iamdiu Dionysia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnios,
Isque hic compressit virginem adolescentulus,
Vi vinulentus, multa nocte, in via.
Is ubi malam rem scit se meruisse, illico
Pedibus perfugium peperit; in Lemnum aufugit,
Ubi habitabat tum. Illa, quam compresserat,
Decumo post mense exacto, hic peperit filiam.
Quoniam reum eius facti nescit qui siet,
Paternum servom sui participat consili;
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem.
Is eam proiecit: hæc puellam sustulit.
Ille clam observavit servos,
Quo aut quas in ædes hæc puellam deferat.
Ut eampse vos audistis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eaque educavit eam sibi pro filia
Bene ac pudice. Tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam suam.
Ea diem suum obiit; facta morigera est viro.
Postquam ille uxori iusta fecit, illico
Huc commigravit; duxit uxorem hic sibi
Eamdem, quam olim virginem hic compresserat;
Et eam cognoscit esse, quam compresserat:
Illa illi dicit, eius se ex iniuria
Peperisse gnatam, atque eam se servo illico
Dedisse exponendam. Ille extemplo servolum
Iubet illum eumdem persequi, si qua queat
Reperire, quæ sustolerit. Ei rei nunc suam
Operam usque assiduo servos dat, si possiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Cum ipse exponebat, ex insidiis viderat.
Nunc, quod reliquom restat, volo persolvere,
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adolescens hic est Sicyoni: ei vivit pater.
Is amore proiecticiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem suam:
Et illa hunc contra; qui est amor suavissumus.
Ut sunt humana, nihil est perpetuom datum.
Pater adolescenti dare volt uxorem. Hoc ubi
Mater rescivit, iussit arcessi ad se eam domum.
Hæc res sic gesta est. Bene valete, et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.
Servate vos, vostros socios, veteres et novos:
Augete auxilia vostris iustis legibus:
Perdite perduelles: parite laudem et lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas sufferant.

ACTUS II. SCENA I. *Alcesimarchus, Melænis.*

A. Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de me coniecturã domi facio, ne foris quærã,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi.
Iactor, crucior, agitor, stimolor, vorsor in amoris rota miser.
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo. Ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet iam id continuo.
Ita me Amor lassom animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.
Maritumis moribus mecum experitur: ita meum frangit amantem
Animom: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernicies: ita pater apud villam detinuit me hos dies sex
Ruri continuos' neque licitum interea est meam amicam visere.
Estne hoc miserum memorato?
M. Eo facetu 's, quia tibi alia est sponsa locuples Lemnia?
Habeas: neque nos factione tanta, quanta tu, sumus;
Neque opes nostræ tam sunt validæ, quam tuæ: verumtamen
Haud metuo, ne iusiurandum nostrum quisquam culpitet.
Tu iam, si quid tibi dolebit, scies, qua doleat gratia.
A. Dii me perdsot....
M. Quodcumque optes, velim tibi contingere.
A. Si illam uxorem duxero unquam, mihi quam despondit pater.
M. Et me, si unquam tibi uxorem filiam dedero meã.
A. Periurare me patiere? *M.* Atq; aliquanto facilius,
Quam me meamque rem perire, et ludificari filiam.
Abi: quære, ubi tuo iurando iuri satis sit subsidi:
Hic apud nos, Alcesimarche, confregisti tesseram..
A. Face semel periculum.
M. Sæpe feci; quod factum queror.
A. Redde mihi illam.
M. Inter novam rem verbum usurpabo vetust
Quod dedi, datũ non vellẽ: quod reliquõ 'st, non dabo.
A. Non remissura es mihi illam?
M. Pro me, responsa tibi.
A. Non remittes?
M. Scis iamdudum omnem meam sententiam.
A. Satin' istuc tibi in corde certum 'st?
M. Quin ego commentor quidem.
Non, edepol, istæc tua dicta nunc in aures recipio.
A. Non? hem! quid agam?
M. Igitur animum advorte, ut, quid agas, scias.
A. At ita me Dii Deæque, superi atq; inferi et medioxumu,
Itaque me Iuno regina, et Iovis supremi filia,
Itaque me Saturnus, patruus eius... *M.* Ecastor, pater.
A. Itaque me Ops opulenta, illius avia....
M. Immo, mater quidem.
A. Iuno filia, et Saturnus patruus, et summus Iupiter...
Tu me delenis: propter te hæc pecco. *M.* Perge dicere.
A. Anne ut etiam, quid consultura sis, sciam?

M. Perge eloqui:
Non remittam: definitum 'st.
A. Enimvero, ita me Iupiter,
Itaque me Iuno et Saturnus; ita.... Quid dicã, nescio.
Iam scio; immo, mulier, audi, meã ut scias sententiã:
Dii me omnes magni minutique et patellarii
Faxint, ne ego dem vivos savium Silenio, (cavero;
Nisi ego teque tuamque filiam, meque, hodie obtrun-
Postea autem, cũ primo luci, cras nisi ambo occidero;
Et equidẽ, hercle, nisi pedatu tertio omnis efflixero,
Nisi tu illam remittis ad me. Dixi, quæ volui. Vale.
M. Abiit intro iratus. Quid ego nunc agã? Si redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit. Ubi odiu occœperit,
Illam extrudet, cum hanc uxorẽ Lemniã ducet domũ.
Sed tamen ibo, et persequar. Amens ne quid faciat,
cauto opu' st.
Postremo, quando æqua lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potius, quam carebo filia.
Sed quis hic est, qui recta platea cursum huc conten-
dit suum?
Et illud paveo, et hoc formido: ita tota sum misera
in metu.

SCENA II. *Lampadiscus.*

Anum sectatus sum clamore per vias:
Miserrumam habui. Ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promisi boni!
Quot admœnivi fabricas! quot fallacias!
In quæstione vix exsculpsi ut diceret,
Quia ei promisi dolium vini dare.

SCENA III. *Phanostrata, Lampadiscus, Melænis.*

P. Audire vocem visa sum ante ædis modo
Mei Lampadisci servi. *L.* Non surda es, hera:
Recte audivisti. *P.* Quid agis hic? *L.* Quod gaudeas.
P. Quid id est? *L.* Hinc ex hisce ædibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem... *P.* Illam, quæ meam
Gnatam sustulerat? *L.* Rem tenes. *P.* Quid postea?
L. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim
Herilem filiam nostram sustollere.
Extimuit tum illa. *M.* Iam horret corpus; cor salit.
Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvolam
Puellam, eamque me mihi supponere.
P. Age, perge, quæso: animus audire expetit,
Ut res gesta sit. *M.* Utinam audire non queas!
L. Pergo illam his alloqui dictis: Illæc se anus
Furtivo matrem, se ne deseras, vocat.
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas.
Ego te reduco, et voco ad divitias, ubi
Tu locera in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis: non enim hic, ubi ex Tusco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.
P. An, amabo, meretrix illa est, quæ illam sustulit?
L. Immo meretrix fuit; sed, ut sit, de ea re eloquar.
Iam perducebam illam ad me suadela mea:
Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans,
Ne deserat se: eam suam esse filiam,
Seque eam peperisse, sancte adiurabat mihi.
Istanc, quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiola sua.
Et vivit, inquit. Ubi ea est? inquam extempulo.
P. Servate me, Dei, obsecro. *M.* At me perditis.
P. Quoi illam dedisset, exquisisse oportuit.
L. Quæsivi: et dixit, meretrici Melænidi.
M. Meum elocuta est nomen: interii!
L. Ubi elocuta est, ego continuo anum interrogo:
Ubi habitat, inquam, duc ac demonstra mihi.
Avecta est, inquit, peregre hinc habitatu. *M.* Obsipat
Aquulam. *L.* Quo avecta est, eo sequemur. Siccine
Agis nugas? periisti, ne, hercle, hoc longe: perat iti
Instare usque adeo, donec se adiurat anus
Iam mihi monstrare. *P.* At non missam oportuit.
L. Servatur: sed illæc se quamdam aibat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Commune quicum id esset sibi negotium.
Et scio venturam. *M.* Me indicabit, et suas
Ad meas miserias addet. *P.* Fac me consciam.
Quid nunc vis faciam me? *L.* Intro abi, atque animo
Vir tuus si veniet, iube domi opperirier, (bono es.
Ne in quæstione mihi sit, si quid eam velim.
Ego ad anum recurro rursũ. *P.* Lampadio, obsecro,
Cura. *L.* Perfectum ego hoc dabo negotium.
P. Deos teq; spero. *L.* Eodẽ ego, uti habeas domũ....
M. Adolescens, asta, atq; audi. *L.* Men', mulier, vocas?
M. Te. *L.* Quid negoti 'st? nã occupatus sũ ampliter.
M. Quis istic habitat? *L.* Demipho, dominus meus.
M. Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam
Suam despondit in divitias maxumas?
L. Is ipsus est. *M.* Eho tu! quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? *L.* Ego dicam tibi,
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
M. Quid istuc est verbi? *L.* Ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia est. *M.* Certe modo
Huius, quæ locuta est, quærere aiebas filiam.
L. Huius ego quæro. *M.* Quo modo igitur, obsecro,
Hæc est prior, quæ nupta nunc est? *L.* Conteris
Tu tua me oratione, mulier, quisquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata est hæc virgo, Alcesimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obiit. Iam scis? *M.* Teneo istuc satis.
Sed ego illud quæro confragosum, quo modo
Prior posterior sit, et posterior sit prior?
L. Prius hanc compressit, quam uxorem duxit domũ:
Prius gravida facta est, priusque peperit filiam.
Eam postquam peperit, iussit parvam proiici.
Ego eam proieci; alia mulier sustulit:
Ego inspectavi. Herus hanc duxit postibi.
Eam nunc puellam, filiam eius, quærimus.
Quid nunc supina sursum in cœlum conspicis?
M. I nunc iam istuc, quo properabas; nihil moror.
Nunc intellexi. *L.* Diis, hercle, habeo gratiam:
Nam, ni intellexes, nunquam, credo, amitteres.
M. Nunc mihi bonæ necessum 'st esse ingratiis,
Quamquam esse nolo. Rem palam esse intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quam illæc indicet me. Ibo domum,
Atque ad parentes reduco Silenium.

ACTUS III. *Melænis, Alcesimarchus, Silenium.*

M. Rẽ elocuta sũ tibi omnẽ: sequere me, mea Seleniũ,
Ut eorum, quoiam esse oportet te, sis potius quã mea.
Quamquam invita te carebo, animum ego inducam
tamen,
Ut illud, quod tuam in rem bene conducat, consulã:
Nam hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim
ad me detulit,
Quæ mihi dedit: parentes te ut cognoscant facilius.
Accipe hanc cistellam, Halisca; atque, agedum, pulta
illas fores.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocyus.
A. Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum.
S. Mater mea,
Perimus miseræ!
A. Utrum hac me feriam, an ab læva latus?
M. Quid tibi est?
S. Alcesimarchum non vides ferrum tenentem?

A. Ecquid agis? remorare? lumen linque.
S. Amabo, accurrite,
Ne se interimat. *A.* O Salute mea salus salubrior,
Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me, ut vivâ, facis.
M. Hau! voluisti istuc severum facere?
A. Nihil mecum tibi;
Mortuus tibi sum: hanc ut habeo, certum 'st non amittere.
Nam, hercle, iam ad me agglutinandam totam decretum 'st dare.
Ubi estis, servi? occludite ædes pessulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. *M.* Abiit; abstulit
Mulierem! Ibo; persequar iam illum intro, ut hæc ex me sciat
Eadem; si possum tranquillum facere ex irato mihi.

ACTUS IV. SCENA I. *Lampadiscus, Phanostrata.*

L. Nullam ego me vidisse credo magis anum excruciabilem
Quam illæc est: quæ dudum fassa est mihi, quæne inficias eat!
Sed eccam heram video. Sed quid hoc est; hæc quod cistella hic iacet
Cum crepundiis? nec quemquâ conspicor aliû in via?
Faciundu est puerile officiû: conquiniscâ ad cistulâ.
P. Quid agis, Lampadio?
L. Hæc cistella nummam hinc ab nobis domo est?
Nam hinc ab ostio iaceutem sustuli. *P.* Quid nuntias
Super anu? *L.* Scelestiorem in terra nullam esse alteram;
Omnia inficias ire ea, quæ dudum confessa est mihi.
Nam, hercle, ego illam anum irridere me ut sinam? satius est mihi
Quovis exitio interire. *P.* Dii obsecro vostram fidê!
L. Quid Deos obsecras? *P.* Servate nos. *L.* Quid est?
P. Crepundia
Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem.
L. Sanan' es? *P.* Hæc sunt profecto. *L.* Pergin'?
P. Hæc sunt. *L.* Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam.
P. Non, ecastor, cassa memoro; nam, obsecro, unde hæc gentium?
Aut quis Deus obiecit hanc ante ostiû nostrû? Quasi
Dedita opera, in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.

SCENA II. *Halisca, Lampadiscus, Phanostrata.*

H. Nisi quid mihi opis
Dii dant, disperii: neq̃, unde auxiliû expetâ, habeo.
Itaque petulantia mea me animi miseram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat, male formido,
Si hera mea sciat, tam socordem esse, quam sum.
Quamne in manibus tenui, atq̃ accepi hic ante ædis
Cistellam? Ubi ea sit, nescio; nisi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi. Mi homines,
Mi spectatores, facite indicium, si quis
Vidit, si quis eam abstulerit, quisve
Sustulerit, et utrum hac an illac iter institerit.
Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.
Nunc vestigia hic si qua sunt, noscitabo.
Nam, si nemo hac præteriit, postquam intro abii,
Cistella hic iaceret. Quid, hic? Periit, opinor.
Actum est! ilicet me infelicem et sceleratam.
Nulla est! neque ego sum usquâ. Perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi, tamen quæritabo.
Nam et intus paveo, et foris formido: ita nunc
Utrobique me metus agitat; illo sunt homines miseri:
Ille nunc lætus est, quisquis est, qui illâ habet:
Quæ neque illa illi quidquâ usui 'st; mihi esse potest.
Sed memet moror, quom hoc ago secius.
Halisca, hoc age: ad terram aspice, et dispice:
Oculis investigans astute augura. *L.* Hera!
P. Hem, quid est? *L.* Hæc est .... *P.* Quis?
L. Quoi hæc excidit cistella:
Certe eccum locû signat, ubi ea excidit. *P.* Apparet.
H. Sed is hac iit: hac socci video vestigium
In pulvere: persequar hac. In hoc iam loco cû altero
Constitit. Hic meis turbo oculis modo se obiecit;
Neq̃ prorsû iniit hac: hic stetit: hinc illuc exiit: hic
Concilium fuit. Ad duos attinet hoc, quiqui sunt.
Atat, singulum video vestigium. Sed is hac abiit.
Contemplabor. Hinc huc iit: hinc usquam abiit.
Actam rem ago. Quod periit, periit, meum corium
Cum cistella. Redeo intro. *P.* Mulier, mane: sunt,
Qui volunt te conventam. *H.* Quis me revocat?
L. Bona fœmina et malus masculus volunt te.
H. Malum aufer; bonû mihi opus est. Postremo, ille
Plus, qui vocat, scit quod velit, quam ego quæ vocor. revortor.
Ecquem vidisti quærere hic, amabo, in hac regione
Cistellam cum crepundiis, quâ ego hic amisi misera?
Nâ dudû, ut accurrimus ad Alcesimarchû, ne suâ vitâ
Interimeret, tum mihi puto præ timore hic excidisse
Cistellam. *L.* Hæc mulier nostra est. Quin operam damus, hera, parumper?
H. Disperii misera! quid ego meæ heræ dicam? quæ me opere tanto
Servare iussit, qui suos Silenium parentes
Facilius posset noscere, quæ heræ meæ supposita est parva;
Quam quædam meretrix ei dedit.
L. Nostram hæc rem fabulatur.
Hanc scire oportet, filia tua ubi sit, signa ut dicit.
H. Nunc eam volt suæ matri et patri, quibus nata est, reddere ultro.
Mi homo, obsecro, alias res geris; ego tibi meas res mando.
L. Istuc ago: atq̃ istuc mihi cibus est, quod fabulare:
Sed, inter rem agendam istam, heræ huic respondi, quod rogabat.
Nunc ad te redeo: si quid est opus, dic; impera et tu.
Quid quæritabas? *H.* Mi homo, et mea mulier, vos saluto.
P. Et nos te: sed quid quæritas?
H. Vestigium hic requiro,
Qua aufugit quædam nescio quo mihi.
P. Quid id? quid id nam est?
H. Alienû quod damnû afferat, et mœrorê familiarê.
L. Mala merx, hera, hæc et callida est.
P. Ecastor, ita videtur.
L. Imitatur nequam bestiam et damnificam.
P. Quamnam, amabo?
L. Involvolum, quæ in pampini folio intorta implicat se:
Itidem hæc exorditur sibi intortam orationem.
Quid quæritas? *H.* Cistella mihi hic, mi adolescens, evolavit.
L. In caveam latam oportuit.
H. Non, edepol, præda magna.
L. Mirû, quin grex venaliû in cistella infuerit una.
P. Sine dicat. *L.* Si dicat quidem.
P. Age, loquere tu, quid ibi infuerit.
H. Crepundia una.
L. Est quidam homo, qui illam ait se scire ubi sit.
H. At, pol, ille a quadam muliere, si eam monstret, gratiam ineat.

L. At sibi ille quidam volt dari mercedem.
H. At pol illa quædam,
Quæ illam cistellam perdidit, quoidam negat esse quod det.
L. At enim ille quidam argentum expetit.
H. At nequidquam argentum expetit.
L. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratoita 'st.
P. Commoda loquelam tuam; tibi nunc proderit. Confitemur
Cistellam habere.
H. At vos Salus servassit: ubi ea nunc est?
P. Salvā eccam. Sed ego rē meam magnā confabulari
Tecum volo. Sociam te mihi adopto ad meam salutē.
H. Quid istuc negoti 'st? aut quis es?
P. Ego sum illius mater,
Quæ hæc gestitavit. *H.* Hiccine tu ergo habitas?
P. Hariolare.
Sed, quæso, ambages, molier, mitte, atque hoc age;
Eloquere, unde hæc sunt tibi, cito, crepundia.
H. Mea hæc herilis gestitavit filia.
L. Mentiris: nam mea gestitavit, non tua.
P. Ne obloquere. *L.* Taceo. *P.* Mulier, perge dicere.
Ubi ea 'st, quæ gestitavit? *H.* Hic in proxumo.
P. Istic quidem, edepol, mei viri habitat gener.
L. Næ ... *P.* Obloquere rursum? Perge porro dicere.
Quot annos nata dicitur? *H.* Septem et decem.
P. Mea 'st. *L.* Ea 'st, ot numerus annorum attulit.
H. Quod quærebas, reperisti: iam quæro meam.
L. At, pol, hæ suas nactæ sunt: quæro tertiam.
P. Quod quæritabam, filiam inveni meam.
H. Æquom 'st tenere, per fidem quod creditum 'st,
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Nostra hæc alumna 'st tua profecto filia:
Et reddituræ hera est tibi tuam: at ea gratia
Domo profecta est. Cæterum ex ipsa, obsecro,
Exquiritote: ego serva sum. *P.* Æquom postulas.
H. Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi.
P. Quid fit, Lampadio? *L.* Quod tuū 'st, teneas tuū.
P. At me huius miseret. *L.* Sic faciundum censeo.
Da isti cistellam; et intro abi cum istac simul.
P. Tibi auscultabo. Tene tu cistellam tibi.
Abeamus intro. Sed quod nomen est tuæ
Dominæ? *H.* Melænis. *P.* I, i præ: iam ego te sequar.

Actus V. *Demipho, Lampadiscus.*

D. Quid hoc negoti 'st, quod omnes homines fabulantur per vias,
Mihi esse filiam inventā, at Lampadionē me in foro
Quæsivisse aiunt? *L.* Here, unde is?
D. Ex senatu. *L.* Gaudeo,
Tibi mea opera liberorum esse amplius.
D. Etenim non placet.
Nihil moror aliena mihi opera fieri plures liberos.
Sed quid istuc est? *L.* Propera ire intro huc ad affinem tuum:
Filiam tuā iā cognosces. Intus ibidem oxor tua est.
Abi cito. *D.* Prævorti hoc certom 'st rebus aliis omnibus.

CATERVA

Ne exspectetis, spectatores, dū illi huc ad vos exeant.
Nemo exibit; omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent. Postidea loci,
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.
Nunc, quod ad vos, spectatores, reliqum relinquitur,
More maiorum date plausum postrema in comœdia.

✠ CURCULIO

DRAMATIS PERSONÆ.

Palinurus, *servus.*
Phædromus, *adolescens.*
Leæna, *anus.*
Planesium, *virgo.*
Cappadox, *leno.*
Coquus.
Curculio, *parasitus.*
Lyco, *trapezita.*
Choragus.
Therapontigonus, *miles.*

Argumentum (Prisciani?)

Curculio, missus Phædromi, it Cariam,
Ut petat argentum. Ibi ille eludit annulo
Rivalem: scribit atque obsignat literas.
Cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in ius rapit.
Ipsus sororem, quam peribat, repperit:
Oratu cuius, Phædromo nuptam locat.

Actus I. Scena I. *Palinurus, Phædromus.*

Pa. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?
Ph. Quo Venus Cupidoque imperat, suadetque amor.
Si media nox est, sive est prima vespera;
Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.
Pa. At tandē tandē .... *Ph.* Tandē es odiosus mihi.
Pa. Istuc quidem nec bellum 'st, nec memorabile:
Tute tibi puer es: lautus luces cereum.
Ph. Egon' apicularum opera congestum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
Pa. Nam quo te dicam ego ire? *Ph.* Si tu me roges,
Dicam, ut scias. *Pa.* Si rogitem, quid respondeas?
Ph. Hoc Æsculapi fanū 'st. *Pa.* Plus iam anno scio.
Ph. Huic proxumum illud ostium occlusissumom.
Salve: valuistin' usque, ostium occlusissumom?
Pa. Caruitne febris te heri, vel nudius tertius?
Et heri cœnavistine? *Ph.* Deridesne me?
Pa. Quid tu ergo, insane, rogitas, valeatne ostium?
Ph. Bellissumum, hercle, vidi, et taciturnissumum.
Nunquam ullum verbum muttit; quō aperitur, tacet:
Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
Pa. Numquid tu, quod te aut genere indignū sit tuo,
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ cuipiam insidias locas,
Aut quam pudicam oportet esse? *Ph.* Nemini.
Nec me ille sinit Iupiter. *Pa.* Ego item volo.
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne, id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis:
Quod amas, amato testibus præsentibus.
Ph. Quid istuc est verbi? *Pa.* Caute ut incedas via.
Ph. Quin leno hic habitat.
Pa. Nemo hinc prohibet, nec vetat,
Quin, quod palam 'st venale, si argentum 'st, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute, et pueris liberis; ama quid lubet.
Ph. Lenonis hæ sunt ædes. *Pa.* Male istis eveniat.
Ph. Qui? *Pa.* Quia scelestam servitutem serviont.
Ph. Obloquere. *Pa.* Fiat maxume. *Ph.* Etiam taces?
Pa. Nempe obloqui me iusseras. *Ph.* At nunc veto.
Id uti occœpi dicere; ei ancillula 'st.
Pa. Nempe huic lenoni, qui hic habitat?
Ph. Recte tenes.
Pa. Minus formidabo, ne excidat. *Ph.* Odiosus es.

Eam volt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illo facere nolu mutuum. (simul.
Pa. Quid ita? *Ph.* Quia proprium facio: amo pariter
Pa. Malus clandestinus est amor, damnum 'st merū.
Ph. Est, hercle, ita ut tu dicis.
Pa. Iamne ea fert iugum?
Ph. Tam a me pudica 'st, quam si soror mi siti nisi
Si est osculando quidpiam impudicior.
Pa. Semper, tu scito, flamma fumo 'st proxuma.
Fumo comburi nil potest, flamma potest.
Qui e nuce nucleum esse volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.
Ph. At illa 'st pudica, neque dum cubitat cum viris.
Pa. Credam, pudor si cuipiam lenoni siet.
Ph. Immo, ut illam censes? ut quæque illi occasio 'st
Surripere se ad me, ubi savium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapi fano: is me excruciat. *Pa.* Quid est?
Ph. Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum; neque quidquam queo
Æqui bonique ab eo impetrare. *Pa.* Iniuriu 's,
Qui, quod lenoni nulli 'st, id ab eo petas.
Ph. Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum,
Petitum argentum a meo sodali mutuum:
Quod si non affert, quo me vortam, nescio.
Pa. Si Deos salutas, dextrovorsum censeo.
Ph. Nunc ara Veneris hæc est ante horunc fores.
Me inferre Veneri vovi iam ientaculum.
Pa. Quid? an te pones Veneri ientaculo? (vomere vis?
Ph. Me, te, atque hosce omnes *Pa.* Tum tu Venerē
Ph. Cedo, puere, sinum. *Pa.* Quid facturu 's? *Ph.* Iam
Anus hic solet cubitare custos, ianitrix, (scies.
(Nomen ei est Lenæ) multibiba, atque merobiba.
Pa. Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet
Chium esse. *Ph.* Quid opu 'st verbis? vinosissuma 'st:
Eaque, extemplo, ubi vino has conspersi fores,
De odore adesse me scit; aperit illico.
Pa. Eine hic cum vino sinus fertur? *Ph.* Nisi nevis.
Pa. Nolo, hercle: nam istunc, qui fert, afflictum velī:
Ego nobis afferri censui. *Ph.* Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.
Pa. Quisnam istic fluviu 'st, quē non recipiat mare?
Ph. Sequere hac, Palinure, me ad fores: fi mi obsequens.
Pa. Ita faciam. *Ph.* Agite, bibite, festivæ fores;
Potate; fite mihi volentes propitiæ.
Pa. Voltisne olivas, aut pulmentum, aut capparim?
Ph. Exsuscitate vostram huc custodem mihi.
Pa. Profundis vinum; quæ te res agitaut? *Ph.* Sine.
Viden' ut aperiuntur ædes festivissumæ?
Num muttit cardo? est lepidus. *Pa.* Quin das saviū?
Ph. Tace: occultemus lumen et vocem. *Pa.* Licet.

SCENA II. *Lena, Phædromus, Palinurus.*

L. Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi, ubi est? prope me est. Evax! habeo. Salve, ani-
Liberi lepos. Ut veteris vetusti cupida sum! (me mi,
Nam omnium unguentum odor, præ tuo, nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum et casia es, tu bdellium: nam, ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed, quum adhuc naso, odos, obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim. Sed hac abiit, hac persequar. (dica est;
Ph. Sitit hæc anus. *Pa.* Quantillum sitit? *Ph.* Mo-
Capit quadrantal. *Pa.* Pol, ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non satis est soli.
Canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax
Nasum habet. *L.* Amabo, cuia vox sonat procul?
Ph. Censeo hanc appellandam anum. Adibo. Redi,
Et respice ad me huc, Lena. *L.* Imperator quis est?
Ph. Vini pulleus, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ,
Affert potionem, et te sedatum it.
L. Quam longe a me abest? *Ph.* Lumen hoc vide.
L. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.
P. Salve. *L.* Egon' salva sim, quæ siti sicca sum?
Ph. At iā bibes. *L.* Diu fit. *Ph.* Hē tibi, anus lepida.
L. Salve, oculissime homo. *Pa.* Age, effunde hoc cito
In barathrum: propere prolue cloacam. *Ph.* Tace.
Nolo huic maledici. *Pa.* Faciam igitur male potius.
L. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haud lubenter: nam tibi amantes, propinantes,
Vinum potantes, dant omnes: mihi haud sæpe
Eveniunt tales hæreditates. *Pa.* Hoc vide, ut
Ingurgitat impura in se merum avariter,
Faucibu' plenis! *Ph.* Perii, hercle! Huic quid primum dicam,
Nescio. *Pa.* Hem istuc, quod mihi dixti.
Ph. Quid id est?
Pa. Periisse ut te dicas. *Ph.* Male tibi Dii faciant!
Pa. Dic, isti. *L.* Ah! *Pa.* Quid est? ecquid lubet?
L. Lubet.
Pa. Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.
Ph. Tace, noli. *Pa.* Taceo. Ecce autem bibit arcus; pluet
Credo, hercle, hodie. *Ph.* Iamne ego huic dico?
Pa. Quid dices?
Ph. Me periisse. *Pa.* Age, dice.
Ph. Anus, audi. Hoc volo
Scire te; perditus sum miser. *L.* At, pol, ego oppido
Servata. Sed quid est? quid lubet perditum
Dicere te esse? *Ph.* Quia id, quod amo, careo.
L. Phædrome mi, ne plora, amabo. Tu me (ducam.
Curato, ne sitiam; ego tibi, quod amas, iam huc ad-
Ph. Tibi næ ego, si fidem servas mecum,
Vineam pro aurea statua statuam, quæ tuo
Gutturi sit monimentum. Qui me in terra æque
Fortunatus erit, si illa ad me bitet, (tur
Palinure? *Pa.* Edepol, qui amat, si eget, misera affici-
Ærumna. *Ph.* Non ita res est: nam confido
Parasitum hodie adventurum cum argento ad me.
Pa. Magnū inceptas, si id exspectas, quod nusquam 'st.
Ph. Quid si adeam ad fores, atque occentem? *Pa.* Si
Neque veto, neque iubeo; quando ego te video (lubet:
Immutatis moribus esse, here, atque ingenio.
Ph. Pessuli, heus pessuli! vos saluto lubens;
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissumi:
Fite causa mea Lydi barbari;
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia commovent se ocyus.
Respicio, nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. *Pa.* Taceo, hercle. Quid est?
Ph. Sentio sonitum.
Tandem, edepol, mihi morigeri pessuli fiunt.

SCENA III. *Lena, Planesium, Phædromus, Palinurus.*

L. Placide egredere, et sonitum prohibe forium, at crepitum cardinum:
Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.

Mane, suffundam, aqulam. *Pa.* Viden' ut anus tremula medicinam facit!
Eapse merum condidicit bibere; foribus dat aquam, quam bibant.
Pl. Ubi tu es, qui me convadatu 's Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? Ecce me.
Sisto ego tibi me; et, mihi contra itidem te ut sistas, suadeo.
Ph. Assum: nam, si absim, haud recusem quin mihi male sit, mel meum!
Pl. Anime mi! procul amantem te abesse haud consentaneum 'st.
Ph. Palinure, Palinure! *Pa.* Eloquere: quid est, quod Palinurum voces?
Ph. Est lepida. *Pa.* Nimis lepida. *Ph.* Sum Deus.
Pa. Immo, homo haud magni preti.
Ph. Quid vidisti, aut quid videbis, magis Diis æquiparabile?
Pa. Male valere te; quod mi ægre 'st.
Ph. Male mi morigerus: tace.
Pa. Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.
Ph. Recte obiurgas: sane haud quidquam 'st, magis quod cupiam iamdiu.
Pl. Tene me, amplectere ergo. *Ph.* Hoc etiam 'st, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior.
Pl. Prohibet; nec prohibere quit,
Nec prohibebit, nisi mora meum animum abs te abalienaverit.
Pa. Enimvero nequeo durare, quin ego herum accusem meum:
Nam bonum 'st, pauxillum amare sane; insane, non bonum 'st:
Verum totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.
Ph. Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites:
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia:
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suum 'st.
Pa. Quid tu? Veneriu' pervigilare te vovisti, Phædrome?
Nā hoc quidē, edepol, haud multo post luce lucebit.
Ph. Tace.
Pa. Quid taceam? quin tu is dormitum?
Ph. Dormio; ne occlamites.
Pa. Tu quidem vigilas.
Ph. At meo more dormio: hic somnu 'st mihi.
Pa. Heus tu mulier! male merere de immerente inscitia 'st.
Pl. Irascare, si te edentē hic a cibo abigat. *Pa.* Ilicet.
Pariter hos perire amando video: uterque insaniunt.
Viden, ut misere moliuntur! nequeunt complecti satis.
Etiam dispertimini?
Pl. Nulli 'st homini perpetuum bonum.
Iam huic voluptati hoc adiunctum est odium.
Pa. Quid ais, propudium?
Tun' etiam, cum noctuinis oculis odium me vocas?
Ebriola [persolæ] nugæ.
Ph. Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servus sermonem serat.
At, næ, tu, hercle, cum cruciatu magno dixisti id tuo.
Hem tibi maledictia pro istis dictis moderari ut queas.
Pa. Tuam fidem, Venus noctuvigila!
Ph. Pergin' etiam, verbero?
Pl. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manū.
Pa. Flagitium probrumque magnum, Phædrome, expergefacis:
Bene monstrantem pugnis cædis; hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodestis te hic moderere moribus?
Ph. Auro contra cedo modestum amatorem: a me aurum accipe.
Pa. Cedo mihi contra aurichalco, cui ego sano serviā.
Pl. Bene vale, ocule mi! nam sonitum et crepitum claustrorum audio,
Æditū aperire fanū. Quousque, quæso, ad hunc modum
Inter nos amore utimur semper surreptitio?
Ph. Minume. Nam parasitum misi, nudius quartus, Cariam,
Petere argentum: is hodie hic aderit.
Pl. Nimium consultas diu.
Ph. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.
Pl. Facito ut memineris. Tene etiā, priusquam hinc abeo, savium.
Ph. Siquidem, hercle, mihi regnum detur, nunquam id potius persequar.
Quando ego te videbo?
Pl. Hem! istoc verbo vindictam para.
Si amas, eme. Ne rogites; facito ut pretio pervincas tuo.
Bene vale. *Ph.* Iamne ego relinquor? pulchre, Palinure, occidi.
Pa. Ego quidem, qui et vapulando et somno pereo.
Ph. Sequere me.

Actus II. Scena I. *Cappadox, Palinurus.*

C. Migrare certum 'st iam nunc e fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit; accrescit labor.
Nam iam, quasi zona, liene cinctus ambulo
Geminos in ventre habere videor filios.
Nil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.
P. Si recte facias, Phædrome, auscultes mihi,
Atque istam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, parasitus quia non rediit Caria.
Afferre argentum credo: nam, si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc cessū ad præsepim suam.
C. Quis hic est, qui loquitur? *P.* Quoiā voce ego audio?
C. Estne hic Palinurus Phædromi? *P.* Qui hic est homo
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?
De forma novi; de colore non queo
Novisse. Iamiam novi; leno 'st Cappadox.
Congrediar. *C.* Salve, Palinure. *P.* O scelerū caput!
Salveto. Quid agis? *C.* Vivo. *P.* Nempe ut dignus es.
Sed quid tibi est? *C.* Lien necat; renes dolent;
Pulmones distrahuntur; cruciatur iecur;
Radices cordis pereunt; hiræ omnes dolent.
P. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
C. Facile 'st miserū irridere. *P.* Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi.
Nunc, dum salsura sat bona 'st, si id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.
C. Lien dierectu 'st. *P.* Ambula; id lieni optumū 'st.
C. Aufer istæc, quæso; atq hoc responde, quod rogo.
Potiu' coniecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
P. Vah! solus hic homo 'st, qui sciat divinitus.
Quin coniectores a me consilium petunt:
Quod eis respondi, ea omnes stant sententia

Scena II. *Coquus, Cappadox, Palinurus, Phaedromus.*

Co. Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi,
Quae opus sunt, parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat? *Pa.* Mane, sis, dum huic conicio somnium.
Co. Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.
Pa. Fateor. *Co.* Abi, depromo.
Pa. Age, tu interea huic somnium
Narra: meliorem, quam ego sum, suppono tibi.
Nam, quod scio, omne ex hoc scio.
Ca. Operam ut det. *Pa.* Dabit.
Ca Facit hic, quod pauci, ut sit magistro obsequens.
Da mi igitur operam. *Co.* Tametsi non novi, dabo.
C. Hac nocte in somnis visus sum [viderier,]
Procul sedere longe a me Æsculapium,
Neque eum ad me adire; neque me magnipendere
Visu 'st. *Co.* Item alios Deos facturos scilicet.
Sane illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil sit tibi:
Namque incubare satius te fuerat Iovi,
Qui tibi auxilium in iureiurando fuit.
Ca. Siquidem incubare velint, qui periuraverint,
Locus non praeberi potis est in Capitolio.
Co. Hoc animum advorte: pacem ab Æsculapio
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'st. *Ca.* Bene facis.
Ibo, atque orabo. *Co.* Quae res male vortat tibi.
Pa. Pro Dii immortales! quem conspicio? qui illic est?
Estne hic parasitus, qui missu 'st in Cariam?
Heus Phaedrome! exi, exi: exi, inquam, ocyus.
Ph. Qui istic clamore tollis? *Pa.* Parasitum tuum
Video occurrentem, ellum, usque in platea ultima.
Hinc auscultemus quid agat. *Ph.* Sane censeo.

Scena III. *Curculio, Phaedromus, Palinurus.*

C. Date viam mihi, noti atque ignoti, dum ego hic officium meum
Facio. Fugite omnes; abite; et de via secedite;
Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu.
Ita nunc subito, propere, et celere obiectum 'st mihi negotium.
Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via,
Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cū tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita.
Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetae;
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis;
Quos semper videas bibentes esse in thermopolio;
Ubi quid surripuere, operto capitulo calidū bibunt;
Tristes atque ebrioli incedunt: eos ego si offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim servis currarum in via,
Et datores, et factores, omnes subdam sub solum.
Proinde se domi contineant, vitent infortunio.
Ph. Recte hic monstrat, si imperare possit: nam ita nunc mos viget;
Ita nunc servitium 'st: profecto modus haberi non potest.
C. Ecquis est, qui mihi commonstret Phaedromum, genium meum?
Ita res subita 'st: celeriter mi hoc homine convento 'st opus.
Pa. Te ille quaerit. *Ph.* Quid si adeamus? heus, Curculio! te volo.
C. Quis vocat? quis nominat me?
Ph. Qui te conventum cupit.
C. Haud magis cupis, quam ego te cupio.
Ph. O mea opportunitas!
Curculio exoptate, salve! *C.* Salve! *Ph.* Salvō gaudeo
Te advenire. Cedo tuam mihi dextram. Ubi sunt spes meae?
Eloquere, obsecro, hercle.
C. Eloquere, te obsecro, ubi sunt meae?
Ph. Quid tibi 'st? *C.* Tenebrae oboriuntur; genua inedia succidunt.
Ph. Lassitudine, hercle, credo.
C. Retine, retine me, obsecro.
Ph. Viden' ut expalluit! Datin' isti sellam, ubi assidat, cito,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus?
C. Animo male 'st.
Ph. Vin' aquam? *C.* Si frustulenta 'st, da, obsecro, hercle, obsorbeam.
Ph. Vae capiti tuo! *C.* Obsecro, hercle, facite, ventum ut gaudeam.
Ph. Maxume. *C.* Quid facitis, quaeso? *Pa.* Ventum.
C. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. *Ph.* Quid igitur vis?
C. Esse, ut ventum gaudeam.
Ph. Iupiter te Diiq; perdant. *C.* Perii; prospicio parū;
Os amarum habeo, dentes plenos; lippiunt fauces fame;
Ita, cibi vacivitate, venio laxis lactibus.
Ph. Iam edes aliquid: *C.* Nolo, hercle, aliquid: certum, quam aliquid, mavolo.
Ph. Immo, si scias, reliquiae quae sient.
C. Scire nimis lubet
Ubi sient: nam illis conventis sane opu 'st meis dentibus.
Ph. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium.
C. Ain' tu omnia haec?
In carnario fortasse dicis. *Ph.* Immo, in lancibus:
Quae tibi sunt parata, postquam scimus venturum.
C. Vide,
Ne me ludas. *Ph.* Ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed, quo te misi, nihilo sum certior. *C.* Nihil attuli.
Ph. Perdidisti me.
C. Invenire possim, si mihi operam datis.
Postquā tuo iussu profectus sū, perveni in Cariam.
Video tuum sodalem; argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam; noluit frustrarier:
Ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier;
Respondit mihi paucis verbis, atque adeo fideliter,
Quod tibi est, item sibi esse magnam argenti inopiā.
Ph. Perdis me tuis dictis.
C. Immo, servo, et servatum volo.
Postquam mihi responsum 'st, abeo ab illo maestus ad forum,
Me illo frustra advenisse. Forte aspicio militem.
Aggredior hominem: saluto adveniens. Salve, inquit mihi:
Prehendit dextram: seducit; rogat, quid veniā Cariā.
Dico me illo advenisse animi causa ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim?
Dico me novisse. Quid lenonem Cappadocē? Annuo
Visitasse. Sed quid eum vis? Quia de illo emi virginē
Triginta minis, vestem, aurum: et pro iis decem coaccedunt minae.
Dedisti tu argentum? inquam. Immo, apud trapezitam situm 'st,

(1) v. Petronius Arbiter p: 71. 117 § 2.

Ne a me memores malitiose de hac re factum, aut su-
spices,
Tibi permitto: tute sorti. *O.* Perdis me.
Ch. Lucrum facit.
Cl. Bene facis. *Ch.* Deos quæso, ut tua sors ex sitella
effugerit.
O. Aiu' tu? quia tu es fugitivus, omnes te imitari cu-
Utinā tua quidem, sicut Herculeis prædicant (pis.
Quondā prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.
Ch. Tu ut liquescas, ipse actutu virgis calefactabere
S. Hoc age sis, Olympio. *O.* Si hic literatus me sinat.
S. Quod bonum atque fortunatum mihi sit.
O. Ita vero, et mihi.
Ch. Non. *O.* Immo, hercle. *Ch.* Immo mihi, hercle.
S. Hic vincet; tu vives miser.
Præcide os tu illi hodie. Age, ecquid fit?
Cl. Ne obiexis manum.
O. Compressan' palma an porrecta ferio?
S. Age, ut vis. *O.* Hem tibi!
Cl. Quid tibi istunc tactio 'st?
O. Quia Iupiter iussit meus.
Cl. Feri malam tu illi rursum.
O. Perii! pugnis cædor, Iupiter!
S. Quid tibi tactio hunc fuit?
Ch. Quia iussit hæc Iuno mea.
S. Patiundum 'st, siquidem, me vivo, mea uxor im-
perium exhibet.
Cl. Tam huic loqui licere oportet, quam isti.
O. Cur omen mihi
Vituperat? *S.* Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.
Ch. Tempori, postquam oppugnatum 'st os.
S. Age, uxor mea, nunc iam
Sorti. Vos advortite animum. Præbe tu.
O. Ubi sim, nescio.
Perii! cor lienosum, opinor, habeo; iamdudum salit:
De labore pectus tundit. *Cl.* Teneo sortem.
S. Effer foras.
Ch. Iamne mortuus? *O.* [illegible]ende; mea 'st.
Ch. Mala crux ea 'st quidem.
Cl. Victus es, Chaline.
S. Tum nos diu vivere, Olympio,
Gaudeo. *O.* Pietate factum 'st mea, atq; maioru meū.
S. Intro abi, uxor, atque adorna nuptias.
Cl. Faciam, ut iubes.
S. Scin' tu ruri esse ad villam longe, quo ducat?
Cl. Scio. *S.* Intro abi:
Et, quamquam hoc tibi 'st ægre, tamen fac accures.
Cl. Licet.
S. Eamus nos quoque intro; hortemur ut properent.
O. Numquid moror?
S. Nam, præsente hoc, plura verba non desidero.

SCENA VII. *Chalinus.*

Si nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et, præter operam, restim sumti fecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opu 'st, qui sic mortuus? equidem tamen
Sorti sum victus. Casina nubet villico.
Atque id non tam ægre 'st iam vicisse villicum,
Quam id expetivisse opere tam magno senem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Ut ille trepidabat! ut festinabat miser!
Ut subsultabat, postquam vicit villicus!
Atat! concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolentis. Atque a me prodeunt.
Hic ex insidiis hisce ego insidias dabo.

SCENA VIII. *Olympio, Stalino, Chalinus.*

O. Sine modo rus veniat; ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tamquam carbonarium.
S. Ita fieri oportet. *O.* Factum et curatum dabo.
S. Volui Chalinum, si domi esset, mittere
Tecum obsonatum, ut etiam in mœrore insuper
Inimico nostro miseriam hanc adiungerem.
C. Recessim cedam ad parietem; imitabor nepam.
Captandu 'st horum clanculum sermo mihi:
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic mastigia,
Stimulorum loculi. Protollo mortem mihi:
Certum 'st, hunc Acheruntem præmittam prius.
O. Ut tibi ego inventus sum obsequens! quod maxu-
Cupiebas, eius copiam feci tibi. (me
Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem. *S.* Tace.
Ita me Dii bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob istam rem quin te deosculer, voluptas mea!
C Quid, deosculer? quæ res est? voluptas quæ tua?
O. Ecquid amas nunc me?
S. Immo, edepol, me, quam te, minus.
Licetne amplecti te? *C.* Quid, amplecti? *O.* Licet.
S. Ut, quia te tango, mel mi videor lingere!
C. Effodere, hercle, hic volt, credo, vesicam villico.
O. Ultro te, amator, apage te a dorso meo.
C. Hodie, hercle, opinor, hice conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos sane sectari senex.
Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum: et
Idem me pridem, cum ei advorsum veneram,
Facere atriensem voluerat sub ianua.
O. Ut tibi morigerus hodie! ut voluptati fui!
S. Ut tibi, dum vivam, bene velim plusquam mihi.
Ut ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi
Bona multa faciam, clam meam uxorem! *C.* Atate!
Nunc, pol, ego demum in rectam redii semitam.
Hic ipsus Casinam deperit. Habeo viros! *S.* Iam
Hercle, amplexari, iam osculari gestio.
O. Sine prius deduci. Quid, malu, properas? *S.* Amo.
O. At non opinor fieri hoc posse hodie. *S.* Potest,
Siquidem cras censes posse te mitti manu.
C. Enimvero huc aures magis sunt adhibendæ mihi.
Iam ego uno in saltu lepide apros capiam duos.
S. Apud hunc sodalem meum atque vicinum, mihi
Locus est paratus. Ei ego amorem omnem meum
Concredui: is mihi se locum dixit dare.
O. Quid eius uxor? ubi erit? *S.* Lepide reperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad se in nuptias,
Ut hic sit secum, se adiuvet, secum cubet.
Ego iussi; et dixit se facturam uxor mea.
Illa hic cubabit: vir aberit faxo domo.
Tu rus uxorem duces: id rus hoc erit,
Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin' astute? *O.* Doctè. *C.* Age modo, fabricamini.
Malo, hercle, vostro tam vorsuti vivitis.
S. Scin' quid nunc facias? *O.* Loquere. *S.* Tene mar
Abi, atque obsonia propera: sed lepide volo; (supium
Molliculas escas, ut ipsa mollicula 'st *O.* Licet.
S. Emito sepiolas, lepadas, lolligiunculas,
Hordeias. *C.* Immo, triticeias, si sapis.
S. Soleas. *C.* Qui, quæso, potius, quam sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissume?
O. Vin' lingulacas? *S.* Quid opus est, quando uxor do-
Ea lingulaca nobis est: nam nunquam tacet. (mi 'st?
O. In re præsenti, ex copia piscaria,
Consulere, quid emam, oportet. *S.* Æquom oras; abi.
Argento parci nolo: obsonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento 'st opus,
Ut, quod mandavi, curet. *O.* Iamne abeo? *S.* Volo.
C. Tribus non conduci possim libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum;

Quinque hanc omnē rē meæ heræ iam faciam palam.
Manifesto teneo in noxa inimicos meos.
Sed, si nunc facere volt hara officium suum,
Nostra omnis lis est: pulchre prævortar viros:
Nostro omine it dies: iam victi vicimus.
Ibo intro, ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc vicissim ut alio pacto condiam,
Quidquid paratum 'st, ut paratum ne siet;
Sietque ei paratum, quod paratum non erat.

ACTUS III. SCENA I. *Stalino, Alcesimus.*

S. Nunc, amici anne inimici sis imago, Alcesime, mihi,
Sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.
[Cur sutē?] exime castigare; id ponito ad compendiū.
Cano capite! ætate aliena! condito ad compendium.
Cui sit uxor, id quoque illuc ponito ad compendium.
A. Miseriorem ego ex amore, quam te, vidi neminem.
S. Fac vacent ædes.
A. Quin, edepol, servos, ancillas, domo
Certum 'st omnis mittere ad te.
S. Eho! nimium scite scitus es.
Sed facito dum memineris versus quos cantat Colax: cibo
Cū suo, quiqui facito uti veniant; quasi eant Sotriū.
A. Meminero. *S.* Ham! nunc enim te demum nullum scitum scitiu 'st.
Cura; ego ad forū modo ibo: iā hic ero. *A.* Bene ambula.
S. Fac habeant linguam tuæ ædes. *A.* Quid ita?
S. Quom veniam, vocent.
A. Attate! cædundus tu homo es: nimias delicias facis.
S. Quid me amare refert, nisi sī doctus dicax nimis?
Sed tu cave inquisitioni mihi sis. *A.* Usq; adero domi.

SCENA II. *Cleostrata, Alcesimus.*

C. Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecastor id, quod me vir tanto opere orabat meus;
Liberæ ædes ut sibi essent, Casinam quo duceret.
Nunc adeo nequaquā arcessam, ne qua ignavissumis
Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus.
Sed, eccū, egreditur senati columen, præsidiū popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecastor vilis emtu 'st, modius, qui venit salis.]
A. Miror huc iā non arcessi in proxumū uxorē meā,
Quæ iamdudū, si arcessatur, ornata expectat domi.
Sed, eccam, opinor, arcessit. Salve, Cleostrata.
C. Et tu, Alcesime.
Ubi tua uxor? *A.* Intus illa te, si se arcessas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam istuc ad te adiutum mitterem.
Vin' vocē? *C.* Sine: nolo, si occupata est. *A.* Otiū est.
C. Nil moror: molesta ei esse nolo: post convenero.
A. Non ornatis istic apud vos nuptias?
C. Orno, et paro.
A. Non ergo opu' st adiutrice?
C. Satis domi est. Ubi nuptiæ
Fuerint, tum istam convenibo. Nunc vale, atque istam iube.
A. Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miser,
Propter operam illius hirqui improbi, edentuli,
Qui hoc mihi contraxit. Operā uxoris polliceor foras,
Quasi catillatum. Flagitiū hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse: ea se eam negat morarier.
Atque, edepol, mirum, ni subolet iam hoc huic vicinæ meæ.
Verum autem, altrovorsū cum eam mecum rationem
Si quid eius esset, esset mecum postulatio. (puto,
Ibo intro, ut subducam navī rursum in pulvinarium.
C. Iam hic est lepide ludificatus. Miseri ut festinant senes!
Nunc ego illū nihili, decrepitū, meū virū, veniat velī,
Ut eū ludificē vicissim, postquā hunc delusi alterum.
Nā ego aliquid contrahere cupio litigī inter eos duos.
Sed, eccum, incedit: at, quom aspicias tristem, frugi censeas.

SCENA III. *Stalino, Cleostrata.*

S. Stultitia magna 'st, mea quidem sententia,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, quoi, quod amat, in mundo siet;
Sicut ego feci stultus. Contrivi diem,
Dum asto advocatus quoidam cognato meo:
Quem, hercle, ego litem adeo perdidisse gaudeo,
Ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.
Rogitare oportet prius, et percontarier,
Assitne animus ei, necne assit, quem advocet.
Si neget adesse, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædis eccam. Hei misero mihi!
Metuo, ne non sit surda, atque hæc audiverit.
C. Audivi ecastor cum malo magno tuo.
S. Accedam propius. Quid agis, mea festivitas?
C. Te ecastor præstolabar. *S.* Iamne ornata res est?
Iamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adiutaret? *C.* Arcessivi, ut iusseras.
Verum hic sodalis tuus, amicus optumus,
Nescio quid se sufflavit uxori suæ.
Negavit posse, quando arcesso, mittere.
S. Vitium tibi istuc maxumum 'st, blanda es parum
C. Non matronarum officium 'st, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, subblandirier.
I tu, atq; arcesse illam: ego intus, quod facto 'st opus,
Volo accurare, mi vir. *S.* Propera ergo. *C.* Licet.
Iam, pol, ego huic aliquem in pectus iniiciam metu:
Miserrumum hodie ego hunc habebo amasium.

SCENA IV. *Alcesimus, Stalino.*

A. Viso huc, amator si a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatu 'st, larua.
Sed eccum ante ædes Ad te, hercle, ibam commodū.
S. Atq; ego, hercle, ad te. Quid ais, vir minimi preti?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? *A.* Quid est?
S. Ut bene vocivas ædis fecisti mihi!
Ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam!
Satin', propter te, pereo ego, atque occasio?
A. Quin tu suspendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arcessituram esse uxorem meam.
S. Ergo arcessivisse ait sese; et dixisse te,
Eam non missurum. *A.* Quin ea ipsa ultro mihi
Negavit eius operam se morarier.
S. Quin ea ipsa me allegavit, qui istam arcesserem.
A. Quin nihili facio. *S.* Quin me perdis. *A.* Quin
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi, (bene est.
Quin aliquid ægre facere, quin faciam libens.
Nunquam tibi hodie quin erit plus quam mihi.
Quin, hercle, Dii te perdant postremo quidem.
S. Quid nunc? missurusne es ad me uxorem tuam?
A. Ducas, easque in maxumam malam crucem,
Cumque hac, cumque istac, cumque amica etiam tua.
Abi, et aliud cura. Ego iam per hortum iussero
Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam.
S. Nunc tu mihi amicus es in germanum modum.
Qua ego hunc amorem mihi esse avi dicam datum?
Aut quid ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Quoi sic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?

Atat! quid illuc clamoris obsecro in nostra domo 'st?

SCENA V. *Pardalisca, Stalino.*

P. Nulla sum, nulla sum; tota, tota occidi.
Cor metu mortuum 'st; membra miseræ tremunt.
Nescio unde auxili, præsidi, perfugi
Mi, aut opum, copiam comparem, aut expetam.
Tanta factis modo mira veris modis
Intu' vidi, novam atque integram audaciam.
Cave tibi, Cleostrata, abscede ab ista, obsecro,
Nequid in te mali faxit ira percita.
Eripite isti gladium, quæ sui est impos animi.
S. Nam quid est, quod hæc huc timida atque exanimata exiluit foras?
Pardalisca! *P.* Perii! unde meæ usurpant aures sonitum?
S. Respice modo ad me. *P.* Here mi! *S.* Quid tibi 'st?
Quid timida es? *P.* Perii!
S. Quid, peristi? *P.* Perii! et tu peristi. *S.* Aperi, quid tibi? *P.* Væ tibi!
S. Immo, istuc tibi sit. *P.* Ne cadam, amabo, tene me. *S.* Quidquid est,
Eloquere mihi cito. *P.* Contine pectus; face ventulum, amabo,
Pallio. *S.* Timeo hoc negotium, quid est, nisi hæc meraclo
Se ospiam percussit flore Libyco. *P.* Obtine aures, amabo.
S. I in malam crucem: pectus, auris, caput, teque, Dii perduint:
Nam, nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito; iam tibi istuc
Cerebrum dispercutiam, excetra tu: ludibrio pessuma adhuc
Quæ me habuisti. *P.* Here mi! *S.* Quid vis, mea ancilla? *P.* Nimium sævis.
S. Numero dicis. Sed, hoc quidquid est, loquere: in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? *P.* Scibis. Audi malum pessumum,
Quod hic modo intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet disciplinam.
S. Quid est id?
P. Timor præpedit dicta linguæ *S.* Quid est? possum scire ego istuc
Ex te, quid negoti 'st? *P.* Dicā: tua ancilla, quā tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus . . .
S. Quid intus? quid est?
P. Imitator malarum malam disciplinam, viro suo quæ interminatur vitam.
S. Quid ergo? *P.* Ah! *S.* Quid est? *P.* Interimere ait velle
Vitam. Gladium ... *S.* Hem! *P.* Gladium ... *S.* Quid eum gladium? *P.* Habet. *S.* Hei misero mihi!
Cur eum habet? *P.* Insectatur omnis domi per ædis, nec quemquam
Prope ad se sinit adire: ita omnis, sub arcis, sub lectis
Latentes, metu mussitant. *S.* Occidi atque interii! quid illi
Obiectum 'st mali tam repente? *P.* Insanit.
S. Scelestissumum
Me esse credo. *P.* Immo, si scias dicta, quæ dixit hodie. *S.* Istuc
Expeto scire: quid dixit?
P. Audi. Per omneis Deos et Deas
Deiuravit, occisurum eum hac nocte, quicū cubaret.
S. Me occidet? *P.* An quidpiam ad te attinet?
S. Vah! *P.* Quid cum ea negoti
Tibi 'st? *S.* Peccavi: illuc dicere, villicum, volebam.
P. Sciens
De via in semitam degredere.
S. Numquid mihi minatur?
P. Tibi infesta soli est plus, quam quoiquam.
S. Quamobrem? *P.* Quia se des
Uxorem Olympioni: neque se tuam, nec se suam,
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli. Id huc missa sum
Tibi ut dicerem, ab ea ut caveas tibi.
S Perii, hercle, miser!
Neque est, neque fuit me senex quisquam amator adæque miser.
P. Ludo ego hunc facete: nam, quæ facta dixi, omnia huic
Falsa dixi. Hera, atque hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt.
Ego huc missa sum ludere. *S.* Heus Pardalisca!
P. Quid est? *S.* Est ... *P.* Quid?
S. Est, quod volo exquirere a te. *P.* Moram offers mihi. *S.* At tu mihi
Offers mœrorem. Sed etiamne habet et nunc Casina
Gladium? *P.* Habet, sed duos. *S.* Quid, duos?
P. Altero te occisurum ait,
Altero villicum hodie.
S. Occisissumus sum omnium qui vivunt.
Loricam induā mihi: optumū esse opinor. Quid uxor
Mea? non adiit, atque ademit?
P. Nemo audet prope accedere.
S. Exoret. *P.* Orat. Negat ponere alio modo ullo profecto,
Ni se sciat villico non datū iri. *S.* Atq; ingratiis, quia
Non volt, nubet hodie. Nam cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, sed nostro villico.
P. Sæpicule peccas. *S.* Timor præpedit verba. Verū,
Obsecro, dic me uxorē orare, ut exoret illam, gladiū
Ut ponat, et redire me intro ut liceat. *P.* Nuntiabo.
S. Et tu orato. *P.* Et ego orabo.
S. At blande orato, ut soles. Sed audin'?
Si effexis hoc, soleas tibi dabo, et anulum in digito
Aureum, et bona plurima. *P.* Operam dabo.
S. Face ut impetres.
P. Eo nunc iam, nisi quidpiam remorare me.
S. Abi, et cura.
P. Redit, eccum, tandem obsonato eius adiutor: pompam ducit.

SCENA VI. *Olympio, Cocus, Stalino.*

O. Vide, fur, ut senteis sub signis ducas.
C. Qui vero sunt sentes?
O. Quia, quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.
Ita, quoquo adveniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.
C. Eia! *O.* Atat: cesso magnifice, patriceque, amiceque ita hero
Meo ire advorsum? *S.* Bone vir, salve. *O.* Fateor.
S. Quid fit? *O.* Tu amas:
Ego esurio et sitio. *S.* Lepide excuratus incessisti.
O. Aha hodie! *S.* Mane vero, quamquam fastidis.
O. Ei, ei! fœtet
Tuus mihi sermo. *S.* Quæ res? *O.* Hæc res.
S. Etiamne adstas? *O.* Enim vero
Πράγματά μοι παρέχεις.
S. Dabo μέγα κακόν, ut ego opinor,
Nisi resistis. *O.* Ω Ζεῦ! potin' a me abeas, nisi me vis vomere
Hodie? *S.* Mane. *O.* Quid est? quis hic homo est?

S. Herus sum. O. Qui herus?
S. Quoius tu servos es. O. Servos ego?
S. Atque meus. O. Non sum ego liber?
Memento, memento! S. Mane, atque asta.
O. Omitte. S. Servos sum tuus.
O. Optume est. S. Obsecro, Olympisce mi, mi pater, mi patrone ...
O. Hem! sapis sane. S. Tuus sum equidem.
O. Quid mihi servo opus est tam nequam?
S. Quid nunc? quam mox recreas me?
O. Cœna, modo si sit cocta.
S. Istæ ergo abeant.
O. Propere, cito introite, et cito deproperate.
S. Ego iam intus ero. Facite cœnam mihi, ut ebria sit.
Cœnare lepide nitideque volo: nihil moror barbarico ritu
Sane esse iam. I, sis: ego hic habito nunc quidem. Gladium
Ancilla Casinam intus habere sit, qui me atque te invitet.
O. Scio. Sic sine habere. Nugas agunt: novi ego illas malas merces.
Quin tu i modo mecum domum.
S. At, pol, malum metuo. I tu modo;
Perspicito prius, quid intus agatur.
O. Tam mihi mea vita, quam tua
Tibi, cara est. S. Verum modo...
O. Si tu iubes, inibitur tecum.

ACTUS IV. SCENA I. *Pardalisca.*

Nec, pol, ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque usquam, ludos tam festivos fieri,
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni nostro, et nostro Olympioni villico.
Omnes festinant intus totis ædibus:
Senex in culina clamat; hortatur cocos:
Quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?
Properate: cœnam iam esse coctam oportuit.
Villicus hic autem cum corona, candide
Vestitus, lautus, exornatusque, ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant,
Quem dent pro Casina nuptum nostra.
Sed nimium lepide dissimulant
Fore huius quod futurum 'st. Digne autem coqui
Nimis lepide ei rei dant operam, ne cœnet senex.
Aulas pervortunt; ignem restinguunt aqua.
Illarum oratu faciunt: illæ autem senem
Cupiunt extrudere incœnem ex ædibus,
Ut ipsæ solæ ventres distendant suos.
Novi ego illas ambas estrices: corbitam cibi
Comesse possunt. Sed aperitur ostium.

SCENA II. *Stalino, Pardalisca.*

S. Si sapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta: ego ruri cœnavero.
Nam novum maritum et novam nuptam volo
Rus prosequi, novi hominum mores maleficos,
Ne quis eam abripiat. Facite vostro animo volupe.
Sed properate istum atque istam actutum emittere,
Tandem ut veniamus luci; ego cras hic ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
P. Fit, quod futurum dixi: incœnatum senem
Foras extrudunt mulieres. S. Quid tu hic agis?
P. Ego eo, quo me ipsa misit. S. Veron'? P. Serio.
S. Quid hic speculare? P. Nihil equidē speculor. S. Abi.
Tu hic cunctas: Intus alii festinant. P. Eo.
S. Abi hinc, sis, ergo, pessumarum pessuma.
Iamne abiit illæc? dicere hic quidvis licet.
Qui amat, tamen, hercle, etsi esurit, nullus esurit.
Sed, eccum, progreditur cum corona et lampade
Meus socius, compar, commaritus, villicus.

SCENA III. *Olympio, Stalino.*

O. Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnē hanc plateā hymenæo.
Io hymen hymenææ! io hymen!
S. Quid agis, mea salus?
O. Esurio, hercle, atque adeo haud sitio.
S. At ego amo. O. At ego, hercle,
Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Iamdudum intestina murmurant.
S. Nam quid illæc nunc
Tamdiu intus remoratur, quasi ob industriam? Quantu ego
Plus propero, tanto illa minus.
O. Quid si etiam occentem hymenæum?
S. Censeo; et ego te adiutabo in nuptiis communibus
O. Hymen hymenææ! io hymen!
S. Perii, hercle, ego miser dirupi
Cantando hymenæum; licet illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non est copia. O. Edepol, næ tu, si esses equus, esses indomabilis.
S. Quo argumento? O. Nimis tenax es.
S. Num me expertus uspiam? O. Dii melius faciant.
Sed crepuit ostium; exitur foras.
S. Dii, hercle, me cupiunt servatum: iam oboluit Casina procul.

SCENA IV. *Ancillæ duæ, Olympio, Stalino.*

A. Sensim super attolle limen pedes, nova nupta: sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes, atq;
Ut potior pollentia sis, vincasq; virū, victrixq; sies;
Superetque tuum imperium: vir te vestiat, tu virum despolies.
Noctuque et diu ut viro subdola sies, obsecro, memento.
O. Malo maxumo suo, hercle, illico, ubi tantulum peccassit.
S. Tace. O. Non taceo. S. Quæ res?
O. Mala malæ male monstrant.
S. Perii! Istæ facient hanc rem mihi ex parata imparatam.
Id quærunt: volunt, hæc ut infecta faciant.
A. Age, Olympio.
Quando vis, uxorem accipe hanc a nobis.
O. Date ergo, daturæ
Si unquam estis hodie uxorem. S. Abite intro.
A. Amabo, integræ atque
Imperitæ huic impercito. O. Futurū 'st. Valete. S. Ite.
A. Iam valete. S. Iamne abscessit?
O. Uxor domi est; ne time. S. Evax!
Nunc, pol, demum ego sum liber. Meum corculum, melliculum,
Verculum! O. Heus tu! malo, si sapis, cavebis; mea est hæc. S. Scio:
Sed meus fructus est prior. O. Tene hanc lampadem.
S. Immo, ego illam tenebo.
Venus multipotens! bonam vitam mihi
Dedisti, huius cum copiam mihi fecisti.
Corpusculum melliculum! O. Mea uxorcula!
S. Quid est? O. Institit plantam. S. Quasi iocabo.
Nebula haud est mollis, atque huius est.
O. Edepol, papillam bellulam! hei misero mihi!
S. Quid est? O. Pectus mihi agit nunc cubito.
S. Quid tu ergo hanc, quæso, tractas tam?

At mihi, qui belle hanc tracto, non. *O.* Vaha!
S. Quid negoti est? *O.* Obsecro, ut valentula 'st!
Pæne exposivit cubito. *S.* Cubitum ergo ire volt.
O. Quin imus ergo? *S.* Bella bellatula!

ACTUS V. SCENA I. *Pardalisca, Murrhina.*

P. Acceptæ bene et commode eximus intus,
Ludos visere huc in via nuptialis.
M. Nunquam, ecastor, ullo die risi adæque,
Neque, hoc quod reliquom est, plus risuram opinor.
Lubet, Chalinom, quid agat, scire, novom
Nuptum cum novo marito: nec fallaciam
Astutiorem ullus fecit poeta, atque
Ut hæc est fabre facta a nobis. Obtunso
Ore nunc pervelim progrediri senem;
Quo senex nequior nullus vivit. Ne illum
Quidem nequiorem arbitror esse, qui locum
Præbet illi * * nunc præsidom * * Hic, Pardalisca,
Esto; qui hinc exeat, eum ut ludibrio habeas.
P. Lubens fecero, et solens. *M.* Spectato hinc omnia
Intus, quid intus agant. *P.* * * Pone me, amabo.
M. Et illi audacius licet quæ vis libere
Proloqui. *P.* Tace! vostra foris crepuit.

SCENA II. *Olympio, Cleostrata, Murrhina.*

O. Neque quo fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio. Tantum herus atque ego flagitio superavimus nuptiis nostris:
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita in ridiculum sumus ambo.
Sed ego insipiens nova nunc facio: pudet, quod prius non puditum unquam est.
Operam date, dum mea facta itero: est operæ auribus percipere:
Ita ridicula auditu, iteratu, ea sunt, quæ ego intus turbavi * *
Ubi intus hanc novā nuptā deduxi via recta, clavam
Abduxi: sed tamen tenebræ ibi erant, tamquā nox **
Senex abs te decumbem *** Colloco, fulcio, mollio,
Ut prior quam senex nup**
Tardus esse illico cœpi, quoniam * * *
Respecto identidem, ne senex * * * *
Illecebrā stupri principio eam saviom posco. (sinit.
Repulit mihi manū, nec quoū dare sibi savium me
Enim iam magis iam appropero: magis iam lubet in Casinam irruere.
Cupio illam operam seni surripere: forem obdo, ne senex me opprimat.
M. Agedum, tu adi hunc.
C. Obsecro, ubi tua nova nupta est?
O. Perii, hercle, ego! manifesta res est.
C. Omnem ordine rem
Fateri ergo æquom 'st. Quid intus agitur? quid agit
Casina? Satin' morigera est? *O.* Pudet dicere me **
C. Memora ordine, ut occeperas.
O. Pudet, hercle *C.* Age audacter.
Postquam decubuisti, hinc te volo memorare quid est factum.
O. At flagitiū est. *C.* Cavebunt, qui audierint, faciā.
O. ** Hoc maius est. *C.* Perdis: quin tu pergis? *O.* ubi
* * us subtus porro* * *
* * quid? *O.* Babæ! *C.* Quid? *O.* Papæ!
* * est. *O.* O! erat maxumum.
* * haberet metui: id quærere occepi.
*   *   *   *   *
Dum, gladiumne habeat, quæro, arripio capulum.
Sed, quom cogito, non habuit gladium: nam esset frigidus. *C.* Eloquere.
O. At pudet. *C.* Num radix fuit? *O.* Non fuit.
C. Num cucumis?
O. Profecto, hercle, non fuit quidquam olerum:
Nisi, quidquid erat, calamitas profecto attigerat
Ita, quidquid erat, grande erat. (nunquam.
M. Quid fit denique? edisserta.
O. Ubi appello, Casina, inquam,
Amabo, mea uxorcula, cur virū tuum sic me spernis?
Nimis tu quidem, hercle immerito
Meo mihi hæc facis; quia mihi te expetivi
Illa haud verbum facit, et sepit veste id, qui estis.
Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero
Volo, ut obvertam cubitissim: * * (sinat ire.
Ullum muttit * * *
Surgo, ut ineam, in * *
Atque illam in * * *
M. Perlepide narrat. * *
O. Savium * * * *
Ita quasi setis, labra mihi compungit barba.
Continuo in genua adstituto pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps: subsilit; obtundit os mihi.
Inde foras tacitus, præfiscini, exeo hoc ornatu, quo vides,
Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet.
C. Optume est.
Sed ubi est palliolum tuum? *O.* Hic intus reliqui.
C. Quid nunc? satin' lepide adita est vobis manus?
O. Marito.
C. St! concrepuerunt fores.
O. Num illa me nam sequitur?

SCENA III. *Stalino, Olympio.*

S. Maxumo ego ardeo flagitio; nec, quid agam meis rebus, scio,
Nec meam ut uxorem aspiciam contra oculis: ita disperii.
Omnia palam sunt probra; omnibus modis occidi
Ita manifesto faucibus teneor: (miser.
Nec, quibus modis purgem, scio, me meæ uxori,
Qui expalliatus sum miser: * *
* * * clandestinæ nuptiæ * *
* * * * censeo
* * * mihi optumum est.
* * ea dux uxorem meam:
*   *   *   *   * riam.
Sed ecquis est, qui homo munus velit fungier pro me?
Quid nunc agam, nescio, nisi ut improbos famulos imiter, ac domo fugiam.
Nam salus nulla est scapulis, si domum redeo.
Nugas istuc dicere licet. Vapulo, hercle, ego invitus, tamen
Etsi malum merui. Hac dabo protinam, et fugiam.
O. Heus, Stalino,
Amator! *S.* Occidi! revocor: quasi non audiā, abibo.

SCENA IV. *Chalinus, Stalino, Cleostrata, Murrhina, Olympio, Ancillæ.*

Ch. Ubi tu es, qui colere mores Massilienses postulas?
Nunc tu si vis subigitare me, proba est occasio.
Periisti, hercle. Age, accede huc, * *
*   *   *   *   *
S. Hac ibo: caninam scævam spero meliorem fore.
Cl. Quid agis, tu marite, mi vir? unde ornatu hoc advenis?
Quid fecisti scipione, aut quod habuisti pallium?
A. In adulterio dum mœchissat Casinam, credo, perdidit.
S. Occidi! *Ch.* Etiamne imus cubitum? Casina sum.
S. In malam crucem.

Ch. Non amas me? *Cl.* Quin responde, tuo quid factum est pallio?
S. Bacchæ ergo, hercle, uxor..... Bacchæ, Bacchæ, hercle, uxor!....
A. Nugatur sciens: nam, ecastor, nunc Bacchæ nullæ ludunt.
S. Oblitus fui. Sed tamen Bacchæ.... *Cl.* Quid Bacchæ? Id fieri non potest.
O. Times, ecastor. *S.* Egone? *O.* Haud mentire, hercle: nam palam 'st
Iam; et paro eloqui, quæcumque vidi cætera. (xumo
S. Non taces? *O.* Non, hercle, vero taceo: nam tu maxumo
Me obsecravisti opere, Casinā ut poscerē uxorē mihi.
S. Tui amoris causa ego istuc feci.
Cl. Immo, hercle, illius.
Te quidem oppressisset.
S. Feci ego istæc dicta, quæ vos dicitis?
Cl. Rogitas etiam? *S.* Siquidem, hercle, feci, feci nequiter.
Cl. Redi modo huc intro: monebo, siquidem meministi minus.
S. Hercle, opinor, potius vobis credam, quod vos, dicitis.
Sed, uxor, da viro hanc veniam. Murrhina ora Cleostratam.
Si umquam posthac aut amasso Casinam, aut occœpso modo,
Nulla causa 'st, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.
M. Censeo, ecastor, veniam hanc dandam.
Cl. Faciam ut iubes.
Propter eam rem, hanc tibi nunc veniam minus gravate [prospero;]
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.
S. Non irata es? *Cl.* Non sum irata.
S. Tuæ fidei credo? *Cl.* Meæ.
S. Lepidiorē uxorē nemo quisquā, quam ego habeo.
Ch. Hanc habe.
Cl. Age tu, redde huic scipionem et pallium.
Ch. Tene. *S.* Libet.
Ch. Mihi quidem, edepol, insignite facta est magna iniuria.
Duobus nupsi: neuter fecit, quod novæ nuptæ solet.

GREX.

Spectatores, quod futurū 'st intus, hic memorabimus.
Hæc Casina huius reperietur filia esse e proxumo;
Eaque nubet Euthynico, nostro herili filio.
Nunc vos, æquom 'st, manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit, clam uxorem ducat scortum semper, quod volet.
Verum, qui non manibus clare, quantum poterit, plauserit,
Ei, pro scorto, supponetur hircus unctus nautea.

CISTELLARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

SILENIUM, GYMNASIUM, } *meretrices.*
LENA.
AUXILIUM, *prologus.*
MELÆNIS, *lena.*
ALCESIMARCHUS, *adolescens.*
LAMPADISCUS, *servus.*
DEMIPHO, *senex.*
PHANOSTRATA, *Demiphonis uxor.*
HALISCA, *ancilla.*
CATERVA.

Argumentum (PRISCIANI?)

Comprimit adolescens Lemnius Sicyoniam.
Is redit in patriam, et gnatam generat nuptiis.
Sicyonia æque parit puellam. Hanc servulus
Tollit, atque exponit, et ex insidiis aucupat.
Eam sublatam meretrix alii detulit.
Lemno post rediens ducit, quam compresserat;
Lemnique natam despondit adolescentulo
Amore capto illius proiecticiæ.
Requirens servus reperit, quam proiecerat.
Itaque lege, et rite civem cognitam
Alcesimarchus, ut erat nactus, possidet.

ACTUS I. SCENA I. *Silenium, Gymnasium, Lena.*

S. Cum ego antidhac te amavi, et mihi amicam esse crevi,
Mea Gimnasiū, et matrem tuam: tum id mihi hodie
Aperuistis, tu atque hæc. Soror si mea esses,
Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,
Nescio; nisi, ut meus est animus, fieri
Non posse arbitror: ita, omnibus relictis rebus,
Mihi frequentem operam dedistis. Eo ego vos
Amo; et eo a me magnam inistis gratiam.
G. Pol, istoc quidem nos pretio facile est
Frequentare tibi, utilesque habere:
Ita in prandio nos lepide atque nitide
Accepisti apud te, ut semper meminerimus.
S. Lubentique, edepol, animo factum; et fiet a me,
Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetessam.
L. Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est,
Tranquillo mari, ventum gauleo, ecastor, ad te:
Ita hodie hic acceptæ sumus suavibus modis;
Nec, nisi disciplina, apud te fuit quidquam
Ibi, quin mihi placeret. *S.* Quid ita, amabo?
L. Raro nimiū dabat quod biberem: atque id merum
Infuscabat. *G.* Amabo, hiccine istud decet?
L. Iusque fasque est: nemo alienus hic est. *S.* Merito
Vostro amo vos, quia me colitis et magnifacitis.
L. Decet, pol, mea Silenium, hunc esse ordinem
Benevolentes inter se, beneque amicitia utier;
Ubi istas videas summo genere natas,
Summates matronas, ut amicitiam colunt,
Atque ut eam iunctam bene habent inter se.
Si idem istud nos faciamus, si idem imitemur,
Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.
Suarum opum nos volunt esse indigentes,
Nostra copia nihilo volunt nos potesse,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut sibi simus supplices. Eas si adeas,
Abitum quam aditum malis: ita nostro ordini
Palam blandiuntur; clam, si occasio usquam est,
Aquam frigidam subdole suffundunt.
Viris cum suis prædicant nos solere:
Suas pellices esse aiunt: eunt depressum:
Quia nos libertinæ sumus, et ego et tua mater ambæ
Meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi
Ex patribus commenticiis. Neque ego hanc superbiæ causa
Repuli ad meretriciū quæstum, nisi ut ne esurirem.
S. At satius fuerat eam viro dare nuptum potius.
L. Heia!
Hæc quidem, ecastor, cotidie viro nubit; nupsitque hodie;
Nubet mox noctu. Nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam, si hæc non nubat, lugubre fame familia pereat.
G. Necesse est, quo tu me modo voles esse, ita esse, mater.
L. Ecastor, haud me pœnitet, si, ut dicis, ita futura es.
Nam, si quidem ita eris ut volo, nunquā Hecala fies:

Semperq; istā, quā nunc habes, ætatulam obtinebis;
Multisque damno, et mihi lucro, sine meo sæpe eris sumtu.
G. Dii faxint. *L.* Sine opera tua, nihil Dii horunc facere possunt.
G. Equidem, hercle, addam operam sedulo. Sed quid tu inter istæc verba,
Meus oculus, mea Silenium? quid, cedo, te obsecro, tam abhorret
Hilaritudo? nunquam ego vidi ted esse tristiorem:
Neque munda adæque es, ut soles. Hoc, sis, vide: ut petivit
Suspiriu alte! Et pallida es. Eloquere utrumq; nobis,
Et quid tibi est, et quid velis nostram operam, ut nos sciamus.
Noli, obsecro, lacrumis tuis mihi exercitū imperare,
Mea. *S.* Excrucior, mea Gymnasium; male mihi est; male maceror;
Doleo ab animo; doleo ab oculis; doleo ab ægritudine.
Quid dicam? nisi stultitia mea me in mœrorem rapi.
G. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.
S. Quid faciam? *G.* In latebras abscondas pectore penitissumo.
Tuā stultitiā sola facito ut scias, sine aliis arbitris.
S. At mihi
Cordolium 'st. *G.* Quid id? unde est tibi cordolium, commemora, obsecro?
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
S. Si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet.
G. Amat hæc mulier. *S.* Eho! an amare occipere, amarum est, obsecro?
G. Namque, ecastor, amor et melle et felle est fœcundissumus:
Gustu dat dulce, amarū ad satietatem usque oggerit.
S. Ad istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat.
G. Perfidiosu 'st amor. *S.* Ergo in me peculatū facit.
G. Bono animo es: erit isti morbo melius.
S. Confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
G. Veniet. *S.* Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit.
Sed ego, mea culpa et stultitia, peius misera maceror,
Quia ego illum unum mihi exoptavi, qui cum ætatem degerem.
G. Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
Unum amare, et cum eo ætatem exigere, quoi nupta 'st semel.
Verū enim meretrix fortunati est oppidi similluma;
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.
S. Hoc volo agatis: qua arcessitæ causa ad me estis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricē dicier,
Obsecuta est; de ea re gessit morem morigeræ mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.
L. Stulte, ecastor, fecit; sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti? *S.* Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine:
Neque pudicitiā meā mihi alius quisquā imminuit.
L. Obsecro,
Quo is homo insinuavit pacto se ad te?
S. Per Dionysia,
Mater pompam me spectatū duxit; dū redeo, domum,
Conspicillo consecutu 'st clanculum mē usque ad fores:
Inde in amicitiā insinuavit cū matre et mecū simul,
Blanditiis, muneribus, donis.
G. Mihi istum hominem vellem dari:
Ut ego illum vorsarem!
S. Quid opu 'st verbis? consuetudine
Cœpi amare contra ego illum, et ille me.
L. O mea Silenium! *S.* Quid est?
L. Assimulare amare oportet. Nam, si ames, extempulo
Melius illi multo, quē ames, consulas, quā rei tuæ.
S. At ille conceptis iuravit verbis apud matrē meam,
Me uxorem ducturum esse: ei nunc alia ducenda 'st domum,
Sua cognata Lemniensis, quæ habitat hic in proxumo.
Nam eum pater eius subegit. Nunc mea mater irata est mihi,
Quia non redierim domum ad se, postquam eam rem resciverim,
Eum uxorem ducturum esse aliam.
L. Nihil amori iniurium 'st.
S. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse hic, et servare apud me: nam ad matrem arcessita sum.
L. Quamquam mihi istud erit molestum triduum, et damnum dabis,
Faciam. *S.* Facis benigne et amice. Sed tu, Gymnasium mea,
Si, me absente, Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare: utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.
Sed, amabo, tranquille: ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias claves: si quid tibi opus erit promtu, promito.
Ego volo ire. *G.* Ut mi excivisti lacrumas!
Gymnasium mea,
Bene vale.
G. Cura te, amabo. Siccine immunda, obsecro,
Ibis? *S.* Immundas fortunas æquō 'st squalorē sequi.
G. Amiculum hoc sustolle saltem.
S. Sine trahi, cum egomet trahor.
G. Quando ita tibi lubet, vale atque salve.
S Si possim, velim.
G. Numquid me vis, mater, intro quin eam? Ecastor, mihi
Visa amare. *L.* Istoc aures graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. Abi intro. *G.* Numquid me vis?
L. Ut valeas. *G.* Vale.

SCENA II. *Lena.*

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Quæ hunc quæstum facimus; quæ ubi saburratæ sumus,
Largiloq; extemplo sumus; plus loquimur, quā sat est.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam proiectam ex angiportu sustuli.
Adolescens quidam hic est apprime nobilis:
(Quin ego nunc, quia sum onusta mea ex sententia,
Quiaque adeo me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua collibitum est mihi:
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est)
Sicyone summo genere ei vivit pater.
Is amore misere hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modo flens abiit. Contra, amore hæc perdita'st.
Eā meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi:
Quod sæpe mecum mentionem fecerit,

Puerum aut puellem alicunde ut reperirem sibi,
Recens natum eapse quod sibi supponeret.
Ubi mihi potestas primum evenit, illico
Feci eius eii, quod me oravit, copiam.
Postquam puellam eam a me accepit, illico
Eamdem puellam peperit, quam a me acceperat,
Sine obstetricis opera, et sine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ [bonum] quærunt sibi:
Nam amatorem aiebat esse peregrinum sibi:
Suppositionem eius rei facere gratia.
Id duæ nos solæ scimus; ego, quæ illi dedi,
Et illa, quæ a me accepit; præter vos quidem.
Hæc sic res gesta est. Si quis usus venerit,
Meminisse ego hanc rem vos volo: ego abeo domum.

SCENA III. *Auxilium.*

Utrumque hæc et multiloqua et multibiba est anus.
Sati ne vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellæ proloqui
Suppositione: quod si tacuisset, tamen
Ego eram dicturus Deus, qui poteram planius:
Nam mi est Auxilio nomen. Nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.
Fuere Sicyoni iamdiu Dionysia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Isque hic compressit virginem adolescentulus,
Vi vinulentus, multa nocte, in via.
Is ubi malam rem scit se meruisse, illico
Pedibus perfugium peperit; in Lemnum aufugit,
Ubi habitabat tum. Illa, quam compresserat,
Decumo post mense exacto, hic peperit filiam.
Quoniam reum eius facti nescit qui siet,
Paternum servom sui participat consili;
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem.
Is eam proiecit: hæc puellam sustulit.
Ille clam observavit servos,
Quo aut quas in ædes hæc puellam deferat.
Ut eampse vos audistis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eaque educavit eam sibi pro filia
Bene ac pudice. Tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam suam.
Ea diem suum obiit; facta morigera est viro.
Postquam ille uxori iusta fecit, illico
Huc commigravit; duxit uxorem hic sibi
Eamdem, quam olim virginem hic compresserat;
Et eam cognoscit esse, quam compresserat:
Illa illi dicit, eius se ex iniuria
Peperisse gnatam, atque eam se servo illico
Dedisse exponendam. Ille extemplo servolum
Iubet illum eumdem persequi, si qua queat
Reperire, quæ sustulerit. Ei rei nunc suam
Operam usque assiduo servos dat, si possiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Cum ipse exponebat, ex insidiis viderat.
Nunc, quod reliquom restat, volo persolvere,
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adolescens hic est Sicyoni: ei vivit pater.
Is amore proiecticiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem suam:
Et illa hunc contra; qui est amor suavissumus.
Ut sunt humana, nihil est perpetuom datum.
Pater adolescenti dare volt uxorem. Hoc ubi
Mater rescivit, iussit arcessi ad se eam domum.
Hæc res sic gesta est. Bene valete, et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.
Servate vostros socios, veteres et novos:
Augete auxilia vostris iustis legibus:
Perdite perduelles: parite laudem et lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas sufferant.

ACTUS II. SCENA I. *Alcesimarchus, Melænis.*

A. Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de me coniecturā domi facio, ne foris quærā,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi.
Iactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota miser.
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo. Ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet iam id continuo.
Ita me Amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.
Maritumis moribus mecum experitur: ita meum frangit amantem
Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernicies: ita pater apud villam detinuit me hos dies sex
Ruri continuos: neque licitum interea est meam amicam visere.
Estne hoc miserum memoratu? (mnia?
M. Eo facetu 's, quia tibi alia est sponsa locuples Le-
Habeas: neque nos factione tanta, quanta tu, sumus;
Neque opes nostræ tam sunt validæ, quam tuæ: verumtamen
Haud metuo, ne iusiurandum nostrum quisquam culpitet.
Tu iam, si quid tibi dolebit, scies, qua doleat gratia.
A. Dii me perdant....
M. Quodcumque optas, velim tibi contingere.
A. Si illam uxorem duxero unquam, mihi quam despondit pater.
M. Et me, si unquam tibi uxorem filiam dedero meā.
A. Periurare me patiare? *M.* Atq; aliquanto facilius,
Quam me meamque rem perire, et ludificari filiam.
Abi: quære, ubi tuo iurando iuri satis sit subsidi:
Hic apud nos, Alcesimarche, confregisti tesseram..
A. Face semel periculum.
M. Sæpe feci; quod factum queror.
A. Redde mihi illam.
M. Inter novam rem verbum usurpabo vetus:
Quod dedi, datū non vellē: quod reliquō 'st, non dabo.
A. Non remissura es mihi illam?
M. Pro me, responsa tibi.
A. Non remittes?
M. Scis iamdudum omnem meam sententiam.
A. Satin' istuc tibi in corde certum 'st?
M. Quin ego commentor quidem.
Non, edepol, istæc tua dicta nunc in aures recipio.
A. Non? hem! quid agam?
M. Igitur animum advorte, ut, quid agas, scias.
A. At ita me Dii Deæque, superi atq; inferi et medio-
Itaque me Iuno regina, et Iovis supremi filia, (xumi,
Itaque me Saturnus, patruus eius... *M.* Ecastor, pater.
A. Itaque me Ops opulenta, illius avia....
M. Immo, mater quidem.
A. Iuno filia, et Saturnus patruus, et summus Iupiter...
Tu me delenis: propter tu hæc pecco. *M.* Perge dicere.
A. Anne ut etiam, quid consultura sis, sciam?...

M. Perge eloqui:
Non remittam: definitum 'st.
A. Enimvero, ita me Iupiter,
Itaque me Iuno et Saturnus; ita.... Quid dicā, nescio.
Iam scio; immo, mulier, audi, meā ut scias sententiā:
Dii me omnes magni minutique et patellarii
Faxint, ne ego dem vivos savium Silenio, (cavero;
Nisi ego teque tuamque filiam, meque, hodie obtrun-
Postea autem, cū primo luci, cras nisi ambo occidero;
Et equidē, hercle, nisi pedatu tertio omnis efflixero,
Nisi tu illam remittis ad me. Dixi, quæ volui. Vale.
M. Abiit intro iratus. Quid ego nunc agā? Si redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit. Ubi odiu occœperit,
Illam extrudet, eum hanc uxorē Lemniā ducet domū.
Sed tamen ibo, et persequar. Amens ne quid faciat, cauto opu' st.
Postremo, quando æqua lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potius, quam carebo filia.
Sed quis hic est, qui recta platea cursum huc contendit suum?
Et illud paveo, et hoc formido: ita tota sum misera in metu.

SCENA II. *Lampadiscus.*

Anum sectatus sum clamore per vias:
Miserrumam habui. Ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promisi boni!
Quot adinvenivi fabricas! quot fallacias!
In quæstione vix exsculpsi ut diceret,
Quia ei promisi dolium vini dare.

SCENA III. *Phanostrata, Lampadiscus, Melænis.*

P. Audire vocem visa sum ante ædis modo
Mei Lampadisci servi. *L.* Non surda es, hera:
Recte audivisti. *P.* Quid agis hic? *L.* Quod gaudeas.
P. Quid id est? *L.* Hinc ex hisce ædibus paulo prius
Vidi exeuntem mulierem... *P.* Illam, quæ meam
Gnatam sustulerat? *L.* Rem tenes. *P.* Quid postea?
L. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim
Herilem filiam nostram sustollere.
Extimuit tum illa. *M.* Iam horret corpus; cor salit.
Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvolam
Puellam, eamque me mihi supponere.
P. Age, perge, quæso: animus audire expetit,
Ut res gesta sit. *M.* Utinam audire non queas!
L. Pergo illam his alloqui dictis: Illæc se anus
Furtivo matrem, se ne deseras, vocat.
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas.
Ego te reduco, et voco ad divitias, ubi
Tu locere in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis: non enim hic, ubi ex Tusco modo
Tute tibi indigne dotem quæras corpore.
P. An, amabo, meretrix illa est, quæ illam sustulit?
L. Immo meretrix fuit; sed, ut sit, de ea re eloquar.
Iam perducebam illam ad me suadela mea:
Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans,
Ne deserat se: eam suam esse filiam,
Seque eam peperisse, sancte adiurabat mihi.
Istanc, quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiola sua.
Et vivit, inquit. Ubi ea est? inquam extempulo.
P. Servate me, Dei, obsecro. *M.* At me perditis.
P. Quoi illam dedisset, exquisisse oportuit.
L. Quæsivi: et dixit, meretrici Melænidi.
M. Meum elocutus est nomen: interii!
L. Ubi elocuta est, ego continuo anum interrogo:
Ubi habitat, inquam, duc ac demonstra mihi.
Avecta est, inquit, peregre hinc habitatu. *M.* Obsipat
Aquulam. *L.* Quo avecta est, eo sequemur. Siccine
Agis nugas? periisti, ne, hercle, hoc longe: perstiti
Instare usque adeo, donec se adiurat anus
Iam mihi monstrare. *P.* At non missam oportuit.
L. Servatur: sed illæc se quamdam aibat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Commune quicum id esset sibi negotium.
Et scio venturam. *M.* Me indicabit, et suas
Ad meas miserias addet. *P.* Fac me consciam.
Quid nunc vis faciam me? *L.* Intro abi, atque animo
Vir tuus si veniet, iube domi opperirier, (bono es.
Ne in quæstione mihi sit, si quid eum velim.
Ego ad anum recurro rursū. *P.* Lampadio, obsecro,
Cura. *L.* Perfectum ego hoc dabo negotium.
P. Deos teq; spero. *L.* Eosdē ego, uti habeas domū....
M. Adolescens, asta, atq; audi. *L.* Men', mulier, vocas?
M. Te. *L.* Quid negoti 'st? nā occupatus sū ampliter.
M. Quis istic habitat? *L.* Demipho, dominus meus.
M. Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam
Suam despondit in divitias maxumas?
L. Is ipsus est. *M.* Eho tu! quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? *L.* Ego dicam tibi,
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
M. Quid istuc est verbi? *L.* Ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia est. *M.* Certe modo
Huius, quæ locuta est, quærere aiebas filiam.
L. Huius ego quæro. *M.* Quo modo igitur, obsecro,
Hæc est prior, quæ nupta nunc est? *L.* Conteris
Tu tua me oratione, mulier, quisquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata est hæc virgo, Alcesimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obiit. Iam scis? *M.* Teneo istuc satis.
Sed ego illud quæro confragosum, quo modo
Prior posterior sit, et posterior sit prior?
L. Prius hanc compressit, quam uxorem duxit domū:
Prius gravida facta est, priusque peperit filiam.
Eam postquam peperit, iussit parvam proiici.
Ego eam proieci; alia mulier sustulit:
Ego inspectavi. Herus hanc duxit postibi.
Eam nunc puellam, filiam eius, quærimus.
Quid nunc supina sursum in cœlum conspicis?
M. I nunc iam istuc, quo properabas; nihil moror.
Nunc intellexi. *L.* Diis, hercle, habeo gratiam:
Nam, ni intellexes, nunquam, credo, amitteres.
M. Nunc mihi bonæ necessum 'st esse ingratiis,
Quamquam esse nolo. Rem palam esse intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quam illæc indicet me. Ibo domum,
Atque ad parentes reduco Silenium.

ACTUS III. *Melænis, Alcesimarchus, Silenium.*

M. Rē elocuta sū tibi omnē: sequere me, mea Silenīū,
Ut eorum, quoiam esse oportet te, sis potius quā mea.
Quamquam invita te carebo, animum ego inducam tamen,
Ut illud, quod tuam in rem bene conducat, consulā:
Nam hic crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit: parentes te ut cognoscant facilius.
Accipe hanc cistellam, Halisca; atque, agedum, pulta illas fores.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocyus.
A. Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum.
S. Mater mea,
Perimus miseræ!
A. Utrum hac me feriam, an ab læva latus?
M. Quid tibi est?
S. Alcesimarchum non vides ferrum tenentem?

A. Ecquid agis? remorare? lumen linque.
S. Amabo, accurrite,
Nese interimat. *A.* O Salute mea salus salubrior,
Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me, ut vivā, facis.
M. Hau! voluisti istuc severum facere?
A. Nihil mecum tibi;
Mortuus tibi sum: hanc ut habeo, certum 'st non amittere.
Nam, hercle, iam ad me agglutinandam totam decretum 'st dare.
Ubi estis, servi? occludite ædes pessulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. *M.* Abiit; abstulit
Mulierem! Ibo; persequar iam illum intro, ut hæc ex me sciat
Eadem; si possum tranquillum facere ex irato mihi.

ACTUS IV. SCENA I. *Lampadiscus, Phanostrata.*

L. Nullam ego me vidisse credo magis anum excruciabilem
Quam illæc est: quæ dudum fassa est mihi, quæne inficias eat!
Sed eccam heram video. Sed quid hoc est; hæc quod cistella hic iacet
Cum crepundiis? nec quemquā conspicor aliū in via?
Faciundū est puerile officiū: conquiniscā ad cistulā.
P. Quid agis, Lampadio?
L. Hæc cistella numnam hinc ab nobis domo est?
Nam hinc ab ostio iacentem sustuli. *P.* Quid nuntias
Super anu? *L.* Scelestiorem in terra nullam esse alteram;
Omnia inficias ire ea, quæ dudum confessa est mihi.
Nam, hercle, ego illam anum irridere me ut sinam? satius est mihi
Quovis exitio interire. *P.* Dii obsecro vostram fidē!
L. Quid Deos obsecras? *P.* Servate nos. *L.* Quid est?
P. Crepundia
Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem.
L. Sanan' es? *P.* Hæc sunt profecto. *L.* Pergin'?
P. Hæc sunt. *L.* Si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam.
P. Non, ecastor, cassa memoro; nam, obsecro, unde hæc gentium?
Aut quis Deus obiecit hanc ante ostiū nostrū? Quasi
Dedita opera, in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.

SCENA II. *Halisca, Lampadiscus, Phanostrata.*

H. Nisi quid mihi opis
Dii dant, disperii: neq; unde auxiliū expetā, habeo.
Itaque petulantia mea me animi miseram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat, male formido,
Si hera mea sciat, tam socordem esse, quam sum.
Quamne in manibus tenui, atq; accepi hic ante ædis
Cistellam? Ubi ea sit, nescio; nisi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi. Mi homines,
Mi spectatores, facite iudicium, si quis
Vidit, ai quis eam abstulerit, quisve
Sustulerit, et utrum hac an illac iter institerit.
Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.
Nunc vestigia hic si qua sunt, noscitabo.
Nam, si nemo hac præteriit, postquam intro abii,
Cistella hic iaceret. Quid, hic? Periit, opinor.
Actum est! ilicet me infelicem et scelestam.
Nulla est! neque ego sum usquā. Perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi, tamen quæritabo.
Nam et intus paveo, et foris formido: ita nunc
Utrobique me metus agitat; illu sunt homines misere
Miseri: ille nunc lætus est, quisquis est, qui illā habet:
Quæ neque illa illi quidquā usui 'st; mihi esse potest.
Sed memet moror, quom hoc ago secius.
Halisca, hoc age: ad terram aspice, et dispice:
Oculis investigans astute augura. *L.* Hera!
P. Hem, quid est? *L.* Hæc est .... *P.* Quis?
L. Quoi hæc excidit cistella:
Certe eccum locū signat, ubi ea excidit. *P.* Apparet.
H. Sed is hac iit: hac socci video vestigium
In pulvere: persequar hac. In hoc iam loco cū altero
Constitit. Hic meis turbo oculis modo se obiecit;
Neq; prorsū iniit hac: hic stetit: hinc illuc exiit: hic
Concilium fuit. Ad duos attinet hoc, quiqui sunt.
Atat, singulum video vestigium. Sed is hac abiit.
Contemplabor. Hinc huc iit; hinc nusquam abiit.
Actam rem ago. Quod periit, periit, meum corium
Cum cistella. Redeo intro. *P.* Mulier, mane: sunt,
Qui volunt te conventam. *H.* Quis me revocat?
L. Bona fœmina et malus masculus volunt te.
H. Malum aufer; bonū mihi opus est. Postremo, ille
Plus, qui vocat, scit quod velit, quam ego quæ vocor. revortor.
Ecquem vidisti quærere hic, amabo, in hac regione
Cistellam cum crepundiis, quā ego hic amisi misera?
Nā dudū, ut accurrimus ad Alcesimarchū, ne suā vitā
Interimeret, tum mihi puto præ timore hic excidisse
Cistellam. *L.* Hæc mulier nostra est. Quin operam damus, hera, parumper?
H. Disperii misera! quid ego meæ heræ dicam? quæ me opere tanto
Servare iussit, qui suos Silenium parentes
Facilius posset noscere, quæ heræ meæ supposita est parva;
Quam quædam meretrix ei dedit.
L. Nostram hæc rem fabulatur.
Hanc scire oportet, filia tua ubi sit, signa ut dicit.
H. Nunc eam volt suæ matri et patri, quibus nata est, reddere ultro.
Mi homo, obsecro, alias res geris; ego tibi meas res mando.
L. Istuc ago: atq; istuc mihi cibus est, quod fabulare:
Sed, inter rem agundam istam, heræ huic respondi, quod rogabat.
Nunc ad te redeo: si quid est opus, dic; impera et tu.
Quid quæritabas? *H.* Mi homo, et mea mulier, vos saluto.
P. Et nos te: sed quid quæritas?
H. Vestigium hic requiro,
Qua aufugit quædam nescio quo mihi.
P. Quid id? quid id nam est?
H. Alienū quod damnū afferat, et mœrorē familiarē.
L. Mala merx, hera, hæc et callida est.
P. Ecastur, ita videtur.
L. Imitatur nequam bestiam et damnificam.
P. Quamnam, amabo?
L. Involvolum, quæ in pampini folio intorta implicat se:
Itidem hæc exorditur sibi intortam orationem.
Quid quæritas? *H.* Cistella mihi hic, mi adolescens, evolavit.
L. In caveam latam oportuit.
H. Non, edepol, præda magna.
L. Mirū, quin grex venaliū in cistella infuerit una.
P. Sine dicat. *L.* Si dicat quidem.
P. Age, loquere tu, quid ibi infuerit.
H. Crepundia una.
L. Est quidam homo, qui illam ait se scire ubi sit.
H. At, pol, ille a quadam muliere, si eam monstret, gratiam ineat.

L. At sibi ille quidam volt dari mercedem.
H. At pol illa quædam,
Quæ illam cistellam perdidit, quoidam negat esse quod det.
L. At enim ille quidam argentum expetit.
H. At nequidquam argentum expetit.
L. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuita 'st.
P. Commoda loquelam tuam; tibi nunc proderit. Conliteamur
Cistellam habere.
H. At vos Salus servassit: ubi ea nunc est?
P. Salvā eccam. Sed ego rē meam magnā confabulari
Tecum volo. Sociam te mihi adopto ad meam salutē.
H. Quid istuc negoti 'st? aut quis ĕs?
P. Ego sum illius mater,
Quæ hæc gestitavit. *H.* Hiccine tu ergo habitas?
P. Hariolare.
Sed, quæso, ambages, mulier, mitte, atque hoc age;
Eloquere, unde hæc sunt tibi, cito, crepundia.
H. Mea hæc herilis gestitavit filia.
L. Mentiris: nam mea gestitavit, non tua.
P. Ne obloquere. *L.* Taceo. *P.* Mulier, perge dicere.
Ubi ea 'st, quæ gestitavit? *H.* Hic in proxumo.
P. Istic quidem, edepol, mei viri habitat gener.
L. Næ … *P.* Obloquere rursum? Perge porro dicere.
Quot annos nata dicitur? *H.* Septem et decem.
P. Mea 'st. *L.* Ea 'st, ut numerus annorum attulit.
H. Quod quærebas, reperisti: iam quæro meam.
L. At, pol, hæ suas nactæ sunt: quæro tertiam.
P. Quod quæritabam, filiam inveni meam.
H. Æquom 'st tenere, per fidem quod creditum 'st,
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Nostra hæc alumna 'st tua profecto filia:
Et redditura hera est tibi tuam: et ea gratia
Domo profecta est. Cæterum ex ipsa, obsecro,
Exquiritote: ego serva sum. *P.* Æquom postulas.
H. Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi.
P. Quid fit, Lampadio? *L.* Quod tuū 'st, teneas tuū.
P. At me huius miseret. *L.* Sic faciundum censeo.
Da isti cistellam; et intro abi cum istac simul.
P. Tibi auscultabo. Tene tu cistellam tibi.
Abeamus intro. Sed quod nomen est tuæ
Dominæ? *H.* Melænis. *P.* I, i præ: iam ego te sequar.

Actus V. *Demipho, Lampadiscus.*

D. Quid hoc negoti 'st, quod omnes homines fabulantur per vias,
Mihi esse filiam inventā, et Lampadionē me in foro
Quæsivisse aiunt? *L.* Here, unde is?
D. Ex senatu. *L.* Gaudeo,
Tibi mea opera liberorum esse amplius.
D. Etenim non placet.
Nihil moror aliena mihi opera fieri plures liberos.
Sed quid istuc est? *L.* Propera ire intro huc ad affinem tuum:
Filiam tuā iā cognosces. Intus ibidem uxor tua est.
Abi cito. *D.* Prævorti hoc certum 'st rebus aliis omnibus.

CATERVA

Ne exspectetis, spectatores, dū illi huc ad vos exeant.
Nemo exibit; omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent. Postidea loci,
Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet.
Nunc, quod ad vos, spectatores, reliquū relinquitur,
More maiorum date plausum postrema in comœdia.

+ CURCULIO

DRAMATIS PERSONÆ.

Palinurus, *servus.*
Phædromus, *adolescens.*
Lena, *anus.*
Planesium, *virgo.*
Cappadox, *leno.*
Coquus.
Curculio, *parasitus.*
Lyco, *trapezita.*
Choragus.
Therapontigonus, *miles.*

Argumentum (Prisciani?)

Curculio, missus Phædromi, it Cariam,
Ut petat argentum. Ibi ille eludit annulo
Rivalem: scribit atque obsignat literas.
Cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in ius rapit.
Ipsus sororem, quam peribat, repperit:
Oratu cuius, Phædromo nuptum locat.

Actus I. Scena I. *Palinurus, Phædromus.*

Pa. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?
Ph. Quo Venus Cupidoque imperat, suadetque amor.
Si media nox est, sive est prima vespera;
Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis.
Pa. At tandū tandē …. *Ph.* Tandē es odiosus mihi.
Pa. Istuc quidem nec bellum 'st, nec memorabile:
Tute tibi puer es: lautus luces cereum.
Ph. Egon' apicularum opera congestum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
Pa. Nam quo te dicam ego ire? *Ph.* Si tu me roges,
Dicam, ut scias. *Pa.* Si rogitem, quid respondeas?
Ph. Hoc Æsculapi fanū 'st. *Pa.* Plus iam anno scio.
Ph. Huic proxumum illud ostium occlusissumum.
Salve: valuistin' usque, ostium occlusissumum?
Pa. Caruitne febris te heri, vel nudius tertius?
Et heri cœnavistine? *Ph.* Deridesne me?
Pa. Quid tu ergo, insane, rogitas, valeatne ostium?
Ph. Bellissumum, hercle, vidi, et taciturnissumum.
Nunquam ullum verbum muttit: quō aperitur, tacet:
Quomque illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
Pa. Numquid tu, quod te aut genere indignū sit tuo,
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ cuipiam insidias locas,
Aut quam pudicam oportet esse? *Ph.* Nemini.
Nec me ille sinit Iupiter. *Pa.* Ego item volo.
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne, id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis:
Quod ames, amato testibus præsentibus.
Ph. Quid istuc est verbi? *Pa.* Caute ut incedas via.
Ph. Quin leno hic habitat.
Pa. Nemo hinc probibet, nec vetat,
Quin, quod palam 'st venale, si argentum 'st, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute, et pueris liberis; ama quid lubet.
Ph. Lenonia hæ sunt ædes. *Pa.* Male istis evenit.
Ph. Qui? *Pa.* Quia scelestam servitutem serviunt.
Ph. Obloquere. *Pa.* Fiat maxume. *Ph.* Etiam taces?
Pa. Nempe obloqui me iusseras. *Ph.* At nunc veto.
Id uti occœpi dicere; ei ancillula 'st.
Pa. Nempe huic lenoni, qui hic habitat?
Ph. Recte tenes.
Pa. Minus formidabo, ne excidat. *Ph.* Odiosus es.

Eam volt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illa facere nolo mutuum. (simul.
Pa. Quid ita? *Ph.* Quia proprium facio: amo pariter
Pa. Malus clandestinus est amor, damnum 'st merũ.
Ph. Est, hercle, ita ut tu dicis.
Pa. Iamne ea fert iugum?
Ph. Tam a me pudica 'st, quam si soror mi sit: nisi
Si est osculando quidpiam impudicior.
Pa. Semper, tu scito, flamma fumo 'st proxuma.
Fumo comburi nil potest, flamma potest.
Qui e nuce nucleum esse volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.
Ph. At illa 'st pudica, neque dum cubitat cum viris.
Pa. Credam, pudor si cuipiam lenoni siet.
Ph. Immo, ut illam censes? ut quæque illi occasio 'st
Surripere se ad me, ubi savium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapi fano: is me excruciat. *Pa.* Quid est?
Ph. Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum; neque quidquam queo
Æqui bonique ab eo impetrare. *Pa.* Iniurius 's,
Qui, quod lenoni nulli 'st, id ab eo petas.
Ph. Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum,
Petitum argentum a meo sodali mutuum:
Quod si non affert, quo me vortam, nescio.
Pa. Si Deos salutas, dextrovorsum censeo.
Ph. Nunc ara Veneris hæc est ante horunc fores.
Me inferre Veneri vovi iam ientaculum.
Pa. Quid? an te pones Veneri ientaculo? (vomere vis?
Ph. Me, te, atque hosce omnes *Pa.* Tum tu Venerẽ
Ph. Cedo, puere, sinum. *Pa.* Quid facturu 's? *Ph.* Iam
Anus hic solet cubitare custos, ianitrix, (scies.
(Nomen ei est Lenæ) multibiba, atque merobiba.
Pa. Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet
Chium esse. *Ph.* Quid opu 'st verbis? vinosissuma 'st:
Eaque, extemplo, ubi vino has conspersi fores,
De odore adesse me scit; aperit illico.
Pa. Eine hic cum vino sinus fertur? *Ph.* Nisi nevis.
Pa. Nolo, hercle: nam istunc, qui fert, afflictum velĩ:
Ego nobis afferri censui. *Ph.* Quin tu taces?
Si quid super illi fuerit, id nobis sat est.
Pa. Quisnam istic fluviu 'st, quẽ non recipiat mare?
Ph. Sequere hac, Palinure, me ad fores: fi mi obsequens.
Pa. Ita faciam. *Ph.* Agite, bibite, festivæ fores;
Potate; fite mihi volentes propitiæ.
Pa. Voltisne olivas, aut pulmentum, aut capparim?
Ph. Exsuscitate vostram huc custodem mihi.
Pa. Profundis vinum; quæ te res agitant? *Ph.* Sine.
Viden' ut aperiuntur ædes festivissumæ?
Num muttit cardo? est lepidus. *Pa.* Quin das saviũ?
Ph. Tace: occultemus lumen et vocem. *Pa.* Licet.

Scena II. *Lena, Phædromus, Palinurus.*

L. Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi, ubi est? prope me est. Evax! habeo. Salve, suavis
Liberi lepos. Ut veteris vetusti cupida sum! (me mi,
Nam omnium unguentum odor, præ tuo, nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum et casia es, tu bdellium: nam, ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed, quom adhuc naso, odos, obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum: ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim. Sed hac abiit, hac persequar. (dica est;
Ph. Sitit hæc anus. *Pa.* Quantillum sitit? *Ph.* Modicum:
Capit quadrantal. *Pa.* Pol, ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non satis est soli.
Canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax
Nasum habet. *L.* Amabo, cuia vox sonat procul?
Ph. Censeo hanc appellandam anum. Adibo. Redi,
Et respice ad me huc, Lena. *L.* Imperator quis est?
Ph. Vini pulleus, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ,
Affert potionem, et te sedatum it.
L. Quam longe a me abest? *Ph.* Lumen hoc vide.
L. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.
P. Salve. *L.* Egon' salva sim, quæ siti sicca sum?
Ph. At iã bibes. *L.* Diu fit. *Ph.* Hẽ tibi, anus lepida.
L. Salve, oculissime homo. *Pa.* Age, effunde hoc cito
In barathrum: propere prolue cloacam. *Ph.* Tace.
Nolo huic maledici. *Pa.* Faciam igitur male potius.
L. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haud lubenter: nam tibi amantes, propinantes,
Vinum potantes, dant omnes: mihi haud sæpe
Evaniunt tales hæreditates. *Pa.* Hoc vide, ut
Ingurgitat impura in se merum avariter,
Faucibu' plenis! *Ph.* Perii, hercle! Huic quid primum dicam,
Nescio. *Pa.* Hem istuc, quod mihi dixti.
Ph. Quid id est?
Pa. Periisse ut te dicas. *Ph.* Male tibi Dii faciant!
Pa. Dic, isti. *L.* Ah! *Pa.* Quid est? ecquid lubet?
L. Lubet.
Pa. Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.
Ph. Tace, noli. *Pa.* Taceo. Ecce autem bibit arcus; pluet
Credo, hercle, hodie. *Ph.* Iamne ego huic dico?
Pa. Quid dices?
Ph. Me periisse. *Pa.* Age, dice.
Ph. Anus, audi. Hoc volo
Scire te; perditus sum miser. *L.* At, pol, ego oppido
Servata. Sed quid est? quid lubet perditum
Dicere te esse? *Ph.* Quia id, quod amo, careo.
L. Phædrome mi, ne plora, amabo. Tu me (ducam.
Curato, ne sitiam; ego tibi, quod amas, iam huc ad-
Ph. Tibi næ ego, si fidem servas mecum,
Vineam pro aurea statua statuam, quæ tuo
Gutturi sit monimentum. Qui me in terra æque
Fortunatus erit, si illa ad me bitet, (tur
Palinure? *Pa.* Edepol, qui amat, si eget, misera afflici-
Ærumna. *Ph.* Non ita res est: nam confido
Parasitum hodie adventurum cum argento ad me.
Pa. Magnũ inceptas, si id exspectas, quod nusquam 'st.
Ph. Quid si adeam ad fores, atque occentem? *Pa.* Si
Neque veto, neque iubeo; quando ego te videro (lubet:
Immutatis moribus esse, here, atque ingenio.
Ph. Pessuli, heus pessuli! vos saluto lubens;
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissumi:
Fite causa mea Lydi barbari;
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia commovent se ocyus.
Respicio, nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. *Pa.* Taceo, hercle. Quid est?
Ph. Sentio sonitum.
Tandem, edepol, mihi morigeri pessuli fiunt.

Scena III. *Lena, Planesium, Phædromus, Palinurus.*

L. Placide egredere, et sonitum prohibe forium, et crepitum cardinum:
Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.

Mane, suffundam, aqualam. *Pa.* Viden' ut anus tremula medicinam facit!
Eapse merum condidicit bibere; foribus dat aquam, quam bibant.
Pl. Ubi tu es, qui me convadatu 's Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? Ecce me.
Sisto ego tibi me; et, mihi contra itidem te ut sistas, suadeo.
Ph. Assum: nam, si absim, haud recusem quin mihi male sit, mel meum!
Pl. Anime mi! procul amantem te abesse haud consentaneum 'st.
Ph. Palinure, Palinure! *Pa.* Eloquere: quid est, quod Palinurum voces?
Ph. Est lepida. *Pa.* Nimis lepida. *Ph.* Sum Deus.
Pa. Immo, homo haud magni preti.
Ph. Quid vidisti, aut quid videbis, magis Diis æquiparabile?
Pa. Male valere te; quod mi ægre 'st.
Ph. Male mi morigerus: tace.
Pa. Ipsus se excrucist, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.
Ph. Recte obiurgas: sane haud quidquam 'st, magis quod cupiam iamdiu.
Pl. Tene me, amplectere ergo. *Ph.* Hoc etiam 'st, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior.
Pl. Prohibet; nec prohibere qnit,
Nec prohibebit, nisi mors meum animum abs te abalienaverit.
Pa. Enimvero nequeo durare, quin ego herum accusem meum:
Nam bonum 'st, pauxillum amare sane; insane, non bonum 'st:
Verum totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.
Ph. Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites:
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia:
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suum 'st.
Pa. Quid tu? Veneriu' pervigilare te vovisti, Phædrome?
Nã hoc quidẽ, edepol, haud multo post luce lucebit.
Ph. Tace.
Pa. Quid taceam? quin tu is dormitum?
Ph. Dormio; ne occlamites.
Pa. Tu quidem vigilas.
Ph. At meo more dormio: hic somnu 'st mihi.
Pa. Heus tu mulier! male merere de immerente inscitia 'st.
Pl. Irascare, si te edentẽ hic a cibo abigat. *Pa.* Ilicet.
Pariter hos perire amando video: uterque insaniunt.
Viden, ut misere moliuntur! nequeunt complecti satis.
Etiam dispertimini?
Pl. Nulli 'st homini perpetuum bonum.
Iam huic voluptati hoc adiunctum est odium.
Pa. Quid ais, propudium?
Tun' etiam, cum noctuinis oculis odium me vocas?
Ebriola [persolæ] nugæ.
Ph. Tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servus sermonem serat.
At, næ, tu, hercle, cum cruciatu magno dixisti id tuo.
Hem tibi maledictia pro istis! dictis moderari ut queas.
Pa. Tuam fidem, Venus noctuvigila!
Ph. Pergin' etiam, verbero?
Pl. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manũ.
Pa. Flagitium probrumque magnum, Phædrome, expergefacis:
Bene monstrantem pugnis cædis; hanc amas, nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodestis te hic moderere moribus?
Ph. Auro contra cedo modestum amatorem: a me aurum accipe.
Pa. Cedo mihi contra aurichalco, cui ego sano serviã.
Pl. Bene vale, ocule mi! nam sonitum et crepitum claustrorum audio,
Æditũ aperire fanũ. Quousque, quæso, ad hunc modum
Inter nos amore utimur semper surreptitio?
Ph. Minume. Nam parasitum misi, nudius quartus, Cariam,
Petere argentum: is hodie hic aderit.
Pl. Nimium consultas diu.
Ph. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum numquam sinam
In domo esse istac, quin ego te liberalem liberem.
Pl. Facito ut memineris. Tene etiã, priusquam hinc abeo, savium.
Ph. Siquidem, hercle, mihi regnum detur, nunquam id potius persequar.
Quando ego te videbo?
Pl. Hem! istoc verbo vindictam para.
Si amas, eme. Ne rogites; facito ut pretio pervincas tuo.
Bene vale. *Ph.* Iamne ego relinquor? pulchre, Palinure, occidi.
Pa. Ego quidem, qui et vapulando et somno pereo.
Ph. Sequere me.

ACTUS II. SCENA I. *Cappadox, Palinurus.*

C. Migrare certum 'st iam nunc e fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit; accrescit labor.
Nam iam, quasi zona, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.
Nil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.
P. Si recte facias, Phædrome, auscultes mihi,
Atque istam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, parasitus quia non rediit Caria.
Afferre argentum credo: nam, si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc cessĩ ad præsepim suam.
C. Quis hic est, qui loquitur? *P.* Quoiã vocẽ ego audio?
C. Estne hic Palinurus Phædromi? *P.* Qui hic est homo
Cum conlativo ventre, atque oculis herbeis?
De forma novi; de colore non queo
Novisse. Iamiam novi; leno 'st Cappadox.
Congrediar. *C.* Salve, Palinure. *P.* O scelerũ caput!
Salveto. Quid agis? *C.* Vivo. *P.* Nempe ut dignu's es.
Sed quid tibi est? *C.* Lien necat; renes dolent;
Pulmones distrahuntur; cruciatur iecur;
Radices cordis pereunt; hiræ omnes dolent.
P. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
C. Facile 'st miserũ irridere. *P.* Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi.
Nunc, dum salsura sat bona 'st, si id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.
C. Lien dierectu 'st. *P.* Ambula; id lieni optumũ 'st.
C. Aufer istæc, quæso; atq; hoc responde, quod rogo.
Potiu' coniecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
P. Vah! solus hic homo 'st, qui sciat divinitus.
Quin coniectores a me consilium petunt:
Quod eis respondi, ea omnes stant sententia

Scena II. *Coquus, Cappadox, Palinurus, Phædromus.*

Co. Palinure, quid stas? quin depromuntur mihi,
Quæ opus sunt, parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat? *Pa.* Mane, sis, dum huic conicio somnium.
Co. Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.
Pa. Fateor. *Co.* Abi, deprome.
Pa. Age, tu interea huic somnium
Narra: meliorem, quam ego sum, suppono tibi.
Nam, quod scio, omne ex hoc scio.
Ca. Operam ut det. *Pa.* Dabit.
Ca Facit hic, quod pauci, ut sit magistro obsequens.
Da mi igitur operam. *Co.* Tametsi non novi, dabo.
C. Hac nocte in somnis visus sum [viderier,]
Procul sedere longe a me Æsculapium,
Neque eum ad me adire; neque me magnipendere
Visu 'st. *Co.* Item alios Deos facturos scilicet.
Sane illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil sit tibi:
Namque incubare satius te fuerat Iovi,
Qui tibi auxilium in iureiurando fuit.
Cu. Siquidem incubare velint, qui periuraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.
Co. Hoc animum advorte: pacem ab Æsculapio
Petas, ne forte tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'st. *Ca.* Bene facis.
Ibo, atque orabo. *Co.* Quæ res male vortat tibi.
Pa. Pro Dii immortales! quem conspicio? qui illic (est?
Estne hic parasitus, qui missu 'st in Cariam?
Heus Phædrome! exi, exi. exi, inquam, ocyus.
Ph. Qui istic clamore tollis? *Pa.* Parasitum tuum
Video occurrentem, ellum, usque in platea ultima.
Hinc auscultemus quid agat. *Ph.* Sane censeo.

Scena III. *Curculio, Phædromus, Palinurus.*

C. Date viam mihi, noti atque ignoti, dum ego hic officium meum
Facio. Fugite omnes; abite; et de via secedite;
Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu.
Ita nunc subito, propere, et celere obiectum 'st mihi negotium.
Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via,
Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cū tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita.
Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ;
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis;
Quos semper videas lubentes esse in thermopolio;
Ubi quid aurripuere, operto capitulo calidū bibunt;
Tristes atque ebrioli incedunt: eos ego si offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim servis currarum in via,
Et datores, et factores, omnes subdam sub solum.
Proinda se domi contineant, vitent infortunio.
Ph. Recte hic monstrat, si imperare possit: nam ita nunc mos viget;
Ita nunc servitium 'st: profecto modus haberi non potest.
C. Ecquis est, qui mihi commonstret Phædromum, genium meum?
Ita res subita 'st: celeriter mi hoc homine convento 'st opus.
Pa. Te ille quærit. *Ph.* Quid si adeamus? heus, Curculio! te volo.
C. Quis vocat? quis nominat me?
Ph. Qui te conventum cupit.
C. Haud magis cupis, quam ego te cupio.
Ph. O mea opportunitas!
Curculio exoptate, salve! *C.* Salve! *Ph.* Salvō gaudeo
Te advenire. Cedo tuam mihi dextram. Ubi sunt spes meæ?
Eloquere, obsecro, hercle.
C. Eloquere, te obsecro, ubi sunt meæ?
Ph. Quid tibi 'st? *C.* Tenebræ oboriuntur; genua inedia succidunt.
Ph. Lassitudine, hercle, credo.
C. Retine, retine me, obsecro.
Ph. Viden' ut expallnit! Datin' isti sellam, ubi assidat, cito,
Et squalem cum aqua? properatin' ocyus?
C. Animo male 'st.
Ph. Vin' aquam? *C.* Si frustulenta 'st, da, obsecro, hercle, obsorbeam.
Ph. Væ capiti tuo! *C.* Obsecro, hercle, facite, ventum ut gaudeam.
Ph. Maxume. *C.* Quid facitis, quæso? *Pa.* Ventum.
C. Nolo equidem mihi
Fieri ventulum. *Ph.* Quid igitur vis?
C. Esse, ut ventum gaudeam.
Ph. Iupiter te Diiq; perdant. *C.* Perii; prospicio parum;
Os amarum habeo, dentes plenos; lippiunt fauces fa-
Ita, cibi vacivitate, venio laxis lactibus. (me;
Ph. Iam edes aliquid: *C.* Nolo, hercle, aliquid: certum, quam aliquid, mavolo.
Ph. Immo, si scias, reliquiæ quæ sint.
C. Scire nimis lubet
Ubi sient: nam illis conventis sane opu 'st meis dentibus.
Ph. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium.
C. Ain' tu omnia hæc?
In carnario fortasse dicis. *Ph.* Immo, in lancibus:
Quæ tibi sunt parata, postquam scimus venturum.
C. Vide,
Ne me ludas. *Ph.* Ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed, quo te misi, nihilo sum certior. *C.* Nihil attuli.
Ph. Perdidisti me.
C. Invenire possim, si mihi operam datis.
Postquā tuo iussu profectus sū, perveni in Cariam.
Video tuum sodalem; argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam; noluit frustrarier:
Ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier;
Respondit mihi paucis verbis, atque adeo fideliter,
Quod tibi est, item sibi esse magnam argenti inopiā.
Ph. Perdis me tuis dictis.
C. Immo, servo, et servatum volo.
Postquam mihi responsum 'st, abeo ab illo mæstus ad forum,
Me illo frustra advenisse. Forte aspicio militem.
Aggredior hominem: saluto advenieus. Salve, inquit mihi:
Prehendit dextram: seducit; rogat, quid veniā Cariā.
Dico me illo advenisse animi causa; ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim?
Dico me novisse. Quid lenonem Cappadocē? Annuo
Visitasse. Sed quid eum vis? Quia de illo emi virginē
Triginta minis, vestem, aurum: et pro iis decem coaccedunt minæ.
Dedisti tu argentum? inquam. Immo, apud trapezitam situm 'st,

(1).4. Petronius Arbiter p. 71. 117 & 2.)

Illū quē dixi Lyconem: atque ei mandavi, qui anulo
Tabulas obsignatas attulisset, ut daret operā, (meo
Ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.
Postquam hoc mihi narravit, abeo ab illo. Revocat
me illico;
Vocat ad cœnā: religio fuit; denegare uolui. (placet.
Quid si adeamus, ac decumbamus? inquit. Cousiliū
Neque diem decet me morari, ueque nocti nocerier.
Omnis res parata 'st: et nos, quibus paratum 'st, as-
sumus.
Postquā cœnati atq; appoti, talos poscit sibi in manū.
Provocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium:
Ille suum anulum opposuit: invocat Planesium.
P. Meosne amores? *C*. Tace parumper. Iacit voltorios
quatuor.
Talos arripio; invoco almam meam nutricē, Herculē.
Iacto basilicum: propino magnum poculū: ille ebibit:
Caput deposuit: condormiscit. Ego ei subduco anulū.
Deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat. (lent.
Rogant me servi, quo eam? me dico ire, quo saturi so-
Ostium ubi couspexi, exinde me illico protinam dedi.
P. Laudo. *C*. Laudato, quando illud quod cupis ef-
fecero.
Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus.
P. Num moror?
C. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen,
glandium,
Hæc sunt ventri stabilimenta, panē, et assa bubula:
Poculum grande: aula magna; ut satis consilia suppe-
tant.
Tute tabellas consignato; hic ministrabit: ego edam.
Dicam quemadmodum conscribas: sequere me hac in-
tro. *P*. Sequor.

ACTUS III. *Lyco, Curculio, Cappadox.*

L. Beatus videor: subduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi sit, quantumque alieni siet.
Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis, quibus debeo, plus alieni 'st.
Verum, hercle, vero, cum belle recogito,
Si magis me instabunt, ad prætorem sufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini:
Pugnis rem solvant, si quis poscat clarius.
Qui homo mature quæsivit pecuniam,
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Nunc mihi quæratur: usus est pecunia.
Cu. Nil tu me saturum monueris: memini et scio.
Ego hoc effectum lepide tibi tradam: tace.
Edepol, næ ego hic me intus explevi probe;
Et quidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat? atat! quem quærebam. Sequere me.
Simulabo quasi non noverim. Heus tu! te volo.
L. Unocule, salve. *Cu*. Quæso, deridesne me?
L. De Coclitum prosapia te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi. *Cu*. Catapulta hoc ictū 'st mihi
Apud Sicyonem. *L*. Nam quid id refert mea,
An aula quassa cum cinere effossus siet?
Cu. Superstitiosus hic quidem 'st: vera prædicat:
Nam illæc catapultæ ad me crebro commeant.
Adolescens, ob rempublicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quæso, ne me incomities.
L. Licetne inforare, si incomitiare non licet?
Cu. Non inforabis me quidem: nec mihi placet
Tuum profecto nec forum, nec comitium.
Sed hunc, quem quæro, commonstrare si potes,
Inibis a me solidam et grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. *L*. Dic mihi,
Quid eum nunc quæris? aut cuiatis? *Cu*. Eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
L. Novi, edepol, nomen: nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, explevi totas ceras quatuor.
Sed quid Lyconem quæris? *Cu*. Mandatum 'st mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. *L*. Quis tu homo es?
Cu. Libertus illius, quem omnis Summanum vocant.
L. Summane, salve. Qui Summanus? fac sciam.
Cu. Quia vestimenta, ubi obdormivi ebrius,
Summano; ob eam rem me omnes Summanum vocant.
L. Alibi te meliu 'st quærere hospitium tibi:
Apud me profecto nihil est Summano loci. (es
Sed istum quem quæris, ego sum. *Cu*. Quæso, tune is
Lyco trapezita? *L*. Ego sum. *Cu*. Multam me tibi
Salutem iussit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me iussit. *L*. Mihin'? *Cu*. Ita.
Cape; signum nosce: nostin'? *L*. Quid ni noverim?
Clypeatus elephantum ubi machæra dissicit.
Cu. Quod istic scriptum 'st, id te orare iusserat,
Profecto ut faceres, suam si velles gratiam.
L. Concede; inspiciā, quid sit scriptū. *Cu*. Maxume,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto.
L. Miles Lyconi in Epidauro, hospiti suo,
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. *Cu*. Meus hic est; hamum vorat.
L. Tecum oro, et quæso, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur, quam istic emi virginem;
Quod te præsente istic egi, teque interprete,
Et aurum, et vestem. Iam scis, ut convenerit.
Argentum des lenoni: huic des virginem.
Ubi ipsus? cur non venit? *Cu*. Ego dicam tibi:
Quia, nudius quartus, venimus in Cariam
Ex India. Ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ siet
Septempedalis, factis monimentū suis. (phlagonas,
L. Quamobrē istuc? *Cu*. Dicā: quia enim Persas, Pa-
Sinopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perhibesiam,
Centauromachiam, et Classiam Unomammiam,
Libyamque oram omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium,
Subegit solus intra viginti dies.
L. Vah! *Cu*. Quid mirare? *L*. Quia enim, in cavea si
Conclusi, itidem uti pulli gallinacei, (forent
Ita non potuere uno anno circumirier.
Credo, hercle, te esse ab illo [iam:] ita nugas blatis.
Cu. Immo etiam porro, si vis, dicam. *L*. Nihil moror.
Sequere hac; te absolvam, qua advenisti gratia.
Atque eccum video. Leno, salve. *Ca*. Dii te ament.
L. Quid hoc, quod ad te venio? *Ca*. Dicas quid velis.
L. Argentum accipias; cum illo mittas virginem.
Ca. Quid, quod iuratus sum? *L*. Quid id refert tua,
Dum argentū accipias? *Ca*. Qui monet, quasi adiuvat.
Sequimini. *Cu*. Leno, cave in te sit mihi mora.

ACTUS IV. SCENA I. *Choragus.*

Edepol, nugatorem lepidum lepide hunc nactu 'st
Phædromus.
Halophantam an sycophantam hunc magis esse di-
cam, nescio.
Ornamenta, quæ locavi, metuo ut possim recipere.
Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phæ-
dromo
Credidi: tamen asservabo. Sed, dū hic egreditur foras,
Commonstrabo, quo in quemque hominem facile in-
veniatis loco,
Ne nimiu opere sumat operā, si quē conventum velit,

Vel vitiosum, vel sine vitio; vel probū, vel improbū.
Qui periurū convenire volt hominē, mitto in comitiu;
Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.
Ditis, damnosos maritos sub Basilica quærito.
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent:
Symbolarum collatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio, propter Canalem, ibi ostentatores meri:
Confidentes, garrulique, et malevoli, supra Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent, quod in se possit vere dicier.
Sub Veteribus, ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.
Pone Castoris, ibi sunt subito quibus credas male.
In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorē, vel laniū, vel haruspicē
Vel qui ipsi vortant, vel qui aliis, ut vorsentur, præbeant.
Ditis, damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuere: linguæ moderandū 'st mihi.

Scena II. *Curculio, Cappadox, Lyco.*

Cu. I tu præ, virgo: non queo, quod pone me est, servare.
Et aurum, et vestem omnem suam esse aibat, quidquid hæc haberet.
Ca. Nemo it inficias.
Cu. Attamen meliusculum 'st monere.
L. Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu assereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. *Ca.* Meminero: de istoc quietus esto:
Et nunc idem dico.
Cu. Et commeminisse ego hæc volam te.
Ca. Memini; et mancupio tibi dabo.
Cu. Egon' ab lenone quidquam
Mancupio accipiam? quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abiurant, si quid creditū 'st. Alienos mancupatis:
Alienos manumittitis; alienisque imperatis:
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.
Item genus est lenonium inter homines, meo quidem (animo,
Ut muscæ, culices, pedesque, pulicesque,
Odio et malo et molestiæ: bono usui estis nulli.
Nec vobiscū quisquā in foro frugi consistere audet.
Qui constitit, culpant eum; conspuitur, vituperatur:
Eum rem fidemq; perdere, tametsi nihil fecit, aiunt.
L. Edepol, lenones, meō animo, novisti, lusce, lepide.
Cu. Eodem, hercle, vos pono et paro. Parissumi estis iibus.
Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso.
Vos fœnore, hi male suadendo et lustris, lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem, frigidam esse, ita vos putatis leges.
L. Tacuisse mavellem.
Ca. Au! male meditate male dicax es.
Ca. Indignis si male dicitur, maledictū id esse dico;
Verum, si dignis dicitur, benedictum 'st, meo quidem animo.
Ego mancipē te nil moror, nec lenonē aliū quemquā.
Lyco, numquid vis? *L.* Bene vale. *Cu.* Vale.
Ca. Heus tu! tibi ego dico.
Cu. Eloquere, quid vis?
Ca. Quæso, ut hanc cures, bene ut sit isti.
Bene ego istam eduxi meæ domi, et pudice.
Cu. Si huius miseret,
Ecquid das, qui bene sit? *Ca.* Malum. *Cu.* Tibi opu'st hoc, qui te procures.
Ca. Quid, stulta, ploras? ne time; bene, hercle, vendidi ego te.
Fac sis bonæ frugi sies. Sequere istum bella belle.
L. Summane, numquid nunc iam me vis?
Cu. Vale atque salve;
Nam et operam et pecuniam benigne præbuisti.
L. Salutem multam dicito patrono. *Cu.* Nuntiabo.
L. Numquid vis, leno?
Ca. Istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des.
L. Dabuntur: cras peti iubeto.
Ca. Quando bene gessi rē, volo hic in fano supplicare.
Nam illam minis olim decē puellam parvolam emi.
Sed eū, qui mihi illā vendidit, nunquā postilla vidi:
Periisse credo. Quid id mea refert? ego argentū habeo.
Quoi homini Dei sunt propitii, lucrum ei profecto obiiciunt.
Nunc rei divinæ operam dabo. Certum 'st bene me curare.

Scena III. *Therapontigonus, Lyco.*

T. Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
Sed eapse illa, qua excidionē facere condidici oppidis.
Nunc, nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitā propera ponere. (nio:
L. Non, edepol, nunc ego te mediocri macto infortu-
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nihil debeo.
T. Ne te mihi facias ferocem, aut supplicare censeas.
L. Nec tu me quidem unquam subiges, redditum ut reddam tibi;
Nec daturus sū. *T.* Idē ego istuc quō credebā, credidi
Te nihil esse redditurum.
L. Cur nunc a me igitur petis?
T. Scire volo quoi reddidisti. *L.* Lusco liberto tuo.
Is Summanum se vocari dixit; ei reddidi, (tabulas,
Qui has tabellas obsignatas attulit. *T.* Quas tu mihi
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos, somnias?
Nec mihi quidē libertus ullu 'st. *L.* Facis sapientius,
Quam pars latronum, libertos qui habent, et eos deserunt.
T. Quid fecisti?
L. Quod mandasti, feci tui honoris gratia;
Tuum qui signum ad me attulisset, nuntium ne spernerem.
T. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes.
L. Quis res publica et privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo. Tibi res soluta 'st recte. Bellator, vale.
T. Quid valeam? *L.* At tu ægrota, si lubet, per me, ætatem quidem.
T. Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus,
Ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

Scena IV. *Cappadox, Therapontigonus.*

C. Quoi homini Dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.
Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam,
Ut ego potius comedī, quā ille. *T.* Iusserā salvere te.
C. Therapontigonoplatagidore, salve! Salvus quum advenis
In Epidaurum, hic hodie apud me nunquam delinges salem.

T. Bene vocas. Verum vocata res est, ut male sit tibi.
Sed quid agit meum mercimuuium apud te?
C. Nihil apud me quidem.
Ne facias testes: neque equidem debeo quidquam.
T. Quid est?
C. Quod fui iuratus, feci. *T.* Reddin', an non, virginē,
Priusquam te huic meæ machæræ obiicio, mastigia?
C. Vapulare ego te vehementer iubeo: ne me territes.
Illa abducta 'st: tu auferere hinc a me, si perges mihi
Male loqui profecto. quoi ego, nisi malū, nihil debeo.
T. Mihin' malum minitare? *C.* Atque, edepol, non minitabor, sed dabo,
Mihi si pergis molestus esse. *T.* Leno minitatur mihi?
Meæque pugnæ prœliares plurimæ obtritæ iacent?
At ita me machæra et clypeus (ditur,
Bene iuvent pugnantem in acie; nisi mihi virgo red-
Iam ego te faciā ut hic formicæ frustillatī differant.
C. At ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum,
Bene me amassint, meaque axicia, linteumq; extersū;
Ut ego tua magnifica verba, neque istas tuas magnas minas,
Non pluris facio, quā ancillā meā, quæ latrinā lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum a te attulit.
T. Quis is est homo?
C. Tuū libertū sese aiebat esse Summanū. *T.* Meum?
Atat! Curculio, hercle, verba mihi dedit, quō cogito.
Is mihi anulum surripuit. *C.* Perdidistin' tu anulū?
Miles pulchre centuriatus est expuncto in manipulo.
T. Ubi nunc Curculionem inveniam?
C. In tritico facillume
Vel quingentos Curculiones, pro uno, faxo reperias.
Ego abeo. Vale atq; salve. *T.* Male vale; male sit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? siccine mihi esse os oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, commonstret mihi.

ACTUS V. SCENA I. *Curculio.*

Antiquom poetam audivi scripsisse in tragœdia,
Mulieres duas peiores esse, quam unam: res ita 'st:
Verum mulierē peiorē, quā hæc amica 'st Phædromi,
Non vidi, neq; audivi; neq;, pol, dici nec fingi potest
Peior, quam hæc est: quæ, ubi me habere hunc conspicata 'st anulum,
Rogat unde habeam. Quid id tu quæris? Quia mihi quæsito 'st opus.
Nego me dicere. Ut eum eriperet, manum arripuit mordicus.
Vix foras me abripui, atque effugi. Apage istanc caniculam.

SCENA II. *Planesium, Phædromus, Curculio, Therapontigonus.*

Pl. Phædrome, propera. *Ph.* Quid properem?
Pl. Parasitum ne amiseris.
Magna res est. *Ph.* Nulla 'st mihi: nam, quam habui, absumsi celeriter.
Pl. Tene. *Ph.* Quid negoti 'st?
Pl. Rogita, unde istunc habeat anulum:
Pater istum meus gestitavit. *C.* At mea matertera.
Pl. Mater ei utendum dederat.
C. Pater tuus rursum mihi.
Pl. Nugas garris.
C. Soleo: nam propter eas vivo facilius.
Quid nunc? *Pl.* Obsecro, parentesne meos mihi prohibeas?
C. Quid? ego sub gemman' abstrusos habeo tuam matrem et patrem?
Pl. Libera ego sum nata.
C. Et alii multi, qui nunc serviunt.
Pl. Enimvero irascor. *C.* Dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quoties dicendu 'st? Elusi militem, inquam, in alea.
T. Salvos sum: eccom, quem quærebam. Quid agis, bone vir? *C.* Audio.
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem.
T. Quin tu is in malam crucem
Cum boletis, cum bulbis? redde etiam argentum, aut virginem.
C. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me reposcis? *T.* Quam ab lenone abduxti hodie, scelus viri!
C. Nullam abduxi. *T.* Certe eccistam, video.
Ph. Virgo hæc libera 'st.
T. Mean' ancilla libera ut sit? quam ego nunquam emisi manu.
Ph. Quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emisti? fac sciam.
T. Ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam.
Ph. Qui scias mercari furtivas atq; ingenuas virgines.
Ambula in ius. *T.* Non eo. *Ph.* Licet te antestari?
T. Non licet.
Ph. Iupiter te male perdat! intestatus vivito.
C. At ego, quem licet, te. *Ph.* Accede huc.
T. Servom antestari! vide.
C. Hem! ut scias me liberum esse.
T. Ergo ambula in ius. Hem tibi!
C. O cives, cives! *T.* Quid clamas?
Ph. Quid istum tibi tactio est?
T. Quia mi libitum 'st. *Ph.* Accede huc tu; ego illum tibi dedam, tace.
C. Phædrome, obsecro, serva me.
Ph. Tamquam me et Genium meum.
Miles, quæso ut mihi dicas, unde illunc habeas anulum,
Quem parasitus hic te elusit.
Pl. Per tua genua te obsecro,
Ut nos facias certiores. *T.* Quid istuc ad vos attinet?
Quæratis chlamydem et machæram hanc, unde ad me pervenerit.
C. Ut fastidit gloriosus!
T. Mitte istum: ego dicam omnia.
C. Nihil est, quidquid ille dicit.
Pl. Fac me certiorem, obsecro.
T. Ego dicam: surge. Hanc rem agite, atque animum advortite.
Pater meus habuit Periphanes. *Pl.* Periphanes?
T. Is, priusquam moritur, mihi dedit, tamquam suo,
Ut æquom fuerat, filio. *Pl.* Proh Iupiter!
T. Et iste me hæredem fecit. *Pl.* Pietas mea,
Serva me, quando ego te servavi sedulo.
Frater mi, salve. *T.* Qui credam istuc ego? Cedo,
Si vera memoras, quæ fuit mater tua?
Pl. Cleobula. *T.* Nutrix quæ fuit? *Pl.* Archestrata.
Ea me spectatum tulerat per Dionysia.
Postquam illo ventum 'st, iam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt:
Ego pertimesco: tum ibi me nescio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.
T. Memini istanc turbam fieri: sed tu dic mihi,
Ubi is est homo, qui te surripuit? *Pl.* Nescio.
Verum hunc servavi semper mecum una anulum.
Cum hoc olī perii. *T.* Cedo, ut inspiciā. *C.* Sanan' es,

Quæ isti committas? *Pl.* Sine modo. *T.* Proh Iupiter!
Hiccest, quem ego tibi misi natali die.
Tam facile novi, quam me. Salve, mea soror!
Pl. Frater mi, salve! *Ph.* Deos volo bene vortere
Istam rem vobis. *C.* Et ego nobis omnibus;
Ta ut hodie adveniens cœnam des sororiam:
Hic nuptialem cras dabit. *Ph.* Promittimus.
T. Tace tu. *C.* Non taceo, quando res vortit bene.
Tu istanc desponde huic, miles: ego dotem dabo. (lat.
Ph. Quid dotis? *C.* Egone? ut semper, dū vivat, me a-
T. Verum, hercle, dico, me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas. (hi,
Ph. Quamobrē istuc? *T.* Quia ille ita repromisit mi-
Si quisquam hanc liberali asseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere. (volo,
Ph. Nunc eamus ad lenonē. *T.* Laudo. *Ph.* Hoc prius
Meam rem agere. *T.* Quid id est?
Ph. Ut mihi hanc despondeas.
C. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?
T. Si hæc volt. *Pl.* Mi frater, cupio. *T.* Fiat.
C. Bene facis.
Ph. Spondesne, miles, mihi hanc uxorē? *T.* Spondeo.
Ph. Et ego huic cibum una spondeo. *T.* Lepide facis.
Sed eccum lenonem, incedit, thesaurum meum.

Scena III. *Cappadox, Therapontigonus, Phædromus, Planesium.*

C. Argentariis male credi qui aiunt, nugas prædicant;
Nam et bene et male credi dico: id adeo hodie ego expertus sum.
Non male creditur, qui nunquam reddunt; sed prorsum perit.
Velut decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit.
Postquam nihil fit, clamore hominem posco. Ille in ius me vocat.
Pessume metui, ne mihi hodie apud prætorē solveret.
Verum amici compulerunt; reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum 'st.
T. Heus tu, leno! te volo.
Ph. Et ego te volo. *C.* At ego vos nolo ambos.
T. Sta, sis, illico;
Atque argentum propere propera vomere.
C. Quid mecum 'st tibi?
Aut tecum? aut.... *T.* Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium;
Atq. ita te nervo torquebo, itidē ut catapoltæ solent.
Ph. Delicatum te hodie faciā, cū catello ut accubes,
Ferreo, ego dico. *C.* At ego vos ambo, in robusto carcere
Ut pereatis. *T.* Collum obstringe; abduce istum in malam crucem.
Ph. Quid? quid est? ipse ibit potius.
C. Proh Deum atque hominum fidem!
Hoccine pacto indemnatū atque intestatū me arripi?
Obsecro, Planesium, et te, Phædrome, auxilium ut feras.
Pl. Frater, obsecro te, noli hunc condemnatum perdere.
Bene et pudice me domi habuit.
T. Haud voluntate id sua:
Æsculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam:
Nam, si is valuisset, iam pridem, quoquo posset, mitteret.
Ph. Animum advortite, si potissum hoc inter vos componere.
Mitte istunc. Accede huc, leno. Dicam meā sententiā,
Siquidem voltis, quod decrero, facere.
C. Tibi permittimus,
Dum quidem, hercle, ita iudices, ne quisquam a me argentum auferat.
T. Quodne promisti? *C.* Qoi promisi? *Ph.* Lingua.
C. Eadem nunc nego.
[Ditandi,] non rē perdundi gratia, hæc nata 'st mihi.
T. Nihil agit: collum obstringe homini.
C. Iamiam faciam ut iusseris.
T. Quando vir bonus es, responde, quod rogo.
C. Roga quod lubet.
T. Promistin', si liberali quisquam hanc assereret manu,
Te omne argentum redditurum?
C. Non commemini dicere.
T. Quid? negas? *C.* Nego, hercle, vero. Quo præsente? quo in loco?
T. Me ipso præsente, et Lycone trapezita.
C. Non taces?
T. Non taceo.
C. Non? ego te flocci facio: ne me territes.
T. Me ipso præsente et Lycone, factum 'st.
Ph. Satis credo tibi.
Nunc adeo, ut tu scire possis, leno, meam sententiam;
Libera hæc est; hic huius frater est, hæc autem illius soror.
Hæc mihi nubet: tu huic argentum redde. Hoc iudicium meum 'st.
T. Tu autem in nervo iam iacebis, nisi mihi argentum redditur.
C. Hercle, istam rē iudicasti perfidiose, Phædrome;
Et tibi oberit: et te, miles, Dii Deæque perduint!
Tu me sequere. *T.* Quo sequar ego te?
C. Ad trapezitam meum,
Ad prætorē: nā inde rē solvo omnibus, quibus debeo.
T. Ego te in nervom, haud ad prætorem, hinc rapiam, ni argentum refers.
C. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me nescias.
T. Itane vero? *C.* Ita, hercle, vero.
T. Novi ego hos pugnos meos.
C. Quid tum? *T.* Quid tum? rogitas? hisce ego, si tu me irritaveris,
Placidū ted hodie reddā. *C.* Age ergo, recipe actutū.
T. Licet.
Ph. Tu, miles, apud me cœnabis. Hodie fient nuptiæ.
T. Quæ res bene vortat mihi et vobis, spectatores, plaudite.

EPIDICUS

DRAMATIS PERSONÆ

Epidicus, Thesprio, } *servi.*
Stratippocles, Chæribulus, } *adolescentes.*
Apœcides, Periphanes, } *senes.*
Miles.
Philippa, *mulier.*
Virgo.
Fidicina.
Danista.
Grex.

Argumentum (Prisciani?)

Emit fidicinam, filiam credens, senex
Persuasu servi, aliam qui conducticiam
Iterum pro amica ei subiecit. Filio
Dat herili argentum: eo sororem destinat
Imprudens iuvenis. Mox compressæ ac militis
Cognoscit opera sibi senex os sublitum,
Ut ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed, inventa gnata, servolum emittit manu.

Actus I. Scena I. *Epidicus, Thesprio.*

E. Heus, adolescens!
T. Quis properantem me prehendit pallio?

E. Familiaris.
T. Fateor: nam odio es nimium familiariter.
E. Respice vero, Thesprio.
T. O! Epidicumne ego conspicor?
E. Certe: ocolls recte uteris. *T.* Salve. *E.* Dii dent, quæ velis.
Venire salvom gaudeo. *T.* Quid cæterum?
E Quod eo assolet,
Cœna tibi dabitur. *T.* Spondeo. *E.* Quid?
T. Me accepturum, si dabis.
E. Quid tu? agis ut velis? *T.* Exemplum adest.
E. Intellego. Eugepæ!
Corpulentior videre, atque habitior. *T.* Huic gratia.
E. Quam quidem iamdiu te perdidisse oportuit.
T. Miuus iam furtificus sum, quam antehac.
E. Quid ita? *T.* Rapin propalam.
E. Dii immortales infelicitent! ut tu es gradibus grandibus!
Nā, ut apud portū te conspexi, curriculo occœpi sequi:
Vix adipiscundi potestas modo fuit.
T. Scurra es. *E.* Scio,
Te esse quidem hominem militarem.
T. Audacter quamvis dicito.
E. Quid ais? perpetuon' valuisti? *T.* Varie.
E. Qui varie valent,
Caprigenom hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.
T. Quid tibi vis dicam, nisi quod est?
E. Ut illa respondeas probe.
Quid herilis noster filius? valet?
T. Pugilice atque athletice.
E. Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu attulisti. Sed ubi
Est is? *T.* Adveni simul.
E. Ubi is ergo est? nisi si in vidulo,
Aut si in melina attulisti. *T.* Dii te perdant! *E.* Te
Percontari: operam da; opera reddibitur tibi. (volo
T. Ius dicis. *E.* Me decet.
T. Iam tu autem nobis præturam geris?
E. Quem dices digniorem esse hominem hodie Athenis alterum?
T. At unum a prætora tua, Epidice, abest.
E. Quiduam? *T.* Scies.
Lictores duo, duo viminei fasces virgarū. *E.* Væ tibi!
Sed quid ais? *T.* Quid rogas?
E. Ubi arma sunt Stratippocli?
T. Pol, illa ad hostes transfugeruut.
E. Armane? *T.* Atqoe quidem cito.
E. Serione dicis tu? *T.* Serio, inquā: hostes habent.
E. Edepol, facinus improbum!
T. At iam ante alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. *E.* Qui?
T. Quia antea aliis fuit.
E. Mulciber, credo, arma fecit, quæ habuit Stratippocles:
Travolaverunt ad hostes. Tum ille prognatus Theti,
Sine, perdat: alia apportabunt eii Nerei filiæ.
Id modo videndā est, ut materies suppetat scutariis.
Si, in singulis stipendiis, is ad hostes exuvias dabit.
T. Supersede istis rebus iam.
E. Tu ipse, ubi lubet, finem face.
T. Desiste percontarier.
E. Eloquere, ipse ubi est Stratippocles?
T. Est causa, qua causa simul mecum ire veritu 'st.
E. Quidnam id est?
T. Patrem videre se non volt etiam uunc.
E. Quapropter? *T.* Scies.
Quia forma lepida et liberali captivā adolescentulā
De præda mercatu 'st. *E.* Quid ego ex te audio?
T. Hoc, quod fabulor.
E. Cur eam emit? *T.* Animi causa.
E. Quot illic homo animos habet?
Nam certo, priusquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipse mandavit mihi, ab lenone ut fidicina,
Quā amabat, emeretur sibi. Id ei impetratū reddidi.
T. Utcumque in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur.
E. Væ misero mihi! male perdidit me.
T. Quid istuc? quidnam est?
E. Quid? istanc quam emit, quanti eam emit?
T. Vili. *E.* Haud istuc te rogo.
T. Quid igitur? *E.* Quot minis? *T.* Tot.
E. Quadraginta minis!
T. Id adeo argentum ab danista apud Thebas sumsit fœnore,
In dies minasq; argenti singulas, nummis. *E.* Papæ!
T. Et is danista advenit una cū eo, qui argentū petit.
E. Dii immortales! ut ego interii basilice!
T. Quid istuc? aut quid est,
Epidice? *E.* Perdidit me. *T.* Quis? *E.* Ille, qui perdidit arma. *T.* Nam
Quid ita? *E.* Quia cotidie ipse ad me ab legione epistolas
Mittebat. Sed taceam optumum 'st: plus scire satius est, quam loqui
Servom hominem: ea sapientia 'st.
T. Nescio, edepol, quid tu timidu 's.
Trepidas, Epidice: ita voltum tuum video. Videre commeruisse
Hic, me absente, in te aliquid mali.
E. Potin' ut modestus ne sis?
T. Abeo. *E.* Asta: abire hinc non sinam.
T. Quid nunc me retines?
E. Amatne istam, quam emit de præda?
T. Rogas? deperit.
E. Detegetur corium de tergo meo
T. Plusque amat, quam te unquam amavit.
E. Iupiter te perduit! *T.* Mitte nunc iam: nam ille me vetuit domum
Venire: ad Charribulum iussit huc in proxumum: ibis manere iussit.
Eo venturu 'st ipse. *E.* Quid ita?
T. Dicam. Quia patrem prius
Se convenire non volt, neque conspicari, quam id argentum,
Quod debetur pro illa, dinumeraverit.
E. Heu, edepol, res turbulentas!
T. Mitte me, ut eam nunc iam.
E. Hæccine ubi scibit senex? puppis,
Pereunda 'st probe. *T.* Quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo?
E. Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum,
Benevolens cum benevolente.
T. Abi in malam rem maxumam a me
Cu istac conditione. *E.* I sane, si quid festinas magis.
T. Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius.
E. Illic hinc abiit; solus es nunc. Quo in loco hæc res sit, vides,
Epidice: nisi quid tibi in tete auxili 'st, absumtus es.
Tantæ in te impendent ruinæ; nisi suffulcis firmiter,
Non potes subsistere, ita; in te irruunt montes mali.
Neque, ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam,
Consilium placet. Ego miser perpuli meis dolis senem,
Ut censeret suam sese emere filiam. Is suo filio
Fidicinam emit, quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.

Iste hinc nunc alteram ab legione adduxit animi
Causa. Corium perdidi: nam, ubi senex senserit
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum.
At enim tu praecave. Nihil est istuc; plane hoc corruptum 'st caput.
Nequam homo es, Epidice: qui tibi libido 'st male loqui?
Quia tute te deseris. Quid faciam? Men' tu rogas?
Tu quidē antehac aliis solebas dare consilia mutua.
Quid? quid? Aliqua reperiundum 'st. Sed ego cesso ire obviam
Adolescenti, ut, quid negoti sit, sciam? atque ipse illic est.
Tristis est. Cum Chæribulo incedit æquali suo.
Huc concedā, orationē unde horū placide persequar.

SCENA II. *Stratippocles, Chæribulus, Epidicus.*

S. Rem tibi sum elocutus omnem, Chæribule; atque admodum
Meorum mœrorum atq; amorū summā edictavi tibi.
C. Præter ætatem et virtutem stultus es, Stratippocles:
Idne pudet te, quia captivā, genere prognatam bono,
In præda es mercatus? Quis erit, vitio qui id vortat tibi?
S. Qui invident, omnes inimicos mi istoc facto reperi:
At pudicitiæ eius nunquā nec vim nec vitium attuli.
C. Iam istoc probior es, meo quidem animo, cum in amore temperes.
S. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis.
Is est amicus, qui, in re dubia, re iuvat, ubi re est opus.
C. Quid tibi me vis facere?
S. Argenti dare quadraginta minas,
Quod danistæ detur, unde ego illud sumsi fœnore.
C. Si, hercle, haberem, non negarem.
S. Nam quid te igitur retulit
Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuum 'st?
C. Quin, edepol, egomet clamore defatigor, differor.
S. Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos, quam foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.
Quem quidem ego hominem, irrigatum plagis, pistori dabo,
Nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas,
Quam argenti fuero elocutus ei postremā syllabam.
E. Salva res est: bene promittit: spero servabit fidē.
Sine meo sumtu paratæ iam sunt scapulis symbolæ.
Aggrediar hominem. Advenientem peregre herum suum Stratippoclem
Salva impertit salute servos Epidicus. *S.* Ubi is est?
E. Adest.
Salvom te gaudeo huc advenisse. *S.* Tam tibi istuc credo, quam mihi.
E. Benene usque valuisti?
S. A morbo valui; ab animo æger fui.
E. Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandavisti mihi,
Impetratum 'st: emta ancilla 'st; quod tute ad me literis
Missitabas. *S.* Perdidisti omnem operam.
E. Num qui perdidi?
S. Quia meo neque cara 'st cordi, neque placet.
E. Quid retulit
Mihi tantopere te mandare, et mittere ad me epistolas?
S. Illam amabam olim; nunc iam alia cura impendet pectori.
E. Hercle, miserum 'st, ingratum esse id omne quod facias bene.
Ego quod bene feci, male feci, quia amor mutavit locum.
S. Desipiebam mentis, cum illas scriptas mittebam tibi.
E. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiā tuam?
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?
C. Quid istic verba facimus? huic homini opu 'st quadraginta minis
Celeriter calidis, danistæ quas resolvat, et cito.
E. Dic modo, unde auferre me vis? a quo trapezita peto?
S. Unde libet: nam, ni ante solem occasum [hoc argentum eloces,]
Meam domum ne inbitas; tu te in pistrinum [recta inferas.]
E. Facile tu istuc, sine periculo et cura, corde libero,
Fabulare. Novi ego nostros: mihi dolet, quom ego vapulo.
S. Quid tu nunc? patierin' ut ego me interimam?
E. Ne feceris.
Ego istuc accedam periculum potius atq; audaciam.
S. Nunc places; nunc ego te laudo.
E. Patiar ego istuc, quod lubet.
S. Quid de illa fiet fidicina igitur?
E. Aliqua reperibitur:
Aliqua ope exsolvam; extricabor aliqua.
S. Plenus consili es.
Novi ego te. *E.* Est Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui, ubi tibi istam emtam esse scibit, atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultro, ut illam transmittas sibi.
Sed ubi illa 'st, quam tu adduxisti tecum?
S. Iam, faxo, hic erit.
C. Quid hic nunc agimus? *S.* Eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem
Luculente habeamus. *E.* Ite intro. Ego de re argentaria
Iam senatū convocabo in corde consiliarium,
Quoi potissumum indicatur bellum, unde argentum auferam.
Epidice, vide quid agas: ita res subito hæc objecta 'st tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque conctandi copia 'st.
At eundē senē oppugnare certū 'st consiliū. I, i, abi
Intro; atque adolescenti dic iam nostro herili filio,
Ne hic foras ambulet, neve usquā veniat obviā seni.

ACTUS II. SCENA I. *Apœcides, Periphanes.*

A. Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet; ubi pudendum 'st,
Ibi eos deserit pudor, cum usus est ut pudeat. Is adeo tu es. Quid
Est, quod pudendum siet, genere natam bono, pauperem, domum
Ducere uxorem? præsertim eam, qua ex tibi commemores
Hanc, quæ domi 'st, filiam prognatam.
P. Revereor filium.
A. At, pol, ego te credidi uxorem, quam tu extulisti, pudore exsequi:
Quoius quoties sepulcrum vides, sacruficas illico Orco hostiis:

Neque adeo iniuria, quia licitum 'st eam tibi vivendo vincere.
P. O! Hercules ego fui, dum illa mecum fuit: neque senta ærumna
Acerbior Herculi, quam illa mihi estobiecta.
A. Pulchra
Edepol, dos pecunia 'st.
P. Quæ quidem, pol, non maritata 'st.

SCENA II. *Epidicus, Apœcides, Periphanes.*

E. St, st! tacete. Habete animum bonum. Liquido exeo foras
Auspicio, avi sinistra. Acutam cultrum habeo, senis qui exenterem
Marsupium. Sed eccum ipsum ante ædis conspicor [et Apœdicem,]
Qualis volo, vetulos duo. Iam ego me convortam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem, senati qui columen cluent.
A. Continuo ut maritus fiat. *P.* Laudo consiliũ tuũ.
A. Nam ego illum audivi in amorem hærere apud nescio quam fidicinam.
P. Id ego excrucior. *E.* Dii, hercle, omnes me adiuvant, augent, amant.
Ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam.
Age, nunc iam orna te, Epidice, et palliolum in collum coniice;
Itaque assimulato, quasi per urbem totam hominem quæsiveris.
Age, si quid agis. Dii immortales! utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem quem sum defessus quærere,
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro;
Per myropolia, et lanienas, circumque argentarias.
Rogitando sum raucus factus: pæne in cursu concidi.
P. Epidice. *E.* Epidicum quis est qui revocat?
P. Ego sum Periphanes.
A. Et ego Apœcides sum. *E.* Et ego quidem sum Epidicus. Sed, here, optuma
Vos video ambo advenire opportunitate.
P. Quid rei est?
E. Mane: sine respirem, quæso. *P.* Immo, acquiesce.
E. Animo male est.
Recipiam anhelitum. *A.* Clementer requiesce.
E. Animum advortite.
A legione omnes remissi sunt domum Thebis.
A. Quis hoc
Scit factum? *E.* Ego ita esse factum dico.
P. Scin tu istuc? *E.* Scio.
P. Qui tu scis? *E.* Quia ego ira vidi milites plenis viis.
Arma referunt, et iumenta ducunt.
P. Nimis factum bene!
E. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines,
Binos, ternos: alios quinque: fit concursus per vias.
Filios suos quisque visunt. *P.* Hercle rem gestã bene!
E. Tum meretricum numerus tantus, quantam in urbe omni fuit,
Obviam ornatæ occurrebant suis quæq; amatoribus:
Eos captabant. Id adeo qui maxume animum advorterim,
Pleræque hæ sub vestimentis secum habebant retia.
Quom ad portum venio, atque ego illam illic video præstolarier:
Et cum ea tibicinæ ibant quatuor. *P.* Quicũ, Epidice?
E. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit;
Ubi fidemque, remque, seq., teque, properat perdere:
Ea præstolabatur illum apud portam.
P. Viden' veneficam!
E. Sed vestita, aurata, ornata, ut lepide! ut concinne! ut nove!
P. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam,
Impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.
E. Utin' impluvium induta est?
P. Quid istuc est mirabile?
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus cum imperatu 'st, negant pendi potesse:
Illis, quibus tributus maior penditur, pendi potest.
Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam spissã, linteolũ cæsicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum aut subnimium, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum; gerræ maxumæ!
Cani quoque etiam ademtum 'st nomen. *E.* Qui?
P. Vocant Laconicum.
Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri,
Quin tu, ut occepisti, loquere.
E. Occeperæ aliæ mulieres
Duæ post me sic fabulari inter sese; ego abscessi solens
Paulum ab illis: dissimulabam me harum sermoni operam dare.
Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallabar tamen,
Quæ loquerentur. *P.* Id lubido est scire.
E. Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat.... *P.* Quid?
E. Tace ergo, ut audias.
Postquam illam sunt conspicatæ, quam tuus gnatus deperit,
Quam facile et quam fortunate evenit illi, obsecro, mulieri,
Liberare quam volt amator! Quisnam is est? inquit altera
Illi. Ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium.
P. Perii,
Hercle! Quid ego ex te audio? *E.* Hoc, quod actum. Egomet post, ubi illas audivi loqui,
Cœpi rursum vorsum ad illas pauxillatim accedere,
Quasi retruderet hominum me vis invitum.
P. Intellego.
E. Ibi illa interrogavit illam; Qui scis? quis id dixit tibi?
Quin hodie allatæ sunt tabellæ ad eam a Stratippocle, eum
Argentum sumsisse apud Thebas ab danista fœnore:
Id paratum, et sese ob eam rem id ferre.
P. Cedo, ego occidi!
E. Hæc aibat sic audivisse se ab ea, atque ab epistola.
P. Quid ego faciam nunc? consilium a te expetesso, Apœcides.
A. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili:
Nam illa quidem aut iam hic aderit, credo, hercle, aut iam adest. *E.* Si æquom siet
Me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum,
Quod laudetis, ut ego opinor, uterque.
P. Ergo ubi est, Epidice?
E. Atque ad eam rem conducibile.
A. Quid istuc dubitas dicere?

E. Vos priores esse oportet, nos posteriusdicere,
Qui plus sapitis. *A.* Eia vero, age, dic.
E. At deridebitis.
A. Non,edepol,faciemus. *E.* Immo,si placebit,utitor
Consilium: si non placebit, reperitote rectius.
Mihi istic nec seritur, nec metitur; nisi ea, quæ tu vis, volo.
P. Gratiam haben: fac participes nos tuæ sapientiæ.
E. Continuo arbitretur uxor tuo gnato: atque ut fidicinam
Illā, quam is volt liberare, quæ illū corrumpit tibi,
Ulciscare: atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.
A. Fieri oportet. *P.* Facere cupio quidvis, dum id fiat modo. *E.* Hem!
Nunc occasio 'st faciundi, priusquam in urbem advenerit,
Sicut cras hic aderit: hodie non venerit.
P. Qui scis? *E.* Scio,
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, mane hic affore.
P. Quin tu eloquere: quid faciemus?
E. Sic faciundum censeo;
Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia,
Quasique ames vehementer tu illam.
P. Quam ad rem istuc refert? *E.* Rogas?
Ut enim præstines argento, priusquam veniat filius,
Atque ut eā te in libertatē dicas emere. *P.* Intellego.
E. Ubi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas; nisi quid tua
Secus sententia 'st. *P.* Immo, docte.
E. Quid tu autem, Apœcides?
A. Quid ego iam? nisi te commentum nimis astute intelligo.
E. Iam tunc igitur amota ei erit omnis consultatio
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis.
A. Vive sapis: et placet.
E. Tum tu se igitur callide, quidquid acturu 's, age.
P. Rem, hercle, loquere. *E.* Et reperi, hæc te qui abscedat auspicio.
P. Sine me scire. *E.* Scibis: audi.
A. Sapit hic pleno pectore.
E. Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina.
Nam te illo non æque opus facto 'st.
P. Quid iam? *E.* Ne te censeat
Filii causa facere. *P.* Docte.
E. Quo illum ab illa prohibeas,
Ne qua ob eam suspicionem difficultas eveniat.
P. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem?
E. Hic erit optumus.
Hic poterit cavere recte, iura qui et leges tenet.
A. Epidice, habeas gratiam.
E. Sed ego istuc faciam sedulo.
Ego illam conveniam, atque adducam huc ad te, quoia 'st fidicina;
Atque argentum ego cum hoc feram.
P. Quanti emi potest minimo? *E.* Illane?
Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas.
Verū, si plus dederis, referā: nihil in ea re captio 'st.
Atque id non decē occupatum tibi erit argentū dies.
P. Qui dum? *E.* Quia enim mulierem illam alius adolescens deperit,
Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hostium,
Gloriosus. Hic emet illā de te, et dabit aurū lubens.
Face modo: est lucrum hic tibi amplum.
P. Deos quidem oro. *E.* Impetras.
A. Quin tu is intro, atque huc argentum promis? Ego visam ad forum:
Epidice, eo veni. *E.* Ne abeas, priusquam ego ad te venero.
A. Usque opperiar. *P.* Sequere tu intro.
E. I, numera: nil ego te moror.

SCENA III. *Epidicus.*

Nullum esse opinor ego agrum in agro Attico
Æque feracem, quam hic est noster Periphanes;
Quin ex occluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod, pol, ego metuo, si senex resciverit,
Ne ulmos parasitos faciat, quæ usque attondeant.
Sed me una turbat res ratioque, Apœcidi
Quam ostendam fidicinam aliqua conducticiam.
Atque id quoque habeo. Mane me iussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.
Ea conducetur; atque ei præmonstrabitur,
Quo pacto fiat subdola advorsus senem.
Ibo intro; argentum accipiam ab damnoso sene.

ACTUS III. SCENA I. *Stratippocles, Chæribulus.*

S. Exspectando exedor miser, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eveniant. Nimis diu maceror.
Sitne quid, necne sit, scire cupio.
C. Per illam tibi copiam,
Copiam parare aliā licet. Scivi equidem in principio
Illico nullam tibi esse in illo copiam.
S. Interii, hercle, ego!
C. Absurde facis, qui angas te animi. *S.* Si, hercle, ego illum semel prehendero,
Nunquam irridere nos illum inultum sinam servom hominem.
C. Quid illum ferre vis? *S.* Quid? tibi quoi divitiæ domi maxumæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec sodali tuo in te copia 'st.
C. Si, hercle, habeā, pollicear lubens: verum aliquid, aliqua, aliquo modo,
Alicunde, ab aliqui, aliqua tibi spes est fore mecum fortunam.
S. Væ tibi, murcide homo!
C. Qui tibi lubet mihi male loqui?
S. Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis,
Quod nusquam 'st: neque ego id immitto in aures meas: nec mihi
Plus adiumenti ades, quam ille qui nunquam etiam natu 'st.

SCENA II. *Epidicus, Stratippocles, Chæribulus.*

E. Fecisti iam officium tu tuum: me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet esse. Hoc quidem iam periit:
Ni quid tibi hinc in spem referas: hoc [hostium potitum 'st.]
Crede modo tu mihi: sic ego ago; sic egere nostri.
Pro Dii immortales! mihi hunc diem dedistis luculentum!
Ut facilem, atque impetrabilem! Sed ego hinc migrare cesso,
Ut importem in coloniam hunc auspicio commeatū!
Mihi cesso, cum sto. Sed quid hoc? Ante ædes duos sodales,

Harum et Chæribulum, conspicor. Quid hic agitis? Accipe hoc sis.
S. Quantum hic inest? *E.* Quantum sat est, at plus satis: supersit.
Decē minis plus attuli, quā tu Danistæ dabes. (cio.
Du tibi ego placeā atq; obsequar, meū tergū floccifa-
S. Nam quid ita? *E.* Quia ego tuum patrem faciam perenticidam.
S. Quid istuc est verbi?
E. Nil moror vatara et vulgata verba,
Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.
Nam leno omne argentum abstulit pro fidicina, (ego resolvi;
Manibus his dinumeravi) pater suam guatam quam esse credit.
Nunc, iterum ut fallatur pater, tibique auxilium apparetur,
Inveni viam. Ita ego suasi seni, atque hanc habui orationem,
Uti, tu quom redisses, ne tibi eius copia esset.
S. Euge! euge! *E.* Ea iam domi 'st pro illa. *S.* Teneo.
E. Nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem. Is apud forum manet me:
Quasi, quoi emeret, caveat. *S.* Haud male.
E. Iam ipse cautor captu 'st.
Ipse in meo collo tuus pater crumenam collocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.
S. Uno persuadebit modo, si illam, quæ adducta 'st mecum,
Mihi ademsit Orcus.
E. Nunc ego hanc astutiam institui.
Deveniam ad lenonem domum egomet solus: eum ego docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicina: argenti minas se habere quinquaginta.
Quippe ego qui, nudius tertius, meis manibus dinumeravi
Pro illa tua amica, quam pater suam filiam esse retur.
Ibi leno sceleratum caput suum imprudens alligabit,
Quasi pro illa argentum acceperit, quæ tecum adducta nunc est.
C. Vorsutior es, quā rota figularis. *E.* Iam ego parabo
Aliquā dolosā fidicinam, nummo conducta quæ sit;
Quæ se emtam simulet; quæ senes duo docta ludificetur.
Eā ducet simul Apœcides ad tuū patrē. *S.* Ut parate!
E. Eam permeditatam, meis dolis astutiisque onustam,
Mittam: sed nimis longum loquor: diu me estis demorati.
Hæc scitis iā, ut futura sint. Abeo *S.* Bene ambulato.
C. Nimis doctus ille est ad malefaciundum.
S. Me quidem certo
Servavit consiliis suis. *C.* Abeamus intro hinc ad me.
S. Atque aliquanto lubentius quam abs te sum egressus intus.
Virtute atque auspicio Epidici cum præda in castra redeo.

SCENA III. *Periphanes, Apœcides, Servus.*

P. Non oris caosa modo homines æquom fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum;
Sed, qui perspicere possent cor, sapientiæ.
Fuit conducibile hoc quidem mea sententia,
Igitur perspicere ut possent cordis copiam.
Ubi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adolescentia.
Vel quasi egomet, qui dum filii caosa cœperam
Ego me excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset med erga; aut quasi non plurimum
Malefacta mea essent solida in adolescentia.
Profecto deliramus interdum senes.
Sed meus sodalis it cum præda Apœcides.
Venire salvom mercatorem gaudeo.
Quid fit? *A.* Dii Deæq; te adiuvant. *P.* Omen placet.
A. Quoi omini omnes suppetunt res prosperæ.
Sed tu hanc intro iubeas abduci. *P.* Heus! foras
Exite huc aliquis. Duce istam intro mulierem;
Atque audin'? *S.* Quid vis? *P.* Cave siris cum filia
Mea copulari hanc, neque conspicere. Iam tenes?
In ædiculam istanc seorsum concludi volo.
Divortunt mores virgini longe ac lupæ.
A. Docte et sapienter dicis. Non nimis potest
Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.
Edepol, næ istam tempore gnato tuo
Sumus præmercati. *P.* Quid iam? *A.* Quia dixit mihi
Iamdudum se alius tuum vidisse hic filium.
P. Hanc, edepol, rem apparabat.
A. Plane, hercle, hoc quidem 'st.
Næ, tu habes servom graphicum, et quantivis preti!
Non carus 'st auro contra. Ut ille fidicinam
Fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi!
Ita ridibundam atque hilarem huc adduxit simul.
P. Mirum, hoc qui potuit fieri! *A.* Te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi,
Quia Thebis salvos redierit. *P.* Recte istitit.
A. Immo, ipsus illi dixit, conductam esse eam,
Quæ hic administraret ad rem divinam tibi.
Ego illic me autem sic assimulabam quasi
Stolidum, cum bardu me faciebā *P.* Immo, ita decet.
A. Res magna amici apud forum agitur: ei volo
Ire advocatus. *P.* At, quæso; ubi erit otium,
Revortere ad me extemplo. *A.* Continuo hic ero.
P. Nihil homini amico est opportuno amicius:
Sine tuo labore, quod velis, actum est tamen.
Ego si allegassem aliquem ad hoc negotium
Minus hominē doctū, minusq; ad hanc rem callidum,
Os sublitum esset: itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumo.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

SCENA IV. *Miles, Periphanes, Fidicina.*

M. Cave præterbitas ullas ædes, quin roges,
Senex ubi habitat Periphanes Platenius.
Incertus tuum cave ad me retuleris pedem.
P. Adolescens, si istunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi commonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam?
M. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortales deceat agere gratias.
P. Non reperisti, adolescens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut postulas.
Nam strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.
Sed istum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego sum, si quid vis. *M.* Nempe quē, in adolescentia,
Memorant, apud reges, armis, arte duellica,
Divitias magnas indeptum? *P.* Immo, si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
M. Pol, ego magis unum quæro, meas quoi prædicem,
Quam illom, qoi memoret suas mihi. *P.* Hic non est locus,
Quin tu alium quæras, quoi centones sarcias.
[Atque hæc stultitia 'st me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adolescentia:
Quom militabam, pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.]

M. Animum advorte, ut, quod ego ad ta venia, intellegas.
Meam amicam audivi te esse mercatum. *P.* Atate!
Nunc demum scio ego hunc, qui sit; quem dudū Epi-
Mihi prædicavit militem. Adolescens, ita 'st (dicus
Ut dicis: emi. *M.* Volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. *P.* Non, edepol, scio,
Molestumne sit mihi, nisi dicis quid velis.
M. Mihi illam ut tramittas: argentum accipias.
P. Habeas. *M.* Nam quid ego apud te parcā proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ sit. *P.* Te absolvam brevi:
Argenti quinquaginta mihi illa emta est minis.
Si sexaginta mihi denumerantur minæ,
Tuas possidebit mulier, faxo, ferias:
Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro. (cet.
M. Estne emta mihi hæc? *P.* Istis legibus habeas li-
M. Conciliavisti pulchre. *P.* Heus! foras educite,
Quam introduxistis fidicinam: atque etiam fides.
Ei quæ accessere, tibi addam dono gratiis.
Age, accipe hanc sis. *M.* Quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras eudis? quin tu fidicinam
Produci intus iubes? *P.* Hæc ergo est fidicina
Hic alia nulla 'st. *M.* Non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem?
P. Hæc, inquam, est. *M.* Nun hæc, inquam, est: non novisse me
Meam rere amicam posse? *P.* Hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. *M.* Hæc non est ea.
P. Quid? non est? *M.* Non est. *P.* Unde hæc igitur gentium 'st?
Equidē, hercle, argentū pro hac dedi. *M.* Stulte datū
Reor, atque peccatum largiter. *P.* Immo, hæc ea 'st:
Nam servom misi, qui sectari solet meum
Gnatum: ipse hanc emit fidiciuā. *M.* Hē! istic homo
Articulatim te concidit, senex tuus
Servos. *P.* Quid? concidit? *M.* Mihi sic suspicio 'st.
Nam, pro fidicina, hæcce supposita 'st tibi.
Senex, tibi os est sublitum plane et probe.
P. Ego illam requiram iam, ubi ubi est. Bellator, vale.
Euge! frugi, Epidice, frugi es! pugnasti! Homo es,
Qui me emunxisti mucidum, minimi preti.
Mercatus te hodie est de lenone Apœcides?
Ehodum? *F.* Ego istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem;
Neque me quidem emere quisquam ulla pecunia
Potuit: plus iam sum libera quinquennium.
P. Quid tibi negoti 'st meæ domi igitur? *F.* Audies.
Conducta veni, ut fidibus cantarem seni,
Dum rem divinam faceret. *P.* Fateor me omnium
Hominum esse Athenis Atticis minimi preti.
Sed tu novistin' fidicinam Acropolistidem?
F. Tam facile, quam me. *P.* Ubi habitat?
F. Postquam libera 'st, ubi
Habitet dū, incerto scio. *P.* Eho! ain'? quis eā libera-
Volo scire, si scis. *F.* Id, quod audivi, audies. (verit,
Stratippoclem, audivi, Periphani filium,
Absentem curavisse ut fieret libera.
P. Perii, hercle! Si istæc vera sunt, planissume
Meum exenteravit Epidicus marsupium.
F. Hæc sic audivi: numquid me vis cæterum?
P. Malo cruciatu ut pereas, atque abeas cito.
F. Fides non reddis? *P.* Neque fides, neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, si te Dii amant. *F.* Abie-
Flagitio cum maiore post reddes tamen. (ro.
P. Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Eumne ego sinam impune? Immo, etiam si alterum
Tantum perdendum 'st, perdam potius, quam sinam
Me impune irrisum esse habitum, depeculatum eis.
Sic data esse verba præsenti palam!
Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque iurium fictor, conditor cluet.
Is etiam sese sapere memorat; malleum
Sapientiorem * * * manubrio.

Actus IV. Scena I. *Philippa, Periphanes.*

Ph. Si quid homini miseriarum, quod miserescat miseri ex animo, est,
Id ego experior, quoi multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulsant simul: multiplex ærumna me exercitam habet: paupertas,
Pavor territat mentem animi; neque, ubi meas collocem spes,
Habeo usquam munitum locum: ita gnata mea hostium 'st potita;
Atque, ea nunc ubi sit, nescio.
P. Quis illæc est mulier, timido
Pectore peregre adveniens, quæ ipsa se miseratur?
Ph. In his dictu 'st
Locis habitare mihi Periphanes.
Pe. Me nominat hæc: credo ego,
Illi hospitio usus [venit.] *Ph.* Pervelī mercedē dare,
Qui monstret eum mihi hominem, aut ubi habitet.
Pe. Noscito ego hanc.
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. Estne ea, an non
Est, quam animus retur meus?
Ph. Dii boni! visitavi antidhac.
Pe. Certe ea est; quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
Ph. Plane hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. *Pe.* Quæ meo compressu peperit filiam, quā domi
Nunc abeo. *Ph.* Quid si adeam?
Pe. Haud scio an congrediar, si hæc ea 'st.
Ph. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam dant.... *Pe.* Longa
Dies meum incertat animum. Sin ea est, quam incerto autumo, hanc
Congrediar astu. *Ph.* Muliebris adhibenda mihi malitia nunc est.
Pe. Compellabo. *Ph.* Orationis aciē contra conferā.
Pe. Salva sis! *Ph.* Salutem accipio mihi et meis.
Pe. Quid cæterum?
Ph. Salvos sis: quod credidisti, reddo.
Pe. Haud accuso fidem.
Novin' ego te? *Ph.* Si ego te novi, animum inducam, uti noveris.
Pe. Ubi te visitavi? *Ph.* Inique iniuriu's.
Pe. Quid iam? *Ph.* Quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquom censes.
Pe. Commode
Fabulata es. *Ph.* Mira memoras. *Pe.* Hē! istuc rectius.
Meministin'? *Ph.* Memini id. *Pe.* In Epidauro....
Ph. Ah! guttula
Pectus ardens mi aspersisti. *Pe.* Virgini pauperculæ,
Tuæque matri, me levare paupertatē. *Ph.* Tun' is es,
Qui, per voluptatem tuam, in me ærumnam obsevisti gravem?
Pe. Ego sum. Salve. *Ph.* Salva sum, quia te esse salvom sentio.
Pe. Cedo manum. *Ph.* Accipe: ærumnosam et miseriarum compotem
Mulierem retines.
Pe. Quid est, quod voltus se turbat tuus?
Ph. Filiam, quam ex te suscepi... *Pe.* Quid eam?

Ph. Eductam perdidi.
Hostium est potita. *Pe.* Habe animum lenem, et tranquillum face:
Domi meæ eccam salvam et sanam. Nam, postquam audivi illico,
Ex meo servo, illam esse captivam, continuo argentum dedi,
Ut emeretur. Ille eam rem adeo sobrie et frugaliter
Accuravit, ut alias res est impense improbus. (iube
Ph. Fac videã, si me vis. *Pe.* Eho! istinc, Canthara,
Statim Telestidem prodire filiam ante ædes meam,
Ut suam videat matrem.
Ph. Remigrat animus nunc demum mihi.

SCENA II. *Fidicina, Periphanes, Philippa.*

F. Quid est, pater, quod me excivisti ante ædis?
Pe. Ut matrem tuam
Videas, adeas, advenienti des salutem atque osculũ.
F. Quam meam matrem? *Pe.* Quæ exanimata exequitur aspectum tuum.
Ph. Quis istæc est, quam tu osculum mihi ferre iubes? *Pe.* Tua filia.
Ph. Hæccine? *Pe.* Hæc. *Ph.* Egone osculum huic dem?
Pe. Cur non, quæ ex te nata sit?
Ph. Tu, homo, insanis. *Pe.* Egone? *Ph.* Tute.
Pe. Cur? *Ph.* Quia ego hanc, quæ siet,
Neque scio, neque novi; neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
Pe. Scio, quid erres, quia vestitum atque ornatum mutabilem
Habet hæc. *Ph.* Aliter catuli longe olent, aliter sues. Nego
Eam me novisse, quæ sit. *Pe*, Pro Deum atque hominum fidem!
Quid? ego lenocinium facio? qui habeã alienos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorsum. Quid tu, quæ patrem
Tuum vocas me, atque osculare? quid stas stupida? quid taces?
F. Quid loquar vis? *Pe.* Hæc negat se tuã esse matrẽ.
F. Ne fuat,
Si non volt. Equidem, hac invita, tamen ero matris filia.
Non me istanc cogere æquom 'st meam esse matrem, si nevolt.
Pe. Cur me igitur patrem vocabas?
F. Tua istæc culpa 'st, non mea.
Non patrẽ ego te nominẽ, ubi tu tuã me appelles filiã?
Hanc quoque etiam, si me appellet filiã, matrẽ vocẽ.
Negat hæc, filiam me suam esse; non ergo hæc mater mea 'st.
Postremo, hæc mea culpa non est: quæ didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magister fuit.
Pe. Perii! plaustrum perculi.
F. Numquid ego ibi peccavi?
Pe. Si, hercle, te unquam audivero patrem
Me vocare, vitam tuam ego interimam, pessuma.
F. Non voco.
Ubi voles pater esse, ibi esto: ubi noles, ne fueris pater.
Ph. Quid? ob eam rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratu 's? quibus
De signis agnoscebas? *Pe.* Nullis. *Ph.* Quare filiam
Credidisti nostram? *Pe.* Servos Epidicus dixit mihi.
Ph. Quid? si servo aliter visum 'st, non poteras novisse, obsecro?
Pe. Quid ego? qui illam, ut primum vidi, unuquam vidi postea?
Ph. Perii misera! *Pe.* Ne fle, mulier: intro abi; habeto animum bonum.
Ego illam reperiam.
Ph. Hinc Atheniis civis eam emit Atticus:
Adolescentem equidem dicebant emisse.
Pe. Inveniam; tace:
Abi modo intro, atq; hanc asserva Circã, Solis filiã.
Ego, relictis rebus, Epidicũ operam quærundo dabo:
Si invenio, exitiabilẽ ego illi faciã hunc, ut fiat, diẽ.

ACTUS V. SCENA I.
Stratippocles, Epidicus, Danista, Virgo.

S. Male morigerus mihi est Danista, qui de me argentum non petit,
Neque illam adducit, quæ empta ex præda 'st. Sed, eccum, incedit Epidicus.
Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine?
E. Si undecĩ Deos præter sese secu adducat Iupiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicũ.
Periphanẽ emere lora vidi: aderat ibi una Apœcides.
Nunc homines me quæritare credo. Senserunt: sciunt
Sibi data esse verba. *S.* Quid agis, mea commoditas? *E.* Quod miser. 7
S. Quid est tibi?
E. Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Prinsquam pereo? nam per urbẽ duo deflocati senes
Quæritant me: in manibus gestant copulas sescuncias. 11
S. Habe bonum animum.
E. Quippe ego, quoi libertas in mundo sita 'st?
S. Ego te servabo.
E. Edepol, me illi melius, si nacti fuant.
Sed quis est hæc muliercula, et illic gravastellus, qui venit?
S. Hic est Danista: hæc illa 'st autem, quam emi ex præda. *E.* Hæccine 'st?
S. Hæc. Estne, ut tibi dixi? Aspecta. *E.* Hæc?
S. Contempla, Epidice:
Usque ab unguiculo ad capillum summum 'st festivissuma.
Estne? Considera. Vide! Signũ pictũ pulchre videris.
E. Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas;
Quem Apelles atque Zeusis duo pingent pigmentis ulmeis.
S. Dii immortales! otiose isse admiror. Pedibus pulmoneis
Qui perhibetur, prius venisset, quam tu advenisti mihi.
D. Hæc, edepol, remorata med est.
S. Siquidem istius gratia
Es remoratus, quod ista voluit, nimiũ advenisti cito.
D. Age, age, absolve me, atque argentum numera, ne comites morer.
S. Pernumeratum est. *D.* Tene cruminam: huc inde. *S.* Sapienter venis.
Opperire, dum effero ad te argentum. *D.* Matura.
S. Domi est.
E. Satin' ego oculis utilitatem obtineo sincere, an parum?
E Philippa matre natam, ac Thebis, Epidauri satã,
Videon' ego Telestidem te, Periphani filiam?
V. Quis tu homo es, qui meum parentum nomen memoras, et meum?
E. Non me novisti? *V.* Quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
E. Non meministi me auream ad te afferre natali die
Lunulam, atque anellum aureolum in digitum? 34

V. Menlui, mi homo.
Tun' is es? *E.* Ego sum; et istic frater tuus est, alia matre, unu patre.
V. Quid, pater meus? vivu 'st?
E. Animo liquidu et tranquillo es: tace.
V. Dii me ex perdita servatam cupiunt, si vera autumas.
E. Non habeo ullam occasionem, ut apud te falsa fabuler.
S. Accipe argentum hoc, Danista. Hic sunt quadraginta minæ.
Si quid erit dubium, immutabo.
D. Bene fecisti: bene vale.
S. Nunc enim tu mea es.
V. Soror quidem, edepol, ut tu æque scias.
Salve, frater! *S.* Sanan' hæc est?
E. Sana, si appellat suum.
S. Quid? ego modo huic frater factus, dum intro eo atque exeo?
E. Quod boni 'st, id tacitus taceas tute tecum, et gaudeas.
S. Perdidisti, et reperisti me, soror. *E.* Stultus, tace!
Tibi quidem, quod ames, domi præsto 'st fidicina, opera mea:
Et sororem in libertatem idem opera concilio mea.
S. Epidice, fateor.
E. Abi intro, ac iube huic aquam calefieri.
Cætera hæc posterius, faxo, scibis, ubi erit otium.
S. Sequere hac me, mea soror.
E. Ego ad vos Thesprionem iussero
Huc transire. Sed memento, si quid sæviunt senes,
Suppetias mihi cum sorore ferre. *S.* Facile istuc erit.
E. Thesprio, exi istac per hortum; affer dumum auxilium mihi.
Magna 'st res. Minoris multo facio, quam dudum, senes.
Remeabo intro, ut accurentur advenientes hospites.
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego scio, Stratippoclem.
Non fugio: domi adesse certum 'st: neque ille haud obiiciet mihi
Pedibus sese provocatum. Abeo intro: nimis longum loquor.

SCENA II. *Periphanes, Apœcides, Epidicus.*

P. Satin' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
Habet? *A.* Immo, edepol, tu quidem miserum me habes miseris modis.
P. Tace sis modo. Sine me hominem apisci.
A. Dico ego tibi iam, ut scias:
Alium tibi te comitem melius quærere: ita, dum te sequor,
Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.(tc?
P. Quot illic hodie me exemplis ludificatu 'st, atque
Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
A. Apage illum a me; nam ille quidem Volcani irati 'st filius:
Quaqua tangit, omne amburit: si prope astes, æstu calefacit.
E. Duodecim Deis plus quam in cœlo est Deorum immortalium,
Mihi nunc auxilio adiutores sunt, et mecū militant.
Quidquid ego malefeci, auxilia mihi et suppetiæ sunt domi.
Ἀπολακτίζω inimicos omnes.
P. Ubi illum quæram gentium?
A. Dum sine me quæras, quæras, mea causa, vel medio in mari.
E. Quid me quæris? quid laboras? quid hunc sollicitas? ecce me.
Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis?
Nec tibi supplico. Vincire vis? hem! ostendo manus.
Tu habes lora: ego te emere vidi. Quid nunc cessas? colliga.
P. Ilicet: vadimonium ultro mihi hic facit.
E. Quin colligas?
P. Edepol, mancupium scelestum!
E. Te profecto, Apœcides,
Nihil moror mihi precaturem.
A. Facile exoras, Epidice.
E. Ehe! quid agis? *P.* Tuon' arbitratu?
E. Meo, hercle, vero, atque haud tuo,
Colligandæ hæ sunt tibi hodie. *P.* At non lubet.
E. Non colligas?
P. At mihi magis lubet solutum te rogitare.
E. At nihil scies.
A. Tragulam in te iniicere adornat: nescio quam fabricam facit.
E. Tibi moram facis, cum ego solutus asto. Alliga, inquam; colliga.
P. Quid ago? *A.* Quid agas? mos geratur.
E. Frugi es tu homo, Apœcides.
P. Cedo manus igitur.
E. Morantur nihil; atque arcte colliga.
Nihil vero obnoxiose. *P.* Facto opere, arbitraminor.
E. Bene hoc habet: age nunc iam, ex me exquire: rogita quod lubet.
P. Qua fiducia ausu 's primum, quæ emta 'st nudius tertius,
Filiam meam dicere esse? *E.* Libuit: ea fiducia. (lia.
P. Ain' tu? libuit? *E.* Aio: vel da pignus, ni ea sit fi-
P. Quam negat novisse mater?
E. Ni ergo matris filia 'st,
In meum nummum, in tuum talentum, pignus da.
P. Enim istæc captio 'st.
Sed quis ea 'st mulier?
E. Tui gnati amica, ut omnem rem scias.
P. Dedin' tibi minas triginta ob filiam?
E. Fateor datas,
Et eo argento illam me emisse amicam filii fidicinam
Pro tua filia. Istis adeo te tetigi triginta minis.
P. Quomodo me ludifecisti de illa conducticia
Fidicina! *E.* Factum, hercle, vero; et recte factum iudico.
P. Quid postremo argento factum 'st, quod dedi?
E. Dicam tibi.
Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Stratippocli.
P. Cur dare ausu 's? *E.* Quia mihi libitum 'st.
P. Quæ hæc, malum! ferocia 'st?
E. Etiam inclamitor quasi servos?
P. Cum tu es liber, gaudeo.
E. Merui, ut fierem. *P.* Tu meruisti?
E. Vise intro: ego faxo, scies
Hoc ita esse. *P.* Quid est negoti?
E. Iam ipsa res dicet tibi.
Abi modo intro. *P.* Hei! non illuc temere 'st! Asserva istunc, Apœcides.
A. Quid illuc, Epidice, est negoti?
E. Maxima, hercle, iniuria
Vinctus asto, quoius hæc hodie opera inventa 'st filia.
A. Ain' tu te illius invenisse filiam?
E. Inveni; et domi est.
Sed, ut acerbum 'st, pro benefactis cum mali messem metas!

A. Quemne hodie per urbem uterque sumus defessi quærere?
E. Ego sum defessus reperire, vos defessi quærere.
P. Quid istic oratis opere tauto? meruisse intellego,
Ut liceat merito huius facere: cedo tu, ut exsolvam, manus,
E. Ne attigas. *P*. Ostende vero. *E*. Nolo.
P. Non æquom facis.
E. Nunquam, bercle, hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam.
P. Optumum atque æquissumum oras. Soccos, tunicam, pallium
Tibi dabo. *E*. Quid deinde porro? *P*. Libertatem.
E. At postea?
Novo liberto opu'st, quod pappet.
P. Dabitur: præbebo cibum.
E. Nunquam, bercle, hodie, nisi me orassis, solves.
P. Oro te, Epidice,
Mihi ut ignoscas, si quid imprudens culpa peccavi mea.
At oh eā rē liber esto. *E*. Invitus do hanc veniā tibi,
Nisi necessitate cogar. Solve sane, si lubet.

GREX.

Hic is homo 'st, qui libertatem malitis invenit sua.
Plaudite, valete: lumbos surgite atque extollite.

+ MENAECHMEI

DRAMATIS PERSONÆ.

PENICULUS, *parasitus*.	MULIER, *uxor*.
MENÆCHMUS, *surreptus*.	SERVUS *alius*.
EROTIUM, *meretrix*.	ANCILLA.
CYLINDRUS, *coquus*.	SENEX.
MENÆCHMUS, *Sosicles*.	MEDICUS.
MESSENIO, *servus*.	LORARII.

Argumentum (PRISCIANI?)

Mercator Siculus, cui erant gemini filii,
Ei, surrepto altero, mors obtigit.
Nomen surrepticii illi indit, qui domi est,
Avus paternus, facit Menæchmum Sosiclem.
Et is germanum, postquam adolevit, quæritat
Circum omnes oras. Post Epidamnum devenit.
Hic fuerat auctus, ille surrepticius.
Menæchmum civem credunt omnes advenam:
Eumque appellant, meretrix, uxor, et socer.
Ii se cognoscunt fratres postremo invicem.

Prologus

Salutem primum iam a principio propitiam
Mihi, atque vobis, spectatores, nuntio.
Apporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quæso, ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentū accipite, atque animū advortite.
Quam potero, in verba conferam paucissuma.
Atque hoc poetæ faciunt in comœdiis.
Omneis res gestas esse Athenis autumant,
Quo vobis illud Græcum videatur magis.
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum Græcissat; tamen
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.
Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo:
Tanta ad narrandum argumentum est benignitas.
Mercator quidam fuit Syracusis senex:
Ei sunt nati filii gemini duo,
Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat;
Neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat;
Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat.
Ego illos non vidi, ne quis vostrum censeat.
Postquam iam pueri septuennes sunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in navem pater;
Tarentum avexit secum ad mercatum simul:
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi forte erant, quom illuc venit:
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant.
Puer aberravit inter homines a patre.
Epidamniensis quidam ibi mercator fuit:
Is puerum tollit, avehitque Epidamnium.
Pater eius autem, postquam puerum perdidit,
Animum despondit: eaque is ægritudine,
Paucis diebus post, Tarenti emortuu 'st.
Postquam Syracusas de re ea nuntius redit
Ad avom puerorum, puerum surreptum alterum,
Patremque pueri Tarenti esse emortuum,
Immutat nomen avos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit, qui surreptu 'st, alterum,
Illius nomen indit illi, qui domi 'st:
Menæchmo idem quod alteri nomen fuit,
Et ipsus eodem 'st avos vocatus nomine;
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, iam nunc prædico prius:
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum 'st mihi,
Ut hanc rem vobis examussim disputem.
Si quis quid vostrum Epidamnum curari sibi
Velit, is audacter imperato et dicito:
Sed ita, ut det, unde curari id possit sibi:
Nam, nisi qui argentum dederit, nugas egerit:
Qui dederit, magis maiores nugas egerit.
Verū illuc redeo, unde abii, atque uno asto in loco.
Epidamniensis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui surripuit alterum,
Ei liberorum, nisi divitiæ, nihil erat:
Adoptat illum puerum surrepticium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit:
Eumque hæredem fecit, quom ipse obiit diem.
Nam, rus ut ibat forte, ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitque hominem in maxumam malā crucem.
Illi divitiæ evenerunt maxumæ.
Is illic habitat geminus surrepticius.
Nunc ille geminus, qui Syracusis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum servo suo
Hunc quæritatum geminum germanum suum.
Hæc urbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula:
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum;
Sicut familiæ quoque solent mutarier:
Modo enim idē fit leno, modo adolescens, modo senex,
Pauper, mendicus, rex, parasitus, hariolus.

ACTUS I. SCENA I. *Peniculus*.

Iuventus nomen fecit Peniculo mihi
Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo.
Homines capteivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis servis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.
Namque homini misero si ad malum accidit malum,
Maior lubido 'st fugere, et facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.

Tum compediti anum lima præterunt,
Aut lapide excutiunt clavum. Nugæ sunt eæ.
Quem tu asservare recte, ne aufugiat, voles,
Esca atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges.
Dum tu illi, quod edat et quod potet, præbeas,
Suo arbitratu et affatim cotidie,
Nunquam, edepol, fugiet, tametsi capital fecerit.
Facile asservabis, dum eo vinclo vincies.
Ita istæc nimis lenta vincla sunt escaria;
Quam magis extendas, tanto astringunt arctius.
Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo iam diu
Sum iudicatus; ultro eo, ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat,
Recreatque: nullus melius medicinam facit.
Ita est adolescens ipsus escæ maxumæ,
Cerealeis cœnas dat; ita mensas extruit:
Tantas struices concinnat patinarias:
Standum est in lecto, si quid de summo petas.
Sed mihi intervallum iam hos dies multos fuit:
Domi domitus fui usque cum caris meis.
Nam neq; edo neque emo, nisi quod est carissumum.
Id quoque iam cari, qui instruuntur, deserunt.
Nunc ad eum inviso: sed aperitur ostium.
Menæchmum eccum ipsum video; progreditur foras.

SCENA II. *Menæchmus surreptus, Peniculus.*

M. Ni mala, ni stulta sis, ni indomita imposque animi,
Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas.
Præterhac si mihi tale post hunc diem
Faxis, faxo foris vidua visas patrem.
Nam, quoties foras ire volo, me retines, revocas,
Rogitas, quo ego eam, quam rem agam, quid negoti
Quid petam, quid ferã, quid foris egerim. (geram,
Portitorem domum duxi: ita omnem mihi
Rem necesse loqui est, quidquid egi, atque ago.
Nimium ego te habui delicatam.
Nunc adeo, ut facturus, dicam. Quando ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, vestem, purpuram, bene præbeo, nec quidquam eges;
Malo cavebis, si sapis: virum observare desines.
Atq; adeo, ne me nequidquã serves, ob eã industriam
Hodie ducam scortum; atque ad cœnam aliquo condicam foras.
P. Illic homo se uxori simulat male loqui: loquitor mihi.
Nam, si foris cœnat, profecto me, haud uxorem, ulciscitur.
M. Evax! iurgio, hercle, tandem uxorem abegi ab ianua.
Ubi amatores sunt mariti? dona quid cessant mihi
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modo uxori iutus pallam surripui, ad scortum
Sic decet dari facete verba custodi catæ. (fero.
Hoc facinus pulchrum 'st, hoc probum 'st, hoc lepidum, hoc factum 'st fabre.
Meo malo a mala abstuli: hoc ad damnum deferetur.
Averti prædam ab hostibus, nostrum salute socium.
P. Heus adolescens! ecqua in istac pars inest prædæ mihi?
M. Perii! in insidias deveni.
P. Immo, in præsidium. Ne time.
M. Quis homo est? *P.* Ego sum.
M. O mea commoditas! O mea opportunitas!
Salve! *P.* Salve! *M.* Quid ais?
P. Teneo dextera Genium meum.
M. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis.
P. Ita ego soleo: commoditatis omneis articulos scio.
M. Vin tu facinus luculentum inspicere?
P. Quis id coxit coquus?
Iam sciã, si quid titubatum 'st, ubi reliquias videro.
M. Dic mihi, numqua tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
P. Sæpe: sed quid istæ picturæ ad me attinent?
M. Age, me aspice.
Ecquid assimulo similiter?
P. Qui istic est ornatus tuus?
M. Dic hominem lepidissumum esse me.
P. Ubi esuri sumus?
M. Dic modo hoc, quod ego te iubeo.
P. Dico: homo lepidissume.
M. Ecquid audes de tuo istuc addere?
P. Atque hilarissume.
M. Perge. *P.* Non pergo, hercle, ego, nisi scio qua gratia.
Litigium 'st tibi cum uxore: hoc mihi abs te caveo cautius.
M. Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, et hunc comburamus diem.
P. Age sane igitur, quando æquom oras, quam mox incendo rogum?
Dies quidem iam ad umbilicum 'st dimidiatus mortuus.
M. Te morare, mihi quom obloquere.
P. Oculum effodito persolum
Mihi, Menæchme, si ullum verbum faxo, nisi quod iusseris.
M. Concede huc a foribus. *P.* Fiat.
M. Etiam concede huc. *P.* Licet.
M. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.
P. Heu! edepol, næ tu, ut ego opinor, esses agitator probus.
M. Qui dum? *P.* Ne te uxor sequatur, respectas identidem.
M. Sed quid ais? *P.* Egone? id enim quod tu vis, id aio, atque id nego.
M. Ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,
Facere coniecturam? *P.* Captum sit collegiũ augurũ.
M. Agedum, odorare hanc quam ego habeo pallam: quid olet? abstines?
P. Summum olfactare oportet vestimentũ muliebre;
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.
M. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide. Ut fastidis!
P. Decet.
M. Quid igitur? quid olet? responde.
P. Furtum, scortum, prandium.
M. Nunc ad amicam deferetur, hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi, iubebo iã apparari prandium.
Inde usque ad diurnam stellam crastinã potabimus.
P. Expedite fabulatu 's: iam fores ferio? *M.* Feri.
Vel mane etiam. *P.* Mille passum comoratu 's cantharum.
M. Placide pulta.
P. Metuis, credo, ne fores Samiæ sient.
M. Mane, mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit.
P. O! Solem vides.
Satio 'ut occæcatu 'st præ huius corporis candoribus?

SCENA. III. *Erotium, Peniculus, Menæchmus surreptus.*

E. Anime mi, Menæchme, salve! *P.* Quid ego?

E. Extra numerum es mihi.
P. Idem istuc aliis ascriptivis ad leginuē fieri solet.
M. Ego istic mihi hodie apparari iussi apud te praelium.
E. Hodie id fiet. *M.* In eo uterq; pro Ilio potabimus,
Uter ibi melior bellator erit inventus cantharo,
Tua est legio, adiudicato, cum utro hanc noctē sies.
Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te aspicio, odi male!
E. Interim nequis, quin eius aliquid indutus sies.
Quid hoc est?
M. Induviae tuae, atque uxoris exuviae, rosa.
E. Superas facile, ut superior sis mihi, quam quisquam qui impetrant.
P. Meretrix tantisper blanditur, dum illud, quod rapiat, videt.
Nam, si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus.
M. Sustine hoc, Penicule: exuvias facere, quas vovi, volo.
P. Cedo: sed obsecro, hercle, salta sic cum palla postea.
M. Ego saltabo? Sanus, hercle, non es.
P. Egone, an tu magis?
Si non saltas, exue igitur. *M.* Nimio ego hanc periculo
Surripui hodie. Meo quidem animo, ab Hippolyta succingulum
Hercules haud aeque magno unquā abstulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.
Hoc animo decet animatos esse amatores probos.
P. Qui quidem ad mendicitatem se properent detrudere.
M. Quatuor minis ego emi istanc anno uxori meae.
P. Quatuor minae periere plane, ut ratio redditur.
M. Scin' quid volo ego te accurare?
E. Scio: curabo, quae voles.
M. Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier,
Glandionidam suillam, laridum pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum;
Madida quae mihi apposita in mensam, milvinam suggerant:
Atque actutum. *E.* Licet, ecastor.
M. Nos prodimus ad forum.
Iam nos hic erimus: dū coquitur, interī potabimus.
E. Quando vis, veni, parata res erit.
M. Propera modo.
Sequere tu. *P.* Ego, hercle, vero te et servabo, et te sequar:
Neque, hodie ut te perdā, mereā Deū divitias mihi.
E. Evocate intus Cylindrū mihi coquū actutū foras.

SCENA IV. *Erotium, Cylindrus.*

E. Sportulam cape, atque argentum. Eccos treis nummos habes.
C. Habeo. *E.* Abi, atque obsonium affer, tribus vide quod sit satis;
Neque desiat, neque supersit.
C. Quoiusmodi hi homines erunt?
E. Ego, et Menaechmus, et parasitus eius.
C. Iam isti sunt decem:
Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur.
E. Elocuta sum convivas: caeterum cura. *C.* Licet.
Cocta sunt. Iube ire accubitum. *E.* Redi cito.
C. Iam ego hic ero.

ACTUS II. Sc. I. *Menaechmus Sosicles, Messenio.*

Men. Nulla 'st voluptas navitis, Messenio,
Maior, meo animo, quam quom ex alto procul
Terram conspiciunt. *Mes.* Maior, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas, quae fuerit tua.
Sed, quaeso, quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quasi mare, omneis circumimus insulas?
Men. Fratrem quaesitum geminum germanum meū.
Mes. Nam quid modi futurum 'st illum quaerere?
Hic annus sextus, postquam ei rei operam damus.
Istros, Hispanos, Massilienses, Illurios,
Mare Superum omne, Graeciamque exoticam,
Oraque Italicas omneis, qua aggreditur mare,
Sumus circumvecti. Si acum, credo, quaereres,
Acum invenisses, si appareret, iam diu.
Hominem inter vivos quaeritamus mortuum:
Nam invenissemus iam diu, si viveret.
Men. Ergo istuc quaero certum qui faciat mihi,
Qui sese dicat scire, eum esse mortuum.
Operam praeterea nunquam sumam quaerere:
Verum aliter vivus nunquam desistam exequi.
Ego illum scio, quam cordi sit carus meo.
Mes. In scirpo nodum quaeris. Quin nos hinc domū
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus?
Men. Dictum facessas doctum, et discaveas malo.
Molestus ne sis: non tuo hoc fiet modo. *Mes.* Hem!
Illoc enim verbo esse me servom scio.
Non potuit paucis plura plane proloqui.
Verumtamen nequeo continere, quin loquar.
Audi, Menaechme: quom inspicio marsupium,
Viaticati, hercle, admodum aestive sumus.
Ne, tu, hercle, opinor, nisi domum revorteris,
Ubi nil habebis, geminum dum quaeris, gemes.
Nam ita est haec hominum natio Epidamnia,
Voluptarii atque potatores maxumi;
Tum sycophantae et palpatores plurimi
In urbe hac habitant: tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum 'st,
Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.
Men. Ego istuc cavebo: cedo dū mihi huc marsupiū.
Mes. Quid eo vis? *Men.* Iā abs te metuo de verbis tuis.
Mes. Quid metuis?
Men. Ne mihi damnum in Epidamno duis.
Tu magnus amator mulierum es, Messenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id utrumque, argentum quando habebo, cavero,
Ne tu delinquas, neve ego irascar tibi.
Mes. Cape, atque serva: me lubente feceris.

SCENA II. *Cylindrus, Menaechmus Sosicles, Messenio.*

C. Bene obsonavi; atque, ex mea sententia,
Bonum anteponam prandium pransoribus.
Sed eccum Menaechmum video. Vae tergo meo!
Prius iam convivae ambulant ante ostium,
Quam ego obsonatu redeo. Adibo, atque alloquar.
Menaechme, salve.
Men. Dii te amabunt. Scis quis ego sum?
C. Non, hercle, vero! Ubi convivae caeteri?
Men. Quos tu convivas quaeris? *C.* Parasitum tuum.
Men. Meum parasitum? Certe hic insanu 'st homo.
Mes. Dixin' tibi esse hic sycophantas plurimos?
Men. Quem tu parasitum quaeris, adolescens, meum?
C. Peniculum. *Mes.* Eccum! in vidulo salvum fero.
C. Menaechme, numero huc advenis ad prandium.
Nunc obsonatu redeo. *Men.* Responde mihi,
Adolescens, quibus hic pretiis porci veneunt?

Sacres sinceri? *C.* Nummo. *Men.* Eum a me accipe.
Iube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem insanum esse te certo scio,
Qui mihi molestus homini ignoto, quisquis es.
C. Cylindrus ego sum: non nosti nomen meum?
Men. Seu tu Cylindrus, seu Coliendrus, perieris,
Ego te non novi, neque novisse adeo volo.
C. Est tibi Menæchmo nomen tantum, quod sciam.
Men. Pro sano loqueris, cum me appellas nomine.
Sed ubi novisti me? *C.* Ubi ego te noverim?
Qui amicam habeas heram meam, hanc Erotiom.
Men. Neq, hercle, habeo; neq te, quis sis homo, scio.
C. Non scis quis ego sim? qui tibi sæpissume
Cyathisso apud nos, quando potas. *Mes.* Hei mihi!
Cum nihil est, illi qui homini diminuam caput.
Men. Tun' cyathissare mihi soles, qui, ante hunc diẽ,
Epidamnum nunquam vidi, neque veni? *C.* Negas?
Men. Nego, hercle, vero. *C.* Non tu in illisce ædibus
Habitas? *Men.* Dii illos homines, qui illic habitant, perduint.
C. Insanit hic equidem, qui ipse maledicit sibi.
Audin', Menæchme? *Men.* Quid vis?
C. Si me consulas,
Nummum illum quem mihi dudum pollicitu 's dare,
Iubeas, si sapias, porculum afferri tibi.
Nam tu quidem, hercle, certo non sanu 's satis,
Menæchme, qui nunc ipsus maledicas tibi.
Mes. Heu, hercle, hominem multum et odiosũ mihi!
C. Solet iocari sæpe mecum illo modo.
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.
Men. Quid ais tu?
C. Quid vis, inquam? Satin' hoc, quod vides,
Tribus vobis obsonatum 'st? an obsono amplius,
Tibi et parasito et mulieri? *Men.* Quas tu mulieres,
Quos tu parasitos loquere? *Mes.* Quod te urget scelus
Qui huic sis molestus? *C.* Quid tibi mecum est rei?
Ego te non novi: cum hoc, quem novi, fabulor.
Men. Non, edepol, tu homo sanus es, certo scio.
C. Iam ergo hæc madebunt, faxo: nihil morabitur.
Proin tu ne quo abeas longius ab ædibus.
Numquid vis? *Men* Ut eas maxumam in malã crucẽ.
C. Ire, hercle, meliu 'st te interim, atq accumbere,
Dum ego hæc appono ad Volcani violentiam.
Ibo intro, et dicam te hic astare Erotio,
Ut te hinc abducat, potius quam hic astes furis.
Men. Iamne abiit? Edepol, haud mendacia
Tua verba experior esse. *Mes.* Observato modo.
Nam istic meretricem credo habitare mulierem,
Uti quidem ille insanus dixit, qui hinc abiit modo.
Men. Sed miror, qui ille noverit nomen meum.
Mes. Minime, hercle, mirum. Morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt servulos, ancillulas:
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant, cuiatis sit, quid ei nomen siet.
Post illæ extemplo se applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
Nunc in istoc portu stat navis prædatoria,
Abs qua cavendum nobis sane censeo.
Men. Mones quidẽ, hercle, recte. *Mes.* Tũ demũ sciã
Recte monuisse, si tu recte caveris.
Men. Tace dum parumper: nam concrepuit ostium.
Videamus, qui hinc egreditur. *Mes.* Hoc ponã interĩ.
Asservatote hæc, sultis, navales pedes.

SCENA III. *Erotium, Cylindrus, Menæchmus Sosicles, Messenio.*

E. Sine fores sic: abi; nolo operiri.
Intus para, cura, vide, quod opus est, ut
Fiat: sternite lectos; incendite odores.
Munditia illecebra animo est amantum.
Amanti amœnitas malo est, nobis lucro est.
Sed ubi ille est, quem coquus ante ædis esse ait?
Atque eccum video, qui mihi est usui, et
Plurimum prodest: item huic ultro fit, ut
Meret, potissumus nostræ domi ut sit:
Nunc eum adibo, alloquar ultro.
Animule mi! mihi mira videntur,
Hic te stare foris, fores quoi pateant
Magis, quam domus tua, domus cum hæc tua sit.
Omne paratum est,
Ut iussisti, atque ut voluisti: neque tibi est
Ulla mora intus. Prandium, ut iussisti, hic
Curatum est: ubi lubet, ire licet accubitum.
Men. Quicum hæc mulier loquitur?
E. Equidem tecum. *Men.* Quid mecum tibi
Fuit unquam, aut nunc est, negoti?
E. Quia, pol, te unum ex omnibus
Venus voluit me magnificare: atque id haud immerito tuo.
Nã, ecastor, solus benefactis tuis me florentẽ facis.
Men. Certo hæc mulier aut insana aut ebria est, Messenio,
Quæ hominẽ ignotũ compellat me tam familiariter.
Mes. Dixin' ego istæc hic solere fieri? Folia nunc cadunt,
Præ ut, si triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.
Nam ita sunt hic meretrices omnes elecebræ argentariæ.
Sed sine me dum hanc compellare. Heus mulier! tibi dico. *E.* Quid est?
Mes. Ubi tu hunc hominem novisti?
E. Ibidem, ubi hic me iam diu,
In Epidamno.
Mes. In Epidamno? qui huc in hanc urbem pedem,
Nisi hodie, nunquam intro tetulit.
E. Eia! delicias facis,
Mi Menæchme. Quin, amabo, is intro? hic tibi erit rectius.
Men. Hæc quidem, edepol, recte appellat meo me mulier nomine.
Nimis miror, quid hoc sit negoti.
Mes. Oboluit marsupium
Huic istuc, quod habes.
Men. Atque, edepol, tu me monuisti probe.
Accipedum hoc: iam scibo, utrum hæc me mage amet, an marsupium.
E. Eamus intro, ut prandeamus.
Men. Bene vocas: [iam] gratia 'st.
E. Cur igitur tibi me iussisti coquere dudũ prandiũ?
Men. Egone te iussi coquere?
E. Certo, tibi et parasito tuo.
Men. Quoi, malum, parasito? Certo hæc mulier non sana 'st satis.
E. Peniculo. *Men.* Quis iste est Peniculus? qui extergentur baxeæ?
E. Scilicet, qui dudum tecum venit, quõ pallã mihi
Detulisti, quam ab uxore tua surripuisti.
Men. Quid est?
Tibi pallã dedi, quã uxori meæ surripui? sanan' es?
Certe hæc mulier, cantherino ritu, astans somniat.
E. Qui lubet ludibrio habere me, atque ire inficias mihi,
Facta quæ sunt?
Men. Dic, quid est id, quod negem, quod fecerim?
E. Pallam te hodie mihi dedisse uxoris.
Men. Etiam nunc nego.

Ego quidem neque unquam uxorem habui, neque habeo: neque huc
Unquam, postquam natus sum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi: inde huc egressus sum; te conveni.
E. Eccere,
Perii misera! quam tu nunc mihi navem narras?
Men. Ligneam,
Sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo;
Quasi supellex pellionis, palus palo proxumus est.
E. Iam me, amabo, desine ludos facere; atque i hac mecum simul.
Men. Nescio quem, mulier, alium hominem, non me, quæritas.
E. Non ego te novi Menæchmum, Moscho prognatum patre?
Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,
Ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterū Pinthia;
Tertiū Liparo, qui in morte regnū Hieroni tradidit.
Nunc Hiero 'st. *Men.* Haud falso, mulier, prædicas.
Mes. Pro Iupiter!
Num istæc mulier illinc venit, quæ te novit tā cate?
Men. Hercle, opinor, pernegari non potest.
Mes. Ne feceris.
Periisti, si intrassis intra limen.
Men. Quin tace modo.
Bene res geritur: assentabor, quidquid dicet, mulieri:
Si possim hospitiū nancisci. Iamdudū, mulier, tibi
Non imprudens advorsabar: hunc metuebā, ne meæ
Uxori renuntiaret de palla et de prandio. (nes?
Nunc, quando vis, eamus intro. *E.* Etiā parasitū ma-
Men. Neque ego illum maneo, neque flocci facio: neque, si venerit,
Eū volo intromitti. *E.* Ecastor, haud invita fecero.
Sed scin' quid te amabo ut facias?
Men. Impera quidvis modo.
E. Pallam illam, quam dudum dederas, ad phrygionem ut deferas,
Ut reconcinnetur, atq; ut opera addantur, quæ volo.
Men. Hercle, quin tu recte dicis: eadem ignorabitur;
Ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.
E. Ergo mox auferto tecum, quando abibis.
Men. Maxume.
E. Eamus intro.
Men. Iam sequar te. Hunc volo etiam colloqui.
Eho, Messenio! accede huc. *Mes.* Quid negoti 'st?
Men. St! scire vis?
Mes. Quid ergo? *Men.* Opu 'st. *Mes.* Quid opu 'st?,
Men. Scio, ut me dices. *Mes.* Tanto nequior es.
Men. Habeo prædam: tantum incepi operis. I, quantum potest:
Abduc istos in tabernam actutum diversoriam.
Tū facito, ante solis occasū, ut venias advorsū mihi.
Mes. Non tu istas meretrices novisti, here?
Men. Tace, inquam.
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero.
Mulier hæc stulta atque inscita 'st, quantum perspexi modo.
Est hic præda nobis. *Mes.* Perii! *Men.* Iamne abis?
Mes. Periit probe.
Ducit lembum dierectum navis prædatoria.
Sed ego inscitus, qui hero me postulem moderarier.
Dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.
Sequimini, ut, quod imperatum est, veniam advorsum tempori.

ACTUS III. SCENA I. *Peniculus.*

Plus triginta natus annis sum, quom interea loci
Nunquā quidquā facinus feci peius neq; scelestius,
Quam hodie, quom in concionem mediam me immersi miser.
Ubi ego dū hieto, Menæchmus se subterduxit mihi,
Atq; abiit ad amicam, credo, neq; me voluit ducere.
Qui illum Dii omnes perduint, qui primus commentus est
Concionem, hac reque homines occupatos occupat.
Non ad eam rem otiosos homines decuit deligi?
Qui nisi assint cum citentur, census capiant illico.
Affatim est hominū, in dies qui singulas escas edunt;
Quibus negoti nihil est; qui esum neque vocantur, neque vocant.
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium,
Cui tam credo datū voluisse, quā me video vivere.
Ibo: etiamnum reliquiarū spes animū oblectat meū.
Sed quid ego video Menæchmū? cū corona exit foras.
Sublatū est conviviū: edepol, venio advorsū tempori.

SCENA II. *Menæchmus Sosicles, Peniculus.*

M. Poti' ne ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probe
Lepideque concinnatam referam tempori?
Non, faxo, eam esse dices: ita ignorabitur.
P. Pallam ad phrygionem fert, confecto prandio,
Vinoque expoto, parasito excluso foras.
Non, hercle, is sum, qui sum, nisi hanc iniuriam,
Meque ultus pulchre fuero. Observabo, quid agat,
Hominem. Post adibo, atque alloquar.
M. Pro Dii immortales! quoi homini unquā uno die
Boni dedistis plus, qui minus speraverit?
Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli
Hanc, quoius hæres nunquam erit post hunc diem.
P. Nequeo, quæ loquitur, exaudire clanculum:
Satur nunc loquitur de me et de parti mea.
M. Ait hanc dedisse me sibi, atque eam meæ
Uxori surripuisse. Quoniam sentio
Errare, extemplo, quasi res cum ea esset mihi,
Cœpi assentari. Mulier quidquid dixerat,
Idem ego dicebam. Quid multis verbis opu 'st?
Minore nusquam bene fui dispendio.
P. Adibo ad hominem: nam turbare gestio.
M. Quis hic est, qui advorsum fit mihi?
P. Quid ais, homo
Levior quam pluma, pessume et nequissume,
Flagitium hominis, subdole, ac minimi preti?
Quid de te merui, qua me causa perderes?
Ut surripuisti te mihi dudum de foro!
Fecisti funus, med absenti, prandio.
Cur ausu 's facere, quoi ego æque ac hæres eram?
M. Adulescens, quæso, quid tibi mecum est rei,
Qui mihi maledicas homini ignoto insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Postea? *P.* Eam quidem, edepol, te dedisse intellego.
M. Responde, adolescens, quæso, quid tibi nomen est?
P. Etiam derides, quasi nomen non noveris?
M. Non, edepol, ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem
Vidi, neque novi; verum certo, quisquis es,
Æquom si facias, mihi odiosus ne sies.
P. Non me novisti? *M.* Non negem, si noverim.
P. Menæchme, vigila.
M. Vigilo, hercle, equidem, quod sciam.
P. Tuum parasitum non novisti? *M.* Non tibi
Sanum 'st, adolescens, sinciput, ut intellego.
P. Responde, surripuistin' uxori tuæ
Pallam istanc hodie, atque dedisti Erotio?
M. Neque, hercle, ego uxorē habeo; neq; ego Erotio
Dedi, nec pallam surripui. *P.* Satin' sanus es?
Occisa 'st hæc res. Non ego te indutum foras

Exire vidi palla? *M.* Væ capiti tuo!
Omnes cinædos esse censes, tu quia es.
Tun' me indutum fuisse pallam prædicas?
P. Ego, hercle, vero. *M.* Non tu abis, quo dignus es?
Aut te piari iubes, homo insanissume?
P. Nunquam, edepol, me quisquã exorabit, quin tuæ
Uxori rem omnem iam, uti sit gesta, eloquar.
Omnes in te istæc recident contumeliæ.
Faxo, haud inultum prandium comederis.
M. Quid hoc negoti 'st? Satin, ut quemq; conspicor,
Ita me ludificant? Sed concrepuit ostium.

SCENA III. *Ancilla, Menæchmus Sosicles.*

A. Menæchme, amare ait te multum Erotium,
Ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Iubeasque spinther novum reconcinnarier.
M. Et istud, et aliud, si quid curari volet,
Me curaturum dicito, quidquid volet.
A. Scin' quod hoc sit spinther? *M.* Nescio, nisi aureũ.
A. Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te surripuisse aiebas uxori tuæ.
M. Nunquam, hercle, factum 'st. *A.* Non meministi, obsecro?
Redde igitur spinther, si non meministi. *M.* Mane:
Immo, equidẽ memini: nempe hoc est, quod illi dedi.
A. Istuc. *M.* Ubi illæ armillæ sunt, quas una dedi?
A. Nunquam dedisti? *M.* Nam, pol, hoc una dedi.
A. Dicam curare? *M.* Dicito: curabitur.
Et palla et spinther, faxo, referantur simul.
A. Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi
Faciundas pondo duum nummum stalagmia,
Ut te libenter videam, cum ad nos veneris.
M. Fiat: cedo aurum; ego manupretium dabo.
A. Da, sodes, abs te: post ego reddidero tibi.
M. Immo, cedo abs te. *A.* Ego post tibi reddã duplex.
M. Non habeo. *A.* At tu, quando habebis, tum dato.
Numquid me vis? *M.* Hæc me curaturum dicito,
Ut, quantum possint, quique liceant, veneant.
Iamne abiit intro? Abivit; operuit fores.
Dii me equidem omnes adiuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso dum datur mihi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menæchme, fer pedem; confer gradum.
Demam coronam, atque abiiciam ad lævam manum;
Ut, si qui sequantur, hac me abiise censeant.
Ibo, et conveniam servom, si potero, meum,
Ut hæc, quæ bona dant Dii mihi, ex me sciat.

ACTUS IV. SCENA I. *Mulier, Peniculus.*

M. Egone hic me patiar in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quidquid domi 'st,
Atque ad amicam deferat? *P.* Quin tu taces?
Manifesto, faxo, iam opprimes: sequere hac modo.
Pallam ad phrygionem cum corona ebrius
Ferebat, hodie tibi quam surripuit domo.
Sed eccam coronam, quam habuit. Num mentior?
Hem! hac abiit; si vis persequi vestigiis.
Atque, edepol, eccum, optume revortitur;
Sed pallam non fert. *M.* Quid ego nunc cum illoc agam?
P. Idem quod semper: male habeas. *M.* Sic censeo.
P. Huc concedamus: ex insidiis aucupa.

SCENA II. *Menæchmus surreptus, Mulier, Peniculus.*

Me. Ut hoc utimur maxume more moro
Molestoque multum! atque uti quique sunt
Optumi maxumi, morem habent hunc:
Clienteis sibi omnes volunt esse multos:
Bonine an mali sint, id haud quæritant.
Res magis quæritur, quam clientium
Fides quoiusmodi clueat.
Si est pauper atque haud malus, nequam habetur:
Si dives malus est, is cliens frugi habetur.
Qui neque leges neque æquom bonum usquam
Colunt, sollicitos patronos habent.
Datum denegant, quod datum est; litium
Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
Qui aut fœnore aut periuriis habent rem
Partam. Meus est in querelis.
Iuris ubi dicitur dies, simul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, male quæ fecerint: aut ad
Populum, aut in iure, aut ad iudicem res est.
Sicut me hodie nimis sollicitum cliens
Quidam habuit: neque, quod volui agere, quidquam
Licitum est: ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud ædiles præliis factis plurimis
Pessumisque, dixi causam: conditiones
Tetuli tortas, confragosas; aut plus
Aut minus, quam opus erat multo, dixeram
Controversiam, uti sponsio fieret.
Quid ille? quid? prædem dedit: nec magis
Manifestum ego hominem unquam ullum teneri vidi.
Omnibus malefactis testes tres aderant acerrumi.
Dii illum omnes perdant, (ita mihi hunc hodie corrupit diem)
Meque adeo, qui hodie forum unquam oculis inspexi meis.
Diem corrupi: optumum iussi apparari prandium:
Amica exspectat me, scio. Ubi primum 'st licitum, illico
Properavi abire de foro. Irata 'st, credo, nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie uxori abstuli, atque huic
Detuli Erotio. *P.* Quid ais? *Mu.* Viro me malo male
Nuptam. *P.* Satin' audis, quæ illic loquitur?
Mu. Satis. *Me.* Si sapiam,
Hinc intro abeam, ubi mihi bene sit.
Mu. Mane: male potius erit.
Næ, illam, mecastor, fœnerato abstulisti.
P. Sic datur.
Mu. Clanculum te istæc flagitia facere censebas potesse?
Me. Quid illuc est, uxor, negoti? *Mu.* Men' rogas?
Me. Vin' hunc rogem?
P. Aufer hinc palpationes. Perge tu. *Me.* Quid tu mihi
Tristis es? *Mu.* Te scire oportet.
P. Scit; sed dissimulat malus.
Me. Quid negoti 'st? *Mu.* Pallam.... *Me.* Pallam? quid?
Mu. Pallam... Quid paves?
Me. Nihil equidem paveo.
P. Nisi unum: palla pallorem incutit.
At tu ne clam me comesses prandium! Perge in virũ.
Me. Non taces? *P.* Non, hercle, vero taceo. Nutat, ne loquar.
Me. Non, hercle, ego quidem usquam quidquam nuto neque nicto tibi.
Mu. Næ, ego, mecastor, mulier misera!
Me. Qui tu misera es? mihi expedi.
P. Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.
Me. Per Iovem Deosque omnes adiuro, uxor (satin' hoc est tibi?)
Me isti non nutasse.
P. Credit iam tibi de istis: illuc redi.
Me. Quo ego redeam? *P.* Equidem ad phrygionem, censeo: i, pallam refer.

Me. Quæ istæc palla est? *Mu.* Taceo iam quando hic, rem non meminit suam.
Me. Numquis servorum deliquit? num ancillæ aut servi tibi
Responsaut? eloquere: impune non erit.
P. Nugas agis.
Me. Tristis admodum es: non mihi istuc satis placet.
P. Nugas agis.
Me. Cæterū familiariū alicui irata es? *P.* Nugas agis:
Me. Num mihi es irata saltem?
P. Nunc tu non nugas agis.
Me. Non, edepol, deliqui quidquam.
P. Hem! rursum nunc nugas agis.
Me. Dic, mea uxor, quid tibi ægre est?
P. Bellus blanditur tibi.
Me. Potin' ut mihi molestus ne sis? num te appello?
Mu. Aufer manum.
P. Sic datur. Properato, absente me, comesse prandium:
Post, ante ædeis cum corona me derideto ebrius.
Me. Neque, edepol, ego prandi, neque hodie huc intro tetuli pedem.
P. Tun' negas? *Me.* Nego, hercle, vero.
P. Nihil hoc homine audacius.
Non ego te modo hic ante ædeis cum corona florea
Vidi astare? cum negabas mihi esse sanū sinciput,
Et negabas me novisse, peregrinum aibas esse te.
Me. Quin, ut dudum divorti abs te, redeo nunc demum domum.
P. Novi ego te. Non mihi censebas esse, qui te ulciscerer.
Omnia, hercle, uxori dixi. *Me.* Quid dixisti?
P. Nescio:
Eam ipsus roga. *Me.* Quid hoc est, uxor? quidnam hic narravit tibi?
Quid id est? quid taces? quin dicis, quid sit?
Mu. Quasi tu nescias. (bi?
Palla mi 'st domo surrepta. *Me.* Palla surrepta 'st ti-
Mu. Me rogas? *Me.* Pol, haud rogem te, si sciam.
P. O hominem malum!
Ut dissimulat! *Mu.* Non potes celare: rem novi probe.
P. Omnia, hercle, ego edictavi. *Me.* Quid id est?
Mu. Quando nil pudet,
Neq; vis tua voluntate ipse profiteri, audi, atque ades:
Et quid tristis, et quid hic mihi dixerit, faxo scias:
Palla 'st mihi domo surrepta.
Me. Palla surrepta 'st mihi?
P. Viden' uti scelestus captat! Huic surrepta est, non tibi:
Nā, profecto, tibi surrepta si esset, salva nunc foret.
Me. Nil mihi tecum 'st. Sed quid tu ais?
Mu. Palla, inquam, periit domo.
Me. Quis eam surripuit?
Mu. Pol, istuc ille scit, qui illam abstulit.
Me. Quis hic homo est? *Mu.* Menæchmus quidam.
Me. Edepol, factum nequiter.
Quis is Menæchmus est? *Mu.* Tu istic, inquam.
Me. Egone? *Mu.* Tu. *Me.* Quis arguit?
Mu. Egomet.
P. Et ego: atque huic amicæ detulisti Erotio.
Me. Egon' dedi? *P.* Tu, tu istic, inquam. Vin' afferri noctuam,
Quæ, Tu, Tu, usque dicat tibi? nam nos iam nos defessi sumus.
Me. Per Iovem Deosque omnes adiuro, uxor; (satin' hoc est tibi?)
Non dedisse.
P. Immo, hercle, vero, nos non falsum dicere.
Me. Sed ego illā non condonavi; sed sic utendā dedi.
Mu. Equidem, ecastor, tuam nec chlamydem do foras, nec pallium
Quoiquam utendum. Mulierem æquom'st vestimentum muliebre
Dare foras, virum virile. Quin refers pallā domum?
Me. Ego faxo referetur.
Mu. Ex re tua, ut opinor, feceris.
Nam domū nunquā introibis, nisi feres pallā simul.
Me. Ego domum! *P.* Quid mihi futurum 'st, qui tibi hanc operam dedi?
Mu. Opera reddetur, quando quid tibi erit surreptum domo.
P. Id quidem, edepol, nunquam erit: nam nihil est, quod perdam, domi.
Cum virum, cum uxorem, Dii vos perdant. Properabo ad forum:
Nam ex hac familia me plane excidisse intellego.
Me. Male mihi uxor sese fecisse censet, quom excludit foras;
Quasi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo, patiundū: at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet ab se, sed apud se occludet domi.
Nunc ibo; orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. Heus! ecquis hic est ianitor?
Aperite, atque Erotium aliquis evocate ante ostium.

SCENA. III. *Erotium, Menæchmus surreptus.*

E. Quis hic me quærit?
M. Sibi inimicus magis, quam ætati tuæ.
E. Mi Menæchme, cur ante ædeis astas? Sequere intro. *M.* Mane.
Scin' quid est, quod ego ad te venio?
E. Scio, ut tibi ex me sit volup.
M. Immo, edepol, pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde. Uxor rescivit rem omnem, ut factum 'st ordine.
Ego tibi redimam bis tanto pluris pallā, quam voles.
E. Tibi dedi equidem illam, ad phrygionem ut ferres, paulo prius:
Et illud spinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novom.
M. Mihi ut tu dederis pallam et spinther? nunquam factum: ne dixeris:
Nam ego quidem, postquam illam dudum tibi dedi, atque abii ad forum,
Nunc redeo; nunc te postilla video.
E. Video, quam rem agis.
Quia commisi ut me defrudes, ad eam rem affectas viam.
M. Neque, edepol, te defrudandi causa posco: quin tibi,
Dico, uxorē rescivisse. *E.* Nec te ultro oravi ut dares.
Tute ultro ad me detulisti, dedisti eam dono mihi:
Eamdem nunc reposcis. Patiar; tibi habe: aufer; utere,
Vel tu, vel tua uxor; vel etiam in oculos compingite.
Tu huc, post hunc diem, pedem intro non feres: ne frustra sis;
Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes.
Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui.
M. Nimis iracunde, hercle. Tandem heus tu! tibi dico, mane:
Redi. *E.* Etiamne astas? etiam audes mea revorti gratia?

M. Abiit intro: occlusit ædeis. Nunc ego sum exclusissimus:
Neque domi, neque apud amicam, mihi iam quidquam creditur.
Ibo, et consulam hanc rem amicos, quid faciundum censeant.

ACTUS V. SCENA I. *Menæchmus Sosicles, Mulier.*

Me. Nimis stulte dudum feci, cum marsupium
Messenioni cum argento concredidi.
Immersit aliquo sese, credo, in ganeum.
Mu. Provisam, quam mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video: salva sum, pallam refert.
Me. Demiror, ubi nunc ambulet Messenio. (meret.
Mu. Adibo, atque hominem accipiam, quibus dictis
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum isto ornatu? *Me.* Quid est?
Quæ res agitat te, mulier? *Mu.* Etiamne, impudens,
Muttire unum verbum audes, aut mecum loqui?
Me. Quid tandẽ admisi in me, ut loqui non audeam?
Mu. Rogas me? O hominis impudentem audaciam!
Me. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graii esse prædicabant? *Mu.* Non equidem scio.
Me. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat.
Itaque adeo iure cœpta appellari est canis.
Mu. Non istæc ego flagitia possum perpeti.
Nam mea! ætatem viduam esse mavelim,
Quam istæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
Me. Quid id ad me, tu te nuptam possis perpeti,
An sis abitura a tuo viro? An mos est ita hic,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
Mu. Quas fabulas? Non, inquam, patiar præterhac,
Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.
Me. Mea quidem, hercle, causa, vidua vivito,
Vel usque dum regnum obtinebit Iupiter.
Mu. At mihi negabas dudum surripuisse te;
Nunc eamdem ante oculos attines! Non te pudet?
Me. Heu! hercle, mulier, multũ et audax et mala es.
Tan' tibi hanc surreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
Mu. Næ, istuc, mecastor, iam patrem arcessã meum,
Atque ei narrabo tua flagitia, quæ facis.
I, Decio, quære meum patrem, tecum simul
Ut veniat ad me: ita rem esse dicito.
Iam ego aperiam istæc tua flagitia. *Me.* Sanan' es?
Quæ mea flagitia? *Mu.* Cũ pallam atque aurũ meum
Domo suppilas uxori tuæ, et tuæ
Degeris amicæ. Satin' hæc recte fabulor?
Me. Quæso, hercle, mulier, si scis, monstra, quod bi-
Tuam qui possim perpeti petulantiam. (bam,
Quem tu hominem me arbitrare, nescio.
Ego te simitu' novi cum Parthaone.
Mu. Si me derides, at, pol, illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit. Quin respicis?
Novistin' tu illum? *Me.* Novi cum Calcha simul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
Mu. Negas novisse me? negas patrem meum?
Me. Idem, hercle, dicam, si avom vis adducere.
Mu. Ecastor, pariter hoc, atque alias res soles.

SCENA II. *Senex, Mulier, Menæchmus Sosicles.*

S. Ut ætas mea est, atque ut hoc usus facto est,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed, id quam facile sit mihi, haud sum falsus.
Nam pernicitas deserit: consitus sum
Senectute: onustum gero corpus; vires
Reliquere. Ut ætas mala merx mala est tergo!
Nam res plurimas pessumas, cum advenit, affert;
Quas si autumem omneis, nimis longus sermo sit.
Sed [acris mihi in pectore et corde cura est,]
Quidnam hoc sit negoti, quod filia sic
Repente expetit me, ut ad sese irem;
Nec, quid id sit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arcessat.
Verum propemodum iam scio, quid siet rei.
Credo cum viro litigium natum esse aliquod.
Ita istæc solent, quæ viros subservire
Sibi postulant, dote fretæ, feroces.
Et illi quoque haud abstinent sæpe culpa.
Verum est modus tamen, quoad pati uxorem oportet.
Nec, pol, filia unquam patrem arcessit ad se,
Nisi aut quid commissi, aut iurgi, est causa.
Sed, quidquid id est, iam sciam. Atque eccam eampse
Ante ædeis, et eius tristem virum video.
Id est, quod suspicabar. (mi pater.
Appellabo hanc. *Mu.* Ibo advorsum. Salve multum,
S. Salva sis. Salven' advenio? salven' arcessi iubes?
Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus de-
Nescio quid vos velitati estis inter vos duos. (stitit?
Loquere, uter meruistis culpam, paucis; non longos logos.
Mu. Nusquam equidem quidquam deliqui: hoc primum te absolvo, pater.
Verũ vivere hic non possũ, neque durare ullo modo.
Proin tu me hinc abducas. *S.* Quid istuc autem est?
Mu. Ludibrio, pater,
Habeor. *S.* Unde?
Mu. Ab illo, quoi me mandavisti, meo viro.
S. Ecce autem litigium! quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia?
Mu. Qui ego istuc, mi pater, cavere possum?
S. Men' interrogas?
Mu. Nisi non vis. *S.* Quoties monstravi tibi, viro ut morem geras?
Quid ille faciat, ne id observes: quo eat; quid rerum gerat.
Mu. At enim ille hinc amat meretricẽ ex proxumo.
S. Sane sapit.
Atque, ob istanc industriam, etiam faxo amabit amplius.
Mu. Atque ibi potat.
S. Tua quidem ille causa potabit minus,
Sive illic sive alibi libebit? quæ hæc, malum impudentia 'st?
Una opera prohibere, ad cœnam ne promittat, postules;
Neve quemquam accipiat alienum apud tẽ. Serviren' tibi
Postules viros? dare una opera pensum postules;
Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.
Mu. Non equidem mihi te advocatum, pater, adduxi, sed viro.
Hinc stas, illinc causam dicis.
S. Si ille quid deliquerit,
Multo tanto illum accusabo, quam te accusavi, amplius.
Quando te auratam et vestitam bene habet; ancillas, penum,
Recte præhibet; melius sanam est, mulier, mentem sumere.
Mu. At ille suppilat mihi aurum et pallam ex arcis modo:
Me despoliat; mea ornamenta, clam me, ad meretrices degerit.
S. Male facit, si istuc facit: si non facit, tu male facis,
Quæ insontem insimules.
Mu. Quin etiam nunc habet pallam, pater,

Et spinther, quod ad hanc detulerat; nunc, quia rescivi, refert.
S. Iam ego ex hoc, ut factum 'st, scibo. Ibo ad hominem, atque alloquar.
Dic mihi istuc, Menæchme, quod vos dissertatis, ut sciam.
Quid tu tristis es? quid illam autem iratam abs te destituis?
Me. Quisquis es, quidquid tibi nomen est, senex, summum Iovem
Deosque detestor...
S. Qua de re, aut quoius rei rerum omnium?
Me. Me neq; isti male fecisse mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab se surripuisse, atq; abstulisse deierat.
Si ego intra ædeis huius unquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus.
S. Sanun' es, qui istuc exoptes, aut neges te unquam pedem
In eas ædes intulisse, ubi habitas, insanissume?
Me. Tun', senex, ais habitare med in illisce ædibus?
S. Tu negas? *Me.* Nego, hercle, vero.
Mu. Nimio hæc impudenter negas,
Nisi quo nocte hac emigrasti. *S.* Concede hac, filia.
Quid tu ais? num hinc emigrasti?
Me. Quem in locum, aut ob rem, obsecro?
S. Non, edepol, scio. *Mu.* Profecto ludit te hic.
S. Non tu te tenes?
Iam vero, Menæchme, satis iocatus es: nunc hanc rem age.
Me. Quæso, quid mihi tecum est? Unde, aut quis tu homo es? Quid feci ego
Tibi, aut adeo isti, quæ mihi molesta 'st quoquo modo?
Mu. Videu' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos
Ex temporibus atq; fronte! ut oculi scintillant! vide.
Me. Quid mihi melius 'st, quam, quando illi me insanire prædicant,
Ego me assimulem insanire, ut illos a me absterream?
Mu. Ut pandiculans oscitatur! Quid nunc faciam, mi pater?
S. Concede huc, mea gnata, ab istoc quam potes longissume.
Me. Evoe! Evie! Bromie! quo me in silvā venatū vo-
Audio; sed non abire possum ab his regionibus: (cas?
Ita illa me ab læva rabiosa femina asservat canis.
Post autem illic hircus alius, qui sæpe, ætate in sua,
Perdidit civem innocentem falso testimonio.
S. Væ capiti tuo! *Me.* Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
Mu. Perii, mi pater! minatur mihi oculos exurere.
Me. Hei mihi! insanire me aiunt, ultro cum ipsi insaniunt.
S. Filia, heus! *Mu.* Quid est? quid agimus?
S. Quid si ego huc servos cito?
Ibo; adducam, qui hunc hinc tollant, et domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius.
Me. Enimvero, nisi
Occupo aliquid mihi consilium, hi domum me ad se auferent.
Pugnis me vetas in huius ore quidquam parcere!
Ni iam ex meis oculis abscedat in malam magnam crucem,
Faciam, quod iubes, Apollo.
S. Fuge domum, quantum pote 'st,
Ne hic te obtundat.
Mu. Fugio. Amabo, asserva istunc, mi pater,
Ne quo hinc abeat. Sumne ego mulier misera, quæ illæc audio?
Me. Haud mala illanc amovi. Nunc hunc impurissumum,
Barbatum, tremulum, Tithonum, Cygno prognatum patre,
Ita mihi imperas, ut ego huius membra, atque ossa, atque artus,
Comminuam illo scipione, quem ipse habet.
S. Dabitur malum,
Me quidē si attigeris, aut si propius ad me accesseris.
Me. Faciam, quod iubes; securim capiam ancipitem; atque hunc senem
Exossabo; dein dedolabo assulatim viscera.
S. Enimvero illud præcavendum 'st, atque accurandum mihi;
Sane ego illum metuo, ut minatur, ne quid malefaxit mihi.
Me. Multa mihi imperas, Apollo: nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos, feroces, atque in currum inscendere,
Ut ego hunc proteram leonem Gætulum, olentem, edentulum.
Iam adstiti in currum: iam lora teneo: iam stimulum in manu est.
Agite, equi! facitote sonitus ungularum appareant
Cursu celeri: facite inflexa sit pedum pernicitas.
S. Mihin' equis iunctis minare?
Me. Ecce, Apollo, denuo
Me iubes facere impetum in eum, qui stat, atque occidere.
Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat, atque dictum Apollinis.
S. Heu! hercle, morbū acrē ac durū! Dii, vostrā fi-
Vel hic, qui insanit, quam valuit paulo prius! (dem!
Ei derepente tantus morbus incidit.
Ibo, atque arcessam medicum iam, quantum potest.

SCENA III. *Menæchmus Sosicles.*

Iamne isti abierunt, quæso, ex conspectu meo,
Qui me vi cogunt, ut validus insaniam?
Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?
Vosque omnes quæso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.

SCENA IV. *Senex, Medicus.*

S. Lumbi sedendo, oculi spectando dolent,
Manendo medicum, dum se ex opere recipiat.
Odiosus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait se obligasse crus fractum Æsculapio,
Apollini autem brachium. Nunc cogito,
Utrum me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque, eccum, incedit, movet formicinum gradum.
M. Quid esse illi morbi dixeras? narra, senex.
Num larvatus, aut cerritus? fac sciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus, tenet?
S. Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi,
Atque illum ut sanū facias. *M.* Perfacile id quidē est.
Sanum futurum, mea ego id promitto fide.
S. Magna cum cura ego illum curari volo.
M. Quin suspirabo plus sexcenties in die;
Ita ego illum cum cura magna curabo tibi.
S. Atq; eccū ipsū hominē. *M.* Observemus, quā rē a- (gat.

SCENA V. *Menæchmus surreptus, Senex, Medicus.*

Men. Edepol, næ, hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit:

Quæ me clamratus sum facere, ea omnia fecit palam
Parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis;
Meus Ulysses, suo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, si quidē vivo, vita devolvā sua.
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quæ mea sit.
Meo cibo et sumtu educatu 'st: anima privabo virū.
Condigne autem hæc meretrix fecit, ut mos est meretricius.
Quis rogo pallam, ut referatur rursū ad uxorē meā,
Mihi se ait dedisse. Heu! edepol, næ, ego homo vivo miser!
S. Audin' quæ loquitur? *Med.* Se miserum prædicat.
S. Adeas velim.
Med. Salvos sis, Menæchme. Quæso, cur apertas brachium?
Non tu scis, quantū isti morbo nunc tuo facias mali.
Men. Quin tu te suspendis? *S.* Ecquid sentis?
Med. Quidni sentiam?
Non potest hæc res hellebori iugere obtinerier.
Sed quid ais, Menæchme? *Men.* Quid vis?
Med. Dic mihi hoc, te rogo:
Album an atrum vinum potas?
Men. Quin tu is in malam crucem?
S. Iam, hercle, occeptat insanire primulum.
Men. Quin tu me interrogas,
Purpureum panē an puniceū soleā ego esse, an luteū?
Soleamne esse avis squamosas, piscis pennatos?
S. Papæ!
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit insania?
Med. Mane modo: etiam percontabor.
S. Alia occidis fabula.
Med. Dic mihi hoc: solent tibi unquā oculi duri fieri?
Men. Quid? tu me locustam censes esse, homo ignavissume?
Med. Dic mihi: en unquam tibi intestina crepant, quod sentias?
Men. Ubi satur sum, nulla crepitant: quando esurio, tum crepant.
Med. Hoc quidem, edepol, haud pro insano verbum respondit mihi.
Perdormiscin' usque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?
Men. Perdormisco, si resolvi argentum, quoi debeo.
Qui te Iupiter Diique omnes, percontator, perduint!
Med. Nunc homo insanire occeptat. De illis verbis cave tibi.
S. Immo, modestior nunc quidem est de verbis, præut dudum fuit:
Nam dudum uxorem suam esse aiebat rabiosam canē.
Men. Quid ego dixi? *S.* Insanis, inquā. *Men.* Egone?
S. Tu istic, qui mihi
Etiam me iunctis quadrigis minitatu's prosternere.
Egomet hæc te vidi facere; egomet hæc te arguo. (vis.
Men. At ego te sacram coronam surripuisse scio Io-
Et, ob eam rem, in carcerem ted esse compactum scio.
Et, postquam es emissus, cæsum virgis sub furca scio.
Tum patrē occidisse, et matrē vendidisse, etiā scio.
Satin' hæc, pro sano, maledicta maledictis respondeo?
S. Obsecro, hercle, medice, propere, quidquid facturu's, face.
Non vides hominem insanire?
Med. Scin' quid facias optumum?
Ad me face uti deferatur. *S.* Itan' censes?
Med. Quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem.
S. Age, ut lubet.
Med. Helleborum potabis, faxo, aliquos viginti dies.
Men. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.
Med. I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant.
S. Quot sunt satis?
Med. Proinde, ut insanire video, quatuor; nihilo minus.
S. Iam hic erunt. Asserva tu istunc, medice.
Med. Immo, ego ibo domum,
Ut parentur, quibus paratis opu 'st. Tu servos iube,
Hunc ad me ferant. *S.* Iam ego illic faxo erit.
Med. Abeo. *S.* Vale.
Men. Abiit socerus: abiit medicus. Nunc solus sum. Pro Iupiter!
Quid illuc est, quod me hic homines insanire prædicant?
Nam equidem, postquam gnatus sum, nunquam ægrotavi unum diem.
Neque ego insanio; neque pugnas neq, ego lites cœpio.
Salvus salvos alios video; novi homines, alloquor.
An, qui perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt?
Quid ego nunc faciam? Domum ire cupio: at uxor non sinit.
Huc autem nemo intromittit. Nimis proventum est nequiter.
Hic ergo usque ad noctem: saltem, credo, intromittar domum.

Scena VI. *Messenio.*

Spectamen bono servo id est, qui rem herilem
Procurat, videt, collocat, cogitatque,
Ut, absente hero, rem heri diligenter
Tutetur, quam si ipse adsit, aut rectius.
Tergum quam gulam, crura quam ventrem oportet
Potiora esse, quoi cor modeste situm est.
Recordetur id, qui nihili sunt, quid iis prati
Detur ab suis heris, ignavis, improbis
Viris; verbera, compedes, molæ, magna
Lassitudo, fames, frigus durum.
Hæc pretia sunt ignaviæ.
Id ego male malum metuo; propterea bonum
Esse certum est, potius quā malum: nā magis multo
Patior facilius verba: verbera ego odi;
Nimioque edo libentius molitum, quam
Molitum præhibeo. Propterea heri imperium
Exsequor bene, et sedate servio.
Atque id mihi prodest. Alii, sese ita ut in rem
Esse ducunt, sint: ego ita ero, ut me esse oportet;
Metum ut mihi adhibeam, culpam abstineam;
Hero ut omnibus in locis sim præsto.
Servi, qui culpa carent, et metuunt, ii
Solent esse heris utibiles: nam illi, qui nihil
Metuunt, postquam malum promeritū est, metuunt.
Metuam haud multum: prope est, quando
Herus, quod strenue faciam pretium exsolvet.
Eo exemplo servio, tergi ut in rem esse arbitror.
Postquam in tabernam vasa et servos collocavi, ut iusserat,
Ita venio advorsum. Nunc fores pultabo, adesse ut me sciat;
[Atq, ut eū ex hoc saltu damni salvō ut educā foras.]
Sed metuo, ne sero veniam, depugnato prælio.

Scena VII. *Senex, Menæchmus surreptus, Lorarii, Messenio.*

S. Per ego vobis Deos atque homines dico, ut imperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæ imperavi atq, impero.
Facite, illic homo iam in medicinam ablatus sublimis siet,

Nisi quidē vos vostra crura aut latera nihili penditis.
Cave, quisquam, quod illic minitetur, vostrum floccifecerit.
Quid statis? quid dubitatis? iam sublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum: præsto ero illic, cum venietis.
Men. Occidi!
Quid hoc est negoti? quid illic homines ad me currunt, obsecro?
Quid voltis vos? quid quæritatis? quid me circumsistitis?
Quo rapitis me? quo fertis me? perii! Obsecro vostram fidem;
Epidamnienses, subvenite, cives! Quin me mittitis?
Mes. Pro Dii immortales! obsecro, quid ego oculis aspicio meis?
Herū meū indignissume nescio qui sublimē ferunt.
Men. Ecquis suppetias mihi audet afferre?
Mes. Ego, here, audacissume.
O facinus indignum et malum, Epidamnicives! herum
Meum hic in pacato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit!
Mittite istunc. *Men.* Obsecro te, quisquis es, operam ut des mihi,
Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam.
Mes. Immo, et operam dabo, et defendam, et subvenibo sedulo.
Nunquam te patiar perire: me perire est æquius.
Eripe oculum isti, ab humero qui te tenet, here, te obsecro.
Hisce ego iā sementē in ore faciā, pugnosque obserā
Maxumo hodie malo, hercle, vostro istunc fertis. Mittite.
Men. Teneo ego huic oculum. *Mes.* Face, ut oculi locus in capite appareat.
Vos scelesti, vos rapaces, vos prædones! *L.* Periimus!
Obsecro hercle. *Mes.* Mittite ergo.
Men. Quid me vobis tactio est?
Pecte pugnis. *Mes.* Agite, abite, fugite hinc in malam crucem!
Hē tibi etiā, quia postremus cedis, hoc præmii feres.
Nimis autem bene ora commentavi, atque ex mea sententia.
Edepol, here, næ tibi suppetias tempore adveni modo!
Men. At tibi Dii semper, adolescens, quisquis es, faciant bene:
Nā, absq; ted esset, hodie nunquā ad solē occasū viverē.
Mes. Ergo edepol, si recte facias, here, me mittas manu.
Men. Liberem ego te? *Mes.* Verum, quandoquidem, here, te servavi. *Men.* Quid est?
Adolescens, erras. *Mes.* Quid erro?
Men. Per Iovem adiuro patrem,
Me herum tuum non esse. *Mes.* Non taces?
Men. Non mentior.
Nec meus servos unquam tale fecit, quale tu mihi.
Mes. Sic sine igitur, si tuum negas me esse, abire liberum.
Men. Mea quidem, hercle, causa, liber esto, atque ito quo voles.
Mes. Nempe iubes? *Men.* Iubeo, hercle, si quid imperi est in te mihi.
Mes. Salve, mi patrone.
Servus alius. Cum tu liber es, Messenio,
Gaudeo. *Mes.* Credo, hercle, vobis. Sed, patrone, te obsecro,
Ne minus imperes mihi, quam cum tuus servos fui.
Apud te habitabo; et, quando ibis, una tecum ibo domum.
Men. Minime. *Mes.* Nunc ibo in tabernam: vasa et argentum tibi
Referam. Recte est obsignatum in vidulo marsupium
Cū viatico: id tibi iā huc afferā. *Men.* Affer strenue.
Mes. Salvom tibi, item ut mihi dedisti, redhibebo. Hic me mane.
Men. Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis.
Alii me negant eum esse qui sum, atque excludunt foras.
Etiam hic servom esse se meum aiebat, quem ego emisi manu.
Is ait, se mihi allaturum cum argento marsupium.
Id si attulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet;
Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentū petat.
Socer et medicus me insanire dicebant. Quid sit, mira sunt.
Hæc nihilo mihi esse videntur secius, quam somnia.
Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam succenset mihi,
Si possū exorare ut pallam reddat, quā referā domū.

SCENA VIII. *Menæchmus Sosicles, Messenio.*

Men. Men' hodie usquam convanisse te, audax, audes dicere,
Postquam advorsum mihi imperavi, ut huc venires.
Mes. Quin modo
Eripui, homines qui te ferebant sublimem quatuor,
Apud hasce ædeis; tu clamabas Deum fidem atque hominum omnium;
Quō ego accurro, teque eripio, vi pugnando, ingratiis.
Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.
Quom argentum dixi me petere, et vasa, tu, quantum pote 'st,
Præcucurristi obviam, ut, quæ fecisti, inficias eas.
Men. Liberum ego te iussi abire? *Mes.* Certo.
Men. Quoi certissumum 'st,
Mepte potius fieri servom, quam te unquam emittam manu.

SCENA IX. *Menæchmus surreptus, Messenio, Menæchmus Sosicles.*

M. su. Si voltis per oculos iurare, nihilo, hercle, ea causa magis
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam et spinther, pessumæ.
Mes. Pro Dii immortales! quid ego video?
M. So. Quid vides? *Mes.* Speculum tuum.
M. So. Quid negoti 'st? *Mes.* Tua 'st imago: tam consimili 'st, quam potest.
M. So. Pol, profecto, haud est dissimilis, meam cum formam noscito.
M. su. O adolescens, salve, qui me servavisti, quisquis es!
Mes. Adolescens, quæso, hercle, loquere tuum mihi nomen, ni piget.
M. su. Non, edepol, ita promeruisti de me, ut pigeat, quæ velis.
Mihi est Menæchmus nomen.
M. So. Immo, edepol, mihi.
M. su. Siculus sum Syracusanus.
M. So. Ea domus et patria est mihi.
M. su. Quid ego ex te audio? *M. So.* Hoc quod res est
Mes. Novi equidem hunc: herus est meus
Ego quidem huius servos sum, sed me esse huius credidi,
Ego hunc censebam esse te: huic etiam exhibui negotium.

Quæso ignoscas, si quid stulte dixi, atque imprudens tibi.
M. So. Delirare mibi videre. Non commeministi simul
Te hodie mecum exire e navi?
Mes. Enimvero æquom postulas.
Tu herus es: tu servom quære: salveto tu: tu vale.
Hunc ego esse aio Menæchmum. *M. su.* At ego me.
M. So. Quæ hæc fabula est?
Tu j es Menæchmus? *M. su.* Me esse dico, Moscho prognatum patre.
M. So. Tuu' meo patre es prognatus?
M. su. Immo equidem, adolescens, meo.
Tuum tibi neque occupare neque præripere postulo.
Mes. Dii immortales! spem insperatam date mibi, quam suspicor.
Nam, nisi me animus fallit, bi sunt gemini germani duo.
Nam et patrem et matrem commemorant pariter, qui fuerint sibi.
Sevocabo herum. Menæchme. *Men. ambo.* Quid vis?
Mes. Non ambos volo.
Sed uter vostrum est advectus mecum navi?
M. su. Non ego. *M. So.* At ego. *Mes.* Te volo igitur: huc concede. *M. So.* Concessi. Quid est?
Mes. Illic homo aut sycophanta aut geminus est frater tuus.
Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ, neque, lacte est lacti, crede mibi, usquam similius,
Quam hic tui est, tuque huius. Postea autem eamdem patriam ac patrem
Memorat. Melius est nos adire, atque hunc percontarier.
M. So. Hercle, quin tu me admonuisti recte; et habeo gratiam.
Perge operam dare, obsecro, hercle: liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse. *Mes.* Spero.
M. So. Et ego idem spero fore.
Mes. Quid ais tu? Menæchmum, opinor, te vocari dixeras.
M. su. Ita vero. *Mes.* Huic item Menæchmo nomen est. In Sicilia,
Te Syracusis natum esse dixisti: bic natus est ibi.
Moschum tibi patrem fuisse dixti: huic itidem fuit.
Nunc operā potestis ambo mihi dare, et vobis simul.
M. su. Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.
Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi.
Mes. Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, una matre natos, et patre uno, uno die.
M. su. Mira memoras: utinam efficere, quod pollicitu's, possies!
Mes. Possum: sed nunc coite. Uterque id, quod rogabo, dicite.
M. su. Ubi lubet, roga: respondebo. Nihil reticebo, quod sciam.
Mes. Est tibi nomen Menæchmo? *M. su.* Fateor.
Mes. Est itidem tibi.
M. So. Est. *Mes.* Patrem fuisse Moschum tibi ais?
M. su. Ita vero. *M. So.* Et mibi.
Mes. Esne tu Syracusanus? *M. su.* Certo.
Mes. Quid tu? *M. So.* Quippini?
Mes. Optume usque adhuc conveniunt signa. Porro operam date.
Quid longissume meministi, dic mihi, in patria tua?
M. su. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum, tum postea
Inter homines me deerrare a patre, atque inde avehi-
M. So. Iupiter supreme! serva me.
Mes. Quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, cum te pater a patria avehit?
M. su. Septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulum.
Neque patrem unquam post illa vidi.
Mes. Quid? vostrum patri
Filii quot eratis?
M. su. Ut nunc maxume memini, duo.
Mes. Uter eratis, tun' an ille maior?
M. su. Æque ambo pares.
Mes. Qui id potest? *M. su.* Gemini ambo eramus.
M. So. Dii me servatum volunt.
Mes. Si interpellas, ego tacebo.
M. So. Potius taceo. *Mes.* Dic mihi,
Uno nomine ambo eratis?
M. su. Minume: nam mihi hoc erat,
Quod nunc est, Menæchmus; illum tum vocabant Sosiclem.
M. So. Signa agnovi: contineri, quin complectar, non queo.
Mi germane, gemine frater, salve! ego sum Sosicles.
M. su. Quomodo igitur post Menæchmo nomen est factum tibi?
M. So. Postquam ad nos renuntiatum 'st, te et patrem esse mortuum,
Avus noster mutavit: quod tibi nomen est, fecit mihi.
M. su. Credo ita esse factum, ut dicis. Sed mihi hoc responde. *M. So.* Roga.
M. su. Quid erat nomen nostræ matri?
M. So. Theusimarche. *M. su.* Convenit,
O! salve, insperate, multis annis post quem conspicor.
Frater! *M. So.* Et tu, quem ego multis miseris laboribus
Usq; adhuc quæsivi, quemq; ego esse inventū gaudeo.
Mes. Hoc erat, quod hæc te meretrix huius vocabat nomine.
Hunc censebat te esse, credo, cum vocat te ad prandium.
M. su. Namque, edepol, hic mihi hodie iussi prandium appararier,
Clā meam uxorem, quoi pallam surripui dudū domo.
Eam dedi huic. *M. So.* Hancne, dicis, frater, pallam quam ego habeo?
M. su. Quomodo hæc ad te pervenit?
M. So. Meretrix huc ad prandium
Me abduxit: me sibi dedisse aiebat. Prandi perbene;
Potavi, atque accubui scortum: pallam, et aurum hoc, mihi dedit.
M. su. Gaudeo, edepol, si quid, propter me, tibi evenit boni:
Nam illa, cum te ad se vocabat, me esse credidit.
Mes. Numquid me morare, quin ego liber, ut iussisti, eam?
M. su. Optumum atque æquissumum orat, frater fac causa mea.
M. So. Liber esto.
Servus alius. Cum tu liber es, gaudeo, Messenio.
Mes. Sed meliore est opus auspicio, liber perpetuo ut siem.
M. So. Quoniam hæc evenerunt, frater, nostra ex sententia,
In patriam redeamus ambo.
M. su. Frater, faciam, ut tu voles.
Auctionem hic faciam, et vendam quidquid est. Nunc interim

Eamus intro, frater. *M. So.* Fiat.
Mes. Scitin' quid ego vos rogo?
M. su. Quid? *Mes.* Mihi ut præconium detis.
M. su. Dabitur. *Mes.* Ergo nunc iam
Vis conclamari auctionem fore? quo die?
M. su. Die septimi.
Mes. Auctio fiet Menæchmi mane sane septimi.
Venibunt servi, supellex, fundi, ædes; omnia
Venibunt, quiqui licebunt, præsenti pecunia.
Venibit uxor quoque etiam, si quis emtor venerit.
Vix, credo, tota auctione capiet quinquagesies.
Nunc, spectatores, valete, at nobis clare applaudite.

---

4 MERCATOR

DRAMATIS PERSONÆ.

CHARINUS, *adolescens*.
ACANTHIO, *servus*.
DEMIPHO, } *senes*.
LYSIMACHUS, } *senes*.
LORARII.
EUTYCHUS, *adolescens*.
PASICOMPSA, *meretrix*.
DORIPPA, *uxor*.
SYRA, *anus serva*.
COCUS.

Argumentum (PRISCIANI?)

Missus mercator ab suo adulescens patre
Emit atque apportat scita forma mulierem.
Requirit, quæ sit, postquam eam vidit, senex.
Contingit servos emtam matri pedisequam.
Amat senex hanc, ac se simulans vendere,
Tradit vicino. Eum putat uxor illius
Obduxe sibi scortum. Tum Charinum ex fuga
Retrahit sodalis, postquam amicam invenerat.

ACTUS I. SCENA I. Prologus.

Charinus.

Duas res simul nunc agere decretum 'st mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar.
Non ego idem facio, ut alios in comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut Nocti, aut Die,
Aut Soli, aut Lunæ, miserias narrant suas:
Quos, pol, ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Græca hæc vocatur *Emporos* Philemonis,
Eadem Latine *Mercator* Marci Accii.
Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum.
Biennium iam factum 'st, postquam abii domo.
Ibi amare occœpi forma eximia mulierem.
Sed, ea ut sim implicitus, dicam, si opera 'st auribus,
Atque ad advortundum huc animū adest benignitas.
Et hoc parum etiam more maiorum instití:
Prius, ac percontatus sum vos, sumsi indicium illico.
Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.
Hæc non illum modo qui amat, sed quemque attigit,
Magno atque solido multat infortunio.
Nec, pol, profecto quisquam, sine grandi malo,
Præquam res patitur, studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error, terror, et fuga,
Ineptia, stultitiaque adeo, et temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas, et malevolentia:
Inhæret etiam aviditas, desidia, iniuria,
Inopia, contumelia, et dispendium,
Multiloquium, pauciloquium. Hoc ideo fit, quia,
Quæ nihil attingunt ad rem, nec sunt usui, hæc
Amator profert sæpe advorso tempore.
Hoc pauciloquium rursum idcirco prædico,
Quia nullus unquam amator adeo 'st callide
Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.
Nunc vos mihi irasci ob multiloquium non decet:
Eodem, quo amorem, Venus mihi hoc legavit die.
Illuc revorti certum, ut conata eloquar.
Principio atque animus ab ephebis ætate exiit,
Atque animus studio amotus puerili 'st meus,
Amare valide cœpi hic meretricem: illico
Res exulatum ad illam abibat clam patris.
Leno importunus, dominus eius mulieris,
Vi summa quidque, ut poterat, rapiebat domum.
Obiurgare pater hæc me noctes et dies:
Perfidiam, iniustitiam lenonum expromere;
Lacerari valide suam rem, illius augerier.
Summo hæc clamore: interdum mussans colloqui,
Abnuere: negitare adeo me gnatum suum:
Conclamitare tota urbe at prædicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere.
Amorem multos illexe in dispendium:
Intemperantem, non modestum, iniurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab se domo.
Rationem pessumam esse, ea, quæ ipsus optuma
Omnes labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri.
Convicium tot me annos iam se pascere.
Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit,
Non, ut ego, amori, neque desidiæ, in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse; adeo arcte cohibitum esse se a patre:
Multo opere immundo rustico se exercitum:
Neque, nisi quinto anno quoque, posse tum visere
Urbē; atque extemplo inde, ut spectavisset peplum.
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.
Ibi multo primum se familiarium
Laboravisse: quom hæc pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis:
Tibi denique iste pariet lætitiam labos.
Postquam recesset vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse, atque ea pecunia
Navim, metretas quæ trecentas tolleret,
Parasse, atque eapse merces vectatum undique,
Adeo dum, quæ tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.
Ego me ubi invisum meo patri esse intellego,
Atque odio esse me, quoi placere æquom fuit,
Amens, amansque, utut animum offirmo meum:
Dico esse iturum me mercatum, si velit:
Amorem missum facere me, dum illi obsequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promissa non neglexit persequi.
Ædificat navim cercurum, et merces emit;
Parata navi, imponit. Præterea mihi
Talentum argenti ipsus sua adnumerat manu:
Servom una mittit, qui olim a puero parvulo
Mihi pædagogus fuerat; quasi uti mihi foret
Custos. Hisce confectis, navim solvimus:
Rhodum venimus. Ubi, quas merces vexeram,
Omnes, ut volui, vendidi ex sententia,
Lucrum ingens facio; præterquam mihi meus pater
Dedit æstimatas merces. Ita peculium
Conficio grande. Sed, dum in portu illi ambulo,
Hospes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.
Venio; decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
Discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla 'st pulchrior:
Ea nocte mecum illa hospitis iussu fuit.
Vosmet videte, quam mihi valde placuerit!

Postridie hospitem adeo; oro, ut vendat mihi.
Dico, eius pro meritis, gratum me et munem fore.
Quid verbis opus est? emi, atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo resciscat pater.
Modo eam reliqui ad portum in navi, et servolum.
Sed quid currentem servom a portu conspicor,
Quem navi abire vetui? Timeo, quid siet.

SCENA II. *Acanthio, Charinus.*

A. Ex summis opibus viribusq, usq, experire, nitere:
Herus ut minor opera tua servetur. Agedum, Acanthio,
Abige abs te lassitudinem: cave pigritiæ prævorteris:
Simul autem plenissume eos, qui advorsum eunt, aspellito,
Detrude, deturba in viam. Hæc hic disciplina pessuma 'st;
Curren'i, properanti, haud quisquam dignum babet decedere.
Ita tres simitu' res agundæ sunt, quando unam occœperis:
Et currendum, et pugnandum, et autem iurgandum 'st in via.
C. Quid illud est, quod ille tam expedite exquirit cursuram sibi?
Cura 'st, negoti quid sit, aut quid nuntiet.
A. Nugas ago.
Quam maxume resisto, tam res in periculo vortitur.
C. Mali nescio quid nuntiat.
A. Genua hunc cursorem deserunt.
Perii! seditionem facit lien, occupat præcordia.
Simul enicat suspiritus; vix suffero, hercle, anhelitũ.
Perii! animam nequeo vortere: nimis nihili tibicen siem.
C. At tu, edepol, sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.
A. Nunquam, edepol, omnes balineæ mihi hanc lassitudinem eximent.
Domin' an foris dicam esse herum Charinum?
C. Ego animi pendeo,
Quid illud sit negoti: lubet scire ex hoc me, ut sim certior.
A. At etiam asto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas?
Aperite aliquis. Ubi Charinus herus? domin' est an foris?
Num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur?
C. Ecce me,
Acanthio, quem quæris.
A. Nusquam est disciplina ignavior.
C. Quæ te res male agitat? *A.* Multæ, here, te atq, me.
C. Quid est negoti?
A. Periimus. *C.* Principium inimicis dato.
A. At tibi sortito id obtigit.
C. Loquere id negoti, quidquid est.
A. Placide: volo acquiescere.
Tua causa rupi ramices; iamdudum sputo sanguinẽ.
C. Resinã ex melle Ægyptiam vorato; salvõ feceris.
A. At tu, edepol, calidam picem bibito; ægritudo abscesserit.
C. Hominem ego iracundiorem, quã te, novi neminẽ.
A. At ego maledicentiorem, quam te, novi neminem.
C. Sin, saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo.
A. Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ advenit.
C. Dic mihi, an boni quid usquam 'st, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni: a-...

A. Nescio ego istæc: philosophari nunquam didici, neque scio.
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.
C. Cedo tuam mihi dexteram, agedum, Acanthio.
A. Hem! dabitur: tene.
C. Vin' tu te mihi ob esse sequentem, an nevis?
A. Opera licet
Experiri, qui me rupi, causa currendo tua,
Ut, quæ scirem, scire actutũ tibi liceret. *C.* Liberũ
Caput tibi faciã, paucos cis menses. *A.* Palpo percotis.
C. Egon' ausim tibi usquam quidquam facinus falsum proloqui?
Quin iam, priusquam sim elocutus, scis, si mentirĩ volo. *A.* Ah!
Lassitudinem, hercle, verba tua mihi addunt; enicas.
C. Siccine mihi obsequens es? *A.* Quid vis faciam?
C. Tun'? id quod volo.
A. Quid est igitur, quod vis? *C.* Dicam. *A.* Dice.
C. At enim placide volo.
A. Dormientes spectatores metuis ne e somno excites?
C. Væ tibi! *A.* Tibi equidem a portu apporto hoc.
C. Quid fers? dic mihi.
A. Vim, metum, cruciatum, curam, iurgiumque, atque inopiam.
C. Perii! tu quidem thesaurum huc mihi apportavisti mali.
Nullus sum. *A.* Immo es... *C.* Scio: iã miserũ dices.
A. Tu dixti; ego taceo.
C. Quid istuc est mali?
A. Ne rogites: maxumum infortunium 'st.
C. Obsecro, dissolve iã me: nimis diu animi pendeo.
A. Placide: multa exquirere etiam prius volo, quam vapulem.
C. Hercle, vero, vapulabis, nisi iam loquere, aut hinc abis.
A. Hoc sis vide, ut palpatur! nullu 'st, quando occœpit, blandior.
C. Obsecro, hercle, oroque, ut, istuc quid sit, actutum indices;
Quandoquidẽ mihi supplicandũ servolo video meo.
A. Tandem indignus videor? *C.* Immo, dignus.
A. Equidem credidi.
C. Obsecro, num navis periit?
A. Salva 'st navis, ne time.
C. Quid alia armamenta? *A.* Salva et sana sunt.
C. Quin tu expedis,
Quid siet, quod me per urbẽ currens quærebas modo.
A. Tu quidem ex ore orationẽ mihi eripis. *C.* Taceo.
A. Tace.
Credo, si boni quid ad te nuntiem, instes acriter;
Qui nunc, cum malum audiundum 'st, flagitas me, ut eloquar.
C. Obsecro, hercle, te, istuc uti tu mihi malum facias palam.
A. Eloquar, quandoquidem me oras. Tuus pater....
C. Quid meus pater?
A. Tuam amicam.... *C.* Quid eam? *A.* Vidit.
C. Vidit? væ misero mihi!
Hoc, quod te interrogo, responde.
A. Quin tu, si quid vis, roga.
C. Qui potuit videre? *A.* Oculis. *C.* Quo pacto?
A. Hiantibus.
C. I hinc dierectus! nugare in re capitali mea?
A. Qui, malum! ego nugor, si tibi, quod me rogas,

C. Ubi eam vidit?
A. Intus intra navim, uti prope astitit,
Et cum ea confabulatu 'st. *C.* Perdidisti me, pater!
Eho tu! eho tu! quin cavisti, ne eam videret, verbero?
Quin, sceleste, abstrudebas, ne eã conspiceret pater?
A. Quia negotiosi aramus nos nostris negotiis: (mus.
Armamentis complicandis et componendis studui-
Dum hæc aguntur, lembo advehitur tuus pater pauxillulo;
Neque quisquam hominem conspicatu 'st, donec in navi super.
C. Nequidquã mare subterfugi sævis tempestatibus.
Equidẽ iam me censebã esse in terra atque in tuto
Verum video me ad saxa ferri sævis fluctibus. (loco:
Loquere porro, quid sit actum.
A. Postquam aspexit muliarem,
Rogitare occœpit, quoia esset. *C.* Quid respondit?
A. Illico
Occucurri, atque interpello, matri te ancillam tuæ
Emisse illam. *C.* Visu 'st tibi credere id?
A. Etiam rogas?
Sed scelestus subigitare occœpit. *C.* Illamne, obsecro?
A. Mirum, quin me subigitaret.
C. Edepol, cor miserum meum!
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem.
Perii! *A.* Hem, istuc unũ verbũ dixisti verissumum:
Stultitia istæc est. *C.* Quid faciam? Credo, non credet pater,
Si illam matri meæ emisse dicam. Post autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile 'st forma eximia mulierem
Eam me emisse ancillam matri.
A. Non taces, stultissume?
Credet, hercle: nam credebat iam mihi. *C.* Metuo mi-
Ne patrem prehendat, ut sit gesta res, suspicio. (ser,
Hoc, quod te rogo, responde, quæso. *A.* Quid rogas?
C. Num esse amicam suspicari visus est?
A. Non visus est.
Quin quidque, ut dicebam, mihi credebat.
C. Verum, ut tibi quidem
Visus est. *A.* Non; sed credebat.
C. Væ mihi misero! nullus sum.
Sed quid ego hic in lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere. *A.* Si istac ibis, commodum obviam venies patri.
Posteaquam aspiciet te timidum esse atque exanimatum, illico
Retinebit, rogitabit, unde illã emeris, quanti emeris;
Timidum tentabit te.
C. Quin hac ibo potius. Iam censes patrem
Abiisse a portu? *A.* Quin ea ego huc præcucurri gratia,
Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret.
C. Optume.

Actus II. Scena I. *Demipho.*

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt:
Velut ego, nocte hac, quæ præteriit, proxuma,
In somnis egi satis, et fui homo exercitus.
Mercari visus mihi sum formosam capram:
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram:
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco,
Posterius quam mercatus fueram, visus sum
In custodiam eam simiæ concredere.
Ea simia adeo post haud multo ad me venit;
Male mihi precatur, et facit convicium:
Ait sese, illius opera atque adventu capræ,
Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.
Dicit, capram, quam dederam servandam sibi,
Suæ uxoris dotem ambadedisse. Oppido
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris simiæ dotem ambadederit.
Instare factum simia: atque hoc denique
Respondet, ni properem illam ab sese abducere,
Ad me domum intro ad uxorem ducturum meam.
Atque oppido, hercle, bene velle illi visus sum,
Ast non habere quoi commendarem capram.
Quo magis, quid facerem, cura cruciabar miser.
Interea ad me hædus visu 'st aggredirier;
Infit mihi prædicare, sese ab simia
Capram abduxisse; et cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,
Nequeo invenire: nisi capram illam suspicor
Iam me invenisse quæ sit, aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii mane cum luci simul. (spicor
Postquam hic id quod volui transegi, atque ego con-
Navem ex Rhodo, qua heri 'st advectus filius,
Collibitum 'st illud mihi, nescio qui, visere:
Escendi in lembum, atque ad navĩ advehor: atq; ego
Illam conspicio forma eximia mulierem,
Filius quã advexit meus matri ancillam suæ. (lent
Quam ego postquam aspexi, non ita amo ut sani so-
Homines; sed eodem pacto ut insani solent.
Amavi, hercle, equidem ego olim in adolescentia:
Verum ad hoc exemplum numquam, ut nunc insanio.
Unum quidem, hercle, iam scio, periise me:
Vosmet videte cæterum, quanti siem.
Nunc hoc profecto sic est: hæc illa 'st capra.
Sed simia illa atque hædus, timeo, quid velint.
Sed conticescam: vicinum eccum! exit foras.

Scena II. *Lysimachus, Demipho, Lorarii.*

Ly. Profecto ego illunc hircum castrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
D. Nec omen illud mihi, nec auspicium, placet.
Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea,
Atque illius hæc nunc simiæ parteis ferat.
Ly. I tu hinc ad villam, atque istos rastros villico
Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum.
Uxori facito ut nunties, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi
Tres hodie lites iudicandas dicito.
I, et hoc memento dicere. *Lo.* Numquid amplius?
Ly. Tantum 'st. *D.* Lysimache, salve.
Ly. Euge! Demipho,
Salve. O! quid agis? quid fit? *D.* Quod miserrumus.
Ly. Dii melius faxint! *D.* Dii hoc quidem faciunt.
Ly. Quid est?
D. Dicam, si videam tibi esse operam aut otium.
Ly. Quamquam negotium 'st, si quid vis, Demipho,
Non sum occupatus unquam amico operam dare.
D. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Qui tibi ego ætatis videor? *Ly.* Acheruntícus,
Senex, vetus, decrepitus. *D.* Pervorse vides.
Puer sum, Lysimache, septuennis. *Ly.* Sanun' es,
Qui puerum te esse dicas? *D.* Vera prædico.
Ly. Modo, hercle, in mentem venit, quid tu diceres:
Senex cum extemplo 'st, iam nec sentit, nec sapit;
Aiunt solere eum rursum repuerascere.
D. Immo, bis tanto valeo, quam valui prius.
Ly. Bene, hercle, factu; et gaudeo. *D.* Immo, si scias,
Oculis quoque etiam plus iam video, quam prius
Ly. Bene est. *D.* Malam rem dico.
Ly. Iam istuc non bonum 'st.

D. Sed sinisne ego tibi eloqui, si quid velim?
Ly. Audacter. *D.* Animum advorte. *Ly.* Fiet sedulo.
D. Hodie ire in ludum occœpi literarium,
Lysimache: ternas scio iam. *Ly.* Quid, ternas?
D. AMO.
Ly. Tun' capite cano amas, senex nequissume?
D. Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum 'st, amo.
Ly. Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.
D. Decide collum, si falsum 'st, uti loquar:
Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem, vel tu nasum, vel labrum:
Si movero me, seu secari sensero,
Lysimache, auctor sum, uti me amando hic enices.
Ly. Si unquam vidisti pictū amatorē, hem! illic est.
Nam, meo quidem animo, vetulus, decrepitus senex
Tantidem 'st, quasi sit signum pictum in pariete.
D. Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
Ly. Egon' te? *D.* Nihil est iam, quod tu mihi succenseas.
Fecere tale ante alii spectati viri.
Humanum amare 'st, humanum autem ignoscere 'st.
Ne, sis, me obiurga: hoc non voluntas me impulit.
Ly. Quin non obiurgo. *D.* At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. *Ly.* Egone te? ah! ne Dii siverint.
D. Vide sis, modo etiam. *Ly.* Visum 'st. *D.* Certen'?
Ly. Perdis me.
Hic homo ex amore insanit. Numquid vis? *D.* Vale.
Ly. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium 'st.
D. Bene ambulato. *Ly.* Bene valeto. *D.* Bene sit tibi.
Quin mihi quoque etiam 'st ad portum negotium.
Nunc adeo ibo illuc. Sed optume gnatum meum
Video, eccum! Opperiar hominem: hoc nunc mihi viso 'st opus,
Huic persuadere quomodo potis siem,
Ut illam vendat, neve det matri suæ:
Nam ei dono advexe audivi. Sed præcauto 'st opus,
Ne ad illam me animum adiecisse aliqua sentiat.

SCENA III. *Charinus, Demipho.*

C. Homo me miserior nullus est æque, opinor,
Neque advorsa quoi sint plura sempiterna.
Satin, quidquid est, ut quam rem agere occœpi,
Proprium nequit mihi evenire, quod cupio?
Ita mihi mala res abiicitur aliqua,
Bonum quæ meum comprimit consilium.
Miser amicam mihi paravi, animi causa, pretio,
Ratus clam patrem meum posse habere.
Is rescivit, et vidit, et perdidit me.
Neque, is cum roget, quid loquar, cogitatum 'st;
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec, quid corde nunc consili capere possim,
Scio; tantus, cum cura, meo est error animo.
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet: nec pater potis videtur
Induci, ut putet matri ancillam emtam esse illam.
Nunc si dico, ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existimet me?
Atque illā abstrahat, trans mare hinc venū asportet.
Scio, sævos quā sit, domo doctus. Igitur hoccine est
Amare? Arare mavelim, quam sic amare.
Iam hinc olim invitum domo extrusit ab sese;
Mercatum iussit ire: ibi hoc malum inveni. Ubi
Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi inest amœni?
Nequidquā abdidi, abscondidi, abstrusam habebam.
Musca est meus pater, nihil potest clam illū haberi.
Nec sacrum nec tam profanum quidquam est, quin
Ibi illico adsit: nec, qui rebus meis
Confidam, mihi ulla spes in corde certa est.
D. Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius?
Sollicitus mihi, nescio quare, videtur. *C.* Atat!
Meus pater hic quidem est, quem video. Ibo, alloquar. Quid fit, pater?
D. Unde incedis? quid festinas, gnate mi?
C. Recte, pater.
D. Ita volo. Sed istuc quid est, tibi quod commutatu 'st color?
Numquid tibi dolet?
C. Nescioquid meo animo est ægre, pater.
Postea hac nocte non quievi satis mea ex sententia.
D. Per mare ut vectu 's, nunc oculi terram mirantur tui.
C. Magis opinor. *D.* Id est profecto: verum actutum abscesserit.
Ergo, edepol, palles. Si sapias, eas, ac decumbas domi.
C. Otium non est: mandatis rebus prævorti volo.
D. Cras agito, perendie agito.
C. Sæpe ex te audivi, pater:
Rei mandatæ omnes sapientes primum prævorti decet.
D. Age igitur: nolo advorsari tuam advorsus sententiam.
C. Salvos sum, si quidem isti dicto solida et perpetua 'st fides.
D. Quid illuc est, quod ille solus se in consilium sevocat?
Iam non vereor, ne illam me amare hic potuerit rescíscere.
Quippe haud etiam quidquam inepte feci, amantes ut solent.
C. Res adhuc quidem, hercle, in tuto 'st: nam hunc nescire sat scio
De illa amica: quod si sciret, esset alia oratio.
D. Quin ego hunc aggredior de illa?
C. Quin ego hinc me amolior?
Eo ego, ut, quæ mandata, amicus amicis tradam.
D. Immo, mane.
Paucula etiā sciscitare prius volo. *C.* Dic, quid velis.
D. Usquene valuisti?
C. Perpetuo recte, dum quidem illic fui:
Verum, in portum huc ut sum advectus, nescioqui animus mihi dolet.
D. Nausea edepol, factum credo: verum actutum abscesserit.
Sed quid ais? ecquam tu advexti tuæ matri ancillam Rhodo?
C. Advexi. *D.* Quid? ea ut videtur mulier?
C. Non, edepol, mala.
D. Ut morata 'st?
C. Nullam vidi melius, mea sententia.
D. Mihi quidem, edepol, visa est, cum illam vidi.
C. Eho! an vidisti, pater?
D. Vidi; verum non ex usu nostro 'st, neque adeo placet.
C. Qui vero? *D.* Quia non nostra formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædis verrat, vapulet;
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilū quidquā facere poterit, admodū.
C. Ea causa equidem illam emi, dono quam darem matri meæ.
D. Ne duis, neu te advexisse dixeris.
C. Dii me adiuvant!
D. Labefacto paulatim. Verū, quod præterii dicere,
Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. *C.* Qui vero?
D. Quia, illa forma, matrem familias,
Flagitium sit, si sequatur, quando incedat per vias:

Contempleut, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentant ostium.
Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.
Atq, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meæ
Mihique obiecteut lenocinium facere. Nam quid eo 'st opus?
C. Hercle, quin tu recte dicis: et tibi assentior ego.
Sed quid illa nunc fiet? *D.* Recte. Ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquã non malam, forma mala,
Ut matrẽ addecet familias, aut Syrã, aut Ægyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro; neque,
Propter eam, quidquã eveniet nostris foribus flagiti.
C. Quid si igitur reddatur illi, unde emta est?
D. Minime gentium.
C. Dixit se redhibere, si non placeat.
D. Nihil istoc opu 'st:
Litigare nolo ego vos. Quã tuam autẽ accusari fidem
Multo, edepol, si quid faciundum 'st, facere damni mavolo,
Quam opprobramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculente vendere.
C. Dum quidem, hercle, ne minoris vendas, quam ego emi, pater.
D. Tace modo: senex est quidam, qui illam, mandavit mihi,
Ut emerem ad istanc faciem.
C. At mihi quidam adolescens, pater,
Mandavit, ad illam faciem, ita ut illa est, emere sibi.
D. Viginti minis opinor posse me illam vendere.
C. At ego, si velim, iam dautur septem et viginti minæ.
D. At ego... *C.* Quin ego, inquam....
D. At nescis, quid dicturus sum: tace.
Treis minas accudere etiam possũ, ut triginta sient.
C. Quo vortisti? *D.* Ad illum, qui emit.
C. Ubinam 'st is homo gentium?
D. Eccillum video. Iubet quinque me addere etiam nunc minas.
C. Hercle, illunc Dii infelicent, quisquis est.
D. Ibidem mihi
Etiam nunc annutat, addam sex minas.
C. Septem, mihi
(Nunquam, edepol, me vincet hodie) commodis poscit, pater.
D. Nequidquam poscit: ego habebo.
C. At illic pollicitu 'st prior.
D. Nihili facio. *C.* Quinquaginta poscit.
D. Non centum datur.
Potine ut ne licitere adversũ animi mei sententiã?
Maxumam, hercle, habebis prædam: ita ille est, quoi emitur, senex.
Sanus non est ex amore illius. Quod posces, feres.
C. Certo, edepol, adolescens ille, quoi ego emo, efflictim perit
Eius amore. *D.* Multo, hercle, ille magis senex, si tu scias.
C. Nunquam, edepol, fuit neq fiet ille senex insanior
Ex amore, quam ille adolescens, quoi ego do hanc operam, pater.
D. Quiesce, inquam. Istanc rem ego recte videro.
C. Quid agis? *D.* Quid est?
C. Non ego illam mancupio accepi.
D. Sed ille illam accipit. Sine.
C. Non potes tu lege vendere illam.
D. Ego aliquid videro.
C. Post autem, communis est illa mihi cum alio. Qui scio
Quid sit ei animi; vænire ne eam velit, an non velit?
D. Ego scio velle. *C.* At, pol, ego esse credo aliquem, qui non velit.
D. Quid id mea refert? *C.* Quia illi suam rem esse æquom 'st in manu.
D. Quid ais? *C.* Communis mihi illa est cum alio: is nunc hic non adest.
D. Prius respondes, quam rogo.
C. Prius tu emis, quam vendo, pater.
Nescio, inquam, velit ille illam necne abalienarier.
D. Quid illic, quidam, qui mandavit, cum ille nolet? Nihil agis.
Nunquam, edepol, quisquam illam habebit potius, quam ille, quem ego volo.
Certum 'st. *C.* Censen' certum esse?
D. Quin ad navim iam hinc eo.
Ibi vænibit. *C.* Vin' me tecum illo ire? *D.* Nolo.
C. Non placet.
D. Meliu 'st te, quæ sunt mandatæ res tibi, prævortier.
C. Tu prohibes. *D.* At tu excusato, te fecisse sedulo.
Ad portum ne bitas, dico iam tibi. *C.* Auscultabitur.
D. Ibo ad portum: et, ne hic resciscat, cauto opu 'st.
Non ipse emam,
Sed Lysimacho amico mandabo. Is se ad portum dixerat
Ire dudum. Me moror, cum hic asto.
C. Nullus sum, occidi.

SCENA IV. *Charinus, Eutychus.*

C. Pantheum diripuisse aiunt Bacchas. Nugas maxumas
Fuisse credo, præut quo pacto ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mihi est in vita boni?
Certum 'st; ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo,
Quando id mihi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.
E. Mane, mane, obsecro, Charine. *C.* Qui me revocat?
E. Eutychus,
Tuus amicus et sodalis, simul vicinus proxumus.
C. Non tu scis, quantum malarum rerum sustineam.
E. Scio.
Omnia ego istæc auscultavi ab ostio: omnẽ rem scio.
C. Quid id est, quod scis? *E.* Tuus pater volt vendere. *C.* Omnem rem tenes.
E. Tuam amicam. *C.* Nimium multum scis.
E. Tuis ingratiis.
C. Plurimum tu scis. Sed qui scis esse amicam illam meam?
E. Tute heri ipsus mihi narrasti.
C. Satin' ut oblitus fui,
Tibi me narravisse? *E.* Haud mirum factum 'st.
C. Te nunc consulo.
Responde, quo leto censes me ut pereã potissumum?
E. Non taces? cave istuc dixis.
C. Quid vis me igitur dicere?
E. Vin' patri sublinere pulchre me os tuo?
C. Sane volo.
E. Visne eam ad portum? *C.* Qui potius, quam voles?
E. Atque eximam
Mulierem pretio. *C.* Qui potius, quam auro expendas?
E. Unde at erit id?
C. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit.
E. Sanun' es? *C.* Pol, sanus si sim, non te medicum mihi expetam.
E. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi?

C. Auctarium
Adiicito, vel mille nummum plus quam poscet.
E. Iam tace.
Sed quid ais? unde arit argentum, quod des, cum poscet pater?
C. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. *E.* Enicas.
Iam istuc, aliquid fiet, metuo. *C.* Quin taces?
E. Muto imperas.
C. Satin' istuc mandatum 'st?
E. Potin' ut aliud cures? *C.* Non potest.
E. Bene vale. *C.* Non, edepol, possum, priusquam tu ad me redieris.
E. Melius sanus sis. *C.* Vale, et vince, et me serva.
E. Ego fecero.
Domi maneto me. *C.* Ergo actutum face cum præda recipias.

ACTUS III. SCENA I. *Lysimachus, Pasicompsa.*

L. Amice amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. Mea es tu: sequere sane:
Ne plora; nimis stulte facis; oculos corrumpis tales.
Quid? tibi quidem, quod rideas, magis est, quam ut lamentere.
P. Amabo, ecastor, mi senex, eloquere.....
L. Exquire quid vis.
P. Cur emeris me? *L.* Tene ego? ut, quod imperetur, facias.
Item, quod tu mihi imperes, ego faciam.
P. Facere certum 'st,
Pro copia et sapientia, quæ te vella arbitrabor.
L. Laboriosi nihil tibi quidquam operis imperabo.
P. Namque, edepol, quidem, mi senex, non didici baiulare,
Nec pecua ruri pascere, neque pueros nutricare.
L. Bona si esse vis, bene erit tibi.
P. Tum, pol, ego perii misera.
L. Qui? *P.* Quia illic, unde advecta huc sum, malis bene esse solitum 'st:
Nec mos meu 'st, ut prædicem, quod ego omnes scire credam.
L. Oratio, edepol, pluris est huius, quam quanti hæc emta est:
Quasi dicas, nullam mulierem bonam esse.
P. Haud equidem dico.
L. Rogare hoc unum te volo. *P.* Roganti respondebo.
L. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse?
P. Pasicompsæ.
L. Ex forma nomen inditum 'st. Sed quid ais, Pasicompsa?
Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?
P. Possim. *L.* Si tenue scis, scio, tu uberius posse nere.
P. De lanificio neminem metuo, una ætate quæ sit.
L. Bonam, hercle, te et frugi arbitror, matura iam inde ætate,
Quoniam scis facera officium tuum, mulier.
P. Pol, docta didici.
Operam accusari non sinam meam.
L. Hem! istæc, hercle res est.
Ovem tibi ancillam dabo, natam annos sexaginta,
Peculiarem. *P.* Mi senex, tam vetulam?
L. Generis Græci est.
Eam si curabis, perbona est; tondatur nimium scite.
P. Honoris causa, quidquid est, quod dabitur, gratum habebo.
L. Nunc, mulier, ne tu frustra sis, mea non es; ne arbitrere.
P. Dic igitur, quæso, quoia sum?
L. Tuo hero redemta es rursum:
Ego redemi te: ille me oravit. *P.* Animus rediit,
Si mecũ servatur fides. *L.* Bono animo es. Liberabit
Ille te homo: ita, edepol, deperit te, atque hodie primum vidit.
P. Ecastor, iam bienniũ 'st, cum mecum rem cœpit.
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
L. Quid ais tu? iam biennium 'st; cum tecum habet rem? *P.* Certo.
Et inter nos coniuravimus, ego cũ illo, et ille mecum,
Ego cum viro, at ille cum muliere: nisi cum illo, aut ille mecum,
Neuter stupri causa caput limaret. *L.* Dii immortales!
Etiã cũ uxore non cubet? *P.* Amabo, an maritus est?
Neque est, neque erit. *L.* Nolim quidem. Homo, hercle, periuravit.
P. Nullum adolescentem plus amo.
L. Puer est ille quidem, stulta.
Nam illi quidem, haud sane diu est, cum dentes exciderunt.
P. Quid, dentes? *L.* Nihil est: sequere sis huc me. Diem unum oravit
Ut apud me præhiberem locum: ideo, quia uxor ruri est.

SCENA II. *Demipho.*

Tandem impetravi, ut egomet me corrumperem.
Emta est amica clam uxore mea et filio.
Certum 'st, antiqua recolam, et servibo mihi.
Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquum 'st,
Voluptate, vino, et amore delectavero.
Nam hanc se benè habere ætatem nimio 'st æquius.
Adolescens cum sis, tum cum est sanguis integer,
Rei tuæ quærundæ convenit operam dare:
Demum igitur cum senex sis, tunc in otium
Te colloces, dum potestur: id iam lucro 'st
Quod vivis. Hoc ut dico, factis persequar.
Interea tamen huc intro ad me invisam domum.
Uxor me expectat iamdudum esuriens domi.
Iam iurgio enicabit, si intro rediero.
Verum, hercle, postremo, utut est, non ibo tamen;
Sed hunc vicinum prius conveniam, quam domum
Redeam. Ut mihi ædeis aliquas conducat, volo,
Ubi habitet istæc mulier. Atque, eccum, it foras.

SCENA III. *Lysimachus, Demipho.*

L. Adducam ego illum iam ad te, si convenero.
D. Me dicit. *L.* Quid ais, Demipho?
D. Est mulier domi?
L. Quid censes? *D.* Quid si visam?
L. Quid properas? mane.
D. Quid faciã? *L.* Quod opu 'st facto, facito ut cogites.
D. Quid cogitem? Equidem, hercle, opus hoc facto existumo,
Ut illuc introeam. *L.* Itane vero, vervex, introeas?
D. Quid aliud faciam? *L.* Prius hoc ausculta atq; ades.
Prius etiam 'st, quod te facere ego æquom censeo.
Nam, nunc si illo introieris, amplecti voles,
Confabulari, atque osculari. *D.* Tu quidem
Meum animum gestas: scis, quid acturus siem.
L. Perverse facies. *D.* Quodne ames? *L.* Tanto minus.
Ieiunitatis plenus, anima fœtida,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?
Scio, pol, te amare, quom istæc præmonstras mihi.
D. Quid si igitur (unum factum hoc si censes) coquũ
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic usque ad vesperũ? *L.* Hem! istuc censeo.
Nunc tu sapienter loquere atque amatorie.
D. Quid stamus? quin ergo imus, atque obsonium

Curamus, pulchre ut simus? *L.* Equidem te sequor.
Atque, hercle, invenies tu locum illi, si sapis.
Nullum, hercle, præter hunc diem, illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras si rure redierit,
Ne illam hic offendat. *D.* Res parata 'st: sequere me.

SCENA IV. *Charinus, Eutychus.*

C. Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi 'st.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni oculos lacrymæ defendant, iā ardeat, credo, caput.
Spem teneo; salutem amisi: redeat an non, nescio.
Si opprimit pater, quod dixit, exulatum abiit salus:
Sin sodalis, quod promisit, fecit, non abiit salus.
Sed tandem, si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Iam a portu rediisse potuit. Id illi vitiū maxumū 'st,
Quod nimis tardu 'st, advorsū mei animi sententiā.
Sed isne est, quē currentē video? Ipsus est: ibo obviā.
Numquid restat? Eheu! disperii! voltus neutiquam huius placet:
Tristis incedit, pectus ardet; hæreo, quassat caput.
Eutyche! *E.* Heu! Charine!
C. Priusquam recipias anhelitum,
Uno verbo eloquere: ubi ego sum? hiccine, an apud mortuos?
E. Neque apud mortuos neque hic es.
C. Salvos sum: immortalitas
Mihi data 'st: hic emit illam: pulchre os sublevit patri.
Impetrabilior qui vivat, nullus est. Dic, obsecro:
Si neque hic neque Acherunti sum, ubi sum?
E. Nusquam gentium.
C. Disperii! illæc interemit me modo hic oratio.
Odiosa est oratio, cum rem agas, longinquom loqui.
Quidquid est, ad capita rerum perveni.
E. Primum omnium
Periimus. *C.* Quin tu illud potius nuntias, quod nescio?
E. Mulier alienata 'st abs te. *C.* Eutyche! capital facis.
E. Qui? *C.* Quia æqualē, et sodalē civē liberū enicas.
E. Ne Dii sirint. *C.* Demisisti gladium in iugulum: iam cadam.
E. Quæso, hercle, animum ne desponde.
C. Nullu'st, quem despondeam.
Loquere porro aliam malam rem: quoi est emta?
E. Nescio.
Iam addicta atque abducta erat, cum ad portū veniu.
C. Væ mihi!
Montes tu quidem mali in me ardentes iamdudum iacis.
Perge: excrucia, carnufex! quandoquidem occœpisti semel.
E. Nec tibi istuc magis dividiæ est, quam mihi hodie fuit.
C. Dic, quis emit? *E.* Nescio, hercle.
C. Hem! istuccine est operam dare
Bonum sodalem? *E.* Quid me facere vis?
C. Idem, quod me vides,
Ut pereas. Quin percontatu 's, hominis quæ facies foret,
Qui illam emisset; eo si pacto posset indagarier
Mulier? *E.* Heu me miserum!
C. Flere omitte, istuc quod nunc agis.
E. Quid ego feci? *C.* Perdidisti me, et fidē mecū tuā.
E. Dii sciunt, culpam meam istanc non esse ullam.
C. Euge, papæ!
Deos absentes testes memoras: qui ego istuc credam tibi?
E. Quin tibi in manu 'st, quod credas: ego quod dicam, id mi in manu 'st.
C. De istac re argutus es, ut par pari respondeas;
Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri. Egomet credidi
Homini doctu iē mandare: is lapidi mando maxumo.
E. Quid ego facerem? *C.* Quid tu faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares, quis esset, aut unde esset, qua prosapia;
Civisne esset, an peregrinus.
E. Civem esse aibant Atticum.
C. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis.
E. Nemo aibat scire.
C. At saltem hominis faciem exquireres.
E. Feci. *C.* Qua forma esse aibant ergo?
E. Ego dicam tibi:
Canum, varum, ventriosum, bucculentu, breviculu,
Subnigris oculis, oblongis malis, pansā aliquantulū.
C. Non hominem mihi, sed thesaurum nescio quem memoras mali.
Numquid est, quod dicas aliud de illo?
E. Tantum, quod sciam.
C. Edepol, næ, ille oblongis malis dedit mihi magnum malum.
Non possum durare: certum 'st exulatū hinc ire me.
Sed, quam capiam civitatem, cogito potissumum:
Megara, Eretriā, Corinthū, Chalcidē, Cretā, Cyprū,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiā.
E. Cur istuc cœptas consilium?
C. Quia enim me afflictat amor.
E. Quid tu ais? Quid, cum illuc, quo nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare forte occipias, atq; item eius sit inopia,
Iam inde porro aufugies? deinde item illinc, si item evenerit:
Quis modus tibi exilio tandem eveniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedo, si hac urbe abis, amorē te hic relicturū putas?
Si id forte ita sat animo receptum 'st; id pro certo si habes;
Quanto te satiu 'st rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere:
Adeo, dum illius te cupiditas atque amor missū facit?
C. Iam dixisti? *E.* Dixi.
C. Frustra dixti. Hoc mihi certissumum 'st.
Eo domū, patrem atque matrē ut meos salutē: postea
Clam patrem patria hac effugiā, aut aliquid capiam consili.
E. Ut corripuit se repente, atque abiit! Heu misero mihi!
Si ille abierit, mea factū omnes dicent esse ignavia.
Certum 'st præconū iubere iā quantū 'st conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant. Post ad prætorem illico
Ibo, orabo, ut conquisitores det mihi in vicis omnibus:
Nam mihi nihil relicti quidquam aliud iam esse intellego.

ACTUS IV. SCENA I. *Dorippa, Syra.*

D. Quoniam a viro ad me rus advenit nuntius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum:
Reveni, ut illum persequar, qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem. Quin is ocyus?

S. Nequeo, mecastor: tantum hoc oneri 'st, quod fero.
D. Quid oneris? *S.* Annos octoginta et quatuor:
Et eodem accedit servitus, sudor, sitis:
Simul hæc, quæ porto, deprimunt. *D.* Aliquid cedo,
Qui hanc vicini nostri aram augeam, Syra.
S. Da sane hanc virgā lauri. *D.* Abi iā tu intro. *S.* Eo.
D. Apollo, quæso te ut des pacem propitius,
Salutem et sanitatem nostræ familiæ,
Meoque ut parcas gnato pace propitius.
S. Disperii! perii misera! væ miseræ mihi!
D. Satin' tu sana es? obsecro. Quid eiulas?
S. Dorippa! mea Dorippa! *D.* Quid clamas? obsecro.
S. Nescio quæ est mulier intus hic in ædibus.
D. Quid? mulier? *S.* Mulier meretrix. *D.* Veron' serio?
S. Nimium scis sapere, ruri quæ non manseris.
Quamvis insipiens poterat persentiscere
Illam esse amicam tui viri bellissumi.
D. Credo, mecastor. *S.* I hac mecum, ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea.
D. Ecastor, vero, istuc eo, quantum potest.

SCENA II. *Lysimachus.*

Parumne est malæ rei, quod amat Demipho,
Ni sumtuosus insuper etiam siet?
Decem vocasset si ad cœnam summos viros,
Nimium obsonavit: sed coquos, quasi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. Egomet conduxi coquom:
Sed eum demiror non venire, ut iusseram.
Sed qui hinc nam a nobis exit? aperitur foris.

SCENA III. *Dorippa, Lysimachus.*

D. Miserior mulier me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nupserim. Heu miseræ mihi!
Hem! quoi te, et tu quæ habeas, commendes viro?
Hem! quoi decem talenta dotis detuli,
Hæc ut viderem, ut ferrem has contumelias!
L. Perii, hercle! rure iam rediit uxor mea:
Vidisse eam credo mulierem in ædibus.
Sed, quæ loquatur, exaudire hinc non queo.
Accedā propius. *D.* Væ miseræ mihi! *L.* Immo, mihi.
D. Disperii! *L.* Ego quidē, hercle, oppido perii miser!
Vidit. Ut omnes te, Demipho, Dii perduint!
D. Pol, hoc est, ire quod rus meus vir noluit!
L. Quid nunc egu faciam, nisi ut adeam, atque allo-(quar?
Iubet salvere suus vir uxorem suam.
Urbani fiunt rustici. *D.* Pudicius
Faciunt illi, quam qui non fiunt rustici.
L. Num quid delinquunt rustici? *D.* Ecastor, minus
Quam urbani; et multo minus mali quærunt sibi.
L. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
D. Quoia illa mulier intu' st? *L.* Vidistin' eam?
D. Vidi. *L.* Quoia ea sit, rogitas? *D.* Resciscā tamen.
Cupio, hercle, scire: sed tu me tentas sciens.
L. Vin' dicā quoia est? Illa, illa... Edepol! væ mihi!
Nescio quid dicam. *D.* Hæres. *L.* Haud vidi magis.
D. Quin dicis? *L.* Quin, si liceat... *D.* Dictū oportuit.
L. Non possum; ita instas; urges, quasi pro noxio.
D. Scio, innoxiu 's. *L.* Audacter quamvis dicito.
D. Dic igitur. *L.* Ego dicam.
D. Atqui dicundum 'st tamen.
L. Illa est ... Nū etiā vis nomen dicā? *D.* Nihil agis.
Manifesto teneo; in noxia es. *L.* Qua noxia?
Istaquidē illa est... *D.* Quæ illa est? *L.* Illa... *D.* Iobia!
L. Iam si nihil usus esset, iam, [nunc] dicerem.
D. Non tu scis, quæ sit illa? *L.* Immo, etiam scio:
De istac sum iudex captus. *D.* Iudex? iam scio:
Hanc tu in consilium istam advocavisti tibi.
L. Immo, sic sequestro mihi data est. *D.* Intellego.
L. Nihil, hercle, istius quidquā est. *D.* Numero purgi-(tas.
L. Nimium negoti reperi. Enimvero hæreo.

SCENA IV. *Coquus, Lysimachus, Dorippa, Syra.*

C. Agite: ite actutum: nam mihi amatori seni
Coquunda 'st cœna. Atque equidem, cum recogito,
Nobis coquunda 'st, non quoi conducti sumus.
Nam, qui amat, quod amat, si id habet id habet pro cibo:
Videre, amplecti, osculari, alloqui.
Sed nos confido onustos redituros domum.
Ite hac. Sed, eccum, qui nos conduxit, senex.
L. Ecce autem! perii! coquus adest. *C.* Advenimus.
L. Abi. *C.* Quid, abeam? *L.* St, abi. *C.* Abeamne? *L.* Abi.
C. Non estis cœnaturi? *L.* Iam saturi sumus.
Sed interii! *D.* Quid ais tu? Etiamne hæc illi tibi
Iusserunt ferri, quos inter iudex datu 's?
C. Hæccine tua 'st amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, cum obsonabas? *L.* Non taces?
C. Satis scitum filum mulieris! Virum, hercle, avet.
L. Abin' dierectus? *C.* Haud mala 'st. *L.* At tu malus.
C. Scitam, hercle, opinor satis concubinam hanc.
L. Non abis?
Non ego sum, qui te dudum conduxi. *C.* Quid est?
Immo, hercle, tu istuc ipsus. *L.* Væ misero mihi!
C. Nempe uxor ruri 'st tua, quam dudum dixeras
Te odisse æque atq; angueis. *L.* Egon' istuc dixi tibi?
C. Mihi quidem, hercle. *L.* Ita me amabit Iupiter,
Uxor, ut ego illud nunquam dixi. *D.* Etiam negas?
C. Non te odisse aibat, uxorem verum suam.
D. Palam istæc fiunt, te me odisse. *L.* Quin nego.
C. Et uxorem suam ruri esse aibat. *L.* Hæc ea 'st.
Quid mihi molestu 's? *C.* Quia me non novisse ais.
Ni metuis tu istanc? *L.* Sapio: nam mihi unica 'st.
C. Vin' me experiri? *L.* Nolo. *C.* Mercedem cedo.
L. Cras petito; dabitur. Nunc abi.
D. Heu miseræ mihi!
L. Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:
Aliquid mali esse propter vicinum malum.
C. Cur hic astamus? quin abimus? Incommodi
Si quid tibi evenit, id non est culpa mea.
L. Quin me eradicas miserum. *C.* Scio iam, quid velis:
Nempe hinc me abire vis. *L.* Volo, inquā. *C.* Abibitur:
Drachmam dato. *L.* Dabitur. *C.* Dari ergo sis iube.
Dari potest interea, dum illi ponunt. *L.* Quin abis?
Potin' ut molestus ne sis? *C.* Agite, apponite
Obsonium istuc ante pedes illi seni.
Hæc vasa aut mox aut cras iubebo abs te peti.
Sequimini. *L.* Fortasse te illum mirari coquom,
Quod venit, atque hæc attulit: dicam quid est.
D. Non miror, si quid damni facis, aut flagiti.
Nec, pol, ego patiar, sic me nuptam tam male,
Measque in ædes sic scorta obductarier.
Syra, i, rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me iam simul tecum huc. *S.* Eo.
L. Nescis, negoti quid sit, uxor. Obsecro!
Conceptis verbis iam iusiurandum dabo,
Me nunquam quidquā cum illa.... Iamne abiit Syra?
Perii, hercle! Ecce autem hæc abiit. Væ misero mihi!
At te, vicine, Dii Deæque perduint,
Tua cum amica, cumque amationibus.
Suspicione implevit me indignissume:
Concivit hostes: domi uxor est acerruma.
Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quo volt, ex hisce ædibus.
Uxor! heus, uxor! quamquam tu irata es mihi,
Iubeas, si sapias, hæc intro hinc auferrier:
Eadem licebit mox cœnare rectius.

SCENA V. *Syra, Eutychus.*

S. Hera quo me misit ad patrem, non est domi:
Rus abiisse aibant; nunc domum renuntio.
E. Defessus sum urbem totam pervenarier.
Nihil investigo quidquam de illa muliere.
Sed mater rure rediit; nam video Syram
Astare ante ædeis. Syra! *S.* Quis est, qui me vocat?
E. Herus atq; alumnus tuus sū. *S.* Salve, alumne mi!
E. Iam mater rure rediit? responde mihi.
S. Sua quidem salute ac familiæ maxuma.
E. Quid istuc negoti 'st? *S.* Tuus pater bellissumus
Amicam adduxit intro in ædeis. *E.* Quomodo?
S. Adveniens mater rure eam offendit domi.
E. Pol, haud censebam istarum esse operarum patrē.
Etiam nunc mulier intu 'st? *S.* Etiā. *E.* Sequere me.

SCENA VI. *Syra.*

Ecastor, lege dura vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miseræ, quam viri.
Nam, si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune 'st viro.
Uxor viro si clam domo egressa 'st foras,
Viro fit causa; exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quæ uxori 'st, viro!
Nam uxor contenta 'st, quæ bona 'st, uno viro.
Qui minus vir una uxore contentus siet?
Ecastor, faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Ut illæ exigiuntur, quæ in se culpam commerent,
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.

ACTUS V. SCENA I. *Charinus.*

Limen superum, inferumque, salve! simul autē vale!
Hunc hodie postremū extollo mea domo patria pedē.
Usus, fructus, victus, cultus iam mihi harunc ædiū
Interemtu 'st, interfectu 'st, alienatu 'st. Occidi!
Dii penates meum parentum, familiæque Lar pater!
Vobis mando, meum parentum rē bene ut tutemini.
Ego mihi alios Deos Penates persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo:
Nam, ubi mores deteriores increbrescunt in dies,
Ubi, qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere,
Ubiq; id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume;
Ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas.

SCENA II. *Eutychus, Charinus.*

E. Divum atque hominum quæ spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spē speratā quō obtulisti hanc mihi, tibi grates ago.
Ecquis nā Deus est, qui mea nunc lætus lætitia fuat?
Domi erat, quod quæritabam. Ibi sex sodales reperi,
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiā, Ludū, Iocū.
Eorū inventu res decēsimitu' pessumas pessumdedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitiū, Pertinaciā,
Mœrorem, Lacrymas, Exilium, Inopiā, Solitudinē.
Date, Dii, quæso, conveniundi mihi cius celerē copiā.
C. Apparatus sum, ut videtis: abiicio superbiam.
Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger;
Egomet sū mihi imperator; idē egomet mihi obedio:
Egomet mihi fero, quod usu 'st. O Cupido! quantus (es!
Nā tu quemvis confidentē facile tuis factis facis,
Eumdem ex confidente actūtum diffidentem denuo.
E. Cogito, quonam ego illum curram quæritatum.
C. Certa re 'st,
Me usq; quærere illā, quoquo hinc abducta 'st gentiū.
Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare;
Nec calor, nec frigus metuo, neq; ventū, neq; grandinē.
Imbrem perpetiar; laborem sufferam, solem, sitim.
Non concedam; neque quiescam usquam noctu, neque interdius,
Prius, profecto, quam aut amicā aut mortem investigavero.
E. Nescio quoia vox ad aurē mihi advolavit. *C.* Invoco
Vos, Lares viales, ut me bene iuvetis. *E.* Iupiter!
Estne illic Charinus? *C.* Cives, bene valete. *E.* Illico
Sta, Charine. *C.* Qui me revocat?
E. Spes, Salus, Victoria.
C. Quid me voltis? *E.* Ire tecum.
C. Alium comitem quærite:
Non amittunt hi me comites, qui tenent.
E. Qui sunt ei?
C. Cura, Miseria, Ægritudo, Lacrymæ, Lamentatio.
E. Repudia istos comites, atque huc respice, et revortere.
C. Si quidem mecum fabulari vis, subsequere.
E. Sta illico.
C. Male facis, properantē, qui me commorare. Sol abit.
E. Si huc item properes, ut istuc properas, facias rectius.
Huc secundus ventus nunc est; cape modo vorsoriam:
Hic Favonius serenu 'st, istic Auster imbricus:
Hic facit tranquillitatē; iste omnes fluctus conciet.
Recipe te ad terram, Charine, huc. Nonne ex advorso vides?
Nubis ater imberque instat. Aspice nunc ad sinistrā.
[Cœlum ut est splendore plenum, ex advorso vides].
C. Religionē illic obiecit: recipiā me illuc. *E.* Sapis,
O Charine: contra pariter fer gradū, et confer pedē:
Porrige brachium, prehende. Iam tenes? *C.* Teneo.
E. Tene.
Quo nunc ibas? *C.* Exulatū. *E.* Quid ibi facere vis?
C. Quod miser.
E. Ne pave; restituam iā ego te in gaudia, antequā is.
C. Eo.
E. Maxume quod vis audire, id audies, quod gaudeas.
Sta illico. Amicus advenio multum benevolens.
C. Quid est?
E. Tuam amicam... *C.* Quid eam? *E.* Ubi sit, ego scio.
C. Tun'? obsecro.
E. Sanā et salvā. *C.* Ubi eā salvā? *E.* Quo ego scio.
C. Ego me mavelim.
E. Potin' ut animo sis tranquillo?
C. Quid si animus fluctuat?
E. Ego istum in tranquillo et tuto sistam: ne time.
C. Obsecro te, loquere, ubi sit, ubi eam videris.
Quid taces? Dic: enicas me miserum tua reticentia.
E. Non longe hinc abest a nobis.
C. Quin ergo commonstras, si tu videa?
E. Non video, hercle, nunc; sed vidi modo.
C. Quin, ego videam, facis?
E. Faciam. *C.* Longinquum istuc amanti 'st.
E. Etiam metuis? Omnia
Commonstrabo. Amicior mihi nullus vivit, atque is est,
Qui illam habet: neque est, quoi magis me velle melius æquom siet.
C. Non curo istuc: illam quæro.
E. De illa ergo ego dico tibi.
Sane hoc non in mentem venit dudum, uti tibi.
C. Dic igitur, ubi illa est? *E.* In nostris ædibus.
C. Ædis probas,
Si tu vera dicis, pulchreque ædificatas arbitror.
Sed quid ego istuc credam? Vidistin'? an de audito nuntias?
E. Egomet vidi. *C.* Quis eam adduxit ad vos?
E. Inique rogas.

C. Vera dicis. *E.* Nihil, Charine, te quidem quidquam pudet.
Quid tua refert, quicū istæc venerit? *C.* Dū istuc sciet.
E. Est profecto. *C.* Opta ergo, ob istunc nuntium, quid vis tibi.
E. Quid, si optabo?
C. Deos orato, ut eius faciant copiam.
E. Derides. *C.* Servata res est demum, si illā videro.
Sed quin ornatum hunc reiicio? Heus aliquis! heus! actutum huc foras
Exite; illinc pallium mihi huc ferte.
E. Hem! nunc tu mihi ut places!
C. Optume advenieus, puere, cape chlamydem atque hæc istinc sta illico;
Ut, si hæc non siut vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.
E. Non mihi credis?
C. Omnia equidem credo, quæ dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut videam?
E. Paulisper mane.
C. Quid maneho? *E.* Tempus non est introeundi.
C. Eiicas.
E. Non opu' st, inquam, nunc intro ta ire.
C. Responde mihi,
Quæ causa? *E.* Operæ non est. *C.* Cur?
E. Quia non est illi commodum.
C. Itane commodum illi non est, quæ me amat, quam ego contra amo?
Omnibus hic ludificatur me modis. Ego stultior,
Qui isti credā: commoratur: chlamydē sumā denuo.
E. Mane parumper, atque hoc audi.
C. Cape sis, puer, hoc pallium.
E. Mater irata est patri vehementer, quia scortū sibi
Ob oculos adduxerit in ædis, dum ruri ipsa abest:
Suspicatur illam amicam esse illi. *C.* Zonam sustuli.
E. Eam rem nunc exquirit intus.
C. Iam machæra 'st in manu.
E. Nam, si eo te nunc introducam....
C. Tollo ampullam, atque hinc eo.
E. Mane, mane, Charine.
C. Erras: me decipere haud potes.
E. Neque, edepol, volo.
C. Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?
E. Non sino. *C.* Ego me moror. Tu, puere, abi hinc intro ocyus.
Iam in currum esceudi; iam lora in manus cœpi meas.
E. Sanus non es! *C.* Quin, pedes, vos in curriculum conicitis
In Cyprum recta? quandoquidem pater mihi exilium parat.
E. Stultus es. Noli istuc, quæso, dicere.
C. Certum exsequi 'st,
Operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illæc.
E. Quin domi 'st.
C. Nam, hic quod dixit, id mentitu 'st.
E. Vera dixi equidem tibi.
C. Iam Cyprum veni.
E. Quin sequere, ut illam videas, quam expetis.
C. Percontatus non inveni. *E.* Matris iā irā negligo.
C. Porro proficiscor quæsitum. Nunc perveni Chalcidem:
Video ibi hospitē Zacyntho: dico, quid eo advenerī:
Rogito, quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.
E. Quin tu istas omittis nugas, ac mecum huc intro ambulas?
C. Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas.
E. Nihil mentitu 'st.
C. Sed de amica sese inaudisse autumat,
Hic Athenis esse. *E.* Calchas iste quidē Zacynthiu 'st.
C. Navē conscendo; proficiscor illico: iā sum domi.
Iam redii ex ilio. Salve mihi, sodalis Eutyche: (tur.
Ut valuisti? Quid, parentes mei valent? cœna dabi-
Bene vocas; benigne dicis: cras apud te, nunc domi.
Sic decet; sic fieri oportet. *E.* Eho! quæ tu somnias?
Hic homo non sanu 'st. *C.* Medicari amicus quin properas?
E. Sequere sis. *C.* Sequor.
E. Clementer, quæso: calces deteris.
Audiu' tu? *C.* Iamdudū audivi. *E.* Pacē componi volo
Meo patri cum matre: nam nunc est irata. *C.* I modo.
E. Propter istanc. *C.* I modo. *E.* Ergo cura.
C. Quin tu ergo i modo.
Tam propitiā reddā, quā cum propitia 'st Iuno Iovi.

SCENA III. *Demipho, Lysimachus.*

D. Quasi tu unnquam quidquam assimile huius facti feceris.
L. Edepol, nunquam. Cavi ne quid facerem. Vix vivo sum miser!
Nam mea uxor, propter illam, tota in fermento iacet.
D. At ego expurgationem habebo, ut ne succenseat.
L. Sequere me. Sed exeuntem filium video meum.

SCENA IV. *Eutychus, Lysimachus, Demipho.*

E. Ad patrē ibo, ut matris irā sibi esse sedatam sciat.
Iam redeo. *L.* Placet principium. Quid agis? Quid fit, Eutyche?
E. Optuma opportunitate ambo advenistis.
L. Quid rei 'st?
E. Uxor tibi placida et placata 'st. Certe dextras nunciam.
L. Dii me servant. *E.* Tibi amicā nullā esse nuntio.
D. Dii te perdant! Quid negoti 'st nam, quæso, istuc?
E. Eloquar.
Animum advortite igitur ambo.
L. Quin tibi ambo operam damus.
E. Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,
Suopte culpam generi capiunt; genus ingenio improbant.
D. Verum dicit hic. *L.* Tibi ergo dicit.
E. Eo illud verum 'st magis.
Nam te, istac ætate, haud æquom fuerat filio tuo,
Adolescenti amanti, amicā emtā argento eripere suo.
D. Quid tu ais? Charini amica 'st illa?
E. Ut dissimulat malus!
D. Ille quidē illā sese ancillam matri emisse dixerat.
E. Propterea igitur tu mercatu 's, novos amator, vetus puer?
L. Optume, hercle, perge! ego assistam iam hinc altrinsecus.
Quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo.
D. Nullus sum.
L. Filio suo qui innocenti fecit tantam iniuriam.
E. Quem quidem, hercle, ego, in exilium cum iret, reduxi domum:
Nā ibat exulatū. *D.* An abiit? *L.* Etiā loquere, larva?
Temperare, istac ætate, istis decebat artibus.
D. Fateor: deliqui profecto. *E.* Etiā loquere, larva?
Vacuom esse istac ted ætate iis decebat noxiis:
Itidē ut tempus anni, ætatē aliā aliud factu convenit.
Nam, si istuc ius est, senecta ætate scortari senes,
Ubi loci res summa nostra 'st publica?
D. Hei! perii miser!
E. Adolescentes rei agundæ isti magis solent operam dare.
D. Iam obsecro, vobis, hercle, habete, cum [sportis,] cum fiscina.

E. Redde filio: sibi habeat.
D. Iam, ut volt, per me sibi habeat licet.
E. Temperi, edepol! quoniam, ut aliter facias, non est copiæ.
D. Supplici sibi sumat, quid volt ipse, ob hanc iniuriam:
Modo pacem faciatis, misero ut ne mihi iratus siet.
Si, hercle, scivissem, sive adeo ioculo dixisset mihi,
Se illam amare, nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro, sodalis eius es, serva, et subveni.
Hunc senem para me clientē: memorē dices benefici.
L. Ora, ut ignoscat delictis [huius] atq; adolescentiæ.
D. Pergin' tu autem? Eia! superbe inveheret Spero ego mihi quoque
Tempus tale eventuru, ut tibi gratiā referam parem.
L. Missas iam ego istas artes feci.
D. Et quidem ego dehinc iam. *L.* Nihil!
Consuetudine animus rursus te huc inducet.
D. Obsecro,
Satis iā ut habeatis. Quin loris cædite etiā, si lubet.
L. Recte dicis. Sed istuc uxor faciet, cum hoc resciverit.
D. Nihil opu 'st resciscat.
E. Quid istuc? Non resciscet: ne time.
Eamus intro: non utibilis hic locus, factis tuis
(Dum memoramus) arbitri ut sint, qui prætereant per vias.
D. Hercle, quin tu recte dicis: eadem brevior fabula
Erit. Eamus. *E.* Hic est intus filius apud nos tuus.
D. Optume 'st. Illac per hortum nos domum transibimus.
L. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quam meum intro refero pedem.
E. Quid istuc est? *L.* Suam quisque homo rem meminit. Responde mihi:
Certon' scis non succensere mihi tuā matrē? *E.* Scio.
L. Vide. *E.* Me vide. *L.* Satis habeo. At, quæso, hercle, etiam vide.
E. Non mihi credis?
L. Immo, credo: sed tamen metuo miser.
D. Eamus intro.
E. Immo, dicamus senibus leges, censeo,
Priusquā abeamus, quas leges teneant, contentiq; sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum, seu, hercle, adeo cœlibem, scortarier,
Cum eo nos hic lege agemus: inscitum arbitrabimur.
Et, per nos quidē, hercle, egebit, qui suum prodegerit.
Neu quisquam posthac prohibeto adolescentem filiū,
Quin amet, et scortum ducat; quod bono fiat modo.
Si quis prohibuerit, plus perdet clam, quam si prohibuerit palam.
Hæc adeo ut ex hacce nocte primum lex teneat senes.
Bene valete, atq; adolescentes, hæc si vobis lex placet,
Obsenum, hercle, industriam, vos æquom 'st clare plaudere.

+ MILES GLORIOSUS

DRAMATIS PERSONÆ.

PYRGOPOLINICES, *miles.* PLEUSIDES, *adolescens.*
ARTOTROGUS, *parasitus.* LUCRIO, *puer.*
PALÆSTRIO, *servus.* MILPHIDIPPA, *ancilla.*
PERIPLECTOMENES, *senex.* ACROTELEUTIUM, *meretrix.*
SCELEDRUS, *servus.* PUER.
PHILOCOMASIUM, *meretrix.* CARIO, *coquus.*

Argumentum (PRISCIANI?)

Meretricem Athenis Ephesum miles avehit.
Id hero dum amanti servos nuntiare volt
Legato peregre, captu'st ipsus in mari;
Et illi eidem militi dono datu 'st.
Suum arcessit herum Athenis, et forat
Geminis communem clam parietem in ædibus,
Licere ut quirat convenire amantibus.
Obhærentes custos hos vidit de tegulis.
Ridiculus autem, quasi sit alia, luditur.
Itemque impellit militem Palæstrio,
Omissam faciat concubinam, quando ei
Senis vicini cupiat uxor nubere.
Ultro abeat, orat; donat multa. Ipse, in domo
Senis prehensus, pœnas pro mœcho luit.

ACTUS I. *Pyrgopolinices, Artotrogus.*

P. Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior,
Quam solis radii esse olim, cum sudum 'st, solent;
Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu,
Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.
Nam ego hanc machæram mihi consolari volo,
Ne lamentetur, neve animum despondeat,
Quia se iampridem feriatam gestitem,
Quæ misera gestit [fartum] facere ex hostibus.
Sed ubi Artotrogus? *A.* Hic est: stat propter virum
Fortem, atque furtunatum, et forma regia;
Tum bellatorem. Mars haud ausit dicere,
Neque æquiparare suas virtutes ad tuas.
P. Quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis,
Ubi Bombomachides Cluninstaridysarchides
Erat imperator summus, Neptuni nepos?
A. Memini. Nempe illum dicis cum armis aureis,
Quoius tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut paniculam tectoriam.
P. Istuc quidem, edepol, nihil est.
A. Nihil, hercle, quidem hoc,
Præ ut alia dicam, tu quæ nunquam feceris.
Periuriorem hoc hominem si quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quam illic est,
Me sibi habeto, et ego me mancupio dabo
Epityro, ut apud illum esuriam insane bene.
P. Ubi tu es? *A.* Eccū. Edepol, vel elephanto in India
Quo pacto pugno perfregisti brachium!
P. Quid, brachium? *A.* Illud dicere volui, femur.
P. At indiligenter hic eram. *A.* Pol, si quidem
Connisus esses, per corium, per viscera,
Perque os, elephanto brachium transmitteres.
P. Nolo istæc hic nunc.
A. Ne, hercle, operæ pretium quidem
Mihi te enarrare, tuasque virtutes sciam.
Venter creat omnes has ærumnas: auribus
Peraudiunda sunt, ne dentes dentiant:
Et assentandum 'st, quidquid hic mentibitur.
P. Quid illud, quod dico?
A. Hem! scio iam, quid vis dicere.
Factum 'st, hercle: memini fieri. *P.* Quid id est?
A. Quidquid est.
P. Habes tabellas? *A.* Vis rogare? habeo, et stilum.
P. Facete advortis animum tuum ad animum meum.
A. Novisse mores me tuos meditate decet,
Curamque adhibere, ut prævolet mihi, quo tu velis.
P. Ecquid meministi? *A.* Memini, centū in Cilicia
Et quinquaginta, centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.
P. Quanta istæc hominū summa 'st? *A.* Septē millia.
P. Tantum esse oportet: recte rationem tenes.
A. At nullos habeo scriptos; sic memini tamen.
P. Edepol, memoria 'st optuma. *A.* Offæ me monet.
P. Dum talem facies, qualem adhuc, assiduo edis:

Communicabo te semper mensa mea.
A. Quid in Cappadocia? ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.
At peditatus reliquiæ erant, si viverent.
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute, et forma, et factis invictissumis.
Amant te omnes mulieres, neque, hercle, iniuria,
Qui sis tam pulcher; ut vel illæ, quæ here pallio
Me reprehenderunt. *P.* Quid here dixerunt tibi?
A. Rogitabant: Hiccine Achilles est, inquit, tibi?
Immo, eius frater, inquam. Innuit illarum altera:
Ergo, mecastor, pulcher est, inquit, mihi
Et liberalis visus. Cæsaries quam decet!
Næ illæ sunt fortunatæ, quæ cum isto cubant!
P. Itane aibat tandē? *A.* Quæ me ambæ obsecraverint,
Ut te hodie, quasi pompam, illa præterducerem.
P. Nimia 'st miseria pulchrum esse hominem nimis.
A. Molestæ sunt mihi; orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat: ad sese arcessi iubent:
Ut tuo non liceat operam dare negotio.
P. Videtur tempus esse, ut eamus ad forum,
Ut, in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem stipendium.
Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.
Regi hanc diem mihi operam decretum 'st dare.
A. Age, eamus ergo. *P.* Sequimini, satellites.

ACTUS II. SCENA I. *Palæstrio.*

Mihi ad enarrandum hoc argumentum 'st comitas,
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras,
Ut sit ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc, qua assedistis causa in festivo loco,
Comœdiai, quam modo acturi sumus,
Et argumentum et nomen vobis eloquar.
ΑΛΑΖΩΝ Græce huic nomen est comœdiæ;
Id nos Latine Gloriosum dicimus.
Hoc oppidum Ephesu 'st: inde est Miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, impudens,
Stercoreus, plenus periuri atque adulteri.
Ait sese ultro omnes mulieres sectarier.
Is deridiculu 'st, quaqua incedit, omnibus.
Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum,
Maiorem partem videas valgis saviis.
Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.
Id volo vos scire, quomodo ad hunc devenerim
In servitutem, ab eo quoi servivi prius.
Date operam: nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adolescens optumus:
Is amabat meretricem matre Athenis Atticis,
Et illa illum contra; qui est amor cultu optumus.
Is publice legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai reipublicai gratia.
Interibi, ut hic Miles forte Athenas advenit,
Insinuat sese ad illam amicam heri mei.
Occœpit eius matri suppalparier
Vino, ornamentis, opiparisque obsoniis.
Itaque intimum ibi se Miles apud lenam facit.
Ubi primum evenit Militi huic occasio,
Sublinit os illi lenæ, matri mulieris
Quam herus meus amabat. Nam is illius filiam
Conicit in navem Miles, clam matrem suam,
Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Ego, quantum vivus possum, mihi navem paro,
Ubi amicam herilem Athenis avectam scio.
Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Ubi sumus provecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones navem illam, ubi vectus fui.
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire occœperam.
Ille, qui me cepit, dat me huic dono Militi.
Hic postquam in ædes me ad se duxit domum,
Video illam amicam herilem, Athenis quæ fuit.
Ubi contra aspexit me, oculis mihi signum dedit,
Ne se appellarem: deinde postquam occasio 'st,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas:
Ait sese Athenas fugere cupere ex hac domu,
Sese illum amare meum herum, Athenis qui fuit;
Neque peius quemquam odisse, quam istum Militem.
Ego, quoniam inspexi mulieris sententiam,
Cepi tabellas, consignavi clanculum;
Dedi mercatori, qui ad illum deferat
Meum herū, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat,
Ut is huc veniret. Is non sprevit nuntium;
Nam et venit, et is in proxumo hic devortitur
Apud suum paternum hospitem, lepidum senem.
Itaque ille amanti suo hospiti morem gerit;
Nosque opera consilioque adhortatur, iuvat.
Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,
Qui amanteis una inter se facerem convenas.
Nam unum conclave, concubinæ quod dedit
Miles, quo nemo nisi espse inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Qua commeatus esset hinc huc mulieri.
Et, sene sciente, hoc feci: is consilium dedit:
Nam meus conservos est homo haud magni preti,
Quem concubinæ Miles custodem addidit.
Et nos, facetis fabricis et doctis dolis,
Glaucomam ob oculos obiiciemus: eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.
Et mox, ne erretis, hæc duarum hodie vicem
Et hic et illic mulier feret imaginem;
Atque eadem erit, verum alia esse assimulabitur.
Ita sublinitum 'st os custodi mulieris.
Sed foris concrepuit hinc a vicino sene.
Ipse exit: hic ille est lepidus, quem dixi, senex.

SCENA II. *Periplectomenes, Palæstrio.*

Pe. Nisi, hercle, defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum; ego vostra faciam latera lorea.
Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meæ quid fiat domi:
Ita per impluvium intro spectant. Nunc adeo edico omnibus,
Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, huc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari, aut simiam,
Dicat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.
Atque adeo, ut ne legi fraudem faciant Talariæ,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.
Pa. Nescioquid malefactum a nostra huic familia 'st, quantum audio:
Ita hic senex talos elidi iussit conservis meis.
Sed me excepit. Nihili facio, quid illis faciet cæteris.
Aggrediar hominem: et en advorsum it quasi.
Quid agis, Periplectomene? *Pe.* Haud multos homines, si optandum fuerit.
Nunc videre et convenire, quam te, mavellem.
Pa. Quid est?
Quid negoti 'st *Pe.* Res palam 'st.
Pa. Quæ res palam 'st? *Pe.* De tegulis
Modo nescio quis inspectavit vostrorū familiarium,

Per nostrum impluvium, intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Osculanteis. *Pa*. Quis homo vidit?
Pe. Tuus conservos est. *Pa*. Quis is homo est?
Pe. Nescio: ita abripuit repente sese subito.
Pa. Suspicor
Me periisse. *Pe*. Ubi abiit, conclamo: Heus! quid agis tu, inquam, in tegulis?
Ille mihi abiens ita respondit, se sectari simiam.
Pa. Væ mihi misero, cui pereundum est propter nihili bestiam!
Sed Philocomasium hiccine etiam nunc est?
Pe. Cum exibam, hic erat.
Pa. Sis, iube transire huc, quantum possit, se ut videant domi
Familiares: nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Propter amorem suum, omneis crucibus contubernaleis dari.
Pe. Dixi ego istuc; nisi quid aliud vis.
Pa. Volo: hoc dicito,
Paret artem et disciplinam, obtineat colorem.
Pe. Et quemadmodum?
Pa. Ut eum, qui hic se vidit, vero vincat, ut ne viderit:
Siquidem centies hic visa sit, tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque auda-
Confidentiam, confirmitatē, fraudulentiam: (ciam,
Qui arguat se, eum contra vincat iureiurandu suo.
Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsiiurium;
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua 'st mala.
Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.
Pe. Ego istæc, si erit hic, nuntiabo. Sed quid est, Palæstrio,
Quod volutas tute tecū in corde? *Pa*. Paulisper tace,
Dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo,
Quid agā; quē dolum doloso contra conservo parem,
Qui illam hic vidit osculantem; id visum ut ne visum siat.
Pe. Quære: ego hinc abscessero abs te huc interim. Illuc sis vide,
Quemadmodū abstitit, severa fronte curas cogitans.
Pectus digitis pultat. Cor, credo, evocaturu 'st foras.
Ecce autem avortit, nisus læva; in femine habet lævam manum;
Dextera digitis rationem computat, feriens femur
Dexterum ita vehementer, quod tactu ægre suppetit.
Concrepuit digitis; laborat; crebro commutat status.
Eccere autem capite nutat: non placet, quod reperit.
Quidquid est, incoctum non expromit: bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo.
Apage! non placet profecto mihi illa inædificatio.
Nam os columnatum poetæ esse inaudivi barbaro,
Quoi bini custodes semper totis horis accubant.
Euge! euge! euscheme, hercle, astitit, et dulice, et comœdice.
Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petiit, perficit.
Habet, opinor. Age, si quid agis: vigila, ne somno stude;
Nisi quidem hic agitari mavis varius virgis. Vigila:
Tibi ego dico. Au! feriatus ne sis. Haus! te alloquor, Palæstrio:
Vigila, inquam: expergiscere, inquam: lucet hoc, inquam. *Pa*. Audio.
Pe. Viden' hostis tibi adesse, tuoque tergo obsidium? Consule:
Arripe opem auxiliumque ad hanc rem. Propere hoc, non placide, decet.
Antevenito aliqua aliquos, aut tu circumduce exercitum:
Curre in obsidium perduelleis; nostris præsidium para:
Intercludito inimicis commeatum: tibi muni viam,
Qua cibatus commeatusque ad te et legiones tuas
Tuto possit pervenire. Hanc rem age: res subitaria 'st.
Reperi; comminiscere; cedo calidum consilium cito;
Quæ hic sunt visa, ut visa ne sint; facta infecta uti sient.
Magnam illic, homo, rem incipissis: magna munia mœnia.
Tute unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia 'st
Nos inimicos profligare posse. *Pa*. Dico, et recipio
Ad me. *Pe*. Et ego impetraturum dico id quod petis.
Pa. At te Iupiter
Bene amet. *Pe*. At imperti, amice, me, quod commentu 's. *Pa*. Tace:
Dum in regionem astutiarū mearū te induco, ut scias
Iuxta mecum mea consilia. *Pe*. Salva sumes indidem.
Pa. Herus meus elephanti corio circumtentu 'st, non suo:
Neque habet plus sapientiæ, quam lapis.
Pe. Egomet istuc scio.
Pa. Nunc sic rationem incipissam, ita hanc instituam astutiam,
Ut Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo,
Tam similem, quam lacte lacti; et apud te eos hic devortier
Dicam hospitio. *Pe*. Euge! euge! lepide! Laudo commentum tuum.
Pa. Ut, si illic concriminatus sit advorsum Militē
Meus conservos, eam vidisse cum alieno oscularier,
Eam arguam vidisse apud te contra conservō meum
Cum suo amatore amplexanctem atque osculantem.
Pe. Immo, ut optume!
Idē ego dicā, si me exquiret Miles. *Pa*. Sed simillumas
Dicito esse: et Philocomasiu id præcipiendum 'st, ut sciat,
Ne titubet, si quæret ex ea Miles!
Pe. Nimis doctum dolum!
Sed, si ambas videre in uno Miles concilio volet,
Quid agimus? *Pa*. Facile est: trecentæ possunt causæ colligi:
Non domi 'st; abiit ambulatum; dormit; ornatur; lavat;
Prandet; potat; occupata 'st; operæ non est; non potest.
Quantum vis prolationū, dum modo nunc prima via
Inducamus, vera ut esse credat, quæ mentibitur.
Pe. Placet, ut dicis. *Pa*. Intro abi ergo; et, si istic est mulier, eam iube
Cito domū transire: atque hæc ei monstra: præcipe,
Ut teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus,
De gemina sorore. *Pe*. Docte tibi illā perdoctā dabo.
Numquid aliud? *Pa*. Intro ut abeas. *Pe*. Abeo.
Pa. Et quidem ego ibo domum;
Atque hominem investigando summam operam, hinc dissimulavero,
Qui fuerit conservos, qui hodie siet sectatus simiam.

Nam ille non potuit, quin sermoni suo aliquem familiarium
Participaverit de amica heri, sese vidisse eam
Hic in proxumo osculantem cũ alieno adolescentulo.
Novi morem ego: et tacere nostrorum solus scio.
Si invenio qui vidit, ad eũ vineas pluteosque agam.
Res parata 'st: vi pugnandoque hominem capere certa res est.
Si ita non reperio, ibo odoraus, quasi canis venaticus,
Usque donec persecutus volpem ero vestigiis.
Sed fores concrepuerunt nostræ; ego voci moderabo meæ.
Nam illic est Philocomasio custos meus conservos, atque it foras.

SCENA III. *Sceledrus, Palæstrio.*

S. Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certo, edepol, scio me vidisse hic proxumæ viciniæ
Philocomasium, herilem amicam, sibi aliũ quærere.
P. Hic illam vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui.
S. Quis hic est?
P. Tuus conservos. Quid agis, Sceledre?
S. Te, Palæstrio,
Volupe 'st convenisse.
P. Quid iam? aut quid negoti, fac sciam.
S. Metuo. P. Quid metuis? S. Ne, hercle, hodie quantum hic familiarium 'st,
Maxumum in malum cruciatũ insiliamus. P. tu sali
Solus: nam ego istam insulturam et desulturam nihil hic moror.
S. Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum 'st novom.
P. Quod id est facinus? S. Impudicum.
P. Tute scis soli te tibi:
Mihi ne dixis: scire nolo.
S. Non enim faciam, quin scias.
Simiam hodie sum sectatus nostram in horũ tegulis.
P. Edepol, Sceledre, homo sectatu's nihili nequam bestiam.
S. Dii te perdant! P. Te istuc æquom; quoniam occœpisti eloqui.
S. Forte fortuna, per impluvium huc despexi in proxumum:
Atque ego illa aspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adolescente.
P. Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?
S. Profecto vidi. P. Tuten'?
S. Egomet duobus his oculis meis.
P. Abi! non verisimile dicis, neque vidisti.
S. Num tibi
Lippus videor? P. Medicum istuc tibi melius percontarier.
Verum enim tu istam, si te Dii amant, temere haud tollas fabulam.
Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi iam, ut pereas, paratum 'st dupliciter, nisi supprimis
Tuum stultiloquium. S. Qui vero dupliciter?
P. Id dicam tibi.
Primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris:
Iterum, si id verum 'st, tu, ei custos additus, perieris.
S. Quid fuat me, nescio: hæc me vidisse ego certo scio.
P. Pergin', infelix?
S. Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
Quin etiam nunc intus hic in proxumo 'st.
P. Eho! an non domi 'st?
S. Vise; abi intro tute: nam ego mihi nihil credi postulo.
P. Certum 'st facere id. S. Hic te opperiar: eadem illi insidias dabo,
Quam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se e pabulo.
Quid ego nunc faciam? Custodem me illi Miles tradidit.
Nunc, si indicium facio, interii: si taceo, interii tamen,
Si hoc palam fuerit. Quid peius muliere atque audacius?
Dum ego in tegulis sum, illac hæc se hospitio edit foras.
Edepol, facinus fecit audax. Hoccine si Miles sciat,
Credo, hercla, has sustollat ædes totas; atque hinc in crucem.
Hercle, quidquid est, mussitabo potius, quam inteream male.
Non ego possum, quæ ipsa sese venditat, tutarier.
P. Sceledre! Sceledre! S. Quis homo interminat?
P. Est te alter audacior?
Quis magis Diis inimicis natus, quã tu, atque iratis?
S. Quid est?
P. Iuben' tibi oculos effodiri, quibus id, quod nusquam est, vides?
S. Quid, nusquam? P. Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.
S. Quid negoti 'st? P. Quid negoti sit, rogas?
S. Cur non rogem?
P. Non tibi istam prætruncari linguam largiloquam iubes?
S. Quamobrem iubeam? P. Philocomasium eccam domi, quam in proxumo
Vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero.
S. Mirum 'st lolio victitare te, tam vili tritico.
P. Quid iam? S. Quia luscitiosu 's.
P. Væ, verbero! edepol, tu quidem
Cæcus, non luscitiosu 's: nam illam quidem eccam domi.
S. Quid? domi? P. Domi, hercle, vero.
S. Abi! ludis me, Palæstrio.
P. Tum mihi sunt manus inquinatæ. S. Qui dum?
P. Quia ludo luto.
S. Væ capiti tuo! P. Tuo istuc, Sceledre, promitto fora,
Nisi oculos orationemq; aliam commutas tibi.
Sed fores concrepuerunt nostræ.
S. At ego illas observo fores:
Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.
P. Quin domi eccam. Nescio, quæ te, Sceledre, scelera suscitant.
S. Mihi ego video; mihi ego sapio; mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his ædibus.
Hic obsistam, ne imprudenti huc ea se surrepsit mihi.
P. Meus illic homo 'st; deturbabo iam ego illum de pugnaculis.
Vin' iam faciam, ut stultividum te fatearis?
S. Age, face.
P. Neque te quidquã sapere corde, neque oculis uti?
S. Volo.
P. Nempe tu istic ais esse herilem concubinam?
S. Atque arguo.
Eam me vidisse osculantẽ hic intus cum alieno viro.

P. Sciu' tu nullum commeatum hinc esse a nobis?
S. Scio.
P. Neque solarium, neque hortum, nisi per impluvium? *S.* Scio.
P. Quid nunc, si ea domi 'st, si faciam, ut eam exire hinc videas domo,
Dignus es verberibus multis? *S.* Dignus.
P. Serva istas fores,
Ne tibi clam se subterducat istinc, atq; huc transeat.
S. Consilium 'st ita facere.
P. Pedes ego iam illam huc tibi sistem in viam.
S. Agedum ergo, face. Volo scire, utrum ego id, quod vidi, viderim;
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi supparasitatur semper: hic ei proxumu 'st;
Primus ad cibum vocatur; primo pulmentum datur;
Nam illic noster est fortasse circiter triennium:
Neque cuiquam, quam illi, in nostra melius famulo familia.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc observare ostium.
Hic obsistam hac quidem. Pol, certo verba mihi nunquam dabunt.

SCENA IV. *Palæstrio, Philocomasium, Sceledrus.*

Pa. Præcepta facito ut memineris.
Ph. Toties monere mirum 'st.
Pa. At metuo, ut satis sis subdola.
Ph. Cedo vel doctas, docebo:
Memini males, ut sint malæ, mihi solæ quo supersit.
Pa. Age, iam nunc insiste in dolos: ego abs te procul recedam.
Quid astas, Sceledre? *S* Hanc rem gero: habeo auris: loquere quidvis.
Pa. Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus patibulum cum habebis.
S. Quamnam ob rem?
Pa. Respice dum ad lævā: quis illæc est mulier?
S. Pro, Dii immortales!
Heri concubina 'st hæc quidem.
Pa. Mihi quoque, pol, ita videtur.
Age nunc iam, quando lubet. *S.* Quid agam?
Pa. Peri perpropere.
Ph. Ubi iste bonus servos, qui propudī me maxume innocentem
Falso insimulavit? *Pa.* Hem tibi! Hic mihi id dixit.
Ph. Tibi, quæso? Dixti
Tuten' vidisse in proxumo hic, sceleste, me osculantem?
Pa. Atque cum alieno adolescentulo, dixit.
S. Dixi, hercle, vero.
Ph. Tun' me vidisti? *S.* Atque his quidem oculis.
Ph. Carebis, credo,
Qui plus vident, quam quod vident.
S. Nunquam, hercle, deterrebor,
Quin viderim id quod viderim.
Ph. Ego stulta et mora multum,
Quæ cum hoc insano fabulem: quem, pol, ego capitis perdam.
S Noli minitari: scio crucem futurā mihi sepulcrū:
Ibi mei maiores sunt siti; pater, avos, proavos, abavos.
Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæstrio. Obsecro, unde
Hæc exit huc? *Pa.* Unde, nisi domo? *S.* Domo?
Pa. Me vidente. *S.* Video.
Nimis mirum 'st facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire!
Nam certo neque solarium 'st apud nos, neque hortus ullus,
Neque fenestra, nisi clatrata: nam certo ego te hic intus vidi.
Pa. Pergin, sceleste, intendere, atque hanc arguere?
Ph. Ecastor, ergo
Mihi haud falsum eveniat somnium, quod noctu hac somniavi.
Pa. Quid somnisti? *Ph.* Ego eloquar: sed, amabo, advortito animum.
Hac nocte, in somnis, mea soror geminæ germana visa
Venisse Athenis in Ephesū cū suo amatore quodam:
Hi ambo hospitio huc in proxumum mihi devorti sunt visi.
S. Palæstrionis somnium narratur. *Pa.* Perge porro.
Ph. Ego, læta visa, quia soror venisset, propter eamdem,
Suspicionem maxumam sum visa sustinere. (su'st
Nam arguere in somnis me familiaris meus mihi vi-
Me cum alieno adolescentulo, quasi nunc est, osculatam esse;
Cum illa osculata mea soror gemina esset suumpte amicum.
Ita me insimulatā perperam falsum esse somniavi.
Pa. Satin' eadem in vigilantes expetunt, quæ in somnis visa memoras?
Heus, hercle, præsentia omnia! Abi intro, et comprecare.
Narrandum ego istuc Militi censeo.
Ph. Facere certum.
Neque me quidem patiar probri falso impune insimulatam.
S. Timeo, quid rerum gesserim; ita dorsus totus prurit.
Pa. Scin' te periisse? nunc quidem domi certo?
S. Certe res est
Nunc nostrum observare ostium, ubi ubi sit.
Pa. At, Sceledre, quæso,
Ut ad id exemplū somnium quam simile somniavit,
Atque ut tu suspicatus es eam vidisse te osculantem!
S. Me eam non vidisse arbitraris?
Pa. Næ, tu, hercle, opinor, (obsecro,
Resipisce) si ad herum hæc res pervenerit, peristi pulchre.
S. Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obstitisse.
Pa. Dudum, edepol, hoc planum quidem: quæ hic usque fuerit intus.
S. Nihil habeo certi quid loquar: non vidi eam, etsi vidi.
Pa. Næ, tu, edepol, stultitia tua nos pæne perdidisti.
Dum te fidelem facere hero voluisti, absumtus es pæne.
Sed fores vicini proxumi crepuerunt: conticiscam.

SCENA V. *Philocomasium, Palæstrio, Sceledrus.*

Ph. Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ lauta laudes
Gratesque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœne;
Quæ me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, sævis fluctibus ubi sum afflictata multum.
S. Palæstrio! O Palæstrio!
Pa. O Sceledre, Sceledre! quid vis?
S. Hæc mulier, quæ hinc exit modo, estne herilis concubina
Philocomasium? an non est ea?

Pa. Hercle, opinor, ea videtur.
Sed facinus mirum 'st, quomodo hæc hinc nunc potuerit transire:
Siquidem ea 'st. *S.* An dubium tibi 'st eam esse hanc?
Pa. Ea videtur.
Adeamus, appellemus.
S Heus! quid istuc est, Philocomasium?
Quid tibi istic hisce in ædibus debetur? quid negoti 'st?
Quid nunc taces? tecum loquor.
Pa. Immo, edepol, tute tecum:
Nam hæc nihil respondet.
S. Te alloquor, viti probrique plena,
Quæ circum vicinos vaga es. *Ph.* Quicū tu fabulare?
S. Quicum, nisi tecum? *Ph.* Quis tu homo es, aut mecum quid negoti 'st?
S. Men' rogas, hem, qui sim?
Ph. Quin ego hoc rogem, quod nesciam?
Pa. Quis ego sum igitur, si tu hunc ignoras?
Ph. Mihi odiosus, quisquis es,
Et tu, et hic. *S.* Nos non novisti? *Ph.* Neutrum.
S. Metuo maxume.
Pa. Quid metuis?
S. Enim ne nosmet perdiderimus uspiam.
Nam neque te neque me novisse ait hæc.
Pa. Perscrutari hic volo,
Scelědre, nos nostri an alieni simus; ne dum quispiam
Nos vicinorum imprudenteis aliquis immutaverit.
S. Certe equidem noster sum. *Pa.* Et, pol, ego. Quæris tu, mulier, malum.
Tibi dico, heus, Philocomasium?
Ph. Quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperā perplexo nomine appelles? *Pa.* Eho!
Quis igitur vocare? *Ph.* Glycere nomen est.
S. Iniuria 'st.
Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.
At istuc non decet; et meo adeo hero facis iniuriam.
Ph. Egone? *Pa.* Tute. *Ph.* Quæ heri Athenis Ephesum adveni vesperi
Cum meo amatore, adolescente Atheniensi.
Pa. Dic mihi,
Quid hic tibi in Epheso 'st negoti?
Ph. Geminam germanam meam
Hic sororem esse inaudivi: eam veni quæsitum.
Pa. Mala es.
Ph. Immo', ecastor, stulta multum, quæ vobiscum fabuler.
Abeo. *S.* Abire non sinam te. *Ph.* Mitte.
S. Manifestaris
Res est: non mitto. *Ph.* At mihi iam crepabunt manus, mala tibi,
Nisi me omittis. *S.* Quid, malum! astas? quin retines altrinsecus?
Pa. Nihil moror negotiosū mihi esse tergū. Qui scio
An ista non sit Philocomasium, atque alia eius similis sit?
Ph. Mittis me, an non mittis?
S. Immo, vi atque invitam, ingratiis,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.
Ph. Ostium hoc mihi
Domicilium 'st: Athenis domus ac herus. Ego istam domum
Neque moror; neque vos, qui homines sitis, novi, neque scio.
S. Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si omisero, intro ituram.
Ph. Vi me cogis, quisquis es.
Do fidē, si omittis, istoc me intro iturā, quo iubes.
S. Ecce, omitto. *Ph.* At ego abeo missa.
S. Muliebri fecisti fide.
Pa. Scelědre, manibus amisisti prædam. Tam ea est, quam potis,
Nostra herilis concubina. Vin' tu facere hoc strenue?
S. Quid faciā? *Pa.* Affer mihi machæram huc intus.
S. Quid facies ea?
Pa. Intro rumpam recta in ædes; quemque hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulo.
S. Visane est ea esse? *Pa.* Immo, edepol, plane ea est. Sed quomodo
Dissimulabat! Abi; machæram huc effer.
S. Iam, faxo, hic erit.
Pa. Neque eques, neque pedes profecto quisquam tanta audacia,
Qui æque faciat confidenter quidquam, quam quæ mulieres
Faciunt. Ut utrobique orationem docte edidit!
Ut sublinitur os custodi cato, conservo meo!
Nimis beat, quod commeatus transtinet transparietē.
S. Heus, Palæstrio! machæra nihil opus.
Pa. Quid iam? aut quid opus est?
S. Domi eccam herilem concubinā. *Pa.* Quid? domi?
S. In lecto cubat.
Pa. Edepol, næ tu tibi malam rem reperisti, ut prædicas.
S. Quid iam? *Pa.* Quia hanc attingere ausu 's mulierem hic in proxumo.
S. Magis, hercle, metuo. Sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana huius.
Pa. Eam, pol, tu osculantem hic videras.
Et quidem palam 'st eam esse, ut dicis.
S. Quid propius fuit,
Quam ut perirem, si locutus fuissem hero?
Pa. Ergo, si sapis,
Mussitabis. Plus oportet scire servum, quam loqui.
Ego abeo a te, ne quid tecum consili commisceam,
Atque apud hunc vicinum. Tuæ mihi turbæ non placent.
Herus si veniet, si me quærit, hic ero: hinc me arcessito.

SCENA VI. *Sceledrus, Periplectomenes.*

S. Satin' abiit ille, neque herile negotium
Pluscurat, quam si non servitute serviat?
Certo quidem illa hæc nostra intu 'st in ædibus:
Nam ego et cubantem eam modo offendi domi.
Certum 'st nunc observationi operam dare.
P. Non, hercle, hice homines me marē, sed fœminam,
Vicini rentur esse servi Militis:
Ita me ludificant. Meamne hic in via hospitam,
Quæ heri huc Athenis cum hospite advenit meo,
Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?
S. Perii, hercle! Hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo, illæc mihi res ne magno malo fuat,
Quantum hunc audivi facere verborum senem.
P. Accedam ad hominem. Tun', Scelědre, hic, scelerum caput,
Meam ludificasti hospitam ante ædis modo?
S. Vicine, ausculta, quæso. *P.* Ego auscultem tibi?
S. Expurgare volo me. *P.* Tun' te expurges mihi,
Qui facinus tantum tamque indignum feceris?
An, quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero?
S. Licetne.... *P.* At, ita me Dii Deæq; omnes ament,

Nisi mi supplicium virgeum de te datur
Longum diutinumque a mane ad vesperum,
Quod meas confregisti imbrices et tegulas,
Ibi dum condignam te sectatu 's simiam;
Quodque inde inspectavisti meum apud me hospitem
Amplexum, amicam cum osculabatur suam;
Quodque concubinam berilem insimulare ausus es
Probri, pudicam, meque summi flagiti;
Tum quod tractavisti hospitam ante ædes meas;
Nisi mi supplicium stimuleum de te datur,
Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quam, magno vento, plenum 'st undarum mare.
S. Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam,
Utrumne postulare prius tecum æquom siet,
An me expurgare hæc tibi videatur æquius;
Nisi istæc non est hæc, neque ista sit mihi:
Sicut etiam nunc nescio quid viderim:
Ita est istæc huius similis nostræ tua, (scies.
Siquidem non eadem 'st. *P.* Vise ad me intro, iam
S. Licetne? *P.* Quin te iubeo. At placide noscita.
S. Ita facere certum 'st. *P.* Heus, Philocomasium! cito
Transcurre curriculo ad nos; ita negotium 'st.
Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Transcurrito ad vos rursum curriculo domum.
Nunc, pol, ego metuo, ne quid infuscaverit.
Si hic non videbit mulierem, aperitur dolus.
S. Pro, Dii immortales! similiorem mulierem, (reor
Magisque eamdem, ut pol a quæ non sit eadem, non
Deus facere posse. *P.* Quid nunc? *S.* Commerui malū.
P. Quid igitur: ean' est? *S.* Etsi ea 'st, non est ea.
P. Vidistin' istam? *S.* Vidi et illam, et hospitem
Complexam atque osculantem. *P.* Eane est? *S.* Nescio.
P. Vin' scire plane? *S.* Cupio.
P. Abi intro ad vos domum.
Continuo: vide, sitne ista hæc vostra intus domum.
S. Licet; pulchre admonuisti. Iam ego ad te exibo
foras.
P. Nunquam, edepol, hominem quemquam ludifi-
Magis facete vidi, et magis miris modis. (carier
Sed, eccum, egreditur. *S.* Periplectomene, te obsecro
Per Deos atque homines, perque stultitiam meam,
Perque tua genua.... *P.* Quid obsecras me?
S. Inscitiæ
Meæ et stultitiæ ignoscas. Nunc demum scio
Me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem. (cifer?
Nam Philocomasium eccam intus. *P.* Quid nunc, fur-
Vidistin' ambas? *S.* Vidi. *P.* Herum exhibeas, volo.
S. Meruisse equidem me maxumum fateor malum,
Et tuæ fecisse me hospitæ aio iniuriam:
Sed meam esse berilem concubinam censui,
Quoi me custodem herus addidit Miles meus.
Nam ex uno puteo similior nunquam potest
Aqua aquæ sumi, quam hæc est, atque ista hospita.
Et me despexe ad te per impluvium tuum
Fateor. *P.* Quid ni fateare, ego quod viderim?
S. Sed Philocomasium me vidisse censui.
P. Ratusne me istic hominem esse omnium minimi
Si ego, me sciente, paterer vicino meo (preti,
Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?
S. Nunc demum a me insipienter factū esse arbitror,
Cum rem cognosco: at non malitiose tamen
Feci. *P.* Immo, indigne: namque hominem servom
Domitos habere oportet oculos, et manus, (suos
Orationemque. *S.* Egone? Si, post hunc diem,
Muttivero, etiam quod egomet certo sciam,
Dato excruciatum me: egomet dedam me tibi.
Nunc hoc mihi ignoscas quæso. *P.* Vincam animum
Ne malitiose factum id esse abs te arbitrer. (meum,
Ignoscam tibi istuc. *S.* At Dii tibi faciant bene.
P. Næ, tu, hercle, si te Dii amant, linguam compri-
Posthac: etiam illud, quod scies, nesciveris: (mes
Ne videris, quod videris. *S.* Bene me mones.
Ita facere certum 'st. Sed satin' oratus abis?
Numquid nunc aliud me vis? *P.* Ne me noveris.
S. Dedit hic mihi verba. Quam benigne gratiam
Fecit, ne iratus esset! Scio, quam rem gerat:
Ut Miles, cum extemplo a foro adveniat domum,
Domi comprehendat. Una hic et Palæstrio
Me habent venalem: sensi, et iamdudum scio.
Nunquam, hercle, ex ista nassa ego hodie escā petam.
Nam iam aliquo aufugiam, et me occultabo aliquot
Dum hæ consilescunt turbæ, atq. iræ leniunt. (dies,
Nam iam nunc satis et plus nimio merui mali.
Verumtamen, de me quidquid est, ibo hinc domum.
P. Illic hinc abscessit. Sat, edepol, certo scio,
Occisam sæpe sapere plus multo suem:
[Quoine eximatur,] ne id, quod vidit, viderit!
Nam illius oculi, atque aures, atque opinio,
Transfugere ad nos. Usque adhuc actum 'st probe.
Nimium festivam mulier operam præbuit.
Redeo in senatum rursus: nam Palæstrio
Domi nunc apud me; Sceledrus nunc autem foras.
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Ibo intro: ne, dum absum, illis [obstito fuam.)

ACTUS III. SCENA I. *Palæstrio, Pleusides, Periplectomenes.*

Pa. Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleu-
sides.
Sinite me prius prospectare, ne uspiā insidiæ sient,
Concilium quod habere volumus: nam opu 'st nunc
tuto loco,
Unde inimicus ne quis nostris spolia capiat con-
siliis:
Nā bene consultū inconsultū 'st, si inimicis sit usui;
Neque potest, quin, si id inimicis usui 'st, obsit mihi.
Nam bonum consilium surripitur sæpissume,
Si minus cum cura aut caute locus loquendi lectus est.
Quippe, si resciverint inimici consilium tuum,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam, et con-
stringunt manus;
Atque eadem, quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.
Sed speculabor, ne quis aut hinc a læva aut a dextera
Nostro consilio venator assit cum auritis plagis.
Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam
est probe.
Evocabo: heus Periplectomene et Pleusides! progre-
dimini.
Pe. Ecce nos tibi obedienteis.
Pa. Facile 'st imperium in bonis.
Sed volo scire, eodem consilio quod intus meditati
sumus,
Si gerimus rem.
Pe. Magis ad rem esse non potest utibile.
Pa. Immo, quid tibi, Pleusides?
Pl. Quodne vobis placeat, displiceat mihi?
Quis homo sit magis meus, quam tu es?
Pe. Loquere lepide et commode.
Pa. Pol, ita decet hunc facere.
Pl. At hoc me facinus miserum macerat,
Meumque cor corpusque cruciat.
Pe. Quid id est, quod cruciat? cedo.
Pl. Me tibi, istuc ætatis homini, facinora puerilia
Obiicere; neque te decora, neque tuis virtutibus,
Ea te expetere: te, ex opibus summis, mei honoris
gratia,
Mihique amanti ire opitulatum, atque ea te facere
facinora,

Quæ istæc ætas fugere facta magis, quã sectari solet.
Eam pudet me tibi in senecta obiicere sollicitudinẽ.
Pe. Novo modo tu, homo, amas, siquidem te quidquam, quod faxis, pudet.
Nihil amas: umbra es amantum magis, quam amator, Pleusides. 30
Pl. Hauccine ætatẽ exercere me mei amoris gratia?
Pe. Quid ais tu? itane tibi ego videor oppido Acheruntieus,
Tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere?
Nam equidem haud sum annos natus præter quinquaginta et quatuor:
Clare oculis video, pernix sum manibus; sum pedes mobilis. 35
Pa. Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio 'st senex
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.
Pl. Pol, id quidem experior ita esse, ut prædicas, Palæstrio;
Nam benignitas quidem huius oppido ut adolescentuli 'st.
Pe. Immo, hospes, magis cum periculum facies, magis nosces meam 40
Comitatem erga te amantem.
Pl. Quid opus nota noscere?
Pe. Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris:
Nam, qui ipse haud amavit, ægre amantis ingenium inspicit.
Et ego amoris aliquantum habeo, humorisque meo etiam in corpore:
Neque dum exarui ex amœnis rebus et voluptariis.
Vel cavillator facetus, vel conviva commodus 46
Item ero: neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.
Incommoditate abstinere me apud convivas commode
Commemini, et meæ orationis iustã partẽ persequi;
Et meam partẽ itidem tacere, cum aliena 'st oratio.
Minume sputator, screator sum, itidem minume muccidus. 51
Post, Ephesi sum natus, non in Apulis, non sum in Umbria.
Pl. O lepidum senicem, si, quas memorat, virtutes habet;
Atque equidem plane eductum in nutricatu Venerio!
Pa. Plus dabo, quam prædicabo, ex me venustatis tibi.
Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo; 56
Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio;
Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum;
Neque per vinum unquam ex me exoritur dissidium in convivio. 59
Si quis ibi est odiosus, abeo domũ; sermonẽ segrego.
Venerem, amorẽ, amœnitatemq̃, accubans exerceo.
Pl. Tui quidem, edepol, omnes mores ad venustatem valent.
Cedo treis mihi homines aurichalco contra cum istis moribus.
Pa. At quidem, illuc ætatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico sit magis. 65
Pe. Tute me ut fateare, faciam, esse adolescentem moribus:
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens.

Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opus leni? leniorem dices, quam mutum 'st mare:
Liquidiusculusque ero, quam ventus est Favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi, 71
Vel primarium parasitũ, atq; obsonatorem optumum.
Tum, ad saltandum, non cinædus malacus æque 'st atque ego.
Pa. Quid ad illas artes optassis, si optio eveniat tibi?
Pl. Huius pro meritis ut referri pariter possit gratia,
Tibique, quibus nunc me esse experior summæ sollicitudini. 76
At tibi tanto sumtui esse mihi molestum 'st.
Pe. Morus es.
Nam, in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est;
In bono hospite atque amico, quæstus est, quod sumitur: 79
Et, quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro 'st.
Deum virtute, ut transeuntem hospitio accipiam, apud me est comitas.
Es, bibe, animo obsequare mecum, atque onera te hilaritudine.
Liberæ sunt ædis: liber sum autem ego: me uti volo libere. 83
Nam mihi, Deam virtute dicam, propter divitias
Licuit uxorẽ dotatam genere summo ducere: (meas,
Sed nolo mihi oblatratricem in ædis intromittere.
Pl. Cur non vis? nam procreare liberos lepidum 'st onus.
Pe. Hercle, vero, liberum esse, id multo est lepidius.
Pa. Tute homo et alteri sapienter potis es consulere, et tibi. 89
Pe. Nam bona uxor, si ea deducta est usquã gentium,
Ubi eam possim invenire? Verum egone eam ducam domum,
Quæ mihi nunquam hoc dicat: Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme? Hoc nunquam verbum ex uxore audias.
Verum, priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet, 95
Dicat: Da, mi vir, Calendis meam quod matrem iuverit:
Da qui farciat; da qui condiat: da quod dem, Quinquatribus,
Præcantrici, coniectrici, hariolæ, atque haruspicæ.
(Flagitiũ 'st, si nihil mittetur, quo supercilio spicit!)
Tum piatricem clementer non potest quin munerem.
Iampridem, quia nihil abstulerit, succenset ceraria.
Tum obstetrix expostulavit mecũ, parum missũ sibi.
Quid? nutrici non missuru 's quidquam, quæ vernas alit?
Hæc, atq; huius similia alia damna multa mulierum,
Me uxore prohibent, mihi quæ huius similes sermones serat. 105
Pa. Dii tibi propitii sunt, hercle: nam, si istam semel amiseris
Libertatem, haud facile te in eumdem rursus restitues locum.
Pl. At illa laus est, magno in genere et in divitiis maxumis,
Liberos hominem educare, generi monimentũ et sibi.
Pe Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis? 110
Nunc bene vivo, at fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet:

Mea bona mea morte cognatis dicā, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet, assunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Eos pro liberis habeo. Quin mihi mittunt munera.
Sacrificant? dant inde partem mihi maiorē quā sibi:
Abducunt ad exta: me ad se ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis: ego hæc mecum mussito:
Bona mea inhiant: certatim dona mittunt et munera.
Pa. Nimis bona ratione, nimiumque ad te et tua tu multum vides.
Et tibi sunt gemini, et trigemini, si te bene habes, filii.
Pe. Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis.
Censerem emori. Cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam?
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.
Pa. Huic homini dignum 'st divitias esse, et diu vitam dari,
Qui et rem servat, et qui bene habet, suisque amicis est volup.
Pl. O lepidum caput! Ita me Dii Deæque ament, æquom fuit
Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitā viverent;
Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat:
Quæ improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.
Itidem Divos dispertisse vitam humanam æquō fuit:
Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquā darent;
Qui improbi essent et scelesti, iis adimerent animam cito.
Si hoc paravissent, homines essent minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta: et postea,
Qui probi homines essent, esset his annona vilior.
Pe. Qui Deorū consilia culpet, stultus inscitusq; sit,
Quique eos vituperet: nunc iam istis rebus desisti decet.
Nunc volo obsonare, ut, hospes, tua te ex virtute et mea
Meæ domi accipiam benigne, lepide, et lepidis victibus.
Pl. Nihil me pœnitet iam, quanto sumtui fuerī tibi.
Nam hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,
Quin, ubi triduum continuū fuerit, iam odiosus siet.
Verum, ubi dies decem continuos immorabitur,
Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.
Pe. Servientes servitute ego servos introduxi mihi,
Hospes, non qui mihi imperarent, quibus ego essem obnoxius:
Si illis ægre 'st, mihi quod volupe 'st, meo remigio rem gero.
Tamen id, quod odio 'st, faciundum 'st cum malo atque ingratiis.
Nunc, quod occepi, obsonatum pergam.
Pl. Si certum 'st tibi,
Commodulum obsona, ne magno sumtu: mihi quidvis sat est.
Pe. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?
Nam proletario sermone nunc quidē, hospes, utere.
Nam hi solent, quando accubuere, ubi cœna apposita 'st, dicere,
Quid opus fuit hoc, hospes, sumtu tanto nostra gratia?
Insanivisti, hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem.
Quod eorum causa obsonatum 'st, culpant; et comedunt tamen.
Pa. Fit, pol, illud ad illud exemplum. Ut docte et perspecte sapit!
Pe. Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam appositum est ampliter,
Iube illud demi: tolle hanc patinam: remove pernam: nihil moror.
Aufer illam offam penitā: probus hic conger frigidus;
Remove, abi, aufer. Neminem eorum hæc asseverare audias:
Sed procellunt se, et procumbunt dimidiati, dum appetunt.
Pa. Bonus bene ut malos descripsit mores!
Pe. Haud centesimam
Partem dixi, atq; otiū rei si sit, possim expromere.
Pa. Igitur id, quod agitur hic, primū prævorti decet.
Nunc huc animum advortite ambo. Mihi opus est opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Qui admutiletur Miles usque cæsariatus; atque uti
Huic amanti ac Philocomasio hanc efficiamus copiam,
Ut hic eam abducat, abeatque.
Pe. Dari istanc rationem volo.
Pa. At ego mihi annulum dari istum tuum volo.
Pe. Quam ad rem usui 'st?
Pa. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo
Pe. Utere, accipe. *Pa.* Accipe a me rursū rationē doli,
Quam institui. *Pl.* Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.
Pa. Herus meus ita magnus mœchus mulierum 'st, ut neminem
Fuisse adæque, neque futurum, credam.
Pe. Credo ego istuc idem.
Pa. Itaq; Alexandri præstare prædicat formā suam;
Itaque omnis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres.
Pe. Edepol, quin te de isto multi cupiunt non mentirier:
Sed ego ita esse, ut dicis, teneo pulchre. Proin, Palæstrio,
Quam potes, tam verba confer maxume ad compendium.
Pa. Ecquā tu potes reperire forma lepida mulierem,
Cui facetiarum cor corpusque sit plenum et doli?
Pe. Ingenuamne, an libertinam?
Pa. Æque istuc facio, dummodo
Eā des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore;
Cuique sapiat pectus: nam cor non potest, quod nulla habet.
Pe. Lautam vis, an quæ nondum sit lauta?
Pa. Siccam, succidam,
Quam lepidissumam potes, quamque adulescentem maxume.
Pe. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adolescentulam.
Sed quid ea usus est?
Pa. Ut ad te eam iam deducas domum,
Utique eam huc ornatam adducas matronarū modo:
Capite comto, crines vittasq; habeat, assimuletq; se
Tuam esse uxorem. Ita præcipiendum 'st.
Pl. Erro, quam insistas viam.

Pa. At scietis: sed ecqua ancilla 'st illi?
Pe. Est primaria.
Pa. Ea quoque opu 'st: ita præcipito mulieri, atque ancillulæ,
Ut simulet se tuam esse uxorem, et deperire hunc Militem.
Quasique hunc annulum faveæ suæ ancillæ dederit; ea porro mihi,
Militi ut darem; quasique ego rei sim interpres.
Pe. Audio:
Ne me surdum verbera.
Pa. Tu si audis, ego recte meis
Dabo. A tua mihi uxore dicam delatum et datum,
Ut sese ad eum conciliarem. Ille eiusmodi est; cupiet miser.
Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est, improbus.
Pe. Non potuit reperire, si ipsi Soli quærundas dares,
Lepidiores duas ad hancce rem, quam ego. Age; habe animum bonum.
Pa. Ergo accurato et properato opu 'st. Nunc tu ausculta, Pleusides.
Pl. Tibi sum obediens. *Pa.* Hoc facito: Miles domum ubi advenerit,
Memineris, ne Philocomasium nomines.
Pl. Quam nominem?
Pa. Glyceram. *Pl.* Nempe eamdem, quæ dudum constituta 'st. *Pa.* Pax! abi.
Pl. Meminero. Sed quid meminisse id refert? ego te tamen....
Pa. Ego enim dicam tum, quando usus poscet: interea tace.
Ut nunc etiam hic agit, actutō partes defendas tuas.
Pl. Ego eo intro igitur.
Pa. Et, præcepta sobrie ut cures, face.

SCENA II. *Palæstrio, Lucrio.*

P. Quantas res turbo! quantas moveo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam Militi,
Si centuriati bene sunt maniplares mei.
Sed illum vocabo. Heus, Sceledre! nisi negotium,
Progredere ante ædis: te vocat Palæstrio.
L. Non operæ 'st Sceledro. *P.* Quid iam?
L. Sorbet dormiens.
P. Quid sorbet? *L.* Illud, stertit, volui dicere.
Sed, quia consimile 'st, quod stertas, quasi sorbeas.
P. Eho! an dormit Sceledrus intus?
L. Non naso quidem:
Nam eo magnū clamat. Tetigit calicem clanculum:
Demisit nardini unam amphoram cellarius.
P. Eho, tu sceleste, qui illi suppromus es, eho!
L. Quid vis? *P.* Qui libitum 'st illi condormiscere?
L. Oculis, opinor. *P.* Non te istuc rogito, scelus.
Procede huc: periisti iam, nisi verum scio.
Promsisti tu illi vinum? *L.* Non promsi. *P.* Negas?
L. Nego, hercle, vero: nam ille me vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo exprompsi in urceum;
Neque ille hic calidum exbibit in prandium.
P. Neque tu bibisti? *L.* Dii me perdant, si bibi,
Si bibere potui. *P.* Qui iam? *L.* Quia enim obsorbui:
Nam nimis calebat: amburebat gutturem.
P. Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.
Bono suppromo et promo cellam creditam!
L. Tu, hercle, idem faceres, si tibi esset credita:
Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
P. Eho! an nunquam promsit antehac? responde, scelus.
Atque, ut tu scire possis, edico tibi,
Si falsa dixis, cocio, excruciabere.
L. Ita vero, ut tu ipse me dixisse delices;
Postea saginā ego eiciar cellaria,
Ut, tibi qui promat, alium suppromum pares.
P. Non, edepol, faciam. Age, loquere audacter mihi.
L. Nunquam, edepol, vidi promere; verum hoc erat:
Mihi imperabat; ego promebam postea.
P. Hui! illecebrose! capite sistebas cadum?
L. Non, hercle, tam istoc valide cassabant cadi.
Sed in cella est paulum nimis loculi lubrici;
Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados.
Ea sæpe decies complebatur die.
Eam plenam atque inanem fieri maxumam
Vidi. Bacchabatur hama; cassabant cadi.
P. Abi, abi intro iam. Vos in cella vinaria
Bacchanal facitis: iam, hercle, ego herum adducam a foro.
L. Perii! excruciabit me herus, domum si venerit,
Quom hæc facta scibit, quia sibi non dixerim.
Fugiam, hercle, aliquo, atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.
P. Quo tu agis?
L. Missus sum alio: iam huc revenero.
P. Quis misit? *L.* Philocomasium.
P. Abi; actutum redi.
L. Quæso tamen, tu meam partem infortunii,
Si dividetur, me absente, accipito tamen.
P. Modo intellexi, quam rem mulier gesserit:
Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suum
Foris ablegavit, dum ab se huc transiret: placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepida forma ducit. Dii, hercle, hanc rem adiuvant.
Quam digne ornata incedit, haud meretricie!
Lepide hoc succedit sub manus negotium.

SCENA III. *Periplectomenes, Acroteleutium, Palæstrio, Milphidippa.*

Pe. Rem omnem, Acroteleutium, tibi, tibique, mea Milphidippa,
Domi demonstravi ordine: hanc fabricā fallaciasque
Minus si tenetis, denuo volo percipiatis plane.
Satis si intelligitis, aliud est, quod potius fabulemur.
A. Stultitia atque insipientia insulsa atque maxuma hæc sit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.
Pe. At melius est monerier.
A. Meretricem commoneri,
Quam sane magni referat, mihi clam est! Quin ego me frustro,
Postquam adbibere aures meæ tuā moram orationis.
Tibi dixi, Miles quemadmodū potis esset deasciari.
Pe. At nemo solus satis sapit: nam ego multos sæpe vidi
Regionem fugere consili, prius quā repertā habuere.
A. Si quid faciundum 'st mulieri male atque malitiose,
Ea sibi immortalis memoria est meminisse et sempiterna:
Sin bene quid aut fideliter faciundum 'st, eo deveniunt,
Obliviosæ extemplo uti fiant; meminisse nequeunt.
Pe. Ergo istuc metuo, quo venit vobis faciundum utrumque:
Nam id proderit mihi, Militi male quod facietis ambæ.
A. Dum ne inscientes quid bonum faciamus, ne formida.

Mala nulla meretrix est, ne pave, peiora ubi conveniunt.
Pe. Ita vos decet. Consequimini.
Pa. Cesso ego illis obviam ire.
Venire salvō gaudeo: lepido, hercle ornatu incedit.
Pe. Bene opportuneque obviam es, Palaestrio. Hem! tibi assunt,
Quas me iussisti adducere, et quo ornatu.
Pa. Heus! noster esto.
Palaestrio Acroteleutium salutat.
A. Quis hic, amabo, est,
Qui, tam pro nota me nominat?
Pe. Hic noster architectus est.
A. Salve, architecte.
Pa. Salva sis. Sed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit praeceptis? *Pe*. Probe meditatam utramque duco.
Pa. Audire cupio, quemadmodum; ne quid peccetis, paveo.
Pe. At tua praecepta: de meo nihil his novō apposivi.
A. Nempe ludificari Militem tuum herum vis?
Pa. Elocuta es.
A. Lepide et sapienter, commode et facete, res parata est.
Pa. Atque huius uxorem esse te volo assimulare.
A. Fiet.
Pa. Quasi Militi animum adieceris, simulare.
A. Sic futurum 'st.
Pa. Quasique haec res per me interpretem, et tuam ancillam, geratur.
A. Bonus vates poteras esse: nam, quae sunt futura, dicis.
Pa. Quasique annulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem ego Militi darem tuis verbis. *A*. Vera dicis.
Pe. Quid istis nunc memoratis opu 'st, quae commeminere? *A*. Meliu 'st.
Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus est architectus,
Bene lineatam si semel carinam collocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta (est.
Nunc haec carina satis probe fundata et bene statuta est.
Assunt fabri architectique a me, a te, haud imperiti.
Si non nos materiarius remoratur, quod opu 'st, qui det,
Novi indolem nostri ingeni, cito erit parata navis.
Pa. Nempe tu novisti Militem, meum herum?
A. Rogare mirum 'st.
Populi odium quidni noverim, magnidicum, cincinnatum,
Moechum unguentatum? *Pa*. Nū ille etiam te novit?
A. Nunquam vidit.
Qui noverit me, quis ego sim?
Pa. Nimis lepide fabulare.
Eo potuerit lepidius, pol, fieri. *A*. Potine ut hominem
Mihi des? quiescas caetera. Ni lepide ludificata
Ero, culpam omnem in me imponito.
Pa. Agite igitur, intro abite;
Insistite hoc negotium sapienter. *A*. Alia cura.
Pa. Age, Periplectomene, has nunc iam duc intro: ego ad forum illum
Conveniam, atque illi hunc annulum dabo: atque praedicabo
A tua uxore mihi datū asse, eamque illum deperire.
Hanc ad nos, cum extemplo a foro veniemus, mittito tu,
Quasi clanculum ad me missa sit.
Pe. Faciemus. Alia cura.
Pa. Vos modo curate: ego illum probe iam oneratum huc accibo.
Pe. Bene ambula; bene rem gere. At, egone, hoc si efficiam plane,
Ut concubinam Militis meus hospes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat; si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris?
A. Datne abs se mulier operam?
Pa. Lepidissume et comissume. *A*. Confido confuturū
Ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum,
Haud vereor, ne nos subdole perfidia pervincamur.
Pe. Abeamus ergo intro, haec uti meditemur cogitate;
Ne quid, ubi Miles venerit, titubetur. *A*. Tu morare,
Ut accurate et commode hoc, quod agundum 'st, exsequamur.

ACTUS IV. SCENA I. *Pyrgopolinices*, *Palaestrio*.

Py. Volup est quod agas, si id procedit lepide et ex sententia.
Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucū duceret;
Qui eius regnum, tutarentur, mihi dum fieret otium.
Pa. Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quae tibi
Conditio nova et luculenta fertur per me interpretē?
Py. Immo, omnes res posteriores pono, atque operam do tibi.
Loquere: aures meas profecto dedo in ditionē tuam.
Pa. Circumspicito dum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet.
Nam, hoc negoti clandestino ut agerem, mandatum 'st mihi.
Py. Nemo adest. *Pa*. Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.
Py. Quid hic? unde est?
Pa. A luculenta atque a festiva foemina,
Quae te amat, tuamque expetissit pulchram pulchritudinem.
Eius nunc mihi annulum, ad te, ancilla, porro ut deferrem, dedit.
Py. Quid? eau' ingenua, an festuca facta e serva libera 'st?
Pa. Vah! egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius,
Qui ingenuis satis respondere nequeas cupidis tui?
Py. Nuptau' ea' st, an vidua? *Pa*. Et nupta et vidua.
Py. Quo pacto potis
Vidua et nupta esse eadem?
Pa. Quia adolescens nupta 'st cum sene.
Py. Euge! *Pa*. Lepida et liberali forma est.
Py. Cave mendacium.
Pa. Ad tuam formam illa una digna est.
Py. Hercle, pulchram praedicas.
Sed quis ea 'st? *Pa*. Senis huius uxor Periplectomeni in proxumo,
Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire: odit senem.
Nunc te orare atque obsecrare iussit, ut tui copiam
Sibi potestatemque facias.
Py. Cupio, hercle, equidem, si illa volt.
Pa. Quae cupit! *Py*. Quid illa faciemus concubina, quae domi 'st?
Pa. Quin tu illam iube abs te abire, quo lubet: sicut soror
Eius huc gemina venit Ephesum, et mater, arcessunt que eam.

Py. Aiu' tu, advenit Ephesum mater eius?
Pa. Aiunt, qui sciunt.
Py. Hercle, occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.
Pa. Immo, vin' tu lepida facere?
Py. Loquere, et consilium cedo.
Pa. Vin' tu illam actutum amovere, a te ut abeat per gratiam?
Py. Cupio. *Pa.* Tum te hoc facere oportet: tibi divitiarum affatim est:
Iube sibi aurum atque ornamenta, quæ illi instruxisti mulieri,
Dono habere, auferreque abs te quo lubeat sibi.
Py. Placet, uti dicis: sed, ne istanc amittam, et hæc mutet fidem,
Vide modo. *Pa.* Vah, delicatus! quæ te tamquam oculos amet!
Py. Venus me amat. *Pa.* St, tace! aperiuntur fores: concede huc clanculum.
Hæc celox illius est, quæ hic egreditur internuntia.
Py. Quæ hæc celox?
Pa. Ancillula illius est, quæ hic egreditur foras,
Quæ anulum istunc attulit, quem tibi dedi.
Py. Edepol, hæc quidem
Bellula 'st. *Pa.* Pithecium hæc est præ illa, et spinturnicium.
Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

Sc. II. *Milphidippa, Pyrgopolinices, Palæstrio.*

M. Iam est ante ædis circus, ubi sunt ludi faciundi mihi?
Dissimulabo, hos quasi non videam, neque, esse hic, etiam dum sciam.
Py. Tace: subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.
M. Num quis nam hic prope adest, qui rem alienam potius curet quam suam?
Qui aucupet me, quid agam? qui de vesperi vivat suo?
Eos nunc homines metuo, mihi ne obsint, neve obstent uspiam,
Domo si ibit, ac dum huc transibit, quæ huius cupiens corporis est,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidum, et nimia pulchritudine,
Militem Pyrgopolinicem.
Py. Satin' hæc quoque me deperit?
Meam laudat speciem. Edepol, huius sermones haud cinerem quæritant.
Pa. Quo argumento?
Py. Quia enim loquitur laute et minume sordide:
Tum autem illa ipsa est nimium lepida, nimisque nitida fœmina.
Hercle, vero, iam allubescit primulum, Palæstrio.
Pa. Priusne, quam illam oculis...?
Py. Tuis video id, quod credo tibi.
Quid illa autem absens, quom hæc locuta subigit me ut amem? *Pa.* Hercle, hanc quidam
Nihil tu amassis. Mihi hæc desponsa est: tibi si illa hodie nupserit,
Ego hanc continuo uxorem ducam.
Py. Quid ergo hanc dubitas colloqui?
Pa. Sequere hac me ergo. *Py.* Pedisequus tibi sum.
M. Utinam, cuius causa
Foras sū egressa, conveniundi mihi potestas eveniat!
Pa. Erit; et tibi exoptatum obtinget: bonum habe animum; ne formida:
Homo quidam 'st, qui scit, quod quæris, ubi sit.
M. Quem ego hic audivi?
Pa. Sociū tuorū consiliorū, et participē consiliariū.
M. Tum, pol, ego, id quod celo, haud celo.
Pa. Immo, etiamsi non celas.
M. Quo argumento?
Pa. Infidos celas: ego sum tibi firma fide.
M. Cedo signum, si harunc Baccharum es.
Pa. Amat mulier quædam quemdam.
M. Pol, istuc quidem multæ.
Pa. At non multæ de digito donum mittunt.
M. Enim cognovi nunc. Fecisti modo mihi ex proclivo planam rem.
Sed hic numquis adest? *Pa.* Vel adest, vel non.
M. Cedo te mihi solæ solum.
Pa. Brevin' an longinquo sermone?
M. Tribus verbis. *Pa.* Iam ad te redeo.
Py. Quid? ego hic astabo tantisper, cum hac forma et factis, sic frustra?
Pa. Patere, atque asta. Tibi ego hanc do operam.
Py. Properando excrucior.
Pa. Pedetentim. Tu hæc scis, tractari ita solere hasce huiusmodi merces.
Py. Age, age, ut tibi maxume concinnum 'st.
Pa. Nullum 'st hoc stolidius saxum.
Redeo ad te: quid me voluisti?
M. Quo pacto hoc dudum accepi,
Istuc fero ad te consilium. *Pa.* Quasi hunc depereat.
M. Teneo istuc.
Pa. Collaudato formam et faciem, et virtutes commemorato.
M. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.
Pa. Tu cætera cura et contempla, et de meis venator verbis.
Py. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique: iam tandem ades illico.
Pa. Assum; impera, si quid vis.
Py. Quid illæc narrat tibi? *Pa.* Lamentari
Ait illā miserā, cruciari, et lacrumantē se afflictare,
Quia tis egeat, quia te careat. Ob eam rem huc ad te missa 'st.
Py. Iube adire. *Pa.* At scin', quid tu facias? face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat: me inclamato, quia sic te volgo volgem.
Py. Memini, et præceptis parebo.
Pa. Voco ergo hanc, quæ te quærit?
Py. Adeat, si quid volt. *Pa.* Si quid vis, adi, mulier.
M. Pulcher, salve.
Py. Meum cognomentum quis commemoravit? Dii tibi dent quæ optes.
M. Tecum ætatem exigere ut liceat.
Py. Nimium optas. *M.* Non me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur.
Py. Multæ aliæ idem istuc cupiunt,
Quibus non est copia.
M. Ecastor, haud mirum, si te habeas carum,
Hominem tam pulchrum, et præclara virtute, et forma, et factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui esset?
Pa. Non, hercle, humanum 'st ergo:
Nam volturio plus humani, credo, est.
Py. Magnum me faciam
Nunc, quoniam illæc me collaudat.
Pa. Viden' ignavum, ut sese inferat!
Quin tu huic responde. Hæc illæc est ab illa, quam dudum...
Py. Quanam ab illarum? nam, ita me occursant multæ, meminisse haud possum.
M. Ab illa, quæ digitos despoliat suos, et tuos digitos decorat.

Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic, qui porro...
Py. Quid nunc tibi vis, mulier? memora.
M. Ut, quæ te cupit, eam ne spernas.
Quæ per tuam nunc vitam vivit. Sit, necne sit, spes in te uno 'st.
Py. Quid nunc volt?
M. Te compellare, et complecti, et contrectare.
Nam, nisi tu illi fers suppetias, iam illa animum despondebit.
Age, mi Achilles! fiat, quod te oro: serva illam pulchram pulchre:
Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape, occisor regum!
Py. Heu, hercle, odiosas res! Quoties hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne sic volgo pollliciteris operam?
Pa. Audin' tu, mulier?
Dixi hoc tibi dudum, et nunc dico: nisi huic verri affertur merces,
Non hic suo seminiu quamquam porculam impertituru' st.
M. Dabitur, quantum ipsus preti poscet.
Pa. Talentum Philippum huic opus auri 'st.
Minus ab nemine accipiet.
M. Heu! ecastor, nimis vile est tandem.
Py. Non mihi avaritia unquam innata 'st: satis est divitiarum.
Plus mihi auri mille est modiorum Philippei.
Pa. Præter thesaurum.
Tum argenti montes, non massas, habet. Ætna mons non æque altus.
M. Heu, ecastor, hominem periurum! *Pa.* Ut ludo.
M. Quid ego? ut sublecto os! *Pa.* Scite.
M. Sed, amabo, mitte me actutum.
Pa. Quin tu huic respondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? Quid illam miseram animi excrucias,
Quæ nunquam male de te merita 'st?
Py. At iube eampse exire huc ad nos.
Dic, me omnia, quæ volt, facturum.
M. Facis nunc, ut facere æquom,
Quod, quæ te volt, eamdem tu vis.
Pa. Non hic insulsum habet ingenium.
M. Quomque me oratricem haud sprevisti, sivistique exorare ex te.
Quid est? ut ludo! *Pa.* Nequeo, hercle, quidem risu me admoderarier.
Ob eam causam huc abs te avorti.
Py. Non, edepol, tu scis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo.
M. Scio: at istuc illi dicam.
Pa. Contra auro alii hanc vendere potuit operam.
M. Istuc, pol, tibi credo.
Pa. Meri bellatores, gignuntur, quas hic prægnates fecit.
Et pueri annos octingentos vivunt.
M. Væ tibi, nugator!
Py. Quin mille annorum perpetuo vivunt, ab sæculo ad seclum.
Pa. Eo minus dixi, ne hæc censeret me advorsum se mentiri.
M. Perii! quot hic ipse annos vivet, quoius filii tam diu vivunt?
Py. Postriduo natus sum ego, mulier, quam Iupiter ex Ope natu 'st.
Pa. Si hic pridie natus foret, quam ille est, hic haberet regnum in cœlo.
M. Iam iam sat, amabo, est. Sinite abeam, si possum, viva a vobis.
Pa. Quin ergo abis, quando responsum 'st?
M. Ibo, atque illam huc adducam,
Quam propter opera 'st mihi. Numquid vis?
Py. Ne magis sim pulcher, quam sum:
Ita me mea forma sollicitum habet.
Pa. Quid hic nunc stas? quin abis? *M.* Abeo.
Pa. Atque adeo, audin' tu? dicito docte et cordate.
M. Ut cor ei saliat.
Pa. Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat: hunc hic esse.
M. Hic cum mea hera 'st; clam nostrum hunc sermonem sublegerunt.
Pa. Lepide factum 'st: iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro
Rem. *M.* Me morare *Pa.* Abeo; neque te; moror, neque te tango, neque te. Taceo.
Py. Iube maturate illam exire huc. Iam isti rei prævortemur.

SCENA III. *Pyrgopolinices, Palæstrio.*

Py. Quid mihi nunc es auctor ut faciam, Palæstrio,
De concubina? nam nullo pacto potest
Prius hæc in ædes recipi, quam illam omiserim.
Pa. Quid me consultas, quid agas? dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri possit clementissume.
Aurum atque vestem omnem muliebrem habeat sibi;
Quæ illi instruxisti, sumat, habeat, auferat.
Dicasque tempus maxumum esse, ut eat domum:
Sororem geminam adesse et matrem, dicito,
Quibus concomitata recte deveniat domum.
Py. Qui tu scis eas adesse? *Pa.* Quia oculis meis
Vidi hic sororem esse eius *Py.* Convenitne eam?
Pa. Convenit. *Py.* Ecquid fortis visa est? *Pa.* Omnia
Vis obtinere? *Py.* Ubi matrem esse aibat soror?
Pa. Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hospitio divortitur.
Py. Quid is? ecquid fortis? *Pa.* Abi sis hinc: nam tu (quidem
Ad equas fuisti scitus admissarius,
Qui consectare qua mares, qua fœminas.
Py. Hoc age nunc. *Pa.* Istuc. *Py.* Quod das consilium (mihi?
Te cum illa verba facere de ista re volo;
Nam cum illa sane congruus sermo tibi.
Pa. Quin potius, quom tute ades, tuam rem tute agas.
Dicas uxorem tibi necessum esse ducere,
Cognatos persuadere, amicos cogere.
Py. Itane tu censes? *Pa.* Quid ego ni ita censeam?
Py. Ibo igitur intro. Tu hic ante ædis interim
Speculare, ut, ubi illæc prodeat, me provoces.
Pa. Tu modo istuc cura, quod agis. *Py.* Curatū id qui(dē 'st.
Quin, si voluntate nolet, vi extrudam foris
Pa. Istuc cava faxis: quin potius per gratiam
Bonam abeat abs te: atque illæc, quæ dixi, dato.
Aurum, ornamentaque, quæ illi instruxisti, ferat.
Py. Cupio, hercle. *Pa.* Credo te facile impetrassere.
Sed abi intro: noli stare. *Py.* Tibi sum obediens.
Pa. Numquid videtur demutare, atque uti ego
Dixi esse vobis dudum hunc mœchum Militem?
Nunc ad me ut veniat, usu 'st, Acroteleutium,
Ancillula eius, et Pleusides. Proh Iupiter!
Satin' ut commoditas usquequaque me adiuvat!
Nam, quos videre exoptabam me maxume,
Una exeunteis video hinc e proxumo.

SCENA IV. *Acroteleutium, Milphidippa, Palæstrio, Pleusides.*

A. Sequimini; simul circumspicite, ne quis adsit arbiter.

M. Neminem, pol, video, nisi hunc, quem volumus conventum. *Pa.* Et ego vos.
M. Quid agis, noster architecte?
Pa. Egone architectus? vah! *M.* Quid est?
Pa. Qui enim non sum dignus præ te, ut figam palum in parietem.
A. Eia vero! *Pa.* Nimis facete, nimisque facunde mala 'st.
Ut lepide deruncinavit Militem! *A.* At etiam parū.
Pa. Bono animo es: negotium omne iam succedit sub manus.
Vosmodo porro, ut occepistis, date operam adiutabilem.
Nam ipse Miles concubinam intro abiit oratum suã,
Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas.
A. Eu! probe!
Pa. Quin etiam aurum atque ornamenta, quæ ipse instruxit, mulieri
Omnia dat dono, se ut abeat: ita ego consiliū ei dedi.
Pl. Facile istuc quidem est, si et illa volt, et ille autem cupit.
Pa. Non tu scis, cum ex alto puteo sursum ad summum escenderis,
Maxumum periculum inde esse, a summo ne rursum cadas?
Nunc hæc res apud summum puteum geritur: si prosenserit
Miles, nihil hinc ferri poterit huius. Nunc quam maxume
Opus est dolis.
Pl. Domi esse ad eam rem video silvæ satis:
Mulieres tres: quartus tute es, quintus ego, sextus senex.
Pa. Quot apud nos falliciarū est excisum! certo scio,
Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis.
Date modo operam
A. Id nos ad te, si quid velles, venimus.
Pa. Lepide facitis. Nunc hanc tibi ego impero provinciam.
A. Impetrabis, imperator, quod ego potero, quod voles.
Pa. Militem lepide, et facete, at laute ludificarier
Volo. *A.* Voluptatem, mecastor, mihi imperas.
Pa. Et scin' tu quemadmodum?
A. Nempe ut assimulem me amore istius differri.
Pa. Rem tenes.
A. Quasique istius causa amoris, ex hoc matrimonio
Abierī, cupiens istius summe nuptiarū. *Pa.* Ordine is:
Nisi modo unum hoc: hasce esse ædes dicas dotalis tuas;
Hinc senem abs te abiisse, postquā feceris divortiū;
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
A. Bene mones. *Pa.* Sed ubi ille exierit intus, istic te procul
Ita volo assimulare, præ illius forma, quasi spernas tuam,
Quasique eius opulentitatem verearis: et simul
Formam amœnitatis illius, faciem, pulchritudinē,
Collaudato. Satin' præceptum 'st?
A. Teneo. Satin' est, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?
Pa. Sat habeo. Nunc tibi vicissim quæ imperabo.
Pl. Dicito.
Pa. Quam extemplo hoc erit factum, ubi intro hæc abierit, tu illico
Facito ut venias ornatus huc ornatu nauclerico;
Causiā habeas ferrugineam, culcitā ob oculos laneā;
Palliolū habeas ferrugineū, (nā is colos thalassicu'st)
Id connexum in humero lævo, expapillato brachio;
Præcinctus aliqui, assimulato quasi gubernator sies.
Atque apud hunc senem omnia hæc sunt: nam is piscatores habet.
Pl. Quid? ubi ero exornatus, quin tu dicis, quid facturus sim?
Pa. Huc venito, et matris verbis Philocomasium arcessito,
Ut, si itura iam est Athenas, eat tecū ad portum cito:
Atque ut iubeat ferri in navim, si quid imponi velit.
Nisi eat, te soluturum esse navim; ventū operā dare.
Pl. Satis placet pictura. Perge.
Pa. Ille extemplo illam hortabitur
Ut eat, ut properet, ne moræ sit matri.
Pl. Multimodis sapis.
Pa. Ego illi dicam, ut me adiutorem, qui onus ferant ad portum, roget.
Illa iubebit me ire cum illa ad portum. Ego adeo, ut tu scias,
Prorsum Athenas protinus abibo tecum.
Pl. Atque, ubi illo veneris,
Triduū noū servire nunquam te, quin liber sis, sinā.
Pa. Abi cito, atque orna te. *Pl.* Numquid aliud?
Pa. Hæc ut memineris.
Pl. Abeo. *Pa.* Et vos abite hinc intro actutum; nam illum hinc sat scio
Iam exiturum esse intus.
A. Celebre apud nos imperium tuum 'st.
Pa. Agite, abscedite ergo. Ecce autem commodo aperitur foris:
Hilarus exit: impetravit. Inhiat, quod nusquam est, miser.

SCENA V. *Pyrgopolinices, Palæstrio.*

Py. Quod volui, ut volo, impetravi per amicitiam et gratiam
A Philocomasio.
Pa. Quidnam tam intus fuisse te dicam diu?
Py. Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab illa muliere.
Pa. Quid iam? *Py.* Ut multa verba fecit! ut lenta materies fuit!
Verum postremo impetravi, ut volui: donavique ei,
Quæ voluit, quæ postulavit. Te quoque ei dono dedi.
Pa. Etiam me? quomodo ego vivam sine te?
Py. Age, es animo bono.
Idem ego te liberabo: nam, si posset ullo modo
Impetrari ut abiret, ne te abduceret, operam dedi:
Verum oppressit. *Pa.* Deos sperabo, teque postremo. Tamen,
Etsi istuc mihi acerbum 'st, quia hero te carendum 'st optumo,
Saltē id volupe'st, cum ex virtute formæ evenit tibi
Mea opera super hanc vicinam, quam ego nunc concilio tibi.
Py. Quid opu 'st verbis? Libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si impetras. *Pa.* Reddam impetratum.
Py. At gestio. *Pa.* At modice decet;
Moderare animo: ne sis cupidus. Sed, eccam ipsam, egreditur foras.

SCENA VI. *Milphidippa, Acroteleutium, Pyrgopolinices, Palæstrio.*

M. Hera, eccum præsto Militem. *A.* Ubi est?
M. Ad lævam, videto;
Aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat.
A. Video. Edepol, nunc nos tempus est malas priores fieri.

M. Tuum 'st principium.
A. Obsecro, tute ipsum convenisti?
Ne parce voci, ut audiat. *M.* Cum ipso pol sum secuta
Placide ipsa, dum libitum 'st mihi, otiose, meo arbitratu, ut volui.
Py. Audin' quæ loquitur?
Pa. Audio. Quam læta 'st, quia adit ad te!
A. O fortunata mulier! *Py.* Ut amari videor!
Pa. Dignus es.
A. Permirū, ecastor, prædicas, te adisse atq; exorasse.
Per epistolam, aut per nuntium, quasi regem, adiri eum aiunt.
M. Namque, edepol, vix fuit copia adeundi atque impetrandi.
Pa. Ut tu inclytus apud mulieres!
Py. Patiar, quando ita Venus volt.
A. Veneri, pol, habeo gratiā: eamdemq; et oro et quæso,
Ut eius mihi sit copia, quem amo, quemq; expetesso;
Benignusq; erga me ut siet; quod cupiā, ne gravetur.
M. Spero ita futurum. Quamquam illum multæ sibi expetessunt,
Ille illas spernit segregatq; ab se omnes, extra te unā.
A. Ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosus
Ne oculi eius sententiā mutent, ubi viderit me. (est,
Atque eius elegantia meam extemplo speciē spernat.
M. Non faciet: bonum animum habe.
Py. Ut ipsa se contemnit!
A. Metuo, ne prædicatio tua nunc meā formā exsupe-
M. Istuc curavi, ut opinione illius pulchrior sis. (ret.
A. Si, pol, me nolet ducere uxorem, genua amplectar,
Atque obsecrabo alio modo. Si non quibo impetrare,
Consciscam letū. Vivere sine illo scio me non posse.
Py. Prohibendam mortem video mulieri. Adibon'?
Pa. Minime:
Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.
Sine ultro veniat, quæritet, desideret, exspectet.
Summovere istam vis gloriam, quam habes? cave sis faxis;
Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
Tibi et Phaoni Lesbio, tam misere ut amarentur.
A. Eo intro: abi tu: illum avocato foras, mea Milphidippa.
M. Immo, opperiamur, dum exeat aliquis.
A. Durare nequeo,
Quin eam intro. *M.* Occlusæ sunt fores. *A.* Effringā.
M. Sana non es.
A. Si amavit unquam, aut si parem sapientiam hic habet ac formam,
Par amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet.
Pa. Ut, quæso, amore perdita 'st hæc misera!
Py. Mutuum fit.
Pa. Tace, ne audiat.
M. Quid astitisti obstupida? cur non pultas?
A. Quia non est intus, quem ego volo. *Pa.* Qui scis?
A. Scio, edepol; scio:
Nā odore nasū sentiat, si intus siet. *Py.* Hariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eā ut divinaret.
A. Nescio ubi hic prope adest, quem expeto videre: olet profecto.
Py. Naso, pol, iam hæc quidem videt plus, quā oculis.
Pa. Cæca amore est.
A. Tene me, obsecro. *M.* Cur? *A.* Ne cadam.
M. Quid ita? *A.* Quia astare
Nequeo: ita animus per oculos meos defit.
M. Militem, pol,
Tu aspexisti! *A.* Ita. *M.* Non video. Ubi est?
A. Videres, pol, si amares.
M. Non, edepol, tu illum magis amas, quam egomet, si per te liceat.
Pa. Omnes, profecto, mulieres te amant, ut quæque aspexit.
Py. Nescio, tun' ex me hoc audieris, an non: nepos sum Veneris.
A. Mea Milphidippa, adi, obsecro, et congredere.
Py. Ut me veretur!
Pa. Illa ad nos pergit. *M.* Vos volo. *Py.* Et nos te.
M. Ut iussisti,
Herā meā eduxi foras. *Py.* Video. *M.* Iube ergo adire.
Py. Induxi animum, ne oderim, item ut alias, quando hoc orasti.
M. Verbum, hercle, facere non potis, si accesserit prope ad te.
Dum te obtuetur, interim linguā oculi præciderunt.
Py. Levandum morbum mulieri video.
M. Viden' ut tremit atque ex-
Timuit, postquam te aspexit? *Py.* Viri quoque armati idem istuc faciunt:
Ne tu mirere plus mulierē. Sed quid volt med agere?
M. Ad sed eas: tecū vivere volt, atque ætatē exigere.
Py. Egon' ad illam eam, quæ nupta sit? Vir eius est metuendus.
M. Quin, tua causa, exegit virum a se.
Py. Quid? qui id facere potuit?
M. Quia ædes dotales huius sunt. *Py.* Itane?
M. Ita, pol. *Py.* Iube eam domum ire.
Iam ego illic ero. *M.* Vide ne sis in exspectatione,
Ne illam animi excrucies. *Py.* Non ero, profecto.
Abite. *M.* Abimus.
Py. Sed quid ego video? *Pa.* Quid vides?
Py. Nescio quis, eccum, incedit
Ornatu quidē thalassico. *Pa.* Iā nos volt hic profecto:
Nauclerus est hic quidem.
Py. Videlicet arcessit hanc hinc. *Pa.* Credo.

SCENA VII. *Pleusides, Palæstrio, Pyrgopolinices.*

Pl. Alium alio pacto propter amorem ni sciam
Fecisse multa nequiter, verear magis,
Me, amoris causa, hoc ornatu incedere.
Verum, cum multos multa admisse acceperim
Inhonesta, propter amorem, atque aliena a bonis;
(Mitto iam, ut occidi Achilles cives passus est)...
Sed eccum Palæstrionem; stat cum Milite:
Oratio alio mihi demutanda 'st mea.
Mulier, profecto, nata 'st ex ipsa mora.
Nam quævis alia, quæ mora 'st æque, mora
Minor ea videtur, quam quæ propter mulierem 'st.
Hoc adeo fieri credo consuetudine.
Nam ego hanc arcesso Philocomasiū. Sed fores (est?
Pultabo. Heus! ecquis hic est? *Pa.* Adolescens, quid
Quid tu ais? quid pultas? *Pl.* Philocomasiū quærito:
A matre illius venio: si itura 'st, eat:
Omnes moratur: navim cupimus solvere.
Py. Iamdudum res parata 'st. Heus, Palæstrio!
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosū omne ut ferat,
Duc adiutores tecum, ad navim qui ferant,
Omnia composita sunt, quæ donavi, ut ferat.
Pa. Eo. *Pl.* Quæso, hercle, propera. *Py.* Non morabi-
Quid istuc, quæso? quid oculo factum 'st tuo? (tur.
Pl. Habeo equidem, hercle, oculū. *Py.* At lævū dico.
Pl. Eloquar.
Maris causa, hercle, istoc ego oculo utor minus.
Nam, si abstinuissem amare, tamquam hoc, uterer.
Sed nimis morantur me diu. *Py.* Eccos, exeunt.

SCENA VIII. *Palæstrio, Philocomasium, Pyrgopolinices, Pleusides.*

Pa. Quid modi flendo, quæso, hodie facies?
Ph. Quid ego ni fleam?

Ubi pulcherrume egi ætatem, inde abeo.
Pa. Viden' hominem tibi,
Qui a matre et sorore venit? *Ph.* Video.
Py. Audistiu', Palæstrio?
Pa. Quid vis? *Py.* Quin tu intus iubes afferri omnia, quæ isti dedi?
Pl. Philocomasium, salve. *Ph.* Et tu salve.
Pl. Materque et soror
Tibi salutem me iusserunt dicere. *Ph.* Salvæ sient.
Pl. Orant te, ut eas, ventus uperam dum dat, ut velum explicent.
Nam, matri oculi si valerent, mecum venisset simul.
Ph. Ibo, quamquam iuvita facio omnia: pietas sic cohibet. *Pl.* Sapis.
Py. Si non mecũ ætatẽ egisset, hodie stulta viveret.
Ph. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier.
Nam tu quamvis potis es facere ut i lluat facetiis:
Et, quia tecum eram, propterea animo eram ferocior:
Eã nobilitatẽ amittundã video. *Py.* Nimiũ hæc flet.
Ph. Nequeo,
Cum te video. *Pa.* Habe bonum animum. Scio ego, et quid doleat mihi.
Nã nihil miror, si libenter, Philocomasiũ, hic eras.
Forma huius, mores, virtus, animum attiuuere hic tuum.
Quin ego servos, quando aspicio hunc, fleo quia diiungimur.
Ph. Obsecro, licet complecti, priusquam proficisco?
Py. Licet.
Ph. O mei oculi! ô mi anime!
Pa. Obsecro, tene mulierem,
Ne affligatur. *Py.* Quid istuc?
Pa. Postquam abs te abit, animo male
Factum 'st huic repente miseræ.
Py. Accurrite intro, atque afferte aquam.
Pa. Nihil aquam moror. *Py.* Cur?
Pa. Malo ne interveneris,
Quæso, dum resipiscit.
Py. Capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet: labra labellis ferruminant. *Pl.* Acre malu:
Tentabã, spiraret an non. *Py.* Aure admotã oportuit.
Pl. Sin magis vis, ambos mittam. *Py.* Nolo: retineas.
Pa. Fleo miser.
Py. Exite, atque afferte huc intus omnia, isti quæ dedi.
Pa. Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo.
Conservi conservæque omnes, bene valete et vivite.
Bene, quæso, inter vos dicatis, et mihi absenti tamen.
Py, Age, Palæstrio, bono animo es.
Pa. Eheu! nequeo, quin fleam,
Quom abs te abeam. *Py.* Fer æquo animo.
Pa. Scio ego, quid doleat mihi.
Ph. Sed quid hoc? quæ res? quid video? lux, salve!
Pl. Iam resipisti? *Ph.* Obsecro, quem amplexa sum
Hominem? Perii! Sumne ego apud me?
Pl. Ne time, voluptas mea.
Py. Quid istuc est negoti?
Pa. Animus hanc modo hic reliquerat.
Metuoque et timeo, ne hoc tandẽ propalã fiat nimis.
Py. Quid id est? *Pa.* Nos secundum ferre nunc per urbem hæc omnia,
Ne quis tibi hoc vitio vortat.
Py. Mea, non illorum, dedi.
Parvi ego illos facio. Agite, ite cum Diis benevolentibus.
Pa. Tua ego hoc causa dico. *Py.* Credo. *Pa.* Iam vale.
Py. Et tu bene vale.
Pa. Ite cito: iam ego assequar vos. Cum hero pauca etiam loquar.
Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi,
Quã me, tamen tibi habeo magnã gratiã rerũ omniũ:
Et, si ita sententia esset, tibi servire mavelim
Multo, quã alii libertus esse. *Py.* Habe bonũ animũ.
Pa. Hau mihi!
Cum venit mihi in mentẽ, ut mores mutandi sient,
Muliebres mores discundi, obliviscundi stratiotici.
Py. Fac sis frugi. *Pa.* Iam non possum; amisi omnem lubidinem.
Py. I, sequere illos, ne morere. *Pa.* Bene vale.
Py. Et tu bene vale.
Pa. Quæso, ut memineris, si forte liber fieri occeperim,
Mittã nuntiũ ad te, ne me deseras. *Py.* Non est meũ.
Pa. Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuerim.
Si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.
Py. Scio, et perspexi sæpe; verum, cum antehac, tum hodie maxume.
Pa. Scies: immo, hodie verum, [factis] faxo, post dices magis.
Py. Vix reprimor, quin te manere iubeam.
Pa. Cave istuc feceris.
Dicent te mendacem, nec verũ esse, fide nulla esse te.
Dicant servorum, præter med, esse fidelem neminẽ.
Nam, si honeste censeam te facere posse, suadeam;
Verum non potest: cave faxis.
Py. Abi; iam patiar; quidquid est.
Pa. Bene vale igitur. *Py.* Ire melius est strenue.
Pa. Etiam nunc vale.
Py. Ante hoc factum, hunc sum arbitratus semper servom pessumum:
Eum fidelem mihi esse invenio. Cum egomet mecum cogito,
Stulte feci, qui hunc amisi. Ibo hinc intro nunc iam
Ad amores meos: et sensi; hinc sonitũ fecerunt fores.

SCENA IX. *Puer, Pyrgopolinices.*

Pu. Ne me moneatis: memini ego officium meum.
Ego iam conveniam illunc: ubi ubi est gentium,
Investigabo: operæ non parco meæ.
Py. Me quærit illic. Ibo huic puero obviam.
Pu. Ehem! te quæro. Salve, vir lepidissume,
Cumulate commoditate; præter cæteros,
Duo Dii quẽ curant. *Py.* Qui duo? *Pu.* Mars et Venus.
Py. Facetum puerum! *Pu.* Intro, te, ut eas, obsecrat.
Te volt, te quærit, teque expectans deperit.
Amanti fer opem: quid stas? quin intro is? *Py.* Eo.
Pu. Ipsus illic sese iam impedivit in plagas.
Paratæ insidiæ sunt: in statu stat senex,
Ut adoriatur mœchum, qui forma 'st ferox:
Qui omnes se amare credit, quæque aspexerit
Mulier: eum odere qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

ACTUS V. *Periplectomenes, Pyrgopolinices, Cario, Sceledrus.*

Pe. Ducite istum: si non sequitur, rapite sublimem foras!
Facite, inter terrã atq; cœlũ ut medius sit: discindite.
Py. Obsecro, hercle, Periplectomene, te...
Pe. Nequidquam, hercle, obsecras.
Vide, ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.
C. Quin iamdudum gestit mœcho hoc abdomen adimere,
Ut faciam, quasi puero in collo pendeant crepundia.
Py. Perii! *C.* Haud etiam, numero hoc dicis. Iamne in hominem involo?
Pe. Immo etiam prius verberetur fustibus.

C. Multum quidem.
Pe. Cur es ausus subagitare alienā uxorē, impudens?
Py. Ita me Dii ament, ultro ventum est ad me.
Pe. Mentitur: feri.
Py. Mane, dum narro.
Pe. Quid cessatis? *Py.* Non licet mihi dicere?
Pe. Dic. *Py.* Oratus sum ad te venire huc.
Pe. Quare ausu 's? hem tibi!
Py. Oi! hei! satis sum verberatus: obsecro...
C. Quam mox seco?
Pe. Ubi lubet: distendite hominem divorsum, et disponnite.
Py. Obsecro, hercle, te, ut mea verba audias, prius-quam secat.
Pe. Loquere, nondum nihili factus.
Py. Viduam esse censui:
Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.
Pe. Iura, te nociturum esse homini nunc hac, de re nemini,
Quod tu hodie hic verberatu 's, aut quod verberabere,
Si te salvom hinc mittimus Venereum nepotulum.
Py. Iuro per Dianam et Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hic hodie vapulo: sed mihi id æque factum arbitror,
Et, si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia.
Pe. Quid si id non faxis?
Py. Ut vivam semper intestabilis.
C. Verberetur etiam; post tibi amittundum censeo.
Py. Dii tibi benefaciant semper, cum advocatus mihi bene es.
C. Ergo des minam auri nobis. *Py.* Quamobrem?
C. Salvis testibus
Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum:
Aliter hinc a nobis, ne sis frustra.... *Py.* Dabitur.
C. Magis sapis.
De tunica, et chlamyde, et machæra, ne quid speres; non feres.
Verberone etiam, antequam amittis?
Py. Mitis sum equidem fustibus.
Obsecro vos.... *Pe.* Solvite istum.
Py. Gratiam habeo tibi.
Pe. Si posthac prehendero ego te hic, arcebo testibus.
Py. Caussam haud dico. *Pe.* Eamus intro, Cario.
Py. Servos meos
Eccos video. Philocomasium iam profecta est? dic mihi.
S. Iamdudum. *Py.* Hei mihi!
S. Magis id dicas, si scias, quod ego scio:
Namque ille, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
Py. Quis erat igitur? *S.* Philocomasio amator.
Py. Qui tu scis? *S.* Scio.
Nam, postquā exierunt porta, nihil cessarunt illico
Osculari atque amplexari inter se.
Py. Væ misero mihi!
Verba mihi datu esse video. Scelus viri Palæstrio,
Is me in hanc illexit fraudem. Iure factum iudico.
Si sic aliis mœchis fiat, minus hic mœchorum siet:
Magis metuant; minus has res studeant. Eamus ad me. Plaudite.

MOSTELLARIA

DRAMATIS PERSONÆ.

TRANIO, GRUMIO, } *servi.*	THEUROPIDES, SIMO, } *senes.*
PHILOLACHES, *adolescens.*	DANISTA.
PHILEMATIUM, *meretrix.*	PHANISCUS, *advorsitor.*
SCAPHA, *ancilla.*	SERVUS *alius.*
CALLIDAMATES, *adolescens.*	PUER.
DELPHIUM, *meretrix.*	

Argumentum (PRISCIANI?)

Manumisit emtos suos amores Philolaches,
Omnemque absente rem suo absumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monstra ait videri in ædibus,
Et inde primum emigratum. Intervenit
Lucripeta fœnus fœnerator postulans,
Ludusque rursum fit senex: nam mutuum
Acceptum dicit pignus amtis ædibus:
Requirit, quæ sint: ait vicini proxumi.
Inspectat illas: post se derisum dolet:
Ab sui sodale gnati exoratur tamen.

ACTUS I. SCENA I. *Grumio, Tranio.*

G. Exi e culina, sis, foras, mastigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere, herilis pernicies, ex ædibus.
Ego, pol, te ruri, si vivam, ulciscar probe.
Exi, inquam, nidor, e culina: quid lates?
T. Quid tibi, malum! hic ante ædes clamitatio 'st?
An ruri censes te esse? abscede ab ædibus.
Abi rus; abi dierecte. abscede ab ianua.
Heu! hoccine volebas? *G.* Perii! Cur me verberas?
T. Quia tu vis. *G.* Patiar. Sine modo adveniat senex.
Sine modo venire salvom, quem absentem comes.
T. Nec verisimile loquere, nec verum, frutex,
Comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.
G. Tu urbanus vero scurra, deliciæ popli,
Rus mihi tu obiectas? sane, credo, Tranio,
Quod te in pistrinum scis actutum tradier.
Cis, hercle, paucas tempestates, Tranio,
Augebis ruris numerum, genus ferratile.
Nunc, dum tibi lubet licetque, pota; perde rem;
Corrumpe herilem filium, adolescentem optumum:
Dies noctesque bibite; pergræcamini;
Amicas emite, liberate; pascite
Parasitos; obsonate pollucibiliter.
Hæccine mandavit tibi, cū peregre hinc iit, senex?
Hoccine modo hic rem curatam offendet suam?
Hoccine boni esse officium servi existumas,
Ut heri sui corrumpat et rem et filium? (det.
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis stu-
Quo nemo adæque, iuventute ex omni Attica,
Antehac est habitus parcus, nec magis continens;
Is nunc in aliam partem palmam possidet.
Virtute id factum tua, et magisterio tuo. (tio 'st?
T. Quid tibi, malum! me, aut quid ego agam, cura-
An ruri, quæso, non sunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, scorta ducere.
Mei tergi facio hæc, non tui, fiducia.
G. Quam confidenter loquitur! fue. *T.* At te Iupiter
Diique omnes perdant! oboluisti allium,
Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis,
Canes capro commixta! *G.* Quid tu vis fieri?
Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Si tu oles; neque superior accumbere,

Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus.
Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves.
Sine alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miser: patiunda sunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
T. Quasi invidere mihi hoc videre, Grumio,
Quia mihi bene est, et tibi male est; dignissumū 'st.
Decet me amare, et te bubulcitarier;
Me victitare pulcbre, te miseris modis.
G. O carnificum cribrum! quod credo fore:
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat senex.
T. Qui scis, an tibi istuc prius eveniat, quam mihi?
G. Quia nunquam merui: tu meruisti, et nunc meres.
T. Orationis operam compendiface,
Nisi te mala re magna mactari cupis.
G. Ervom daturin' estis, bubus quod feram?
Date æs, si non estis. Agite porro, pergite,
Quomodo occœpistis: bibite, pergræcamini,
Este, effercite vos, saginam cædite.
T. Tace, atque rus abi: ego ire in Piræum volo,
In vesperum parare piscatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam afferat.
Quid est? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
G. Pol, tibi istuc credo nomen actutum fore.
T. Dum interea sic sit, istuc actutum sino.
G. Ita est, sed unum hoc scito, nimio celerius
Venire quod molestum 'st, quā id, quod cupide petas.
T. Molestus ne sis. Nunc iam i rus, teque amove.
Ne tu erres, hercle, præterhac, mihi non facies moram.
G. Satin' abiit, neque, quod dixi, flocci existumat!
Pro, Dii immortales! obsecro vostram fidem,
Facite, huc ut redeat noster quamprimum senex,
Triennium qui iam binc abest: priusquam omnia
Periere, et ædis, et ager: qui nisi huc redit,
Paucorum mensium sunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo: nam eccum herilem filium
Video corruptum hic ex adolescente optumo.

SCENA II. *Philolaches.*

Recordatus multum et diu cogitavi,
Argumentaque in pectus multa institui
Ego; atque in meo corde, si est quod mihi cor,
Eam rem volutavi, et diu disputavi,
Hominem quoius rei, quando natus est,
Similem esse arbitrarer, simulacrumque habere.
Id repperi iam exemplum.
Novarum ædiū esse arbitror similem ego hominem,
Quando hic natus est. Ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur verisimile vobis:
At ego id faciam esse ita ut credatis.
Profecto ita esse, ut prædico, vero vincam.
Atque hoc vosmet ipsi, scio,
Proinde uti nunc ego esse autumo, quando
Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis.
Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem:
Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.
Ædes quom extemplo sunt paratæ, expolitæ,
Factæ probe, examussim,
Laudant fabrum, atque ædes probant.
Inde exemplum expetunt sibi quisque simile,
Suo usque sumtu: operæ ne parcunt suæ.
Atque, ubi illo immigrat nequam homo indiligensq;
Cum pigra familia, immundus, instrenuus,
Hic iam ædibus vitium additur,
Bonæ cum curantur male.
Atque illud sæpe fit; tempestas venit,
Confringit tegulas, imbricesque: ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt.
Venit imber; lavit parietes; perpluunt
Tigna; putrefacit aer operam fabri:
Nequior factus iam est usus ædium:
Atque haud est fabri culpa. Sed magna pars
Moram hanc induxerunt, si quid nummo sarciri potest,
Usque mantant: neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt: ædificantur ædes totæ denuo.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi: nunc etiam volo
Dicere, „ut homines ædium esse similes arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum liberorum substruunt;
Extollunt; parant sedulo in firmitatem,
Ut et in usum boni, et in speciem populo
Sint: sibique aut materiæ ne parcunt.
Nec sumtus sibi sumtui esse ducunt:
Expoliunt; docent literas, iura, leges;
Sumtu suo et labore nituntur, ut
Alii sibi esse illorum similes expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum iam aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt a fabris.
Unum ubi emeritum 'st stipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quo eveniat ædificatio.
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,
In fabrorum potestate dum fui.
Postea quam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppido.
Venit ignavia; ea mihi tempestas fuit;
Ea mihi adventu suo grandinē imbremque attulit;
Hæc verecundiam mihi et virtutis modum
Deturbavit; texit, detexitque a me illico.
Postilla obtigere eam negligens fui:
Continuo, pro imbre, amor advenit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit; permadefecit
Cor meum: nunc simul res, fides, fama, virtus,
Decusque, deseruerunt: ego sum in usu
Factus nimio nequior: atque, edepol, ita
Hæc tigna humide putent; non videor mihi
Sarcire posse ædeis meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet, cum scio, ut nunc sum, atque ut fui:
Quo neque industrior de iuventute erat
Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo. Victitabam volupe:
Parcimonia et duritia disciplinæ aliis eram:
Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.
Nunc postquam nihili sum, id vero meopte ingenio repperi.

SCENA III. *Philematium, Scapha, Philolaches.*

Phile. Iampridem, ecastor, frigida non lavi magis lubenter,
Nec quom me melius, mea Scapha, rear esse defæcatam.
S. Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna
Fuit. *Phile.* Quid ea messis attinet ad meam lavationem?
S. Nihilo plus, quam lavatio tua ad messim.
Philo. O, Venus venusta!
Hæc illa est tempestas mea, mihi quæ modestiam omnem
Detexit, tectus qua fui: quam mihi Amor et Cupido
In pectus perpluit meum: neque iam unquam obtigere possum.
Madent iam in corde parietes: periere hæ oppido ædes.

Phile. Contempla, amabo, mea Scapha, satin' hæc me vestis deceat?
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
S. Quin tu te exornas moribus lepidis, quom lepida tota es?
Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum.
Philo. Ita me Dii ament, lepida est Scapha: sapit scelesta multum!
Ut lepide res omnes tenet, sententiasque amantum!
Phile. Quid nunc? *S.* Quid est? *Phile.* Quin me aspice, at contempla, ut hæc me decet.
S. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.
Philo. Ergo, hoc ob verbum, te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliqui;
Neque patiar te istanc gratiis laudasse, quæ placet mihi.
Phile. Nolo ego te assentari mihi.
S. Nimis tu quidem stulta es mulier.
Eho! mavis vituperari falso, quam vero extolli?
Equidem, pol, vel falso, tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari, aut alios meam speciem irridere.
Phile. Ego verum amo: verum volo dici mihi: mendacem odi.
S. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta es!
Philo. Quid ais, scelesta? quomodo adiurasti? ita ego istam amarem?
Quid? istæc me; id cur non additum 'st? infecta dona facio.
Periisti! quod promiseram tibi donum, perdidisti.
S. Equidem, pol, miror tam catam, tam doctam te, et bene eductam,
Non stultam, stulta facere.
Phile. Quin mone, quæso, si quid erro.
S. Tu, ecastor, erras, quæ quidem illum expectes unum, atque illi
Morem præcipue sic geras, atque alios asperneris.
Matronæ, non meretricium 'st, unum inservire amantem.
Philo. Pro Iupiter! nam quod malum vorsatur meæ domi illud?
Dii Deæq. omnes me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illā anum interfecero siti, fameque, atque algu.
Phile. Nolo ego mihi male te, Scapha, præcipere.
S. Stulta es plane, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum et benevolentem.
Moneo ego te: te deseret ille ætate et satietate.
Phile. Non spero. *S.* Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres.
Postremo, si dictis nequis perduci ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis nosce: rem vides, quæ sim, et quæ fui ante.
Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum; atque uni modo gessi morem,
Qui, pol, me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deseruitque me. Tibi idem futurum crede.
Philo. Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.
Phile. Solam illi me soli censeo esse oportere obsequentem.
Solam ille me soli sibi suo liberavit.
Philo. Pro, Dii immortales! mulierem lepidam, et pudico ingenio!
Bene, hercle, factum; et gaudeo mihi nihil esse huius causa.
S. Inscita, ecastor, tu quidem es. *Phile.* Quapropter?
S. Quæ istuc cures,
Ut te ille amet. *Phile.* Cur, obsecro, non curem?
S. Libera es iam.
Tu iam, quod quærebas, habes: ille, te nisi amabit ultro,
Id, pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
Philo. Perii, hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.
Illa hanc corrumpit mulierem malesuada vitilena.
Phile. Nunquam ego illi possum gratiam referre, ut meritu 'st de me.
Scapha, id tu mihi ne suadeas, ut illum minoris pendam.
S. At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum
Dum tibi nunc hæc ætatula 'st, in senecta male querere.
Philo. In anginam ego nunc me velim vorti, ut veneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem scelestam stimulatricem.
Phile. Eumdem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi,
Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.
Philo. Dii me faciant, quod volunt, ni ob istam orationem
Te liberasso denuo, et nisi Scapham enicasso.
S. Si tibi sat acceptum 'st, fore victum tibi sempiternum,
Atque illū amatorem tibi proprium futurū in vita;
Soli gerundum censeo morem, et capiundos crines.
Philo. Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire.
Ego, si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.
Philo. Si quidem, hercle, vendundum 'st, pater venibit multo potius,
Quam te, me vivo, unquā sinā egere, aut mendicare.
S. Quid illis futurum 'st cæteris, qui te amant?
Phile. Magis amabunt,
Quom videbunt gratiam referri.
Philo. Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur!
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam, atque hæc sit hæres.
S. Iam ista quidem absumta res erit: diesque noctesque estur,
Bibitur; neque quisquam parcimoniam adhibet: sagina plane est.
Philo. In te, hercle, certum 'st principium, ut sim parcus, experiri.
Nam neque edes quidquam neque bibes apud me hisce diebus.
Phile. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:
Nec recte si illi dixeris, iam, ecastor, vapulabis.
Philo. Edepol, si summo Iovi vivo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi, nunquam æque id bene collocassem.
Ut videas eam medullitus me amare! O! probus homo sum:
Quæ pro me causam diceret, patronum liberavi.
S. Video te nihili pendere, præ Philolache, omnes homines.

Nunc, ne eius causa vapulem, tibi potius assentabor,
Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.
Phile. Cedo mihi speculum, et cum ornamentis arculam actutum, Scapha;
Ornata ut sim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
S. Mulier, quæ se suamque ætatem speruit, speculo ei usu 'st.
Quid opu 'st speculo tibi, quæ tute speculo speculum es maxumum?
Philo. Ob istuc verbum, ne nequidquam, Scapha, tam lepide dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi, Philematium mea.
Phile. Suo quique loco, viden', capillus satis compositu 'st commode?
S. Ubi tu commoda es, capillum commodum esse credito.
Philo. Vah! quid illa pote peius quidquam muliere memorarier?
Nunc assentatrix scelesta est; dudum advorsatrix erat.
Phile. Cedo cerussam. *S.* Quid cerussa opus nam?
Phile. Qui malas oblinam.
S. Una opera ebur atramento candefacere postules.
Philo. Lepide dictum de atramento atque ebore. Euge! plaudo Scaphæ.
Phile. Tum tu igitur cedo purpurissum.
S. Non do: scita es tu quidem.
Nova pictura interpolare vis opus lepidissumum.
Non istanc ætatē uportet pigmentū ullum attingere,
Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.
Cape igitur speculum.
Philo. Hei mihi misero! savium speculo dedit.
Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo diminuam caput.
S. Linteum cape, atque exterge tibi manus.
Phile Quid ita, obsecro?
S. Ut speculum tenuisti, metuo, ne oleant argentum manus:
Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.
Philo. Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram.
Ut lepide atque astute in mentem venit de speculo mala!
Phile. Etiamne unguentis unguendam censes?
S. Minume feceris.
Phile Quapropter? *S.* Quia, ecastor, mulier recte olet, ubi nihil olet.
Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illico
Itidem olent, quasi cum una multa iura confundit cocus.
Quid oleant, nescias, nisi id unum, ut male olere intellegas.
Philo. Ut perdocte cuncta callet! nihil hac docte doctius
Verum illud est, maxumaque adeo pars vostrorum intellegit,
Quibus anus domi sunt uxores, quæ vos dote meruerunt.
Phile. Agedum, contempla aurum et pallam, satin' hæc me deceat, Scapha?
S. Non me curare istuc oportet.
Phile. Quem, obsecro, igitur? *S.* Eloquar:
Philolachem. Is ne quid emat, nisi quod tibi placere censeat.
Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.
Quid opu 'st, quod suum esse nolit, ei ultro ostentarier?
Purpura ætas occultanda 'st; aurum turpe mulieri.
Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata, pulchrior:
Postea, nequidquam exornata 'st bene, si morata 'st male.
Pulchrū ornatū turpes mores peius cœno colliuunt.
Nam, si pulchra 'st, nimis ornata 'st.
Philo. Nimis diu abstineo manum.
Quid hic vos duæ agitis?
Phile. Tibi, me exorno, ut placeam.
Philo. Ornata es satis.
Abi hinc tu intro: atque ornamenta hæc aufer. Sed, voluptas mea,
Mea Philematium, potare tecū collibitum 'st mihi.
Phile. Libet et, edepol, mihi tecum: nam, quod tibi libet, idem mihi libet,
Mea voluptas! *Philo.* Hem! istuc verbum vile est viginti minis.
Phile. Cedo, amabo, decem: bene emtum tibi dare hoc verbum volo.
Philo. Etiam nunc decem minæ apud te sunt: vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi.
Phile. Cur exprobras?
Philo. Egone id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quidquam argenti locavi iam diu usquam æque bene.
Phile. Certe ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere.
Philo. Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit.
Tu me amas; ego te amo: merito id fieri uterque existumat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono:
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.
Phile. Age, accumbe igitur. Cedo aquam manibus; puer, appone hic mensulam.
Vide, tali ubi sint. Vin' unguenta?
Philo. Quid opu 'st? cum stacta accubo.
Sed estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua?
Is est. Callidamates, cum amica, eccum, incedit. Euge, oculus meus!
Conveniunt manuplares: eccos! prædam participes petunt.

SCENA IV. *Callidamates, Delphium, Philolaches, Philematium.*

C. Advorsum venire mihi ad Philolachem
Volo tempori. Audi: hem! tibi imperatum est.
Nam illic ubi fui, inde effugi foras.
Ita me ibi male convivi sermonisque
Tæsum est. Nunc comissatū ibo ad Philolachetem,
Ubi nos hilari ingenio et lepide accipiet.
Ecquid tibi videor, mamma, madere? *D.* Semper
Istoc modo moratus vivere debebas.
C. Visne ego te, ac tute me amplectare?
D. Si tibi cordi est facere, licet. *C.* Lepida es.
Duce me, amabo. *D.* Cave ne cadas: asta.
C. O! ocellus es meus; tuus sum alumnus, mel meum!

D. Cave modo, ne prius in via accumbas,
Quam illic, ubi lectus est stratus, coimus.
C. Sine, sine cadere me.
D. Siuo: sed et hoc, quod mihi in manu est:
Si cades, non cades, quin cadam tecum.
Iacentes tollet postea nos ambos aliquis.
Madet homo. *C.* Tun' me ais, mamma, madere?
D. Cedo mauum: nolo equidem te affligi.
C. Hem! tene, age, i simul. Quo'd ego eam, an scis?
D. Scio. *C.* In mentem venit modo; nempe domū eo Comissatum. *D.* Immo. *C.* Istuc quidem iam memini.
Philo. Num non vis obviam me hisce ire, anime mi?
Illi ego ex omnibus optume volo: iam (est?
Revortar. *Philo.* Diu est iam id mihi. *C.* Ecquis hic
Philo. Adest. *C.* Eu! Philolaches, salve, amicissume
Mihi hominū omniu. *Philo.* Dii te ament. Accuba,
Callidamates, Unde agis te? *C.* Unde homo ebrius.
Philo. Probe. Quin, amabo, accubas, Delphium
C. Date illi, quod bibat: dormiam ego iam. (mea?
Philo. Num mirum aut novum quidpiam facit? quid ego
Hoc faciam postea, mea? *D.* Sic sine eumpse.
Philo. Age tu,
Interim da ab Delphio cito cantharum circum.

Actus II. Scena I. *Tranio, Philolaches, Callidamates, Delphium, Philematium, Puer.*

T. Iupiter supremus summis opibus atque industriis
Me perisse et Philolachetem cupit herilem filium.
Occidit spes nostra; nusquam stabulum 'st confidentiæ;
Nec salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest;
Ita mali mœroris montem maxumū ad portum modo
Conspicatus sum. Herus advenit peregre. Periit Tranio!
Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie sese excruciari meam vicem possit pati?
Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Vel isti, qui hastis, trium nummorum causa, subeunt sub falas,
Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent?
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit;
Sed ea lege, ut alligantur bis pedes, bis brachia.
Ubi id erit factū, a me argentū petito præsentarium.
Sed ego sumne ille infelix, qui non curro curriculo domum?
Philo. Adest obsonium: eccū, Tranio a portu redit.
T. Philolaches. *Philo.* Quid est? *T.* Et ego et tu....
Philo. Quid et ego et tu? *T.* Periimus.
Philo. Quid ita? *T.* Pater adest. *Philo.* Quid ego ex te audio? *T.* Absumti sumus.
Pater, inquam, tuus venit.
Philo. Ubi est is? obsecro te. *T.* Adest.
Philo. Quis id ait? quis vidit? *T.* Egomet, inquam, vidi. *Philo.* Væ mihi!
Quid ego ago? *T.* Nam quid tu, malum! me rogitas, quid agas? Accubas.
Philo. Tun' vidisti? *T.* Egomet, inquam.
Philo. Certe? *T.* Certe, inquam. *Philo.* Occidi,
Si tu vera memoras.
T. Quid mihi sit boni, si mentiar?
Philo. Quid ego nunc faciam?
T. Iube hæc hinc omnia amolirier.
Quis istic dormit? *Philo.* Callidamates.
T. Suscita istum, Delphium.
D. Callidamates! Callidamates! vigila.
C. Vigilo: cedo ut bibam.
D. Vigila: pater advenit peregre Philolachæ.
C. Valeat pater.
Philo. Valet ille quidem, atque ego disperii.
C. Disperisti? qui pote 'st?
Philo. Quæso, edepol, exurge; pater advenit.
C. Tuus venit pater?
Iube abire rursum. Quid illi reditio etiam huc fuit?
Philo. Quid ego agam? Pater iam hic me offendet miserum adveniens ebrium,
Ædes plenas convivarum, et mulierum. Miserum st opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi siti faces tenet;
Sicut ego, adventu patris, nunc quæro, quid faciam miser.
T. Ecce autē hic deposivit caput, et dormit. Suscita.
Philo. Etiam vigilas? Pater, inquam, aderit iam hic meus. *C.* Ain' tu, pater?
Cedo soleas mihi, ut arma capiam. Iam, pol, ego occidam patrem.
Philo. Perdis rem: tace, amabo. Abripite hunc intro actutum inter manus.
C. Iam, hercle, ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.
Philo. Perii! *T.* Habe bonum animum: ego istum lepide medicabor metum.
Philo. Nullus sum. *T.* Taceas. Ego, qui istæc sedem, meditabor tibi.
Satin' habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuum,
Non modo ne introeat, verum etiam ut fugiat longe ab ædibus?
Vos modo hinc abite intro, atque hæc hinc propere amolimini.
Philo. Ubi ego ero? *T.* Ubi maxume esse via, cum hac, cum istac eris.
D. Quid est igitur? Abeamus hinc nos.
T. Non hoc longe, Delphium.
Namq; intus potate haud tantillo hac quidem causa minus.
Philo. Hei mihi! quam, istæc blanda dicta quo eveniant, madeo metu!
T. Potin animo ut sies quieto, et facias quod iubeo
Philo. Pote 'st
T. Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.
D. Morigeræ tibi erimus ambæ.
T. Ita ille faxit Iupiter.
Animum advorte nunc tu iam, quæ volo accurarier.
Omnium primumdum ædes iam fac occlusæ sient:
Intus cave muttire quemquam siveris.
Philo. Curabitur.
T. Tanquam si intus natus nemo in ædibus habitet.
Philo. Licet.
T. Neu quisquam responset, quando hasce ædes pultabit senex.
Philo. Numquid aliud?
T. Clavem mihi harunce ædium Laconicam
Iam iube efferri intus: hasce ego ædes occludam hinc foris.
Philo. In tuam custodiam meque et meas spes trado, Tranio.
T. Pluma haud interest, patronus an cliens probior
Homini, quoi nulla in pectore 'st audacia. (siet
Nam quoivis homini, vel optumo, vel pessumo,
Quamvis desubito facile 'st facere nequiter:
Verum id videudum 'st, id viri docti 'st opus,
Quæ designata sint et facta nequiter,
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere:

Tranquille cuncta, et ut proveniant sine malo;
Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbavimus,
Profecto ut liqueant omnia, et tranquilla sint,
Neque quidquam nobis pariant ex se incommodi.
Sed quid tu egrederis? Perii! oh! iam iam optume
Præceptis paruisti *P.* Herus iussit maxumo
Opere orare, ut patrem, aliquo absterreres modo,
Ne introiret. Adest. *Tr.* Quin etiam illi hoc dicito,
Facturum me, ut ne etiam aspicere ædes audeat;
Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.
Clavim cedo, atque abi hinc intro, atque occlude ostium:
Et ego hinc occludā. Iube venire nunc iam.
Ludos ego hodie vivo præsenti hic seni
Faciam; quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam a foribus huc: hinc speculabor procul,
Unde advenienti sarcinam imponam seni.

SCENA. II. *Theuropides, Tranio.*

Th. Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quom me amisisti a te vix vivum modo.
Verum, si posthac me pedem latum modo
Scies imposisse in undam, haud causa illico 'st,
Quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te a me. Nunc iam, post hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
Tr. Edepol, Neptune, peccavisti largiter,
Qui occasionem hanc amisisti tam bonam.
Th. Triennio post Ægypto advenio domum:
Credo, exspectatus veniam familiaribus.
Tr. Nimio, edepol, ille potuit exspectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuum.
Th. Sed quid hoc? occlusa ianua 'st interdius!
Pultabo. Heus! ecquis istas aperit mi fores?
Tr. Quis homo 'st, qui nostras ædes accessit prope?
Th. Meus servos hic quidem 'st Tranio. *Tr.* O Theuropides
Here! salve! Salvom te advenisse gaudeo.
Usquene valuisti? *Th.* Usque, ut vides.
Tr. Factum optume.
Th. Quid vos? insanine estis? *Tr.* Quidum?
Th. Sic quia
Foris ambulatis. Natus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui respondeat.
Pultando pedibus pæne confregi hasce ambas.
Tr. Eho!
An tu tetigisti has ædes? *Th.* Cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pæne confregi fores.
Tr. Tetigistin'? *Th.* Tetigi, inquam, et pultavi.
Tr. Vah! *Th.* Quid est?
Tr. Male, hercle, factum. *Th.* Quid est negoti?
Tr. Non potest
Dic, quam indignum facinus fecisti et malum.
Th. Quid iam? *Tr.* Fuge, obsecro, atque abscede ab ædibus.
Fuge huc: fuge ad me propius. Tetigistin' foreis?
Th. Quomodo pultare potui, si non tangerem?
Tr. Occidisti, hercle.... *Th.* Quem mortalem?
Tr. Omnes tuos.
Th. Dii te Deæque omnes faxint cum istu omine!
Tr. Metuo, te atque istos expiare ut possies.
Th. Quamobrem? aut quam subito rem mihi apportas novam?
Tr. Et heus! iube illos illinc, amabo, abscedere.
Th. Abscedite. *Tr.* Ædes ne attigite. Tangite
Vos quoque terram. *Th.* Obsecro, hercle, quin eloquare iam.
Tr. Quia septem menses sunt, cum in hasce ædes pedem
Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus.
Th. Eloquere, quid ita?
Tr. Circumspice dum, numquis est,
Sermonem nostrū qui aucupet. *Th.* Tutum probe 'st.
Tr. Circumspice etiam.
Th. Nemo 'st: loquere nunc iam.
Tr. Capitalis cædis facta 'st.
Th. Quid est? Non intellego.
Tr. Scelus, inquam, factum 'st iamdiu antiquom et vetus.
Antiquom id adeo nos nunc factum invenimus.
Th. Quid istuc est, sceleste? aut quis id fecit? cedo.
Tr. Hospes necavit hospitem captum manu;
Iste, ut ego opinor, qui has tibi ædeis vendidit.
Th. Necavit? *Tr.* Aurum ei ademit hospiti,
Eumque hic defodit hospitem ibidem in ædibus.
Th. Quapropter id vos factum suspicamini?
Tr. Ego dicam; ausculta. Ut foris cœnaverat
Tuus gnatus, postquam rediit a cœna domum,
Abimus omnes cubitum, condormivimus;
Lucernam forte oblitus fueram extinguere;
Atque ille exclamat derepente maxumum.
Th. Quis homo? an gnatus meus?
Tr. St, tace: ausculta modo.
Ait venisse illum in somnis ad se mortuum.
Th. Nempe ergo in somnis?
Tr. Ita: sed ausculta modo.
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuum....
Th. In somnis? *Tr.* Mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.
Interdum inepte stultus es.
Th. Taceo. *Tr.* Sed ecce, quæ ille inquit:
Ego transmarinus hospes sum Diapontius.
Hic habito: hæc mihi dedita 'st habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo. Per fidem
Deceptus sum. Hospes hic me necavit; isque me
Defodit insepultum clam ibidem in hisce ædibus,
Scelestus, auri causa. Nunc tu hinc emigra.
Scelestæ hæ sunt ædes, impia 'st habitatio.
Quæ hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.
St, st! *Th.* Quid, obsecro, hercle, factum 'st?
Tr. Concrepuit foris.
Hiccine percussit? *Th.* Guttam haud habeo sanguinis.
Vivom me arcessunt ad Acheruntem mortui.
Tr. Perii! illice hodie hanc conturbabunt fabulam.
Nimis quam formido, ne manifesto hic me opprimat.
Th. Quid tute tecum loquere? *Tr.* Abscede ab ianua.
Fuge, obsecro, hercle! *Th.* Quo fugiam? etiā tu fugis?
Tr. Nil ego formido: pax mihi est cum mortuis.
Th. Heus, Tranio! *Tr.* Non me appellabis, si sapis:
Nil ego commerui, neque istas percussi foreis.
Th. Quæso, quid ægre 'st? quæ res te agitat, Tranio?
Quicum istæc loquere? *Tr.* An, quæso tu appellaveras?
Ita me Dii amabunt, mortuum illum credidi
Expostulare, quia percussisses foreis.
Sed tu etiamne astas, nec, quæ dico, obtemperas?
Th. Quid faciam?
Tr. Cave respexis: fuge, atque operi caput.
Th. Cur non fugis tu? *Tr.* Pax mihi est cu mortuis.
Th. Scio. Quid modo igitur? cur tantopere extimueras?
Tr. Nil me curassis, inquam: ego mi providero:
Tu, ut occepisti, tantum quantum quis, fugies,
Atque Herculem invocabis. *Th.* Hercules, te invoco.
Tr. Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malu.
Pro, Dii immortales! obsecro vostram fidem,
Quid ego hodie negoti confeci, malum!

ACTUS III. SCENA I. *Danista, Theuropides, Tranio.*

D. Scelestiorem ego annum argento fœnori

Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem usque in foro dego diem,
Locare argenti nemini nummum queo.
Tr. Nunc, pol, ego perii plane in perpetuum modum.
Danista adest, qui dedit argentum fœnori,
Qui amica est emta, quoque opus in sumtus fuit.
Manifesta res est, nisi quod occurro prius,
Ne hoc senex resciscat. Ibo huic obviam.
Sed quidnam hic sese tam cito recipit domum?
Metuo, ne de hac re quidpiam inaudiverit.
Accedam, atque appellabo. Hei! quam timeo miser!
Nihil est miserius, quam animus hominis conscius,
Sicut me habet. Verum, utut res hæc sese habet,
Pergam turbare porro: ita hæc res postulat.
Unde is? *Th.* Conveni illum, unde hasce ædes emeram.
Tr. Numquid dixisti de illo, quod dixi tibi?
Th. Dixi, hercule, vero omnia. *Tr.* Væ misero mihi!
Etiam fatetur de hospite? *Th.* Immo, pernegat.
Tr. Metuo, ne techinæ meæ perpetuo perierint.
Th. Quid tute tecum? *Tr.* Nihil enim. Sed dic mihi:
Dixtin', quæso? *Th.* Dixi, inquam, ordine omnia.
Tr. Etiam fatetur de hospite? *Th.* Immo, pernegat.
Tr. Negat? *Th.* Negat, inquam.
Tr. Perii oppido, cum cogito!
Non confitetur? *Th.* Dicam, si confessus sit. (seam?
Quid nunc faciundum censes? *Tr.* Egon', quid cen-
Cape, obsecro, hercule, cum eo una iudicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi.
Tam facile vinces, quam pirum volpes comest.
D. Sed Philolachetis eccum servom Tranium,
Qui mihi neque fœnus neque sortem argenti danunt.
Th. Quo te agis? *Tr.* Nec quoquam abeo: væ, ego sum
Scelestus, natus Diis inimicis omnibus! (miser,
Iam, illo præsente, adibit: væ, ego homo sum miser!
Ita et hinc et illinc mihi exhibent negotium.
Sed oc[c]upabo adire. *D.* Hic ad me it: salvos sum;
Spes est de argento. *Tr.* Hilarus est frustra istic
Salvere iubeo te, Misargyrides, bene. (homo.
D. Salve et tu. Quid de argento? *Tr.* Abi sis, bellua.
Continuo adveniens pilum iniecisti mihi. (riolus.
D. Hic homo 'st inanis. *Tr.* Hic homo 'st certe ha-
D. Quin tu istas mittis tricas! *T.* Quin, quid vis, cedo.
D. Ubi Philolaches est? *Tr.* Nunquam potuisti mihi
Magis opportunus advenire, quam advenis.
D. Quid est? *Tr.* Concede huc.
D. Quin mihi argentum redditur?
Tr. Scio te bona esse voce: ne clama nimis.
D. Ego, hercle, vero clamo. *Tr.* Ah! gere morem mihi.
D. Quid tibi ego morem vis geram?
Tr. Abi, quæso, hinc domum.
D. Abeam? *Tr.* Redito huc circiter meridie. (abi.
D. Redditurne igitur fœnus? *Tr.* Reddetur: nunc
D. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram?
Quid, si hic manebo potius ad meridiem? (modo.
Tr. Immo, abi domum. Verum, hercle, dico. Abi
D. Quin vos mihi fœnus date. Quid nugamini?
Tr. Eu hercle! næ, tu abi modo; Ausculta mihi.
D. Iam, hercle, ego illunc nominabo.
Tr. Euge! strenue!
Beatus vero es nunc, cum clamas. *D.* Meum peto.
Multos me hoc pacto iam dies frustramini.
Molestus si sum, reddite argentum; abiero.
Responsiones omnis hoc verbo eripite.
Tr. Sortem accipe. *D.* Immo, fœnus: id primum volo.
Tr. Quid tu, homo hominum omnium teterrume,
Venisti huc extentatum? Agas, quod in manu est.
Non dat, non debet. *D.* Non debet?
Tr. Nec erit quidem:
Ferre hoc potes? an mavis, ut aliquo abeat foras?
Urbem exul linquat, [actus hinc] causa tui,
Quoi sortem vix dare licebit? *D.* Quin non peto.
Th. Eia, mastigia! ad me redi. *Tr.* Iam istic ero.
Molestus ne sis: nemo dat: age quid lubet.
Tu solus, credo, fœnore argentum datas.
D. Cedo fœnus; redde fœnus: fœnus reddite.
Daturin' estis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. *Tr.* Fœnus illic, fœnus hic!
Nescit quidem nisi fœnus fabularier
Veterator: neque ego tetriorem belluam
Vidisse me unquam quemquam, quam te, censeo.
D. Non, edepol, nunc me tu istis verbis territas.
Calidum hoc est; etsi procul abest, urit male.
Th. Quod illud est fœnus, obsecro, quod illic petit?
Tr. Pater, eccum, advenit peregre non multo prius
Illius: is tibi et fœnus et sortem dabit;
Ne inconciliare quid nos porro postules.
Vide, num moratur? *D.* Quin feram, si quid datur.
Th. Quid ais tu? *Tr.* Quid vis?
Th. Quis illic est? quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic, et præsenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? *Tr.* Obsecro, hercle, iube
Obici argentum huic ob os impuræ belluæ.
Th. Iubeam? *Tr.* Iube homini argento os verberarier.
D. Perfacile ego ictus perpetior argenteos. (lolaches
Th. Quod illud argentum est? *Tr.* Huic debet Phi-
Paulum. *Th.* Quantillum? *Tr.* Quasi quadraginta minas.
D. Ne sane id multum censeas; paulum id quidem est.
Tr. Audin'? videturne, obsecro, hercle, idoneus,
Danista qui sit? genus quod improbissumum est.
Th. Non ego istuc curo, qui sit, unde sit:
Id volo mihi dici, id me scire expeto:
Adeo etiam argenti fœnus creditum audio.
Tr. Quatuor quadraginta illi debentur minæ.
Dic te daturum, ut abeat. *Th.* Egon' dicam dare?
Tr. Dic. *Th.* Egone? *Tr.* Tu ipsus dic modo; ausculta mihi.
Promitte; age, inquam: ego iubeo. *Th.* Responde mihi,
Quid eo 'st argento factum? *Tr.* Salvom 'st. *Th.* Sol-
Vosmet igitur, si salvum 'st. *Tr.* Ædeis filius (vite
Tuus emit. *Th.* Ædeis? *Tr.* Ædeis. *Th.* Euge! Philolaches
Patrissat. Iam homo in mercatura vortitur.
Ain' tu, ædeis? *Tr.* Ædeis, inquam: sed scin' cuiusmodi?
Th. Qui scire possim? *Tr.* Vah! *Th.* Quid est?
Tr. Ne me roga.
Th. Nam quid ita? *Tr.* Speculo claras, clarorem merum.
Th. Bene, hercle, factum. Quid? eas quanti destinat?
Tr. Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus.
Sed arrhaboni has dedit quadraginta minas.
Hinc sumsit, quas ei dedimus. Satin' intelligis?
Nam, postquam hæce ædes ita erant, ut dixi tibi,
Continuo est alias ædes mercatus sibi. (meridies.
Th. Bene, hercle, factum. *D.* Heus! iam appetit
Tr. Absolve hunc, quæso, vomitum, ne hic nos enicet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ
Et sors et fœnus. *D.* Tantum 'st: nihilo plus peto.
Tr. Velim quidem, hercle, ut uno nummo plus petas.
Th. Adolescens, mecum rem habe.
D. Nempe abs te petam?
Th. Petito cras. *D.* Abeo: sat habeo, si cras fero.
Tr. Malum quod isti Dii Deæque omnes duint!
Ita mea consilia perturbat pænissume.

Nullum, edepol, hodie genus est hominum tetrius,
Nec minus bono cum iure, quam danisticum.
Th. Qua in regione istas ædes emit filius?
Tr. Ecce autē, perii! *Th.* Dicisne hoc, quod te rogo?
Tr. Dicam: sed nomen domini, quæro, quid siet.
Th. Age, comminiscere ergo. *Tr.* Quid ego nunc
agam?
Nisi, ut in vicinum hunc proxumum mendacium,
Eas emisse ædes huius dicam filium.
Calidum, hercle, audivi esse optumum mendacium.
Quidquid Dei dicunt, id rectum 'st dicere.
Th. Quid igitur? iam commentu 's? *Tr.* Dii istum
perduint!
Immo, istunc potius. De vicino hoc proxumo
Tuus emit ædes filius. *Th.* Bonan' fide?
Tr. Siquidem es argentum redditurus, tum bona:
Si redditurus non es, non emit bona. (mo.
Th. Non in loco emit perbono has. *Tr.* Immo, optu-
Th. Cupio, hercle, inspicere has ædes: Pulta dum
Atque evocato aliquem intus ad te, Tranio: (fores,
Tr. Ecce autem iterum, nunc quid ego dicam, nescio,
Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt.
Quid nunc? non, hercle, quid nunc faciam, reperio:
Manifesto teneor. *Th.* Evoca dum aliquem foras:
Roga, circumducat. *Tr.* Heus tu! At hic sunt mu-
lieres:
Videndum 'st primum, utrum eæ velintne an non
velint.
Th. Bonum æquomque oras. Percontare, et roga.
Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar foris.
Tr. Dii te Deæque omnes funditus perdant, senex!
Ita mea consilia undique oppugnas mala.
Euge! optume! eccum dominus ædium foras
Simo progreditur ipsus. Huc concessero,
Dum mihi senatum consili in cor convoco. (venero.
Igitur tum accedam hunc, quando, quid agam, in-

SCENA II. *Simo, Theuropides, Tranio.*

S. Melius anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una me invert magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit.
Nunc dormitum iubet me ire. Minume.
Non mihi forte visum illico fuit,
Melius quom prandium, quam solitum, dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
Non bonus somnus est de prandio: apage!
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor nunc, scio, domi.
Tr. Res parata est mala in vesperum huic seni.
Nam et cœnandum et cubandum est intus male.
S. Quo magis cogito ego cum meo animo,
Si quis dotatam uxorem habet,
Neminem sollicitat sopor:
Ire dormitum odio est. Nunc vero mihi
Exsequi certa res est, ut abeam
Potius hinc ad forum, quam domi cubem.
Atque, pol, nescio, ut moribus sient
Vostræ: hæc, sat scio, quam me habeat male;
Peiusque posthac fore, quam fuit mihi.
Tr. Si abitus tuus tibi, senex, fecerit male,
Nihil erit, quod Deorum ullum accusites:
Te ipse iure optumo merito incuses licet.
Tempus nunc est senem hunc alloqui mihi.
Hoc habet: reperi, qui senem ducerem:
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.
Accedam. Dii te ament plurimum, Simo.
S. Salvos sis, Tranio. *Tr.* Ut vales? *S.* Non male.
Quid agis? *Tr.* Hominem optumum teneo.
S. Amice facis.
Cum me laudas. *Tr.* Decet certe.
S. Hercle, at te ego
Haud bonum teneo servō. *Tr.* Quid ita vero, Simo?
S. Quid nunc? quam mox? *Tr.* Quid est? *S.* Quod so-
Tr. Dic igitur, quod solet fieri, quid id est? (let fieri.
S. Quod facitis vos. Sed, ut verum, Tranio, loquar,
Sic decet. Ut homines sunt, ita morem geras.
Vita quam sit brevis, simul cogita.
Tr. Quid? ehem! vix tandem
Percepi super his rebus nostris te loqui.
S. Musice, hercle, agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino et victu, piscatu probo, electili,
Vitam colitis. *Tr.* Immo, vita antehac erat:
Nunc nobis omnia hæc exciderunt.
S. Quidum? *Tr.* Ita oppido occidimus omnes, Simo.
S. Non taces? prospere vobis cuncta usque adhuc
Processerunt. *Tr.* Ita, ut dicis, facta haud nego.
Nos profecto probe, ut voluimus, viximus.
Sed, Simo, ita nunc ventus navem
Deseruit... *S.* Quid est? quomodo, pessume?
Quæne subducta erat tuto in terra?
Tr. Hei! *S.* Quid est? *Tr.* Me miserum! occidi!
S. Qui? *Tr.* Quia
Venit navis, nostræ navi quæ frangat ratem.
S. Velim ut velles, Tranio. Sed quid est negoti?
Eloquere. *Tr.* Herus peregre venit. *S.* Tunc tibi
Chorda tenditur: inde in ferriterium;
Postea in crucem recta. *Tr.* Nunc te ego per genua
Obsecro, ne indicium hero facias meo. *S.* E me,
Ne quid metuas, nihil sciet. *Tr.* Patrone, salve.
S. Nihil moror mihi istiusmodi clientes.
Tr. Nunc hoc, quod ad te noster me misit senex.
S. Hoc mihi responde primum, quod ego te rogo:
Iam de istis rebus voster quid sensit senex?
Tr. Nihil quidquam. *S.* Numquid increpavit filiū?
Tr. Tā liquidu 'st, quā liquida esse tempestas solet.
Nunc te hoc orare iussit opere maxumo,
Ut sibi liceret inspicere has ædes tuas. (senex
S. Non sunt venales. *Tr.* Scio equidem istuc. Sed
Gynæceum ædificare volt hic in suis,
Et balineas, et ambulacrum, et porticum.
S. Quid consomniavit? *Tr.* Ego dicam tibi:
Dare volt uxorem filio, quantum potest:
Ad eam rem facere volt novum gynæceum.
Nam sibi laudasse hasce ait architectonem
Nescio-quem, esse ædificatas has sane bene.
Nunc hinc exemplum capere volt, nisi tu nevis.
S. Næ, ille malo quidem ab opere exemplum petit.
Tr. Quia hic audivit esse æstatem perbonam:
Subdiu coli absque sole perpetuum diem. (tamen
S. Immo, edepol, vero, cum usquequaque umbra 'st,
Sol semper hic est usque a mani ad vesperum;
Quasi flagitator astat usque ad ostium. ('st.
Nec mihi umbra usquam 'st, nisi si in puteo quæpiā
Tr. Quid, Sarsinatis ecqua 'st? si Umbram non
S. Molestus ne sis: hæc sunt sicut prædico. (habes.
Tr. Attamen inspicere volt. *S.* Inspiciat, si lubet.
Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo
Ipse ædificato. *Tr.* Eon'? voco huc hominem?
S. I, voca,
Tr. Alexandrum Magnum, atque Agathoclem, aiunt
Duo res gessisse. Quid mihi fiet tertio, (maxumas
Qui solus facio facinora immortalia?
Vehit hic clitellas; vehit hic autem alter senex.
Novitium mihi quæstum instituì non malum:
Nam muliones mulos clitellarios
Habent: ego habeo homines clitellarios.
Magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt.
Nunc hunc haud scio an colloquar. Congrediar.

Heus, Theuropides! *Th.* Quis nominat me?
Tr. Hero servos multum suo fidelis.
Quo me miseras, affero omne impetratum.
Th. Quid illic, obsecro, tam diu restitisti?
Tr. Seni non otium erat; id sum opperitus.
Th. Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis.
Tr. Heus tu! si voles verbum hoc cogitare;
Simul flare sorbereque haud facile
Est. Ego hic esse et illic simul haud potui.
Th. Quid nunc? *Tr.* Vise, specta, tuo arbitratu.
Th. Age, duc me. *Tr.* Num moror? *Th.* Subsequor te.
Tr. Senex ipse te ante ostium eccum opperitur.
Sed mœstus est se hasce vendidisse.
Th. Quid tandē? *Tr.* Orat, ut suadeā Philolacheti,
Ut istas remittat sibi. *Th.* Haud, opinor.
Sibi quisque ruri metit. Si male emtæ
Forent, nobis istas redhibere haud liceret.
Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.
Misericordias iam habere haud hominem oportet.
Tr. Morare, hercle, cum verba facis: subsequere. *Th.* Fiat:
Do tibi ego operam. *Tr.* Senex illic est. Hem! adduxi tibi hominem.
S. Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theuropides.
Th. Dii te ament. *S.* Inspicere te ædes has velle aibat mihi.
Th. Nisi tibi incommodum est. *S.* Immo, commodum. I intro, atque inspice.
Tr. At enim mulieres.... *S.* Cave tu ullam flocci faxis mulierem.
Qualibet perambula ædes oppido tamquam tuas.
Th. Tamquam? *Tr.* Ah! cave tu illi obiectes nunc in ægritudine,
Te has emisse. Non tu vides hunc, voltu ut tristi est senex?
Th. Video. *Tr.* Ergo, irridere ne videare, et gestire admodum,
Noli facere mentionem té emisse. *Th.* Intellego;
Et bene monitum duco; atque te existumo humano ingenio.
Quid nunc? *S.* Quin tu is intro, atque otiose perspectas, ut lubet?
Th. Bene benigneque arbitror te facere. *S.* Factum, edepol, volo.
Tr. Viden', vestibulum ante ædis hoc, et ambulacrum, quoiusmodi?
Th. Luculentum, edepol, profecto. *Tr.* Age, specta, postes quoiusmodi!
Quanta firmitate facti, et quanta crassitudine! (hi
Th. Non videor vidisse postes pulchriores. *S.* Pol, mi-
Eo pretio emti fuerant olim. *Tr.* Audin, Fuerant, dicere?
Vix videtur continere lacrymas. *Th.* Quanti hosce emeras?
S. Tres minas pro istis duobus, præter vecturā, dedi.
Th. Hercle, quin multum improbiores sunt, quam a primo credidi.
Tr. Quapropter? *Th.* Quia, edepol, ambo ab infimo tarmes secat.
Tr. Intempestivos excisos credo; id eis vitium nocet.
Atque etiā nunc satis boni sunt, si sint inducti pice.
Non enī hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? *Th.* Video. *Tr.* Specta, quam arcte dormiunt.
Th. Dormiunt? *Tr.* Illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes? *Th.* Ut quidque magis contemplor, tanto magis placet.
Tr. Viden' pictum, ubi ludificatur cornix una volturios duo?
Cornix astat, ea volturios duo vicissim vellicat.
Quæso, huc ad me specta, cornicem ut conspicere possies.
Iam vides? *Th.* Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
Tr. At tu isto ad vos obtuere, quoniā cornicē nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.
Th. Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hic avem.
Tr. Age, iā mitto; ignosco: ætate non quis obtuerier.
Th. Hæc, que possum, ea mihi profecto cuncta vehementer placent.
S. Latius demum est operæ pretium ivisse. *Th.* Recte, edepol, mones.
S. Eho! istum, puer, circumduce hasce ædes, et conclavia.
Nā egomet ductarē, nisi mihi esset ad forū negotiū.
Th. Apage istū a me perductorē: nil moror ductarier.
S. Quid, quid est? *Th.* Errabo potius, quam perduc tet quispiam.
S. Ædes dico. *Th.* Ergo intro eo sine perductore. *S.* I, licet.
Th. Ibo intro igitur. *Tr.* Mane sis: videam, ne canis... *Th.* Agedum, vide.
Tr. Est. *Th.* Ubi canis est? *Tr.* Abi dierecta. St! abin' hinc in malam crucem?
At etiā restas? St! abi istinc. *S.* Nihil pericli est, age.
Tam placida est, quam est aqua. Vise: ire intro audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. *Th.* Fecisti commode; bene ambula.
Tranio, age, canem istam a foribus abducas face;
Etsi non metuenda est. *Tr.* Quin tu illam aspice, ut placida accubat!
Nisi molestum vis videri te, atque ignavom. *Th.* Iam ut lubet.
Sequere hac igitur. *Tr.* Equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis.

SCENA III. *Tranio, Theuropides.*

Tr. Quid tibi visum est hoc mercimoni? *Th.* Totus gaudeo.
Tr. Num nimio emtæ tibi videntur? *Th.* Nunquam, edepol, me scio
Vidisse usquam abiectas ædes, nisi modo hasce. *Tr.* Ecquid placent?
Th. Ecquid placeant, me rogas? Immo, hercle, vero perplacent.
Tr. Quoiusmodi gynæceum? quid porticum? *Th.* Insanum bonam.
Non equidem ullam in publico esse maiorem hac existumo.
Tr. Quin ego ipse et Philolaches in publico omnes porticus
Sumus commensi. *Th.* Quid igitur? *Tr.* Longe omnium longissuma 'st.
Th. Dii immortales! mercimoni lepidi! Si, hercle, nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis præsentaria,
Nunquam accipiam. *Tr.* Si, here, te accipere cupias, ego nunquam sinam.
Th. Bene res nostra collocata est istoc mercimonio.
Tr. Me suasore atque impulsore, id factum audacter dicito;
Qui subegi, fœnore argentū ab Danista ut sumeret,
Quod isti dedimus arrhaboni. *Th.* Servavisti omnem ratem.

Nempe octoginta debentur huic minæ.
Tr. Haud nummo amplius.
Th. Hodie accipiet.
Tr. Ita enim vero: ne que causa subsiet,
Vel mihi denumerato: ego illi porro denumeravero.
Th. At enī, ne quid captioni mihi sit, si dederī tibi.
Tr. Egone te, ioculo modo, ausim dicto aut facto fallare?
Th. Egon' abs te ausim non cavere, ne quid committam tibi?
Tr. Qui tibi nunquam quidquam, postquam tuus sum, verborum dedi?
Th. Ego enim cavi recte. Eam mihi debeo gratiam atque animo meo.
Sat sapio, si abs te modo uno caveo. *Tr.* Tecū sentio.
Th. Nunc abi; i rus. Dic, me advenisse, filio.
Tr. Faciam, ut voles.
Th. Curriculo abi: iube in urbem veniat iam simul tecum. *Tr.* Licet.
Nunc ego me illa per posticū ad congerrones conferā.
Dicam, ut hic res sint quietæ, atque ut hunc hinc amoverim.

ACTUS IV. SCENA I. *Phaniscus.*

Servi, qui, cum culpa carint, tamen malum
Metuunt, hi solent esse heris utibiles.
Nam illi, qui nihil metuunt, postquam sunt malum
Meriti, stulta sibi expetunt consilia.
Exercent sese ad cursuram; fugiunt: sed
Hi, si reprehensi sunt, faciunt a malo
Peculium, quod nequeunt facere de suo;
Augent ex pauxillo, thesaurum inde parant.
Mihi, in pectore consili quod est,
Lubet cavere malam rem prius,
Quam ut meum tergum exsinceratum fiat.
Ut adhuc fuit, mihi corium esse oportet
Sincerum, atque uti vetem verberari:
Si huic imperabo, probe tectum habebo:
Malum cum impluit cæteros, non impluat mihi.
Nam, ut servi volunt esse herum, ita solet esse.
Bonis boni sunt: improbi, qui malus fuit.
Nam nunc domi nostræ tot pessumi vivont,
Peculi sui prodigi, plagigeruli: ubi advorsum ut
Eant vocantur hero: Non eo, molestus ne sis.
Scio, quo properas: gestis aliquo iam, hercle;
Ira vis, mula, foras pastum. Bene merens
Hoc pretium inde abstuli: ita abii foras. Solus
Nunc eo advorsum hero ex plurimis servis.
Hoc die crastini cum herus resciverit,
Mane castigabit eos bubulis exuviis.
Postremo minoris pendo tergum illorum, quam meū.
Illi erunt bucædæ multo potius, quam ego
Sim restio.

SCENA II. *Servus alius, Phaniscus, Theuropides.*

S. Mane tu, atque assiste illico:
Phanisce, etiam respice. *P.* Mihi molestus ne sis.
S. Vide, ut fastidit simia!
P. Mihi sum: libet esse: quid id curas?
S. Manesne illico, impure parasite?
P. Qui parasitus sum? *S.* Ego enim
Dicam: cibo perduci poteris quovis.
Ferocem facis, quia te herus tam amat. *P.* Vah!
Oculi dolent. *S.* Cur? *P.* Quia fumus molestus.
S. Tace sis, faber, qui cudere soles plumbeos
Nummos. *P.* Non potes tu cogere me, ut tibi
Maledicam. Novit herus me. *S.* Suam
Quidem, pol, culcitellam oportet. *P.* Si sobrius sis,
Male non dicas. *S.* Tibi obtemperem, cum tu mihi
Nequeas? *P.* At tu mecum, pessume, i advorsus.
S. Quæso, hercle, Phanisce, obstine iam sermonem
De istis rebus. *P.* Faciam, et pultabo fores.
Heus! ecquis hic est, maxumam qui his iniuriam
Foribus defendat? Ecquis, ecquis huc exit, atq; aperit?
Nemo hinc quidem foras exit. Ut esse addecet
Nequam homines, ita sunt: sed eo magis cauto est
Opus, ne huc exeat, qui male me mulcet.
Hic quidem neque convivarū sonitus, itidē ut antehac fuit,
Neq; tibicinā cantantē, neque aliū quemquā audio.
T. Quæ illæc res est? quid illi homines quærunt apud ædes meas?
Quid volunt? quid introspectant?
P. Pergam pultare ostium.
Heus! reclude: heus, Tranio! etiam aperis?
T. Quæ hæc est fabula?
P. Etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.
T. Heus vos, pueri! quid istic agitis? quid istas ædes frangitis?
P. Herus hic noster potat. *T.* Herus hic voster potat?
P. Ita loquor.
T. Puer nimium es delicatus.
P. Ei advorsum venimus.
T. Quoi homini? *P.* Hero nostro. Quæso, quoties dicundum 'st tibi?
T. Puer, hic nemo habitat: nam te esse arbitror puerum probum.
P. Non hic Philolaches adolescens habitat hisce ædibus?
S. Senex hic cerebrosus est certe.
P. Erras pervorse, pater.
Nam, nisi hinc hodie emigravit, aut heri, certo scio
Hic habitare. *T.* Quin sex menses iam hic nemo habitat. *S.* Somnias.
T. Egone? *S.* Tu. *T.* Tu ne molestus: sine me cum puero loqui.
P. Nemo habitat? hem! *T.* Ita profecto.
P. Nam heri et nudius tertius,
Quartus, quintus, sextus usque, postquam hinc peregre eius pater
Abiit, nunquam hic triduum in unum desitum est esse et bibi.
T. Quid ais? *P.* Triduum in unum est haud intermissum hic esse et bibi,
Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas
Ducere. *T.* Quis istuc faciebat? *P.* Philolaches.
T. Qui Philolaches?
P. Cui patrem Theuropidem esse opinor.
T. Hei! hei! occidi,
Si hæc hic vera memorat. Pergā porro percontarier.
Aiu' tu istic potare solitum Philolachem istum, quisquis est,
Cum hero vostro? *P.* Hic, inquam.
T. Puere, præter speciem stultus es.
Vide sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris,
Atque ibi meliuscule, quam satis fuerit, biberis.
P. Quid est?
T. Ita dico, ne ad alias ædes perperam deveneris.
P. Scio, qua me ire oportet: et, quo venerī, novi, loci.
Philolaches hic habitat, quoius est pater Theuropides.
Qui, postquā pater ad mercatū abivit hinc, tibicinā
Liberavit. *T.* Philolaches ergo?
P. Ita, Philematium quidem.
T. Quanti? *S.* Triginta talentis.
P. Μὰ τὸν Ἀπόλλω! sed minis.
T. Ain', minis triginta amicā destinasā Philolachi?
P. Aio. *T.* Atque eam manu emisisse? *P.* Aio.

T. Et, postquam eius hinc pater
Sit profectus peregre, perpotasse assiduo
Tuo cum domiuo? *P.* Aio.
T. Quid? is ædes emit hic proxumas?
P. Non aio *T.* Quadraginta etiam dedit huic quæ essent pignori?
P. Neque illud aio. *T.* Hei! perdis.
P. Immo, suum patrem illic perdidit.
T. Vera cantas: vana vellem!
P. Patris amicus videlicet.
T. Heu! edepol, patrem eum miserum prædicas!
P. Nihil hoc quidem est,
Triginta minæ, præ quã alios dapsiles sumtus facit.
Perdidit patrem. Unus istic servos est sacerrumus
Tranio: is vel Herculi conterere quæstum possiet.
Edepol, me eius patris miseret; qui cum istæc sciet
Facta ita, amburet misero ei corculum carbunculus.
T. Siquidem istæc vera sunt.
P. Quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos, ecquis hasce aperit?
T. Quid istac pultas, ubi nemo intus?
P. Alio credo comissatũ abisse. Abeamus nunc iam.
T. Puere, iamne abis? Libertas pænula est tergo tuo.
P. Mihi, nisi herum metuam et curem, nihil est, qui tergum tegam.

SCENA III. *Theuropides, Simo.*

T. Perii hercle! quid opus est verbis? ut verba audio,
Non equidem in Ægyptum hinc modo vectus fui,
Sed etiam in terras solas, orasque ultimas
Sum circumvectus; ita, ubi nunc sim, nescio.
Verum iam scibo: nam eccum, unde ædes filius
Meus emit. Quid ais tu? *S.* A foro incedo domum.
T. Numquid processit ad forum hodie novi?
S. Etiam. *T.* Quid tandem? *S.* Vidi efferri mortuũ.
T. Hem,
Novum! *S.* Unum vidi mortuum efferri foras:
Modo eum vixisse aibant. *T.* Væ capiti tuo!
S. Quid tu, ut otiosus, res novas requiritas?
T. Quia hodie adveni peregre. *S.* Promisi foras,
Ad cœnam ne me tu te vocare censeas.
T. Haud postulo, edepol. *S.* Verũ cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel apud te cœnavero.
T. Ne istuc quidem, edepol, postulo. Nisi quid magis
Es occupatus, operam mihi da. *S.* Maxume.
T. Minas quadraginta accepisti, quas sciam,
A Philolachete. *S.* Nunquam nummum, quod sciam.
T. Quid, a Tranione servo? *S.* Multo id minus.
T. Quas arrhaboni tibi dedit? *S.* Quid somnias?
T. Egone? At quidem tu, qui istoc te speras modo
Potesse dissimulando infectum hoc reddere.
S. Quid autem? *T.* Quod, me absente, tecũ hic filius
Negoti gessit. *S.* Mecum ut ille hic gesserit,
Dum tu hinc abes, negoti quidquam? at quo die?
T. Minas tibi octoginta argenti debeo.
S. Non memini quidẽ, hercle: verum, si debes, cedo.
Fides servanda 'st, ne ire inficias postules.
T. Profecto non negabo debere; et dabo.
Tu cave quadraginta accepisse hinc ne neges.
S. Quæso, edepol, huc me aspecta, et responde mihi.
Te velle uxorem aibat tuo nato dare,
Ideo ædificare hinc velle aibat in tuis.
T. Hinc ædificare volui? *S.* Sic dixit mihi.
T. Hei mihi! disperii! Vocis non habeo satis.
Vicini, interii! perii! *S.* Numquid Tranio
Turbavit? *T.* Immo, exturbavit omnia.
Te ludificatus est et me hodie indignis modis.
S. Quid tu ais? *T.* Hæc res sic est, ut narro tibi.
Te ludificatus et me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obsecro, ut me bene iuves, operamque des.
S. Quid vis? *T.* I mecum, obsecro, una simul.
S. Fiat. *T.* Servorumque operam et lora mihi cedo.
S. Sume. *T.* Eademque opera hæc tibi narravero,
Quis me exemplis hodie ille ludificatus est.

ACTUS V. SCENA I. *Tranio, Theuropides.*

Tr. Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.
Atque equidem, quid id esse dicã verbũ nauci, nescio.
Nã, herus me postquã rus misit, ut filiũ suũ arcesserẽ,
Abii illa per angiportum ad hortum nostrũ clanculũ:
Ostium quod in angiportu est horti, patefeci fores,
Eaque eduxi omnem legionem, et mares et fœminas.
Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos,
Capio consiliũ, ut senatum congerronum convocem.
Quẽ cum convocavi, atque illi me e senatu segregant,
Ubi ego video rem vorti in meo foro, quantũ potest,
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida est:
Pergunt turbare usq., ut ne quid possit conquiescere.
Nam scio equidẽ, nullo pacto iã esse posse clã senem.
Sed quid hoc est, quod foris concrepuit proxuma vicinia?
Herus meus hic quidem est: gustare ego eius sermonem volo.
Th. Illico intra limen astate illic; ut, cum extemplo vocem,
Continuo exiliatis: manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædes præstolabor ludificatorẽ meũ;
Quoius ego hic ludificabo corium, si vivo, probe.
Tr. Res palam 'st. Nunc te videre meliu 'st, quid agas, Tranio.
Th. Docte atque astute mihi captandum est cum illoc, ubi huc advenerit.
Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum: mittam lineam:
Dissimulabo me horum quidquam scire.
Tr. O mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.
Verba dare illi non magis hodie quisquam, quam lapidi, potest.
Aggrediar hominem: appellabo.
Th. Nunc ego, ille huc veniat, velim.
Tr. Siquidem, pol, me quæris, assum præsens præsenti tibi.
Th. Euge, Tranio! quid agitur?
Tr. Veniunt ruri rustici.
Philolaches iam hic aderit.
Th. Edepol, mihi opportune advenit.
Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum.
Tr. Quidum? *Th.* Qui negat novisse vos. *Tr.* Negat?
Th. Nec vos sibi
Nummum unquam argenti dedisse.
Tr. Abi; ludis me, credo: haud negat.
Th. Quid iam? *Tr.* Scio, iocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat.
Th. Immo, edepol, negat profecto; neque se has ædes Philolachi
Vendidisse. *Tr.* Eho! an negavit sibi datum argentum? obsecro.
Th. Quin iusiurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi,
Neque se hasce ædes vendidisse, neque sibi argentum datum.
Dixi ego istuc idem illi. *Tr.* Quid ait?
Th. Servos pollicitu' st dare

Suos mihi omnes quæstioni.
Tr. Nugas! Nunquam, edepol, dabit.
Th. Dat profecto. *Tr.* Quin et illum in ius iube ire.
Th. Iam mane
Experiar, ut opinor: certum est.
Tr. Mihi hominem cedo.
Th. Quid si igitur ego arcessam homines?
Tr. Factum iam esse oportuit:
Vel hominem iube ædes mancipio poscere.
Th. Immo, hoc primum volo,
Quæstioni accipere servos.
Tr. Faciundum, edepol, censeo. Ego
Interim hanc aram occupabo. *Th.* Quid ita?
Tr. Nullam rem sapis.
Ne enim illi huc confugere possint, quæstioni quos dabit,
Hic ego tibi præsidebo, ne interbitat quæstio.
Th. Surge. *Tr.* Minume. *Th.* Ne occupassis, obsecro, aram. *Tr.* Cur? *Th.* Scies.
Quia id enim maxume volo, ut illi istoc confugiant: sine.
Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.
Tr. Quod agis, id agas. Quid tu porro vis serere negotium?
Nescis tu, quam meticulosa res sit ire ad iudicem.
Th. Surgedum huc. Est consulere igitur quiddam quod tecum volo.
Tr. Sic tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens.
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.
Th. Surge, ne nugare: aspicedum contra me.
Tr. Aspexi. *Th.* Vides?
Tr. Video. Huc si quis intercedat tertius, pereat fame.
Th. Quidum? *Tr.* Quia nihil quæsti siet. Mali, hercle, ambo sumus.
Th. Perii! *Tr.* Quid tibi est? *Th.* Dedisti verba.
Tr. Qui tandem? *Th.* Probe
Me emunxti. *Tr.* Vide sis, satine recte? num mocci fluunt?
Th. Immo, etiam cerebrum quoque omnem e capite emunxti meum.
Nam omnia malefacta vostra reperi radicitus.
Non radicitus quidem, hercle, verum etiã eradicitus.
Nunquam, edepol, id hodie inultus designaveris; tibi
Iam iubebo ignẽ et sarmenta, carnufex, circumdari.
Tr. Ne faxis: nã elixus esse, quã assus, soleo suavior.
Th. Exempla, edepol, faciam ego in te.
Tr. Quia placeo, exemplum expetis.
Th. Loquere? quoiusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?
Tr. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
Th. Aliud te rogo.
Tr. Aliud ergo nunc tibi respondeo.
Sed, eccum, tui gnati sodalem video huc incedere
Callidamatẽ: illo præsente, mecũ agito, si quid voles.

SCENA II. *Callidamates, Theuropides, Tranio.*

C. Ubi somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam:
Philolaches venisse mihi suum peregre huc patrem,
Quoque modo hominem advenientem servos ludificatus siet,
Ait: sese metuere in conspectum illius occedere.
Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus,
Qui a patre eius conciliarẽ pacẽ: atque eccũ optume.
Iubeo te salvere: et, salvus cum advenis, Theuropides,
Peregre, gaudeo. Hic apud nos hodie cœnes.
Th. Sic talem,
Callidamate, Dii te ament; de cœna facio gratiam.
C. Quin venis?
Tr. Promitte: ego ibo pro te, si tibi non libet.
Th. Verbero! etiam irrides?
Tr. Quian' me pro te ire ad cœnam autumo?
Th. Non enim ibis. Ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem.
C. Age, mitte ista, et ito ad me ad cœnam.
Tr. Dic venturum. Quid taces?
C. Sed tu istuc quid confugisti in arã inscitissumus?
Tr. Adveniens perterruit me. Loquere nunc, quid fecerim:
Nunc utriusque disceptator, eccum, adest: age, disputa.
Th. Filiũ corrupisse aio te meũ. *Tr.* Ausculta modo.
Fateor peccavisse, amicam liberasse, absente te:
Fœnori argentum sumsisse, id esse absumtũ prædico.
Numquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?
Th. Hercle, mihi tecum cavendum 'st: nimis quam es orator catus.
C. Sine me dum istuc iudicare: surge, ego istic assedero.
Th. Maxume; accipito hanc ad te litem.
Tr. Enim istic captio est.
Fac, ego ne metuam igitur, et ut tu meã timeas vicẽ.
Th. Iã minoris omnia facio, præ quã quibus modis
Me ludificatus est.
Tr. Bene, hercle, factum; et factum gaudeo.
Sapere istac ætate oportet, qui sunt capite candido.
Th. Quid ego nunc faciam, si amicus Demipho, aut Philonides....
Tr. Dicito iis, quo pacto tuus te servos ludificaverit:
Optumas frustrationes dederis in comœdiis.
C. Tace parumper: sine vicissim me loqui: ausculta.
Th. Licet.
C. Omnium primum, sodalem me esse scis gnato tuo.
Is adiit me: nam illũ prodire pudet in conspectũ tuũ,
Propterea, quæ fecit, quia te scire scit. Nunc te obsecro,
Stultitiæ adolescentiæque eius ignoscas: tuus est.
Scis solere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quidquid fecit, nobiscum una fecit: nos deliquimus.
Fœnus, sortem, sumtumque omnem qui amica est, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, nostro sumtu, non tuo.
Th. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis,
Quam tu; neque illi sum iratus, neque quidquam succenseo.
Immo, me præsente amato, bibito, facito quod lubet:
Si hoc pudet fecisse, sumtum supplicii habeo satis.
C. Dispudet. *Tr.* Dat istã veniã: quid me fiet nunc iã?
Th. Verberibus cædere, lutum, pendens.
Tr. Tamen etsi pudet?
Th. Interimam, hercle, ego, si vivo.
C. Fac istam cunctam gratiam:
Tranioni remitte, quæso, hanc noxiam causa mea.
Th. Aliud quidvis impetrari a me facilius perferam,
Quam ut non ego istum, pro suis factis pessumis, pessum premam.
C. Mitte quæso istunc.
Th. Hem! viden' ut restat furcifer?
C. Tranio, quiesce, si sapis.
Th. Tu quiesce hanc rem modo
Petere: ego illũ verberibus, ut sit quietus, subegero.
C. Nihil opus est profecto. Age iã, sine te exorarier.

Th. Nolo ores. *C.* Quæso, hercle.
Th. Nolo, inquam, ores. *C.* Nequidquam nevis.
Hanc modo unam noxiam; unā, quæso, fac causa mea.
Tr. Quid gravaris? quasi non cras iam commeream aliam noxiam:
Ibi utrumque, et hoc et illud, poteris ulcisci probe.
C. Sine te exorem. *Th.* Age, abi, abi impune. Hem! · huic habeto gratiam.
Spectatores, fabula hæc est acta: vos plausum date.

PERSA

DRAMATIS PERSONÆ.

TOXILUS, } *servi.*	SOPHOCLIDISCA, *ancilla.*
SAGARISTIO, }	LEMNISELENA, *meretrix.*
SATURIO, *parasitus.*	PÆGNIUM, *puer.*
DORDALUS, *leno.*	VIRGO.

Argumentum (PRISCIANI?)

Profecto domino, suos amores Toxilus
Emit, atque curat, leno ut emittat manu.
Raptamque ut emeret de prædone virginem,
Subornata suadet sui parasiti filia;
Atque ita intricatum ludit potans Dordalum.

ACTUS I. SCENA I. *Toxilus, Sagaristio.*

T. Qui amans egens ingressus est princeps in amoris
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis: (via,
Nam cum leone, et cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quā cū amore: ita fio miser quærundo argento mutuo;
Nec quidquam, nisi, Non est, sciunt mihi respondere, quos rogo.
S. Qui hero suo servire volt bene servos servitutem,
Næ, edepol, illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atq; absenti suo.
Ego neque libenter servio, neque satis sum hero ex sententia:
Sed, quasi lippo oculo, me herus meus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mi imperet, quin me suis negotiis præfulciat.
Quis illic est, qui contra me astat?
T. Quis hic est, qui contra me astat?
Similis est Sagaristionis.
S. Toxilus hic quidem meus amicus est.
T. Is est profecto. *S.* Eum esse opinor.
T. Congrediar. *S.* Contra aggrediar.
T. O Sagaristio! Dii ament te!
S. O Toxile! dabunt Dii, quæ exoptes.
Ut vales? *T.* Ut queo. *S.* Quid agitur? *T.* Vivitur.
S. Satin' ergo ex sententia?
T. Si eveniunt quæ exopto, satis.
S. Nimis stulte amicis utere. *T.* Quid iam?
S. Quia iam imperare oportet.
T. Mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non visitavi.
S. Negotium, edepol, fuit. *T.* Ferreum fortasse.
S. Plusculum annum
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.
T. Vetus iam istæc militia 'st tua.
S. Satin' tu usque valuisti? *T.* Haud probe.
S. Ergo, edepol, palles.
T. Saucius factus sum: in Veneris prælio
Sagitta Cupido cor meum transfixit.
S. Iam servi hic amant?
T. Quid ergo faciam? Diisne advorser? quasi Titani, cum Diis belligerem,
Quibus sat esse non queam?
S. Vide modo, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.
T. Basilice agito eleutheria. *S.* Quid iam?
T. Quia herus peregre 'st. *S.* Ain' tu? peregre 'st?
T. Si tute tibi bene esse potes pati, veni; vives mecum;
Basilico accipiere victu. *S.* Vah, iā scapulæ pruriunt,
Quia te istæc audivi loqui.
T. Sed hoc me unum excruciat.
S. Quidnam id est? *T.* Hæc dies summa hodie est, mea amica sitne libera,
An sempiternam servitutem serviat.
S. Quid nunc vis ergo?
T. Facere amicum tibi me potis es sempiternum.
S. Quemadmodum?
T. Ut mihi des nummos sexcentos, quos pro capite illius pendam,
Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.
Age! si benignus; subveni.
S. Qua confidentia rogare tu a me argentum tantum audes,
Impudens? Quin, si egomet totus veneam, vix recipi potessit
Quod tu me rogas: nam tu aquam a pumice nunc postulas,
Qui ipsus sitiat. *T.* Siccine hoc te mihi facere?
S. Quid faciam? *T.* Rogasne?
Alicunde exora mutuū. *S.* Tu fac idē, quod rogas me.
T. Quæsivi: nusquam reperi.
S. Quæram equidem, si quis credat.
T. Nempe habeo in mundo.
S. Si id domi esset mihi, iam pollicerer:
Hoc meum 'st, ut faciam sedulo.
T. Quidquid erit, recipe te ad me.
S. Quære tamen. Ego item sedulo, si quid erit, faciam ut scias.
T. Obsecro te, resecro; operam da hanc mihi fidelem.
S. Ah! odio me enicas.
T. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.
S. At, pol, ego abs te concessero.
T. Iamne abis? bene ambulato.
Sed recipe te quam primum potes: cave fuas mihi in quæstione:
Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum.

SCENA II. *Saturio.*

Veterem atque antiquom quæstum meum alimoniæ
Servo atque obtineo, et magna cum cura colo.
Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos:
Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,
Quasi mures, semper edere alienum cibum;
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris Capitonibus.
Unde hunc ego quæstum obtineo et maiorum locum.
Neque quadruplari me volo: neque enim decet,
Sine meo periculo, ire aliena ereptum bona;
Neque illi, qui faciunt, mihi placent: plane loquor.
Nam publicæ rei causa quicumque id facit
Magis quam sui quæsti, animus induci potest,
Eum esse civem et fidelem et bonum.
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium: atque etiam mea lege adscribitor;
Ubi quadruplator quempiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rursus iniciat manum,

Ut æqua parti prodeant ad Treisviros;
Si id fiat, ne isti faxim usquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Ubi sunt magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo: visam hesternas reliquias,
Quieverint recte, necne: num infuerit febris,
Opertæne fuerint, ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur ædes; remorandu 'st gradus.

Scena III. *Toxilus, Saturio.*

T. Omnem rem inveni, ut sua sibi pecunia
Hodie illam faciat leno libertam suam.
Sed eccum parasitum, quoius mihi auxilio 'st opus.
Simulabo quasi non videam; ita alliciam virum.
Curate istic vos, atque approperate ocyus.
Ne mihi moræ sit quidquam, ubi ego intro advenero.
Commisce mulsum; struthea colutheaque appara,
Bene ut in scutris concaleant; et calamum inice.
Iam, pol, ille hic aderit, credo, congerro meus.
S. Me dicit; euge! *T.* Lautum credo a balneis
Iam hic affuturum. *S.* Ut ordine omnem rem tenet!
T. Collyræ facite ut madeant, et colliphia;
Ne mihi incocta detis. *S.* Rem loquitur meram.
Nihil sunt crudæ, nisi quas madidas gluties.
Tum, nisi cremore crasso est ius collyricum,
Nihil est macrum illud, epicrocum, pellucidum:
Quasi iuream esse ius decet collyricum.
Nolo, in vesicam quod eat, in ventrem volo.
T. Prope me hic nescio quis loquitur. *S.* O mi Iupiter
Terrestris! te coepulonus compellat tuus.
T. O Saturio! opportune advenisti mihi.
S. Mendacium, edepol, dicis; atque haud te decet:
Nam Esurio venio, non advenio Saturio.
T. At edis: nam iam intus ventris fumant focula.
Calefieri iussi reliquias. *S.* Pernam quidem
Ius est apponi frigidam postridie.
T. Ita fieri iussi. *S.* Ecquid alecis? *T.* Vah! rogas?
S. Sapis multum ad Genium.
T. Sed ecquid meministi, here
Qua de re ego tecum mentionem feceram?
S. Memini: ut murænа et conger ne calefierent:
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid cessamus prælium committere?
Dum mane 'st, omnes esse mortalis decet.
T. Nimis pæne mane 'st. *S.* Mane quod tu occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.
T. Quæso, animũ advorte: hoc enim iã here narravi tibi;
Tecumque oravi, ut nummos sexcentos mihi
Dares utendos mutuos. *S.* Memini et scio,
Et te me orare, et mihi non esse quod darem.
Nihili parasitus est, quoi argentum domi 'st.
Lubido extemplo cœpere 'st convivium,
Tuburcinari de suo, si quid domi 'st.
Cyuica esse e gente oportet parasitum probe:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat; inibi paullum præsidi,
Qui familis rem suam vitam oblectet modo.
T. Iam nolo argentum; filiam utendam tuam
Mihi da. *S.* Nunquam, edepol, quoiquam etiam utendam dedi.
T. Non ad istoc, quod tu insimulas.
S. Quid eam vis? *T.* Scies.
Quia forma lepida et liberali 'st. *S.* Res ita 'st.
T. Hic leno neque te novit, neque gnatam tuam.
S. Me ut quisquam norit, nisi ille, qui præbet cibũ?
T. Ita 'st. Hoc tu mihi reperire argentum potes.
S. Cupio, hercle. *T.* Tum tu me sine illam vendere.
S. Tun' illam vendas? *T.* Immo, alium allegavero,
Qui vendat, qui esse se peregrinum prædicet:
Siquidem hic leno nondum sex menses Megaribus
Huc est cum commigravit. *S.* Pereunt reliquiæ.
Posterius istuc tamen potest. *T.* Scin' quam potest?
Nunquã, hercle, hodie hic prius edis: ne (frustra sis)
Quam te hoc facturum, quod rogo, affirmas mihi.
Atque nisi gnatam tecum huc iam, quantum potest,
Adducis, exigam, hercle, ego te ex hac decuria.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturus sis?
S. Quæso, hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas. *T.* Hoc si facturu's, face.
S. Faciã equidẽ, quæ vis. *T.* Bene facis; propera; abi domum:
Præmonstra docte, præcipe astu filiæ,
Quid fabuletur, ubi se gnatam prædicet,
Qui sibi parentes fuerint, unde surrepta sit.
Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet:
Et ut affleat, cum ea memoret. *S.* Etiam tu taces?
Ter tanto peior ipsa 'st, quam illam tu esse vis.
T. Lepide, hercle, dicis: sed scin', quid facias? Cape
Tunicam atque zonam, et chlamydẽ afferto et caustã,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat.
S. Heu! probe.
T. Quasi sit peregrinus. *S.* Laudo.
T. Et tu tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.
S. Πόθεν ornamenta? *T.* Abs chorago sumito.
Dare debet: præbenda ædiles locaverunt.
S. Iam, faxo, hic aderunt: sed ego horum nihil scio.
T. Nihil, hercle, vero. Nam, ubi ego argentum accepero,
Continuo tu illam a lenone asserito manu.
S. Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.
T. Abi, et istuc cura. Interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonũ,
Me esse effecturum hodie. Nimia longum loquor.

Actus II. Scena I. *Sophoclidisca, Lemniselene.*

S. Satis fuit indoctæ, immemori, insipienti dicere toties.
Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam
Esse abs te. Quamquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi simul bibere
Una. Me quidem iam satis tibi spectatam censueram esse, et meos mores:
Nam equidem te iam sector quintum hunc annum; cum interim, credo,
Cuculus si in ludum iret, potuisset iam fieri, ut probe literas sciret;
Cum interim tu meum ingenium fans non edidicisti, atque infans.
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? memini, et scio, et calleo, et commemini.
Amas, pol, misera: id tuus scatet animus. Ego istuc placidum tibi
Ut sit, faciam. *L.* Miser est, qui amat.
S. Certo is quidem nihili est, qui nihil amat: quid ei homini opus vita est?
Ire decet me, ut heræ obsequens fiam, libera mea opera ocyus ut sit.
Conveniam hunc Toxilum: eius aures, quæ mandata sunt, onerabo.

Scena II. *Toxilus. Pægnium, Sophoclidisca.*

T. Satin' hæc tibi sunt plana et certa? satin' hæc meministi et tenes?
P. Melius, quam qui docuisti.
T. Ain' vero, verbereum caput?
P. Aio enimvero. *T.* Quid ergo dixi?
P. Ego recte apud illam dixero.

T. Non, edepol, scis. *P.* Da, hercle, pignus, ni omnia memini et scio.
T. Equidem, si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu,
Eo dem pignus tecum. *P.* Audacter, si lubido est perdere.
T. Bona pax sit potius. *P.* Tum tu igitur sine me ire.
T. Et iubeo et sino.
Sed ita volo te curare, ut domi sis, cum ego te esse illi censeam.
P. Faciam. *T.* Quo ergo is nunc? *P.* Domum; uti domi sim, cum illi censeas.
T. Scelus tu pueri es: atque, ob istam rem, ego aliquid te peculiabo.
P. Scio, fidei, hercle, herili ut soleat impudicitia opprobrari.
Nec subigi queantur unquam, ut pro ea fide habeant iudicem.
T. Abi modo. *P.* Ego, laudabis, faxo.
T. Sed has tabellas, Pægnium,
Ipsi Lemniselenæ fac des; et, quæ iussi, nuntiato.
S. Cesso ire ego, quo missa sum?
P. Eo ego. *T.* I sane: ego domum ibo. Face rem hanc cum cura geras.
Vola curriculo. *P.* Istuc marinus passer per Circum solet.
Illic abiit hinc intro huc: sed quis hæc, quæ me adversum incedit?
S. Pægnium hic quidem est.
P. Sophoclidisca hæc peculiaris est eius,
Quo ego sum missus. *S.* Nullus esse hodie hoc puero peior perhibetur.
Compellabo. *P.* Commorandum 'st mihi apud hanc obicem.
S. Pægnium, deliciæ pueri, salve! quid agis? ut vales?
P. Sophoclidisca, Dii me amabunt. *S.* Quid me? utrum? *P.* Hercle, nescio.
Sed, si, ut digna es, faciant, odio, hercle, habeant, et faciant male.
S. Mitte male loqui. *P.* Cum, ut digna es, dico, bene, non male, loquor.
S. Quid agis? *P.* Fœminam scelestam te astans contra contuor.
S. Certe equidem puerum peiorem, quam te, novi neminem.
P. Quid mali facio? aut cui male dico?
S. Cui, pol, cumque occasio est.
P. Nemo homo unquam ita arbitratus est.
S. At, pol, multi esse ita sciunt.
P. Heia! *S.* Heia! *P.* Tuo ex ingenio mores alienos probas.
S. Fateor ego profecto me esse, ut decet lenonis familiæ.
P. Satis iam dictum habeo. *S.* Sed quid tu? confitere, ut te autumo?
P. Fatear, si ita sim. *S.* Iam abi; vicisti. *P.* Abi nunc iam. *S.* Ergo hoc mihi expedi,
Quo agis? *P.* Quo tu? *S.* Dic tu: prior rogavi.
P. At post scies.
S. Eo ego hinc haud longe. *P.* Et quidem ego haud longe. *S.* Quo ergo, scelus?
P. Nisi sciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, scies.
S. Nunquam, ecastor, hodie scibis, priusquam ex te audivero.
P. Itane est? *S.* Itane est? *P.* Mala es. *S.* Scelestu 's.
P. Decet me. *S.* Me quidem haud decet.
P. Quid ais? certumne 'st celare, quo iter facias, pessuma?
S. Offirmastin' occultare, quo te immittas, pessume?
P. Par pari respondes dicto: abi iam, quando ita certa res est.
Nihili facio scire. Valeas. *S.* Asta. *P.* At propero.
S. Et, pol, ego item.
P. Ecquid habes? *S.* Ecquid tu? *P.* Nihil equidem.
S. Cedo manum ergo. *P.* Estne hæc manus?
S. Ubi illa altera est furtifica læva?
P. Domi: eccam, huc nullam attuli.
S. Habes nescio quid. *P.* Ne me attrecta, subagitatrix. *S.* Sin te amo?
P. Male operam locas. *S.* Qui? *P.* Quia enim nihil amas, cum ingratum amas.
S. Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam;
Ne, ubi capillus versipellis fiat, fœde semper servias
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo.
P. At confidentia
Illa militia militatur multo magis, quam pondere.
Atque ego hanc nunc operam perdo. *S.* Quid iam?
P. Quia peritæ prædico.
Sed ego cesso. *S.* Mane. *P.* Molesta es.
S. Ero quoque, nisi scio,
Quo agas te. *P.* Ad vos. *S.* Et, pol, ego ad vos.
P. Quid eo? *S.* Quid id ad te attinet?
P. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio.
S. Odiosus es. *P.* Lubet.
Nunquam, hercle, istuc exterebrabis tu, ut sis peior, quam ego siem.
S. Malitia certare tecum, miseria 'st.
P. Merx tu mala es.
S. Quid est, quod metuas? *P.* Idem istuc, quod tu.
S. Dic ergo, quid est?
P. Ne hoc cuiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius.
S. Et edictum 'st magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem;
Omnes muti ut loquerentur prius hoc, quam ego. At tu hoc face:
Fide data credamus.
P. Novi. Omnes sunt lenæ levifidæ:
Neque tippulæ levius pondus est, quam fides lenonia
S. Dic, amabo. *P.* Dic, amabo. *S.* Nolo ames.
P. Facile impetras.
S. Tecum habeto. *P.* Et tu hoc taceto. *S.* Tacitū erit
P. Celabitur.
S. Toxilo has fero tabellas tuo hero.
P. Abi: eccillum domi.
At ego hanc ad Lemniselenem tuam heram obsignatam abietem.
S. Quid istic scriptum?
P. Iuxta tecum, si tu nescis, nescio;
Nisi fortasse blanda verba. *S.* Abeo. *P.* At ego abiero.
S. Ambula.

SCENA III. *Sagaristio.*

Iovi opulento, inclyto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor;
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiā
Danunt argenti mutui, ut egenti opem afferam:
Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam,
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cœlo:
Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves uti sibi mercarer:

Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit esse die septimi.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, cuius ingenium noverat.
Nam hoc argentum alibi abutar. Boves, quos emerem, non erant.
Nunc et amico meo prosperabo, et Genio meo multa bona faciam.
Diu quod bene erit, die uno absolvam. Tax, tax, tergo meo erit! non curo.
Nunc amico homini bonus domitis mea ex crumena largiar.
Nam id demum lepidum 'st, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinū servo obsignant cū sale.
Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere. Quid faciet mihi?
Verberibus cædi iusserit; compedes impoui. Vapulet!
Ne sibi me credat supplicem fore. Væ illi! mihi iam nil novi
Offerri potest, quin sim peritus: sed Toxili puerum Pægnium eccum.

SCENA IV. *Pægnium, Sagaristio.*

P. Pensum meum, quod datum 'st, confeci: nunc propero domum. *S.* Mane; etsi
Properas, Pægnium, ausculta.
P. Emere oportet, quem tibi obedire velis.
S. At sta. *P.* Exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam,
Qui nunc sic tam es molestus.
S. Scelerate, etiam respicis?
P. Scio ego, quid sim ætatis; eo istuc maledictum impune auferes.
S. Ubi Toxilus est tuus herus?
P. Ubi illi libet: neque te consulit.
S. Etiamne dicis, ubi sit, venefice?
P. Nescio, inquam, ulmitriba tu.
S. Maledicis maiori? *P.* Prior promeritus, perpetiare.
Servam operam, linguam liberam, herus me iussit habere.
S. Dicisne mihi, ubi sit Toxilus?
P. Dico, ut perpetuo pereas.
S. Cædere hodie tu restibus.
P. Tua quidem, cucule, causa?
Non, hercle, si os perciderim tibi, metuam, morticine.
S. Video ego te; iam incubitatus es.
P. Ita sum: quid id attinet ad te?
At non sum ita, ut tu, gratiis. *S.* Confidens!
P. Sum, hercle, vero.
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speras.
S. Potin', ut molestus ne sies?
P. Quod dicis, facere non quis.
S. Abi in malam rem. *P.* At tu domum: nam ibi tibi parata præs est.
S. Vadatur hic me. *P.* Utinam vades desint, in carcere ut sis!
S. Quid hoc? *P.* Quid est? *S.* Etiam, scelus, male loquere? *P.* Tandem ut liceat,
Cum servos sis, servom tibi maledicere.
S. Itane? specta.
Quid dedero. *P.* Nihil: nam nihil habes.
S. Dii Deæque me omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.
P. Amicus sum; eveniant volo tibi quæ optas, atque id fiat.
Tu me defigas? Te cruci ipsū propediem affigent alii.
S. Quin te Dii Deæque! Scis quid hinc porro dicturus fuerim,
Ni linguæ moderari queam. Potin' abeas?
P. Abigis facile:
Nam umbra mea intus vapulat.
S. Ut istunc Dii Deæque perdant!
Tamquam proserpens bestia, est bilinguis et scelestus.
Hercle, illum abiisse gaudeo. Fores aperite. Eccere autem,
Quē couveuire maxume cupiebam, egreditur intus.

SCENA V. *Toxilus, Sagaristio, Sophoclidisca.*

T. Paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum;
Iubeto habere animum bonum; dic me illam amare multum:
Ubi se allevat, ibi me allevat. Quæ dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes? *So.* Magis calleo, quam aprugnum callum callet.
T. Propera, abi domum.
Sa. Nunc ego huic graphice facetus fiam.
Subuixis alis me inferam; atque amicibor gloriose.
T. Sed quis hic ansatus ambulat?
Sa. Magnifice conscreabor.
T. Sagaristio hic quidem est. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi? estne quid in te speculæ?
Sa. Adito.
Videbitur; factum volo: venito: præmoneto.
T. Quid hoc hic in collo tibi tumet?
Sa. Vomica 'st; pressare parce;
Nam, ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
T. Quando istæc innata 'st nam tibi? *Sa.* Hodie.
T. Secari iubeas.
Sa. Metuo, ne immaturam secem, ne exhibeat plus negoti.
T. Inspicere morbum tuum lubet.
Sa. Abi, atque cave sis
A cornu *T.* Quid iam? *Sa.* Quia boves bini hic sunt in crumena
T. Emitte, sodes, ne enices fame; sine ire pastum.
Sa. Enim metuo, ut possim in bubilem reiicere, ne vagentur.
T. Ego reiiciam. Habe animum bonum.
Sa. Creditur; commodabo.
Sequere hac sis. Argentum hic est, quod me dudum rogasti.
T. Quid tu ais? *Sa.* Dominus me boves mercatum Eretriam misit.
Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus.
T. Nimia tu facete loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nā iam omnes sycophantias instruxi et comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum.
Sa. Tanto melior.
T. Et mulier ut sit libera, atque ipse ultro det argentum.
Sed sequere me: ad eam rem usus est tua mihi opera.
Sa. Utere, ut vis.

ACTUS III. SCENA I. *Saturio, Virgo.*

S. Quæ res bene vortat mihi et tibi et ventri meo,
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo,
Ut mihi supersit, suppetat, superstitet;
Sequere hac, mea gnata, me, cum Diis volentibus.

Quoi rei opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.
Ea causa ad hoc exemplum te exornavi ego.
Venibis tu hodie, virgo. *V.* Amabo, mi pater!
Quamquam libenter escis alienis studes,
Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?
S. Mirum, quin regis Philippi causa, aut Attali,
Te potius vendam, quam mea, quæ sis mea.
V. Utrum tu pro ancilla me habes, an pro filia?
S. Utrum, hercle, magis in ventris rem videbitur.
Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi 'st.
V. Tua istæc potestas est, pater. Verumtamen,
Quamquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modice et modeste meliu 'st vitam vivere:
Nam, si ad paupertatem admigrant infamiæ,
Gravior paupertas fit, fides sublestior.
S. Enimvero odiosa es. *V.* Non sum; neque me esse
Cum, parva natu, recte præcipio patri. (arbitror,
Nam inimiei famam non ita, ut nata est, ferunt.
S. Ferant, eantque in maxumam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æstimo,
Quam mensa inanis nunc si apponatur mihi.
V. Pater, hominum immortalis est infamia:
Etiam tum vivit, cum esse credas mortuam.
S. Quid? metuis, ne te vendam? *V.* Non metuo, pater.
Verum insimulari nolo. *S.* At nequidquam nevis.
Meo modo istud potius fiet, quam tuo
Fiat. Quæ hæ res sunt? *V.* Cogita hoc verbum, pater:
Herus si minatus est malum servo suo;
Tametsi id futurū non est, ubi captum'st flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria!
Ego nunc, quod non futurum 'st, formido tamen.
S. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ præter sapiet, quam placet parentibus.
V. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri pervorse videt.
S. Malo cavere meliu 'st te. *V.* At, si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
S. Malusne ego sum? *V.* Non es: neque me dignum 'st dicere:
Verum ei rei operam do, ne alii dicant, quibus licet.
S. Dicat, quod quisque volt: ego de hac sententia
Non demovebor. *V.* At, meo si liceat modo,
Sapienter potius facias, quam stulte. *S.* Lubet.
V. Lubere per me tibi licere intellego:
Verum lubere haud lubeat, si liceat mihi.
S. Futura es dicto obediens, an non, patri?
V. Futura. *S.* Scis nā, tibi quæ præcepi? *V.* Omnia.
S. Et id, ut surrepta fueris? *V.* Docte calleo.
S. Et qui parentes fuerint? *V.* Habeo in memoria.
Necessitate me, mala ut fiam, facis.
Verum videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.
S. Tace, stulta. Non tu nunc hominum mores vides?
Quoiusmodi hic cum fama facile nubitur.
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.
V. Ergo istuc facito, ut veniat in mentem tibi,
Me esse indotatam. *S.* Cave sis tu istuc dixeris.
Pol, Deum virtute dicam, et maiorum meum,
Ne te indotatam dicas, quoi dos sit domi.
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc accurassis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omnes; nullum Siculum acceperis:
Cum hac dota poteris vel mendico nubere.
V. Quin tu me ducis, si quo ducturu 's, pater?
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
S. Bonum æquumque oras. Sequere hac.
V. Dicto sum audiens.

SCENA II. *Dordalus.*

Quidnam esse acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi iuratu 'st sese hodie argentum dare?
Quod si non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille iusiurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris. Quisnam egreditur foras?

SCENA III. *Toxilus, Dordalus.*

T. Curate istuc intus: iam ego domum me recipiam.
D. Toxile, quid agitur? *T.* Eho! lutum lenonium,
Commictum cœnum, sterquilinium publicum!
Impure, inhoneste, iniure, illex, labes popli!
Pecuniæ accipiter, avide atque invide!
Procax, rapax, trahax! Trecentis versibus
Tuas impuritias traloqui nemo potest.
Accipin' argentum? accipe sis argentum, impudens,
Tene sis argentum: etiam tu argentum tenes?
Possum te facere, ut argentum accipias, lutum?
Qui, nisi iurato mihi, nihil ausu 's credere.
D. Sine respirare me, tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitricium!
Scortorum liberator, subiculum flagri,
Compedium tritor, pistrinorum civitas!
Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax! (dens:
Cedo sis mihi argentum: da mihi argentum, impu-
Possum a te exigere argentum? argentum, inquam,
Quin tu mi argentum reddis? nilne te pudet? (cedo.
Leno te argentum poscit, solida servitus,
Pro liberanda amica, ut omnes audiant.
T. Tace, obsecro, hercle; næ, tua vox valide valet!
D. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio sal præbibetur, quo tibi.
Nisi me hæc defendet, nunquam delinget salem.
T. Iam omitto iratus esse. Id tibi succensui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
D. Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii:
Ubi quid credideris, citius extemplo a foro
Fugiunt, quā ex porta, ludis, cum emissu 'st lepus.
T. Cape hoc sis. *D.* Quin das? *T.* Nummi sexcenti hic erunt
Probi, numerati: fac sit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. *D.* Iam, faxo, hic erit.
Non, hercle, cui nunc hoc dem spectandum, scio.
T. Fortasse metuis in manum concredere.
D. Mirum: quin citius iam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.
T. Abi istac avorsis angiportis ad forum;
Eadem istæc facito mulier ad me transeat
Per hortum. *D.* Iam hic, faxo, aderit.
T. At ne propalam.
D. Sapienter sane. *T.* Supplicatum cras eat.
D. Ita, hercle, vero. *T.* Dum stas, reditum oportuit.

ACTUS IV. SCENA I. *Toxilus.*

Si quam rem accures sobrie aut frugaliter,
Solet illa recte sub manus succedere.
Atque, edepol, ferme ut quisque rem accurat suam,
Sic ei procedunt post principia denique.
Si malus aut nequam 'st, male res vortunt, quas agit:
Sin autem frugi 'st, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facete et callide:
Igitur proventuram bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Ut ipsus sese, qua se expediat, nesciat.
Sagaristio, heus! exi, atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu attulisti ab hero meo usque e Persia.

SCENA II. *Sagaristio, Toxilus.*

S. Numquid moror? *T.* Euge! euge! ornatu's basilice!
Tiara ornatum lepide condecorat tuum.
Tum hanc hospitā autē crepidula ut graphice decet!
Sed satin' estis meditati? *S.* Tragici et comici
Nunquam æque sunt meditati. *T.* Lepide, hercle, adiuvas.
S. Age, illuc abscede procul e conspectu, et tace.
Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus: nunc agite, ite vos.

SCENA III. *Dordalus, Toxilus.*

D. Cui homini Dii propitii sunt, aliquid obiiciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci binos panes in dies;
Ita, ancilla mea quæ fuit hodie, sua nunc est: argento vicit:
Iam hodie alienum cœnabit; nihil gustabit de meo.
Sumne probus? sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem
Maxumam maiorem feci, atque auxi civi fœmina?
Sed ut ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!
Nec satis a quiquam homine accepi: ita prorsum credebam omnibus.
Nec metuo, quibus credidi hodie, ne quis mihi in iure abiurassit.
Bonus volo iam ex hoc die esse; quod neque fiet, neque fuit.
T. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis;
Itaq; huic insidiæ paratæ sunt probe. Aggrediar virū.
Quid agis? *D.* Credo. *T.* Unde agis te, Dordale?
D. Credo tibi.
T. Dii dent, quæ velis. Eho! an iam manu emisisti mulierem?
D. Credo, pol, credo, inquam, tibi. *T.* Iam liberta auctus es? *D.* Enicas.
Quin tibi me dico credere. *T.* Dic bona fide: iam libera 'st?
D. I, i ad forum, ad prætorem, exquire; siquidem credere mihi non vis.
Libera, inquam, est: ecquid audis?
T. At tibi Dii benefaciant omnes.
Nunquam enim posthac tibi, nec tuorum, quod nolis, volam.
D. Abi; ne iura: satis credo. *T.* Ubi nunc tua liberta 'st? *D.* Apud te. *T.* Ain'?
Apud me est? *D.* Aio, inquam: apud te est, inquam.
T. Ita me Dii ament, ut, ob istam rem,
Tibi multa bona instant a me: nam est res quædam, quam occultabam
Tibi dicere: nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum facias.
Faciam, ut mei memineris, dum vitam vivas.
D. Benedictis
Tuis benefacta aures meæ auxilium expostulant.
T. Tuum promeritum 'st, merito ut faciam: et, ut me scias esse facturum,
Tabellas tene has: pellege. *D.* Hæ quid ad me?
T. Immo, ad te attinent,
Et tua refert: nam e Persia ad me allatæ modo sunt istæ a meo domino.
D. Quando? *T.* Haud dudum. *D.* Quid istæc narrant?
T. Percontare ex ipsis.
Ipsæ tibi narrabunt. *D.* Cedo sane mihi.
T. At clare recitato.
D. Tace dum pellego. *T.* Haud verbum faciam.
D. » Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni. Si valetis, gaudeo.
Ego valeo recte, et rem gero, et facio lucrum.
Neque istu redire his octo possum mensibus:
Itaque hic est, quod me detinet, negotium.
Eleusipolim Persæ cepere urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atque antiquom oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus: ea res me domo expertem facit.
Operam atque hospitium ego isti præhiberi volo,
Qui tibi tabellas affert: cura, quæ is volet:
Nam is mihi honores suæ domi habuit maxumos. »
Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persæ quid rerum gerant,
Aut quid herus tuus? *T.* Tace, stultiloque: nescis, quid instet boni.
Nequidquam tibi Fortuna faculam lucrificam allucere volt.
D. Quæ istæc Fortuna lucrifica 'st?
T. Istas, quæ norunt, roga.
Ego tantumdem scio, quantum tu, nisi quod pellegi prior.
Sed, ut occœpisti, ex tabellis nosce rem.
D. Bene me mones:
Fac silentium. *T.* Nunc ad illud venies, quod refert (tua.
D. Iste, qui tabellas affert, adduxit simul
Forma expetenda liberalem mulierem,
Furtivam, advectam ex Arabia penitissuma:
Eam te volo accurare, ut istic veneat,
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancupio neque promittet, neque quisquam dabit.
Probum et numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura; et hospes cura ut curetur. Vale.
T. Quid igitur? postquam recitasti, quod erat ceræ creditum,
Iam mihi credis? *D.* Ubi nunc ille 'st hospes, qui hasce attulit?
T. Iam hic, credo, aderit: arcessit illam a navi.
D. Nihil mihi opu 'st
Litibus, neque tricis; quam ob rem ego argentum numerem foras.
Nisi mancupio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
T. Tacen, an non taces? Nunquam ego te tam esse matulam credidi.
Quid metuis? *D.* Metuo, hercle, vero: sensi ego iam compluries:
Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto hæream.
T. Nihil periculi videtur. *D.* Scio istuc; sed metuo mihi.
T. Mea quidem istuc nihil refert; tua ego refero gratia,
Ut tibi recte conciliandi primo facerem copiam.
D. Gratiam habeo: sed te de aliis, quam alios de te suaviu 'st
Fieri doctos. *T.* Ne quis vero ex Barbaria penitissuma
Persequatur: Etiam tu illam destinas? *D.* Videā modo
Mercimonium. *T.* Æqua dicis. Sed optume, eccum, ipse advenit
Hospes ille, qui has tabellas attulit. *D.* Hiccine 'st?
T. Hic est.
D. Hæccine illa 'st furtiva virgo?
T. Iuxta tecum æque scio;
Nisi quia aspexi. Equidem, edepol, liberali 'st, quisquis est.
D. Sat, edepol, concinna 'st facie.
T. Ut contemtim carnufex!
Taciti contemplemur formam.
D. Laudo consilium tuum

Scena IV. *Sagaristio, Virgo, Toxilus, Dordalus.*

S. Satin' Athenæ tibi visæ fortunatæ atque opiparæ?
V. Urbis speciem vidi; hominum mores perspexi parum.
T. Numquid in principio cessavit verbum docte dicere?
D. Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.
S. Quid id, quod vidisti? ut munitum muro tibi visum 'st oppidum?
V. Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror.
Perfidia et Peculatus ex orbe et Avaritia si exsulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,
Septimum Periurium... *T.* Euge!
V. Octava Indiligentia;
Nona Iniuria: decimum, quod pessumum aggressu, Scelus:
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum 'st.
T. Quid ais tu? *D.* Quid vis?
T. Tu in illis ei decem sodalibus:
Te in exilium ire hinc oportet. *D.* Quid iam?
T. Quia periurus es.
D. Verba quidem haud indocte fecit.
T. Ex tuo, inquam, usu est: eme hanc.
D. Edepol, qui cum hanc magis contemplo, magis placet. *T.* Si hanc emeris,
Dii immortales! nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.
Cum optumis viris rem habebis: gratiam cupient tuam:
Venient ad te comissatum. *D.* At ego intromitti non sinam.
T. At enim illi noctu occentabunt ostium; exurent fores:
Proinde tu tibi iubeas concludi ædes foribus ferreis;
Ferreas ædes commutes; limina indas ferrea;
Ferream seram atque anulum: ne, si ferro parseris,
Ferreas tute tibi impingi iubeas crassas compedes.
D. I in malum cruciatum. *T.* I sane; hanc eme, atque ausculta mihi.
D. Modo ut sciam, quanti indicet. *T.* Vin' huc vocem? *D.* Ego illo accessero.
T. Quid ais, hospes? *S.* Venio; adduco hanc, uti dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit: venire hanc volo,
Si potest: si non potest, ire hinc volo, quantum potest.
D. Salvos sis, adolescens. *S.* Siquidem hanc vendidero pretio suo.
T. Atqui aut hoc emtore vendes pulchre, aut alio non potes.
S. Esne tu huic amicus? *T.* Tamquam Dii omnes, qui cœlum colunt.
D. Tum tu mihi es inimicus certus: nam generi lenonio
Numquam ullus Deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
S. Hoc age: opusne 'st hac tibi emta?
D. Si tibi venisse 'st opus,
Mihi quoque emta est; si tibi subiti nihil est, tantumdem 'st mihi.
S. Indica, fac pretium. *D.* Tua merx est; tua indicatio 'st.
T. Æquom hic orat. *S.* Vin' bene emere?
D. Vin' tu pulchre vendere?
T. Ego scio, hercle, utrumque velle.
D. Age, indica prognariter.
S. Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. Iam scis? *D.* Scio.
Indica, minimo, daturus qui sis, qui duci queat.
T. Tace, tace. Nimis tu quidem, hercle, homo stultus es pueriliter.
D. Quid ita? *T.* Quia enim te ex puella prius percontari volo,
Quæ ad rem referunt. *D.* Et quidem, hercle, tu me monuisti haud male.
Vide sis; ego ille doctus leno pæne in foveam decidi,
Ni hic adesses. Quantum 'st adhibere hominem amicum, ubi quid geras!
T. Quo genere, aut qua in patria sit nata, aut quibus parentibus;
Ne temere hanc te emisse dicas suasu atque impulsu meo.
Nisi molestum 'st, percontari hanc paucis hic volt.
S. Maxume,
Suo arbitratu. *T.* Quid stas? abi tute, atque ipse itidem roga,
Ut tibi percontari liceat, quæ velis: etsi mihi
Dixit dare potestatem eius: sed ego te malo tamen
Eum ipsum adire, ut ne contemnat te ille.
D. Satis recte mones.
Hospes, volo ego hanc percontari.
S. A terra ad cœlum, quid lubet
Percontare; exquire quid vis.
T. Age, age nunc tu: i præ: vide,
Ut ingrediare auspicato. *D.* Liquidū 'st auspicium.
T. Tace.
Concede sis: iam ego illam adducam. *D.* Age, ut rem esse in nostram putas.
T. Sequere me. Adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier.
D. Enim volo te adesse. *T.* Haud possum, quia huic operam dem hospiti,
Quoi herus iussit. Quid si hic non volt me adesse una? *S.* Immo, i modo.
T. Do ego tibi operam. *D.* Tibi ibidem das, ubi tu tuum amicum adiuvas.
T. Exquire. Heus tu! advigila. *V.* Satis est dictum: quamquam ego serva sum,
Scio ego officium meum, ut, quæ rogitet, vera, ut accepi, eloquar.
T. Virgo, hic homo probu 'st. *V.* Credo.
T. Non diu apud hunc servies.
V. Ita, pol, spero, si parentes facient officium suum.
D. Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam, aut parentes.
V. Cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mihi interdixit, ne quid mirer meum
Malum. *T.* Dii istam perdant! ita cata est et callida.
Habet cor! quam dicit, quod opu 'st!
D. Quid nomen tibi est?
T. Nunc metuo, ne peccet.
V. Lucridi nomen in patria fuit.
T. Nomen atque omen quantivis est preti. Quin tu hanc emis?
Nimis pavebam, ne peccaret: expedivit.
D. Si te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te.
T. Tu si hanc emeris,
Nunquam, hercle, hunc mensem vortentem, credo, servibit tibi.
D. Ita velim quidem; hercle.

T. Optata ut eveniant, operam addito.
Nihil adhuc peccavit etiam. *D.* Ubi tu nata es?
V. Ut mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad lævam manum.
T. Hæc erit tibi fausta meretrix: nata 'st in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia 'st sæpissume.
Tactus est leno, qui rogarat, ubi nata esset, diceret.
Lepide lusit. *D.* At ego patriam te rogo, quæ sit tua.
V. Quæ mihi sit, nisi hæc, ubi nunc sum?
D. At ego illam quæro, quæ fuit.
V. Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit:
Tamquam hominem, quando animam efflavit, quid eum quæras qui fuit?
T. Ita me Dii bene ament, sapienter! atque equidem miseret tamen.
D. Sed tamen, virgo, quæ patria 'st tua? age, mihi actutum expedi. Quid taces?
V. Dico equidem patriam. Quandoquidem hic servio, hæc patria 'st mea.
T. Iam de istoc rogare omitte. Non vides nolle eloqui,
Ne suarum se miseriarum in memoriam inducat?
D. Quid est?
Captusne 'st pater? *V.* Non captus: sed, quod habuit, id perdidit.
T. Hæc erit bono genere nata: nihil scit, nisi verum, loqui.
D. Quis fuit? dic nomen. *V.* Quid illum miserum memorem, qui fuit?
Nunc et illum Miserū et me Miseram æquom 'st nominarier.
D. Quoiusmodi is in populo habitu 'st:
V. Nemo quisquam acceptior:
Servi liberique amabant. *T.* Hominem miserum prædicas,
Cum ipsus prope perditu 'st, et benevolentis perdidit.
D. Emam, opinor. *T.* Etiam, opinor?
D. Summo genere esse arbitror.
T. Divitias tu ex istac facies. *D.* Ita Dii faxint.
T. Eme modo.
V. Iam hoc tibi dico: iam actutum, ecastor, meus pater, ubi me sciet
Venisse huc, aderit hic, et me absentem redimet.
T. Quid nunc? *D.* Quid est?
T. Audin' quid ait? *V.* Nam, etsi res sunt fractæ, amici sunt tamen.
D. Ne sis plora: libera eris actutum, si crebro cades.
Vin' mea esse? *V.* Dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.
T. Satin' ut meminit libertatis! dabit hæc tibi grandes bolos.
Age, si quid agis: ego ad hunc redeo: sequere; reduco hanc tibi.
D. Adolescens, vin' vendere istanc?
S. Magis lubet, quam perdere.
D. Tū tu pauca in verba confer: quid datur, tanti indica.
S. Faciam ita, ut te velle video. Ut emas, habe tibi centum minis.
D. Nimium 'st. *S.* Octoginta. *D.* Nimium 'st.
S. Nummus abesse hinc non potest,
Quod nunc dicam. *D.* Quid id est ergo? eloquere actutum, atque indica.
S. Tuo periculo sexaginta hæc datur argenti minis.
D. Toxile, quid ago?
T. Dii Deæque te agitant irati, scelus,
Qui hanc non properes destinare. *D.* Habeto.
T. Heu! prædatu 's probe!
Abi; argentum effer huc.
Non, edepol, minis trecentis cara 'st: fecisti lucri.
S. Heus tu! etiam pro vestimentis huc decem accedent minæ.
D. Abscedent enim, non accedent.
T. Tace sis! Non tu illum vides
Quærere ansam, infectum ut faciat? Abisne, atque argentum petis?
D. Heus tu! serva istum. *T.* Quin tu is intro?
D. Abeo, atque argentum affero.

SCENA V. *Toxilus, Sagaristio, Virgo.*

T. Edepol, dedisti, Virgo, operam allaudabilem,
Probam et sapientem et sobriam. *V.* Si quid bonis
Boni fit, esse idem et grave et gratum solet.
T. Audin' tu, Persa? ubi argentum ab hoc acceperis,
Simulato, quasi eas prorsum in navem. *S.* Ne doce.
T. Per angiportum rursum te ad me recipito
Illac per hortum. *S.* Quod futurum 'st, prædicas.
T. At, ne cum argento protinam permutes domum,
Moneo te. *S.* Quod te dignum 'st, me dignum esse vis.
T. Tace! parce voci! præda progreditur foras.

SCENA VI. *Dordalus, Sagaristio, Toxilus, Virgo.*

D. Probati hic argenti sunt sexaginta minæ,
Duobus nummis minus est. *S.* Quid ei nummi sciunt?
D. Crumenam hanc emere, aut facere, ut remigret domum.
S. Ne non sat esses leno, id metuebas, miser,
Impure, avare, ne crumenam amitteres?
T. Sine, quæso. Quando leno 'st, nil mirum facit.
D. Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem:
Nil mi tam parvi 'st, quin me id pigeat perdere.
Age, accipe hoc sis. *S.* Hunc in collum, nisi piget,
Impone. *D.* Vero fiat. *S.* Numquid cæterum
Me voltis? *T.* Quid tam properas? *S.* Ita negotiū 'st.
Mandata quæ sunt, volo deferre epistolas.
Geminum autem fratrem servire audivi hic meum:
Eum ego ut requiram atque ut redimam, volo.
T. Atque, edepol, tu me commonuisti haud male.
Videor vidisse hic forma persimilem tui,
Eadem statura. *S.* Quippe qui frater siet.
D. Sed scire velimus, quod tibi nomen siet.
T. Quid attinet nos scire? *S.* Ausculta ergo, ut scias:
Vaniloquidorus, Virginisvendonides,
Nugipolyloquides, Argentiexterebronides,
Tedigniloquides, Nummorumexpalponides:
Quodsemelarripides, Numquampostreddides.
D. Heu! hercle, nomen multis modis scriptum 'st (tuum!
S. Ita sunt Persarum mores; longa nomina
Contortiplicata habemus. Numquid cæterum
Voltis? *D.* Vale. *S.* Et vos: nam animus in navi 'st (meus.
D. Cras ires potius; hodie hic cœnares. Vale.

SCENA VII. *Toxilus, Dordalus, Saturio, Virgo.*

T. Postquam illic abiit, dicere hic quidvis licet.
Næ, hic tibi dies illuxit lucrificabilis!
Nam non emisti hanc, verum fecisti lucri.
D. Ille quidem iam scit, quid negoti gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.
Argentum accepit, abiit. Quid ego nunc scio,
An iam asseratur hæc manu? quo illum sequar?
In Persas? nugas! *T.* Credidi gratum fore (tiam
Beneficium meum apud te. *D.* Immo, equidem gra-
Tibi, Toxile, habeo: nam sensi te sedulo
Mihi dare bonam operā. *T.* Tibin' ego? immo, [serio.]

D. Atat! oblitus sum intus dudū edicere, (quidem.
Quæ volui edicte. Asserva hanc. *T.* Salva 'st hæc
V. Pater ounc cessat. *T.* Quid si admoneam?
V. Tempos est.
T. Heus, Saturio! exi. Nunc est illa occasio
Inimicum ulcisci. *S.* Ecce me. Numquid moror?
T. Age, illuc ebscede procul ę conspectu. *S.* Tece!
T. Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Tum turbam facito. *S.* Dictum sapieuti sat est.

SCENA VIII. *Dordalus, Toxilus.*

D. Treuscidi loris omneis edvenicos domi;
Ita mi supellex squalet, etque ædes meæ.
T. Redis tu tendem? *D.* Redeo. *T.* Næ, ego hodie tibi
Bonam vitam feci. *D.* Fateor habere grettiam.
T. Num quidpiam aliud me vis? *D.* Ut bene sit tibi.
T. Pol, istuc quidem iam ego omne usurpabo domi:
Nam iam ioclinabo me cum liberta tua.

SCENA IX. *Saturio, Dordalus, Virgo.*

S. Nisi ego illunc hominem perdo!.. *D.* Perii!
S. Atque optume
Eccum ipsū ante ædes. *V.* Salve multum, mi pater.
S. Salve, mea gnata. *D.* Hei! Perse me pessumdedit.
V. Pater hic meus est. *D.* Hem! quid? pater? perii
Quid ego igitur cesso infelix lamenterier (oppido!
Minas sexeginta? *S.* Ego, pol, te faciem, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris. *D.* Occidi!
S. Age, embula in ius, leno. *D.* Quid me in ius vocas?
S. Illi epud prætorem dicem: sed ego io ius voco.
D. Nonoe autestaris? *S.* Tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero aureis atteram?
Qui hic commercaris cives homines liberos.
D. Sine dicam. *S.* Nolo. *D.* Audi. *S.* Sum surdus:
Sequere hac, scelesta feles virgioeria! (ambula.
Sequere hac, mea gneta, me usque ad prætorem.
V. Sequor.

ACTUS V. SCENA I. *Toxilus, Sagaristio, Lemniselene.*

T. Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis,
Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et præsidiis,
Cum bene nos, Iupiter, iuvisti, Diique alii omnes cœlipotentes,
Ea vobis grates habeo, atque ago: quia probe sum ultus meum inimicum.
Nunc, ob eam rem, inter participes dividam prædem, et participabo.
Ite foras: hic volo eote ostium et ianuam meos participes bene accipere.
Statuite hic lectulos; ponite hic, quæ assolent. Hic statui volo primum
Aquilam mihi: unde ego omnes hilarus, lubentes, lætificaotes faciem ut fieot,
Quorum opera hæc mihi facilia factu facta suot, quæ volui effieri.
Nam improbu 'st homo, qui beneficium scit sumere, et reddere nescit.
L. Toxile mi, cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es? *T.* Agedum ergo,
Accede, mea, ad me, etque amplectere sis.
L. Ego vero. O, nihil magis dolce 'st!
Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
T. Omnia, quæ tu vis, ea cupio.
L. Mutua fiunt a me. Age, age, age ergo,
Tu, Sagaristio, accumbe in summo.
S. Ego nihil moror: cedo [partem, quam] pepigi.
T. Temperi. *S.* Mihi istuc, Temperi sero 'st.
T. Hoc age; accumbe: hunc diem suevem
Meum oatalem agitemus amœnum. Date aquam manibus: apponite mensam.
Do hanc tibi florentem florenti: tu hic eris dictatrix nobis. Age, puere,
A summo septenis cyathis committe hos ludos: move menus; propera.
Pægnium! tarde cyathos mihi das: cedo sane. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ!
Optatus hic mihi dies datus hodie 'st ab Diis, quia te licet liberem me emplecti.
L. Tua factum opera. Bene omnibus nobis! hoc mea maous tuæ poculum donat,
Ut amantem emanti decet. *T.* Cedo. *L.* Accipe.
T. Bene ei qui [non] invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudio gaudat.

SCENA II. *Dordalus, Toxilus, Sagaristio, Lemniselene, Pægnium.*

D. Qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique faturi sunt posthac,
Solus ego omnibus antideo facile, miserrumus hominum ut vivam.
Perii! interii! pessumus hic mihi dies hodie illuxit! corruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.
[Verriculum] argenti miser eieci: amisi; neque, quamobrem eieci, habeo.
Qui illum Persam, atque omnes Persas, atque etiam omnes personas
Male Dii omnes perdant! ita miser! Toxilus hæc mihi concivit.
Quia ei fidem non hebui argenti, eo mihi eas machinas molitu 'st:
Quem, pol, ego ut ooo in cruciatum atque in compedis cogam, si vivam,
Siquidem huc unquem herus redierit eios, quod spero... Sed quid ego aspicio?
Hoc vide! quæ hæc fabula 'st? pol, hic quidem potant: aggrediar. O bone vir!
Salveto! et tu, bona liberte!
T. Dordalus hic quidem est. *S.* Quin iube adire.
T. Adi, si libet. Agite, epplaudamus. Dordale, homo lepidissume, salve.
Locus hic tuus est; huc accumbe. Ferte aquam pedibus. Præben' tu, puere?
D. Ne sis me uno digito attigeris, ne te ad terram, scelus, effligam.
P. At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excotiam tuum.
D. Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti!
Ut me in tricas coniecisti! Quomodo de Persa manus mihi adita 'st!
T. Iurgium hinc auferas, si sapias.
D. At, bona liberta, hæc scivisti,
Et me celavisti? *L.* Stultitia 'st, quoi bene esse licet, eum prævorti
Litibus. Posterius istæc te magis par agere 'st.
D. Uritur cor mihi.
T. Da illi cantharum: extingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.
D. Ludos me facitis; intellego.
T. Vin' cinædum novom tibi dari, Pægnium?
Quin elude, ut soles, quando liber locu 'st hic.
Hui! babæ! basilice te intulisti et facete.

P. Decet me facetum esse: et hunc irridere
Lenonem lubido 'st, quando dignu' st.
T. Perge, ut coeperas. *P.* Hoc, leno, tibi.
D. Perii! perculit me prope. *P.* Hem! serva rursum.
D. Delude, ut lubet, herus dum hinc abest.
P. Viden', ut tuis dictis pareo?
Sed quom tu meis contra item dictis servis,
Atque hoc, quod tibi suadeo, facis? *D.* Quid est id?
P. Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.
D. Cave sis me attingas; ne tibi hoc scipione
Malum magnum dem. *P.* Utere; te condono.
T. Iamiam, Pægnium, da pausam * * * (habitat,
D. Ego, pol, vos eradicabo. *P.* At te ille, qui supra nos
Qui tibi male volt, maleque faciet. Non hi dicunt, verum ego.
T. Age, circumfer mulsum; bibere da usque plenis cantharis.
Iamdiu factum 'st, postquam bibimus: nimis diu sicci sumus.
D. Dii faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat.
P. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea
Faciebat. Vide vero, si tibi satis placet. *S.* Me quoque
Reddere, Diodorus quē olī faciebat in Ionia. (volo
D. Malum ego vobis dabo, nisi abitis.
S. Etiam muttis, impudens?
Iam ego tibi, si me irritassis, Persā adducam denuo.
D. Iam taceo, hercle. Atque tu, Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem.
T. Tace, stulte: hic eius geminus est frater.
D. Hiccine 'st? *T.* Ac geminissumus.
D. Dii Deæque et te et geminum fratrem excrucient.
S. Qui te perdidit:
Nam ego nihil merui.
D. At enim, quod ille meruit, tibi id obsit, volo.
T. Agite, sultis; hunc ludificemus, nisi non dignu'st.
S. Non opu' st.
L. At me haud par est. *T.* Eo credo, quia non inconciliavit, cum te emo.
L. Attamen. *T.* Non tamen: cave ergo sis malo, et sequere me.
Te mihi dicto audientem esse addecet: nam, hercle, absque me
Foret et meo præsidio, hic faceret te prostibilem propediem.
Sed ita pars libertinorum 'st: nisi patrono qoi adversatus est,
Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi, nec satis honestus;
Ni id efficit, ni ei male dixit, ni grato ingratus repertus est.
L. Pol, benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream.
T. Ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi.
Pro hisce hunc volo ludificari.
L. Meo ego in loco sedulo curabo.
D. Certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciont. *S.* Heus vos!
T. Quid ais? *S.* Hiccine Dordalus est leno, qoi hic liberas virgines?
Hiccine est, qui fuit quondam fortis?
D. Quæ hæc res est? Hei! colaphum icit!
Malum vobis dabo.
T. At tibi nos dedimus, dabimusque etiam.
D. Hei! nates pervellit.
P. Licet: iamdiu sæpe sunt expunctæ.
D. Loquere tu etiam, frustum pueri?
L. Patrone, i intro, amabo, ad cœnam.
D. Mea ignavia, tu nunc me irrides?
L. Quiane te voco, bene ut tibi sit?
D. Nolo mihi bene esse. *L.* Ne sit.
T. Quid igitur? sexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt!
D. Male disperii! Sciunt referre probe inimico gratiam.
T. Satis sumsimus supplicî iam.
D. Fateor; manus vobis do. *T.* Et post dabis
Sub furcis. Abi intro. *S.* In crucem.
D. Anne hic parum exercitum
Hice me habent? *T.* Convenisse te Toxilū memineris.
Spectatores, bene valete; leno periit. Plaudite.

POENULUS

DRAMATIS PERSONÆ.

HANNO, *Pœnus.*	ANTHEMONIDES, *miles.*
AGORASTOCLES, *adolescens.*	ADVOCATI.
MILPHIO, *servus.*	COLLYBISCUS, *villicus.*
ADELPHASIUM, } *meretri-*	SYNCERASTUS, *servus.*
ANTERASTILIS, } *ces.*	GIDDENEME, *nutrix.*
LYCUS, *leno.*	PUER.

Argumentum (PRISCIANI?)

Puer septuennis surripitur Carthagine.
Osor mulierum adoptat hunc emtum senex,
Et facit hæredem. Eius pueri cognatæ duæ,
Nutrixque earum, raptæ. Mercatur Lycus,
Vexatque amantem. At ille eum auro villicum
Lenoni obtrudit; ita eum furto alligat.
Venit Hanno Pœnus; gnatum hunc fratris repperit;
Suasque agnoscit, quas perdiderat, filias.

Prologus

Achillem Aristarchi mihi imitari lubet:
Inde mihi principium capiam ex tragœdia.
Sileteque et tacete, atque animum advortite;
Audire iubet vos imperator histricus;
Bonoque ut animo sedeant in subselliis,
Et qui esurientes, et qui saturi venerint.
Qui edistis, multo fecistis sapientius:
Qui non edistis, saturi fite fabulis.
Nam, cui paratum 'st, quod edit, nostra gratia,
Nimia 'st stultitia, sessum impransum incedere.
Exurge, præco; fac populo audientiam.
Iamdudum exspecto, si tuum officium scias.
Exerce vocem, quam per vivis et colis.
Nam, nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age nunc, reside, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum 'st, edicta ut servetis mea.
Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ muttiant,
Neu dissignator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.
Diu qoi domi otiosi dormierunt, decet
Animo æquo nunc stent; vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus;
Vel æs pro capite dent: si id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio;
Ne et hic varientur virgis, et loris domi,
Si minus curassint, cum veniant heri domum.
Nutrices pueros infanteis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne et ipsæ sitiant, et pueri pereant fame:
Neve esurientes hic quasi hædi, obvagiant.

Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant;
Canora hic voce sua tinnire temperent.
Domum sermones fabulandi conferant,
Ne et hic viris sint et domi molestiæ.
Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur quoiquam artifici iniuria,
Neve ambitionis causa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam, quod pæne oblitus fui,
Dum ludi fiunt, in popinam, pedisequi,
Irruptionem facite; nunc, dum occasio 'st,
Nunc, dum scriblitæ æstuant, occurrite.
Hæc imperata, quæ sunt pro imperio histrico,
Bonum, hercle, factum, pro se quisque ut meminerit.
Ad argumentum nunc vicissatim volo
Remigrare, æque ut mecum sitis gnarures.
Eius nunc regiones, limites, confinia,
Determinabo: ei rei finitor factus sum ego.
Sed, nisi molestum 'st, nomen dare vobis volo
Comœdiai: sin odio 'st, dicam tamen;
Siquidem licebit per illos, quibus est in manu.
Carchedonius vocatur hæc comœdia,
Latine Plautus, *Patruus Pultiphagonides.*
Nomen iam habetis: nunc rationes cæteras
Accipite: nam argumentum hoc hic censebitur.
Locus argumento 'st suum sibi proscenium.
Vos iuratores estis: quæso, operam date.
Carthaginienses fratres patrueles duo
Fuere, summo genere et summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi seni, qui mortuus est, filius
Unicus qui fuerat, abditivus a patre,
Puer septuennis surripitur Carthagine,
Sexennio prius quidem, quam moritur pater.
Quoniam periisse sibi videt gnatum unicum,
Coniicitur ipse in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem suum.
Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico.
Ille, qui surripuit puerum, Calydonem avehit;
Vendit eum domino hic diviti cuidam seni,
Cupienti liberorum, osori mulierum.
Emit hospitalem is filium imprudens senex
Puerum illum, eumque adoptat sibi pro filio:
Eumque hæredem fecit, cum ipse obiit diem.
Is illic adolescens habitat in illisce ædibus.
Revortor rursus denuo Carthaginem:
Si quid mandare voltis aut curarier,
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit.
Verum, qui dederit, magis maiores egerit.
Sed illi patruo huius, qui vivit senex,
Carthaginensi duæ fuere filiæ;
Altera quinquennis, altera quadrimula.
Cum nutrice una periere. A Megaribus
Easqui surripuit, in Anactorium devehit,
Venditque has omnes, et nutricem et virgines,
Præsenti argento, homini, si leno 'st homo,
Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo.
Vosmet nunc facite coniecturam cæterum,
Quid id sit hominis, cui Lyco nomen siet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,
Huc commigravit in Calydonem haud diu,
Sui quæsti causa. Is in illis habitat ædibus.
Earum hic adolescens alteram efflictim perit
Suam sibi cognatam imprudens; neque scit, quæ ea
Sit; neque eã unquam tetigit: ita eum leno macerat.
Neque quidquam cum ea fecit etiamnum stupri,
Neque duxit unquam; neque ille voluit mittere.
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, postquam eas perdidit,
Marique terraque usquequaque quæritat.
Ubi quamque in urbem est ingressus, illico
Omnes meretrices, ubi quæque habitant, invenit:
Dat aurum; ducit noctem: rogitat postibi,
Unde sit, quoiatis, captane an surrepta sit,
Quo genere gnata, qui parentes fuerint.
Ita docte atque astu filias quærit suas.
Et is omnis linguas scit: sed dissimulat sciens
Se scire. Pœnus plane est: quid verbis opu 'st?
Is heri huc in portum navi venit vespere.
Pater harunc idem huic patruus adolescentulo est.
Iamne hoc tenetis? si tenetis, ducite.
Cave dirumpatis: quæso, sinite transigi.
Ehem! pæne oblitus sum reliquom dicere.
Ille, qui adoptavit hunc pro filio sibi,
Is illi Pœno, huiusce patruo, hospes fuit.
Is hodie huc veniet, reperietque hic filias,
Et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibo, ornabor; vos æquo animo noscite.
Hic, qui hodie veniet, reperiet suas filias,
Et hunc sui fratris filium. Dehinc cæterum
Valete, adeste. Ibo: alius nunc fieri volo.
Quod restat, restant alii, qui faciant palam.
Valete, atque adiuvate, ut vos servet Salus.

Actus I. Scena I. *Agorastocles, Milphio.*

A. Sæpe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consili,
Quas tu sapienter, docte, et cordate, et cate,
Mihi reddidisti opiparas opera tua.
Quibus pro benefactis, fateor deberi tibi
Et libertatem, et multas grates gratias.
M. Scitum 'st, per tempus si obviam it, verbũ vetus.
Nam tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,
Gerræ germanæ, atque, edepol, liræ liræ.
Nunc mihi blandidicus es; heri in tergo meo
Treis facile corios contrivisti bubulos.
A. At, amans per amorem si quid feci, Milphio,
Ignoscere id te mihi æquom 'st. *M.* Haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo: sine te verberem,
Item ut tu mihi fecisti, ob nullam noxiam:
Post id locorum, tu mihi amanti ignoscito.
A. Si tibi lubido 'st aut voluptati, sino:
Suspende, vinci, verbera; auctor sum: sino.
M. Si auctoritatem postea defugeris,
Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.
A. Egone istuc ausim facere, præsertim tibi?
Quin, si feriri video te, extemplo dolet. (velim.
M. Mihi quidẽ, hercle. *A.* Immo, mihi. *M.* Istuc ma-
Sed quid nunc tibi vis? *A.* Cur ego apud te mentiar?
Amo immodeste. *M.* Meæ istuc scapulæ sentiunt.
A. At ego hanc vicinam dico, Adelphasium meam,
Lenonis huius meretricem maiusculam.
M. Iampridẽ equidẽ istuc ex te audivi. *A.* Differor
Cupidine eius. Sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutum 'st lutulentius. (dato.
M. Vin' tu illi nequã dare nunc? *A.* Cupio. *M.* Eu! me
A. Abi dierectus. *M.* Dic mihi vero serio:
Vin' dare malũ illi? *A.* Cupio. *M.* Hẽ! eumdẽ me da-
Utrumque, faxo, habebit, et nequam et malum. (tu.
A. Iocare. *M.* Vin' tu illam hodie, sine damno et di-
Tuo, tua libertã facere? *A.* Cupio, Milphio. (spendio
M. Ego faciam, ut facias. Sunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippi. *A.* Sexcenti quoque. (ce.
M. Satis sunt trecenti. *A.* Quid iis facturu's? *M.* Ta-

Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. *A.* Quid facturu's? *M.* Iam scies.
Tuus Collybiscus nunc in urbe 'st villicus;
Eum hic non novit leno. Satin' intellegis?
A. Intellego, hercle: sed, quo evadas, nescio.
M. Non scis? *A.* Non, hercle. *M.* At, ego iam faxo,
scies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat:
Dicatque, se peregrinum esse ex alio oppido:
Se amare velle, atque obsequi animo suo.
Locum sibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.
Leno ad se accipiet, auri cupidus, illico:
Celabit hominem et aurum. *A.* Consilium placet.
M. Rogato, servos veneritne ad eum tuus.
Ille me censebit quæri; continuo tibi
Negabit. Quid tu dubitas, quin extempulo
Dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet?
Neque, id unde efficiat, habet. Ubi in ius venerit,
Addicet prætor familiam totam tibi:
Ita decipiemus fovea lenonem Lycum.
A. Placet consiliũ. *M.* Immo etiam, ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude 'st.
A. Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Aphrodisia hodie sunt. *M.* Scio hoc. *A.* Oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
M. Hoc primum agamus, quod consilium cepimus.
Abeamus intro, ut Collybiscum villicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
A. Quamquam Cupido in corde vorsatur, tamen
Tibi auscultabo. *M.* Faciam, ut facto gaudeas.
Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam potest.
Itaque hic scelestus est homo leno Lycus,
Quoi iam infortunt intenta ballista est probe,
Quam ego haud multo post mittam a ballistario.
Sed Adelphasium, eccam, exit, atque Anterastilis.
Hæc est prior, quæ meum herum dementem facit.
Sed evocabo. Heus! i foras, Agorastocles,
Si vis videre ludos iucundissumos. (tuos
A. Quid istuc tumulti 'st, Milphio? *M.* Hem! amores
Si vis spectare. *A.* O! multa tibi Dii dent bona,
Cum mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum!

SCENA II. *Adelphasium, Anterastilis, Milphio, Agorastocles, Ancilla.*

Ad. Negoti sibi qui volet vim parare,
Navem et mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negoti
Habent, forte si occeperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur:
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.
Atque, hæc ut loquor, nunc [domi] docta dico.
Nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei est,
Ex industria ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: et una,
Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo, operam dederunt:
Agger undaque aqua sunt viri duo defessi.
Apage sis! negoti quantum in muliere una est!
Sed vero duæ, sat scio, maxumo uni
Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt:
Quæ noctes diesque omni in ætate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Postremo, modus muliebris nullus est,
Neque unquam lavando et fricando scimus
Facere finem. Nam, quæ lavata est, nisi
Perculta est, meo quidem animo, quasi illauta est.

Ant. Miror equidem, soror, te istæc sic fabulari,
Quæ tam callida et docta sis et faceta.
Nam, cum sedulo munditer nos habemus,
Vix ægreque amatorculos invenimus.
Ad. Ita est. Verum hoc unum tamen cogitato:
Modus omnibus in rebus, soror, optumu 'st habitu.
Nimia omnia nimiũ exhibent negotiũ hominibus ex
Ant. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, (se.
Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore, et sine suavitate,
Nisi multa aqua usque et diu macerantur:
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis: itẽ nos sumus
Eius seminis. Mulieres sunt insulsæ
Admodũ, atque invenustæ, sine munditia et sumtu
M. Coqua est hæc quidẽ, Agorastocles, ut ego opinor:
Scit, muriatica ut maceret. *Ag.* Quid molestu 's?
Ad. Soror, parce, amabo: sat est istuc alios dicere
Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur. (nobis,
Ant. Quiesco. *Ad.* Ergo amota. Sed hoc nunc respon-
de mihi.
Sunt hic omnia, quæ ad Deũ pacem oportet adesse?
Ant. Omnia accuravi. *Ag.* Diem pulchrum et cele-
brem et venustatis plenum!
Dignum Veneri, pol, cui sunt Aphrodisia hodie!
M. Ecquid gratiæ, cum huc foras te avocavi? Iã non
Me decet cadu donari vini veteris? Dic dari.
Nil respondes? Lingua huic excidit, ut ego opinor.
Quid hic, malum,
Astans obstipuisti?
Ag. Sine amem: ne me obturba, ac tace.
M. Taceo. *Ag.* Si tacuisses, iam istuc: Taceo non na-
tum foret.
Ant. Eamus, mea soror. *Ad.* Eho! amabo, quid illo
nunc properas? *Ant.* Rogas?
Quia herus nos apud ædem Veneris mantat.
Ad. Maneat, pol: mane.
Turba est nunc apud aram. An te ibi vis inter istas
vorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, schœno delibutas, servolicolas sordidas?
Quæ tibi olant stabulum statumque, sellam et sessi-
bulum merum:
Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit, ne-
que duxit domum;
Servolorum sordidulorum scorta diobolaria.
M. I in malã crucem! tun' audes etiã servos spernere?
Propudium! quasi bella sit, quasi eampse reges du-
ctitent.
En monstrũ mulieris! tantilla tanta verba funditat!
Quoius ego vel nebulæ cyatho septẽ noctes non emã.
Ag. Dii immortales omnipotentes! quid est apud vos
pulchrius?
Quid habetis, mage qui immortales vos credam esse,
quam ego siem,
Qui hæc tanta oculis bona concipio? nam Venus non
est Venus:
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet po-
sthac propitia.
Milphio! heus, Milphio! ubi es? *M.* Assum apud te,
eccum! *Ag.* Ego, elixus sis, volo.
M. Enimvero, hera, facis delicias.
Ag. De te quidem hæc didici omnia.
M. Etiamne ut ames eam, quam nunquam tetigeris?
Nihil illic quidem est.
Ag. Deos quoque, edepol, et amo et metuo, quibus ego
tamen abstineo manus.
Ant. Heu! ecastor, cum ornatum aspicio nostrum
ambarum, pœnitet,
Exornatæ ut simus. *Ad.* Immo vero, sane commode.

Nam, pro berili et nostro quæstu, satis bene ornatæ sumus.
Non enim potest quæstus couaistere, si eum sumtus superat, soror.
Eo illud satin 'st satis, quod satis est, habitus, quam quod plus sat est.
Ag. Ita me Dii ament, ut, illa me amet, malim, quam Dii, Milphio.
Nam illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest.
M. Pol, id quidem haud mentire: nam tu es lapide silice stultior,
Qui hanc ames. *Ag.* At vide sis; cum illa nunquam limavi caput.
M. Curram igitur aliquo ad piscinam aut lacum; limum petam.
Ag. Quid eo opu 'st? *M.* Ego dicam: ut illi et tibi limem caput.
Ag. I in malam rem! *M.* Ibi sum equidem.
Ag. Pergis? *M.* Taceo. *Ag.* At, perpetuo, volo
M. Enimvero, here, meo me lacessis ludo, et delicias facis.
Ant. Satis nunc lepide ornatam credo, soror, te tibi viderier:
Sed, ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium, si quam ornatam melius forte conspexeris.
Ad. Invidia in me nunquam innata 'st, neque malitia, mea soror.
Bono ingenio me esse ornatam, quam auro, multo mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonũ.
Bonam ego quam beatam me esse nimio ulici mavolo.
Meretricẽ pudorẽ gerere magis decet, quã purpuram;
Magisq; meretricẽ pudorẽ, quã aurũ, gerere condecet.
Pulchrũ ornatũ turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpẽ ornatũ facile factis comprobant.
Ag. Eho tu! vin' tu facinus facere lepidum et festivom? *M.* Volo.
Ag. Potesne mihi auscultare? *M.* Possum.
Ag. Abi domum, ac suspende te.
M. Quamobrem? *Ag.* Quia iam nunquam audibis verba tot tam suavia.
Quid tibi opu 'st vixisse? Ausculta mihi modo, ac suspende te.
M. Siquidem tu es mecum futurus, pro uva passa, pensilis.
Ag. At ego amo hanc. *M.* At ego esse et bibere.
Ad. Eho tu! quid ais? *Ant.* Quid rogas?
Ad. Viden' tu? pleni oculi sordium qui erant, iam splendent mihi.
Ant. Immo etiam in medio oculo paulum sordis est.
Ad. Cedo sis dexteram.
Ag. Ut tu quidem huius oculos illotis manibus tractes ac teras?
Ant. Nimis nos socordia hodie tenuit.
Ad. Qua de re, obsecro?
An. Quia iam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram.
Ad. Ah! non facto 'st opus:
Quæ habent nocturna ora, noctu sacruficatum ire occupant:
Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperaut sedulo
Sacruficare: nam, vigilante Venere, si veniant eæ,
Ita sunt turpes, credo, ecastor, Venerem ipsam e fano fugent.
Ag. Milphio! *M.* Edepol, Milphionem miserum! quid nunc vis tibi?
Ag. Obsecro, hercle! ut mulse loquitur!
M. Nihil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuces.
Ag. Ecquid amare videor?
M. Damnum, quod Mercurius minume amat.
Ag. Namque, edepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.
Ant. Eamus, mea germana.
Ad. Age sis, ut lubet. Sequere hac. *Ant.* Sequor.
Ag. Eunt hæ. Quid si adeamus? *M.* Adeas.
Ag. Primum, prima, salva sis:
Et, secunda, tu secundo salve in pretio: tertia,
Salve extra pretium.
Anc. Tum, pol, ego et oleum et operam perdidi.
Ag. Quo te agis? *Ad.* Egone? in ædem Veneris.
Ag. Quid eo? *Ad.* Ut Venerem propitiem.
Ag. Eho! an irata 'st? propitia, hercle, est. Vel ego pro illa spondeo.
Ad. Quid tu agis? quid mihi molestu 's, obsecro?
Ag. Ah! tam sæviter!
Ad. Mitte, amabo. *Ag.* Quid festinas? Turba nunc illi est. *Ad.* Scin.
Sunt illi aliæ, quas spectare ego, et me spectari, volo.
Ag. Qui lubet spectare turpes, pulchram spectandam dare?
Ad. Quia apud ædem Veneris hodie est mercatus meretricius.
Eo conveniunt mercatores: ibi ego me ostendi volo.
Ag. Invendibili merce oportet ultro emtorem adducere:
Proba merx facile emtorem reperit, tametsi in abstruso sita 'st.
Quid ais tu? quando illi apud me mecum caput et corpus copulas?
Ad. Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.
Ag. Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lymphatici.
Ad. Deferto ad me; faxo, actutum constiterit lymphaticum.
M. Bellula, hercle!
Ag. I dierecte in maxumam malam crucem.
M. Quam magis aspecto, tam magis est nimbata, et nugæ meræ.
Ad. Segrega sermonem: tædet.
Ag. Age, sustolle hoc amiculum.
Ad. Pura sum: comperce, amabo, me attrectare, Agorastocles.
Ag. Quid agam nunc?
M. Si sapias, curam hanc facere compendi potes.
Ag. Quid ego nunc te curem? quid agis, Milphio?
M. Ecce odium meum.
Quid me vis? *Ag.* Cur mihi hæc irata 'st?
M. Cur hæc irata 'st tibi?
Cur ego id curẽ? namque istæc magis tua 'st curatio.
Ag. Iã, hercle, tu peristi, nisi illã tã tranquillã facis,
Quã mare est olĩ, cum ibi alcedo pullos educit suos.
M. Quid faciam? *Ag.* Exora, blandire, expalpa.
M. Faciam sedulo.
Sed vide sis, ne tu oratorẽ hunc pugnis pectas postea.
Ag. Non faciam. *Ad.* Nos eamus nunc. Etiam morare? male facis.
Bene promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt.
Liberare iuravisti me haud semel, sed centies.
Dum te exspecto, neq; usquã aliã mihi paravi copiã,
Neque istuc usquam apparet: ita nunc servio nihilo minus.
I, soror. Abscede tu a me.

Ag. Periī! Eho! quid agis, Milphio?
M. Mea voluptas! mea delicia! mea vita! mea amœnitas!
Meus ocellus! meum labellū! mea salus! meū saviū!
Meum mel! meum cor! mea colostra! meus mollieulus caseus!
Ag. Mene ego illæc patiar præsente dici? discrucior miser,
Nisi ego illū iubeo quadrigis cursī ad carnificē rapi.
M. Noli, amabo, succensere hero meo causa mea.
Ad. Ego faxo: sine.
M. Irata es nimium. Argentum pro te dabit;
Atque te faciet, ut sis civis Attica atque libera.
Ad. Quin abire nunis? quid vis tibi? Qui bene volunt, bene [vis item].
M. Si aute quidem mentit us est, nunc iam dehinc erit verax tibi.
Ad. Abscede hinc sis, sycophanta!
M. Pareo: at scin' quomodo?
Sine te exorē; sine te preudā auriculis; sine dē saviū.
Iam, hercule, ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam.
Atq. hic me ne verberet, illud faciet, nisi te propitio,
Male formido: novi ego huius mores morosi malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, sine te exorarier.
Ag. Non ego homo trioboli sū, nisi ego illi mastigiæ
Exturbo oculos atque dentes. Hem voluptatem tibi!
Hem mel! hē cor! hem labellum! hē salutē! hē saviū!
M. Impias, here, te: oratorem verberas.
Ag. Iam istoc magis.
Et iam ocellum addam, et labellum, et linguam.
M. Ecquid facies modi?
Ag. Siccine ego te orare iussi? *M.* Quomodo ergo orē?
Ag. Rogas?
Sic enī diceres, sceleste: huius voluptas, te obsecro;
Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius savium,
Huius salus, huius amœnitas, huius festivitas,
Huius colostra, huius dulcieulus caseus, mastigia;
Huius cor, huius studium, huius savium, mastigia;
Omnia illa, quæ dicebas tua esse, ea memorares mea.
M. Obsecro, hercle, te, voluptas huius; atq. odiū meū!
Huius amica mammeata, mea inimica et malevola!
Oculus huius, lippitudo mea! mel huius, fel meum!
Ut tu huic irata ne sis: aut, si id fieri non potest.
Ad. Capias restim, ac te suspendas, cum hero et vostra familia.
M. Nā mihi iā video, propter te, victitandū sorbilo;
Itaque iam quasi ostreatum tergū ulceribus gestito,
Propter amorem vostrum.
Ad. Amabo, men' prohibere postulas,
Ne te verberet, magis quam ne mendax me advorsum siet?
Ant. Aliquid huic responde, amabo, commode; ne incommodus
Nobis sit: nam detinet nos de nostro negotio.
Ad. Verum etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agorastocles.
Non sum irata. *Ag.* Non es? *Ad.* Non sum.
Ag. Da ergo, ut credam, savium.
Ad. Mox dabo, cum ab re divina rediero.
Ag. I ergo strenue.
Ad. Sequere me, soror.
Ag. Atque audin' etiam? Veneri dicito
Multam meis verbis salutem. *Ad.* Dicam.
Ag. Atque hoc audi. *Ad.* Quid est?
Ag. Paucis verbis rem divinam facito. Atque audin'? respice.
Respexit. Idem, pol, Venerem credo facturam tibi.

SCENA III. *Agorastocles, Milphio.*

A. Quid nunc mihi es auctor, Milphio?
M. Ut me verberes,
Atque auctionem facias: nam impunissume
Tibi quidem, hercle, vendere hasce ædis licet.
A. Quid iam? *M.* Maiorē partē, in ora habitas meo.
A. Supersede istis verbis. *M.* Quid nunc vis tibi?
A. Trecentos Philippos Collybisco villico
Dedi dudum, priusquam me evocasti foras.
Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram,
Perque hanc sororem lævam, perque oculos tuos,
Perque meus amores, perque Adelphasium meam,
Perque tuā libertatē.... *M.* Hē! nunc nihil obsecras.
A. Mi Milphidisce! mea commoditas! mea salus!
Fac, quod facturum te esse promisisti mihi,
Ut ego hunc lenonē perdā. *M.* Perfacile id quidē 'st.
I, adduce tesfeis tecum: ego intus interim
Iam et ornamentis meis et sycophantiis
Tuum exornabo villicum. Propera, atque abi.
A. Fugio. *M.* Meū est istuc magis officiū, quā tuū.
A. Egone? egone? si istuc lepide effexis... *M.* I modo
A. Ut non ego te hodie... *M.* Abi modo.
A. Emittam manu?
M. I modo. *A.* Non, hercle, meream. Ah!
M. Vah! abi modo.
A. Quantum Acherunte 'st mortuorum....
M. Etiamne abis?
A. Neq. quantū aquæ est in mari... *M.* Abiturusne es?
A. Neque nubis quantum... *M.* Pergin' pergere?
A. Neq. stellæ in cœlo... *M.* Pergin' aures tundere?
A. Neque hoc, neq. illuc, neque.... Eui vero serio.
Neque, hercle vero. Quid opus est verbis? quippini!
Quod uno verbo dicere hic quidvis licet,
Neque, hercle, vero serio... Scin' quomodo?
Ita me Dii amabunt.... Vin' bona dicam fide?
Quod hic inter nos liceat. Ita me Iupiter....
Scin' quam?.... Vide tu.... Credin', quod ego fabuler?
M. Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
Nam isti quidem, hercle, orationi Œdipo
Opus coniectore est, qui Sphingi interpres fuit.
A. Illic hinc iratus abiit. Nunc mihi cautio 'st,
Ne, meamet culpa, meo amori obiexim moram.
Ibo, atque arcessam testis; quando amor iubet
Meo obedientem me esse servo liberum.

ACTUS II. *Lycus, Anthemonides.*

L. Dii illum infelicent omnes, qui, post hunc diem,
Leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam;
Quive ullum thuris granum sacruficaverit.
Nam ego hodie infelix Diis meis iratissumis
Sex immolavi agnos; nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abii illinc illico
Iratus: vetui exta prosecarier;
Neque ea aspicere volui: quoniam non bona
Haruspex dixit, Deam esse indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri pulchre adii manum.
Quando id, quod sat erat, satis habere noluit,
Ego pausam feci: sic ago: sic me decet.
Ego faxo, posthac Dii Deæque cæteri
Contentiores mage erunt, atque avidi minus,
Cum scibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condigne haruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis aibat portendi mihi
Malum damnumque, et Deos esse iratos mihi.
Quid ei divini aut humani æquom 'st, credere?
Mina mihi argenti dono postilla data 'st.
Sed, quæso, ubinam illic restitit miles modo,

Qui hanc mihi donavit? quem ego vocavi ad prandiũ.
Sed, eccum, incedit! *A.* Ita ut occepi dicere,
Lenulle, de illac pugna Pentornithica,
Qua sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidi meis.
L. Eh! volaticorum hominum? *A.* Ita dico quidem.
L. An, obsecro, usquam sunt homines volatici?
A. Fuere; verum ego interfeci. *L.* Quomodo
Potuisti? *A.* Dicam. Viscum legioni dedi,
Fundasque; eo præsternebant folia farferi.
L. Quoi rei? *A.* Ne ad fundas viscus adhæresceret.
L. Perge: optume, hercle, periuras. Quid postea?
A. In fundas visci indebant grandiculos globos;
Eo illos volantes iussi funditarier.
Quid multa verba? quemquem visco offenderant,
Tam crebri ad terram accidebant quam pira.
Ut quisque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinna sua sibi, quasi turturem.
L. Si, hercle, istuc unquam factum 'st, tũ me Iupiter
Faciat, ut semper sacruficem, nec unquam litem.
A. An mihi hæc non credis?
L. Credo, ut mihi est æquom credier.
Age, eamus intro, dum exta referuntur. *A.* Volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. *L.* Nihil moror.
A. Ausculta. *L.* Non, hercle. *A.* Immo, tũ elidã caput,
Nisi auscultas, aut is hinc in malam crucem.
L. Malam crucem ibo potius. *A.* Certumne est tibi?
L. Certum. *A.* Tum tu igitur die bono, Aphrodisiis,
Addice tuam mihi meretricem minusculam.
L. Ita res divina mihi fuit, res serias
Omnes extollo ex hoc die in alium diem.
A. Profestos festos habeam, decretum 'st mihi.
L. Nunc hinc eamus intro. Sequere hanc me. *A.* Se-
Iu hunc diem iam tuus sum mercenarius. (quor.

Actus III. Scena I. *Agorastocles, Advocati.*

Ag. Ita me Dii ament; tardo amico nihil est quidquam iniquius,
Præsertim homini amanti, qui, quidquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco advocatos, homines spissigradissumos,
Tardiores quam corbitæ sunt in tranquillo mari.
Atque equidem, hercle, dedita opera amicos fugitavi senes.
Scibam ætate tardiores: metui meo amori moram.
Nequidquam hos procos mihi elegi loripedes, tardissumos.
Quin, si ituri estis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Sicine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iste quidẽ gradus succretu 'st cribro pollinario,
Nisi cũ pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu.
Ad. Heus tu! quamquam nos videmur tibi plebei et pauperes,
Si nec recte dicis nobis, dives de summo loco,
Divitem audacter solemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxii sumus istuc, quid tu ames aut oderis:
Cum argentum pro capite dedimus, nostrum dedimus, non tuum.
Liberos nos esse oportet: nos te nihili pendimus:
Ne tuo nos amori servos tuos esse addictos censeas.
Liberos homines per urbẽ modico magis par est gra-
Ire: servuli esse duco festinantem currere. (du
Præsertim in re populi placida, atque interfectis hostibus.
Non decet tumultuarii. Sed, si properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxisse oportuit.
Ne tu opinere, haud quisquam hodie nostrum curret per vias;
Neque nos populus, pro cerritis, insectabit lapidibus.
Ag. At, si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervom cursu, vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi, et testes ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.
Ad. An vero non iusta causa 'st, quo curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno, quantum velis usque affatim,
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis?
Sed tamen, quomodocumque, quamquam sumus pauperculi,
Est domi, quod edimus: ne nos tam contemtim conteras.
Quidquid est pauxillulum illuc nostrum, illud omne intus est:
Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat.
Tua causa nemo nostrorũ 'st suos rupturus ramices.
Ag. Nimis iracundi estis: equidem hæc vobis dixi per iocum.
Ad. Per iocum itidem dictum habeto, quæ nos tibi respondimus.
Ag. Obsecro, hercle, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date:
Attrepidate saltẽ; nã vos approperare haud postulo.
Ad. Si quid tu placide otioseque agere vis, operam damus:
Si properas, cursores meliu 'st te advocatos ducere.
Ag. Scitis, rem narravi vobis, quod vostra opera mihi opus siet,
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ ut sint insidiæ de auro et de servo meo.
Ad. Omnia istæc scimus iam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc hic nunc causa hæc agitur spectatorum fabula:
Hos te satius est docere, ut, quando agas, quid agas, sciant.
Nos tu ne curassis. Scimus rem omnem: quippe omnes simul
Didicimus tecum una, ut respondere possimus tibi.
Ag. Ita profecto est. Sed agite igitur, ut sciam vos scire, rem
Expedite, et mihi, quæ dudum vobis dixi, dicite.
Ad. Itane temptas an sciamus? non meminisse nos ratu 's
Quomodo trecentos Philippos Collybisco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenone, inimicũ tuum,
Isque se ut assimularet peregrinum esse aliunde, ex alio oppido.
Ubi is detulerit, tu eo quæsitum servom advenies tuum
Cum pecunia. *Ag.* Meministis memoriter; servatis me.
Ad. Ille negabit. Milphionem quæri censebit tuum:
Id duplicabit omne furtum: leno addicetur tibi.
Ad eã rem nos esse testis vis tibi. *Ag.* Tenetis rem.
Ad. Vix quidem, hercle, ita pauxilla 'st, digitulis primoribus.
Ag. Hoc cito et cursim est agundum. Propera iam, quantum potest.
Ad. Bene vale igitur: te advocatos melius celeres ducere:

Tardi sumus uos. *Ag.* Optume itis, pessume, hercle, dicitis.
Quiu etiam deciderint vobis fœmina in talos velim.
Ad. At, edepol, nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in solum.
Ag. Eia! haud vostrum 'st iracundos esse, quod dixi ioco.
Ad. Nec tuum quidem 'st, amicis per iocum iniuste loqui.
Ag. Mittite istæc: quid velim, vos scitis.
Ad. Callemus probe:
Leuonem periurum ut perdas, id studes.
Ag. Tenetis rem.
Ecce opportune egrediuntur Milphio una et villicus.
Basilice exornatus incedit, et fabre ad fallaciam.

SCENA II. *Milphio, Collybiscus, Agorastocles, Advocati.*

M. Iam teues præcepta in corde? *C.* Pulchre.
M. Vida sis calleus.
C. Quid opu'st verbis? callum aprugnum callere æque non sinam.
M. Fac modo ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.
C. Quin, edepol, condoctior sum, quam tragœdi aut comici.
M. Probus homo es. *Ag.* Adeam propius; adsunt testes. *M.* Tot quidem
Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam istorū nullus nefastu 'st; comitiales sunt meri:
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quam prætorem, sæpius.
Hodie Iuris coctiores non sunt, qoi lites creaut,
Quam sunt hi: qui, si nihil est litium, lites serunt.
Ad. Dii te perdant! *M.* Vos quidem, hercle, commeudo, quom, quiqui tamen,
Et bene et benigne facitis; quom hero amanti operam datis.
Sed isti iam sciunt, negoti quid sit?
Ag. Omnem rem ordine.
M. Tum vos animum advortito igitur. Hunc vos lenonem Lycum
Novistis? *Ad.* Facile. *C.* At ego, pol, eum, qua sit facie, nescio.
Eum volo mihi demonstretis hominem.
Ad. Nos curabimus.
Satis præceptum. *Ag.* Hic trecentos uummos numeratos habet.
Ad. Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,
Ut sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.
Ag. Agite, inspicite: aurum 'st.
C. Profecto, spectatores, comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.
Verum, ad hanc rem agundam, Philippum est.
Ad. Ita nos assimulabimus.
C. Sed ita assimulatote, quasi ego sim peregrinus.
Ad. Scilicet.
Et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris,
Liberum ut commonstraremus tibi locum et voluptarium,
Ubi ames, potes, pergræcere.
M. Heu, edepol, mortales malos!
Ag. Ego enim docui. *M.* Quis te porro?
C. Agite, intro abite, Agorastocles:
Ne hic vos mecum conspicetur leno; neu fallaciæ
Præpedimentum obiiciatur. *M.* Hic homo sapienter sapit.
Facite, quod iubet. *Ag.* Abeamus. Sed vos...... satis dictum 'st? *C.* Abi.
Ag. Abeo. Quæso, Dii immortales! *C.* Quin abis?
Ag. Abeo. *M.* Sapis.
C. St! tace. *Ad.* Quid est? *C.* Fores hæ fecerunt magnum flagitium modo.
Ad. Quid id est flagiti? *C.* Crepuerunt clare.
Ad. Dii te perduint!
Pone nos recede. *C.* Fiat. *Ad.* Nos priores ibimus.
C. Faciunt, scurræ quod consuerunt: pone sese homines locant,
Ad. Illic homo est, qui egreditor, leno.
C. Bonus est: nam similis malo est.
Iam nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul.

SCENA III. *Lycus, Advocati, Collybiscus.*

L. Iam istuc ego revortar, Miles: convivas volo
Reperire nobis commodos, qui una sient:
Interibi attulerint exta: atque eadem mulieres
Iam ab re divina, credo, apparabunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam afferunt?
Et ille chlamydatus quisnam est, qui sequitur procul?
A. Ætoli cives te salutamus, Lyce:
Quamquam hanc salutem ferimus inviti tibi,
Et quamquam bene volumus leviter lenonibus.
L. Fortunati omnes sitis; quod certe scio
Nec fore, nec fortunam id situram fieri.
A. Istiç est thesaurus stultis in lingua situs,
Ut quæstui habeant male loqui melioribus.
L. Viam qui nescit, qua deveniat ad mare,
Eum oportat amnem quærere comitem sibi.
Ego male loquendi vobis nescivi viam:
Nunc vos mihi amnes estis; vos certum 'st sequi.
Si benedicetis, vostra ripa vos sequar:
Si maledicetis, vostro gradiar limite.
A. Malo benefacere, tantumdem 'st periculum,
Quantum bono malefacere. *L.* Qui vero? *A.* Scies.
Malo si quid benefacias, id beneficium interit.
Bono si quid malefacias, ætatem expetit.
L. Facete dictum. Sed quid istuc ad me attinet?
A. Quia nos honoris tui causa huc ad te venimus:
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.
L. Si quid boni apportatis, habeo gratiam.
A. Boni de nostro tibi nec ferimus, nec damus,
Neque pollicemur, neque adeo volumus datum.
L. Credo, hercle, vobis; ita vostra 'st benignitas.
Sed quid nunc voltis? *A.* Hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratu 'st. *C.* Capiti vostro istuc quidem.
A. Hunc nunc, Lyce, ad te, diripiundum, adducimus.
C. Cum præda hic hodie incedat venator domum.
Canes compellunt in plagas lepide Lycum.
L. Quis hic est? *A.* Nescimus nos istum quidem, qui siet:
Nisi dudum a mani ut ad portum processimus,
Atque istunc e navi exeuntem oneraria
Videmus. Adiit ad nos extemplo exiens:
Salutat: respondemus. *C.* Mortales malos!
Ut ingrediuntur docte in sycophantiam!
L. Quid deinde? *A.* Sermonem nobiscum ibi copulat.
Ait se peregrinum esse, huius ignarum oppidi;
Locum sibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat. Nos hominem ad te adduximus.
Tu, si te Dii ament, agere tuam rem occasio 'st.
L. Itane ille est cupiens? *A.* Aurum habet!
L. Præda hæc mea 'st.
A. Potare, amare volt. *L.* Locum lepidum dabo.

A. At enim hic clam furtim esse volt, ne qui sciant,
Neve arbiter sit. Nam hic latro in Sparta fuit,
Ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde nunc aufugit, quoniam capitur oppidum.
C. Nimis lepide de latrone, de Sparta optume.
L. Dii Deæque vobis multa bona dent, cum mihi
Et bene præcipitis, et bonam prædam datis.
A. Immo, ut ipse nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos nummos Philippos portat præsidi. (xero.
L. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me alle-
A. Quin hic quidem tuu 'st. *L.* Obsecro, hercle, hortamini,
Ut devortatur ad me in hospitium optumum.
A. Neque nos hortari neque dehortari decet
Hominem peregrinum: tuam rem tu ages, si sapis.
Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus:
Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.
L. Iamne itis? *C.* Quid, quod vobis mandavi, hospites?
A. Cum illoc te melius tuam rem, adolescens, loqui:
Illic est ad istas res probus, quas quæritas.
C. Videre equidē vos vellem, cum huic aurū darem.
A. Illinc procul nos istuc inspectabimus.
C. Bonam dedistis mihi operam. *L.* It ad me lucrum.
C. Illud quidem, quorsum asinus cædit calcibus.
L. Blande hominem compellabo. Hospes hospitem
Salutat: salvom te advenire gaudeo.
C. Multa tibi Dii dent bona, cum me salvom esse vis.
L. Hospitium te aiunt quæritare. *C.* Quærito.
L. Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo,
Te quæritare a muscis. *C.* Minume gentiū. (quærerē,
L. Quid ita? *C.* Quia a muscis si mihi hospitium
Adveniens huc irem in carcerem recta via.
Ego id quæro hospitium, ubi ego curer mollius,
Quam regi Antiocho oculi curari solent.
L. Edepol, næ, tibi possum illum festivom dare,
Siquidem potes esse pati te in lepido loco,
In lecto lepide strato, lepidam mulierem
Complexum contrectare te. *C.* Is, leno, viam.
L. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo,
Vetustate vino edentulo ætatem irriges:
Ibi te replebo usque unguentum eccheumatis.
Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi omnia.
C. Quid ita? *L.* Quia aurum poscunt præsentarium.
C. Quin, hercle, accipere tu non mavis, quam ego dare.
L. Quin sequere me intro.
C. Duc ergo me intro; addictum tenes.
A. Quid si evocemus huc foras Agorastoclem,
Ut ipse testis sit sibi certissumus?
Heus tu! qui furem captas, egredere ocyus,
Ut tute inspectes aurum lenoni dare.

SCENA IV. *Agorastocles, Advocati, Collybiscus, Lycus.*

Ag. Quid est? quid voltis, testes? *Ad.* Specta ad dexterā.
Tuus servos aurum ipsi lenoni datat.
C. Age, accipe hoc sis: hic sunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura: propere hosce absumi volo.
L. Edepol, fecisti prodigum promum tibi.
Age, eamus intro. *C.* Te sequor. *L.* Age, age, ambula.
Ibique reliqua alia fabulabimur.
C. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas.
L. Quin sequere me ergo. *C.* Abduc intro: addictum tenes.
Ag. Quid nunc mi auctores estis? *Ad.* Ut frugi sies.
Ag. Quid si animus esse non sinit? *Ad.* Esto, ut sinit.
Ag. Vidistis, leno cum aurum accepit? *Ad.* Vidimus.
Ag. Eum vos esse meum servō scitis? *Ad.* Scivimus.
Ag. Rem advorsus populi sæpe leges? *Ad.* Scivimus.
Ag. Hem! istæc volo ergo vos commeminisse omnia,
Mox cum ad prætorem usus veniet. *Ad.* Meminerimus.
Ag. Quid si, recenti re, ædis pultem? *Ad.* Censeo.
Ag. Si pultem, non recludet. *Ad.* Panem frangito.
Ag. Si exierit leno, censetis hominem interrogem,
Meus servos si ad eum venerit, necne? *Ad.* Quippini?
Ag. Cum auri ducentis nummis Philippis?
Ad. Quippini?
Ag. Ibi extemplo leno errabit. *Ad.* Qua de re?
Ag. Rogas?
Quia centum nummis minus dicetur.
Ad. Bene putas.
Ag. Alium censebit quæritari. *Ad.* Scilicet.
Ag. Extemplo denegabit. *Ad.* Iuratus quidem.
Ag. Homo furti sese adstringet.
Ad. Haud dubium id quidem 'st.
Ag. Quantum quantum ad eum erit delatum.
Ad. Quippini?
Ag. Diespiter vos perduit! *Ad.* Te quippini?
Ag. Ibo, et pultabo ianuam hanc. *Ad.* Ita quippini?
Ag. Tacendi tempus est; nam crepuerunt fores.
Foras egredier video lenonem Lycum.
Adeste, quæso. *Ad.* Quippini? quin si voles
Operire capita, ne nos leno noverit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices.

SCENA V. *Lycus, Agorastocles, Advocati.*

L. Suspendant omnes nunc iam se haruspices.
Quid ego illis posthac, quod loquantur, creduam?
Qui in re divina dudum dicebant, mihi
Malum damnumque maxumum portendier,
Is explicavi meam rem postilla lucro.
Ag. Salvos sis, leno. *L.* Dii te ament, Agorastocles.
Ag. Magis me benigne nunc salutas, quam antidhac.
L. Tranquillitas evenit, quasi navi in mari:
Utcumque est ventus, exin velum vortitur.
Ag. Valeant apud te, quas volo, atque haud te volo.
L. Valent, ut postulatum 'st, verum non tibi.
Ag. Mitte ad me, sodes, hodie Adelphasium tuam,
Die festo celebri nobilique, Aphrodisiis.
L. Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.
Ag. Quid iam? *L.* Quia os nunc frigefactas, cum rogas.
Ag. Hoc age sis, leno. Servom esse audivi meum
Apud te. *L.* Apud me? nunquam factum reperies.
Ag. Mentire; nam ad te venit, aurumque attulit.
Ita mihi renuntiatu 'st, quibus credo satis.
L. Malus es; captatum me advenis cum testibus.
Tuorum apud me nemo est, nec quidquam tui.
Ag. Mementote illuc, advocati. *Ad.* Meminimus.
L. Ha ha he! iam teneo quid sit; perspexi modo.
Hi, qui illum dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrū uritur,
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc, hunc inimicum quia esse sciverunt mihi,
Eum allegaverunt, suum qui servom diceret
Cum auro esse apud me. Composita 'st fallacia,
Ut eo me privent, atque inter se dividant.
Lupo agnum eripere postulant: nugas agunt.
Ag. Negasne apud te esse aurum, nec servom meum?
L. Nego: et negando, si quid refert, ravio.
Ad. Peristi, leno: nam iste est huius vilicus,
Quem tibi nos esse Spartiatam diximus,
Qui ad te trecentos modo Philippos detulit.
Idque adeo in istoc aurum inest marsupio.

L. Væ vostræ ætati! *Ad.* Id quidē in mundo est tuæ.
Ag. Age, omitte actutum, furcifer, marsupium:
Manifesto fur es mihi. Quæso, hercle, operam date,
Dum me videatis servom ab hoc abducere.
L. Nunc, pol, ego perii certo, haud arbitrario.
Consulto hoc factum 'st, mihi ut insidiæ fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priusquam obtorto collo ad prætorem trahor?
Eheu! quam ego habui hariolos haruspices!
Qui si quid boni promittunt, pro spisso evenit:
Id, quod mali promittunt, præsentarium 'st.
Nunc ibo; amicos consulam, quo me modo
Suspendere æquom censeant potissumum.

Scena VI. *Agorastocles, Collybiscus, Advocati.*

Ag. Age tu, progredere, ut testes videant te ire istinc foras.
Estne hic servos meus?
C. Sum, mehercle, vero, Agorastocles.
Ag. Quid nunc, scelestе leno? *Ad.* Quicum litigas,
Abscessit. *Ag.* Utinam hinc abierit malam crucem!
Ad. Ita nos velle æquum 'st.
Ag. Cras subscribam homini dicam.
C. Numquid me...? *Ag.* Abscedas; sumas ornatum tuum.
C. Non sum nequidquam miles factus: paululum
Prædæ intus feci, dum lenonis familia
Dormitat: extis sum satur factus probe.
Abscedam hinc intro. *Ag.* Factum a vobis comiter.
Bonam dedistis, advocati, operam mihi.
Cras mane, quæso, in comitio estote obviam.
Tu sequere me intro. Vos valete. *Ad.* Et tu vale.
Iniuriam illic insignite postulat:
Nostro servire nos sibi censet cibo.
Verum ita sunt isti nostri divites:
Si quid benefacias, levior pluma 'st gratia;
Si quid peccatum 'st, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus nostras, sultis, nunciam:
Quando id, quoi rei operam dedimus, impetravimus,
Ut perderemus corruptorem civium.

Actus IV. Scena I. *Milphio.*

Exspecto, quo pacto meæ techinæ processuræ sient.
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miserum macerat:
Is me autem porro verberat, incursat pugnis, calcibus.
Servire amanti miseria 'st: præsertim, qui, quod amat caret.
Atat! e fano recipere video se Syncerastum,
Lenonis servum: quid habeat sermonis, auscultabo.

Scena II. *Syncerastus, Milphio.*

S. Satis spectatum 'st, Deos atque homines eius negligere gratiam,
Qui homine herus est consimilis, velut ego habeo nunc huiusmodi.
Neque periurior, neque peior, alter usquam est gentium,
Quam herus meus est: neque tam luteus, neque tam cœno collitus.
Ita me Dii ament! vel in lautumiis vel in pistrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea,
Quam apud lenonem hunc servitutem colere. Quid illuc est genus!
Quæ illic hominum corruptelæ fiunt! Dii, vostram fidem!
Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris.
Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitivum velis,
Verberatum, vinctum, addictum; qui habet quod det, ut homo est,
Omnis genera recipiuntur: itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ: bibitur, estur, quasi in popina; haud secus.
Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis.
Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.
M. Omnia, edepol, mira sunt, nisi herus hunc heredem facit;
Nam is quidem illi, ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire iubet hominem; et autem nimis eum ausculto libens.
S. Hæc cum hic video fieri, crucior pretiis emtos maxumis,
Apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.
Sed, ad postremum, nihil apparet: male partum, male disperit.
M. Proinde habet hic orationem, quasi ipse sit frugi bonæ,
Qui ipsus, hercle, ignaviorem potis est facere ignaviam.
S. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vasa, ubi hostiis
Herus nequivit propitiare Venerem suo festo die.
M. Lepidam Venerem!
S. Nam meretrices nostræ primis hostiis
Venerem placavere extemplo.
M. O lepidam Venerem denuo!
S. Nunc domum ibo. *M.* Heus, Syncераste!
S. Syncerastum qui vocat?
M. Tuus amicus. *S.* Haud amice facis, qui cum onere offeras moram.
M. At, ob hanc rem, tibi reddam operam, ubi voles, ubi iusseris.
Habe rem pactam. *S.* Si futurum 'st, do tibi operam hanc. *M.* Quomodo?
S. Ut enim, ubi mihi vapulandum 'st, tute corium sufferas.
M. Apage! *S.* Nescio quid viri sis. *M.* Malus sum.
S. Tibi sis. *M.* Te volo.
S. At onus urget. *M.* At tu appone, et respice ad me.
S. Fecero;
Quamquam haud otium 'st. *M.* Salvos sis, Syncераste. *S.* O Milphio,
Dii omnes Deæque ament... *M.* Quemnam hominem?
S. Nec te, nec me, Milphio:
Neque herum meum adeo. *M.* Quem ament igitur?
S. Alium quemlibet;
Nam nostrorum nemo dignu 'st. *M.* Lepide loquere.
S. Me decet.
M. Quid agis? *S.* Facio, quod manifesto mœchi haud ferme solent.
M. Quid id est? *S.* Refero vasa salva.
M. Dii te et tuum herum perduint!
S. Me non perdant, illum ut perdant. Facere possim, si velim,
Meum herum ut perdant; ni mihi metuam, Milphio.
M. Quid id est? cedo.
S. Malus es. *M.* Malus sum. *S.* Male mihi est.
M. Memorandum! esse aliter decet.
Quid est, quod male sit? quoi domi 'st, quod edis, quod ames, affatim,
Neque triobolum ullum amicæ das, et ductas gratiis.
S. Diespiter me sic amabit ... *M.* Ut quidem, edepol, dignus es.

S. Ut ego hanc familiam interire cupio!
M. Adde operam, si cupis.
S. *Sine* pennis volare haud facile 'st. Meæ alæ pennas non habent.
M. Nolito, edepol, devellisse; iam his duobus mensibus
Volucres tibi erunt tuæ hirquinæ *S.* I in malam rem.
M. I tu, atque herus.
S. Verum enim, qui homo eum norit, cito homo perverti potest.
M. Quid iam? *S.* Quasi tu tacere quidquam potis sis.
M. Rectius
Tacitus tibi resistam, quam qood dictum 'st malæ mulieri.
S. Animum inducam facile, ot tibi istuc credam, ni te noverim.
M. Crede audacter meo periculo.
S. Male credam, et credam tamen.
M. Scin tu herom tuum meo hero esse inimicum capitalem? *S.* Scio.
M. Propter amorem. *S.* Omnem operam perdis.
M Quid iam? *S.* Quia doctum doces.
M. Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus, quod possiet
Facere, faciat male, eius merito? Tum autem si qoid tu adiuvas,
Eo facilius poterit facere. *S.* At ego hoc metuo, Milphio.
M. Qoid est quod metuas?
S. Dum hero insidias parem, [ne a te pendeam.]
Si herus meus me messe locutum cuiquam mortali sciat,
Cootinuo is me ex Syncerasto crurifragium fecerit.
M. Nunquam, edepol mortalis quisquam fiet e me certior,
Nisi hero meo uni indicasso, atque ei quoque, ot ne enuntiet
Id esse facinus ex te ortum.
S. Male credam: et credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitom habeto.
M. Fidei non melius creditur.
Loquere (locus occasioque est) libere: hic soli sumus.
S. Herus si tuus volet facere frugem, meum herum perdet. *M.* Qui id potest?
S. Facile. *M.* Fac ergo id facile noscam, ut ille possit noscere.
S. Quia Adelphasium, quam herus deamat tuus, ingenua 'st. *M.* Quo modo?
S. Eodem, quo soror illius altera Anterastilis.
M. Sed qoi id credam? *S.* Quia
Illas emit in Anactorio parvolas, duodeviginti minis
De prædone Siculo. *M.* Quanti? *S.* Duodeviginti mi-
M. Duas illas? *S.* Nutricem earum tertiam (nis.
Et ille, qui eas vendebat, dixit se furtivas vendere:
Ingenuas Carthagine aibat esse *M.* Dii, vostrā fidē!
Nimium lepidum memoras facinus; nam herus meus Agorastocles
Ibidem natus, inde surreptus fere sexennis: postibi,
Qui eum surripuit, huc devexit, meoque hero eum hic vendidit.
Is in divitias homo adoptavit hunc, cum diem obiit suum.
S. Omnia memoras. Quo Id facilus fiat, manu eas asserat
Suas populares, liberali causa.
M Tacitus tace modo.
S. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.
M. Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.
Ita paratum 'st. *S.* Ita Dii faxint, ne apud lenonem hunc serviam.
M. Quin, hercle, collibertus meus, faxo eris, si Dii volent.
S. Ita Dii faxint: numquid aliud me morare, Milphio?
M. Valeas, beneque ot tibi sit. *S.* Pol, istuc tibi et hero tuo 'st in manu.
Vale, et hæc, care, clanculom ot siot dicta.
M. Non dictum 'st. Vale.
S. At enim nihil est, nisi, dom calet, hoc agitur.
M. Lepidu 's, cum mones.
Et hoc ita fiet. *S.* Proba materia data 'st, si probum adhibes fabrum.
M. Potiu' ut taceas? *S.* Taceo, atque abeo.
M. Mihi commoditatem creas.
Illic hinc abiit. Dii immortales meum herum servatum volunt,
Et hunc disperditū lenonem: taotū eum instat exiti.
Satine, priusquam unum 'st iniectum telum, tum instat alterum?
Ibo intro, hæc ut meo hero memorem: nam, huc si ante ædes evocem,
Quæque audivistis modo, nunc si eadem hic iterem, inscitia 'st.
Hero uni potius intus ero odio, quam hic sim vobis omnibus.
Dii immortales! quid malorum, quanta advenit calamitas
Hodie ad hunc lenonem! Sed ego, nunc est, cum me moror.
Id negotium institutum 'st; non datur cessatio
Nam et hoc nocte consulendum, quod modo concreditum 'st;
Et illod autem inserviundum 'st consilium vernaculum.
Remora si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.
Nunc intro ibo: dum herus adveniat a foro, opperiar domi.

ACTUS V. SCENA I. *Hanno-Pœnus.* Loquitur Punice.

(Ex emendatione Bocharti et Petiti)

N' yth alonim valonuth sicorath iismacon sith.
Chy-mlachai iythmu; mitslia mittebariim ischi
Liphorcaneth. yth beni ith iad adi ubinuthai.
Birna rob syllohom alonim ubymisyrtohom.
Bytlym moth ynot othi helech Antidamarchon.
Ys sideli; Brimtyfel yth chili schontem Liphul.
Uth bin imys dibur thim nocuth nu' Agorastocles.
Ythem aneti hy chyr saely choc; sith naso.
Binni id chi lubilli gubylim lasibit thym.
Body aly thera ynn' ynnu' ysl' im moncor lu sim.
Et alonim valonoth: seccarati misti attic, umasse,
Conço biti miabel locuti nibe ani; lo laccu tchinanus is.
Hoi oesi, lec po, nasse athid anus, con ul emum diber, tefelon, ob, uthume:
Cel tum: com ucra: lu enus et oni mau ose: ubar banthy ach Aristoclem.
At, assena china soth, el iaeli, cosa lemun diber termi, cai: upsu aspoti:
Eod eanec lictor bo desi assam limnim coles.
Deos Deasque veneror, qui hanc urbem colunt,
Ut, quod de mea re huc veni, rite venerim.

Meæque ut gnatas, et mei fratris filium,
Reperire me siritis, Dii, vostram fidem!
Quæ mihi surreptæ sunt, et fratris filium.
Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.
Eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit.
Eius filium hic prædicant esse Agorastoclem:
Deum hospitalem ac tesseram mecum fero:
In hisce habitare monstratu 'st regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.

SCENA II. *Agorastocles, Milphio, Hanno.*

A. Ain' tu tibi dixe Syncerastum, Milphio,
Has esse ingenuas ambas surrepticias
Carthaginiensis? *M.* Aio: et, si frugi esse vis,
Eas liberali iam asseres causa manu.
Nam tuum flagitium 'st tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.
H. Pro Dii immortales! obsecro vostram fidem!
Creta est profecto horum hominum oratio.
Quam orationem hanc aures dulcem devorant!
Ut mihi absterserunt omnem sorditudinem!
A. Si ad eam rem testeis habeam, faciã, quod iubes.
M. Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter?
Atque fortuna fuerit adiutrix tibi.
A. Incipere multo est, quam impetrare, facilius.
M. Sed quænã illæc avis est, quæ huc cũ tunicis ad-
Numnam it a balneis, circumductus pallio? (venit?
Facies quidem, edepol, Punica est ***
Servos quidem, edepol, veteres antiquosque habet.
A. Qui scis? *M.* Viden' homines sarcinatos consequi?
Atque ut opinor digitos in manibus non habent.
A. Quid iã? *M.* Quia incedunt cũ annulatis auribus:
Adibo hosce, atque appellabo Punice.
Si respondebunt, Punice pergam loqui:
Si non; tum ad horum mores linguam vortero.
Quid ais tu? ecquid adhuc commeministi Punice?
A. Nihil, edepol: nam qui scire potui dic mihi,
Qui illinc sexennis perierim Carthagine?
H. Pro, Dii immortales! plurimi ad hunc modum
Periere pueri liberi Carthagine. (Punice?
M. Quid ais tu? *A.* Quid vis? *M.* Vin' appellem hunc
A. An scis? *M.* Nullus me est hodie Pœnus Pœnior.
A. Adi, atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quojatis, unde sit: ne parseris.
M. *Avo!* quoiates estis? aut quo ex oppido?
H. *Hanno muthumballe bechaedreanech.*
A. Quid ait? *M.* Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensem, Muthumballis filium.
H. *Avo!* *M.* Salutat. *H.* *Donni!* *M.* Doni volt tibi
Dare hinc nescio quid: audin' pollicerier?
A. Saluta hunc rursus Punice verbis meis.
M. *Avo donni*, hic mihi tibi inquit verbis suis.
H. *Me bar bocca.* *M.* Istuc tibi sit potius, quã mihi!
A. Quid ait? *M.* Miseram esse prædicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
A. Si ita est, nega esse: nolo ego errare hospitem.
M. Audi tu, *rufen nuco istam.* *A.* Sic volo
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus sit. *M.* Tu, qui zonã non habes,
Quid in hanc venistis urbem, aut quid quæritis?
H. *Muphursa.* *A.* Quid ait? *H.* *Mivulechianna.*
A. Quid venit?
M. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus. (ait?
H. *Laech lachananim limĩ nichot.* *A.* Quid nunc
M. Ligulas canalis ait se advexisse, et nuces:
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant. (est?
A. Mercator, credo, est. *H.* *Isam arninam.* *A.* Quid
H. *Palum erga decth a.* *A.* Milphio, quid nunc ait?
M. Palas vendundas sibi ait, et mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat,
Ad messim, credo, missus hic quidem tuam.
A. Quid istuc ad me? *M.* Certiorem te esse volui,
Ne quid clam furtive accepisse censeas.
H. *Muphonnium sucoruhim.* *M.* Hẽ! cave si feceris
Quod hic te orat. *A.* Quid ait, aut quid orat? expedi.
M. Sub cratim uti iubeas sese supponi, atque eo
Lapides imponi multos, ut sese neces.
H. *Gunebel balsamenierasan.* *A.* Narra, quid est?
Quid ait? *M.* Non, hercle, nunc quidem quidquã scio.
H. At, ut scias nunc, dehinc Latine iam loquar.
Servom, hercle, te esse oportet et nequam et malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.
M. At, hercle, te hominem et sycophantam et subdolũ
Qui huc advenisti nos captatum, Migdilybs,
Bisulcilingua quasi proserpens bestia.
A. Maledicta hinc aufer: linguam compescas face.
Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Meis consanguineis nolo te iniuste loqui.
Carthagini ego sum natus, ut tu sis sciens.
H. O mi popularis! salve. *A.* Et tu, edepol, quisquis es.
Et, si quid opus est, quæso, dic; atque impera,
Popularitatis causa *H.* Habeo gratiam.
Verum ego hic hospitium habeo: Antidamæ filium
Quæro. Commonstra, si novisti Agorastoclem.
Ecquem adolescentem tu hic novisti Agorastoclem?
A. Siquidem tu Antidamæ hic quæris adoptaticium,
Ego sum ipsus, quẽ tu quæris. *H.* Hẽ! quid ego audio?
A. Antidamæ gnatum me esse. *H.* Si ita est, tesserã
Conferre si vis hospitalem, eccam, attuli.
A. Agedũ, huc ostende. Est par probe: nã habeo domi.
H. O mi hospes! salve multum! nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo, hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.
A. Ergo hic apud me hospitium tibi præbebitur.
Nam haud repudio hospitium, neque Carthaginem:
Inde sum oriundus. *H.* Dii dent tibi omnes, quæ ve-
Quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini (lis.
Natus sis, hic autem habuisti Ætolum patrem?
A. Surreptus sum illinc: hic me Antidamas, hospes
Emit; et is me sibi adoptavit filium. (tuus,
H. Demarcho item ipse fuit adoptaticius.
Sed mitto de illo, at ad te redeo. Dic mihi,
Ecquid meministi tuum parentum nomina?
A. Patris atque matris memini. *H.* Memora dũ mihi,
Si novi forte, aut si sunt cognati mihi.
A. Ampsigura mater mihi fuit, Iachon pater.
H. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!
A. An mortui sunt? *H.* Factum; quod ægre tuli.
Nam mihi sobrina Ampsigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus;
Et is me hæredem fecit, cum suum obiit diem:
Quo me privatum ægre patior mortuo.
Sed, si ita est, ut tu sis Iachonis filius,
Signum esse oportet in manu læva tibi,
Ludenti puero quod momordit simia.
Ostende, ut inspiciam: aperi. *A.* Vide: eccum, adest.
Mi patrue, salve! *H.* Et tu salveto, Agorastocles!
Iterum mihi natus videor, quia te repperi.
M. Pol, istam rem vobis bene evenisse gaudeo.
Et te moneri numne vis? *H.* Sane volo.
M. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquom 'st habere hunc bona, quæ possedit pater.
H. Haud postulo aliter: restituentur omnia.
Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit.
M. Facito sis reddas, etsi hic habitabit tamen.
H. Quin mea quoque iste habebit, si quid me fiat.
M. Festivom facinus venit mi in mentem modo:

H. Quid id est? *M.* Tua 'st opus opera.
H. Dic mihi, quid lubet?
Profecto uteris, ut voles, operam meam.
Quid est negoti? *M.* Potin' tu fieri subdolus?
H. Inimico possum, amico insipientia 'st.
M. Inimicus, hercle, est huius. *H.* Male faxim lubens.
M. Amat a lenone hic. *H.* Facere sapienter puto.
M. Leno hic habitat vicinus. *H.* Male faxim lubens.
M. Ei duæ puellæ sunt meretrices servolæ
Sorores: earum hic alteram efflictim perit:
Neque eam incestavit unquam. *H.* Acerba amatio 'st.
M. Nunc leno ludificatur. *H.* Suum quæstum colit.
M. Hic illi malam rē dare volt. *H.* Frugi, si id facit.
M. Nunc hoc consiliū capio, et hanc fabricā apparo,
Ut te allegemus: filias dicas tuas,
Surreptasque esse parvolas Carthagine,
Manuque liberali causa ambas asseras,
Quasi filiæ tuæ sint ambæ. Intellegis?
H. Intelligo, hercle: nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice una surreptæ sunt parvolæ.
M. Lepide, hercle, assimulas! Iam in principio id mihi placet.
H. Pol, magis, quam vellem.
M. Heu! hercle, mortalem catum,
Malum, crudumque, et callidum atque subdolum!
Ut afflet! quo illud gestu faciat facilius.
Me quoque dolis iam superat architectonem.
H. Sed earum nutrix qua sit facie, mihi expedi.
M. Statura haud magna corpore aquilo. *H.* Ipsa ea 'st.
M. Specie venusta, ore parvo, atque oculis pernigris.
H. Formam quidem, hercle, verbis depinxti mihi.
M. Viu' eam videre? *H.* Filias malo meas,
Sed i, atque evoca illam, si eæ meæ sunt filiæ:
Si illarum est nutrix, me continuo noverit.
M. Heus! ecquis hic est? Nuntiate, ut prodeat
Foras Giddeneme: est, qui illam conventā esse volt.

Scena III. *Giddeneme, Milphio, Hanno, Agorastocles, Puer.*

G. Quis pultat? *M.* Qui te proxumus est.
G. Quid vis? *M.* Eho!
Novistin' tu illunc tunicatum hominem, qui siet?
G. Nam quem ego aspicio? pro, supreme Iupiter!
Herus meus hic quidem 'st mearum alumnarū pater,
Hanno Carthaginiensis. *M.* Ecce autem mala!
Præstigiator hic quidem Pœnus probu 'st,
Perduxit omnis ad suam sententiam.
G. O mi here! salve, Hanno, insperatissume
Mihi tuisque filiis, salve! atque, eho!
Mirari noli, neque me contemplarier.
Cognostin' Giddenemen, ancillam tuam?
H. Novi: sed ubi sunt meæ gnatæ? id scire expeto.
G. Apud ædē Veneris. *H.* Quid ibi faciunt? dic mihi.
G. Aphrodisia hodie Veneris est festus dies;
Oratum ierunt Deam, ut sibi esset propitia.
M. Pol, satis scio, impetrarunt, quando hic hic adest.
A. Eho! an huius sunt illæ filiæ? *G.* Ita, ut prædicas.
Tua pietas nobis plane auxilio fuit,
Cum huc advenisti hodie in ipso tempore.
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstum corpore.
P. Handones illi havon bene si illi in mustine.
G. Me ipsi et eneste dum et alamna cestinum.
A. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
M. Matrem salutat hic suam, hæc autem hunc filiu.
H. Tace atque parce muliebri supellectili.
A. Quæ ea 'st supellex? *H.* Clarus clamor sine modo.
Tu abduc hos intro; et una nutricem simul
Iube abire hanc ad te. *A.* Fac, quod imperat.
M. Sed quis illas tibi monstrabit? *A.* Ego doctissume.
M. Abeo igitur. *A.* Facias modo, quā memores, mavelim.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
M. Lachanam vos! quos ego iam detrudam ad molas,
Inde porro ad puteum, atque ad robustum codicem.
Ego faxo hospitium hoc leviter laudabitis.
A. Audin' tu, patrue? dico, ne dictum neges:
Tuam mihi maiorem filiam despondeas.
H. Pactā rem habeto. *A.* Spondesne igitur? *H.* Spondeo.
A. Mi patrue, salve! nam nunc es plane meus.
Nunc demum ego cum illa fabulabor libere.
Nunc, patrue, si vis tuas videre filias,
Me sequere. *H.* Iamdudū equidem cupio, et te sequor.
A. Quid si eamus illis obviam? *H.* At, ne inter vias
Præterbitamus, metuo. Magne Iupiter!
Restitue certas mihi ex incertis nunc opes.
A. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipsas. *H.* Hæccine sunt meæ filiæ?
Quantæ e quantillis iā sunt factæ! *A.* Sciu' quid est?
Græcæ sunt hæ columnæ; sustolli solent.
M. Opinor, hercle, hodie, quod ego dixi per iocum,
Id eventurum esse et severum et serium,
Ut hæ inveniantur hodie esse huius filiæ.
A. Pol, istud quidē iā certum 'st. Tu istos, Milphio,
Abduce intro: nos hasce hic præstolabimur.

Scena IV. *Anterastilis, Adelphasium, Agorastocles, Hanno.*

An. Fuit hodie operæ pretium eius qui amabilitati animum adiiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui odia ornatum eo visere venit.
Deamavi, ecastor, illic ego hodie lepidissuma munera meretricum,
Digna Diva venustissuma Venere: neque contemsi eius opus hodie:
Tanta ibi copia venustatum aderat, in suo quæque loco sita munde.
Arabius murrhinusque omnis odor complebat. Haud sordere visu 'st
Festus dies, Venus, nec tuum fanum: tantus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. Certo enim, quod quidem ad nos duas
Attinuit, præpotentes, pulchræ pacisque potentes, soror, fuimus;
Neque ab iuventute ibi irridiculo habitæ: quod, pol, soror, cæteris omnibus factum 'st.
Ad. Malim istuc aliis ita videatur, quam uti tute, soror, collaudes. *An.* Spero equidem.
Ad. Et, pol, ego; cum, ingeniis quibus sumus atque aliæ, cognosco.
Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse a culpa castas.
H. Iupiter, qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem ævum,
Quem penes spes vitæ sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem, quæso,
Rebus mei agundis. Quibus annos multos carui, quasque e patria
Perdidi parvas, redde his libertatem; invictæ præmium ut esse sciam pietati.
Ag. Omnia faciet Iupiter, faxo; nam mihi est obnoxius, et me metuit.
H. Tace, quæso. *Ag.* Ne lacryma, patrue.
An. Ut volupe 'st homini, mea soror, si, quod agit, cluet victoria!
Sicut hodie nos inter alias præstitimus pulchritudine.

Ad. Stulta, soror, es magis, quam volo. Au vero pulchra videre, obsecro,
Si tibi illic non os oblitum 'st fuligine?
Ag. O patrue! o patrue mi patruissume!
H. Quid est, fratris mei gnate? mi gnate, quid vis? expedi.
Ag. At enim volo hoc agas. *H.* At enim ago istuc.
Ag. Patrue mi patruissume!
H. Quid est? *Ag.* Est lepida et lauta: ut sapit!
H. Ingenium patris habet, quod sapit.
Ag. Quæ res? iam diu, edepol, sapientiam tuam abusa 'st hæc quidem.
Nunc hinc sapit, hinc sentit: quidquid sapit, amore meo sapit.
Ad. Nuu eo sumus genere prognatæ, tametsi sumus servæ, soror,
Ut deceat facere nos quidquam, quod homo quisquam irrideat.
Multa sunt mulierum vitia: sed hoc e multis maxumum 'st,
Cum sibi nimis placent, nimisque operam dant, ut placeant viris.
An. Nimiæ voluptati 'st, quod in extis nostris portentum 'st, soror,
Quodque haruspex de ambabus dixit.
Ag. Velim de me aliquid dixerit.
An. Nos fore, invito domiuo nostro, diebus paucis liberas.
Id ego, nisi quid Dii aut parentes faxint, quid sperem haud scio.
Ag. Mea fiducia, hercle, haruspex, patrue, his promisit, scio,
Libertatem, quia me amare hanc scit.
Ad. Soror, sequere hac. *An.* Sequor.
H. Priusquam abitis, vos volo ambas. Nisi piget, consistite.
Ad. Quis revocat? *Ag.* Qui bene volt vobis facere.
Ad. Facere occasio 'st.
Sed quis homo 'st? *Ag.* Amicus vobis.
Ad. Qui quidem non inimicus est:
Ag. Bonus est hic homo, mea voluptas.
Ad. Pol, istum malim, quam malum.
Ag. Siquidem amicitia 'st habenda, cum hoc habenda 'st. *Ad.* Haud precor.
Ag. Multa bona vobis facere volt.
Ad. Bonus bonis benefeceris.
H. Gaudio ero vobis.
Ad. At, edepol, nos voluptati tibi.
H. Libertatiq. *Ad.* Isto pretio tuas nos facile feceris.
Ag. Patrue mi, ita me Dii amabunt, ut ego, si sim Iupiter,
Iam, hercle, ego illam uxorem ducam, et Iunonem extrudam foras.
Ut pudice verba fecit! cogitate, et commode!
Ut modeste orationem præbuit! certo hæc mea 'st.
H. Sed ut astu sum aggressus ad eas!
Ag. Lepide, hercle, atque commode.
H. Pergo etiam tentare?
Ag. In pauca confer: sitiunt, qui sedent.
H. Quid istic, quod faciundum 'st, cur non agimus? In ius vos voco.
Ag. Nunc tene, patrue. *H.* Tu, frugi si bonæ es.
Ag. Viu' ego hanc apprehendam? *H.* Tene.
Ad. An patruus est, Agorastocles, tuus hic?
Ag. Iam, faxo, scibis.
Nunc pol ego te ulciscar probe; nam, faxo, mea eris sponsa,
H. Ite in ius; ne moramini.
An. Antestare me, atque duce.
Ag. Ego te antestabor: postea hanc amabo, atque amplexabo:
Sed illud quidem volui dicere; immo, dixi, hercle, quod volebam.
H. Moramini: iu ius vos voco, nisi honestiu 'st prehendi.
Ad. Quid in ius vocas nos? quid tibi debemus?
Ag. Dice tu illi.
Ad. Etiam me meæ latrant canes?
Ag. At tu, hercle, alludiato;
Dato mihi, pro offa, savium; pro osse, linguam obiicito:
Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem.
H. Ite, si itis. *Ad.* Quid nos fecimus tibi?
H. Fures estis ambæ.
Ad. Nosne tibi? *H.* Vos, inquam.
Ag. Atque ego scio. *Ad.* Quid furti est id?
Ag. Hunc rogato.
H. Quia annos multos filias meas celavistis clam me;
Atq; equidē ingenuas, liberas, summoq; genere natas.
Ad. Nunquam, mecastor, reperies tu istuc probrum penes nos.
Ag. Da pignus, ni nunc periures, in savium, uter utri det.
Ad. Nihil tecum ago: abscede, obsecro.
Ag. Atque, hercle, mecum agundum 'st:
Nam hic patruus meu 'st: pro hoc mihi patronus sim necesse est.
Ei prædicabo, quomodo vos furta faciatis multa;
Quoque modo huiusce filias apud vos habeatis servas
Quas vos ex patria liberas surreptas esse scitis.
Ad. Ubi sunt eæ? aut quæ sunt? obsecro.
Ag. Satis sunt maceratæ.
H. Quin eloquar. *Ag.* Censeo, hercle, patrue.
Ad. Misera timeo, quid
Hoc sit negoti, mea soror: ita stupida sine animo asto.
H. Advortite animum, mulieres; primum, si id fieri possit,
Ne indigna indignis Dii darent, id ego evenire vellē,
Nunc quod boni mihi Dii dant, vobis vostræq; matri:
Eas Diis est æquum gratias nos agere sempiternas,
Cum nostram pietatem approbant decorantque Dii immortales.
Vos meæ estis ambæ filiæ: et hic est cognatus voster,
Huiusce fratris filius, Agorastocles. *Ad.* Amabo,
Num hi falso oblectant gaudio nos?
Ag. At me ita Dii servent,
Ut hic pater est voster. Date manus.
Ad. Salve, insperate nobis
Pater! te complecti nos sine.
H. Cupitæ atque exspectatæ.
An. Pater, salve! ambæ filiæ sumus: amplectamur ambæ.
Ag. Quis me amplectetur postea?
H. Nunc ego sum fortunatus:
Multorum annorū miserias nunc hac voluptate sedo.
Ad. Vix hoc videmur credere.
H. Magis qui credatis, dicam:
Nam vostra nutrix primum me cognovit.
Ad. Ubi ea, amabo, est?
H. Apud hunc est.
Ag. Quæso, qui lubet tam diu tenere collum,
Priusquam te mihi desponderit? *Ad.* Omitto.
Ag. Sperata, salve! *Ad.* Omitte
Salutem. *Ag.* Et tu altera.
An. Nolo ego istuc: enicas me.
H. Condamus alter alterum ergo in nervo brachiali.
Quibus nunc in terra meliu 'st?
Ag. Eveniunt digna dignis.

Tandem huic cupitum contigit. O Apella! O Zeuxis pictor!
Cur numero estis mortui? hinc exemplũ ut pingeretis.
Nam alios pictores nihil moror huiusmodi tractare exempla.
H. Dii Deæque omnes, vobis habeo merito magnas gratias,
Cum hac me lætitia tanta et tantis affecistis gaudiis,
Ut meæ gnatæ ad me redirent in potestatem meam.
Ad. Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.
Ag. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam maiorem filiam
Mihi te despondisse. *H.* Memini.
Ag. Et dotis quid promiseris.

SCENA V. *Anthemonides, Adelphasium, Anterastilis, Hanno, Agorastocles.*

Anth. Si ego minam non ultus fuero probe, quam lenoni dedi,
Tum profecto me sibi habento scurræ ludificatui.
Is etiam me ad prandiũ ad se adduxit ignavissumus;
Ipse abiit foras; me reliquit pro atriensi in ædibus.
Ubi nec leno, neque illæ redeunt, nec, quod edim, quidquam datur,
Pro minore parte prandi pignus cepi; abii foras:
[Sic derisorem] ære militari tetigero lenunculum.
Nactu 'st hominẽ, mina quẽ argenti circumduceret!
Sed mea amica nunc mihi irato obviam veniat velĩ!
Iam, pol, ego illam pugnis totam faciã, ut sit morula;
Ita replebo atritate, atrior multo ut siet,
Quã Ægyptii, aut qui cortinã ludis per Circũ ferunt.
Ad. Tene sis me arcte, mea voluptas: male ego metuo miluos.
Mala illa bestia 'st: ne forte me auferat, pullum tuũ.
Ante. Ut nequeo te satis complecti, mi pater!
Anth. Ego me moror.
Propemodum hoc obsonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc est? quid hoc? quid hoc est? quid ego video? quomodo?
Quid hoc est conduplicationis? quæ hæc est congeminatio?
Quis hic homo 'st cum tunicis longis, quasi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? estne illæc mea amica Anterastilis?
Et ea certo est. Iampridẽ ego me sensi nihili pendier.
Non pudet puellã amplexari baiiolum in media via?
Iam hercle ego illũ excruciando totũ carnufici dabo.
Sane genus hoc muliebrosum 'st tunicis demissiciis.
Sed adire certum 'st hanc ad amatricem Africam.
Heus tu! tibi dico, mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negoti autem est cum istac, dic mihi?
H. Adolescens, salve! *Anth.* Nolo, nihil ad te attinet.
Quid tibi hanc digito tactio 'st? *H.* Quia mihi lubet.
Anth. Lubet? *H.* Ita dico.
Anth. Ligula, i in malam crucem.
Tune hic amator audes esse, hallex viri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta mæna, Sarrapia sementium,
Mastruga, ἅλς ἀγορᾶς ἅμα: tum autem plenior
Alli, ulpicique, quam Romani remiges.
Ag. Num tibi, adolescens, malæ aut dentes pruriunt,
Qui huic es molestus? an malam rem quæritas?
Anth. Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum esse arbitror magis, quam virum.
Ag. Scin' quã cinædus sum? ite istinc, servi, foras:
Effert e fustis. *Anth.* Heus tu! si quid per iocum
Dixi, nolito in serium convortere.
Ante. Quid tibi lubido 'st, obsecro, Anthemonides,
Loqui inclementer nostro cognato et patri?
Nam hic noster pater est: hic nos cognovit modo;
Et hunc sui fratris filium. *Anth.* Ita me Iupiter
Bene amet, bene factum! gaudeo, et volupe 'st mihi,
Siquidem quid lenoni obtigit magni mali;
Cumque e virtute vobis fortuna obtigit.
Ante. Credibile, ecastor, dicit: crede huic, mi pater.
H. Credo. *Ag.* Et ego credo. Sed eccũ lenonẽ Lycũ,
Bonum virum, eccum video; se recipit domum.
H. Quis hic est? *Ag.* Utrumvis est, et leno et Lycus.
In servitute hic habuit filias tuas.
Anth. Et mihi hic auri fur est.
H. Bellum hominem, quem noveris!
Ag. Rapiamus in ius. *H.* Minume. *Ag.* Quapropter?
H. Quia
Iniuriarum multam dici satius est.

SCENA VI. *Lycus, Agorastocles, Hanno, Anthemonides.*

L. Decipitur nemo, mea quidem sententia
Qui suis amicis narrat recte res suas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.
Ag. Leno, eamus in ius. *L.* Obsecro te, Agorastocles,
Suspendere ut me liceat. *H.* Leno, in ius te voco.
L. Quid tibi mecũ autem? *H.* Quia hasce aio liberas
Ingenuasque esse filias ambas meas,
Quæ sunt surreptæ cum nutrice parvulæ.
L. Iampridem equidem istuc scivi; et miratus fui,
Neminem venire, qui istas assereret manu.
Meæ quidem profecto non sunt. *An.* Leno, in ius eas.
L. De prandio tu dicis. Debetur; dabo.
Ag. Duplũ pro furto mihi opu 'st. *L.* Sume hinc quidem.
H. Et mihi suppliciis multis. *L.* Sume hinc quid lubet.
An. Et mihi quidem mina argenti.
L. Sume hinc quid lubet.
Collo rem solvam iam omnibus, quasi baiulus.
Ag. Numquid recusas contra me? *L.* Adversũ quidẽ.
Ag. Ite igitur intro, mulieres, Sed, patrue mi,
Tuam ut dixisti mihi desponde filiam. (le.
H. Haud aliter ausĩ. *An.* Bene vale. *Ag.* Et tu bene va-
An. Leno! arrhabonem hoc pro mina mecum fero.
L. Perii, hercle! *Ag.* Immo, haud multo post, cum in ius veneris.
L. Quin egomet tibi me addico: quid prætore opu 'st?
Verum obsecro te, ut liceat simplum solvere.
Trecentos - Philippos, credo, corradi potest:
Cras auctionem faciam. *Ag.* Tantisper quidem,
Ut sis apud me lignea in custodia. (atum diem
L. Fiat. *Ag.* Sequere intro, patrue mi, ut hunc fe-
Habeamus hilarem, huius malo, et nostro bono.
Multum valete: multa verba fecimus.
Malum postremo hoc omne ad lenonem redit.
Nunc, quod postremum 'st condimentum fabulæ,
Si placuit, plausum postulat comœdia.

SUPPOSITA.

Post Actus V. Scenam VI. adiecerunt vett. Editt. sequentem Scenam.

Agorastocles, Lycus, Hanno, Adelphasium, Anterastilis, Anthemonides.

Ag. Quam rem agit iam miles, quoi lubet patruo meo loqui inclementer?
Ne mirere, mulieres quod eum sequuntur: modo cognovit filias
Suas esse hasce ambas. *L.* Hem! quod verbum aures meas tetigit! nunc perii.

Unde hæ perierunt? *Ag.* Domo Carthaginienses sunt.
L. At ego sum perditus.
Illud ego metui semper, ne cognosceret eas aliquis: quod nunc factum est.
Væ misero mihi! Periere, opinor, duodeviginti minæ qui hasce emi.
Ag. Et tu ipse periisti, Lyce. Carthaginienses sunt.
L. At ego sum perditus. *H.* Quis hic est?
Ag. Utrumvis est, vel leno, vel Lycus, in servitute hic qui filias habuit duas.
An. Et mihi auri fur est. *H.* Bellum hominem, quem noveris! *Ag.* Leno, rapacem
Te esse semper credidi: verum etiam furacem, qui noruut magis. *L.* Accedam.
Per ego te tua genua obsecro, et hunc, cognatum quem tuum esse intelligo,
Quando boni estis, ut bonos facere addecet, facite; et vostro subveniatis supplici.
Iampridem equidem istas scivi esse liberas; et expectabam, si quis eas assereret manu.
Nam meæ prorsus non sunt. Tum autem aurũ tuum reddam, quod apud me est:
Et iusiorandum dabo, me malitiose nihil fecisse, Agorastocles.
Ag. Quod mihi par facere, tamen egomet consulam. Omitte genua. *L.* Mitto,
Si ita sententia est. *Ag.* Heus tu leno. *L.* Quid lenonem vis inter negotium?
Ag. Utinam mihi argentum reddas, priusquam hinc in nervom abducere. *L.* Dii
Meliora faxint. *Ag.* Sic est, video: cœnabis foris: aurum, argentum, collum,
Leno, tris res nunc debes simul.
H. Quid me hac re facere deceat, egomet
Mecum cogito: si volo hunc ulcisci, lites sequar in alieno oppido;
Quantum audivi, ingenium et mores eius quo pacto sient. *Ad.* Mi pater,
Ne quid tibi cum istoc rei siet, te maxume obsecro.
An. Ausculta sorori.
Abi, disiunge inimicitias cum improbo. *H.* Hoc age sis, leno: quamquam ego, te
Meruisse ut pereas, scio; non experiar tecum.
Ag. Neque, si aurum mihi reddas, mecum,
Leno, quando ex nervo emissus compingare in carcerem. *L.* Iam autem, ut solet,
Ego, Pœne, tibi me purgatum volo, si quid dixi iratus advorsum
Animi tui sententiam; id uti ignoscas, quæso: et, cum istas invenisti filias,
Ita me Dii ament, mihi volupta 'st.
H. Ignosco, et credo tibi.
An. Leno, tu aut amicam mihi des facito, aut auri reddas mihi minam.
L. Vin' tibicinam meam habere?
An. Nihil moror tibicinam: nescias,
Utrum ei maiores buccæne an mammæ sient.
L. Dabo, quod placeat.
Ag. Cura. *L.* Aurum cras ad te referam tuum.
Ag. Facito in memoria habeas.
L. Miles, sequere me. *An.* Ego vero sequor.
Ag. Quid ais, patrue? Quando hinc ire cogitas
Carthaginem? nam tecum una ire certum est.
H. Ubi primum potero,
Illico. *Ag.* Dum auctionem facio, hic opus est, aliquos ut maneas dies.
H. Faciam ita, ut vis.
Ag. Age sis, eamus; nos curemus. Plaudite.

PSEUDOLUS

DRAMATIS PERSONÆ.

PSEUDOLUS, *servus.*	HARPAX, *cacula.*
CALIDORUS, *adolescens.*	CHARINUS, *adolescens.*
BALLIO, *leno.*	PUER.
LORARII, *quatuor.*	COCUUS.
SIMO, } *senes.*	SIMIA, *sycophanta.*
CALLIPHO, } *senes.*	PHŒNICIUM, *meretrix.*

Argumentum (PRISCIANI?)

Præsentes numerat quindecim Miles minas:
Simul consignat symbolum, ut Phœnicium
Ei det leno, qui eum cum reliquo afferat.
Venientem caculam intervortit symbolo,
Dicens Syrum se Ballionis, Pseudolus:
Opemque herili ita tetulit: nam Simiæ
Leno mulierem, quem is supposuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palam cognoscitur:
Senexque argentum, quod erat pactus, reddidit.

Prologus (*incerti Auctoris.*)

Studete hodie mihi: bona in scenam afferro:
Nam bona bonis ferri reor æquom maxume,
Ut mala malis; ut, qui mali sunt, habeant mala;
Qui boni, bona. Bonos, quod oderint mali,
Sunt mali: malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet. Vosque ideo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos; et lege, et legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus est, et hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient saturi.
In scenam qui ieiunus venerit, aut sitiens,
Is risu et ventre raso vigilabit sedulo:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc, si sapitis, cedite, ieiuni, atque discedite:
Vos, saturi state; immo, sedete, atque attendite.
Non argumentum, neque huius nomen fabulæ
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus:
Satis id dictum vobis puto iam, atque deputo.
Ubi lepos, ioci, risus, vinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio;
Qui quærit alta, is malum videtur quærere.
Curas malas abiicite iam, ut otiosi hodie.
Exporgi meliu' st lumbos, atque exsurgier.
Plautina longa fabula in scenam venit.

ACTUS I. SCENA I. *Pseudolus, Calidorus.*

P. Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quæ miseriæ te tam misere macerent,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, et tui respondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit, ut te rogitem. Responde mihi:
Quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis.
Neque tui participem consili quemquam facis?
Eloquere, ut, quod ego nescio, id tecum sciam.
C. Misere miser sum, Pseudole. *P.* Id te Iupiter
Prohibessit. *C.* Nihil hoc Iovis ad iudicium attinet.
Sub Veneris regno vapulo, non sub Iovis.
P. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.
C. Idẽ animus nunc est. *P.* Fac me certũ, quid tibi 'st.
Iuvabo aut re, aut opera, aut consilio bono.
C. Cape has tabellas; tute hinc narrato tibi,

Quæ me miseria et cura contabefacit. (est?
P. Mos tibi geretur. Sed quid hoc? quæso. C. Quid
P. Ut opinor, quærunt literæ hæ sibi liberos;
Alia aliam scandit. C. Ludis me ludo tuo.
P. Has quidem, pol, credo nisi Sibylla legerit,
Interpretarier potesse neminem.
C. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
P. Au, obsecro, hercle habent quoque gallinæ manus?
Nam has quidem gallina scripsit. C. Odiosus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. P. Immo enim pellegam:
Advortito animum. C. Non adest. P. At tu cita.
C. Immo, ego tacebo; tu hinc ex cera cita:
Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.
P. Tuā amicā video, Calidore. C. Ubi ea est, obsecro?
P. Eccam in tabellis porrectam: in cera cubat.
C. At te Dii Deæque, quantus es.... P. Servassint
C. Quasi solstitialis herba, paulisper fui: (quidem.
Repente exortus sum; repentino occidi.
P. Tace, dum tabellas pellego. C. Ergo quin legis?
P. Phœnicium Calidoro amatori suo,
Per ceram et linum literasque interpretes,
Salutem mittit, et salutem abs te expetit,
Lacrumans, titubanti animo, corde, et pectore.
C. Perii! salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illi remittam. P. Quā salutem? C. Argenteam.
P. Pro lignean' salute, vis argenteam
Remittere illi? Vide sis, quam tu rem geras.
C. Recita modo: ex tabellis iam, faxo, scies
Quam subito argento mi usus invento siet.
P. Leno me peregre militi Macedonio
Minis viginti vendidit, voluptas mea:
Et, priusquam hinc abiit, quindecim Miles minas
Dederat; nunc una quinque remorantur minæ:
Ea causa Miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut, qui huc afferret eius similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
Hæc præstituta 'st, proxuma Dionysia.
C. Cras ea quidem sunt. Prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxili. P. Sine pellegam.
C. Sino: nam mihi videor cum ea fabularier.
Lege: dulce amarumque una nunc misces mihi.
P. Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Iocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
Compressiones arctæ amantum comparum,
Teneris labellis molles morsiunculæ,
Papillarum horridularum oppressiunculæ,
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Distractio: discidium, vastities venit,
Nisi quæ mihi in te 'st aut tibi est in me salus.
Hæc, quæ ego scivi, ut scires curavi omnia:
Nunc ego te experiar, quid ames, quid simules: vale.
C. Est misere scriptum, Pseudole! P. O! miserrume!
C. Quin fles? P. Pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modo.
C. Quid ita? P. genus nostrū semper siccoculū fuit.
C. Nihilne adiuvare me audes? P. Quid faciam tibi?
C. Heu!
P. Heu? id quidem tibi, hercle, ne parsis, dabo.
C. Miser sum; argentum nusquā invenio mutuum,
Pseudole. P. Heu! C. Neque intus nummus ullus est.
P. Eheu!
C. Ille abducturus est mulierem cras. P. Eheu!
C. Istoccine pacto me adiutas? P. Do id quod mihi est:
Nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo.
C. Actum hodie de me est: sed potes nunc mutuam
Drachmam dare mi unam, quam cras reddibo tibi?
P. Vix, hercle, opinor, si me opponam pignori.
Sed quid de drachma facere vis? C. Restim volo (lem.
Mihi emere. P. Quamobrē? C. Qui me faciā pensi-
Certum 'st mihi, ante tenebras, tenebras persequi.
P. Quis mi igitur drachmam reddet, si dederim tibi?
An tu te ea causa vis sciens suspendere,
Ut me defraudes drachma, si dederim tibi?
C. Profecto nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
P. Quid fles, cucule? vives. C. Quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti siet;
Neque cui libellæ spes sit usquam gentium.
P. Ut literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrē in cribrum ingeras.
Verum ego te amantem, ne pave, non deseram.
Spero, alicunde hodie me bona opera, aut hac mea,
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Atque, id futurum unde, unde dicam, nescio;
Nisi quia futurum 'st: ita supercilium salit.
C. Utinam, quæ dicis, dictis facta suppetant!
P. Scis tu quidem, hercle, mea si commovi sacra,
Quo pacto et quantas soleam turbellas dare.
C. In te nunc sunt omnes spes ætati meæ.
P. Satin' est, si hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
C. Satis, si futurum 'st. P. Roga me viginti minas.
Ut me effecturum tibi, quod promisi, scies,
Roga, obsecro, hercle. Gestio promittere.
C. Dabisne argenti mi hodie viginti minas?
P. Dabo; molestus nunc iam ne sis mihi.
Atque, hoc ne dictum tibi neges, dico prius;
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem!
C. Dii te mihi omnes servent! Verum, si potes,
Pietatis causa, vel etiam matrem quoque.
P. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.
C. Oculum utrum, anne in aurem?
P. At hoc pervolgatum 'st minus.
Nunc, ne quis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pube præsenti, in concione, omni poplo,
Omnibus amicis, notisque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.
C. St! tace, obsecro, hercle. P. Quid negoti 'st? C. O-
Lenonis crepuit. P. Crura mavellē modo. (stium
C. Atque ipse egreditur penitus periurum caput.

SCENA II. *Ballio, Lorarii IV, Pseudolus, Calidorus.*

B. Exite, agite, ite ignavi male habiti, et male conciliati,
Quorum nunquam quidquam quoiquam venit in mentem, ut recte faciant.
Quibus nisi ad hoc exemplum experior; non potest usurpari usura.
Neque ego homines magis asinos nuquam vidi, ita plagis costæ callent.
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribæ,
Qui hæc habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc est eorum opus;
Ut mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes.
At, faciem cum aspicias eorum, haud mali videntur; opera fallunt.
Nunc adeo, hanc edictionem nisi animum advortitis omnes,
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis,

Ita ego vostra latera loris faciam, ut valide varia sint;
Ut ne peristromata quidem æque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri ante dixeram omnibus, dederamque eas provincias:
Verum ita vos estis perditi, negligentes, ingenio improbo,
Officium vostrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati estis vos. Vincite hoc duritis ergo atque me.
Hoc vide sis, ut alias res agunt! Hoc agite; hoc animum advortite;
Huc adhibete aures, quæ ego loquar plagigera genera hominum.
Nunquam, edepol, vostrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum.
Qui nunc? doletne? Hem! sic datur, si quis herum servos aperuit.
Assistite omnes contra me, et, quæ loquor, advortite animum.
Tu, qui urnam habes, aquam ingere; face, plenum aenum sit cito.
Te, cum securi, caudicali præficio provinciæ.
L. At hæc retunsa 'st. *B.* Sine siet: itidem vos quoque estis plagis omnes.
Num qui minus ea gratia tamen omnium opera utor?
Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes: habes, quod facias: propera, abi intro.
Tu esto lectisterniator: tu argentum eluito, idem exstruito.
Hæc, cum ego a foro revortor, facite, ut offendam parata,
Vorsa, pertersa, strata, lauta, structaque omnia uti sint.
Nam mihi hodie natalis dies est: decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant: satin' audis?
Magnifice volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse reantur.
Intro abite, atque hæc cito celebrate, ne mora quæ sit, coquus cum veniat,
Mihi: ego eo in macellum, ut, piscium quidquid est, pretio præstinem.
I, puere, præ: ne quisquam pertundat crumenam, cautio 'st.
Vel opperire: est, quod domi dicere pæne fui oblitus.
Auditin'? vobis, mulieres, hanc habeo edictionem:
Vos, quæ in munditiis, mollitiis, deliciisque ætatulam agitis,
Viris cum summis inclytæ amicæ: nunc ego scibo, atque hodie experiar,
Quæ capiti, quæ ventri operam det, quæque suæ rei; quæ somno studeat:
Quam libertam fore mihi credam, et quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
Nam, nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos.
Natalem scitis mihi diem esse hunc. Ubi isti sunt, quibus vos oculi estis?
Quibus vitæ, quibus deliciæ estis? quibus savia? mammillæ? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli, facite, ante ædis iam hic assint.
Cur ego vestem, aurum, atque ea, quibus est vobis usui, præhibeo! quid mihi
Domi, nisi malum, vostra opera est hodie, improbæ?
Vino modo cupidæ estis:
Eo vos vostros pantices usq. adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus.
Nunc adeo hoc factum 'st optumum, ut nomine quamque appellem suo:
Ne dictum esse actutum sibi quæpiam vostrarum mihi neget: advortite animum cunctæ.
Principio, Hedylium, tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maxumi acervi frumenti sunt domi;
Fac sis sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mihi, etiam familiæ omni sit meæ: atque adeo ut frumento affluam,
Ut civitas nomen mihi commutet, meque ut prædicet,
Lenone ex Ballione, regē Iasonē. *C.* Audin', furcifer
Quæ loquitur? satin' magnificus tibi videtur?
P. Pol, iste,
Atque etiā malificus: sed tace, atque hanc rem gere.
B. Æschrodora, tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lenios, qui, item ut nos, iurando iure male quærunt rem, audi:
Nisi carnaria tria gravida tergoribus oneri uberi hodie
Mihi erunt, cras te, quasi Dircam olim, ut memorant, duo
Gnati Iovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium: id tibi
Profecto taurus fiet.
P. Nimis, sermone huius, ira incendor.
Hunccine hic hominem pati colere iuventutem Atticam?
Ubi sunt, ubi latent, quibus ætas integra 'st, qui amant a lenone?
Quin conveniunt? quin una omnes peste hac populum hunc liberant?
Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus: ne illi audeant
Id facere? quibus ut serviant, suus amor cogit, simul
Prohibet, faciant adversum eos quod volunt.
C. Vah! tace. *P.* Quid est?
C. Male morigerus male facis mihi, cum sermone huic obsonas. *P.* Taceo.
C. At, taceas, malo multo, quam tacere te dicas.
B. Tu autem
Xystilis, fac ut animum advortas, quoius amatores
Dynamin domi habent maxumam. (olivi
Si mihi non iam huc culleis oleum deportatur,
Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.
Ibi tibi adeo lectos dabitur, ubi tu haud somnum capias,
Sed ubi usque ad languorem... Tenes, quorsum hæc tendant, quæ loquor?
En, excetra tu, quæ tibi amicos tot habes, tam probe oleo onustos,
Num quoipiam 'st hodie tua tuorum opera conservorum
Nitidiusculum caput? aut num ipse ego pulmento utor magis
Unctiusculo? Sed scio; tu oleum haud magni pendis; vino te
Devincis: sine modo: reprehendam ego cuncta, hercle, una opere, nisi

Quidem hodia tu omnia facis, scelesta, hæc uti loquor.
Tu autem, quæ pro capite argentum mihi iam iamq; sæpe uumeras,
Ea pacisci modo scis; sed, quæ pacta es, non scis solvere,
Phœnicium, tibi hæc ego loquor, deliciæ summatum virum:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omue huc peuus affertur,
Cras, Phœnicium, phœnicio corio invises pergulam.

SCENA III. *Calidorus, Pseudolus, Ballio.*

C. Pseudole, non audis quæ hic loquitur? *P.* Audio, here, equidem, atque animum advorto.
C. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ue amicam hic meam prustituat?
P. Bene curassis: liquido es animo: ego pro me et pro te curabo.
Iamdiu ego huic bene et hic mihi volumus, et amicitia 'st antiqua.
Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam et maturam.
C. Quid opu 'st? *P.* Potin' alism rem ut cures?
C. At. *P.* Bat. *C.* Cruçior. *P.* Cor dura.
C. Non possum. *P.* Fac possis. *C.* Quonam pacto possim vincere animum?
P. In rem quod sit, prævortaris, quam re advorsa animo auscultes.
C. Nugæ istæc suut: non iucuudum 'st, nisi amans facit stulte. *P.* Pergiu'?
C. O Pseudole mi! sine sim nihili: mitte me sis.
P. Sino, modo ego
Abeam. *C.* Mane, mane; iā, ut voles me esse, ita aro.
P. Nunc tu sapis.
B. It dies; ego mihi cesso. I præ, puere.
C. Heus! abiit. Quin revocas?
P. Quid properas? placide! *C.* At, priusquam abeat.
B. Quid hoc? malum! tam placide is, puere!
P. Hodie nate! heus, hodie nate! tibi ego dico; heus, hodie nate! redi, et
Respice ad uos; tametsi occupatu 's, moramur: maue: sunt, colloqui
Qui vuluut te. *B.* Quid hoc est? quis est, qui moram occupato molestam obtulit?
C. Qui tibi sospitalis fuit. *B.* Mortuu 'st, qui fuit: qui est, vivos est.
P. Nimis superbe. *B.* Nimis molestu 's.
C. Reprehende hominem: assequere.
B. I, puere. *P.* Accedamus hac ubviam.
B. Iupiter te perdat, quisquis es.
P. Te, volo. *B.* At vos ego ambos. Vorte hac te, puere.
P. Non licet
Colloqui te? *B.* At mihi non lubet. *C.* Sin tuam est quidpiam iu rem? *B.* Licet.
Ne, obsecro, vivere, an non licet? *P.* Vah! manta.
B. Omitte. *C.* Ballio,
Audi. *B.* Surdus sum: profecto inanilogus es.
C. Dedi, dum fuit.
B. Non peto, quod dedisti. *C.* Dabo, quando arit.
B. Ducito,
Quaudo habebis. *C.* Heu! heu! quam ego malis perdidi modis,
Quod tibi detuli, et quod dedi!
B. Mortua re, verba nunc facis.
Stultus es; rem actam agis. *P.* Nosce saltem hunc, quis est. *B.* Iamdiu
Scio, qui fuit: nunc quis est is, ipsus scist. Ambulatu.
P. Potin' ut semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias?
B. Respiciam istoc pretio: nam, si sacruficem summo Iovi,
Atque in manibus exta teneam, ub porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.
P. Non potest pietate obsisti huic, ut res sunt cæteræ!
Deos quidem, quos maxume æquom 'st metuere, eos minumi facit.
B. Compellabo. Salve multum, serva Athenis pessume.
P. Dii te Deæque ament vel huius arbitratu, vel meo:
Vel, si dignu 's alio pacto, neque ament, neque faciant bene.
B. Quid agitur, Calidore? *P.* Amatur, atque egetur acriter.
B. Misereat, si familiam alere possim misericordia.
P. Eia! scimus nos quidē te, qualis sis; ne prædices.
Sed scin quid nos volumus? *B.* Pol, ego propemodo: ut male sit mihi.
P. Et id, et hoc, quod te revocamus, quæso, animum advorte. *B.* Audio.
Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer, quid velis.
P. Hunc pudet, quod tibi promisit, quaque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
B. Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud, quod piget.
Non dedisse, istū pudet: me, quia non accepi, piget.
P. At dabit; parabit: aliquot hos dies manta modo.
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
B. Fuit occasio, si vellet, iampridem argentum ut daret.
C. Quid, si non habui? *B.* amabas? invenires mutuom;
Ad danistam devenires; adderes fœnusculū:
Surripuisses patri. *P.* Surriperet hic patri, audacissume?
Non periclum 'st, ne quid recte monstres.
B. Non leuonium 'st.
C. Egon' patri surripere possim quidquam, tam cauto seni?
Atq; adeo, si facere possē, pietas prohibet. *B.* Audio.
Pietatē ergo istam amplexator noctu, pro Phœnicio.
Sed, quoniam pietatem amori video te prævortere,
Omnes tibi patres sunt? nullu 'st tibi, quem roges mutuum
Argentum? *C.* Quin nomen quoque iam interiit Mutuum.
B. Heus tu! postquam, hercle, isti a mensa surgunt saturi, poti,
Qui suum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores sunt, ne credant alteri.
C. Nimis miser sum: nummum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo, et inopia argentaria.
B. Eme die cæca hercle olivō; id vendito oculata die:
Iā hercle vel ducentæ fieri possunt præsentes minæ.
C. Perii! an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes.
B. Eadem 'st mihi lex: metuo credere.
P. Credere autem? eho! an, pœnitet te, quanto hic fuerit usui?
B. Non est iustus quisquam amator, nisi qui perpetuat data,

Dalque usq. Quando nibil sit, simul amare desinat.
C. Nihilue te mei miseret?
B. Inanis cedis: dicta non sonant.
Atque ego te vivom salvomque vellem.
P. Eho! an iam mortuu 'st?
B. Ut ut est, mihi quidē profecto cū istis dietis mortuu 'st.
Illico vixit amator, ubi lenoni placet.
Semper tu ad me cū argentata accedito querimonia.
Nā istoc, quod nunc lamentare, non esse argentū tibi,
Apud novercam querere.
P. Eho! an unquam tu huius nupsisti patri?
B. Dii melius faciant.
P. Fac hoc, quod te rogamus, Ballio,
Mea fide, si isti formidas credere Ego, in hoc triduo,
Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentū tibi.
B. Tibi ego credam? *P.* Cur non? *B.* Quia, pol, qua opera sic credam tibi,
Una opera alligem fugitivā canem agninis lactibus.
C. Siccine mihi abs te bene merenti male refertur gratia?
B. Quid nunc vis?
C. Ut opperiare hos sex dies saltem modo,
Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem.
B. Animo bono es.
Vel sex menses opperibor.
C. Euge, homo lepidissume!
B. Immo, vin' etiam te faciā ex læto lætantē magis?
C. Quid iam? *B.* Quia enim non venalem iam habeo Phœnicium.
C. Non habes? *B.* Non, hercle, vero.
C. Pseudole, arcesse hostias,
Victimas, lanios; ut ego huic sacruficem summo Iovi:
Nam hic mihi nunc est multo potior Iupiter, quam Iupiter.
B. Nolo victimas: [minumis] me extis placari volo.
C. Propera; quid stas? arcesse agnos. Audin', quid ait Iupiter?
P. Iam hic ero: verum extra portam Metiam currundum 'st prius.
C. Quid eo? *P.* Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eadem duo greges virgarū inde ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Iovi.
In malam crucem istic ibit Iupiter lenonius.
B. Ex tua re non est, ut ego emoriar. *P.* Qui dum?
B. Ego dicam tibi:
Quia, edepol, dum ego vivos vivam, nunquam eris frugi bonæ.
P. Ex tua re non est, ut ego emoriar. *B.* Qoi dum?
P. Sic, quia
Si ego emortuus sim, Athenis te sit nemo nequior.
C. Dic mihi, obsecro, hercle, verum seriu, hoc quod te rogo.
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?
B. Non, edepol, habeo profecto; nā iampridē vendidi.
C. Quomodo? *B.* Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
C. Meā tu amicā vendidisti? *B.* Valde, viginti minis.
C. Viginti minis?
B. Utrum vis, vel quater quinis minis, ¹ Ei
Militi Macedonio: et iam quindecim habeo minas.
C. Quid ego ex te audio?
B. Amicam tuam esse factam argenteam.
C. Cur id ausu 's facere? *B.* Libuit; mea fuit.
C. Eho, Pseudole!
I, gladium affer. *P.* Quid opus gladio!
C. Qui hunc occidam, atque me.
P. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames iam occiderit.
C. Quid ais, quantum terra tegit, hominum periurissume?
Iuravistin' te illam nulli venditurum, nisi mihi?
B. Fateor. *C.* Nempe conceptis verbis.
B. Etiam consultis quoque.
C. Periuravisti, sceleste. *B.* At argentū intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum prumere possum domo.
Tu, qui, pius es, istoc genere natus, nummū non habes:
C. Pseudole, assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis. *P.* Licet.
Nunquam ad prætorem æque cursim curram, ut emittar manu.
C. Ingere mala multa. *P.* Iā ego te differā dictis meis.
Impudice! *B.* Ita est. *P.* Sceleste! *B.* Dicis vera.
P. Verbero!
B. Quippini? *C.* Bustirape! *B.* Certe. *C.* Furcifer!
B. Factum optume.
C. Sociofraude! *B.* Sunt mea hæc ista. *P.* Parricida!
B. Perge tu.
P. Sacrilege! *B.* Fateor. *C.* Periure!
B. Vetera vaticinamini.
C. Legirupa! *B.* Valide. *P.* Pernicies adolescentum!
B. Acerrume.
C. Fur! *B.* Babæ! *P.* Fugitive! *B.* Bombax!
C. Fraus populi! *B.* Planissume.
P. Fraudulente! *C.* Impure leno! *P.* Cœnum!
B. Cantores probos!
C. Verberavisti patrem atque matrem.
B. Atque occidi quoque,
Potius quam cibum præhiberē. Nū peccavi quidpiā?
P. In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
B. Numquid aliud etiam voltis dicere?
C. Ecquid te pudet?
B. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem.
Sed, quamquam multa malaqua in me dicta dixistis mihi,
Nisi mihi attulerit Miles quinq;, quas debet, minas,
Sicut hæc est præstituta summa ei argento dies:
Si is nun aderit, posse opinor facere officium me meū.
C. Quid id est? *B.* Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum 'st officium: ego, operæ si sit, plus tecum loquar:
Sed; sine argento, frustra est, quod me tui misereri postulas.
Hæc mea 'st sententia, ut tu hinc porro, quid agas, consulas.
C. Iamne abis? *B.* Negoti nunc sum plenus.
P. Paulo post magis.
Illic homo meus est: nisi omnes Dii me atque homines deserunt,
Exossabo ego illū simulter itidē ut murænā coquus.
Sed nunc, Calidore, operam te mihi volo dare.
C. Ecquid imperas?
P. Hoc ego oppidū admœnire, ut hodie capiatur, volo.
Ad eā rē usū 'st hominē astutū, doctū, scitū, et callidū,
Qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat.
C. Cedo mihi, quid es facturus? *P.* Tempori, ego faxo, (scies:
Nolo bis iterare: sat sic longæ fiunt fabulæ.
C. Optumum atque æquissumum oras.
P. Propera; adduc hominem cito.
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
C. Ego scio istuc. *P.* Ergo utrimq; tibi nunc delectū (para:
Ex multis exquire illis unū, qui certus siet.
C. Iam hic, faxo, aderit.
P. Potiu' ut abeas? tibi moram dictis creas.

Scena IV. *Pseudolus.*

Postquam illic hinc abiit, tu adstas solus, Pseudole.
Quid nunc acturu's, postquam herili filio
Largitu 's dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Quoi neque parata gutta certi consili,
Neque adeo argenti; neque nunc, quid faciam, scio;
Neque exordiri primum, unde occipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed, quasi poeta, tabulas cum cepit sibi,
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile, quod mendacium 'st.
Nunc ego poeta fiam: viginti minæ,
Quæ nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic iampridem me daturum dixeram,
Ac volui iniicere tragulam in nostrum senem:
Verum is, nescio quo pacto, præsensit prius.
Sed comprimunda est mihi vox atque oratio.
Herum eccum video huc una Simonem, simul
Cum suo vicino Calliphone, incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

Scena V. *Simo, Callipho, Pseudolus.*

S. Si de damnosis, aut de amatoribus,
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare, et quærere
Argentum ad eam rem. Hoc alii mihi renuntiant;
Atque id iampridem sensi, et subolet mihi.
P. Occisa est hæc res; hæret hoc negotium.
Quo in commeatum volui argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta est via.
Præsensit: nihil est prædæ prædatoribus.
C. Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.
Nam istæc, quæ tibi renuntiantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitan ea tibi dicta sunt mendacia.
Sed, si vera ea sunt, ut nunc mos est, maxume,
Quid mirum fecit? quid novum, adolescens homo
Si amat, si amicam liberat? *P.* Lepidum senem!
S. Vetus nolo faciat. *C.* At enim nequidquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adolescentia?
Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus fuerit postulet.
Nam, tu quod damni, et quod fecisti flagiti,
Populo viritim potuit dispertirier.
Idne tu miraris, si patrissat filius?
P. Ω Ζεῦ! quam pauci estis homines commodi!
Ehem! illuc est patrem esse, ut æquom 'st, filio!
S. Quis hic loquitur? meus hic est quidē servus Pseu-
Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput. (dolus.
Hic dux, hic ille est pædagogus: hunc ego
Cupio excruciari. *C.* Iam istæc insipientia est,
Sic iram in promtu gerere. Quanto satius est,
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, necne sint, quæ tibi renuntiant?
Bonus animus in mala re dimidium 'st mali.
S. Tibi auscultabo. *P.* Itur ad te, Pseudole.
Orationem tibi para advorsum senem.
Herum saluto primum, ut æquom 'st: postea
Si quid superat, vicinos impertio.
S. Salve. Quid agitur? *P.* Statur hic ad hunc modū.
S. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!
C. Bene confidenterque astitisse intellego.
P. Decet innocentem, qui sit, atque innoxios,
Servom superbum esse, apud herum potissumum.
C. Sunt, quæ te volumus percontari, quæ quasi
Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.
S. Conficiet iam te hic verbis, ut tu censeas
Non Pseudolum, sed Socratem, tecum loqui.
P. Ita est: iampridem tu me spernis, sentio:
Parvam esse apud te mihi fidem ipse intellego:
Cupis me esse nequam; tamen ero frugi bona.
S. Fac sis vacivas, Pseudole, ædis aurium,
Mea ut migrare dicta possint quo volo.
P. Age, loquere quid vis, tametsi tibi succenseo.
S. Mihin' domino servos tu succenses? *P.* Iam tibi
Mirum id videtur? *S.* Hercle, quin, ut tu prædicas,
Cavendum 'st mi abs te irato: atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas.
C. Quid censes? Edepol, merito esse iratum arbitror,
Cum apud te stet parum fides. *S.* Iam sic sino,
Iratus sit: ego, ne quid noceat, cavero. (roga.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? *P.* Si quid vis,
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
S. Advorte ergo animum, et fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare? *P.* Ναί, ναί. *S.* Liberare quam velit?
P. Καὶ τοῦτο ναί ναί. *S.* Ecquas viginti minas,
Per sycophantiam atque per doctos dolos,
Paritas, ut auferas a me? *P.* Abs te ego auferam?
S. Ita: quas meo gnato des, qui amicam liberet.
P. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναί, καὶ τοῦτο ναί.
C. Fatetur. *S.* Dixin', Callipho, dudum tibi?
C. Memini. *S.* Cur, hæc ubi tu rescivisti illico,
Celata me sunt? cur non rescivi? *P.* Eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut servos suum criminaret apud herum.
S. Iuberes hunc præcipitem in pistrinum trahi.
C. Numquid peccatum 'st, Simo? *S.* Immo, maxume.
P. Desiste: recte ego rem meam sapio, Callipho.
Peccata mea sunt. Animum advorte nunc iam,
Quapropter te expertem amoris gnati habuerim.
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
S. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi, (hi
Cū ea mussitabas? *P.* Scibā. *S.* Cur non dictū est mi-
P. Quia illud malum aderat; istuc aberat longius:
Illud erat præsens; huic erant dieculæ.
S. Quid nunc agetis? nam hinc quidē a me non potest
Argentum auferri, qui præsertim senserim.
Ne quisquam credat nummum, iam edicam omnibus.
P. Nunquam, edepol, quoiquam supplicabo, dū quidē
Tu vives: tu mihi, hercle, argentum dabis:
Abs te equidē sumam. *S.* Tu a me sumes? *P.* Strenue.
S. Excludito mihi, hercle, oculū, si dedero. *P.* Dabis.
Iam dico, ut a me caveas. *C.* Certe, edepol, scio;
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.
P. Faciam. *S.* Si non abstuleris? *P.* Virgis cædito.
Sed quid si abstulero? *S.* Do Iovem testem tibi,
Te ætatē impune habiturū. *P.* Facito ut memineris.
S. Egon' ut cavere nequeam, quoi prædicitur?
P. Prædico, ut caveas: dico, inquam, ut caveas: cave.
Hem! istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
C. Edepol, mortalem graphicum, si servat fidem!
P. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
S. Bene atque amice dicis: nam nunc haud meus es.
P. Vin' etiam dicam, quod vos magis miremini?
C. Studeo, hercle, audire; nam ted ausculto libens.
S. Agedum; nam satis libenter te ausculto loqui.
P. Priusquam istam pugnā pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram et commemorabilē.
S. Quam pugnā? *P.* Hem! ab hoc lenone, vicino tuo,

Per sycophantiam atque per doctos dolos,
Tibiciuam illam, tuus quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepide leuonem. *S.* Quid est?
P. Effectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperū.
S. Siquidem istæc opera, ut prædicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli autecesseris.
Sed, si uou faxis, uumquid causæ est, illico
Quin te iu pistrinuum coudam? *P.* Nou uuum quidē
Diem modo, verum, hercle, in omuis, quautum est.
Sed, si effecero,
Dabiu' mi argentum, quod dem lenoui illico
Tua voluntate? *C.* Ius bonum orat Pseudolus: (nit?
Dabo, inque. *S.* At cuī scio' quid mihi in mente ve-
Quid si hisce inter se couseuseruut, Callipho,
Aut de compacto faciunt cousutis dolis,
Qui me argento circumvortant? *P.* Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere? Immo, sic, Simo,
Si sumus compacti, sive consiliū unquam inivimus
De istac re, aut si de ea re unquam iuter nos conveni-
Quasi in libro cum scribuutur calamo literæ, (mus;
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
S. Indice ludos nunc iam, quando lubet.
P. Da in hunc diem operam, Callipho, quæso, mihi,
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
C. Quiu, rus uti irem, iam heri constitueram.
P. At nunc disturba, quas statuisti, machiuas.
C. Nunc non abire certum 'st istac gratia.
Lubido est ludos tuos spectare, Pseudole.
Et, si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit; potius quam id nou fiat, ego dabo.
S. Non demutabo. *P.* Namque, edepol, si non dabis,
Clamore magno at multum flagitabere.
Agite, amolimini hinc vos intro nunc iam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.
S. Fiat; geratur mos tibi. *P.* Sed te volo
Domi usque adesse. *S.* Quin tibi hanc operam dico.
C. At ego ad forum ibo: iā hic adero. *S.* Actutū redi.
P. Suspicio est mihi nunc vos suspicariar,
Me idcirco hæc tanta facinora promittere,
Qui vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,
Neque sim facturus, quod facturum dixeram.
Non demutabo. Atque etiam certum, quod sciam,
Quo sim facturus pacto, nihil etiam scio;
Nisi quia futurum 'st. Nam, qui in scenam provenit
Novo modo, novom aliquid afferre addecet.
Si id facere nequeat, det locum illi, qui queat.
Concedere aliquantisper hinc mi intro libet,
Dum concenturio in corde sycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

ACTUS II. SCENA I. *Pseudolus.*

Pro, Iupiter! ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt!
Neque, quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum 'st consilium.
Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere: nam omnes
Res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias: nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis dolos,
Perfidias; ut, ubicumque cum hostibus congrediar, maiorum meûm
Fretus virtute dicam, mea industria et malitia, fraudulentia,
Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduelles meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc communem, meum atque vostrum omnium,
Ballionem, exballistabo lepide: date operam modo. Hoc ego oppidum
Admœnire, ut hoc die capiatur, volo: atque ad hoc meas legiones
Adducam. Si hoc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Post, ad oppidum hoc vetus, continuo mecum exercitum protinus obducam:
Inde me et simul participes omnes meos præda onerabo, atque opplebo:
Metum et fugam perduellibus meis iniiciam, me esse ut sciant natum,
Quo sū genere gnatus. Magna me facinora decet efficere,
Quæ post mihi clara et diu clueant. Sed hunc quem video, quis hic est,
Qui oculis meis obviam ignorabilis obiicitur? Libet scire
Quid hic velit, cum machæra: et huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.

SCENA II. *Harpax, Pseudolus.*

H. Hi loci sunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero sunt demonstratæ:
Ut ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus miles,
Septimas esse ædes a porta, ubi ille habitat leno, cui iussit
Symbolum me ferre, et hoc argentum. Nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi hic habitat.
P. St: tace, tace!
Meus hic est homo, ni omnes Dii atque homines deserunt. Novo consilio
Nunc mihi opus est: nova res subito mihi hæc obiecta est:
Hoc prævortar principio: illa omnia missa habeo, quæ ante agere occœpi.
Iam, pol, ego hunc stratioticum nuntium advenientem probe percutiam.
H. Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquē foras.
P. Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo;
Nam ego precator et patronus foribus processi foras.
H. Tune es Ballio?
P. Immo vero, ego eius sum Subballio.
H. Quid istuc verbi est?
P. Condus promus sum, procurator peni.
H. Quasi te dicas atriensem.
P. Immo, atriensi ego impero.
H. Quid tu, servusne es, an liber?
P. Nunc quidem etiam servio.
H. Ita videre, et non videre dignus qui liber sies.
P. Non soles respicere te, cum dicas iniuste alteri?
H. Hunc hominem malum esse oportet.
P. Dii me servant atque amant.
Nam hæc mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.
H. Quid illic secum solus loquitur?
P. Quid ais tu, adolescens? *H.* Quid est?
P. Esne tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servos eius, qui hinc a nobis est mercatus mulierem;
Qui argenti hero meo lenoni quindecī dederat minas,
Quinq; debet? *H.* Su: sed ubi tu me novisti gentium,
Aut vidisti, aut collocutu 's? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.

P. Quia videre inde esse: nam olim, cum abiit, argento hæc dies
Præstituta 'st, quoad referret nobis; neq; dū retulit.
H. Immo, adeat. *P.* Tun' attulisti? *H.* Egomet.
P. Quid dubitas dare?
H. Tibi ego dem? *P.* Mihi, hercle, vero, qui res rationesque heri
Ballionis curo, accepto, expenso, et, quoi debet, dato.
H. Siquidem, hercle, etiam supremi promtes thesauros Iovis,
Tibi libellam argenti nunquam credam.
P. Dum tu strenuas,
Res erat soluta. *H.* Vinctam potius sic servavero.
P. Væ tibi! tu inventu 's vero, meam qui furcilles fidem!
Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier!
H. Potest, ut alii ita arbitrentur, et ego ut ne credam tibi.
P. Quasi tu dicas, me te velle argento circumducere.
H. Immo, vero, quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer.
Sed quid est tibi nomen?
P. Servos est huic lenoni Syrus;
Eum esse me dicam. Syrus sum. *H.* Syrus?
P. Id est nomen mihi.
H. Verba multa facimus: herus si tuus domi est, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum? quidquid est nomen tibi.
P. Si intus esset, evocarem. Verum, si dare vis mihi,
Mage erit solutum, quam si ipsi dederis.
H. At enim scin' quid est?
Reddere hoc, non perdere, herus me misit. Nunc certo scio
Hoc, febri tibi esse quia non licet hoc iniicere ungu- (las.
Ego, nisi ipsi Ballioni, nummū credam nemini.
P. At illic nunc negotiosu'st: res agitur apud iudicē.
H. Dii bene vortant. At ego, quando eum esse censebo domi,
Rediero: tu epistolā hanc a me accipe, atque illi dato.
Nam istic symbolum est inter herum meum et tuum de muliere.
P. Scio equidem, ut, qui argentum afferret, atque expressam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo aibat velle mitti mulierem.
Nam hic quoque exemplum reliquit eius.
H. Omnem rem tenes.
P. Quid ego ni teneā? *H.* Dato ergo istū symbolū illi.
P. Licet.
Sed quid est tibi nomen? *H.* Harpax.
P. Apage te, Harpax! haud places.
Huc quidem, hercle, haud ibis intro, ne quid [harpagaveris.]
H. Hostes vivos rapere soleo ex acie: ex hoc nomen mihi est.
P. Pol, te multo magis, opinor, vasa aenea ex ædibus.
H. Non ita est. Sed scin' quid te orem, Syre?
P. Sciam, si dixeris.
H. Ego devortor extra portam huc in tabernā tertiā,
Apud anum illam doliarē, cludā, crassā, Chrysidē.
P. Quid nunc vis? *H.* Inde ut me arcessas, herus tuus ubi venerit.
P. Tuo arbitratu, maxume.
H. Nam, ut lassus veni de via,
Me volo curare. *P.* Sane sapis, et consilium placet:
Sed vide sis, ne in quæstione sis, quando arcessam, mihi!
H. Quin, ubi prandero, dabo operam somno.
P. Sane censeo.
H. Nunc quid vis? *P.* Dormitum ut abeas. *H.* Abeo.
P. Atque audin', Harpage?
Iube sis te operiri; beatus eris, si consudaveris.

SCENA III. *Pseudolus.*

Dii immortales! conservavit me illic homo adventu suo:
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam.
Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius
Advenire, quā hæcc' allata 'st mi opportune epistola.
Nam hæc allata Cornucopiæ est, ubi inest quidquid volo.
Hic doli, hic fallaciæ omnes sunt: hic sunt sycophan-
Hic argentum 'st, hic amanti amica herili filio. (tiæ,
Atq; ego nunc me ut gloriosu faciā, ut copi pectore,
Quo modo quidque agerem, ut lenoni surriperem mulierculam,
Iam instituta, ornata, cuncta in ordine animo, ut volueram,
Certa, deformata habebam: sed profecto hoc sic erit.
Centū doctū hominū consilia sola hæc devincit Dea
Fortuna. Atque hoc verum 'st; proinde ut quisque Fortuna utitur,
Ita praecellet; atque exinde sapere eū omnes dicimus.
Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eū esse declaramus; stultū autē illū, quoi vortit male.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, cum quid cupienter dari
Petimus nobis, quasi, quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus: atque hoc evenit,
In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.
Sed iam satis est philosophatum: nimis diu et longū loquor.
Dii immortales! aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium, hic modo quod subito commentus fui,
Quia lenonis me esse dixi. Nunc ego hac epistola
Tres deludam; herum, et lenonem, et qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge, par pari! aliud autē, quod cupiebam, contigit.
Venit, eccum, Calidorus: ducit nescio quem secum simul.

SCENA IV. *Calidorus, Charinus, Pseudolus.*

Ca. Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia.
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
Ch. Commemini omnia: id tu modo, quid me vis facere, fac sciam.
Ca. Cum hæc tibi alia sum elocutus, ut scires, si scis, de symbolo.
Ch. Omnia, inquam. Tu modo, quid me facere vis, fac ut sciam.
Ca. Pseudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuum,
Benevolentem, adducerem ad se. *Ch.* Servas imperium probe,
Nam et amicum et benevolentem ducis: sed istic Pseudolus
Novos mihi est. *Ca.* Nimium 'st mortalis graphicus: heuretes mihi est:
Is mihi hæc sese effecturum dixit, quæ dixi tibi.
P. Magnifice hominem compellabo.
Ca. Quia vox sonat? *P.* Io, io, io.
Te te te, tyranne, te rogo, qui imperitas Pseudolo,
Quæro: quoi ter, trina, triplicia, tribus modis, tria gaudia,

Artibus tribus, ter demeritas dem lotiliss, de tribus
Fraude partas, per malitiam, et per dolum et fallaciā,
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
Ca. Illic homo est. *Ch.* Ut paratragœdiat carnufex!
Ca. Confer gradum
Contra pariter.
P. Porrige audaciter ad salutem brachium.
Ch. Dic, utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole?
P. Immo, utromqoe.
Ch. Utrumque, salve. Sed quid actum 'st?
P. Quid times?
Ca. Attuli hunc. *P.* Quid? attulisti?
Ca. Adduxi, volui dicere.
P. Quis istic est? *Ca.* Charinus.
P. Euge! Οἰωνὸν Χαρῖνον ποιῶ.
Ch. Quin tu, quidquid upu 'st, audacter imperas?
P. Tam gratia est.
Bene sit, Charine: nolo tibi molestos esse oos.
Ch. Vos molestos mihi? molestum 'st id quidem.
P. Tum tu igitur mane.
Ch. Quid istuc est? *P.* Epistolam modo hanc intercepi, et symbolum.
Ch. Symbolum? quem symbolum?
P. Qui a milite allatu 'st modo.
Eius servo, qui hunc ferebat cū quinq; argenti minis,
Tuam qui amicā hinc arcessebat; ei os sublevi modo.
Ca. Quomodo? *P.* Horum causa hæc agitur spectatorum fabula.
Hi scinot, qui hic affuerunt; vobis post narravero.
Ca. Quid nunc agimus?
P. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
Ca. Egone? *P.* Tute. *Ca.* Ego? *P.* Ipsus, inquam; siquidem hoc vivet caput.
Si modo mihi hominem invenietis propere.
Ch. Qua facie? *P.* Malum,
Callidum, doctū, qui quando principiū prehenderit,
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat.
Atque eum, qui non hic usitatus sæpe sit.
Ch. Si servos est,
Numquid refert? *P.* Immo, multo mavolo quā liberū.
Ch. Posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui a patre advenit Carysto: nec dū exiit ex ædibus
Quoquam, neque Athenas advenit unquam, ante hesternum diem.
P. Bene iuvas. Sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddā: oā huius mihi debet pater.
Ch. Ego dabo: ne quære aliunde.
P. O hominem opportuoom mihi!
Etiam opu 'st chlamyde, et machæra, et petaso.
Ch. Possum a me dare.
P. Dii immortales! non Charinus mihi hic quidem est, sed Copia!
Sed istic servos, ex Carysto huc qui advenit, quid sapit?
Ch. Hircum ab alis. *P.* Manuleatam tunicam habere hominem decet.
Ecquid habet is homo aceti in pectore?
Ch. Atque acidissumi.
P. Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? *Ch.* Rogas?
Murrhinā, passū, defrutū, meliā, mel quoiusmodi.
Quin in corde instruere quondā cœpit thermopoliū.
P. Eugepæ! lepide, Charine, me meo ludo lambaras.
Sed quid nomen esse dicā ego isti servo? *Ch.* Simiæ.
P. Scitne in readvorsa vorsari?
Ch. Turbo non æque cito 'st.
P. Ecquid argutu 'st?
Ch. Malorum facinorum sæpissume.
P. Quid, cum manifesto tenetur?
Ch. Anguilla 'st; elabitur.
P. Ecquid is homo scitu 'st?
Ch. Plebis-scitum non est scitius.
P. Probus homo est, ut prædicare te audio.
Ch. Immo, si scias,
Ubi te aspexerit, narrabit ultro, quid sese velis.
Sed quid es acturus? *P.* Dicam: ubi hominem exornavero,
Subditicium fieri ego illum militis servom volo:
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis:
Mulierem ab lenone abducat. Hem tibi omnem fabulam!
Cæterum, quo quidque pacto faciat, ipsi dixero.
Ca. Quid nunc igitur stamus? *P.* Hominem, cum ornamentis omnibus,
Exornatum adducite ad me iam ad trapezitam Æschinum:
Sed properate. *Ch.* Prius illic erimus, quam tu.
P. Abite ergo ocyus.
Quidquid incerti mihi in animo prius aut ambiguum fuit,
Nunc liquet, nunc defæcatum 'st: cor mihi nunc pervium 'st.
Omnes ordines sub signis ducam, legiones meas,
Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia:
Confidentia 'st inimicos meos me posse perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam,
Quid agat; ne quid titubet; docte ut hanc ferat fallaciam.
Iam ego hoc ipsum oppidum expugnatum, faxo, erit lenonium.

ACTUS III. SCENA I. *Puer.*

Cui servitutem Dii danunt lenoniam
Puero, atque eidem si addunt turpitudinem,
Næ, illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,
Malam rem magnam, multasque ærumnas danunt:
Velut hæc mihi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis præfulcior:
Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo,
Qui amet me, ut curer tandem nitidiuscule.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies:
Interminatus est, a minumo ad maxumum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc nescio, hercle, rebus quid faciam meis.
Neque ego illud possū, quod illi, qui possunt solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero,
Cras mihi potandus fructus est fullonius.
Eheu! quam illæ rei ego etiam nunc sum parvulus!
Atque, edepol, ut nunc male eum metuo miser!
Si quispiam det, quoi manus gravior siet,
Quamquam illud aiunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor posse aliquo modo.
Sed comprimunda est mihi vox atque oratio:
Herus, eccum, recipit se domum, et ducit coquom.

SCENA II. *Ballio, Coquus, Puer.*

B. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant;
Nam non coquinum 'st, verum furinum 'st forum:
Nam, si ego iuratus peiorem hominem quærerem
Coquum, non potui, quam hunc, quem duco, ducere.
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem.
Quin, ob eam rem, Orcus recipere hunc ad se noluit,

Ut esset hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.
C. Si me arbitrabare isto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? B. Inopia: alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquus
Tu solus præter alios? C. Ego dicam tibi:
Hominum avaritia ego sum factus improbior coquus,
Non meopte ingenio. B. Qua istuc ratione?
C. Eloquar.
Quia enim, cum extemplo veniunt conductũ coquom,
Nemo illum quærit, qui optumus et carissumu 'st:
Illum conducunt potius, qui vilissumu 'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachmis issent miseri: me nemo potest
Minoris quisqoam nummo, ut surgam, subigere.
Non ego item cœnam condio, ut alii coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt;
Eas herbas herbis aliis porro condiunt;
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus:
Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum;
Eo laserpicii libram pondo diluunt:
Teritur sinapis, [scelera] cum illis: qui terunt,
Priusquam teruerunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines cœnas sibi coquint. Cum condiunt,
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis intestina quæ exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Cum hasce herbas huiusmodi in suum alvom 'con-
Formidolosas dictu, non esu modo: (gerunt,
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
B. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? C. Audacter dicito:
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut sipolindrum, aut macidem, aut sancaptidem,
Eæ ipsæ sese patinæ fervefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt:
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria. B. At te Iupiter
Dilque omnes perdant, cum condimentis tuis,
Cumque tuis istis omnibus mendaciis. (crucem.
C. Sine sis loqui me. B. Loquere, atque i in malam
C. Ubi omnes patinæ fervent, omnis aperio,
Is odos demissis pedibus in cœlum volat.
B. Odor demissis pedibus? C. Peccavi insciens.
B. Quid est? C. Quia enim demissis manibus volui
Eum in odorem cœnat Iupiter cotidie. (dicere.
B. Si nusquam is coctum, quidnam cœnat Iupiter?
C. It incœnatus cubitum. B. I in malam crucem.
Istaccine causa tibi hodie nummum dabo?
C. Fateor equidem, esse me coquom carissumum:
Verum pro pretio facio, ut opera appareat
Mea, quo conductus veni. B. Ad furandum quidem.
C. An invenire postulas quemquam coquum,
Nisi miluinis aut aquilinis ungulis?
B. An tu coquinatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas?
Nunc adeo tu, qui meus es, iam edico tibi,
Uti nostra properes amoliri omnia:
Tum ut huius oculos in oculis habeas tuis;
Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul:
Si quo hic gradietur, pariter progredimino.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suum si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet, tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito: stabit? astato simul.
Si quoquam inscet istic, caveto simul.
Item his discipulis pravos custodes dabo. (doce,
C. Habe modo bonum animum. B. Quæso, qui possim,
Animum bonum habere, qui te ad me adducam do-
C. Quia sorbitione faciam ego te hodie mea, (mum?
Item ut Medea Peliam concoxit senem;
Quem medicamento, et suis venenis, dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum;
Item ego te faciam. B. Eho! an tu etiam veneficus?
C. Immo, edepol, vero hominum servator magis.
B. Hem! mane: quanti istuc unum me coquinare perdoces?
C. Quid? B. Ut te servem, ne quid surripias mihi.
C. Si credis, nummo; si non, ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie an inimicis tuis
Daturu 's cœnam? B. Pol, ego amicis, scilicet.
C. Quin tu illos inimicos potius quam amicos vocas?
Nam ego ita convivis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita suavi suavitate condiam,
Ut quisque quidque conditum gustaverit,
Ipsos sibi, faciam, ut digitos prærodat suos.
B. Quæso, hercle, priusquam quidquam convivis da-
Gustato tute prius, et discipulis dato, (bis,
Ut prærodatis vostras furtificas manus.
C. Fortasse hæc tu nunc mihi non credas quæ loquor.
B. Molestus ne sis: nimium iam tinnis; non places.
Hem! illic ego habito: intro huc abi, et cœnam coque
Propere. C. Quin is accubitum? et convivas cedo.
Corrumpitur iam cœna. B. Hem! subolem sis vide!
Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio.
Profecto, quid nunc primum caveam, nescio;
Ita in ædibus sunt fures; prædo in proxumo est.
Iam a me hic vicinus apud forum paulo prius,
Pater Calidori, opere petivit maxumo,
Ut mihi caverem a Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem: nam eum circumire in hunc
Ut me, si posset, muliere intervorteret; (diem,
Eum promisisse firmiter dixit sibi,
Sese abducturum a me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intro, atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quidquam credat Pseudolo.

ACTUS IV. SCENA I. *Pseudolus, Simia.*

P. Si unquam quemquam Dii immortales voluere esse auxilio adiutum,
Tum me et Calidorum servatum volunt esse, et lenonem exstinctum,
Cum te adiutorem genuere mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? Sumne ego homo insipiens, qui hæc mecum egomet loquor solus?
Dedit verba mihi, hercle, ut opinor: malus cum malo stulte cavi.
Tum, pol, ego interii, homo si ille abiit: neque hoc opus, quod volui, ego hodie efficiam.
Sed eccum! video verbeream statuam: ut magnifice infert sese!
Hem! te, hercle, ego circumspectabam: nimis metuebam male, ne abiisses.
S. Fuit meum officium, ut facerem: fateor. P. Ubi restiteras? S. Ubi mihi libitum est.
P. Istuc ego iam satis scio. S. Cur ergo, quod scis, me rogas? P. At hoc volo monere te.
S. Monendus ne me moneat. P. Nimis tandem ego abs te contemnor.
S. Quippe, ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? P. Iam
Hoc volo, quod occeptum 'st, agi. S. Numquid agere aliud me vides?

P. Ambula ergo cito. *S.* Immo, otiose volo. *P.* Hæc ea occasio est; dum ille dormit,
Volo, tu prior ut occupes adire. *S.* Quid properas? placide.
Ne time: ita ille faxit Iupiter, ut ille palā ibidē assiet,
Quisquis ille est, qui adest a Milite. Nunquam, edepol, erit ille potior
Harpax, quam ego. Habe animum bonum: pulchre ego hanc explicatam tibi rem dabo.
Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo
Militarem advenam, ipse sese ut neget eum esse qui siet,
Meque ut esse autumet, qui ipsus est. *P.* Qui potest?
S. Occidis me,
Cum istuc rogitas. *P.* O hominem lepidum! te quoque etiam dolis,
Atque etiam mendaciis, Iupiter te mihi servet.
S. Immo, mihi: sed vide; ornatus hic satis me condecet?
P. Optume habet. *S.* Esto *P.* Tantum tibi boni Dii immortales duint,
Quantum tu tibi optes: nam, si exoptem, quantum dignu's, tantum dent,
Minus nihilo est: neque ego hoc homine quemquam vidi magis malum
Et maleficum. *S.* Tun' id mihi? *P.* Taceo: sed ego quæ tibi dona
Dabo at faciam, si hanc rem sobrie accurassis!
S. Potin' ut taceas?
Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit. Teneo omnia.
In pectore condita sunt, meditati sunt doli docte.
P. Probus hic est
Homo. *S.* Neque hic est, neque ego. *P.* At vide ne titubes. *S.* Potin' ut taceas?
P. Ita me Dii ament... *S.* Ita non facient: mera iam mendacia fundes.
P. Ut ego, ob tuam, Simia, perfidiam, te amo et metuo, at magnifico!
S. Ego istuc aliis dare condidici: mihi obtrudere non potes palpum.
P. Ut ego te hodie accipiam lepide, ubi effeceris hoc opus! *S.* Ha ha he!
P. Lepido victu, vino, unguentis, et inter pocula pulpamentis:
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.
S. Lepide accipis me. *P.* Immo, si efficis, tum, faxo, magis dicas.
S. Nisi effecero, cruciabiliter carnufex me accipito.
Sed propera mihi monstrare, ubi ostium lenonis ædium.
P. Tertium hoc est. *S.* St! tace, ædes hiscunt.
P. Credo, animo malo 'st
Ædibus. *S.* Quid iam? *P.* Quia, edepol, ipsum lenonem evomunt.
S. Illiccine est? *P.* Illic est. *S.* Mala merx est.
P. Illuc sis vide:
Non prorsus, verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet.

SCENA II. *Ballio, Pseudolus, Simia.*

B. Minus malum hunc hominem esse opinor, quam esse censebam coquum:
Nam nihil etiam dum harpagavit, præter cyathum et cantharum.
P. Heus tu! nunc occasio est, et tempus.
S. Tecum sentio.
P. Ingredere in viā dolose: et ego hic in insidiis ero.
S. Habui numerum sedulo; hoc est sextum a porta proxumum
Angiportum; in id angiportum me devorti iusserat:
Quotumas ædes dixerit, id ego admodū incerte scio.
B. Quis hic homo chlamydatus est? aut unde est? aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.
S. Sed eccum, qui ex incerto faciat mihi, quod quæro, certius.
B. Ad me adit recta. Unde ego hominem hunc esse dicam gentium?
S. Heus tu, qui cum hirquina astas barba, responde quod rogo.
B. Eho! an non prius salutas? *S.* Nulla est mihi salus dataria.
B. Nam, pol, hinc tantumdem accipies.
P. Iam inde a principio probi.
S. Ecquem in angiporto hoc hominem tu novisti? te rogo.
B. Egomet me. *S.* Pauci istuc faciunt homines, quod tu prædicas:
Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.
P. Salvos sum! iam philosophatur.
S. Hominem ego hic quæro malum,
Legirupam, impium, periurum, atque improbum.
B. Me quæritat:
Nam illa mea sunt cognomenta; nomen si memoret modo.
Quid est ei homini nomen? *S.* Leno Ballio.
B. Scivin' ego?
Ipse ego is sum, adolescens, quem tu quæritas.
S. Tune es Ballio?
B. Ego enimvero is sum.
S. Ut vestitus est perfossor parietum!
B. Credo, in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.
S. Herus meus tibi me salutē multam voluit dicere.
Hanc epistolā accipe a me: hanc me, tibi iussit dare.
B. Quis is homo 'st qui iussit? *P.* Periii nunc homo in medio luto est;
Nomen nescit: hæret hæc res. *B.* Quem hanc misisse ad me autumas?
S. Nosce imaginem: tute eius nomen memorato mihi,
Ut sciam te Ballionem esse ipsum. *B.* Cedo mihi epistolam.
S. Accipe: cognosce signum.
B. Oho! Polymachæroplacides!
Purus putus est ipsus: novi: heus! *S.* Polymachæroplacides
Nomen est. Scio iam tibi me recte dedisse epistolam,
Postquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
B. Sed quid agit is? *S.* Quod homo, edepol, fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere, quæso, epistolam, ita negotium est.
Atque accipere argentum actutum, mulieremque mihi emittere.
Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exequi;
Ita herus meus est imperiosus. *B.* Novi; notis prædicas.
S. Propera pellegere epistolam ergo. *B.* Id ago, si taces modo.
Miles lenoni Ballioni epistolam
Conscriptam mittit Polymachæroplacides,
Imagine obsignatam, quæ inter nos duo
Convenit olim. *S.* Symbolum est in epistola.
B. Video, et cognosco signum: sed in epistola
Nullam salutem mittere ne scriptam solet?

S. Ita militaris disciplina est, Ballio:
Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed, ut occepisti, perge operam experirier,
Quid epitola ista narret. *B.* Ausculta modo.
Harpax calator meus est, ad te qui venit. (quidem.
Tune is es Harpax? *S.* Ego sum, atque ipse Harpax
B. Qui epistolam istam fert: ab eo argentum accipi,
Et cum eo simitu' mulierem mitti, volo.
Salutem scriptam dignum 'st dignis mittere;
Te si arbitrarem dignum, misissem tibi.
S. Quid nunc? *B.* Argentum des; abducas mulierem.
S. Uter remoratur? *B.* Quin sequere ergo intro.
S. Sequor.

SCENA III. *Pseudolus.*

Peiorem ego hominem magisque vorsute malum
Nunquā, edepol, quemquā vidi, quam hic est Simia.
Nimisque ego illum hominē metuo et formido male,
Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit;
Ne, in re secunda, nunc mihi obvortat cornua,
Si occasionem capsit, qui siet malus.
Atque, edepol, equidem nolo; nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maxumo, triplici modo.
Primum omniū iam hunc comparem metuo meum,
Ne deserat me, atque ad hostis transeat.
Metuo autem, ne herus redeat etiam dum a foro,
Ne, capta præda, capti prædones fuant. (niat,
Cum hæc metuo, metuo, ne ille huc Harpax adve-
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii, hercle! nimium tarde egrediuntur foras.
Cor colligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exsulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum: vici cautos custodes meos.

SCENA IV. *Simia, Pseudolus.*

S. Ne plora: nescis ut res sit, Phœnicium:
Verum, haud multo post, faxo, scibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedoniensem, qui te nunc flentem facit.
Quoiam esse te vis maxume, ad eum duco te:
Calidorum, haud multo post, faxo, amplexabere.
P. Quid tu intus, quæso, desedisti? Quam diu
Mihi cor retunsum 'st oppugnando pectore!
S. Occasionem reperisti, verbero,
Ubi percontaris me insidiis hostilibus.
Quin hinc metimur gradibus militariis?
P. Atque, edepol, quamquam nequam homo es, recte mones.
Ite hac, triumphi, ad cantharum recta via.

SCENA V. *Ballio.*

Ha hæ! nunc demum mihi animus in tuto est loco,
Postquam iste hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Libet nunc venire Pseudolum, scelerum caput,
Et abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis, hercle, verbis, satis certo scio,
Ego periurare mavellem me millies,
Quam mihi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo, hercle, hominem, si convenero.
Verum in pistrinum, credo, ut convenit, fore.
Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut mea lætitia lætus promiscam siet.

SCENA VI. *Simo, Ballio.*

S. Viso, quid rerum meus Ulysses egerit,
Iamne habeat signum ex arce Ballionia.
B. O fortunate! cedo fortunatam manum,
Simo! *S.* Quid est? *B.* Iam... *S.* Quid iam? *B.* Nihil est quod metuas. *S.* Quid est?
Venitne homo ad te? *B.* Non. *S.* Quid est igitur boni?
B. Minæ viginti sanæ ac salvæ sunt tibi,
Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus.
S. Velim quidem, hercle. *B.* Roga me viginti minas,
Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Rogato, hercle, obsecro: gestio promittere,
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias:
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
S. Nullum periclum 'st, quod sciam, stipularier,
Ut concepisti verba. Viginti minas (haud male.
Dabin'? *B.* Dabuntur. *S.* Hoc quidem actum 'st
Sed hominem convenistin'? *B.* Immo, ambos simul.
S. Quid ait? quid narrat? quæso: quid dicit tibi?
B. Nugas theatri, verba, quæ in comœdiis
Solent lenoni dici, quæ pueri sciunt.
Malum, et scelestum, et periurum aibat esse me.
S. Pol, haud mentitu 'st. *B.* Ergo haud iratus fui:
Nam quanti refert te nec recte dicere,
Qui nihili faciat, quique inficias non eat?
S. Quid est, quod non metuas ab eo? id audire expeto.
B. Quia nunquam ab me abducet mulierem iam, nec
Meministius tibi me dudum dicere, (potest.
Eam venisse militi Macedonio?
S. Memini. *B.* Hem! illius servos huc ad me argentum attulit,
Et obsignatum symbolum.... *S.* Quid postea?
B. Qui inter me atque illum militem convenerat.
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
S. Bona u' fide istuc dicis? *B.* Unde ea sit mihi?
S. Vide modo, ne illic sit contechnatus quidpiam.
B. Epistola atque imago me certum facit.
Quin iam quidem illam in Sicyonem ex urbe abduxit modo.
S. Bene, hercle, factum. Quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus?
B. Non, edepol, scio,
Nisi ut observemus quo eat, aut quam rem gerat.

SCENA VII. *Harpax, Simo, Ballio.*

H. Malus et nequam 'st homo, qui nihili imperium
Sui servos facit. Nihili est autem, suum (heri
Qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus.
Nam, qui liberos esse illico se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ii nomen diu servitutis ferunt:
Nec boni ingeni quidquā in his inest, nisi ut improbis se artibus teneant. Cum his mihi nec locus
Convenit; neque his unquam nobilis fui. (nec sermo
Ego, ut mihi imperatum est, etsi abest, hic adesse herum
Arbitror: nunc ego illū metuo, cum hic non adest;
Ne, cum assiet, metuam: ei rei operam dabo.
Nam me in taberna usque adhuc sineret Syrus,
Quoi dedi symbolum: mansi, ut iusserat:
Leno ubi esset domi, me aibat arcessere.
Verum, ubi is non venit, nec vocat, venio huc ultro,
Ut sciam, quid rei siet; ne illic homo me ludificetur.
Neque, quidquam est melius, quam ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus: leno argentum hoc, volo, a me accipiat,
Atque amittat mulierem nunc mecum simul.
B. Heus tu! *S.* Quid vis? *B.* Hic homo meu 'st.

S. Quí dum? *B.* Quia
Præda hæc mea est: scortum quærit; habet argentum.
Iam admordere hunc mihi lubet.
S. Iamne illum comesurus es? *B.* Dum recens est,
Dum datur, dum calet, devorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi aluut;
Augent rem meam mali; populi strenui
Damno mihi, improbi usui sunt. *S.* Malum!
Quod tibi Dii dabunt, qui sic scelestu 's.
H. Me nunc commoror, cum has fores non ferio,
Ut sciam, situe Ballio domi. *B.* Venus mihi hæc
Bona dat, cum hos huc adigit lucrifugas, damni
Cupidos, qui se suamque ætatem bene curant;
Edunt, bibunt, scortantur: illi sunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides.
H. Heus! ubi estis vos? *B.* Hic quidem ad me recta habet rectam viam.
H. Heus! ubi estis vos? *B.* Heus, adolescens! quid istic debetur tibi?
Bene ego ab hoc prædatus ibo: novi; bona scæva est mihi.
H. Ecquis hoc aperit? *B.* Heus, chlamydate! quid istic debetur tibi?
H. Ædium dominum lenonem Ballionem quærito.
B. Quisquis es, adolescens, operam fac compendi quærere.
H. Quid iam? *B.* Quia te is ipsus coram præsens præsentem videt.
H. Tun' is es? *S.* Chlamydate, cave sis tibi a curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum: hic leno est.
B. At hic est vir probus.
Sed tu, bone vir, flagitare sæpe clamore in foro,
Cum libella nusquam est, nisi quid leno hic subvenit tibi.
H. Quin tu mecum fabulare? *B.* Fabulor: quid vis tibi?
H. Argentum accipias. *B.* Iamdudum, si des, porrexi manum.
H. Accipe: hic sunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me iussit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet; atque ut mecum mitteres Phœnicium.
B. Herus tuus? *H.* Ita dico. *B.* Miles? *H.* Ita loquor.
B. Macedonius?
H. Admodum, inquam. *B.* Te ad me misit Polymachæroplacides?
H. Vera memoras. *B.* Hoc argentum ut mihi dares?
H. Si tu quidem es
Leno Ballio. *B.* Atque ut a me mulierem abduceres?
H. Ita.
B. Phœniciumne esse dixit? *H.* Recte meministi.
B. Mane:
Iam redeo ad te. *H.* At maturate propera: nam propero. Vides
Iam die multum esse. *B.* Video. Hunc advocare etiam volo.
Mane modo istic: iam revortar ad te. Quid nunc fiet, Simo?
Quid agimus? manifesto hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
S. Quid iam? *B.* An nescis, quæ sit hæc res? *S.* Iuxta cum ignarissumis.
B. Edepol, hominem verberonem Pseudolum! ut docte dolum
Commentu 'st! tantumdem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuus allegavit hunc, quasi a Macedonio
Milite esset. *S.* Habesne argentum ab homine?
B. Rogitas, quod vides?
S. Heus! memento ergo dimidium istinc mihi de præda dare:
Commune istuc esse oportet.
B. Quid, malum? id totum tuum 'st.
H. Quam mox mihi operam das? *B.* Tibi do equidem.
Quid nunc mihi es auctor, Simo?
S. Exploratorē hunc faciamus ludos suppositicium.
B. Adeo, donicum ipsus sese ludos fieri senserit.
Sequere. Quid ais? Nempe tu illius servos es?
H. Planissume.
B. Quanti te emit? *H.* Suarum in pugna virium victoria.
Nam ego erā domi imperator summus in patria mea.
B. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
H. Contumeliam si dices, audies. *B.* Quotumo die
Ex Sicyone huc pervenisti? *H.* Altero ad meridiem.
B. Strenue, mehercle, iisti: quamvis pernix hic est homo.
Ubi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare solitus es in cunis puer?
S. Scilicet. *B.* Etiamne facere solitus es? scin' quid loquar?
S. Scilicet solitum esse. *H.* Sanine estis?
B. Quid hoc, quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis?
H. I in malam crucem. *B.* Ire licebit tibi tamen hodie tempori.
H. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? *B.* Mane.
H. Quid maneam? *B.* Chlamydem hanc commemores, quanti conducta 'st. *H.* Quid est?
B. Quid meret machæra? *H.* Helleborum hisce hominibus est opus.
B. Eho! *H.* Mitte. *B.* Quid mercedis petasus hodie domino demeret?
H. Quid, domino? Quid somniatis? Mea quidem hæc habeo omnia,
Meo peculio emta. *B.* Nempe quod fœmina summa sustinent.
H. Uncti hi sunt senes; fricari sese ex antiquo volunt.
B. Responde obsecro, hercle, hoc vero serio, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?
H. Qui istic Pseudolu 'st?
B. Præceptor tuus, qui te hanc fallaciam
Docuit ut fallaciis hinc a me mulierem abduceres.
H. Quē tu Pseudolū quastu mihi prædicas fallacias?
Quem ego hominem nullius coloris novi.
B. Non tu istinc abis?
Nihil est hodie hic sycophantis quæstus: proin 'tu Pseudolo
Nunties, abduxisse alium prædā, qui occurrit prior
Harpax. *H.* Is quidem edepol Harpax ego sum.
B. Immo edepol esse vis.
Purus putus hic sycophanta est.
H. Ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Heri imagine obsignatam epistolam, hic ante ostium.
B. Meo tu epistolam dedisti servo? cui servo?

H. Syro. 106
B. Non confidit: sycophauta hic nequam 'st: nugas meditatur male.
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
H. Harpax ego vocor: ego servos sum Macedonis militis.
Ego nec sycophantiose quidquam ago, nec malefice;
Neque istum Pseudolum, mortalis qui sit, novi, neque scio. 111
S. Tu, nisi mirũ 'st, leno, plane perdidisti mulierẽ.
B. Edepol, næ istuc magis magisque metuo, cum verba audio.
S. Mihi quoque, edepol, iamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit. Mira sunt! Pseudolus est! Ebo 115
Tu! qua facie fuit, dudum cui dedisti symbolum?
H. Rufus quidã, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodũ
Magnis pedibus. *S.* Perdidisti, postquã dixisti pedes.
Pseudolus fuit ipsus.
B. Actum 'st de me! Iam morior, Simo. 120
H. Hercle, haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. *S.* Atque etiã mihi aliæ viginti minæ.
B. Auferetur id præmiũ a me, quod promisi per iocũ?
S. De improbis viris auferri præmiũ et prædã decet.
B. Saltem Pseudolum mihi dedas.
S. Pseudolum ego dedam tibi? 125
Quid deliquit? Dixin', ab eo tibi ut caveres, centies?
B. Perdidit me.
S. At me viginti modicis multavit minis.
B. Quid nunc faciam?
H. Si mihi argentum dederis, te suspendito.
B. Dii te perdant! Sequere sis me ergo hac ad forum, ut solvam. *H.* Sequor. 129
B. Hodie ego peregrinos absolvã; cras agã cũ civibus.
Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. Nunc ne expectetis, dum hac domum redeam via.
Ita res gesta est: angiporta hæc certũ 'st consectarier.
H. Si graderere tantum, quantum loquere, iam esses ad forum. 135
B. Certum 'st mihi emortualem facere ex natali die.

SCENA VIII *Simo.*

Bene ego illum tetigi! bene autẽ servos inimicũ suũ.
Nunc mihi certum 'st, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quã in aliis comœdiis fit, ubi cũ stimulis aut flagris
Insidiantur: at ego iam inultus promã viginti minas,
Quas promisi, si effecisset: obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus. 6
Superavit Dolum Troianum atque Ulyssẽ Pseudolus.
Nunc ibo intro, argentum promam; Pseudolo insidias dabo.

ACTUS V. SCENA I. *Pseudolus.*

Quid hoc? siccine hoc fit? Pedes, statin', an non?
An id voltis, ut me hic iacentem aliquis tollat?
Nam, hercle, si cecidero, vostrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? Ah! sæviundum mihi
Hodie est. Magnum hoc vitium vino est; 5
Pedes captat primum: luctator dolosu 'st.
Profecto, edepol, ego nunc probe abeo madulsa:
Ita victu excurato, ita munditiis dignis, ah!
Itaque in loco festivo sumus festive accepti.
Quid opus me multas agere ambages? hoc 10
Est homini, quamobrem vitam amet: hic omnes
Voluptates; in hoc omnes Venustates sunt:
Deis proxumam esse arbitror: nam, ubi amans complexu 'st
Amantem, ubi labra ad labella adiungit,
Ubi alter alterum bilingui manifesto 15
Inter se prehendunt: ubi mamma manicula
Opprimitur alia; aut, si lubet, corpora
Conduplicant: manu candida cantharum dulciferum
Propinare amicissumam amicitiam; neque ibi esse alium alii 19
Odio; ibi nec molestũ, nec sermonibus morologis uti:
Unguenta, atque odores, lemniscos, corollas dari dapsileis.
Non enim parcipromi victu cætero; ne quis me roget.
Hoc ego modo, atque herus minor, hanc diem sumsimus prothyme, 23
Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis:
Illos accubanteis, potanteis, amanteis, cum scortis
Reliqui, et meũ scortũ ibidẽ, cordi atque animo suo
Obsequenteis. Sed, postquam exsurrexi, orant med, uti saltem. 27
Ad hunc me modum intuli, ut illis satisfacerem ex disciplina; quippe ego
Qui probe Ionica perdidici: sed palliolatim amictus
Sic hac incessi ludibundus. Plaudunt partim: clamitant me, ut revortar. 30
Occepi denuo hoc modo volvi. Idem amicæ dabam me meæ,
Ut me amaret. Ubi circumvortor, cado: id fuit nænia ludo.
Itaque, dum enitor, pax! iam pæne inquinavi pallium: nimiæ tuum
Voluptati, edepol, fui ob casum. Datur cantharus: bibi: commuto
Illico pallium; illud posivi: inde huc exii, crapulam dum amoverem. 35
Nunc ab hero ad herum meum maiorem venio, fœdus commemoratum.
Aperite, aperite! heus! Simoni, me adesse, quis nuntiate.

SCENA II. *Simo, Pseudolus, Ballio.*

S. Vox viri pessumi me exciet foras: sed quid hoc? quo modo? quid video ego?
P. Cum corona ebrium Pseudulum tuum.
S. Libere, hercle, hoc quidem: sed vide statum?
Num mea gratia pertimescit? Magis cogito, sæviter blanditerne alloquar.
Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, siqua in hoc spes sita 'st mihi.
P. Vir malus viro optumo obviam it. *S.* Dii te ament, Pseudole. Phui! in malam crucem. 5
P. Cur ergo me afflictor? *S.* Quid tu malum! ergo in os mihi ebrius irructas?
P. Molliter siste nunc me; cave ne cadam: non vides me, ut madide madeam?
S. Quæ ista hæc audacia est, te sic interdius cum corolla ebrium incedere? *P.* Lubet.
S. Quid lubet? pergin' ructare in os mihi?
P. Suavis ructus mihi est: sic sine: i modo.
S. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrumos quatuor 10
Fructus ebibere in hora una. *P.* Hiberna addito.
S. Haud male mones.

Sed dic tamen, unde onustam celocem agere te prædicem? *P.* Cum tuo filio
Perpotavi modo: sed, Simo, ut probe tactus Ballio est! quæ tibi dixi, ut
Effecta reddidi! *S.* Derides? pessumus homo est.
P. Mulier hæc,
Feci, cum tuo filio libera accubet.
S. Omnia, ut quidque egisti ordine,
Scio. *P.* Quid ergo dubitas dare mihi argentum?
S. Ius petis, fateor.
Tene. *P.* At negabas daturum esse te mihi; tamen das. Onera hunc hominem, atque me
Consequere hac. *S.* Ego istum onerem? *P.* Onerabis, scio.
S. Quid ego huic homini faciam?
Satin' ultro et argentum aufert, et me irridet?
P. Væ victis! *S.* Verte ergo humerum.
Hem! *B.* Hoc ego nunquam ratus sum fore, me ut tibi fierem supplex.
Heu! heu! heu! *P.* Desine. *B.* Doleo.
P. Ni doleres tu, ego dolerem.
B. Quid hoc? auferrene, Pseudole, abs tuo hero?
P. Lubentissumo corde atque animo.
B. Non audes, quæso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?
P. Novi, me dices avidum esse: nam hinc nunquam eris nummo divitior.
Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie effecissem.
B. Erit, ubi te ulciscar, si vivo.
P. Quid minitare? habeo tergum.
B. Age sane. *P.* Igitur redi. *B.* Quid redeam?
B. Redi modo; non eris deceptus.
B. Redeo. *P.* Simul mecum potatum.
B. Egone eam? *P.* Fac, quod te iubeo.
Si is, aut dimidium, aut plus etiam, faxo, hinc feres.
B. Eo; duc me, quo vis. *P.* Quid nunc?
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? *S.* Nihil profecto.
P. I hac. *B.* Te sequor. Quin vocas spectatores simul?
P. Hercle, me isti
Haud solent vocare, neque ergo ego istos. Verum, si voltis applaudere,
Atque approbare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo.

RUDENS

DRAMATIS PERSONÆ

ARCTURUS, *Prologus.*
SCEPARNIO, *servus.*
PLEUSIDIPPUS, *adolescens.*
DÆMONES, *senex.*
PALÆSTRA, AMPELISCA, } *mulieres.*
SACERDOS, *anus.*
PISCATORES.
TRACHALIO, *servus.*
LABRAX, *leno.*
CHARMIDES, *parasitus.*
LORARII.
GRIPUS, *piscator.*

Argumentum (PRISCIANI?)

Reti piscator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ surrepta venerat.
Ea in clientelam suapte imprudens patris,
Naufragio eiecta, devenit: cognoscitur,
Suoque amico Pleusidippo iungitur.

ARCTURUS *Prologus.*

Qui gentes omnes, mariaque et terras, movet,
Eius sum civis civitate cœlitum.
Ita sum, ut videtis, splendens stella candida,
Signum quod semper tempore exoritur suo,
Hic atque in cœlo. Nomen Arcturo est mihi.
Noctu sum in cœlo clarus, atque inter Deos:
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia signa de cœlo ad terram accidunt.
Qui est imperator Divum atque hominum Iupiter,
Is nos per gentis alium alia disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem, et fidem,
Noscamus; ut quemque adiuvet opulentia.
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt: quique in iure abiurant pecuniam;
Eorum referimus nomina exscripta ad Iovem.
Cotidie ille scit, quis hic quærat malum.
Qui hic litem adipisci postulant periurio,
Mali res falsas qui impetrant ad iudicem;
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat;
Maiore multa multat, quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Iovem se placare posse donis, hostiis.
Et operam et sumtum perdunt: id eo fit, quia
Nihil ei acceptum 'st a periuris supplici.
Facilius, si qui pius est, a Diis supplicans,
Quam qui scelestu 'st, inveniat veniam sibi.
Idcirco moneo vos ego hæc, qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate et cum fide,
Retinete porro; post factum ut lætemini.
Nunc, huc qua causa veni, argumentum eloquar.
Primum dum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. Illic habitat Dæmones
In agro atque villa proxuma propter mare,
Senex, qui huc Athenis exul venit, haud malus;
Neque is adeo propter malitiam patria caret:
Sed, dum alios servat, se impedivit interim:
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvola;
Eam de prædone vir mercatur pessumus;
Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
Adolescens quidam, civis huius, Atticus,
Eam vidit ire e ludo fidicinio domum.
Amare occœpit: ad lenonem devenit;
Minis triginta sibi puellam destinat,
Datque arrhabonem, et iureiurando alligat.
Is leno, ut se æquum 'st, flocci non fecit fidem;
Neque, quod iuratus adolescenti dixerat.
Ei erat hospes, par illius, Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor.
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem, quæ eius erant mulierculæ.
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
Dicit: potesse ibi fieri eum divitem:
Ibi esse quæstum maxumum meretricibus.
Persuadet: navis clanculum conducitur.
Quidquid erat, noctu in navem comportat domo
Leno: adolescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait sese Veneri velle votum solvere.
Id hic est fanum Veneris; et eo ad prandium
Vocavit adolescentem hunc. Ipse hinc illico
Conscendit navem: avehit meretriculas.
Adolescenti alii narrant, ut res gesta sit:
Lenonem abiisse: ad portum adolescens venit:
Illorum navis longe in altum abscesserat.
Ego, quoniam video virginem asportarier,
Tetuli ei auxilium, et lenoni exitium simul:
Increpui hibernum, et fluctus movi maritimos.
Nam Arcturus signum sum omnium acerrumum:
Vehemens sum exoriens: cum occido, vehementior.

Nunc ambo in saxo, leno atque hospes, simul
Sedent eiecti: navis confracta est ibus.
Illa autem virgo, atque altera itidem ancillula,
De navi timidæ desiluerunt in scapham.
Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exul ubi habitat senex,
Quoius deturbavit ventus tectum et tegulas.
Et servos illic est eius, qui egreditur foras.
Adolescens huc iam adveniet, quem videbitis,
Qui illam mercatu 'st de lenone virginem.
Valete, ut hostes vostri diffidant sibi.

Actus I. Scena I. *Sceparnio.*

Pro, Dii immortales! tempestatem quoiusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
Detexit ventus villam. Quid verbis opu 'st?
Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi:
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas,
Illustriores fecit, fenestrasque indidit.

Scena II. *Pleusidippus, Dæmones, Sceparnio.*

P. Et vos a vostris abduxi negotiis;
Neque id processit, qua vos duxi gratia;
Neque quivi lenonem ad portum prehendere.
Sed mea desidia spem deserere nolui:
Eo vos, amici, detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere;
Ubi rem divinam se facturum dixerat.
S. Si sapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.
P. Prope me hinc nescio quis loquitur.
D. Heus, Sceparnio!
S. Qui nominat me? *D.* Qui pro te argentum dedit.
S. Quasi me tuum esse servom dicas, Dæmones.
D. Luto usu 'st multo; multam terram confode:
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius.
P. Pater, salveto, amboque adeo. *D.* Salvos sies.
S. Sed utrum tu mas an fœmina es, qui illum patrem
Voces? *P.* Vir sum equidẽ. *D.* Quære vir porro patrẽ.
Filiolam ego unam habui; eam unam perdidi.
Virile secus unquã nullũ habui. *P.* At Dii dabunt.
S. Tibi quidem, hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hic nos occupatos occupes
P. Isticcine vos habitatis? *S.* Quid tu id quæritas?
An, quo furatum mox venias, vestigas loca?
P. Peculiosum esse decet servom et probum,
Quem, hero præsente, prætereat oratio;
Aut qui inclementer dicat homini libero.
S. Et impudicum et impudentem hominem addecet,
Molestum ultro advenire ad alienam domum,
Cui debeatur nihil. *D.* Tace, Sceparnio.
Quid opus, adolescens, est? *P.* Isti infortunium,
Qui præfestinet, ubi herus assit, praloqui.
Sed, nisi molestum 'st, paucis percontarier
Volo ego ex te. *D.* Dabitur opera, atque in negotio.
S. Quin tu in paludem is, exsicasque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum 'st? *D.* Tace.
Tu, si quid opus est, dice. *P.* Dic, quod te rogo.
Ecquem tu hic hominem crispum, incanum, videris,
Malum, periurum, palpatorem? *D.* Plurimos.
Nam ego, propter eiusmodi viros, vivo miser.
P. Hic, dico, in fanum Veneris qui mulierculas
Duas secum adduxit: quique adornaret sibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
D. Non, hercle, adolescens, iã hos dies complusculos
Quemquam istic vidi sacruficare: neque potest
Clam me esse, si qui sacruficant: semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum,
aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid Quid verbis opu 'st?
Veneri paravi vasa et puteum, non mihi.
Nunc intervallum iam hos dies multos fuit.
P. Ut verba præhibes, me periisse prædicas.
D. Mea quidem, hercle, causa, salvus sis licet.
S. Heus tu, qui fana ventris causa circumis!
Iubere meliu 'st prandium ornari domi;
Fortasse tu huc vocatus es ad prandium.
Ille, qui vocavit, nullus venit. *P.* Admodum.
S. Nullum 'st periclum te hinc ire impransum domũ.
Cererem te melius quam Venerem sectarier:
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
P. Deludificavit me ille homo indignis modis.
D. Pro, Dii immortales! Quid illuc est, Sceparnio,
Hominum secundum litus? *S.* Ut mea est opinio,
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
D. Qui? *S.* Quia, post cœnam, credo, laverunt heri:
Confracta navis in mari est illis. *D.* Ita est.
S. At, hercle, nobis villa in terra, et tegulæ. *D.* Hui!
Homunculi, quanti estis! eiecti ut natant!
P. Ubi sunt ii homines, obsecro? *D.* Hac ad dexterã,
Viden' secundum litus? *P.* Video: sequimini.
Utinam sit is, quem ego quæro, vir sacerrumus!
Valete. *S.* Si non moneas, nosmet meminimus.
Sed, O Palæmon, sancte Neptuni comes,
Quique, hercule, illi socius esse diceris,
Quod facinus video! *D.* Quid vides? *S.* Mulierculas
Video sedenteis in scapha solas duas.
Ut afflictantur miseræ! euge, euge, perbene,
Ab saxo avortit fluctus ad litus scapham.
Neque gubernator unquam potuit melius.
Non vidisse undas me maiores censeo.
Salvæ sunt, si illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculum 'st: eiecit alteram;
At in vado 'st. Iam facile enabit. Eugepæ!
Viden', alteram illam ut fluctus eiecit foras?
Surrexit: horsum se capessit: salva res!
Desiluit hæc autem altera in terram e scapha.
Ut, præ timore, in genua in undas concidit!
Salva 'st; evasit ex aqua; iam in litore est.
Sed dextrovorsum avorsa it in malam crucem.
Hem! errabit illæc hodie! *D.* Quid id refert tua?
S. Si ad saxum, quo capessit, ea deorsum cadit,
Errationis fecerit compendium.
D. Si tu de illarum cœnaturus vesperi es,
Illis curandum censeo, Sceparnio:
Si apud me esurus es, mihi dari operam volo. (quor
S. Bonũ æquomq; oras. *D.* Sequere me hac ergo. *S.* Se-.

Scena III. *Palæstra*

Nimio hominũ fortunæ minus miseræ memorantur,
Quam reapse experiundo iis datur acerbum!
Hoc Deo complacitum 'st? me, hoc ornatu ornátam,
In incertas regiones, timidam, eiectam?
Hanccine ego ad rem natam miseram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori est laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut Deos me impiavi;
Sed, id si parate curavi ut caverem,
Tum hoc mihi indecore, inique, immodeste,
Datis, Dii. Nam quid habebunt sibi igitur impii
Posthac, si ad hunc modum 'st innoxiis honor
Apud vos? Nam, me si sciam fecisse,
Aut parentes sceleste, minus me miserer: (le
Sed, hercle, scelus me sollicitat: eius me impietas ma-
Habet. Is navem atque omnis perdidit in mari.
Hæc bonorum eius sunt reliquiæ. Etiam, quæ simul
Vecta mecum in scapha 'st, excidit: ego nunc sola sũ:
Quæ si mihi foret salva saltem, labor

Lenior esset hic mihi eius opera.
Nunc quā spem, aut opem, aut consili quid capessā?
Ita hic solis locis compotita sum.
Hic saxa sunt; hic mare sonat; nec quisquam
Homo mihi obviam venit.
Hoc, quod induta sum, summæ opes oppido:
Nec cibo, nec loco, tecta quo sim, scio.
Quæ mihi est spes, qua me vivere velim?
Nec loci gnara sum, nec diu hic fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut semitam monstret: ita nunc, hac
An illac eam, incerta sum consili:
Nec prope usquam hic quidem cultū agrū conspicor.
Algor, error, pavor, membra omnia tenent.
Hæc parentes haud mei scitis miseri,
Me nunc miseram ita esse, uti sum. Libera ego
Prognata fui maxume; nequidquam fui.
Nunc qui minus servio, quam si forem serva nata?
Neque quidquam unquam iis profui, qui me sibi eduxerunt.

SCENA IV. *Ampelisca, Palæstra.*

A. Quid mihi meliu 'st, quid magis in rem est, quam corpore vitam secludam?
Ita male vivo, atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.
Nunc dein vitæ haud parco: perdidi spem, qua me oblectabam.
Omnia iam circumcorsavi, atque omnibus in latebris perreptavi,
Quærere conservam voce, oculis, auribus, ut pervestigarem.
Neque eam usquam invenio, neque, quo eam, neque qua quæram, consultum 'st;
Neque, quem rogitem responsorem, quemquam interea invenio.
Neque magis solæ terræ sunt, quam hæc loca atque hæ regiones.
Neque, si vivit, eam vivam unqosm quin inveniam, desistam.
P. Quænam vox mihi prope hic sonat? *A.* Pertimui.
Quis hic loquitur prope? *P.* Spes bona, obsecro, subventa
Mihi. *A.* Mulier est; muliebris vox mihi ad aures
Venit. An eximet ex hoc miseram metu?
P. Certo vox muliebris auris tetigit meas. (dic?
Num Ampelisca, obsecro, 'st? *A.* Ten', Palæstra, au-
P. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo?
Ampelisca! *A.* Hem! quis est? *P.* Ego Palæstra sum.
A. Dic, ubi es? *P.* Pol, ego nunc in malis plurimis.
A. Socia sum; nec minor pars mea 'st quam tua.
Sed videre expeto te. *P.* Mihi es æmula.
A. Consequamur gradu vocem. Ubi es? *P.* Ecce me.
Accede ad me, atque adi contra. *A.* Fit sedulo.
P. Cedo manum. *A.* Accipe. *P.* Dic, vivisne? obsecro.
A. Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere. Ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! obsecro, amplectere,
Spes mea! Ut me omnium iam laborum levas!
P. Occupas præloqui, quæ mea est oratio.
Nunc abire hinc decet nos. *A.* Quo, amabo, ibimus?
P. Litus hoc persequamur. *A.* Sequor, quo lubet.
P. Siccine hic cum uvida veste grassabimur?
A. Hoc quod est, id necessarium est perpeti. (amabo
Sed quid hoc, obsecro, est? *P.* Quid? *A.* Viden'
Fanum? videsne hoc? *P.* Ubi est? *A.* Ad dexteram.
P. Video decorum Diis locum viderier.
A. Haud longe abesse oportet homines hinc; ita hic
Lepidu 'st locus. Nunc, quisquis est Deus, veneror,
Ut nos ex hac ærumna miseras eximat,
Inopes, ærumnosas ut aliquo auxilio adiuvet.

SCENA V. *Sacerdos, Palæstra, Ampelisca.*

S. Qui sunt, qui a patrona preces mea expetessunt?
Nam vox precantum me huc foras excitavit.
Bonam atque obsequentē Deā, atque haud gravatam
Patronam, exsequuntur, benignamque multum.
P. Iubemus te salvere, mater. *S.* Salvete,
Puellæ: sed unde vos ire cum uvida
Veste dicam, obsecro, tam mœstiter vestitas?
P. Illico hinc imus, haud longule ex hoc loco.
Verum longe hinc abest, unde huc vectæ sumus.
S. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vectæ. *P.* Admodum. *S.* Ergo æquius vos erat
Candidatas venire, hostiatasque: ad hoc
Fanum ad istunc modum non veniri solet.
P. Quæne eiectæ e mari sumus ambæ, obsecro?
Unde nos hostias agere voluisti huc?
Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,
Quæ in locis nesciis nescia spe sumus,
Ut tuo recipias tecto, servesque nos,
Miserarumque te ambarum uti misereat,
Quibus nec locus ullus, nec spes parata est, (quā'st.
Neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quid-
S. Manus mihi date; exsurgite a genibus ambæ:
Misericordior nulla me est fœminarum.
Sed hic pauperes res sunt inopesque, puellæ:
Egomet vix vitam colo: Veneri cibo meo (Ego
Servio. *A.* Veneris fanum, obsecro, hoc est? *S.* Fateor.
Huius fani sacerdos clueo. Verum, quidquid est,
Comiter fiet a me, quod nostra copia
Valebit: ite hac mecum. *P.* Amice benigneque
Honorem, mater, nostrum habes. *S.* Oportet.

ACTUS II. SCENA I. *Piscatores.*

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivunt,
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicere artem ullam.
Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos iam, de ornatu, propemodum, ut locupletes simus, scitis.
Hice hami, atque hæ arundines, sunt nobis quæstu et cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnastico et palæstrico, hoc habemus;
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, musculos, plagusias, striatas.
Post id, piscatū hamatilem et saxatilem aggredimur,
Cibum captamus e mari. Sin eventus non venit,
Neque quidquam captu' st piscium, salsi lautique pure
Domum redimus clanculum; dormimus incœnati.
Atque, ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes est.
Nisi quid concharum cepsimus, incœnati simus profecto.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adiuverit hodie.

SCENA II. *Trachalio, Piscatores.*

T. Animo advorsavi sedulo, ne herum usquam præterirem.
Nam, cum modo exibat foras, ad portū se aibat ire;
Me huc obviam iussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed, quos percunter, commode eccos video astare! adibo.
Salvete, fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio! quid agitis? ut peritis?

P. Ut piscatorem æquom 'st, fame, siti, speque.
T. Ecquem adolescentem huc,
Dum hic astatis, strenua facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cū machæriis, vidistis venire?
P. Nullum istac facie, ut prædicas, venisse huc scimus. *T.* Ecquem
Recalvom ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contracta fronte, fraudulentum,
Deorum odium atque hominum, malum, mali vitii probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas?
P. Cū istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit,
Eum quidem ad carnuficem est æquius, quam ad Venerem, commeare.
T. At, si vidistis, dicite. *P.* Huc profecto nullus venit.
Vale! *T.* Valete! credidi: factum 'st, quod suspicabar.
Data verba hero sunt: leno abiit scelestus exulatum:
In navem ascendit; mulieres avexit; hariolus sum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit, sceleris semen.
Nunc quid mihi meliu 'st, quam illico hic opperiar herum, dum veniat?
Eadem hanc sacerdotem Veneriam, si quid amplius scit,
Si videro, exquisivero: faciet me certiorem.

Scena III. *Ampelisca, Trachalio.*

A. Intellego: hanc quæ proxuma est villam Veneris fano
Pulsare iussisti, atque aquam rogare. *T.* Quoia ad auris
Vox mihi advolavit? *A.* Obsecro, quis hic loquitur? quem ego video?
T. Estne Ampelisca hæc, quæ foras e fano egreditur?
A. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
T. Ea est. *A.* Is est. Trachalio, salve! *T.* Salve, Ampelisca!
Quid agis tu? *A.* Ætatem haud mala male.
T. Melius ominare!
A. Verum omnes sapientes decet conferre et fabulari.
Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est?
T. Eia vero!
Quasi non sit intus. *A.* Neque, pol, est, neque ullus quidem huc venit.
T. Non venit? *A.* Vera prædicas. *T.* Non est meum, Ampelisca.
Sed quam mox coctum 'st prandium? *A.* Quod prandium, obsecro te?
T. Nempe rem divinam facitis hic. *A.* Quid somnias, amabo?
T. Certe huc Labrax Pleusidippum ad prandium vocavit
Herum meum, herus voster. *A.* Pol, haud miranda facta dicis.
Si Deos decepit et homines, lenonum more fecit.
T. Non rem divinam facitis hic vos, neque herus?
A. Hariolare.
T. Quid tu agis hic igitur? *A.* Ex malis multis, metuque summo,
Capitaliq; ex periculo, orbas auxilique opumque huc
Recepit ad se Veneria hæc sacerdos, me, et Palæstram.
T. An hic Palæstra 'st, obsecro, heri mei amica?
A. Certo.
T. Inest lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampelisca.
Sed istuc periculum, perlubet, quod fuerit vobis, scire.
A. Confracta est, mi Trachalio, hac nocte navis nobis.
T. Quid, navis? quæ istæc fabula est?
A. Non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, et, quidquid domi fuit, in navem imposivit?
Ea nunc perierunt omnia. *T.* Oh! Neptune lepide, salve!
Nec te aleator ullus est sapientior. Profecto
Nimis lepide iecisti bolum: periurum perdidisti.
Sed nunc ubi est leno Labrax? *A.* Periit potando, opinor.
Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
T. Credo, hercle, anancæo datum, quod biberet: ut ego amo te,
Mea Ampelisca! ut dulcis es: ut mulsa dicta dicis!
Sed tu et Palæstra quomodo salvæ estis?
A. Scibis, faxo.
E navi timidæ ambæ in scapham insiluimus: quia videmus
Ad saxa navem ferrier, properans exsolvi restim:
Dum illi timent, nos cum scapha tempestas dextrovorsum
Differt ab illis: itaque nos ventisque fluctibusque
Iactatæ exemplis plurimis miseræ perpetuā noctem:
Vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas.
T. Novi; Neptunus ita solet. Quamvis fastidiosus
Ædilis est: si quæ improbæ sunt merces, iactat omnes.
A. Væ capiti atq; ætati tuæ! *T.* Tuo! Mea Ampelisca!
Scivi lenonem facere hoc, quod fecit: sæpe dixi.
Capillum promittam optumum 'st, occipiamque hariolari.
A. Cavistis ergo tu atque herus, ne abiret, cum scibatis?
T. Quid faceret? *A.* Si amabat, rogas, quid faceret? Asservaret
Dies noctesque: in custodia esset semper: verum, ecastor,
Ut multi fecit, ita probe curavit Pleusidippus.
T. Cur tu istuc dicis? *A.* Res palam est.
T. Scin' tu etiam, qui it lavatum
In balineas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat,
Tamen surripiuntur; quippe qui, quem illorum observet, falsus est.
Fur facile, quem observet, videt: custos, qui fur sit, nescit.
Sed duce me ad illam: ubi est? *A.* I sane in Veneris fanum huc intro;
Sedentem flentemque opprimes. *T.* Ut iam istuc mihi molestum 'st!
Sed quid flet? *A.* Ego dicam tibi: hoc sese excruciat animi,
Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat; ubique habebat,
Qui suos parentes noscere posset: eam veretur,
Ne perierit. *T.* Ubinam ea fuit cistellula?
A. Ibidem in navi.
Conclusit ipse in vidulum, ne copia esset eius, (cum
Qui suos parentes nosceret. *T.* O facinus impudi[cum]
Quam liberam esse oporteat, servire postulare!
A. Nunc eā cum navi scilicet abiisse pessum in altum
Et aurum et argentum fuit lenonis omne ibidem.
Credo aliquē immersisse, atque eum excepisse: i[ta]
misera mœsta 'st,
Sibi eorum evenisse inopiam.
T. Iam istoc magis usus facto 's[t]

Ut eam intro, consolerque eam, ne se sic excruciet animi:
Nam multa, præter spem, scio multis bona evenisse.
A. At ego etiam, qui speraverint, spem decepisse multos.
T. Ergo animus æquus optumum 'st ærumnæ condimentum.
Ego eo intro, uisi quid vis. *A.* Eas: ego, quod mihi imperavit
Sacerdos, id faciam, atque aquam hinc de proxumo rogabo.
Nam extemplo, si verbis suis peterem, daturos dixit:
Neque digniorem censeo vidisse anum me quemquā,
Cui Deos atque homines censeam benefacere magis decere.
Ut lepide, ut liberaliter, ut honeste, atque haud gravate,
Timidas, egentes, uvidas, eiectas, exanimatas,
Accepit ad sese! haud secus, quam si ex se simus natæ.
Ut eapse sic succincta aquam calefactat, ut lavemus!
Nunc, ne moræ illi sim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Heus! ecquis in villa 'st? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

SCENA IV. *Sceparnio, Ampelisca.*

S. Quis est, qui nostris tam proterve foribus facit iniuriam?
A. Ego sum. *S.* Hem! quid hoc boni est? heu! edepol, specie lepida mulier!
A. Salve, adulescens.
S. Et tu multum salveto, adolescentula.
A. Ad vos venio. *S.* Accipiam hospitio, si mox venis.
[Item ut affectas:] nam nunc nihil est [qui te iuvem]
Sed quid ais, mea lepida, hilara? *A.* Aha! nimium familiariter
Me attrectas. *S.* Pro, Dii immortales! Veneris effigia hæc quidem est.
Ut in ocellis hilaritudo est! eia, corpus quoiusmodi!
Subvolturium! illud quidem, subaquilū volui dicere.
Vel papillæ quoiusmodi! tum quæ indoles in savio est!
A. Non ego sum pollucta pago. Potin ut me abstineas manum?
S. Non licet te sicce placide bellam belle tangere?
A. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et deliciæ dabo:
Nunc, quamobrem huc sum missa, amabo, vel tu mihi aias, vel neges.
S. Quid nunc vis? *A.* Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
S. Meus quoque hic sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
A. Hæc sacerdos Veneris hinc me petere iussit a vobis aquam.
S. At ego basilicus sum; quem nisi oras, guttam non feres.
Nostro illum puteū periculo et ferramentis fodimus:
Nisi multis blanditiis, a me gutta non ferri potest.
A. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?
S. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?
A. Immo etiam tibi, mea voluptas, quæ voles, faciam omnia.
S. Eugepæ! salvus sum! hæc iam me suam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequidquam me ames. Cedo mihi urnam. *A.* Cape;
Propera, amabo, efferre. *S.* Manta: iam hic ero, voluptas mea.
A. Quid sacerdoti me dicam hic demoratam tam diu?
Ut etiā nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego misera video procul in litore,
Meum herum lenonem Siciliensemque hospitem,
Quos periisse ambos misera censebam in mari.
Iam illud mali plus nobis vivit, quam ratæ.
Sed quid ego cesso fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæstræ; in aram uti confugiamus prius,
Quam huc scelestus leno veniat, nosq; hic opprimat?
Confugiam hinc; res ita suppetit subito mihi.

SCENA V. *Sceparnio.*

Pro, Dii immortales! in aqua nunquam credidi
Voluptatem inesse tantam. Ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus visu 'st, quam prius.
Ut sine labore hanc extraxi! Præfiscine,
Satis nequam sum; utpote qui hodie inceperim
Amare. Hem tibi aquam, mea tu bella. Hem! sic volo
Te ferre honeste, ut ego fero; ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? cape aquam hanc sis: ubi es?
Amat, hercle, me, ut ego opinor: delituit mala.
Ubi tu es? etiamne hanc urnam acceptura es? ubi es?
Commodule melius: tandem vero serio.
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam, hercle, equidem illam video: ludos me facit.
Apponam, hercle, urnam iam ego hanc in media via.
Sed autem, quid si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo, hercle, ne illa mulier mihi insidias locet,
Ut comprehendar cum sacra urna Veneria.
Nempe optumo me iure in vinculis enicet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit.
Nam hæc literata 'st: ab se cantat quoia sit.
Iam, hercle, evocabo hinc hanc sacerdotem foras,
Ut hanc accipiat urnam: accedam huc ad fores.
Heus, sis, Ptolemocratia! cape hanc urnam tibi:
Muliercula hanc nescio quæ huc ad me detulit.
Intro ferunda 'st. Reperi negotium,
Siquidem his mihi ultro aggerunda etiam est aqua.

SCENA VI. *Lubrax, Charmides.*

L. Qui homo sese miserum et mendicum volet,
Neptuno credat sese atque ætatem suam:
Nam, si quis quid cum eo rei commiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol, Libertas, lepida es, quæ nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule una imponere.
Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit? (brax?
Atque, eccum, incedit! *C.* Quo, malum, properas, La-
Nam equidem te nequeo consequi tam strenue.
L. Utinam, te prius quam oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Siciliam perbiteres;
Quem propter, hoc mihi obtigit misero mali!
C. Utinam, cum in ædes me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deosque immortales quæso, dum vivas, uti
Omnes tui similes hospites habeas tibi.
L. Malam Fortunam in ædis te adduxi meas.
Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio?
Ubi perdidi etiam plus boni quam mihi fuit.
C. Pol, minume miror, navis si fracta 'st tibi,
Scelus te, et sceleste parta quæ vexit bona.
L. Pessum dedisti me blandimentis tuis.
C. Scelestiorem cœnam cœnavi tuam,
Quā quæ Thyestæ quondā anteposita est, et Tereo.

L. Perii! animo male fit! contine, quæso, caput.
C. Pulmonem, edepol, nimis velim vomitū vomas.
L. Eheu, Palæstra atque Ampelisca! ubi estis nunc?
C. Piscibus in alto, credo, præbent pabulum.
L. Mendicitatem mihi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
C. Bonam est quod habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex insulso salsum feci opera mea.
L. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem?
C. Eas! easque res agebam commodum.
L. Eheu! quis vivit me mortalis miserior?
C. Ego multo tanto miserior, quam tu, Labrax.
L. Qui? *C.* Quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies.
L. O scirpe, scirpe! laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis.
C. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca præ tremore fabulor.
L. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis posteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum instruit;
Ita salsam præbet potionem et frigidam.
C. Ut fortunati sunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones assident! semper calent.
L. Utinam fortuna nunc anatina uterer,
Uti, cum exivissem ex aqua, arerem tamen!
C. Quid, si aliquo ad ludos me pro Manduco locem?
L. Quapropter? *C.* Quia, pol, clare crepito dentibus.
Iure optumo me lavisse arbitror.
L. Qui? *C.* Quia auderem tecum in navem ascendere,
Qui a fundamento mihi usque movisti mare.
L. Tibi auscultavi; tu promittebas mihi,
Illic esse quæstum maxumum meretricibus:
Ibi me corruere posse aibas divitias.
C. Iam postulabas, te, impurata bellua,
Totam Siciliam devoraturum insulam.
L. Quænam balæna meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne compactum fuit?
C. Eadem illa, credo, quæ meum marsupium,
Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
L. Eheu! redactus sum usque ad hanc unam tunicu-lam,
Et ad hoc misellum pallium. Perii oppido!
C. Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus partes. *L.* Saltem si mihi
Mulierculæ essent salvæ, spes aliquæ forent.
Nunc si me adolescens Pleusidippus viderit,
A quo arrhabonem pro Palæstra acceperam,
Iam se exhibebit hic mihi negotium.
C. Quid, stulte, ploras? Tibi quidē, edepol, copia 'st,
Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus.

Scena VII. *Sceparnio, Charmides, Labrax.*

S. Quid illuc, obsecro, est negoti, quod duæ mulierculæ
Hic in fano Veneris signum flentes amplexæ tenent,
Nescio quem metuentes miseræ? nocte hac vero proxuma
Se iactatas atque eiectas hodie esse aiunt e mari.
L. Obsecro, hercle, adolescens, ubi istæc sunt, quas memoras, mulieres?
S. Hic in fano Veneris. *L.* Quot sunt?
S. Totidem quot ego et tu sumus.
L. Nempe meæ. *S.* Nempe nescio istuc. *L.* Qua sunt facie? *S.* Scitula.
Vel ego amare utramvis possim, si probe appotus siē.
L. Nempe puellæ? *S.* Nempe molestus es: vise, si lubet.
L. Meas oportet intus esse hic mulieres, mi Charmides.
C. Iupiter te perdat, et si sunt, et si non sunt tamen.
L. Intro rumpam iam huc in Veneris fanum.
C. In barathrum mavelim.
Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci.
S. Istic, ubi vis, condormisce: nemo prohibet; publicum 'st.
C. At vides me, ornatus ut sim vestimentis uvidis.
Recipe me in tectū; da mihi vestimenti aliquid aridi,
Dum mea arescunt. In aliquo tibi referam gratiam.
S. Tegillū eccillud mihi unum aret: id, si vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus esse soleo, si pluvit.
Tu istæc mihi dato: exarescant, faxo.
C. Eho: an te pœnitet,
In mari quod elavi, ni hic in terra iterum eluam?
S. Eluas te, an exungare, ciccum non interduim.
Tibi ego nunquam quidquam credam, nisi accepto pignore.
Tu vel suda, vel peri algu; vel tu ægrota, vel vale:
Barbarum hospitem mihi in ædes nihil moror: sat litium 'st.
C. Iamne abis? venales illic ductitavit, quisquis est:
Non est misericors: sed quid ego hic asto infelix, uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,
Quam potavi, præter animi, quā lubuit, sententiam?
Quasi vinis Græcis, Neptunus nobis suffudit mare.
Itaque alvō prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opu 'st verbis? si invitare nos paulisper pergeret,
Ibidem obdormissemus: nunc vix vivos amisit domum.
Nunc lenonem, quid agat intus, visam, convivam meum.

Actus III. Scena I. *Dæmones.*

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus;
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientes quidem sinunt quiescere.
Velut ego, hac nocte, quæ processit, proxuma,
Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Ad hirundininum nidum visa est simia,
Ascensionem ut faceret, admolirier:
Neque eas eripere quibat inde: postibi
Videbatur ad me simia aggredirier,
Rogare, scalas ut darem utendas sibi.
Ego ad hoc exemplum simiæ respondeo,
Natas ex Philomela atq; ex Procne esse hirundines.
Ago cum illa, ne quid noceat meis popularibus.
Atque illa animo iam fieri ferocior,
Videtur ultro mihi malum minitarier.
In ius vocat me. Ibi ego nescio quomodo
Iratus videor mediam arripere simiam:
Concludo in vincla bestiam nequissumam.
Nunc, quam ad rem dicam hoc attinere somnium,
Nunquam hodie quivi ad coniecturam evadere.
Sed quid hic in Veneris fanu* * *
Clamoris oritur? animus mirat* * *

Scena II. *Trachalio, Dæmones.*

T. Pro, Cyrenenses populares! vostram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiæ, atque exemplum pessumum pessumdate,
Vindicate: ne impiorum potior sit pollentia,
Quam innocentium, qui se scelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti; date pudori præmium.
Facite hic lege potius liceat, quam vi, victo vivere.

Currite huc in Veneris fanum: vostram iterum imploro fidem,
Qui prope hic adestis, quique auditis clamorem meum,
Ferte suppetias, qui Veneri Veneriæque antistitæ
More antiquo in custodiā suū commiserunt caput.
Prætorquete iniuriæ prius collum, quam ad vos perveniat.
D. Quid istuc est negoti?
T. Per ego te hæc genua obtestor, senex,
Quisquis es. *D.* Quin tu ergo omitte genua, et, quid sit, mihi expedi,
Quid tumultues? *T.* Teque oro et quæso, si speras tibi
Hoc anno multum futurum sirpe et laserpitium,
Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi....
D. Sanun' es? *T.* Seu tibi confidis fore multam magudarim;
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
D. At ego te, per crura et talos, tergumque obtestor tuum,
Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam (li,
Et tibi esse eventurā hoc anno uberem messem ma-
Ut mihi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.
T. Qui lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
D. Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor,
T. Obsecro, hoc prævortere ergo. *D.* Quid negoti 'st?
T. Mulieres
Duæ innocentes intus hic sunt, tui indigentes auxili,
Quibus, advorsum ius legesque, insignite iniuria hic
Facta est, fitque in Veneris fano. Tum sacerdos Veneria
Indigne afflictatur. *D.* Quis homo est tanta confidentia,
Qui sacerdotem audeat violare? Sed eæ mulieres
Quæ sunt? aut quid iis iniqui fit?
T. Si das operam, eloquar.
Veneris signum sunt amplexæ. Nunc* * *
Eas deripere volt. Eas ambas esse oportet* * *
D. Quis istic est, qui Deos tam parvipendit?
T. Fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenus,
Legirupa, impudens, impurus, inverecundissumus:
Uno verbo absolvam, leno 'st: quid illum porro prædicem?
D. Edepol, infortunio hominem prædicas donabilē.
T. Qui sacerdoti scelestus fauces interpresserit.
D. At malo cum magno suo fecit, hercle. Ite istinc foras,
Turbalio, Sparax! ubi estis? *T.* I, obsecro, intro; subveni
Illis. *D.* Iterum haud imperabo: sequimini hac.
T. Age nunc iam:
Iube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.
D. Proripite hominem pedibus huc, itidem quasi occisam suem.
T. Audio tumultum; opinor, leno pugnis pectitur.
Nimis velim improbissumo homini malas edentaverint.
Sed ecce ipsæ huc egrediuntur timidæ e fano mulieres.

SCENA III. *Palæstra, Ampelisca, Trachalio.*

P. Nunc id est, cum omnium copiarum atque opum,
Auxili, præsidi, viduitas nos tenet,
Nec ulla specula est, quæ salutem afferat:
Nec scimus, quam in partem ingredi persequamur.
Maxumo miseræ in metu nunc sumus ambæ;
Tanta importunitas, tantaque iniuria
Facta in nos est modo hic intus ab nostro hero;
Qui scelestus sacerdotem anum præcipem
Repulit, propulit, perquam indignis modis,
Nosque ab signo intimo vi deripuit sua.
Sed nunc, sese ut ferunt res fortunæque nostræ,
Par est moriri. Neque est melius morte, in malis
Rebus, miseris. *T.* Quid est? quæ illæc oratio 'st?
Cesso ego has consolari? Heus, Palæstra!
P. Qui vocat?
T. Heus, Ampelisca! *A.* Obsecro, quis est, qui vocat?
P. Quis is est, qui nominat? *T.* Si respexis, scies.
P. O salutis meæ spes! *T.* Tace, ac bono animo es.
Me vide. *P.* Si modo id liceat, vis ne opprimat:
Quæ vis, vim mihi afferam ipsa, adigit.
T. Ah! desine! nimis inepta es.
A. Desiste dictis nunc iam miseram me consolari.
P. Nisi quid re præsidium apparas, Trachalio, acta hæc res est:
Certū'st moriri, quā hunc pati grassari lenonē in me.
Sed muliebri animo sum tamen: miseræ ubi venit in mentem
Mihi mortis, metus membra occupat, edepol.
T. Etsi hoc acerbum,
Bonum animum habete.
P. Nam, obsecro, unde animus mihi invenitur?
T. Ne, inquam, timete: assidite hic in ara.
A. Istæc quid ara
Prodesse nobis plus potest, quam signum in fano hic intus
Veneris, quod amplexæ modo, unde abreptæ per vim miseræ?
T. Sedete hic modo: ego hinc vos tamen tutabor. Aram habete hanc
Vobis pro castris: mœnia hinc ego vostra defensabo.
Præsidio Veneris, malitiæ lenonis contra incedam.
A. Tibi auscultamus: et Venus alma! ambæ te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam, lacrumantes, genibus nixæ,
Nos in custodiam tuam ut recipias, et tutere:
Illos scelestos, qui tuum fecerunt fanum parvi,
Ut ulciscare, nosque ut hanc tua pace aram obsidere
Patiare, quæ elautæ ambæ sumus opera Neptuni noctu,
Ne invisas habeas, neve idcirco nobis vitio vortas,
Si quidpiam 'st, minus quod bene esse lautum arbitrare.
T. Æquom has petére intellego: decet abs te id impetrarier:
Ignoscere his te convenit: metus has, id ut faciant, subigit.
Te ex concha natam esse autumant; cave tu harum conchas spernas.
Sed optume, eccum, exit senex, patronus mihique et vobis.

SCENA IV. *Dæmones, Trachalio, Mulieres, Lorarii, Labrax.*

D. Exi e fano, natum quantum 'st hominum, sacrilegissume.
Vos in arā abita sessū: sed ubi sunt? *T.* Huc respice.
D. Optume.
Lo. Istuc volueramus. Iube modo accedat prope.
D. Tune legirupionem hic nobis cum Diis facere postulas?

Pugnum in os impinge.
La. Iniqua hæc patior cum pretio tuo.
D. At etiam minitatur audax!
La. Ius meum ereptum 'st mihi:
Meas mihi ancillas, invito me, eripis. *T.* Ergo dato
De senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum,
Si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas,
Nive te in carcerē compingi est æquō, ætatemque ibi
Te usque habitare, donec totum carcerē contriveris.
La. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler.
Te ego appello.
D. Cum istoc primum, qui te novit, disputa.
La. Tecum ago. *T.* Atqui mecum agundum 'st. Suntne illæ ancillæ tuæ?
La. Sunt. *T.* Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo.
La. Quid, si attigero? *T.* Extemplo, hercle, ego te follem pugilatorium
Faciā, et pendentē incursabo pugnis, periurissume.
La. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?
D. Non licet: ita est lex apud nos.
La. Mihi cum vostris legibus
Nihil est commerci. Equidem istas iam ambas educam foras.
Tu, senex, si istas amas, huc arido argento 'st opus.
D. Hæ autem Veneri complacuerunt.
La. Habeat, si argentum dabit.
D. Det tibi argentum? Nunc adeo ut scias meam sententiam,
Occipito modo illis afferre vim joculo pausillulum;
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris.
Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis,
Quasi murteta iuncis, item ego vos virgis circumvinciam.
La. Vi agis mecum.
T. Etiam vim opprobras, flagiti flagrantia?
La. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
T. Fateor, ego trifurcifer sum: tu es homo apprime probus.
Num qui minus hasce esse oportet liberas?
La. Quid, liberas?
T. Atque heras tuas quidem, hercle, atque ex germana Græcia:
Nā altera hæc est nata Athenis ingenuis parentibus.
D. Quid ego ex te audio?
T. Hanc Athenis esse natam liberam.
D. Mea popularis, obsecro, hæc est?
T. Non tu Cyrenensis es?
D. Immo, Athenis natus altusque educatusq; Atticis.
T. Obsecro, defende cives tuas, senex. *D.* O filia
Mea! cum ego hanc video, mearum me absens miseriarum commonet;
Trima quæ periit mihi: iā tanta esset, si vivit, scio.
La. Argentum ego pro istisce ambabus, quoiæ erant, domino dedi.
Quid mea refert, hæ Athenis natæ, an Thebis sient,
Dū mihi recte servitutē serviant? *T.* Itane impudens,
Tune hic, feles virginalis, liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quæstu conteres?
Nam, huic alteræ patria quæ sit, profecto nescio:
Nisi scio probiorē hanc esse, quā te, impuratissume.
La. Nugæ istæ sunt. *T.* Contende ergo, uter sit tergo (verior.
Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo,
Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissumus.

Postea aspicito meum, quando ego tuū inspectavero.
Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optumum esse opere faciundo coriū, et sincerissumū;
Quid causæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
Quid illas spectas? quas si attigeris, oculos eripiā tibi.
La. Atqui, quia vetas, utramq; iā mecū abducā simul.
D. Quid facies? *La.* Volcanum adducam; is Veneris est advorsarius.
D. Quo illic it? *La.* Heus, ecquis hic est? heus!
D. Si attigeris ostium,
Iam, hercle, tibi messis in ore fiet mergis pugneis.
Lo. Nullum habemus ignem; ficis victitamus aridis.
D. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflandi copia 'st.
La. Ibo, hercle, aliquo quæritatum ignem.
D. Quid, cum inveneris?
La. Ignem magnum hic faciam.
D. Quin' ut humanum exuras tibi?
La. Immo, hasce ambas hic in ara ut vivas comburā.
D. Id volo:
Nam, hercle, ego te barba continuo arripiam, et in ignem coniiciam;
Teque ambustulatum obiiciā magnis avibus pabulū.
Cum coniecturam egomet mecum facio, hæc illa est simia,
Quæ has hirundines ex nido volt eripere ingratiis;
Quod ego in somnis somniavi.
T. Scin' quid? tecum oro, senex,
Ut illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
D. Quære herum, atque adduce. *T.* At, hic ne..
D. Maxumo malo suo,
Si attigerit, sive occeptassit. *T.* Cura.
D. Curatum 'st: abi:
T. Hunc quoque asserva ipsum, ne quo abitet: nam promisimus
Carnifici aut talentū magnū, aut hunc hodie sistere.

SCENA V. *Dæmones, Labrax, Palæstra, Ampelisca, Lorarii.*

D. Utrum tu, leno, cum malo libentius
Quiescis, an sic sine malo, si copia est?
La. Ego, quæ tu loquere, flocci non facio, senex.
Meas quidem, te invito, et Venere, et summo Iove,
De ara capillo iam deripiam. *D.* Tange dum. (ito.
La. Tangā, hercle vero. *D.* Agedū ergo! accede huc mo-
La. Iube dum recedere istos ambo illuc modo. (seo.
D. Immo, ad te accedent. *La.* Non, hercle, egomet cen-
D. Quid ages, si accedent propius? *La.* Ego recessero.
Verum, senex, si te umquam in urbe offendero,
Nunquam, hercle, quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos pessumos dimisero.
D. Facito istuc, quod minitaris: sed, nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
La. Quam magnū vero? *D.* Quantum lenoni sat est.
La. Minacias ego istas flocci non facio tuas.
Equidem, te invito, iam ambas rapiam. *D.* Tange dū.
La. Tangā, hercle vero. *D.* Tange! sed scin', quomodo?
I dum, Turbalio, curriculo affer
Duas clavas. *La.* Clavas? *D.* Sed probas: propera cito.
Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es.
L. Eheu! scelestus galeam in navi perdidi.
Nunc mihi opportuna hic esset, salva si foret.
Licet saltem istas mihi appellare? *D.* Non licet.
Ehem! optume, edepol, eccum, clavator advenit.
La. Illud quidem, edepol, tinnimentum est auribus.
D. Age, accipe illanc alteram clavam, Sparax:
Age, alter istinc, alter hinc assistite.

Assistite ambo: sic! Audite nunc iam:
Si, hercle, illic illas bodie digito tetigerit
lovitas, ni istouc istis invitassitis
Usque adeo, donec, qua domum abeat, nesciat,
Peristis ambo. Si appellabit quempiam,
Vos respoudetote istinc istarum vicem:
Siu ipse abire hinc volet, quantum potest,
Extemplo amplectitote crura fustibus.
La. Etiam me abire hinc oon sinent? *D.* Dixi satis.
Et ille ubi servos cum hero huc advenerit;
Qui harum arcessivit, itote extemplo domum.
Curate hæc, sultis, magna diligentia.
La. Hau, hercle! næ, istic fana mutantur cito!
Iam hoc Herculis est, Veneris fanum quod fuit.
Ita duo destituit signa hic cum clavis senex.
Non, hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam, scio;
Ita nunc mihi utrumque sævit at terra at mare.
Palæstra! *Lo.* Quid vis? *La.* Apage! controversia est.
Hæc equidem Palæstra, quæ respondit, non mea est.
Heus, Ampelisca! *Lo.* Cave sis infortunio.
La. Ut potest, ignavi homines satis recte monent.
Sed vobis dico, heus vos! oum molestia est,
Me adire ad illas propius? *Lo.* Nihil nobis quidem.
La. Numquid molestum mihi erit?
Lo. Nihil, si caveris.
La. Quid est, quod caveā? *Lo.* Hē! a crasso infortunio.
La. Quæso, hercle, abire ut liceat. *Lo.* Abeas, si velis.
La. Bene, hercle, factum! habeo vobis gratiam.
Non: accedam potius. *Lo.* Illic adstato illico.
La. Edepol, proveni nequiter multis modis.
Certum 'st hasce hodie usque obsidione vincere.

SCENA VI. *Pleusidippus, Trachalio, Mulieres, Labrax, Lorarii, Charmides.*

P. Meamne ille amicam leno vi, violentia,
De ara deripere Veneris voluit? *T.* Admodum.
P. Quin occidisti extemplo? *T.* Gladius non erat.
P. Caperes aut fuste aut lapidē. *T.* Quid ego, quasi ca-
Hominem insectarer lapidibus nequissumū? (nem,
La. Nunc, pol, ego perii! Pleusidippus, eccū, adest:
Converret iam hic me totum cum pulvisculo.
P. Etiamne in ara tunc sedebant mulieres,
Cum ad me profectu 's ire? *T.* Ibidem nunc sedent.
P. Quis illas nunc illic servat? *T.* Nescio quis senex,
Vicinus Veneris: is dedit operam optumam.
Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.
P. Duc me ad lenonem recta. Ubi illic est homo?
La. Salve. *P.* Nihil salutem moror. Opta ocyus,
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis, opta, dum licet. *La.* Neutrum volo.
P. Abi sane ad litus curriculo, Trachalio:
Iube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecū duxi, hunc qui ad carnuficem traderent.
Post huc redito, atque agitato hic custodiam:
Ego hunc scelestum in ius rapiam exulam.
Age, ambula in ius. *La.* Quid ego deliqui? *P.* Rogas?
Quin arrhabonem a me accepisti ob mulierem, et
Eam hinc avexti. *La.* Non avexi. *P.* Cur negas?
La. Quia, pol, provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram præsto fore
Apud Veneris fanum: quid muto? sumne ibi?
P. In iure causam dicito; hic verbum sat est:
Sequere. *La.* Obsecro te, subveni, mi Charmides!
Rapior obtorto collo. *C.* Quis me nominat?
La. Viden' me, ut rapior? *C.* Video, atque inspecto lu-
bens.
La. Non subvenire mihi audes? *C.* Quis homo te rapit?
La. Adolescens Pleusidippus. *C.* Ut nactu 's, habe
Bono animo; meliu 'st te in nervom correpere.
Tibi obtigit, quod plurimi exoptant sibi.
La. Quid id est? *C.* Ut id, quod quærant, inveniant
sibi.
La. Sequere, obsecro, me. *C.* Pariter suades, qualis es,
Tu in nervom rapere: eo me obsecras, ut te sequar.
Etiam retentas? *La.* Perii! *P.* Verum sit, velim!
Tu, mea Palæstra et Ampelisca, ibidem illico
Manete, dum huc ego redeo. *Lo.* Equidem suadeo,
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. *P.* Placet:
Bene facitis. *La.* Fures mihi estis. *Lo.* Quid, fures?
P. Rape.
La. Oro, obsecro, Palæstra. *P.* Sequere, carnufex.
La. Hospes! *C.* Non sū hospes: repudio hospitiū tuū.
La. Siccine me spernis? *C.* Sic ago: semel bibo.
La. Dii te infelicent! *C.* Isti capiti dicito.
Credo aliom in aliam belluam hominem vortier.
Illic in columbum, credo, leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo post erit:
In nervom ille hodie nidamenta congeret.
Verumtamen ibo, ei advocatus ut siam,
Si qui mea opera citius addici potest.

ACTUS IV. SCENA I. *Dæmones.*

Bene factum, et volupe est, hodie me his mulierculis
Tetulisse auxilium. Iam clientas repperi;
Atque ambas forma scitula atque ætatula.
Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
Ne qui significem quidpiam mulierculis.
Sed, Gripus servos noster quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Pol, magis sapisset, si dormivisset domi.
Nam nunc et operam ludos facit, et retia;
Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit.
In digitis hodie percoquam, quod ceperit:
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat: redeo domum.
Iam meas opplebit aures sua loquentia.

SCENA II. *Gripus.*

Neptuno has ago meo patrono gratias,
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Cum me ex suis pulchre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima præda onustum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi compotivit.
Miroque modo atque incredibili hic piscatus mihi
Lepide evenit: neque piscium ullam unciam hodie
Pondo cepi, nisi hoc, quod fero hic in rete.
Nam, ut de nocte multa impigreque exsurrexi,
Lucrum præposivi sopori et quieti:
Tempestate sæva experiri expetivi,
Paupertatem qui heri et meam servitutem
Tolerarem; opera haud fui parcus mea. Nimis homo
Nihili est, qui piger est; nimisque id genus odi ego
male.
Vigilare decet hominem, qui volt sua tempori confi-
cere officia.
Non enim illum exspectare oportet, dum herus se ad
suum suscitet officium.
Nam, qui dormiunt libenter, sine lucro et cum malo
quiescunt.
Nam, ego nunc mihi, qui impiger fui, reperi, ut pi
ger, si velim, siem.
Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi: quidquid i-
nest, grave quidem est: aurum
Hic ego inesse reor: nec mihi conscius est ullus homo.
Nunc hæc tibi
Occasio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo præ-
tor te.

Nunc sic faciam, sic consilium 'st, ad herum ut veniam docte atque astute.
Pausillatī pollicitabor pro capite argentū, ut sī liber.
Iam, ubi liber ero, igitur demum instruam agrum, ædes, mancipia:
Navibus magnis mercaturam faciam: apud reges rex perhibebor.
Post, animi causa, mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor: ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum communibo: eii ego urbi Gripo indam nomen,
Monimentum meæ famæ et factis: ibique regnum magnum instituam.
Magnas res hic agito in mentem instruere: nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulmento.

SCENA III. *Trachalio*, *Gripus*.

T. Heus! mane! *G.* Quid maneam? *T.* Dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.
G. Mitte modo.
T. At, pol, ego te adiuvabo: nam, bonis quod
Bene fit, haud perit. *G.* Turbida tempestas heri fuit;
Nihil habeo, adolescens, piscium; ne tu mihi esse postules.
Non vides referre me uvidū rete, sine squamoso pecu?
T. Non, edepol, pisces expeto, quam tui sermonis sum indigens.
G. Enicas iam me odio, quisquis es.
T. Non sinam ego abire hinc te: mane.
G. Cave sis malo. Quid tu, malum! nam me retrahis?
T. Audi.
G. Non audio. *T.* At, pol, quin audies.
G. Quin post loquere, quid vis.
T. Eho! modo est operæ pretium, quod tibi ego narrare volo.
G. Eloquere, quid id est?
T. Vide num quispiam consequitur prope nos.
G. Ecquid est, quod mea referat?
T. Scilicet: sed boni consili
Ecquid in te mihi est? *G.* Quid negoti 'st? modo dic.
T. Dicam.
Tace, si fidem modo das mihi te non fore infidum.
G. Do fidem tibi; fidus ero, quisquis es.
T. Audi. Furtum, ego vidi,
Qui faciebat: noverā dominū, id cui fiebat; post ad
Furē egomet devenio, feroq; ei conditionē hoc pacto:
Ego istuc furtū scio cui factum 'st. Nunc mihi si vis
Dare dimidium, indicium domino non faciam: is mihi nihil
Etiam respondit. Quid inde æquum 'st dari mihi? Dimidium
Volo ut dicas. *G.* Immo, hercle, etiam amplius: nam, nisi dat, domino dicundum
Censeo. *T.* Tuo consilio faciam. Nunc advorte animum;
Namque hoc attinet omne ad te. *G.* Quid est factum?
T. Vidulum
Istum, cuius ille est, novi ego hominem iampridem.
G. Quid est?
T. Et quo pacto periit.
G. At ego, quo pacto inventu 'st, scio;
Et, qui invenit, hominem novi: et, dominus qui nunc est, scio.
Nihilo, pol, pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.
Ego illum novi, cuius nunc est; tu illum, cuius antehac fuit.
Hunc homo feret e me nemo: ne tute speres potius.
T. Non ferat,
Si dominus veniat?
G. Dominus huic nemo, ne frustra sis,
Nisi ego, nemo natu 'st, hunc qui cepi in venatu meo.
T. Itane vero? *G.* Ecquē esse dices in mari piscē meū?
Quos cum capio, siquidem cepi, mei sunt; habeo pro meis;
Nec manu asseruntur; neque illinc partem quisquam postulat.
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.
Mare quidē commune certo 'st omnibus. *T.* Assentio.
Qui minus hunc communem quæso mihi esse oportet vidulum?
In mari inventu 'st: commune est.
G. Næ, impudenter impudens!
Nam, si istuc ius sit, quod memoras, piscatores perierint:
Quippe, cū extemplo in macellū pisces prolati sient,
Nemo emat: suam quisque partē piscium poscat sibi:
Dicat, in mari communi captos. *T.* Quid ais, impudens?
Ausus etiā comparare vidulū cū piscibus?
Eadem tandem res videtur? *G.* In manu non est mea:
Ubi demisi retem atque hamum, quidquid hæsit, extraho.
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissumum 'st.
T. Immo, hercle, haud est, siquidem quod vas excepisti. *G.* Philosophe!
T. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse ullū in forū?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quæstus, quos voles.
Et vietorem et piscatorem te esse, impure, postulas?
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus;
Vel, quod in mari non natum 'st, neque habet squamas, ne feras.
G. Quid tu, nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem? *T.* Scelus!
Nullus est. *G.* Immo, est profecto. Ego, qui sum piscator, scio:
Vero raro capitur. nullus minus sæpe ad terrā venit.
T. Nil agis: dare verba speras mihi te posse, furcifer.
Quo colore est? *G.* Hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alii puniceo corio, magni itē atq; atri. *T.* Scio.
Tu, hercle, opinor, in vidulum te piscem convortes, nisi caves:
Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo.
G. Quod scelus hodie hoc inveni?
T. Verba facimus: it dies.
Vide sis, quoius arbitratu nos facere vis? *G.* Viduli
Arbitrato. *T.* Ita enim vero? stultus es.
G. Salve, Thales!
T. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
Quoius hæc res arbitratu fiat. *G.* Quæso, sanus es!
T. Helleborosus sum.
G. Ego cerritus: hunc non amittam tamen.
T. Verbum adde etiam unum; iam in cerebro colaphos abstrudam tuo.
Ego iam hic te, itidem quasi penicillus novus exurgeri solet,
Ni hunc amittis, exurgebo quidquid humoris tibi 'st.
G. Tange! affligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum.
Vis pugnare?
T. Quid opu 'st? quin tu potius prædam divide.

G. Hinc tu, oisi malū, fruinisci nil potes; ne postules.
Abeo ego hinc. *T.* At ego hinc offlectem navem, ne quo abeas: mane.
G. Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.
Mitte rudentem, sceleste. *T.* Mittā: omitte vidulū.
G. Nunquam, hercle, hinc hodie ramenta fies fortunatior.
T. Nou probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrū reditur, aut seqoestro ponitur.
G. Quemne ego excepi in mari?
T. At ego inspectavi e litore.
G. Mea opera, labore, et rete, et horia.
T. Num qui minus,
Si veniat nunc domious, qooius est, ego, qui inspectavi procul
Te hooc habere, fur sum, quam tu? *G.* Nihilo.
T. Mane, mastigia!
Quo argumento socius non sum, et fur sum? fac dum, ex te sciam.
G. Nescio: oeque ego istas vostras leges urbanas scio,
Nisi quia hunc meum esse dico.
T. Et ego item esse aio meum.
G. Mane iam: reperi rem, quo pacto nec fur nec socius sies.
T. Quo pacto? *G.* Sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam;
Nec tu me quoiquam iudicassis, neqoe ego tibi quidquam dabo:
To taceto: ego mussilabo: hoc optumum elque æquissumum 'st.
T. Ecquid conditionis audes ferre? *G.* Iamdudū fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne eies.
T. Mane, dum refero conditionem.
G. Te obsecro, hercle, aufer te modo.
T. Ecquem in his locis novisti?
G. Oportet vicinos meos.
T. Ubi tu hic habitas?
G. Porro illic longe usque in campis ultimis.
T. Vin', qui in hac villa habitat, eius arbitratu fieri?
G. Paolisper remitte restem, dū concedo, et consulo.
T. Fiat. *G.* Euge! salva res est: præda hæc perpetua 'st mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me hic intra præsepis meas.
Nunqusm, hercle, hodie abiudicabit ab suo triobolū.
Næ, iste haud scit, qoam conditionem tetulerit. Ibo ad arbitrum.
T. Quid igitur?
G. Quamquam istuc esse ius meum certo scio,
Fiat istuc potius, quam nunc pugnem tecum.
T. Nunc places.
G. Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis; si adhibebit fidem,
Etsi est igootus, notus: si non; notus, ignotissumu 'st.

SCENA IV. *Dæmones, Palæstra, Ampelisca, Gripus, Trachalio.*

D. Serio, edepol, quamqoam volo vobis quæ voltis, mulieres,
Metuo, propter vos, ne uxor mea me extrudat ædibus;
Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos.
Vos confugite in aram potius qoam ego.
M. Miseræ periimus.
D. Ego vos salvas sistā: ne timete: sed quid vos foras
Prosequimini? Quoniā ego assū, faciet uemo iniuriā.
Ite, inquam, domum ambo nunc iam ex præsidio præsides.
G. O here, salve! *D.* Salve, Gripe. Quid fit?
T. Tuusne hic servos est?
G. Haud pudet. *T.* Nihil ego tecum.
G. Ergo abi hinc sis. *T.* Quæso, responde, senex.
Tuus hic servos est? *D.* Meus est.
T. Hem! istuc optume, quando tuu 'st.
Iterum te saluto.
D. Et ego te. Tune es, qui, haod multo prius,
Abiisti hinc herum arcessitum? *T.* Ego is sum.
D. Quid nunc vis tibi?
T. Nempe hic tuus est? *D.* Meus est.
T. Istuc optume, quando tuu 'st.
D. Quid negoti 'st? *T.* Vir scelestus illic est.
D. Quid fecit tibi
Vir scelestus? *T.* Homini ego isti talos suffringi volo.
D. Quid est? qua de re litigatis nunc inter vos?
T. Eloquar.
G. Immo, ego eloquar. *T.* Ego, opinor, rem facesso.
G. Siquidem
Sis pudicus, hinc facessas.
D. Gripe, animum advorte, ac tace.
G. Utin' istic prius dicat? *D.* Audi. - Loquere tu.
G. Alienon' prius,
Quā tuo, dabis orationē? *T.* Ut nequitur comprimi!
Ita ut occœpi dicere, illum quem dudum
Lenonem extrusisti, hic eius vidulum, eccillum....
G. Non habeo. *T.* Negas, quod oculis video?
G. At, ne videas, velim.
Habeo, non habeo: quid tu me curas, quid rerū gerā?
T. Quomodo habeas, illud refert; iurene an iniuria.
G. Ni istum cepi, nulla causa est, quin me condones croci:
Si in mari reti apprehendi, qui tuum potiu 'st, quâ meum?
T. Verba dat. Hoc modo res gesta est, ut ego dico.
G. Quid tu ais?
T. Quoad primarius vir dicat, comprime hunc sis, si tuus est.
G. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?
Si ille te comprimere solitus, hic noster nos non solet.
D. Verbo illo modo ille vicit. Quid nunc tu vis? dic mihi.
T. Equidem neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo,
Neque meom hodie esse unqoam dixi. Sed istic inest cistellula
Huius mulieris, quam dudum dixi foisse liberam.
D. Nempe tu hanc dicis, quam esse aibas dudum popularem meam?
T. Admodum; et ea, quæ olim parva gestavit, crepundia
Istic in ista cistola insunt, quæ istic inest in vidulo.
Hoc neque isti usus est, et illi miseræ suppetias feret,
Si id dederit, qui suos parentes quærat.
D. Faciam ut det: tace.
G. Nihil, hercle, ego sum isti daturus.
T. Nihil peto, nisi cistulam
Et crepundia. *G.* Quid si ea sunt aurea?
T. Quid istic tua?
Aurum auro expendetur; argentum argento exæquabitur.
G. Fac sis, aurum ut videam; post ego faciam, ut videas cistulam.
D. Cave malo, ac tace tu. To perge, ut occœpisti dicere.
T. Unum te obsecro, ut te huius commiserescat mulieris,
Siqoidem hic lenonis eius est vidulus, quē suspicor:
Hic, nisi de opinione, certum nihil dico tibi.

G. Viden', scelestus ut aucupatur?
T. Sine me, ut occœpi, loqui.
Si scelesti illius est hic, quoius dico, vidulus,
Hæ poterunt novisse. Ostendere his iube.
G. Ain' ostendere?
D. Haud iniquō dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.
G. Immo, hercle, insignite inique. *D.* Qui dum?
G. Quia, si ostendero,
Continuo hunc novisse dicent scilicet.
T. Scelerum caput!
Ut tute es, item omnis censes esse? periuri caput!
G. Omnia istæc ego facile patior, dū hic a me sentiat.
T. Atqui nunc abs te stat: verū hinc ibit testimoniū.
D. Gripe, advorte animum. Tu paucis expedi, quid postulas?
T. Dixi equidem: sed, si parū intellexti, dicā denuo:
Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
Hæc Athenis parva fuit virgo surrepta. *G.* Dic mihi,
Quid ista ad vidulum pertinent, servæ sint istæ, an liberæ?
T. Omnia iterū vis memorari, scelus, ut defiat dies?
D. Abstine maledictis; et mihi, quod rogavi, dilue.
T. Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo,
Ubi sunt signa, qui parentes noscere hæc possit suos,
Quibuscum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
G. Iupiter te Diique perdant! quid ais, vir venefice?
Quid? istæ mutæ sunt, quæ pro se fabulari non queant?
T. Eo tacent, quia tacita bona 'st mulier semper, quam loquens.
G Tū, pol, tu, pro oratione, nec vir nec mulier mihi es.
T. Qui dum? *G.* Quia enim neque loquens es, neque tacens, unquam bonus.
Quæso, en unquam hodie licebit mihi loqui?
D. Si, præterhac,
Unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuā caput.
T. Ut id occœpi dicere, senex, eam, te quæso, cistulā
Ut iubeas hunc reddere illis: ob eam, si quid postulat
Sibi mercedis, dabitur: aliudquidquid ibi est, habeat sibi.
G. Nunc demum istuc dicis, quoniam ius meum esse intellegis:
Dudū dimidiā petebas partē. *T.* Immo, etiā nunc peto.
G. Vidi petere miluum, etiam cum nihil auferret tamen.
D. Non ego te comprimere possum sine malo?
G. Si istic tacet,
Ego tacebo: si iste loquitur, sine me pro re meam partem loqui.
D. Cedo modo mihi istum vidulum, Gripe.
G. Concredam tibi:
At, si istorū nihil sit, ut mihi reddas. *D.* Reddetur.
G. Tene.
D. Audi nunc iam, Palæstra atque Ampelisca, hoc quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse aibas?
P. Is est.
G. Perii, hercle, ego miser! ut, prinsquam plane aspexit, illico
Eum esse dixit! *P.* Faciam ego hanc rem planā tibi.
Cistellam istic inesse oportet caudeā in isto vidulo.
Ibi, ego dicam, quidquid inerit, nominatim: tu mihi
Nullus ostenderis. Si falsa dicam, frustra dixero:
Vos tamen istæc, quidquid illic inerit, vobis habebitis.
Sed, si erunt vera, tum obsecro te, ut mea mihi reddantur. *D.* Placet.
Ius merū oras, meo quidē animo. *T.* Ac meo, hercle.
G. Quid si ista aut superstitiosa aut hariola est, atque omnia,
Quidquid insit, vera dicet? anne habebit hariola?
D. Non feret, nisi vera dicet; nequidquam hariolabitur.
Solve vidulum ergo, ut, quidquid sit verum, quam primum sciam.
G. Hoc habet! solutum 'st: ah! perii! video cistellulā.
D. Hæccine est?
P. Istæc est. O mei parentes! hic vos conclusos gero.
Huc opesque spesque vostrū cognoscundum condidi.
G. Tū tibi, hercle, Deos iratos esse oportet, quisquis es.
Quæ parenteis in tam angustū tuos locū compegeris.
D. Gripe, accede huc: tua res agitur. Tu, puella, istinc procul
Dicito, quid insit, et quā facie: memorato omnia.
Si, hercle, tantillū peccassis, quod posterius postules
Te ad verum convorti, nugas, mulier, magnas egeris.
G. Ius bonum oras.
T. Edepol, haud orat te: nam tu iniuriu's.
D. Loquere nunc iam, puella. Gripe, animum advorte, ac tace.
P. Sunt crepundia. *D.* Ecca video.
G. Perii in primo prœlio!
Mane! ne ostenderis.
D. Qua facie sunt? responde ex ordine.
P. Ensicula 'st aureolus primū literatus. *D.* Dice dū,
In eo ensiculo literarū quid est? *P.* Mei nomen patris.
Post altrinsecus est securicula ancipes, item aurea,
Literata: ibi matris nomen in securicula 'st. *D.* Mane:
Dic, in ensiculo quid nomen est paternum?
P. Dæmones.
D. Dii immortales! ubi loci sunt spes meæ?
G. Immo, edepol, meæ?
D. Perge, te obsecro, continuo.
G. Placide! aut ite in malam crucem.
D. Loquere, matris nomen hic in securicula quid siet.
P. Dædalis. *D.* Dii me servatum cupiunt.
G. At me perditum.
D. Filiam meam esse hanc oportet, Gripe.
G. Sit per me quidem.
Quin te Dii omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis;
Meque adeo scelestum, qui non circumspexi centies.
Prius, me ne quis inspectaret, quam rete extraxi ex aqua.
P. Post est sicilicula argenteola, et duæ connexæ maniculæ, et
Sucula. *G.* Quin tu i dierecta, cum sucula et cum porculis!
P. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.
D. Ea est profecto! contineri, quin complectar non queo.
Filia mea, salve! Ego is sum, qui te produxi, pater:
Ego sum Dæmones; et mater tua ecca hic intus, Dædalis.
P. Salve, mi pater insperate! *D.* Salve! ut te amplector libens!
T. Volupe 'st, cum istuc ex pietate vostra vobis contigit.
D. Cape dum hunc, si potes, fer intro vidulum, age, Trachalio.
T. Ecce Gripi scelera! Cū istæc res male evenit tibi,
Gripe, gratulor. *D.* Age, eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere;
Quæ te magis tractavit, magisq; signa pernovit tua.

T. Eamus intro omnes, quando omnes operam promiscam damus.
P. Sequere me, Ampelisca. *A.* Cum te Dii amant, voluptati est mihi.
G. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum!
Aut, cũ excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?
Credebam, edepol, turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa mihi tam turbulenta tempestate evenerat.
Credo, edepol, ego illic inesse auri et argenti largiter.
Quid meliu'st, quam ut hinc intro abeam, et me suspendam clanculum,
Saltem tantisper, dum abscedat hæc a me ægrimonia?

Scena V. *Dæmones.*

Pro, Dii immortales! quis me est fortunatior,
Qui ex improviso filiam inveni meam?
Satin', si quoi homini Dei esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis?
Ego hodie, qui neque speravi neque credidi,
Is improviso filiam inveni tamen:
Et eam de genere summo adolescenti dabo
Ingenuo, Atheniensi, et cognato meo.
Ego eum adeo arcessi huc ad me quamprimum volo,
Iussique exire huc eius servom, ut ad forum
Iret. Nondum egressum esse eum, id miror tamen.
Accedam, opinor, ad fores. Quid conspicor?
Uxor cumplexa collo retinet filiam.
Nimis pæne inepta atque [otiosa] eius amatio est.

Scena VI. *Dæmones, Trachalio.*

D. Aliquando osculando meliu'st, uxor, pausam fieri.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, cum intro advenero,
Laribus familiaribus, cum auxerunt nostram familiam.
Sunt domi agni et porci sacres: sed quid istum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? atque optume, eccum, exit foras.
T. Ubi ubi erit, tamen iam investigabo, et mecum ad te adducam simul
Pleusidippum. *D.* Eloquere, ut hæc res obtigit de filia:
Eum rogato, ut relinquat alias res, et huc veniat. *T.* Licet.
D. Dicito, daturũ meã illi filiam uxorem. *T.* Licet.
D. Et patrem eius me novisse, et mihi esse cognatum. *T.* Licet.
D. Sed propera. *T.* Licet. *D.* Iam hic fac sit, cœna ut curetur. *T.* Licet.
D. Omnian' licet? *T.* Licet: sed scin', quid est, quod te volo?
Quod promisisti, ut memineris, hodie ut liber sim. *D.* Licet.
T. Fac, ut exores Pleusidippum, ut me emittat manu. *D.* Licet.
T. Et tua filia facito oret: facile exorabit. *D.* Licet.
T. Atque ut mihi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber. *D.* Licet.
T. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. *D.* Licet.
T. Omnian' licet? *D.* Licet. Tibi rursum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum, et recipe te huc rursum. *T.* Licet.
Iam hic ero: tu interibi adorna cæterum, quod opu'st. *D.* Licet.
T. Hercules istum infelicet cum sua licentia!
Ita meas replevit aures, quidquid memorabam, licet.

Scena VII. *Gripus, Dæmones.*

G. Quam mox licet te compellare, Dæmones?
D. Quid est negoti, Gripe? *G.* De illo vidulo,
Si sapias, sapias: habeas, quod Dii danunt boni.
D. Æquom videtur tibi, ut ego, alienum quod est,
Meum esse dicam? *G.* Quodne ego inveni in mari?
D. Tanto melius illi obtigit, qui perdidit:
Tuum esse nihilo magis oportet vidulum.
G. Isto tu pauper es, cum nimis sancte pius.
D. O Gripe! Gripe! in ætate hominum plurimæ
Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atque, edepol, in eas plerumque esca imponitur;
Quam si quis avidus poscit escam avariter,
Decipitur in transenna avaritia sua.
Ille qui consulte, docte, atque astute cavet,
Diutine uti bene licet partum bene:
Mihi istæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum maiore dote abeat, quam advenerit.
Egone ut, quod ad me allatum esse alienum sciam,
Celem? Minume istuc faciet noster Dæmones.
Semper cavere hoc sapientes æquissomum 'st,
Ne conscii sint ipsi maleficiis suis.
Ego, mihi cum lusi, nil moror ullum lucrum.
G. Spectavi ego pridem comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cum illos sapientis mores monstrabant poplo:
Sed, cum inde suam quisque ibant divorsi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant.
D. Abi intro, ne molestus: linguæ tempera.
Ego daturus tibi nil sum; ne tu frustra sis.
G. At ego Deos quæso, ut, quidquid in illo vidulo'st,
Si aurum, si argentum 'st, omne id ut fiat cinis.
D. Illuc est, quod nos nequam servis utimur.
Nam illic, cum servo si quo congressus foret,
Et ipsum sese et illum furti adstringeret.
Dum prædam habere se censeret, interim
Præda ipsus esset: præda prædam duceret.
Nunc hinc intro ibo, et sacruficabo: postibi
Iubebo nobis cœnam continuo coqui.

Scena VIII. *Pleusidippus, Trachalio.*

P. Iterum mihi istæc omnia itera, mi anime! mi Trachalio!
Mi liberte! mi patrone! immo potius, mi pater!
Reperit patrẽ Palæstra suũ atque matrẽ? *T.* Reperit.
P. Et popularis est? *T.* Opinor. *P.* Et nuptura est mihi? *T.* Suspicor.
P. Censen'? hodie despondebit eam mihi, quæso? *T.* Censeo.
P. Quid? patri etiam gratulabor, cum illam invenit? *T.* Censeo.
P. Quid, matri eius? *T.* Censeo. *P.* Quid ergo censes? *T.* Quod rogas,
Censeo. *P.* Dic ergo, quanti censes? *T.* Egone? censeo.
P. At sume quidem, ne censionem semper facias. *T.* Censeo.
P. Quid si curram? *T.* Censeo. *P.* An sic potius placide? *T.* Censeo.
P. Etiamne eam adveniens salutem? *T.* Censeo. *P.* Etiamne eius patrem?
T. Censeo. *P.* Post, eius matrem? *T.* Censeo. *P.* Quid postea?
Etiamne adveniens complectar eius patrem? *T.* Non censeo.

P. Quid, matrem? *T.* Non censeo. *P.* Quid eampse illam? *T.* Non censeo.
P. Perii! delectum dimisit. Nunc non censet, cum volo.
T. Sanus non es: sequere.
P. Duc me, mi patrone, quo lubet.

Actus V. Scena I. *Labrax.*

Quis me est mortalium miserior, qui vivat alter hodie,
Quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus.
Abiudicata a me modo est Palæstra. Perditus sum!
Nam lenones ex gaudio credo esse procreatos;
Ita omnes mortales, si quid est mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea est, visam huc in Veneris fanum;
Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

Scena II. *Gripus, Labrax.*

G. Nunquam, edepol, hodie ad vesperam Gripum inspicietis vivum,
Nisi vidulus mihi redditur. *L.* Perii, cum mentionem
Fieri audio usquam viduli, quasi palo pectus tundat.
G. Istic scelestus liber est; ego qui in mari prehendi
Rete, atque excepi vidulum, dare ei negatis quidquam.
L. Pro, Dii immortales! suo mihi hic sermone arrexit aures.
G. Cubitum, hercle, longis literis signabo iam usquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat. Non feretis istum, ut postulatis.
L. Meum, hercle, illic homo, vidulum, scit, qui habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic est homo. Dii, quæso, subvenite.
G. Quid me intro revocas? Hoc volo hic ante ostium extergere:
Nam hoc quidem, pol, e robigine, non e ferro, factum 'st;
Ita, quanto magis extergeo, rutilum atq; tenuius fit.
Nam quidem hoc Vere natum 'st verum: ita in manibus consenescit.
L. Adolescens, salve! *G.* Dii te ament, cum irraso capite. *L.* Quid fit?
G. Verum extergetur. *L.* Ut vales? *G.* Quid tu? num medicus, quæso, es?
L. Imm[illegible]depol, una litera plus sum, quam medicus.
G. [illegible] Tum tu Mendicus es? *L.* Tetigisti acu. *G.* Videtur digna forma.
Sed quid tibi est? *L.* Hac proxima nocte in mari elavi.
Confracta est navis: perdidi, quidquid erat, miser ibi omne.
G. Quid perdidisti? *L.* Vidulum cum auro atque argento multo.
G. Ecquid meministi, in vidulo qui perit, quid infuerit ibi?
L. Quid refert, qui periit? *G.* Tamen si non hoc, aliud fabulemur.
Quid si ego sciam qui invenerit? volo ex te scire signa.
L. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Præterea centū minæ Philippeæ in pasceolo seorsus.
G. Magna, hercle, præda 'st! Largiter mercedis indipiscar.
Dii homines respiciunt. Bene ego hinc prædatus ibo.
Profecto huius est vidulus. Perge alia tu expedire.
L. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena,
Præterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.
G. Papæ! divitias tu quidem habuisti luculentas.
L. Miserum istuc verbum et pessumum 'st, Habuisse, et nihil habere.
G. Quid dare velis, qui istæc tibi investiget indicetque?
Eloquere propere celeriter. *L.* Nummos trecentos.
G. Tricas.
L. Quadringentos. *G.* Tramas putridas. *L.* Quingentos. *C.* Cassam glandem.
L. Sexcentos. *G.* Curculiunculos minutos fabulare.
L. Dabo septingentos. *G.* Os calet tibi: nunc id frigidefactas?
L. Mille dabo nummos. *G.* Somnias. *L.* Nihil addo: abi! *G.* Igitur audi:
Si, hercle, abiero hinc, hic non ero. *L.* Vin' cent um et mille? *G.* Dormis.
L. Eloquere, quantum postules. *G.* Quo nihil invitus addas;
Talentum magnum: non potest triobolum hinc abesse.
Proin tu vel aias, vel neges. *L.* Quid istic necessum 'st, video:
Dabitur talentum. *G.* Accede dum huc: Venus hæc, volo, arroget te.
L. Quod tibi lubet, id mihi impera. *G.* Tange aram hanc Veneris. *L.* Tango.
G. Per Venerem hanc iurandum 'st tibi.
L. Quid iurem? *G.* Quod iubebo.
L. Præi verbis quid vis: Id quod domi est, nunquam ulli supplicabo.
G. Tene aram hanc. *L.* Teneo. *G.* Deiura, te mihi argentum daturum
Eodem die, viduli ubi sis potitus. *L.* Fiat.
G. L. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento salvom investigavero,
Isque in potestatem meam pervenerit....
G. Tum ego huic Gripo dico, inquito, et me tangito....
L. Tum ego huic Gripo dico, Venus, ut tu audias....
G. L. Talentum argenti magnum continuo dabo.
G. Si fraudassis, dicito, uti te in quæstu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen, ubi iuraveris.
L. Et illum ego advorsum si quid peccasso, Venus,
Veneror te, ut omnes miseri lenones sient.
G. Tamen fiet, etsi tu fidem servaveris.
Tu hic opperire; iam, ego faxo, exibit senex:
Eum tu continuo vidulum reposcito.
L. Si maxume mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobolum.
Meus arbitratu 'st, lingua quod iuret mea.
Sed conticescam; eccum, exit, et ducit senem.

Scena III. *Gripus, Dæmones, Labrax.*

G. Sequere hac. Ubi istic leno est? heus tu! hem tibi! hic habet vidulum.
D. Habeo, et fateor esse apud me: et, si tuus est, habeas tibi.
Omnia, ut quidquid infuere, ita salva sistentur tibi:
Tene, si tuus est. *L.* O Dii immortales! meus est. salve, vidule!

D. Tuusne est? *L.* Rogitas? siquidem, hercle, Iovis fuit, meus est tamen.
D. Omnia insunt salve: nne istinc cistella excepta est modo,
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
L. Quam? *D.* Tua quæ fuit Palæstra; ea filia invente est mea.
L. Bene, mehercle, factum 'st: cum istæc res tibi ex sententia
Pulchre evenit, geudeo. *D.* Istuc facile non credo tibi.
L. Immo, hercle, nt scias gendere me, mihi triobolum
Ob eam ne dois; condono te. *D.* Benigne, edepol, facis.
L. Immo, tu quidem, hercle vero. *G.* Heus tu! iamne habes vidulum?
L. Habeo. *G.* Propere. *L.* Quid properabo?
G. Reddere argentum mihi.
L. Neque, edepol, tibi do, neque quidquam debeo.
G. Quæ hæc factio est?
Non debes? *L.* Non, hercle vero. *G.* Non tu iuratus mihi es?
L. Iuratus sum: et nunc iurabo, si quid voluptati est mihi:
Iusiurandum rei servandæ, non perdundæ, conditum 'st.
G. Cedo sis mihi talentum magnum argenti, periuriasume.
D. Gripe! quod tu istum talentum poscis?
G. Iuratu 'st mibi
Dare. *L.* Lubet iurare. Tun' meo pontifex periurio es?
D. Qua pro re ergentum promisit hic tibi?
G. Si vidulom
Istum redegissem in potestatem eius, iuratus dare
Mihi talentum magnum argenti. *L.* Cedo quicum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiem dum siem
Quinque et viginti natus annos. *G.* Habe cum hoc.
L. Alio 'st opus.
D. Iam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.
Promisisti huic argentum? *L.* Fateor. *D.* Quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet: ne tu leno postules
Te hic fide lenonia uti: non potes. *G.* Iam te ratu 's
Nactum hominem, quem defraudares. Dandum huc ergentum 'st probum:
Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.
D. Quando ergo erga te benignos foi, atque opera mea
Hæc tibi sunt servata.... *G.* Immo, hercle, mea, ne tu dicas tua.
D. Si sapies, tacebis. Tum te mihi benigne itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiã. *L.* Nempe pro tuo
Iure ores. *D.* Mirum, quin tuum ius meo periculo abs te expetam.
G. Salvos sum: leno labascit: libertas portenditur.
D. Vidulum istunc ille invenit: illud mancipium meum 'st.
Ego tibi hunc porro servavi cum magna pecunia.
L. Gratiam habeo; et de talento nulla causa est, quin feras,
Quod isti sum iuratus. *G.* Heus tu! mi dato ergo, si sapis.
D. Tacen an non? *G.* Tu meam rem simulas egere; tibi mu***
Non, hercle, istoc me intervortes, si eliam prædam perdidi.
D. Vapulabis, verbum si addes istuc unum.
G. Vel, hercle, enica;
Non tacebo unquam elio pacto, nisi telento comprimor.
L. Tibi operam hic quidem dat; taceto. *D.* Concede huc tu, leno. *L.* Licet.
G. Palam age: nolo murmur ullũ neq susurrum fieri.
D. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam,
Ampeliscam? *L.* Mille nummos denumeravi.
D. Vin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? *L.* Sane volo.
D. Dividunm talentum faciam. *L.* Bene facias.
D. Pro illa altera,
Libera ut sit, dimidium tibi sume; dimidium huic cedo.
L. Maxume. *D.* Pro illo dimidio, ego Gripum emittam manu,
Quem propter, tu vidulum, et ego gnatam inveni.
L. Bene facis:
Gratiam habeo magnam. *G.* Quam mox mibi argentum ergo redditur?
D. Res soluta est, Gripe. Ego habeo. *G.* Hercle, et ego me mavolo.
D. Nihil, hercle, hic tibi est; ne tu speres. Iurisiurandi volo
Gratiam facias. *G.* Perii, hercle! Nisi me suspendo, occidi.
Nunquam, hercle, iterum defraudabis me quidem post hunc diem.
D. Hic hodie cœnato, leno. *L.* Fiat: conditio placet.
D. Sequimini intro. Spectatores, vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil sim, neque sit quidquam pollucti domi,
Neve adeo vocatos credam vos esse ad cœnam foras.
Verum, si voletis plausum fabulæ huic clarum dare,
Comissatũ omnes venitote ad me ad annos sedecim.
Vos hic hodie cœnatote ambo. *L.* Fiet. *D.* Plausum date.

+ STICHUS

DRAMATIS PERSONÆ.

PANEGYRIS, PINACIUM, } *mulieres.*
ANTIPHO, *senex.*
GELASIMUS, *parasitus.*
CROCOTIUM, *ancilla.*
DINACIUM, *puer.*
EPIGNOMUS.
STICHUS, *servus.*
PAMPHILIPPUS, *adolescens.*
SAGARINUS, *servus.*
STEPHANIUM, *ancilla.*

Argumentum (PRISCIANI?)

Senex castigat filias, quod hæ viros
Tam persevereut peregrinantis pauperes
Ita sustinere fratres, neque relinquere.
Contraque verbis delenitur commodis,
Habere ut sineret, quos semel nactæ forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare,
Suam quisque retinet: ac Sticho ludus datur.

ACTUS I. SCENA I. *Panegyris, Pinacium.*

Pa. Credo ego miseram fuisse Penelopam,

Soror, suo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro suo caruit. Nam nos eius animum
De nostris factis noscimus, quarum viri hinc absunt,
Quorumque nos negotiis absentum, ut est æquum,
Sollicitæ noctes et dies, soror, sumus semper.
Pi. Nostrum officium nos facere æquom 'st: neque
Id magis facimus, quam nos monet pietas.
Sed hic, mea soror, assis-dum: multa volo tecum
Loqui de re viri. *Pa.* Salvene? amabo.
Pi. Spero quidem, et volo: sed hoc, soror, crucior,
Patrem tuum meumque adeo, unice qui unus
Civibus ex omnibus probus perhibetur,
Eum nunc improbi viri officio uti;
Viris qui tantas absentibus nostris
Facit iniurias immerito,
Nosque ab his abducere volt.
Hæ res vitæ me, soror, saturant:
Hæ mihi dividiæ et senio sunt.
Pa. Neu lacruma, soror, neu tuo id animo
Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.
Spes est eum melius facturum.
Novi ego illum: istæc ioculo dicit:
Neque ille sibi mereat. Persarum
Montes, qui esse aurei perhibentur,
Uti istuc faciat, quod tu metuis.
Tamen si faciat, minume irasci
Decet: neque id immerito eveniet.
Nam, viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. *Pi.* Ita ut memoras.
Pa. Cum ipsi interea, vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.
Pi. An id doles, soror, quia illi suum officium
Non colunt, cum tuum facis? *Pa.* Ita, pol.
Pi. Tace sis! cave sis audiam ego istuc,
Cave, posthac ex te. *Pa.* Nam qui iam?
Pi. Quia, pol, meo animo omnes sapientes
Suum officium æquom 'st colere, et facere.
Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es maior,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et, si illi improbi sint, atque aliter
Nos faciant, quam æquom 'st; tamen, pol,
Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet.
Pa. Placet: taceo. *Pi.* At memineris facito.
Pa. Nolo ego, soror, me credi esse immemorem viri;
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit.
Nam mihi, pol, grata acceptaq; huius est benignitas:
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet;
Neque est, cur nunc studeam has nuptias mutarier.
Verum postremo in patris potestate est situm;
Faciundum id nobis, quod parentes imperant.
Pi. Scio; atque, in cogitando, mœrore augeor.
Nam propemodum iam ostendit suam sententiam.
Pa. Igitur quæramus, nobis quid facto usus sit.

SCENA II. *Antipho, Panegyris, Pinacium.*

A. Qui manet ut moneatur semper servos homo officium suum,
Nec voluntate id facere meminit, servos is habitu haud probu 'st.
Vos meministis quot calendis petere demensum cibum:
Qui minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus?
Iam quidem in suo quidque loco nisi erit mihi situm supellectilis,
Cum ego revortar, vos monimentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi hic videntur, sed sues.
Facite, sultis, nitidæ ut ædes meæ sint, cum redeam domum.
Iam ego domi adero. Ad meam maiorem filiam inviso domum:
Si quis me quæret, inde vocatote aliqui: aut iam egomet hic ero.
Pi. Quid agimus, soror, si offirmabit pater advorsum nos? *Pa.* Pati
Nos oportet, quod ille faciat, cuius potestas plus potest.
A. Si manere hic sese malint potius, quam alio nubere,
Non faciant. Quid mihi opu 'st, decurso ætatis spatio, cum eis
Gerere bellum; cum nihil, quamobrem faciam, meruisse arbitrer?
Minume! nolo turbas: sed hoc mihi optumum factu arbitror;
Principium ego, quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor:
Utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quasi nunquam quidquam in eas simulem; quasi nihil inaudiverim,
Eas in se meruisse culpam: an potius tentem leniter;
An minaciter? Scio lites fore: ego meas novi optume.
Pi. Exorando, haud advorsando, sumendam operam censeo.
Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere:
Advorsari, sine dedecore et scelere summo, haud possumus:
Neque ego sum factura; neque, tu ut facias, consilium dabo:
Verum ut exoremus. Novi ego nostros: exorabili 'st.
A. Sic faciam: assimulabo, quasi aliquam culpam in sese admiserint.
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora:
Post id agam igitur: deinde, ut animus meus erit, faciam palam.
Multa, scio, faciunda verba: ibo intro: sed aperta est foris.
Pi. Certo enim mihi paternus vocis sonitus aures accidit.
Pa. Is est, ecastor. Ferre advorsum hominem occupemus osculum.
Pi. Salve, mi pater. *A.* Et vos. Ambæ illico, agite, abscedite.
Pi. Osculum.... *A.* Sat est osculi mihi vostri.
Pi. Qui, amabo, pater?
A. Quia ita meæ animæ salsura evenit. *Pi.* Asside hic, pater.
A. Non sedeo istic. Vos sedete: ego sedero in subsellio.
Pi. Mane pulvinum. *A.* Bene procuras: satis sic fultum 'st mihi.
Pi. Sine, pater. *A.* Quid opu 'st? *Pi.* Opu 'st. *A.* Morem tibi geram: atque hoc satis est.
Pi. Nunquam enim nimis curare possunt suum parentem filiæ.
Quem æquius est nos potiorem habere, quam te? postidea, pater,
Viros nostros, quibus tu voluisti esse nos matresfamilias?
A. Bonas ut æquom 'st facere, facitis, cum tamen absentes viros
Perinde habetis, quasi præsentes sint.

Pi. Pudicitia est, pater,
Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi.
A. Numquis hic est alienus nostris dictis auceps auribus?
Pa. Nullus, præter nosque teque. *A.* Vostrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc, imperitus rerum et morum mulierum,
Discipulus venio ad magistras. Quibus matronas moribus,
Quæ optumæ sunt, esse uportet? Sed utraque ut dicat mihi.
Pa. Quid istuc est, quod huc exquæsitum mulierum mores venis?
A. Pol, egu uxorem quæro, postquam vostra mater mortua 'st.
Pa. Facile invenies et peiorem et peius moratam, pater,
Quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque sol videt.
A. At ego ex te exquiro, atque ex istac tua sorore.
Pi. Edepol, pater,
Scio, ut uportet esse, si sint ita, ut egu æquum censeo.
A. Vulo scire ergo, ut æquum censes. *Pi.* Ut, per urbem cum ambulant,
Omnibus os obturent, ne quis merito maledicat sibi.
A. Dic vicissim nunc iam tu. *Pi.* Quid vis tibi dicam, pater?
A. Ubi facillime spectatur mulier, quæ ingeniu est bono?
Pa. Cui malefaciundi est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.
A. Haud male istuc. Age tu altera; utra sit conditio pensior,
Virginemne an viduam habere? *Pi.* Quanta mea sapientia est,
E malis multis malum quod minumum 'st, id minumum 'st malum.
Qui potest mulieres vitare, vitet; ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.
A. Quæ tibi mulier videtur multo sapientissuma?
Pa. Quæ tamen, cum res secundæ sunt, se poterit noscere;
Et illa quæ æquo animo patietur sibi esse peius, quam fuit.
A. Edepol, vos lepide tentavi, vostrumque ingenium ingeni.
Sed hoc est, quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volu.
Mihi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.
Pa. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus.
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit;
Aut nunc non æquom 'st abduci, pater, illisce absentibus.
A. Vosne ego patiar cum mendicis nuptas, me vivo, viris?
Pi. Placet ille meus mihi mendicus. Suus rex reginæ placet.
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
A. Vosne latrones at mendicos homines magnipenditis?
Pa. Non me tu argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.
A. Quid? illos exspectatis, qui abhinc iam abierunt triennium?
Quin vos capitis conditionē ex pessuma primariam?
Pa. Stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes.
Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.
A. Certumne 'st neutram vostrarum persequi imperium patris?
Pi. Persequimur: nam, quo dedisti nuptum, abire nolumus.
A. Bene valete: ibo, atque amicis vostra consilia eloquar.
Pa. Probiores credo arbitrabunt, si probis narraveris.
A. Curate igitur familiarem rem, ut potestis, optume.
Pa. Nunc places, cum recte monstras; nunc tibi auscultabimus.
Nunc, soror, abeamus intro. *Pi.* Immo, intervisam prius domum.
Si a viro tibi forte veniet nuntius, facitu ut sciam.
Pa. Neque ego te celabo, neque tu me celassis, quod scies.
Ehu, Crocotiū! i, parasitū Gelasimū huc arcessito:
Tecum adduce; nam illum, ecastor, mittere ad portum volo,
Si quæ forte ex Asia navis heri aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum servos unus assidet.
Sed tamen volo intervisi. Propera. Ac actutum redi.

SCENA III. *Gelasimus, Crocotium.*

G. Famem fuisse suspicor matrem mihi:
Nam, postquam natus sum, satur nunquam fui.
Quam ego matri meæ retuli invitissumus,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam.
Nam illa me in alvo menses gestavit decem;
At egu illam in alvo gesto plus annos decem.
Atque illa puerum me gestavit parvolum,
Quo minus laboris illam cepisse existumo:
At ego non pauxillulam in utero gesto famem,
Verum, hercle, multo maxumam et gravissumam.
Uteri dolores mihi oboriuntur cotidie;
Sed matrem parere nequeo, nescio quomodo.
Audivi sæpe hoc volgu dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos: aius ex semine hæc certo est fames:
Nam iam complures annus utero hæret meo.
Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelasimu nomen mi indidit parvo pater,
Quia inde iam a pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi,
Eu, quia paupertas fecit, ridiculus forem.
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea, credo, nunc esurio acrius.
Sed generi nostro hæc reddita est benignitas:
Nulli negare soleo, si quis me vocat.
Oratio una interiit hominum pessume,
Atque optuma, hercle, meo animo, et scitissuma,
Qua ante utebantur, Veni illo ad cœnam! Sic face!
Promitte vero! Ne gravare! Est commodum?
Volo, inquam, fieri! Non amittam, quin eas.
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem, hercle, verbum, ac vilissumum,
Vocem te ad cœnam, nisi egomet cœnem foris.
Ei, hercle, ego verbo lumbos defractos velim,
Ni vere perierit, si cœnassit domi.
Hæc verba subigunt me, mores ut barbaros

Discam, atque ut faciam præconis compendium;
Itaque auctionem prædicem, ipse ut veneam.
C. Hic ille est parasitus, quĕ arcessitum missa sum.
Quæ loquitur, auscultabo, priusquam colloquar.
G. Sed curiosi sunt hic quam plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua:
Ei, quando quem auctionem facturum sciunt,
Adeunt, perquirunt, quid siet causæ, illico:
Alienum æs cogat, an pararit prandium:
Uxorin' sit reddunda dos divortio?
Eos omnes, tametsi, hercle, haud indignos iudico,
Qui, ut multum miseri sint, laborent, nil moror:
Dicam auctionis causam, ut animo gaudeant,
(Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus)
Ipse egomet quamobrem auctionem prædicem.
Damna evenerunt maxuma misero mihi;
Ita me mancupia miserum affecerunt male,
Potationes plurimæ demortuæ;
Quot adeo cœnæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia!
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeo miser atque ægritudine
Consenui: pæne sum fame emortuus.
C. Ridiculus æque nullus est, quando esurit.
G. Nunc auctionem facere decretum 'st mihi.
Foras necessum 'st, quidquid habeo, vendere.
Adeste, sultis; præda erit præsentium.
Logos ridiculos vendo: agite! licemini.
Qui cœna poscit? ecqui poscit prandio?
Hercules te amabit prandio? cœna tibi?
Ehem! annuistin'? nemo meliores dabit.
Nullis meliores esse parasitos sinam.
Vel unctiones Græcas, sudatorias,
Vel alias magis malacas crapularias
Cavillationes, assentatiunculas,
Ac periuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quo recondas reliquias.
Hæc venisse iam opus est, quantum potest,
Uti decumam partem Herculi polluceam.
C. Ecastor, auctionem haud magni preti!
Adhæsit homini ad infimum ventrem fames. (mihi?
Adibo hominem. *G.* Quis hæc est, quæ advorsum it
Epignomi ancilla hæc quidem est Crocotium.
C. Gelasime, salve. *G.* Non est id nomen mihi.
C. Certo, mecastor, id fuit nomen tibi.
G. Fuit disertim: verum id usu perdidi;
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
C. Heu! ecastor, risi te hodie multum. *G.* Quando? aut quo in loco?
C. Hic cum auctionem prædicabas. *G.* Pessuma!
Ehon' audivisti? *C.* Te quidem dignissumum.
G. Quo nunc is? *C.* Ad te. *G.* Quid venis? *C.* Pane-
Rogare iussit te opere maxumo, (gyris
Mecum simitu' ut ires ad sese domum.
G. Ego illo, mehercle vero, eo, quantum potest.
Iamne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?
C. Illa quidem nullum sacrificavit. *G.* Quomodo?
Quid igitur me volt? *C.* Tritici modios decem
Rogare, opinor, te volt. *G.* Mene, ut ab se petam?
C. Immo, hercle, ut abs te mutuum nobis dares.
G. Negato esse quod dem, nec mu, nec mutuum,
Neque aliud quidquā, nisi hoc, quod habeo, pallium;
Linguam quoque etiam venditariam.
C. Hau! nulla tibi lingua est, quæ quidĕ dicat, Dabo?
G. Veterem reliqui: eccam illam, quæ dicat, Cedo.
C. Malum tibi Dii dent! *G.* Hæc eadem dicit tibi.
C. Quid nunc? iturus 's, an non? *G.* Abi sane domum.
Iam illo venturum dicito: propera, atque abi.
Demiror, quid illæc me ad se arcessi iusserit,
Quæ nunquā iussit me ad se arcessi ante hunc diem,
Postquam vir abiit eius. Miror, quid siet;
Nisi, ut periculum fiat, visam, quid velit.
Sed eccum Dinacium, eius puerum. Hoc vide!
Satin' ut facete, atque ex pictura astitit?
Næ, iste, edepol, vinum poculo pauxillulo
Sæpe exanclavit submerum scitissume.

ACTUS II. SCENA I. *Dinacium, Gelasimus.*

D. Mercurius, Iovis qui nuntius perhibetur, nunquam æque patri
Suo nuntium lepidum attulit, quam ego nunc meæ heræ nuntiabo.
Itaque onustum pectus porto lætitia lubentiaque:
Neque lubet, nisi gloriose, quidquam proloqui: profecto
Amœnitates omniū venerum atque venustatū affero:
Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitia meum.
Propterea, Dinacium, pedes hortare: honesta dicta factis.
Nunc tibi potestas adipiscundi est gloriam, laudem, decus:
Heræque egenti subveni: benefacta maiorum tuorum exauge;
Quæ misera exspectatione est Epignomi adventus viri.
Proinde ut decet, amat virum suum cupide: nunc expedi, Dinacium.
Age, ut placet; curre, ut lubet, cave quemquam flocci feceris;
Cubitis depulsa de via; tranquillam concinna viam.
Si rex obstabit obviam, regĕ ipsum prius pervortito.
G. Quidnam dicam, Dinacium
Lascivibundum tam lubenter currere? (rium.
Arundinem fert, sportulamque, et hamulum pisca-
D. Sed tandem, opinor, æquin 'st heram mi esse supplicem,
Atque oratores mittere ad me, donaque ex auro, et quadrigas,
Qui vehar: nam pedibus ire non queo: ergo iam revortar.
Ad me iri, et supplicari egomet mihi censeo æquom.
An vero nugas censeas; nihil esse, quod ego nunc scio?
Tantum a portu apporto bonum, tam gaudium affero grande,
Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare a Diis audeat.
Nunc ultro hoc deportem? haud placet: neque id vero officium arbitror.
Hic hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio,
Advorsum ut veniat, obsecret, se ut nuntio hoc impertiam.
Secundas fortunas decent superbiæ. (me?
Sed tandĕ, cum recogito, qui potuit scire hæc scire
Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem,
Heramque ex mœrore eximam, benefacta maiorum meum
Exaugeam, atque illam augeam ex insperato a portu bono.
Contundam facta Talthybii, contemnamque omnis nuntios:
Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.

Sed spatium hoc occidit: breve 'st curriculo: quam me pœnitet!
Quid hoc? occlusam ianuam video. Ibo, et pultabo fores.
Aperite, atque approperate; fores facite ut pateant: removete moram.
Nimis hæc res sine cura geritur: vide, quemdudum hic asto et pulto!
Somnon' operam datis? Experiar, fores, an cubiti, an pedes, plus valeant.
Nimis vellem hæ fores harum fugissent, ea causa ut haberent malum.
Defessus sum pultando.
Hoc postremum est vobis.
G. Ibo, atque hunc compellabo.
Salvus sis! *D.* Et tu salve.
G. Iam tu piscator factu 's?
D. Quampridem non edisti?
G. Unde is? quid fers? quid festinas?
D. Tua quod nihil refert, ne
Cures! *G.* Quid istic inest?
D. Quas tu vides colubras?
G. Quid tam iracundu 's? *D.* Si in te
Pudor assit, non me appelles.
G. Possum scire ex te verum?
D. Potes: hodie non cœnabis.

SCENA II. *Panegyris, Gelasimus, Dinacium.*

P. Quisnam, obsecro, has frangit fores? ubi est?
Tun' hæc facis? tun' mihi huc hostis venis?
G. Salve! tuo arcessitu venio huc.
P. Ean' gratia fores effringis?
G. Tuos inclama; tui delinquunt: ego, quid me velles, visebam:
Nam equidem harum miserebat.
D. Ergo auxilium propere latum'st.
P. Quisnam hic loquitur tam prope nos? *D.* Dinacium. *P.* Ubi is est?
D. Respice me, et relinque egentem parasitum, Panegyris.
P. Dinacium! *D.* Istuc indidere nomen maiores mihi.
P. Quid agis? *D.* Quid agam, rogitas? *P.* Quid ni rogitem? *D.* Quid mecum 'st tibi?
P. Men' fastidis, propudiose? Eloquere propere, Dinacium.
D. Iube me omittere igitur hos, qui retinent.
P. Qui retinent? *D.* Rogas?
Omnia membra lassitudo mihi tenet.
P. Linguam quidem
Sat scio tibi non tenere. *D.* Ita celeri curriculo fui
Propere a portu, tui honoris causa. *P.* Ecquid apportas boni?
D. Nimio impertior multo tanta plus, quam speras.
P. Salva sum.
D. At ego perii, quoi medullam lassitudo perbibit.
G. Quid ego? quoi misero medullam ventris percepit fames.
P. Ecquem convenisti? *D.* Multos. *P.* At virum ecquem? *D.* Plurimos:
Verum ex multis nequiorem nullum, quam, hic est.
G. Quomodo?
Iamdudum ego istum patior dicere iniuste mihi.
Præter hac si me irritassis. *D.* Edepol, esuries male.
G. Animum inducam, ut istuc verum te elocutum esse arbitrer.
D. Munditias volo fieri. Efferte huc scopas, simulque arundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam, et texturam improbem,
Deiiciamque earum omnis telas. *G.* Miseræ algebunt postea.
D. Quid? illas itidem esse censes, quasi te, cum veste unica?
Cape illas scopas. *G.* Capiam. *D.* Hoc egomet, tu hoc converre. *G.* Fecero.
D. Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?
G. Sine suffragio
Populi, tamen ædilitatem hic quidem gerit.
D. Age, tu ocyus
Pinge humum; consperge ante ædis. *G.* Faciam.
D. Factum oportuit.
Ego hinc araneas de foribus deiiciam, et de parieta.
G. Edepol, rem negotiosam! *P.* Quid sit, nihil etiam scio:
Nisi forte hospites venturi sunt. *D.* Lectos sternite.
G. Principium placet de lectis. *D.* Alii ligna cædite;
Alii pisces depurgate, quos piscator attulit;
Pernam et glandium deiicite. *G.* Hic, hercle, homo nimium sapit.
P. Non, ecastor, ut ego opinor, satis heræ morem geris.
D. Immo, res omnis relictas habeo, præ quod tu velis.
P. Tum tu igitur, qua causa missus es ad portum, mihi expedi.
D. Dicam. Postquam me misisti ad portum cum luci simul,
Commodum, radiosus, ecce, sol superabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit
Ex Asia; negant venisse; conspicatus sum interim
Cercurum, quo ego me maiorem non vidisse censeo.
In portum, vento secundo, velo passo, pervenit.
Alius alium percontamur: Quoia est navis? quid vehit?
Interim Epignomum conspicio, tuum virum, et servom Stichum.
P. Hem! quid? Epignomum elocutu 's?
G. Tuum virum, et vitam meam.
D. Venit, inquam. *P.* Tun' eum ipsum vidisti?
D. Ita ego, lubens.
Argenti aurique advexit multum. *P.* Nimis factum bene.
G. Hercle, vero, capiam scopas, atque hoc converram lubens.
D. Lanā purpuramq; multā. *G.* Hē! qui ventrē vestiā!
D. Lectos eburatos, auratos. *G.* Accubabo regie.
D. Tū Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. *G.* Hercle, rē gestā bene!
D. Post, ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas, advexit secū forma eximia. *G.* Eugepæ.
Quando adbibero, alludiabo: tum sū ridiculissumus.
D. Postea, unguenta multigenerum multa.
G. Non vendo logos.
Iam non facio auctionem. Mihi obtigit hæreditas.
Malevoli perquisitores auctionum perierint.
Hercules, decumam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
D. Post autem advexit secum parasitos.
G. Hei! perii miser!
D. Ridiculosissumos.
G. Reverram, hercle, hoc, quod converri modo.
P. Vidistin' virum sororis Pamphilippum?
D. Non. *P.* Adest?
D. Immo, aibant eū venisse simul: sed ego huc citus
Præcucurri, ut nuntiarem nuntium exoptabilem.
G. Venales logi sunt illi, quos negabam vendere.
Ilicet, meo malo est quod malevolentes gaudeant.
Hercules, sane, qui Deus sis, discessisses non male.

P. I, i iutro, Dinacium: iube famulos, rem divinam mihi apparent.
Bene vale. *G.* Viu' administrem?
P. Sat servorum habeo domi.
G. Enimvero, Gelasime, opinor, provenisti futile,
Si neque ille adest, neque hic, qui venit, quidquam subveuit.
Ibo intro ad libros, et discam de dictis melioribus.
Nã, ui illos homines expello, ego occidi plenissume.

Actus III. Scena I. *Epignomus, Stichus.*

Æ. Cum, bene re gesta, salvos convortor domum,
Neptuno grates habeo et Tempestatibus;
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens effeci ægrimonia,
Eos nunc lætautes faciam adveutu meo.
Nam iam Antiphouem conveni affiuem meum,
Cumque eo reveni ex inimicitie in gratiam.
Videte, quæso, quid potest pecunia!
Quoniam, re bene gesta, redisse me videt,
Magnasque apportavisse divitias domum;
Siue advocatis, ibidem in cercuro, in stega,
In amicitiam atque iu gratiam convortimus.
Et hic hodie apud me cœnat, et frater meus.
Nam heri ambo in uno portu fuimus: sed mea
Hodie soluta est navis aliquanto prius.
Age, abduc has intro, quas mecum adduxi, Stiche.
S. Here, sive ego taceam, seu loquar, scio scire te,
Quam multas tecum miserias multaverim.
Nunc hunc diem unum ex illis multis miseriis
Volo me Eleutheriam capere adveuientem domum.
Æ. Et ius et æquom postulas: sumas, Stiche,
In hunc diem: te nil moror: abi, quo lubet.
Cadum tibi veteris viui propino. *S.* Papæ!
Ducam hodie amicam. *Æ.* Vel decem, dum de tuo.
Ubi cœuas hodie, si hanc rationem instituis?
S. Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proxumo,
Tui fratris ancillam: eo condixi in symbolam
Ad cœnam, ad eius conservom Sagarinum Syrum.
Eadem est amica ambobus; rivales sumus.
Æ. Age, abduc eas intro. Hunc tibi dedo diem.
S. Meam culpam habeto, nisi probe excruciavero.
Iam, hercle, ego per hortum amicam transibo meam,
Mihi hanc occupatum noctem: eadem symbolam
Dabo, et iubebo ad Sagarinum cœnam coqui.
Aut egomet ibo, atque opsonabo opsonium.
Atque, id ne vos miremini, homines servolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere;
Licet hoc Athenis nobis. Sed, cum cogito,
Potius quam in dividiā veniam, est etiam hic ostiū
Aliud posticum nostrarum harunce ædium.
Ea ibo opsonatum; eadem referam opsonium
Per hortum: utroque commeatus continet.
Ite hac secundum vos me. Ego hunc lacero diem.

Scena II. *Gelasimus, Epignomus.*

G. Libros inspexi; tam confido, quam pote 'st,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc interviso, iamne a portu advenerit,
Ut eum advenientem meis dictis deleniam.
Æ. Hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit.
G. Auspicio hodie optumo exivi foras;
Mustela murem abstulit præter pedes.
Cum strena obscævavit, spectatum hoc mihi est.
Nam, ut illa vitam reperit hodie sibi,
Item me spero facturum. Augurium hæc facit.
Epignomus hic quidē est, qui astat. Ibo, atque allo- (quar.
Epignome! ut ego te nunc conspicio lubens!
Ut, præ lætitia, lacrumæ prosiliunt mihi!
Valuistin' usque? *Æ.* Sustentatum 'st sedulo.
G. Bene atque amice dicis. Dii dent quæ velis.
Propino tibi salutem plenis faucibus.
Cœnabis apud me, quoniam salvos advenis.
Æ. Vocata est opera nunc quidem: tam gratia est.
G. Promitte. *Æ.* Certum 'st. *G.* Sic fac, inquam.
Æ. Certa re 'st.
G. Lubente me, hercle, facies. *Æ.* Idem ego istuc scio.
Quando usus veniet, fiet. *G.* Nunc ergo usus est.
Æ. Non, edepol, possum. *G.* Quid gravare? censeo
Eas: nescio quid vero habeo in mundo. *Æ.* I modo;
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.
G. Quin tu promittis? *Æ.* Non graver, si possiem.
G. Unum quidem, hercle, certum promitto tibi:
Lubens accipiam: certo si promiseris.
Æ. Valeas. *G.* Certumne est? *Æ.* Certū: cœnabo domi.
G. Quandoquidem operam tuam non vis promittere,
Vin' ad te ad cœnam veniam? *Æ.* Si possim, velim:
Verum hic apud me cœnant alieni novem.
G. Haud postulo equidem me in lecto accumbere.
Scis tu me esse imi subselli virum.
Æ. At ii oratores sunt, populi summi viri:
Ambracia veniunt huc legati publice.
G. Ergo oratores, populi summates viri,
Summi accumbent; ego infimatis infimus.
Æ. Haud æquom 'st te inter oratores accipi.
G. Equidem, hercle, orator sum; sed procedit parum.
Æ. Cras de reliquiis nos volo: multum vale.
G. Perii, hercle vero, plane nihil obnoxie.
Uno Gelasimo minus est, quam dudum fuit.
Certum est mustelæ posthac nunquam credere;
Nam incertiorem nullam novi bestiam.
Quæ uaet ipsa decies in die mutat locum,
Eam auspicavi ego in re capitali mea?
Certum 'st amicos convocare, ut consulam
Qua lege nunc me esurire oporteat.

Actus IV. Scena I. *Antipho, Pamphilippus, Epignomus.*

A. Ita me Dii bene ament, measque mihi bene servassint filias,
Ut mihi volupe 'st, Pamphilippe, quia vos in patriam domum
Redisse video, bene gesta re, ambos, te et fratrē tuū.
P. Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse, Antipho.
Nunc, quia te amicum mihi experior esse, creditur tibi.
A. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus nisi dixisset mihi,
Te apud se cœnaturum esse hodie, cum me ad se ad cœnam vocat.
Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus,
Quā me ad illū promittere, nisi nollē ei advorsarier.
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil desidero:
Cras apud me eritis, et tu et ille, cū vostris uxoribus.
P. Et apud me perendie: nā ille heri me iā vocaverat
In hunc diem: sed satin' ego tecum pacificatus sum, Antipho?
A. Quando ita rem gessistis, uti vos vellem, amicus atque addecet,
Pax commerciumque est vobis mecum: nam hoc tu facito cogites,
Ut quoique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat,
Itidē amici collabascunt. Res amicos invenit. (mo,
E. Iā redeo. Nimia est voluptas, si diu abfueris a do-

Domum si redieris, si tibi nulla est ægritudo animo obviam.
Nam ita, me absente, familiarē rē uxor curavit meā,
Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinē.
Sed eccū fratrē Pamphilippū; incedit cū socero suo.
P. Quid agitur, Epignome?
E. Quid tu? quamdudum in portum venis
Huc? *P.* Longissume.
E. Postilla iam iste est tranquillus tibi?
A. Magis quam mare, quo ambo estis vecti.
E. Facis, ut alias res soles.
Hodieoe exoneramus navē, frater? *P.* Clementer volo.
Nosmet potius oneremus vicissatim voluptatibus.
Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum.
E. Abi intro ad me, et lava
P. Deos salutatum atque uxorem, modo intro devortor domum.
E. Apud nos eccilla festinat cum sorore uxor tua.
P. Optumum 'st: iam istoc moræ minus erit.
E. Iam ego apud te ero.
A. Priusquam abis, præsente te huic apologum agere unum volo.
E. Maxume. *A.* Fuit olim, quasi ego sū, senex: ei filiæ
Duæ erant, quasi nunc meæ sunt: eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quasi nunc meæ sunt vobis.
P. Miror, quo evasuru 'st apologus.
A. Erat minori illi adolescenti fidicina et tibicina:
Peregre advexerat, quasi nunc tu: sed ille erat cœlebs senex,
Quasi ego nunc sum.
P. Perge porro. Præsens hic quidem est apologus.
A. Deinde senex ille illi dixit, quoius erat tibicina,
Quasi ego nunc tibi dico.
P. Ausculto, atque animum advorto sedulo.
A. Ego tibi meam filiam, bene quicū cubitares, dedi:
Nunc mihi reddi ego æquom esse abs te, quicum cubitem, censeo.
P. Quis istuc dicit? an ille, quasi tu?
A. Quasi ego nunc dico tibi.
Immo, duas dabo, inquit ille adolescens, una si parum 'st:
Et, si duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
P. Quis istuc, quæso? an ille, quasi ego?
A. Is ipse, quasi tu. Tum senex
Hic, quasi ego, Si vis, inquit, quatuor sane dato;
Dum equidem hercle, quod edant, addas; meum ne contruncent cibum.
P. Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit:
Quoniā ille illi pollicetur, qui eum cibū poposcerit.
A. Videlicet fuisse illū nequā adolescentē, qui illico,
Ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici.
Hercle, quia æquō postulabat ille senex, quoad quidē
Filiæ illæ dederat dotem, accipere pro tibicina.
P. Hercle, ille quidem certo adolescens docte vorsutus fuit,
Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit.
A. Senex quidem voluit, si posset indipisci de cibo:
Quia nequit; qua lege licuit, velle dixit fieri.
Fiat! ille inquit adolescens. Facia benigne, inquit senex.
Habeon' rem factam? inquit. Faciam ita, inquit, ut fieri voles.
Sed ego ibo intro, et gratulabor vostrum adventum filiis.
Postea ibo lavatū in pyelū: ibi fovebo senectutē meā.
Post, ubi lavero, otiosus vos opperiar accubans.
P. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit! quam fabre!
Ut iam nunc scelestus[sese] ducit pro adolescentulo
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet senem:
Namque, edepol, aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.
Sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiā valet?
E. Vidi, edepol, hominem haud perdudum.
P. Quid agit? *E.* Quod famelicus.
P. Quin vocasti hominem ad cœnam?
E. Ne quid adveniens perderem.
Atque eccum tibi lupum in sermone; præsens esuriens adest.
P. Ludificemur hominem.
E. Capti consili memorem mones.

SCENA II. *Gelasimus, Pamphilippus, Epignomus.*

G. Sed ita, quod occœpi narrare vobis, cum hic non affui,
Cum amicis deliberavi iam, et cum cognatis meis:
Ita mihi auctores fuere, ut egomet me hodie iugularem fame.
Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est.
Aggrediar hominē. Sperate Pamphilippe! o spes mea!
O mea vita! o mea voluptas! salve! Salvom gaudeo, ō
Peregre te in patriā redisse salvō. *P.* Salve, Gelasime!
G. Valuistin' bene? *P.* Sustentavi sedulo.
G. Edepol, gaudeo.
Edepol, næ, egomet mihi modium nunc mille esse argenti vellim.
E. Quid eo tibi opu 'st? *G.* Hunc ad cœnam, hercle, ut vocem, te non vocem.
E. Advorsum te fabulare illud quidem.
G. Ambos ut vocem.
E. Edepol, te vocem libenter, si superfiat locus.
G. Quin tu? Stans obstrusero aliquid strenue
E. Immo, unum hoc potest.
G. Quid? *E.* Ubi convivæ abierint, tum venias...
G. Væ ætati tuæ!
E. Ut lautū, non ad cœnā, dico. *G.* Dii te perduint!
Quid ais, Pamphilippe?
P. Ad cœnam, hercle, alio promisi foras.
G. Quid, foras? *P.* Foras, hercle vero.
G. Qui, malum!, tibi lasso lubet
Foris cœnare? *P.* Utrum tu censes?
G. Iube domi cœnam coqui,
Atque ad illum renuntiari. *P.* Solus cœnabo domi?
G. Non enī solus: me vocato. *P.* At ille ne succenseat,
Mea qui causa sumtū fecit. *G.* Facile excusari potest:
Mihi modo ausculta: iube domi cœnam coqui.
E. Non me quidem
Faciet auctore, hodie ut illum decipiat.
G. Non tu hinc abis?
Nisi me non perspicere censes quid agas. Cave sis tu tibi:
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quasi esuriens lupus.
Non tu scis, quam efflictentur homines noctu hic in via?
P. Tanto plureis, qui defendant, ire advorsū iussero.
E. Non it, non it, quia tanto opere suades ne abitat.
G. Iube
Domi mihi, tibi, tuæque uxori, celeriter cœnā coqui:
Si, hercle, faxis, non, opinor, dices, deceptum fore.
P. Per hanc tibi cœnam incœnato, Gelasime, esse hodie licet.
G. Ibisne ad cœnam foras?
P. Apud fratrem cœno, in proxumo.
G. Certumne est? *P.* Certum.
G. Edepol, tu hodie lepide percussum velim.

P. Nou metuo: per hortum transibo; non prodibo in publicum.
E. Quid agis, Gelasime?
G. Oratores tu accipis: habeas tibi.
E. Tua, pol, refert enim.
G. Siquidem mea refert, opera utere;
Posce. *E.* Edepol, tibi, opinor, etiam uni locum conspicor,
Ubi accubes. *P.* Sane faciundum censeo.
G. O lux oppidi!
E. Si arcte poteris accubare.
G. Vel inter cuneos ferreos.
Tantillū loci, ubi catallus cubet, id mihi sat est loci.
E. Exorabo aliquo modo. Veni. *G.* Huccine?
E. Immo, in carcerem;
Nam hic quidem meliorem Genium tuum non facies: eamus, tu.
P. Deos salutabo modo; postea ad te continuo transeo.
G. Quid igitur? *E.* Dixi equidem, in carcerem ires.
G. Quin, si iusseris,
Eo quoque ibo. *E.* Dii immortales! hic quidem in summam crucem
Cœna aut prandio perduci potest.
G. Ita ingenium meum 'st;
Quicumvis depugno multo facilius, quam cum Fame.
P. Nou ergo istu? Apud me satis spectata est mihi iam tua felicitas:
Dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus.
Nunc ego uolo e Gelasimo mihi te Catagelasimum.
G. Iamne abisti? Gelasime, vide, quid es capturus consili.
Egone? tune? mihine? tibine? Vides, ut annona est gravis!
Vides, benignitates hominum ut periere et prothymiæ:
Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipsos parasitarier.
Nunquam, edepol, me vivom quisquam in crastinum prospiciet diem.
Nam mihi iam intus potione vinea onerabo gulam.
Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame.

ACTUS V. SCENA I. *Stichus.*

Mora hoc fit, atque stulte, mea sententia:
Si quem hominem exspectant, eum solent provisere;
Qui, hercle, illa causa nihil ocyus venit.
Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum,
Qui nihil ocyus venit tamen hac gratia.
Iā, hercle, ego decumbam solus, si ille huc non venit.
Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam:
Postea accumbam: quasi senex, tabescit dies.

SCENA II. *Sagarinus, Stichus.*

Sa. Salvete, Athenæ, quæ nutrices Græciæ!
Terra herilis patria! te video lubens.
Sed amica mea et conserva quid agat Stephanium,
Cura est, ut valeat: nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nuntiaret; atque ei ut diceret,
Me hodie venturum, ut cœnam coqueret temperi.
Sed Stichus est hic quidem. *St.* Fecisti, here, facetias,
Cum hoc donavisti dono tuum servom Stichum.
Pro, Dii immortales, quot ego voluptates fero!
Quot risiones! quot iocus! quot savia!
Saltationes, blanditias, prothymias! (pidissume!
Sa. Stiche! *St.* Hē! *Sa.* Quid fit? *St.* Euge, Sagarine le-
Fero convivam Dionysum mihique et tibi.
Namque, edepol, cœna dicta est; locus liber datus est
Mihi et tibi apud vos: nam apud nos est convivium.
Ibi voster cœnat cum uxore adeo, et Antipho.
Ibidem herus est noster. Hoc mihi dono datum 'st.
Sa. [Quis id donavit autē?] *St.* Quid id ad te attinet?
Prout tu lavare propera. *Sa.* Lautus su. *St.* Optume:
Sequare ergo hac me intro. *Sa.* Ego vero sequor.
St. Volo eluamus hodie. Peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus: sequere me.
Sa. Sequor, et domum redeundi principium placet.
Bona scæva streuaque obviam occessit mihi.

SCENA III. *Stephanium.*

Mirum videri nemini vostrum volo, spectatores,
Quid ego hinc, quæ illic habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arcessita sū, quoniā nuntiatū est,
Istarum venturos viros. Ibi festinamus omnes: (dis.
Lectis sternundis studuimus, munditiisque apparan-
Inter illud tamen negotium, meis curavi amicis,
Sticho et conservo Sagarino meo, cœna cocta ut esset.
Stichus opsonatus est: ceterum, ego curando id allegavi.
Nunc ibo hinc, et amicos meos curabo hic advenientes.

SCENA IV. *Sagarinus, Stichus.*

Sa. Agite, ite foras: ferte pompam: cado te præficio, Stiche.
Omnibus modis temperare certum 'st nostrum hodie convivium.
Ita me Dii ament, lepide accipiemur, cum hoc recipiamur in loco.
Quisquis prætereat, comissatum volo vocari.
St. Convenit,
Dum quidem, hercle, quisque veniat cum vino suo: nam hac quidem
Hodie pollnctura, præter nos, iactura dabitur nemini.
Nosmet inter nos ministremus, monotrophe: hoc convivium est
Pro opibus nostris satis commodule, nucibus, fabulis, ficulis,
Olea intryblio, lupilli comminuto crustulo.
Sat est: servo homini modeste melius facere sumtum, quam ampliter.
Suum quemque decet. Quibus divitiæ domi sunt, scaphis et cantharis,
Batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo potario
Tamen vivimus; nos tamen efficimus pro opibus nostra mœnia.
Sa. Amicæ uter utrubi accumbamus?
St. Abi tu sane superior.
Atque adeo ut tu scire possis, factum ego tecum hoc divido.
Vide, utram tibi lubet etiamnum capere, cape provinciam.
Sa. Quid istuc est provinciæ?
St. Utrum Fontinali an Libero
Imperium te inhibere mavis?
Sa. Nimio liquido Libero.
Sed, amica mea et tua dum comit, dumque se exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos. Strategum te facio huic convivio.
St. Nimium lepide in mentem venit. Potius in subsellio
Cynice accipiemur, quam in lectis.
Sa. Immo enim hic magis est dulcius.
Sed interī, stratege noster, cur hic cessat cantharus?

Vide, quot cyathos bibimus?
St. Tot, quot digiti sunt tibi in manu.
Cantio est Græca: ἢ πέντε πινειν, η τρια, ἢ μὴ τέτταρα.
Sa. Tibi propino decẽ; affunde tibi tute inde, si sapis.
Bene vos! bene nos! bene te! bene me! bene nostram etiam Stephanium!
St. Bibe, si bibis. *Sa.* Non mora erit apud me.
St. Edepol, convivi sat est,
Modo nostra huc amica accedat: id abest; aliud nil abest.
Sa. Lepide hoc actum 'st. Tibi propino cantharum: vinum tu habes.
Nimis vellem aliquid pulpamenti.
St Si horum, quæ assunt, pœnitet,
Nihil est: tene aquam.
Sa. Melius dicis: nil moror cupedia.
Bibe, tibicen: age, si quid agis: bibundum, hercle, hoc est; ne nega.
Quid hic fastidis, quod faciundum vides esse tibi? quin bibis?
Age, si quid agis: accipe, inquam: non hoc impendet publicum.
Haud tuum istuc est te vereri. Eripe ex ore tibias.
St. Ubi illic biberit, vel servato meum modum, vel tu dato.
Nolo ego nos pro summo bibere, nulli relerimus postea:
Namque, edepol, quamvis desubito vel cadus vorti potest.
Sa. Quid igitur? quamquam gravatus fuisti, non nocuit tamen.
Age, tibicen; quando bibisti, refer ad labias tibias:
Suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia.
Agedũ, Stiche; uter demutassit, poculo multabitur.
St. Bonum ius dicis. Impetrare oportet, quia æquom postulas.
Age, ergo, observa: si peccassis, multam hic retinebo illico.
Sa. Optumum atque æquissumum oras.
St. Hem tibi hoc primum omnium!
Hæc facetia 'st, amare inter se rivales duos;
Uno canthara potare, et unum scortum ducere.
Hoc memorabil 'st: ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus;
Unam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum 'st tamen.
Tecum ubi autem est, mecum ibi autem est: neuter utri invidet.
Sa. Obe! iam satis! nolo obcædes: catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? ea saltabit. *St.* Censeo.
Sa. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium, ad amores tuos
Foras egredere, satis mihi pulchra es.
St. At enim pulcherruma.
Sa. Fac nos hilaros hilariores opera atq; adventu tuo.
Peregre advenientes te expetimus, Stephaniscidium, mel meum!
Si amabilitas tibi nostra placet; si tibi ambo accepti sumus.

SCENA V. *Stephanium, Sagarinus, Stichus*

Ste. Morem vobis geram, meæ deliciæ! Nam ita me Venus amœna amet,
Ut ego hic iamdudum exiissem simitu' vobiscũ foras,
Nisi me vobis exornarẽ: nã ita est ingeniũ muliebre:
Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen.
Nimioque sibi mulier meretrix reperit odium ocyus
Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua.
Sa. Nimium lepide fabulata est.
Sti. Veneris mera est oratio.
Sagarine! *Sa.* Quid est? *Sti.* Totus doleo.
Sa. Totus? tanto miserior.
Ste. Utrubi accumbo? *Sa.* Utrubi tu vis?
Ste. Cum ambobus, volo: nam ambos amo.
Sti. Vapulat peculium: actum 'st; fugit hoc libertas caput.
Ste Date mihi locum, ubi accumbam, amabo, siquidem placeo: tum mihi
Cupio cum utroque mihi esse bene. *Sti.* Dispereo!
Sa. Quid [illegible]? *Sti.* Quid ego?
Sa. Ita me Dii ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin saltet tamen.
Age, mulsa mea! suavitudo! salta: saltabo ego simul.
Sti. Nunquam, edepol, me istoc vinces, quin ego ibi proriam.
Ste. Siquidem mihi saltandum 'st, tum vos date, bibat, tibicini.
Sti. Et quidem nobis.
Sa. Tene, tibicen, primum; postidea loci,
Si hoc eduxeris, proinde ut consuetus antehac, celeriter,
Lepidam et suavem cantationem aliquam occipito cinædicam,
Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis: inde hoc aquam.
Tene tu hoc, educe: dudum haud placuit potio:
Nunc minus gravate iam accipit: tene tu: interim,
Meus oculus! da mihi savium, dum illic bibit.
Prostibile est autem stantem stanti savium
Dare amicum amicæ. Euge! euge! sic furi datur!
Quid igitur? quamquã gravatu 's, non nocuit tamen.
Age, iam infla buccas *Sti.* Nunc iã aliquid suaviter.
Redde cantionem, veteri pro vino, novam.
Sa. Qui Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet?
Si istoc me vorsu viceris, alio me provocato:
Fac tu hoc modo. *Sti.* At tu hoc modo. *Sa.* Babæ!
Sti. Tatæ! *Sa.* Papæ! *Sti.* Pax!
Sa. Nunc pariter ambo: omnes voco cinædos contra.
Satis esse nobis non magis potis est, quã fungo imber.
Intro hinc abeamus: nunc iã saltatũ satis pro vino 'st.
Vos, spectatores, plaudite, atq; ite ad vos comissatũ.

TRINUMMUS

DRAMATIS PERSONÆ

LUXURIA.
INOPIA.
MEGARONIDES, CALLICLES, } *senes.*
LYSITELES, *adolescens.*
PHILTO, *senex.*
LESBONICUS, *adolescens.*
STASIMUS, *servus.*
CHARMIDES, *senex.*
SYCOPHANTA.

Argumentum (PRISCIANI?)

Thesaurum abstrusum abiens peregre Charmides,
Remque omnem, amico Callicli mandat suo.
Istoc absente, male rem perdit filius:
Nam et ædis vendit. Has mercatur Callicles.
Virgo indotata soror istius poscitur:
Minus quo cum invidia ei det dotem Callicles,
Mandat, qui dicat aurum ferre se a patre.
Ut venit ad ædis, hunc deludit Charmides
Senex, ut redit; quoius nubunt liberi.

Prologus. *Luxuria et Inopia.*

L. Sequere me, mea gnata, ut munus fungaris tuum.
I. Sequor: sed, finem fore quem dicam, nescio.
L. Adest. Hem! illæ sunt ædes: i intro nunc iam.
Nunc, ne quis erret vostrum, paucis in viam
Deducam, siquidem operam dare promittitis.
Nunc primum igitur, quæ ego sī, et quæ illa hæc siet,
Huc quæ abiit intro, dicam, si animum advortitis.
Primum mihi Plautus nomen Luxuriæ indidit:
Tum banc mihi gnatam esse voluit Inopiam.
Sed, ea huc quid introierit impulsu meo,
Accipite, et date vacivas auris, dum eloquor.
Adolescens quidam 'st, qui in hisce habitat ædibus:
Is rem paternam, me adiutrice, perdidit.
Quoniam ei, qui me aleret, nil video esse reliqui,
Dedi meām gnatam, quicum ætatem exigat.
Sed de argumento ne exspectetis fabulæ.
Senesqui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen Græce est Thesauro fabulæ:
Philemo scripsit, Plautus vortit barbare:
Nomen Trinummo fecit. Nunc, hoc, vos rogat,
Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.
Tantum 'st. Valete: adeste cum silentio.

Actus I. Scena I. *Megaronides.*

Næ, amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verum in ætate utile
Et conducibile. Nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia,
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.
Nam hic nimium morbus mores invasit bonos,
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.
Sed, dum illi ægrotant, interim mores mali,
Quasi herba irrigua, succrevere uberrume.
Neque quidquam hic vile nunc est, nisi mores mali.
Eorum licet iam messem metere maxumam,
Nimioque hic pluris paucirum gratiam
Faciunt pars hominum, quā id quod prosit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiæ;
Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt,
Remoramque faciunt rei privatæ et publicæ.

Scena II *Callicles, Megaronides.*

C. Larem corona nostrum decorari volo.
Uxor! venerare; ut nobis hæc habitatio
Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat;
Teque ut, quam primum possim, videam emortuam.
M. Hic ille est, senecta ætate qui factum 'st puer,
Qui admisit in se culpam castigabilem.
Aggrediar hominem. *C.* Cuia vox prope me sonat?
M. Tui benevolentis, si ita es, ut ego volo:
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
C. O amice, salve, atque æqualis! ut vales,
Megaronides? *M.* Et tu, edepol, salve, Callicles.
Valen'? valuistin'? *C.* Valeo, et valui rectius.
M. Quid agit tua uxor? ut valet? *C.* Plus quā ego volo.
M Bene, hercle, est, illam tibi bene valere et vivere.
C. Credo, hercle, te gaudere, si quid mihi mali est.
M. Omnibus amicis, quod mihi est, cupio esse idem.
C. Eho! tua uxor quid agit? *M.* Immortalis est.
Vivit, victuraque est. *C.* Bene, hercle, nuntias;
Deosque oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat.
M. Dum quidem, hercle, tecum nupta sit, sane velim.
C. Vin' commutemus? tuam ego ducam, et tu meā?
Faxo, haud tantillum dederis verborum mihi.
M. Neque enī tu, credo, mihi imprudenti obrepseris.
C. Næ, tu, hercle, faxo, haud scies, quam rem egeris.
M. Habeas, ut nactu's; nota mala res, optuma 'st.
Nam, ego nunc si ignotam cāpiam, quid agam, nesciā.
C. Edepol, proinde ut bene vivitur, diu vivitur.
M. Sed hoc animū advorte, atque aufer ridicularia;
Nā ego dedita opera huc ad te advenio. *C.* Quid ve-
M. Malis te ut verbis multis multū obiurgitē. (nis?
C. Men'? *M.* Nū quis est hic alius præter me atq; te?
C. Nemo est. *M.* Quid igitur rogitas, tene obiurgatē?
Nisi tute mihi me censes dicturum male.
Nam, si in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus,
Aut si demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos servas, ast captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem;
Ut te videre audireque ægroti sient.
C. Qui in mentem venit tibi istæc dicta dicere?
M. Quia omnes bonos bonasque accurare addecet,
Suspicionem et culpam ut ab se segregent. (gas?
C. Non potest utrumque fieri. *M* Quapropter? *C.* Ro-
Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori:
Suspicio est in pectore alieno sita.
Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine adstat summo; si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier;
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?
Sed istuc negoti scire cupio, quidquid est.
M. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam,
Cui pectus sapiat? *C.* Edepol, haud dicam dolo;
Sunt, quos scio esse amicos: sunt, quos suspicor,
Quorum ingenia atque animos non possum noscere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.
Sed tu ex amicis certis mi es certissumus.
Si quid scis me fecisse inscite aut improbe,
Si id me non accusas, tute ipse obiurgandus es.
M. Scio;
Et, si alia huc causa ad te adveni, æquom postulas.
C. Exspecto, si quid dicas. *M.* Primumdum omniū,
Male dictitatur tibi volgo in sermonibus:
Turpilucricupidum te vocant cives tui.
Tum autem sunt alii, qui te volturium vocant;
Hostesne an cives comedis, parvipendere.
Hæc cum audio in te dicier, excrucior miser.
C. Est, atque non est, mihi in manu, Megaronides:
Quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est.
M. Fuitne hic tibi amicus Charmides? *C.* Est, et fuit.
Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam, postquam hic eius rem confregit filius,
Videtque ipse ad paupertatem protractum esse se,
Suamque filiam esse adultam virginem,
Simul eius matrem, suamque uxorem, mortuam;
Quoniam hinc iturus est ipse in Seleuciam,
Mihi commendavit virginem gnatam suam,
Et rem suam omnem, et illum corruptum filium.
Hæc, si mihi inimicus esset, credo, haud crederet.
M. Quid tu adolescentem, quē esse corruptum vides,
Qui tuæ mandatu 'st fidei et fiduciæ,
Quin eum restituis? quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius;
Si qui probiorem facere possis, non uti
In eamdem tute accederes infamiam,
Malumque ut eius cum tuo misceres malo. (om 'st.
C. Quid feci? *M.* Quod homo nequā. *C.* Non istuc me-
M. Emistin' de adolescente has ædes? quid taces?
Ubi nunc tute habitas? *C.* Emi, atque argentū dedi,
Minas quadraginta, adolescenti ipsi in manum.
M. Dedisti argentum? *C.* Factum: neque facti piget.
M. Edepol, fidei adolescentem mandatum male!
Dedistine hoc pacto ei gladium, qui se occideret?
Quid secus est, aut quid interest, dare te in manus

Argentū amanti homini adolescenti, animi impoti,
Qui exædificaret suam inchoatam ignaviam?
C. Non ego illi argentum redderē? M. Non redderes:
Neque de illo quidquā neque emeres neque venderes:
Nec, qui deterior esset, faceres copiam.
Inconciliastin' eum, qui mandatu 'st tibi?
Ille qui mandavit, eum exturbasti ex ædibus?
Edepol, mandatum pulchre, et curatum probe!
Crede huic tute: suam iam melius rem gesserit.
C. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeo, ut, quod meæ concreditum 'st
Taciturnitati clam, fidei et fiduciæ,
Ne enuntiarem cuiquam, neu facerem palam;
Uti mihi necesse sit iam id tibi concredere.
M. Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.
C. Circumspicedum te, ne quis assit arbiter
Nobis: et, quæso, identidem circumspice.
M. Ausculto, si quid dicas. C. Si taceas, loquar.
Quoniam hinc est profectus peregre Charmides,
Thesaurum mihi demonstravit in hisce ædibus,
Hic in conclavi quodam: sed circumspice!
M. Nemo est. C. Nummorū Philippeū ad tria millia.
Id solus solum, per amicitiam et per fidem,
Flens me obsecravit, suo ne gnatu crederem,
Neve cuiquam, unde ad eū id posset permanascere.
Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi.
Si quid eo fuerit, certo illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo, dotem unde dem,
Ut eam in se dignam conditionem collocem.
M. Pro, Dii immortales! verbis paucis quam cito
Alium fecisti me! alius ad te veneram.
Sed, ut occepisti, perge porro proloqui.
C. Quid tibi ego dicam, qui illius sapientiam
Et meam fidelitatem, et celata omnia,
Pæne ille ignavos funditus pessum dedit?
M. Quidum? C. Quia, rure dum sū ego unos sex dies,
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Ædes venales hasce inscribit literis.
M. Adesurivit magis, et inhiavit acrius
Lupus: observavit, dum dormitarent canes;
Gregem universum voluit totum avortere.
C. Fecisset, edepol, ni hæc præsensisset canes.
Sed nunc rogare ego vicissim te volo,
Quid fuit officium meum me facere, face sciam.
Utrum indicare me ei thesaurum æquum fuit,
Advorsum quam eius me obsecravisset pater;
An ego alium dominum paterer fieri hisce ædibus?
Qui emisset, eius essetne ea pecunia?
Emi egomet potius ædis, argentum dedi
Thesauri causa, ut salvum amico traderem.
Neque adeo hasce emi mihi, nec usuræ meæ:
Illi redemi rursum: a me argentum dedi.
Hæc sunt, seu recte, seu perverse facta sunt;
Egomet fecisse confiteor, Megaronides.
Hem mea malefacta! hem meam avaritiam tibi!
Hascine me propter res maledicta differunt?
M. Pausa! vicisti castigatorem tuum:
Occlusti linguam: nihil est, qui respondeam.
C. Nunc ego te, quæso, ut me opera et consilio iuves,
Communicesque hanc mecum meam provinciam.
M. Polliceor operam. C. Ergo ubi eris paulo post?
M. Domi.
C. Numquid vis? M. Cures tuam fidem. C. Fit sedulo.
M. Sed quid ais? C. Quid vis?
M. Ubi nunc adolescens habet?
C. Posticulum hoc recepit, cum ædis vendidit.
M. Istuc volebam scire: i sane nunc iam.
Sed quid ais? C. Quid?
M. Nunc virgo nempe apud te est? C. Ita, est:
Iuxtaque eam curo cum mea. M. Recte facis.
C. Numquid, priusquā abeo, me rogaturu 's? M. Va-
Nihil est profecto stultius, neque stolidius, (le.
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,
Qui illorum verbis falsis acceptor fui:
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
Quod quisq; in animo habet, aut habituru 'st, sciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Iove:
Quæ neque futura, neque sunt, tamen illi sciunt.
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, sciant.
Omnes mortales hunc aibant Calliclem
Indignum civitate hac esse et vivere,
Bonis qui hunc adolescentem evortisset suis.
Ego, de eorum verbis famigeratorum, inscius
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas,
Unde quidquid auditum dicant, nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno et malo:
Hoc, ita si fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qui sciant, quod nesciunt,
Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

ACTUS II. SCENA I. *Lysiteles.*

Multas res simitu' in meo corde vorso; multum in cogitando
Dolorem indipiscor: egomet me concoquo, et macero, et defatigo.
Magister mihi exercitor animus hinc est: sed hoc non liquet,
Nec satis cogitatum 'st, utram potius harum mihi artem expetessam,
Utram ætati agundæ arbitrer firmiorem: amorin' me, an rei
Obsequi potius par siet: utra in parte plus voluptatis sit vitæ,
Ad ætatem agundam, de hac re mihi satis haud liquet; nisi hoc
Sic faciam opinor: utramque rem simul exputem: iudex sim,
Reusque, ad eam rem. Ita faciam: ita placet. Omnium primum,
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. Nunquam
Amor quemquam, nisi cupidum hominem, postulat se in plagas
Conicere: eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur: ab re
Consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cupes, avarus,
Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator: nam qui ab eo, quod amat,
Quam extemplo saviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes.
Ibi ille cuculus: Ocelle mi! fiat. Et istuc, et si amplius vis dari,
Dabitur: ibi illa pendentem ferit: iam amplius orat. Non sat
Id est mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comest,
Quod facit sumti: nox datur? ducitur familia tota:

Vestisplicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuntii, renuntii, raptores penis et peni.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. Hæc ego cum ago
Cum meo animo, et recolo, ubi qui eget, quam preti sit parvi: apage te,
Amor! non places; nihil te utor: quamquam illud est dulce, esse et bibere.
Amor amara dat tibi satis, quod ægre sit. Fugit forum; fugat tuos
Cognatos, fugat ipse se a suo contuitu.
Neque enim eum sibi amicum volunt dici. Mille modis amor ignorandu' st:
Procul adhibendus est, atque abstinendus: nam, qui in amorem
Præcipitavit, peius perit, quam si saxo saliat. Apage ais, amor!
Tuas res tibi habe! Amor, mihi amicus ne fuas unquam: sunt tamen,
Quos miseros maleque habeas, quos tibi obnoxios fecisti.
Certum 'st ad frugem applicare animum; quamquam ibi animo
Labos grandis capitur. Boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam, et gratiam. Hoc probis pretium 'st: eo mihi magis lubet
Cū probis potius, quā cū improbis vivere vanidicis.

SCENA II. *Philto, Lysiteles.*

P. Quo illic homo foras se penetravit ex ædibus?
L. Pater, assum.
Impera quod vis: neque tibi ero in mora, neque latebrose me abs tuo
Conspectu occultabo.
P. Feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum si percoles. Per pietatem! nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neque in via, neque in foro, ullum sermonem exsequi.
Novi ego hoc seculum, moribus quibus sit. Malus bonum malum
Esse volt, ut sit sui similis; turbant, miscent mores mali, rapax,
Avarus, invidus: sacrum profanum, publicum privatum, habent:
Hiulca gens. Hæc ego doleo; hæc sunt, quæ me excruciant.
Hæc, dies noctesque, tibi canto, ut caveas. Quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant:
Cætera rape, trahe, fuge, late lacrumas hæc mihi, cum video,
Eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi. Quin prius
Me ad plures penetravi? nam hi mores maiorum laudant:
Eosdem lutulant, quos collaudant. Hisce ego de artibus gratiam
Facio, neu colas, neu imbuas ingenium. Meo modo, et moribus vivito
Antiquis. Quæ ego tibi præcipio, ea facito: nihil ego istos
Moror fatuos mores, et turbidos, quibus boni dedecorant se.
Hæc tibi si mea imperia capesses, multa bona in pectore consident.
L. Semper ego usque ad hanc ætatem, ab ineunte adolescentia,
Tuis servivi servitutem imperiis et præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum esse ratus sum; pro imperio, tuum.
Meum animum tibi servitutē servire, æquom censui.
P. Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
Utrum is itane esse mavelit, ut eum animus æquom censeat,
An ita potius, ut parentes eum esse et cognati velint;
Si animus hominem perpulit, actum 'st: animo servibit, non sibi.
Sin ipse animum perpulit; dum vivit, victor victorum cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.
Nimio satius est, ut opu 'st, te ita esse, quam ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.
L. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ.
Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum;
Ne noctu irē obambulatum, neu suū adimerē alteri.
Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parai sedulo.
Sarta tecta tua præcepta usquē habui mea modestia.
P. Quid exprobras? Bene quod fecisti, tibi fecisti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta est ferme: tua istuc refert maxume.
Is probus est, quem non pœnitet, quam sit probus et frugi bonæ.
Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonæ.
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ.
L. Ob eam rem hæc, pater, autumavi, quia res quædam 'st, quam volo
Ego me abs te exorare. *P.* Quid id est? veniam iam dare gestio.
L. Adolescenti huic genere summo, amico atque æquali meo,
Minus qui caute et cogitate suam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. *P.* Nempe de tuo.
L. De meo: nam, quod tuum 'st, meum 'st: omne meum 'st autem tuum.
P. Quid is, egetne? *L.* Eget. *P.* Habuitne rem?
L. Habuit. *P.* Qui eam perdidit?
Publicisne affinis fuit, an maritumis negotiis?
Mercaturamne, an venales habuit, ubi rem perdidit?
L. Nihil istorum. *P.* Quid igitur? *L.* Per comitatem, edepol, pater.
Præterea, aliquantum, animi causa, in deliciis disperdidit.
P. Edepol, hominem prædicatum ferme familiariter.
Qui quidem nusquam per virtutem rem confregit, atque eget,
Nil moror eum tibi esse amicum cum eiusmodi virtutibus.
L. Quia sine omni malitia est, tolerare egestatem eius volo.
P. De mendico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.
Nam et illud, quod dat, perdit, et illi producit vitam ad miseriam.

Non eo hoc dico, quin, quæ tu vis, ego velim, et faciam lubens:
Sed ego hoc verbum cum illi cuidam dico, præmonstro tibi,
Ut ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.
L. Deserere illum, et deiuvare in rebus advorsis, pudet.
P. Pol, pudere quam pigere præstat, totidem literis.
L. Edepol, Deum virtute, dicam, pater, et maiorum, et tua,
Multa bona bene parta habemus: bene si amico feceris,
Ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.
P. De magnis divitiis si quid demas, plus fit, an minus?
L. Minus, pater: sed civi immunifico scis quid cantari solet?
Quod habes, ne habeas: et illud quod nunc non habes, habeas malum;
Quandoquidem nec tibi bene esse putes pati, nec alteri.
P. Scio equidem istuc ita solere fieri. Verum, gnate mi,
Is est immunis, cui nihil est, qui munus fungatur suum.
L. Deū virtute habemus, et qui nosmet utamur, pater,
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.
P. Non, edepol, tibi pernegare possum quidquam, quod velis.
Cuius egestatem tolerare vis? Loquere audacter patri.
L. Lesbonico huic adolescenti, Charmidæ filio,
Qui illic habitat. *P.* Qui comedit quod fuit, quod non fuit?
L. Ne opprobra, pater. Multa eveniunt homini, quæ volt, quæ nevolt.
P. Agedum, eloquere: quid dare illi nunc vis?
L. Nihil quidquam, pater.
Sapientiæ ætas condimentum 'st: sapiens ætati cibus est.
P. Mentire, edepol, gnate! atque id nunc facis haud consuetudine.
Nam sapiens quidem, pol, ipse fingit fortunam sibi.
Eo, ne multa, quæ nevolt, eveniunt, nisi fictor malus siet.
Multa est opera opus fictoræ, qui se fictorem probum
Vitæ agundæ esse expetit. *L.* Sed hic admodum adolescentulus.
P. Non ætate, verum ingenio, adipiscitur sapientia.
L. Tu modo ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.
P. An eo egestatem eius tolerabis, si quid ab illo acceperis?
L. Eo, pater. *P.* Pol, ego istam volo me rationem edoceas. *L.* Licet.
Scin' tu illum, quo genere natus sit? *P.* Scio; apprime probo.
L. Soror illi est adulta virgo grandis: eam cupio, pater,
Ducere uxorem. *P.* Sine dote? *L.* Sine dote.
P. Uxorem? *L.* Ita;
Tua re salva. Hoc pacto, ab illo inibis summam gratiam:
Neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.
P. Egone indotatam te uxorem ut patiar....?
L. Patiundum 'st, pater:
Et eo pacto addideris nostræ lepidam famā familiæ.
P. Multa ego possum docta dicta, et quamvis facunde, loqui:
Historiam veterem atque antiquā hæc mea senectus sustinet.
Verum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum
Video allicere; etsi advorsatus tibi fui, istac iudico.
Tibi permitto: posce, duce. *L.* Dii te servassint mihi.
Sed adde ad istam gratiam unum. *P.* Quid id est autem unum? *L.* Eloquar.
Tute ad eum adeas; tute concilies, tute poscas.
P. Eccere!
L. Nimio citius transiges: firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quam centum mea.
P. Ecce autem in benignitate hoc reperi negotium.
Dabitur opera. *L.* Lepidus vivis. Hæ sunt ædes: hic habet.
Lesbonico est nomen. Age, rem cura: ego te opperiar domi.

SCENA III. *Philto.*

Non optume hæc sunt, neque ut ego æquom censeo.
Verum meliora sunt, quam quæ deterruma.
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,
Quia, qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet,
Consulit advorsum filium, nugas agit:
Miser ex animo fit: factius nihilo facit.
Suæ senectuti is acriorem hiemem parat,
Cum illauc importunam tempestatem conciet.
Sed aperiuntur ædes, quo ibam: commode
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

SCENA IV. *Lesbonicus, Stasimus, Philto.*

L. Minus quindecim dies sunt, cū pro hisce ædibus
Minas quadraginta accepisti a Callicle.
Estne hoc quod dico, Stasime? *S.* Cum considero,
Meminisse videor fieri. *L.* Quid factum 'st eo?
S. Comesum, expotum, exunctum, elotum in balneis.
Piscator, pistor abstulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes: confit cito,
Quam si tu obiicias formicis papaverem.
L. Minus, hercle, in hisce rebus sumtum 'st sex minis.
S. Quid, quod dedisti scortis? *L.* Ibidem una traho.
S. Quid, quod ego defraudavi? *L.* Hem! ista ratio maxuma est.
S. Non tibi illud apparere, si sumas, potest:
Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.
Sero, atque stulte, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.
L. Nequaquam argenti ratio comparet tamen.
S. Ratio quidem hercle apparet: argentum οἴχεται,
Minas quadraginta accepisti a Callicle;
Et ille ædis abs te accepit mancupio. *L.* Admodum.
P. Pol, opinor, affinis noster ædes vendidit.
Pater cum peregre veniet, in porta est locus,
Nisi forte in ventrem filio correpserit.
S. Trapezitæ mille drachumarum Olympicum,
Quas de ratione debuisti, redditæ. (inquito.
L. Nempe quas spopondi. *S.* Immo, quas dependi,
Quas sponsione pronuper tu exactus es
Pro illo adolescente, quem tu aibas esse divitem.
L. Factum. *S.* Ut quidem illud perierit.
L. Factum id quoque est.
Nam nunc eum vidi miserū, et me eius miseritū 'st.
S. Miseret te aliorum: tui te nec miseret, nec pudet.
P. Tempus adeundi est. *L.* Estne hic Philto, qui advenit?
Is, hercle, est ipsus. *S.* Edepol, næ ego istum velim

Meum fieri servom cum suo peculio.
P. Herum atque servum plurimum Philto iubet
Salvere, Lesbonicum et Stasimum. *L.* Dii duint
Tibi, Philto, quæcumque optes. Quid agit filius?
P. Bene volt tibi. *L.* Edepol, mutuom mecum facit.
S. Nequam illud verbum 'st, Bene volt, nisi qui
bene facit.
Ego quoque volo esse liber; nequidquam volo:
Hic postulet frugi esse; nugas postulet.
P. Meus gnatus me ad te misit, inter se atque vos
Affinitatem ut conciliarem et gratiam.
Tuam volt sororem ducere uxorem: et mihi
Sententia eadem 'st, et volo. *L.* Hau! nosco tuum:
Bonis tuis rebus meas res irrides malas
P. Homo ego sū; homo tu es: ita me amabit Iupiter;
Neque te derisum veni, neque dignum puto.
Verum hoc, ut dixi, meus me oravit filius,
Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.
L. Mearum rerum me novisse æquom 'st ordinem.
Cum vostris nostra non est æqua factio.
Affinitatem vobis aliam quærite.
S. Satin' tu sanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium esse amicum inventū intelligo. (vetes.
L. Abin' hinc dierecte? *S.* Si, hercle, ire occipiam,
L. Nisi quid me aliud vis, Philto, respondi tibi.
P. Benigniorem, Lesbonice, te mihi,
Quam nunc experior esse, confido fore:
Nam et stulte facere, et stulte fabularier,
Utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum 'st.
S. Verū, hercle, hic dicit. *L.* Oculū ego effodiā tibi,
Si verbum addideris. *S.* Hercle, quin dicam tamen.
Nam, si sic non licebit, luscus dixero.
P. Ita tu nunc dicis non esse æquiparabiles
Vostras cum nostris factiones atque opes? (ris,
L. Dico. *P.* Quid? nunc si in ædem ad cœnam vene-
Atque ibi, opulentus tibi par forte ut venerit,
Apposita sit cœna, popularem quam vocant,
Si illi congestæ sint epulæ a clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congestum siet,
Edisne, an incœnatus cum opulento accubes? (tet,
L. Edim, nisi ille vetet. *S.* At, pol, ego, et iamsi ve-
Edim, atque ambabus malis expletis vorem:
Et, quod illi placeat, præripiam potissumum;
Neque illi concedam quidquam de vita mea.
Verecundari neminem apud mensam decet:
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
P. Rem fabulare. *S.* Non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de via, de semita,
De honore populi: verum, quod ad ventrem attinet,
Non, hercle, hoc, longe, nisi me pugnis vicerit.
Cœna, hac annona, est sine sacris hæreditas.
P. Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
Id optumum esse, tute uti sis optumus:
Si id nequeas, saltem ut optumis sis proxumus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, et quam abs
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo. (te peto,
Dei divites sunt; Deos decent opulentiæ
Et factiones. Verum nos homunculi,
Satillum animæ qui cum extemplo amisimus,
Æquo mendicus atque ille opulentissumus
Censetur censu ad Acherontem mortuus.
S. Mirum, ni tu illuc tecum divitias feras,
Ubi mortuus sis, [uti] sis, ut nomen cluet.
P. Nunc ut scias hic factiones atque opes
Non esse, neque nos tuam negligere gratiam,
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quæ res bene vortat! habeon' pactam? quid taces?
S. Pro, Dii immortales! conditionem quoiusmodi!
P. Quin fabulare. Dii bene vortant! spondeo.
S. Eheu! ubi usus nihil erat dicto, Spondeo,
Dicebat: nunc hic, quom opus est, non quit dicere.
L. Cum affinitate vostra me arbitramini
Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam.
Sed, etsi, hercle, graviter cecidit stultitia mea,
Philto; est ager sub urbe hic nobis; eum dabo
Dotem sorori: nam is de stultitia mea
Solus superfit, præter vitam, reliquus.
P. Profecto dotem nil moror. *L.* Certum 'st dare.
S. Nostramne vis nutricem, here, quæ nos educat,
Abalienare a nobis? cave sis feceris.
Quid edemus nosmet postea? *L.* Etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam? *S.* Plane periimus,
Nisi quid ego comminiscor. Philto, te volo.
P. Si quid vis, Stasime. *S.* Huc concede aliquantum.
P. Licet.
S. Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat,
Neve aliusquisquam. *P.* Crede audacter, quid lubet.
S. Per Deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum siris unquam fieri, neque gnati tui.
Ei rei argumentum dicam. *P.* Audire, edepol, lubet.
S. Primum omnium, olim terra cum proscinditur,
In quinto quoque sulco moriuntur boves.
P. Apage! *S.* Acherontis ostium in nostro 'st agro.
Tum vinum, priusquam coactum 'st, pendet putidū.
L. Consuadet homini, credo. Etsi scelestus est,
At mihi infidelis non est. *S.* Audi cætera.
Post id, frumenti quom alibi messis maxuma 'st,
Tribus tantis illi minus redit, quam obseveris.
P. Hem! istic oportet obseri mores malos,
Si in obserundo possint interfieri.
S. Neque unquam quisquam est, quoius ille ager fuit,
Quin pessume ei res vorterit, quoium fuit.
Alii exulatum abierunt, alii emortui,
Alii se suspendere. Hem! nunc hic, cuius est,
Ut ad incitas redactus! *P.* Apage a me istum agrum!
S. Magis Apage dicas, si omnia a me audiveris.
Nam fulguritæ sunt hic alternæ arbores.
Sues moriuntur angina acerrume. (manus.
Oves scabræ sunt, tam glabræ, hem! quam hæc est
Tum autem Syrorū, genus quod patientissumum 'st
Hominum, nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.
P. Credo ego istuc, Stasime, ita esse: sed Campas ge-
Multum Syrorum iam antidit patientia. (nus
Sed iste est ager profecto, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnes puplice mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quo cuncti, qui ætatem egerunt caste suam,
Conveniant: contra istoc detrudi maleficos
Æquom videtur, qui quidem istius sit modi.
S. Hospitium 'st calamitatis. Quid verbis opu 'st?
Quamvis malam rem quærens, illic reperias.
P. At tu, hercle, et illi et alibi. *S.* Cave sis dixeris,
Me tibi dixisse hoc. *P.* Dixisti arcano satis.
S. Quin hic quidem cupit illum ab sese abalienarier;
Si quidē reperire possit, cuius os sublinat. (quidē.
P. Meus quidem, hercle, nunquam fiet. *S.* Si sapies
Lepide, hercle, de agro ego hunc senem deterrui:
Nam, qui vivamus, nihil est, si illum amiserit.
P. Redeo ad te, Lesbonice. *L.* Dic, sodes, mihi,
Quid hic locutu 'st tecum? *P* Quid censes? homo 'st;
Volt fieri liber: verum, quod det, non habet.
L. Et ego esse locuples: verum nequidquam volo.
S. Licitum, si velles: nunc, quoniam nihil est, non
licet.
L. Quid tecum, Stasime? *S.* De istoc quod dixisti
Si antea voluisses, esses: nunc sero cupis. (modo

P. De dote mecum convenire nihil potes:
Quid tibi lubet, tute agito cum gnato meo.
Nunc tuam sororem filio posco meo:
Quæ res bene vortat! Quid nunc? etiam consulis?
L. Quid istic? quando ita vis, Dii bene vortant! spondeo.
P. Nunquam, edepol, quoiquã tam exspectatus filius
Natus, quam est illud, Spondeo, natum mihi.
S. Dii fortunabunt vostra consilia! *P.* Ita volo.
L. Sed, Stasime, abi huc ad meã sororẽ, ad Callicleм:
Dic, hoc negoti quomodo actũ 'st. *S.* Ibitur.
L. Et gratulator meæ sorori. *S.* Scilicet.
P. I hac, Lesbonice, mecum, ut coram nuptiis
Dies constituatur: eadem hæc confirmabimus.
L. Tu istuc cura, quod iussi: ego iam hic ero.
Dic Callicli, me ut conveniat. *S.* Quin tu i modo.
L. De dote, ut videat, quid opus sit facto. *S.* I modo!
L. Nam certum 'st me sine dote haud dare.
S. Quin tu i modo!
L. Neque enĩ illi damno unquã esse patiar. *S.* Abi modo!
L. Meam negligentiam. *S.* I modo! *L.* O pater!
Æquum videtur, quin, quod peccarim, *S.* I modo!
L. Potissumum mihi id obsit. *S.* I modo! *L.* O pater!
En unquam aspiciam te? *S.* I modo! i modo! i modo!
Tandem impetravi abiret. Dii, vostram fidem!
Edepol, re gesta pessume, gestam probe,
Siquidem ager nobis salvos est! etsi admodum
In ambiguo est etiam, nunc quid de hac re fuat.
Sed, si alienatur, actum 'st de collo meo.
Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina.
Effugiet ex urbe, ubi erunt factæ nuptiæ:
Ibit istac aliquo in maxumam malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quo mihi imperatũ 'st, etsi odi hanc domum,
Postquam exturbavit hic nos ex nostris ædibus.

ACTUS III. SCENA I. *Callicles, Stasimus.*

C. Quo modo tu istuc, Stasime, dixisti? nostrum herilem filium
Lesbonicũ suam sororẽ despopondisse? *S.* Hoc modo.
C. Quoi homini despopondit? *S.* Lysiteli, Philtonis filio,
Sine dote. *C.* Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. *S.* At tu, edepol, nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero. *C.* Quid? *S.* Me nihili pendere.
C. Quamdudum istuc, aut ubi, actum 'st? *S.* Illicò hic ante ostium.
Tam modo, inquit Prænestinus. *C.* Tanton', in re perdita,
Quam in re salva, Lesbonicus factus est frugalior?
S. Atque equidem ipsus ultro venit Philto oratum filio.
C. Flagitium quidem, hercle, fiet, nisi dos dabitur virgini.
Postremo, edepol, ego istam rem ad me attinere intelligo.
Ibo ad meũ castigatorẽ, atque ab eo consiliũ petam.
S. Propemodum, quid illic festinet, sentio, et subolet mihi,
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit ædibus.
O here Charmide! quam, absente te, hic tua res distrahitur tibi!
Utinam te redisse salvom videam, ut inimicos tuos
Ulciscare; et mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam!
Nimium difficile 'st reperiri amicum, ita ut nomen cluet,
Cui tuam cum rem credideris, sine omni cura dormias.
Sed generum nostrum ire eccillum video cum affini suo.
Nescio quid non satis inter eos convenit. Celeri gradu
Eunt uterque: ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euscheme astiterunt. Huc aliquantum abscessero.
Est lubido orationem audire duorum affinium.

SCENA II. *Lysiteles, Lesbonicus, Stasimus.*

Ly. Sta illico. Noli avorsari; neque te occultassis mihi.
Le. Potin' ut me ire, quo profectus sum, sinas?
Ly. Si in rem tuam,
Lesbonice, esse videatur, gloriæ aut famæ, sinam.
Le. Quod est facillumum, facis. *Ly.* Quid id est?
Le. Amico iniuriam.
Ly. Neque meum 'st, neque facere didici.
Le. Indoctus quam docte facis!
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi?
Qui, bene cum simulas facere mihi te, male facis, male consulis.
Ly. Egone? *Le.* Tu, næ. *Ly.* Quid male facio?
Le. Quod ego nolo, id cum facis.
Ly. Tuæ rei bene consulere cupio. *Le.* Tu mihi es melior, quam egomet mihi?
Sat sapio; satis, in rem quæ sint meam, ego conspicio mihi.
Ly. An id est sapere, ut qui beneficium a benevolente repudies?
Le. Nullum beneficium esse duco id, quod, cui facias, non placet.
Scio ego, et sentio ipse, quid agam; neque a me officium migrat:
Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.
Ly. Quid ais? (nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres)
Itane tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes?
Atque honori posterorum tuorum ut vindex fieres,
Tibi paterque avusque facilem fecit et planam viam
Ad quærundum honorem: tu fecisti, ut difficilis foret,
Culpa maxome et desidia, tuisque stultis moribus.
Præoptavisti, amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? Ah! non ita est.
Cape sis virtutẽ animo, et corde expelle desidiã tuo:
In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es.
Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto;
Ut tibi sit, qui te corrigere possis; ne omnino inopiam
Cives obiectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
Le. Omnia ego, istic quæ dixisti, scio, vel exsignavero:
Ut rem patriam et maiorum gloriã fœdarim meum.
Sciebã, ut esse me deceret: facere non quibam miser:
Ita vi Veneris victus, otio captus, in fraudem incidi:
Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.
Ly. At operam perire meam sic, et te hæc dicta corde spernere,
Perpeti nequeo: simul me piget parum pudere te.

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor:
In occulto iacebis, cum te maxume clarum voles.
Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse: atque ipse amoris teneo omnes vias.
Ita est amor, ballista ut iacitur: nihil sic celere est, neque volat:
Atque is mores hominum moros et morosos efficit.
Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.
Cum inopia 'st, cupias; quando eius copia 'st, tum non velis.
Ille qui aspellit, is compellit: ille, qui consuadet, vetat.
Insanum 'st malum in hospitium devorti ad Cupidinem.
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si istuc, ut facis indicium, conare, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aquæ erit cupido, genus qui restinguas tuum.
Atque erit, si nactu 's, proinde ut corde amantes sunt cati;
Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuum.
Le. Facile est inventu: dator ignis, tametsi ab inimicis petas.
Sed tu, obiurgans me, a peccatis rapis deteriorem in viam.
Meam vis sororem tibi dem: suades, sine dote: hoc non convenit;
Me, qui abusus sum tantam rem patriam, porro in divitiis
Esse, agrumque habere: egere illam autem; ut me merito oderit.
Nunquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem.
Sicut dixi, faciam: nolo te iactari diutius. (sequi,
Ly. Tanto melius 'st te sororis causa egestatem ex-
Atque eum agrum me habere, quam te, tua qui toleres mœnia?
Le. Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves,
Sed, ut inops infamis ne sim: ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse, magis quam in matrimonium.
Quis me improbior perhibeatur esse? hæc famigeratio
Te honestet, me autem collutulet, si sine dote duxeris:
Tibi sit emolumentum honoris; mihi quod obiectent, siet.
Ly. Quid? te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?
Le. Neque volo, neque postulo, neque censeo. Verum tamen
Is est honos homini pudico, meminisse officiū suum.
Ly. Scio equidem te, animatus ut sis: video; subolet: sentio.
Id agis, ut, ubi affinitatem inter nos nostram adstrinxeris,
Atque eum agrum dederis, nec quidquam hic tibi sit, qui vitam colas,
Effugias ex urbe inanis, profugus patriam deseras,
Cognatos, affinitatē, amicos, factis nuptiis: (ment.
Mea opera hinc proterritū te, meaque avaritia, autu-
Id, me commissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
S. Non enim possum quin exclamem: Euge! euge, Lysiteles! πάλιν!
Facile palmā habes! Hic victus: vicit tua comœdia.
Hic agit magis ex argumento, et versus meliores facit.
Etiam ob stultitiam tuam te tueris? multam abomina.
Le. Quid tibi interpellatio, aut in consilium huc accessio est?
S. Eodem pacto, quo huc accessi, abscessero.
Le. I hac mecum domum,
Lysiteles: ibi de istis rebus plura fabulabimur.
Ly. Nihil ego in occulto agere soleo: meus ut animus est, eloquar:
Si mihi tua soror, ut ego æquum censeo, ita nuptum datur
Sine dote, neque tu hinc abiturus 's; quod meum erit, id erit tuum:
Sin aliter animatus es, bene, quod agas, eveniat tibi.
Ego amicus nunquam tibi ero alio pacto. Sic sententia est.
S. Abiit, hercle, ille quidem: ecquid audis, Lysiteles? ego te volo.
Hic quoque hinc abiit. Stasime, restas solus. Quid ego nunc agam?
Nisi uti sarcinam constringam, et clypeum ad dorsum accomodem;
Fulmentas iubeam suppingi soccis: non sisti potest.
Video caculam militarem me futurum haud longius:
Aut aliquem ad regem in saginam herus se [coniecit] meus.
Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore;
Et capturum spolia ibi illum, qui meo hero advorsus venerit.
Egomet autem, quom extemplo arcum mihi, et pharetram, et sagittas sumsero,
Cassidem in caput, dormibo placide in tabernaculo.
Ad forum ibo: nudius sexto quoi talentū mutuum
Dedi, reposcam, ut habeam, mecum quod feram viaticum.

Scena III. *Megaronides, Callicles.*

M. Ut mihi rem narras, Callicles, nullo modo
Potest fieri prorsus, quin dos detur virgini.
C. Namque, hercle, honeste fieri ferme non potest,
Ut eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cum eius rem penes me habeam domi.
M. Parata dos domi 'st, nisi exspectare vis,
Ut eam sine dote frater nuptum collocet:
Post adeas tute Philtonem, et dotem dare
Te ei dicas: facere id eius ob amicitiam patris.
Verum hoc ego vereor, ne istæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.
Non temere dicant te benignum virgini,
Datam tibi dotem, ei quam dares, eius a patre:
Ex ea largitari te illi; atque ita, ut sit data, incolumem te sistere illi, et detraxe, autument.
Nunc si opperiri vis adventum Charmidis,
Perlongum 'st: huic ducenti interea abscesserit.
C. Nam, hercle, omnia istæc veniunt in mentē mihi.
M. Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeam Lesbonicum, edoceam, ut res se habet.
C. Ut ego nunc adolescenti thesaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac lasciviæ?

Minume, minume, hercle vero! nam certo scio
Locum quoque illum omnem, ubi situ 'st, comederit.
Quem fodere metuo, sonitum ne ille exaudiat,
Neu ipsam rem indaget, dotem dare si dixerim.
M. Quo pacto ergo igitur? *C.* Clam dos deprumi potest,
Dum occasio ei rei reperiatur: interim
Ab amico alicunde argentum roges.
M. Potin' est ab amico alicunde exorari? *C.* Potest.
M. Gerræ! næ, tu illud verbum actutum inveneris,
Mihi quidem, hercle non est, quod dem mutuom.
C. Malim, hercle, ut verum dicas, quam ut des mutuum.
M. Sed vide consilium, si placet. *C.* Quid consili 'st?
M. Scitum, ut ego opinor, consilium inveni.
C. Quid est?
M. Homo conducatur aliquis iam, quantum potest,
Quasi sit peregrinus. *C.* Quid is scit facere postea?
M. Is homo exornetur graphice in peregrinū modum,
Ignota facie, quæ non visitata sit;
Falsidicum, confidentem. *C.* Quid tum postea?
M. Quasi ad adolescentem a patre ex Seleucia
Veniat, salutem ei nuntiet verbis patris,
Illum bene gerere rem, et valere et vivere,
Et eum rediturum actutum. Ferat epistolas
Duas: eas nos consignemus, quasi sint a patre:
Det alteram illi; dicat, alteram tibi
Dare sese velle. *C.* Perge porro dicere.
M. Seque aurum ferre virgini dotem a patre
Dicat; patremque id iussisse aurū tibi dare.
Tenes iam? *C.* Propemodum! atque ausculto perlubens.
M. Tum tu igitur demum id adolescenti aurū dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium.
C. Scite, hercle, sane. *M.* Hoc, ubi thesaurum effoderis,
Suspicionem ab adolescente amoveris.
Censebit aurum esse a patre allatum tibi.
Tu de thesauro sumes. *C.* Satis scite et probe:
Quamquam hoc me ætatis sycophantari pudet.
Sed, epistolas quando obsignatas afferet,
Siquidem obsignatas attulerit epistolas,
Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum novisse? *M.* Etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem causæ possunt colligi:
Illum, quem habuit, perdidit; aliū post fecit novom.
Iam, si obsignatas non feret, dici hoc potest,
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse. In huiusmodi negotio
Diem sermone terere, segnities mera 'st.
Quamvis sermones possunt longi texier.
Abi ad thesaurum iam confestim clanculum;
Servos, ancillas amove: atque audin'? *C.* Quid est?
M. Uxorem quoque ipsam hanc rem ut celes, face.
Nam, pol, tacere nunquam quidquam 'st quod queat.
Quid nunc stas? quin te hinc amoves, et te moves?
Aperi; deprome inde auri ad hanc rem quod sat est.
Continuo operito denuo; sed clanculum,
Sicut præcepi: cunctos exturba ædibus.
C. Ita faciam. *M.* At enim nimis longo sermone utimur.
Diem conficimus, quod iam properato 'st opus.
Nihil est, de signo quod verere; me vide.
Lepida est illa causa, ut commemoravi, dicere,
Apud portitores esse inspectas: denique
Diei tempus non vides? Quid illum putas,
Natura illa atque ingenio? Iamdudum ebriu 'st.
Quidvis probari poterit. Tum, quod maxumum 'st,
Afferre, non petere, hic se dicet. *C.* Iam sat est.
M. Ego sycophantam iam conduco de foro;
Epistolasque iam consignabo duas,
Eumque huc ad adolescentem meditatum probe
Mittam. *C.* Eo ego igitur intro ad officium meum.
Tu istuc age. *M.* Actum reddam. * * *

ACTUS IV. SCENA I. *Charmides.*

Salsipotenti et multipotenti Iovis fratri Neptuno, et Nerei,
Lætus, lubens, laudes ago, et grates gratiasque habeo, et fluctibus salsis,
Quos penes mei potestas, bonis meis quid foret, et meæ vitæ:
Quom suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt.
Atque ego, Neptune, tibi, ante alios Deos, gratias ago atque habeo summas.
Nam te omnes sævomque severumque atque avidis moribus commemorant,
Spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum; contra opera expertus:
Nam, pol, placido te et clementi, meo usque modo, ut volui, usus sum in alto.
Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam, et nobiles apud homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.
Abi, laudo: scis ordine, ut æquom 'st,
Tractare homines. Hoc Dis dignum 'st, semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti: infidum esse iterant: nam, absque foret te, sat scio, in alto
Distraxissent, disque tulissent satellites tui me miserum fœde,
Bonaque omnia item una mecum passim cœruleos per campos.
Ita iam, quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti:
Imbres fluctusque atque procellæ infensæ frangere malum,
Ruere antennas, scindere vela, ni tua pax propitia foret præsto.
Apage me sis: deinde hinc certum 'st otio me dare: satis partum habeo.
Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro!
Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque
Simul? Pol! quanquam domum cupio, opperiar, hic quam gerat rem.

SCENA II. *Sycophanta, Charmides.*

S. Huic ego diei nomen Trinummo faciam: nam ego operam meam
Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.
Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia, atque Arabia,
Quas ego neque oculis neque pedibus unquam usurpavi meis.
Viden, egestas quid negoti dat homini misero mali!
Qui ego nunc subigor, trium nummorum causa, ut has epistolas
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque novi; neque natus, necne is fuerit, id solide scio.
C. Pol, hic quidem fungino genere est; capite se totum tegit:
Illurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.
S. Ille, qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum.
Quæ voluit, mihi dixit: docuit, et præmonstravit prius,

Quomodo quidque agerem. Nunc adeo, si quid ego addidero amplius,
Eo conductor melius de me nugas conciliaverit.
Ut ille me exornavit, ita sum ornatus: argentum hoc facit. 15
Ipse ornamenta a chorago hæc sumsit suo periculo.
Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam; ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat.
C. Quam magis specto, minus placet mihi hominis facies. Mira sunt, 19
Ni illic homo 'st aut dormitator, aut sector zonarius.
Loca contemplat; circumspectat sese, atque ædis noscitat.
Credo, edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca.
Magis lubido 'st observare, quid agat: ei rei operam dabo. 23
S. Has regiones demonstravit mihi ille conductor meus:
Apud illas ædis sistendæ mihi sunt sycophantiæ.
Fores pultabo. *C.* Ad nostras ædes hic quidem habet rectam viam. 26
Hercle, opinor, mihi advenienti hac noctu agitandum 'st vigilias.
S. Aperite hoc! aperite! Heus! ecquis his foribus tutelam gerit?
C. Quid, adolescens, quæris? quid vis? quid istas pultas? *S.* Heu senex! 29
Census sum; iuratori recte rationem dedi.
Lesbonicum hic adolescentem quæro, in his regionibus
Ubi habitet, et item alterum ad istanc capitis albitudinem:
Calliclem aibat vocari, qui has mihi dedit epistolas.
C. Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quærit, et amicum meum, 34
Cui ego liberosque bonaq. commendavi, Calliclem.
S. Fac me, si scis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.
C. Quid eos quæris? aut quis es? aut unde es? aut unde advenis?
S. Multa simul rogitas! nescio quid expediam potissumum.
Si unumquidquid singillatim et placide percontabere,
Et meum nomen, et mea facta, et itinera, ego faxo, scias. 40
C. Faciam ita ut vis. Agedum, nomen tuum primum memora mihi.
S. Magnum facinus incipissis petere. *C.* Quid ita?
S. Quia, pater,
Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.
C. Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas. 45
S. Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.
C. Hic homo solide sycophanta est. Quid ais tu, adolescens? *S.* Quid est?
C. Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
S. Pater istius adolescentis dedit has duas mihi epistolas
Lesbonici: mihi est amicus.
C. Teneo hunc manifestarium. 50
Me sibi epistolas dedisse dicit. Ludam hominem probe.
S. Ita ut occepi, si animum advortas, dicam.
C. Dabo operam tibi.
S. Hanc me iussit Lesbonico suo gnato dare epistolā,
Et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.
C. Mihi quoque, edepol, quom hic nugatur, contra nugari lubet. 55
Ubi ipse erat? *S.* Bene rem gerebat. *C.* Ergo ubi?
S. In Seleucia.
C. Ab ipson' istas accepisti? *S.* E manibus dedit mihi ipse in manus.
C. Qua facie est homo? *S.* Sesquipede quidem est, quam tu, longior.
C. Hæret hæc res: siquidem ego absens sum, quam præsens, longior.
Novistin' hominem? *S.* Ridicule rogitas, quocum una cibum 60
Capere soleo. *C.* Quid est ei nomen? *S.* Quod, edepol, homini probo.
C. Lubet audire. *S.* Ille, edepol! illi, illi! væ misero mihi!
C. Quid est negoti! *S.* Devoravi nomen imprudens modo.
C. Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet,
S. Atque etiam modo vorsabatur mihi in labris primoribus. 63
C. Temperi huic hodie anteveni. *S.* Teneor manifesto miser!
C. Iamne commentatus es nomen? *S.* Deum, hercle, me atque hominum pudet.
C. Vide, homo, ut hominem noveris. *S.* Tamquam me: fieri istut solet,
Quod in manu teneas, atque oculis videas, id desideres. 69
Literis recomminiscar, C est principium nomini.
C. Callicias? *S.* Non est. *C.* Callippus? *S.* Non est.
C. Callidemides?
S. Non est. *C.* Callinicus? *S.* Non est. *C.* Callimarchus? *S.* Nil agis.
Neque adeo, edepol, floccifacio, quando egomet memini mei.
C. At enim multi Lesbonici sunt hic: nisi nomen patris
Dices, non monstrare possum istos homines, quos tu quæritas. 75
Quod ad exemplum est? coniectura si reperire possumus.
S. Ad hoc exemplum est, Char. *C.* An Chares? an Charidemus? num Charmides?
S. Hem! istic erit: qui istum Dii perdant! *C.* Dixi ego iamdudum tibi;
Te potius bene dicere æquom 'st homini amico, quam male.
S. Satin' intra labra atque dentes latuit vir minumi preti? 80
C. Ne male loquare absenti amico. *S.* Quid ergo ille ignavissumus
Mihi latitabat? *C.* Si appellasses, respondisset, nomine.
Sed ipse ubi est? *S.* Pol, illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia insula.
C. Qui homo est me insipientior, qui, ipse egomet ubi sim, quæritem?
Sed nihil disconducit huic rei. Quid ais? *S.* Quid?
C. Hoc te rogo. 85
Quos locos adisti? *S.* Nimium miris modis mirabiles.

C. Lubet audire, nisi molestum 'st.
S. Quin discupio dicere.
Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.
C. Eho! an etiam Arabia 'st in Ponto? *S.* Est; non illæc, ubi thus gignitur,
Sed ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea.
C. Nimium graphicum hunc nugatorem! Sed ego sum insipientior,
Qui, egomet unde redeam, hunc rogitem; quæ ego sciam, atque hic nesciat.
Nisi quia lubet experiri, quo evasuru 'st denique.
Quid est tibi nomen, adolescens? *S.* Pax, id est nomen mihi:
Hoc cotidianum 'st. *C.* Edepol, nomen nugatorium:
Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax! periisse illico.
Sed quid ais? quo inde iisti porro? *S.* Si animum advortas, eloquar.
Ad caput amnis, quod de cœlo exoritur sub solio Iovis.
C. Sub solio Iovis? *S.* Ita dico. *C.* E cœlo? *S.* Atque e medio quidem.
C. Eho! an etiam in cœlum escendisti? *S.* Immo, horiola advecti sumus,
Usque aqua advorsa per amnem. *C.* Eho, an etiam vidisti Iovem?
S. Alii Dii isse ad villam aibant servis depromtum cibum.
Deinde porro.... *C.* Deinde porro nolo quidquam prædices.
S. Ego, hercle, si es molestus... *C.* Nam pudicum neminem
Esse oportet, qui abs terra ad cœlum pervenerit.
S. Dimittam, ut te velle video. Sed monstra hosce homines mihi.
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epistolas.
C. Quid ais tu nunc? si forte eum ipsum Charmidem conspexeris,
Illũ, quem tibi istas dedisse commemoras epistolas,
Noverisne hominem? *S.* Næ, tu me, edepol, arbitrare belluam,
Qui quidem non novisse possim, quicum ætatem exegerim.
An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummum crederet
Philippeum quod me aurũ deferre iussit ad gnatum suum,
Atque ad amicũ Calliclem, quoi rem aibat mandasse hic suam?
Mihi concrederet, nisi me ille et ego illum nossem approbe?
C. Enimvero ego nunc sycophantæ huic sycophantari volo,
Si hunc possum illo mille nummum Philippo circumducere,
Quod sibi me dedisse dixit. Quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque oculis ante hunc diem unquam vidi, eine aurum crederem?
Cui, si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.
Aggrediundu 'st hic homo mihi astu. Heus, Pax! te tribus verbis volo.
S. Vel trecentis. *C.* Haben' tu id aurum, quod accepisti a Charmide?
S. Atque etiam Philippeum, numeratum illius in mensa manu
Mille nummum. *C.* Nempe ab ipso id accepisti Charmide?
S. Mirum quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
C. Adolescens, cedo dum istuc aurum mihi. *S.* Quod ego aurum dem tibi?
C. Quod a me te accepisse fassu 's. *S.* Abs te accepisse? *C.* Ita loquor.
S. Quis tu homo es? *C.* Qui mille nummum tibi dedi, ego sum Charmides.
S. Neque, edepol, tu is es, neque hodie is unquam eris, auro huic quidem.
Abi sis, nugator! nugari nugatori postulas.
C. Charmides ego sum. *S.* Nequidquam, hercle, es: nam nihil auri fero.
Nimis argute obrepsisti in eapse occasiuncula.
Postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factu 's Charmides.
Prius tu non eras, quam auri feci mentionem. Nihil agis.
Proin' tu te itidem, ut Charmidatus es, rursum recharmida.
C. Quis ego sum igitur, siquidẽ is non sum, qui sum?
S. Quid id ad me attinet?
Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis, mea causa, qui lubet.
Prius non is eras, qui eras: nunc is factu 's, qui tum non eras.
C. Age, si quid agis. *S.* Quid ego agam? *C.* Aurum redde. *S.* Dormitas, senex.
C. Fassu 's Charmidem dedisse aurum tibi?
S. Scriptum quidem.
C. Properas, an non properas, abire actutum ab his regionibus,
Dormitator, priusquam ego hic te iubeo mulcari male?
S. Quamobrem? *C.* Quia illum quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides,
Quem tibi epistolas dedisse aibas. *S.* Eho! quæso, an tu is es?
C. Is enimvero sum. *S.* Ain' tu tandem? is ipsusne es?
C. Aio. *S.* Ipsus es?
C. Ipsus, inquam, Charmides sum. *S.* Ergo ipsusne es? *C.* Ipsissumus.
Abi hinc ab oculis. *S.* Enimvero, sero quoniam advenis,
Vapulabis meo arbitratu et novorum ædilium.
C. At etiam maledicis? *S.* Immo, salvos quandoquidem advenis,
Dii te perdant! etsi flocci facio, an periisses prius.
Ego, ob hanc operam, argentum accepi: te macto infortunio.
Ceterũ, qui sis, qui non sis, floccũ non interduim.
Ibo ad illum, renuntiabo, qui mihi treis nummos dedit,
Ut sciat, se perdidisse. Ego abeo. Male vive et vale.
Quod Dii te omnes advenientem peregre perdant, Charmides.
C. Postquam ille hinc abiit, post loquendi libere
Videtur tempus venisse, atque occasio.
Iamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negoti fuerit ante ædis meas.
Nam epistola illa mihi concenturiat metum
In corde, et illud mille nummum quam rem agat.
Nunquam, edepol, temere tinniit tintinnabulum:
Nisi qui illud tractat aut movet, mutum 'st; tacet.
Sed quis hic est, qui huc in plateam cursum incipit?
Lubet observare, quid agat: huc concessero.

SCENA III. *Stasimus, Charmides.*

S. Stasime, fac te propere celerem; recipe te ad dominuum domum;
Ne subito metus exoriatur scapulis stultitia tua.
Adde gradum! appropera! iamdudum factum 'st, cum abisti domo.
Cava sis tibi, ue bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si abieris ab heri quæstiona. Ne destitaris currere!
Ecce hominem te, Stasime, nihili! satin' in thermopolio 6
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?
Recipe te, at recurre petare re recenti.
C. Huic, quisquis est,
Curculio 'st exercitor: is hunc hominem cursuram docet.
S. Quid? homo nihili, non pudet te? tribusne te poteriis 10
Memoria esse oblitum? an vero, quia cum frugi hominibus
Ibi bibisti, qui ab alieno facile cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Criunus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, cruricrepidæ, ferriteri, mastigiæ. 14
Inter eosne homines condalium te redipisci postulas,
Quorum eorũ unus surripuit currenti cursori solũ?
C. Ita me Dii ament, graphicum furem!
S. Quid ego, quod periit, petam?
Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper?
Quin tu, quod periit, periisse ducis? cape vorsoriam:
Recipe te ad herum.
C. Non fugitivus est hic homo, commeminit domi.
S. Utinam veteres mores, veteres parcimoniæ, 21
Potius maiori honori hic essent, quam mores mali.
C. Dii immortales! basilica hic quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit: vetera amare hunc, morem maiorum, scias.
S. Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet. 25
Ambitio iam more sancta 'st, libera 'st a legibus.
Scuta iacere, fugereq; hostes, more habent licentiã:
Petere honorem pro flagitio, more fit.
C. Morem improbum!
S. Strenuos præterire, more fit. *C.* Nequam quidem.
S. Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam,
Magis quis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis. 31
Eæ miseræ etiã ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.
C. Lubet adire atque appellare hunc: verum ausculto perlubens: 34
Et metuo, si compellabo, ne aliã rem occipiat loqui.
S. Neque istis quidquam lege sanctum 'st: leges mori serviunt.
Mores autẽ rapere properant, qua sacrũ, qua publicũ.
C. Hercle, istis malã rẽ magnã moribus dignũ 'st dari!
S. Nonne hoc publice animum advorti? nam id genus hominum omnibus 39
Universis est advorsũ, atq; omni populo male facit:
Male fidem servando, illis quoque abrogant etiã fidẽ,
Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc qui in mentem venerit mihi, reipsa modo commonitus sum. 43
Si quis mutuũ quid dederit, fit pro proprio perditum.
Cum repetas, inimicũ amicũ beneficio invenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerũ exoritur optio:
Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiseris.
C. Meus est hic quidem Stasimus servos.
S. Nam ego, talentum mutuom
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. 49
Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis
Potius, quam, id quod proxumum 'st, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. *C.* Heus tu! adsta illico. Audi, heus tu!
S. Non sto. *C.* At ego te stare volo.
S. Quid si egomet te velle nolo?
C. Ha! nimium, Stasime, sæviter!
S. Emere meliu 'st, cui imperes.
C. Pol, ego emi, atque argentum dedi.
Sed, si non dicto audiens est, quid ago?
S. Da magnum malum. 55
C. Bene mones: ita facere certum 'st.
S. Nisi quidem es obnoxius.
C. Si bonus est, obnoxius sum: sin secus est, faciam uti iubes.
S. Quid id ad me attinet, bonisne servis tu utare an malis?
C. Quia boni malique in ea re pars tibi est.
S. Partem alteram
Tibi permitto; illam alteram ad me, quod boni est, apponito. 60
C. Si eris meritus; fiet: sed respice ad me huc: ego sum Charmides.
S. Hem! quis est, qui mentionem facit homo hominis optumi?
C. Ipse homo optumos.
S. Mare, terra, cœlum, Dii, vostram fidem!
Satin' ego oculis plane video? estne ipsus, an non est? Is est.
Certe, is est! is est profecto! O mi here exoptatissume,
Salve! *C.* Salve, Stasime. *S.* Salvum te... .
C. Scio, et credo tibi. 66
Sed omitto alia: hoc mihi responde: liberi quid agunt mei,
Quos reliqui hic, filiũ atque filiã? *S.* Vivunt, valent.
C. Nempe uterque? *S.* Uterque.
C. Dii me salvom et servatum volunt.
Cætera intus otiose percontabor, quæ volo. 70
Eamus intro: sequere. S. Quo tu te agis?
C. Quonam, nisi domum?
S. Hiccine nos habitare censes?
C. Ubinam ego alibi censeam?
S. Iam.... *C.* Quid iã? *S.* Non sunt nostræ ædes istæ.
C. Quid ego ex te audio?
S. Vendidit tuus gnatus ædis. *C.* Perii!
S. Præsentariis
Argenti minis numeratis. *C.* Quot?
S. Quadraginta. *C.* Occidi! 75
Quis eas emit?
S. Callicles, cui tuam rem commendaveras,
Is habitatum huc commigravit, nosque exturbavit foras.
C. Ubi nunc filius meus habitat?
S. Hic, in hoc posticulo.
C. Male disperii!
S. Credidi ægre tibi id, ubi audisses, fore.
C. Ego miser meis periculis sum per maria maxuma
Vectus capitali periculo; per prædones plurimos 81
Me servavi; salvos redii: nunc hic disperii miser,
Propter eosdem, quorum causa fui hac ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo. Stasime! tene me.
S. Visne aquam

Tibi petam? *C.* Res quom animam agebat, tum esse offusam oportuit.

SCENA IV. *Callicles, Charmides, Stasimus.*

Ca. Quid hoc hic clamoris audio ante ædis meas?
Ch. O Callicles! O Callicles! O Callicles!
Qualine amico mea commeudavi boue!
Ca. Probo et fideli, et fido, et cum magua fide:
Et salve, et salvom te adveuisse gaudeo.
Ch. Credo omuia istæc, si ita 'st, ut prædicas.
Sed quis iste est tuus ornatus? *Ca.* Ego dicam tibi.
Thesaurum effodiebam intus, dotem, filiæ
Tuæ quæ daretur: sed intus narrabo tibi
Et hoc et alia. Sequere. *Ch.* Stasime! *S.* Hem!
Ch. Strenue
Curre in Piræeum, atque unum curriculum face.
Videbis jam illic navem, qua advecti sumus.
Iubeto Sangariuuem, quæ imperaverim,
Curare, ut efferautur: et tu ito simul.
Solutum 'st portitori iam porturium.
S. Nihil est moræ. *Ch.* I, i, ambula! actutum redi.
S. Illic su atque hic sū. *Ca.* Sequere tu hac me intro.
Ch. Sequur.
S. Hic meo hero amicus solus firmus restitit,
Neque demutavit animum de firma fide.
Quamquam labores multos * * * *
Sed hic uuus, ut ego suspicor, servat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepisse ceuseo.

ACTUS V. SCENA I. *Lysiteles.*

Hic homo est omuium homiuum præcipuus, voluptatibus gaudiisque autepoteus:
Ita commoda, quæ cupio, eveniuut: quod ago, assequitur, subest,
Subsequitur; ita gaudiis gaudium suppeditat.
Modo me Stasimus Lesbouici servos couveuit: is
Mihi dixit, suum herum peregre huc adveuisse Charmidem.
Nunc mi is propere couveuiendus est; ut, quæ cum ius filiu
Egi, ei rei fuudus pater sit potior: eo: sed fores
Hæ souitu suo mihi moram obiiciunt iucommode.

SCENA II. *Charmides, Callicles, Lysiteles, Lesbonicus.*

Ch. Neque fuit, ueque erit, neque esse quemquam homiuum in terra dum arbitror,
Cui fides fidelitasque amicum erga æquiparet suum:
Nam exædificavisset me ex his ædibus, absq; te foret.
Ca. Si quid amicum erga beue feci, aut cousului fideliter,
Non videor meruisse laudē: culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium, homiui proprium quod datur, proprium sumserit:
Quod datum utundum 'st, id repetundi copia 'st, quaudo velis.
Ch. Est ita, ut tu dicis: sed ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororē despondisse suem in tam fortem familiā,
Lysiteli quidem Philtonis filio. *Ly.* Eui me nomiuat.
Ch. Familiam optumam occupavit.
Ly. Quid ego cesso hos colloqui?
Sed maneam etiam, opinor: namque hoc commodum urditur loqui.
Ch. Vah! *Ca.* Quid est?
Ch. Oblitus intus dudum tibi sum dicere:
Modo mihi adveuieuti nugator quidā accessit obviā,
Nimis pergraphicus sycophanta: is mille nummum se auteum
Meo datu tibi ferre, et gnato Lesbonico aibat meo;
Quem egu nec qui esset norem, nequa eum aula usquam cunspexi prius.
Sed quid rides?
Ca. Meo allegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem, tuæ guatæ dotem; ut filius
Tuus, quando illi a me darem, esse allatum id abs te crederet;
Nen qui rē ipsam posset intelligere, et thesaurū tuū
Me esse penes; atque eum a me lege populi patrium posceret.
Ch. Scite, edepol!
Ca. Megarouides communis hoc meus et tuus
Benevolens commeutu 'st.
Ch. Quin collaudo cousilium, et probo.
Ly. Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere,
Solus sto; nec, quod couatus sum agere, ago? Homines colloquar.
Ch. Quis hic est, qui huc ad nos incedit?
Ly. Charmidem socerum suum
Lysiteles salutat.
Ch. Dii dent tibi Lysiteles, quæ velis.
Ca. Nou ego sum salutis dignus?
Ly. Immo, salve, Callicles.
Hunc priorem æquom 'st me habere: tunica propior pallio est.
Ch. Deos volo consilia vostra recte vortere.
Filiam meam tibi despousatam esse audio.
Ly. Nisi tu nevis.
Ch. Immo, haud nolo.
Ly. Spoudeu' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Ch. Spoudeo, et mille auri Philippum dotis.
Ly. Dotem nil moror.
Ch. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.
Postremo quod vis, non duces, nisi illud, quod non vis, feres.
Ca. Ius hic orat.
Ly. Impetrabit, te advocato atque arbitro.
Istac lege filiam tuam spoudeu' mihi uxorem dari?
Ch. Spoudeo. *Ca.* Et ego spoudeo idem hoc.
Ly. O! salvete, affines mei!
Ch. Atque, edepol, sunt res, quas propter tibi tamen succensui.
Ca. Quid ego feci?
Ch. Meum corrumpi quia perpessu 's filium.
Ca. Si id mea voluntate factum 'st, est quod mihi succenseas.
Sed sine me hoc abs te impetrare, quod volo.
Ch. Quid id est? *Ca.* Scies.
Si quid stulte fecit, ut ea missa facias omnia.
Quid quessas caput? *Ch.* Cruciatur cor mihi, et metuo. *Ca.* Quiduam id est?
Ch. Quom ille ita 'st ut esse nolo, id crucior: metuo, si tibi
Denegem, quod me oras, ne te leviorē erga me putes.
Non gravabor. Faciam ita, ut vis.
Ca. Probus es. Eo, ut illum evocem.
Ch. Miserum 'st, male promerita, ut merita, si mihi ulcisci non licet.
Ca. Aperite hoc! aperite propere! et Lesbonicum, si domi 'st, foras
Evocate: ita subitum 'st, propere quod eum conventum volo.
Le. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras?
Ca. Benevolens tuus atque amicu 's.
Le. Satin' salve? dic mihi.

Ca. Recte. Tuum patrem rediisse salvom peregre, gaudeo.
Le. Quis id ait? *Ca.* Ego. *Le.* Tun' vidisti?
Ca. Et tute idem videas licet.
Le. O pater! pater mi! salve!
Ch. Salve multum, gnate mi!
Le. Si quid tibi, pater, laboris...
Ch. Nihil evenit: ne time;
Bene re gesta, salvos redeo; si tu modo frugi esse vis,
Hæc tibi pacta 'st Callicli filia. *Le.* Ego ducã, pater;
Etiam et si quam aliam iubebis.
Ch. Quamquam tibi succensui.
Ca. Miseris una uni quidem homini 'st affatim.
Ch. Immo, huic parum 'st.
Nam, si, pro peccatis, centũ ducat uxores, parum 'st.
Le. At iam posthac temperabo.
Ca. Dicis; si facias modo.
Le. Numquid causæ est, quin uxorem cras domum ducam? *Ch.* Optumum est; licet.
Tu in perendinum paratus sis ut ducas. Plaudite.

TRUCULENTUS

DRAMATIS PERSONÆ.

DINARCHUS, *adolescens.*	STRATILAX, *servus.*
PHRONESIUM, *meretrix.*	STRATOPHANES, *miles.*
GETA, *servus.*	STRABAX, *adolescens rusticus.*
CALLICLES, *senex.*	ANCILLA *altera.*
ASTAPHIUM, *ancilla.*	

Argumentum (PRISCIANI?)

Tres unam pereunt adolescentes mulierem.
Rure unus, alter urbe, peregre tertius:
Utique ista ingenti militem tangat bolo,
Clam supposuit sibi clandestino editum.
Vi magna servos est, ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parcimonium.
Et is tamen mollitur. Miles advenit,
Natique causa dat propensa munera.
Tandem compressæ pater cognoscit omnia:
Utque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit a meretrice subditum.

Prologus

Perparvam partem postulat Plautus loci
De vostris magnis atque amœnis mœnibus,
Athenas quo, sine architectis, conferat.
Quid nunc? daturin' estis, an non? Annuunt.
Meditor equidem vobis me ablaturum sine
Mora. Quid si de vostro quidpiam orem? Abnuunt.
Eu, mehercle, in vobis resident mores pristini,
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc ventum 'st gratia.
Athenæ istæ sunto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper dum transigimus hanc comœdiam.
Hic habitat mulier, nomine quæ est Phronesium.
Hæc huius sæcli mores in se possidet;
Numquã ab amatore suo postulat id quod datum 'st;
Sed reliquum dat operam ne sit reliquum,
Poscundo atque auferundo, ut mos est mulierum.
Nam omnes id faciunt, cum se amari intellegunt.
Ea se peperisse puerum simulat Militi,
Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo.
Quid multa? ætas huic si superet mulieri,
Is, cum anima, ad eam, habentiam everrerit.

ACTUS I. SCENA I. *Dinarchus.*

Non omnis ætas ad perdiscundum sat est
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapse umquam edocet Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis.
Quot illic blanditiæ, quot illic iracundiæ
Sunt? quot sui pericla amanda! Dii, vostram fidem! (hui!
Quid peierandum 'st etiam, præter munera!
Primum-dum miros annus: is primus bolu 'st.
Ob eam tris noctes utor. Interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum,
Tentat, benignusne an bonæ frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui iaculum parat;
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum:
Sin iecit rete; pisces ne effugiant, cavet:
Dum huc dum illuc reti eos impedit
Pisces, usque adeo donicum eduxit foras.
Itidem est amator: si id, quod oratur, dedit,
Atque est benignus potiusquam frugi bonæ,
Adduntur noctes: interim ille hamum vorat.
Si semel amoris poculum accepit mere,
Eaque intra pectus se penetravit potio,
Extemplo et ipsus periit, et res, et fides.
Si iratum 'st scortum forte amatori suo,
Bis periit amator, ab re atque animo simul.
Sin alter alteri potior est, idem perit:
Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Si increbravit, ipsus gaudet, res perit.
Ita disciplina in ædibu 'st lenoniis;
Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat.
Aut aurum periit, aut conscissa pallula 'st,
Aut emta ancilla, aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum ahenum aliquod, aut lectus dapsilis,
Aut armariola Græca; aut aliquid semper est
Quod pereat, debeatque amans scorto suo.
Atque hæc celamus nos damna, una industria
Cum rem fidemque nosque nosmet perdimus,
Nequid parentes, neu cognati, sentiant.
Quos cum celamus, si faximus conscios,
Qui nostræ ætati tempestivo temperent,
Unde anteparta demus postpartoribus,
Faxim, lenonum et scortorum [multo] minus,
Et minus damnosorũ hominũ, quam nunc sunt, siet.
Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere,
Quam olim muscarum 'st, cum caletur maxume.
Nam, nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.
Ea nimia est ratio; quippe qui certo scio,
Æri plus scortorum esse iam quam ponderum:
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre habere, nisi pro tabulis, nescio,
Ubi æra perscribantur usuraria:
Accipiat illico expensa, neque censeat.
Postremo, in magno populo, in multis hominibus,
Re placida atque otiosa, victis hostibus,
Amare oportet omnes, qui, quod dent, habent.
Nã mihi hæc meretrix, quæ hic habet, Phronesium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo,
Phronesium. Nam Phronesia est sapientia.
Nam me fuisse huic fateor summum atque intimum,
Quod amantis multo pessumum 'st pecuniæ.
Eadem, postquam alium reperit, qui plus daret,
Damnosiorem, me exinde amovit loco,
Quem infestum ac odiosũ sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem. Is nunc dicitur
Venturus peregre. Eo nunc commenta est dolum,

Peperisse simulat sese, ut me extrudat foras,
Atque ut cum solo pergræcetur milite:
Eum esse simulat militem puero patrem.
Quid isti suppositum puerum opus pessumæ?
Mihi verba retur daresese? an me censuit
Celare sa potesse, gravida si foret?
Nam ego Lemno advenio Atheuas nudius tertius,
Legatus hinc quocum publico imperio fui.
Sed hæc quis mulier? Astaphium est ancillula.
Cum ea quoque etiam mihi fuit commarcium.

SCENA II. *Astaphium, Dinarchus.*

A. Ad fores auscultato, adque serva has ædis,
Ne quis adventor gravior abeat quam adveniat;
Neu qui manus attulerit steriles intro ad nos,
Gravidas foras exportet. Novi ego hominum mores;
Ita nunc adolesceutes morati sunt. Quin ei
Ut simitu' adveniunt ad scorta congerrones,
Consulta sunt consilia, quando intro advenerunt;
Unus eorum aliquis osculum amicæ usque oggerit,
Dum illi agunt quod agunt: sunt cæteri cleptæ *
Sin videant quempiam se asservare, obluduut, qui custodem
Oblectent per ioculum et ludum: de nostro sæpe édunt, quod
Fartores faciunt. Fit, pol, hoc, et pars spectatorum
Pol, hæc vos me haud mentiri. (scitis
Ibi est ibus pugnæ et virtuti, de prædonibus prædam capera.
At nos rursum lepida referimus gratiam furibus nostris:
Nam ipsi vident, cum eorum aggerimus bona: quin etiam ultro ipsi aggerunt ad nos.
D. Me illis quidem hæc verberat verbis; nam ego huic dona accongessi.
A. Commemini. Iam pol ego eum ipsum, si domi erit, mecum adducam.
D. Heus! manedum, Astaphium, priusquam abis.
A. Qui revocat? *D.* Scies:
Respice huc. *A.* Quis est? *D.* Vobis qui multa bona esse volt. *A.* Dato, si esse vis.
D. Faxo, arunt: respice huc modo.
A. In! enicas me miseram, quisquis es.
D. Pessuma, mane.
A. I, optume; odiosus es.
Dinarchusne illic est? Atque is est: it ad nos.
D. Et tu fer contra manum, et pariter
Gradere. *A.* Tibi servio, atque audiens sum imperi.
D. Tute quid agis?
A. Valeo, et validum teneo. Peregre cum advenis, cœna detur.
D. Benigne dicis. *A.* At enim, amabo, sine me ire, quo iussit. *D.* Eas.
Sed quid ais? *A.* Quid vis? *D.* Istic, quo iter inceptas, qui est? quem arcessis? *A.* Archivam
Obstetricem. *D.* Mala fœmina es.
A. Solaus sum: ea est disciplina.
D. Manifestam mendaci, mala, ta taneo.
A. Quid iam? amabo.
D. Quia te adducturam huc dixeras eum ipsum, non eampse.
Nunc mulier facta est ex viro: mala es!
A. Præstigiator!
D. Sed tandem loquere: quis is homo est, Astaphium? novus amator?
A. Nimis otiosum arbitror hominem esse te.
D. Quianam arbitrare?
A. Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.
D. Vos me reddidistis otiosum. *A.* Quid iā? amabo.
D. Ego expedibo:
Rē perdidi apud vos: cū re meū negotium abstulistis.
Si rem servassem, fuit, ubi negotiosus essem.
A. An tute bene rem publicam aut amoris alia lega
Habere posse te postulas, quin tu otiosus fias?
D. Illa, haud ago, habuit publicum: pervorse interpretaris.
Nam, advorsum legem, a me, ob meam scripturam, pecudam cepit,
Æraque. *A.* Idem, quod tu facis, faciunt rei male generutes:
Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos.
D. Mala vortit res pecuaria mihi apud vos: nunc vicissim
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
A. Non arvus hic, sed pascuus est ager. Si arationes
Habituris, qui arari solent, ad pueros ire melius est.
Hunc nos habemus publicum: illi alii sunt publicani.
D. Utrosque porcognovi utrobidem.
A. Istoc, pol, tu otiosu 's,
Cum et illic at hic pervorsus es: sed utris cū rem esse
D. Procaciores estis vos, sed illi periuriosi. (mavis?
Illis, perit, quidquid datur; neque ipsis apparat quidquam.
Vos saltem, si quid quæritis, et bibitis, et comestis.
Postremo, illi sunt improbi, vos nequam et gloriosæ,
Malæque. *A.* Quæ iu nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche,
Et nostram et illorum vicem. *D.* Qui istuc?
A. Rationem dicam:
Quia, qui alterum incusat probri, cum ipsum se intueri oportet.
Tu a nobis, sapiens, nihil habes: nos nequam abs te habemus.
D. O Astaphium! haud istoc modo solita es me ante appellare,
Sed blande: cum illuc, quod apud vos nunc est, apud me haberem.
A. Dum vivit, hominem noveris: ubi mortuus est, quiescas.
Te, dū vivebas, noverā. *D.* Au me mortuū arbitrare?
A. Qui potis est, amabo, planius? qui antehac amator summus
Habitu 'st, istunc ad amicam meras querimonias referre.
D. Vostra, hercle, factū iniuria, quæ properavistis olī
Rapere: otiose oportuit, dio ut essē incolumis vobis.
A. Amator simili 'st oppidi hostilis. *D.* Quo argumento est? *A.* Quam-
primū expugnari potis est amator, optumū 'st amicæ.
D. Ego fateor: sed longe aliter est amicus atque amator.
Certe, hercle, quam veterrumus homini optumus est amicus.
Non, hercle, occiderunt mihi etiam fundi et ædis.
A. Cur, obsecro, ergo ante ostium pro ignoto alienoque adstas?
I intro. Haud alienus tu quidem es: nam, ecastor, neminem hodie
Mage amat corde atque animo suo, siquidem habes fundum atque ædis.
D. In melle sunt linguæ sitæ vostræ, atq; orationes,
Lacteque: corda felle sunt lita, atque acerbo aceto,
E linguis dicta dulcia datis; corde amara facitis.
Amantes si qui non dant. *A.* Non didici fabulari:
D. Non istæc mea benignitas docuit te fabulari,
Sed isti, qui cū Geniis suis belligerant, parcipromi.
Mala es, atque eadem, quæ soles, illecebra.

A. Ut exspectatus
Peregre advenisti! D. Nam, obsecro?
A. Cupiebat te hera videre.
D. Quid tandem? A. Te unum ex omnibus amat.
D. Euge, funde et ædes!
Per tempus subvenisti mihi! Sed quid ais, Astaphium? A. Quid vis?
D. Estne intus nunc Phronesiū? A. Tibi quidē intus.
D. Valetne? A. Immo, edepol, melius credo fore, ubi te videbit.
D. Hoc nobis vitium maxumum 'st: cum amamus, tum perimus.
Si illud, quod volumus, dicitur, palam cum mentiuntur,
Verum esse insciti credimus. Næ, ut in æstu, mutuamur ira.
A. Eia! haud ita res est. D. Ain' tu me amare?
A. Immo, unice unum.
D. Peperisse eam audivi.
A. Ah! obsecro, tace, Dinarche. D. Quid iam?
A. Horresco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita pæne tibi fuit Phronesium. I intro iam, amabo:
Vise illam, atque opperire ibi. Iam exibit: nā lavavit.
D. Quid ais tu? quæ nunquam fuit prægnas, qui parere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere sensi.
A. Celabat; metuebatque te illa, ne sibi persuaderes,
Ut abortioni operam daret, puerumque ut enecaret.
D. Tum, pol, isti puero quis est pater?
A. Babyloniensis miles,
Cuius nunc ista adventum expetit. Immo adeo, ut nuntiatum 'st,
Iam hic affuturum aiunt eum. Nondum advenisse miror.
D. Ibo igitur intro?
A. Quippini? tam audacter, quam domum ad te:
Nam tu, edepol, noster es etiam iam nunc, Dinarche.
D. Quam mox
Te recipis tu? A. Iā hic ero: prope est, profecta quo sū.
D. Redi vero actutum. Ego interim te apud vos opperibor.

ACTUS II. SCENA I. *Astaphium.*

Ha, ha, ha! hercle, quievi, quia introivit odium: tandem sola sum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar libere quæ volam, et quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis:
Nam fundi et ædis obligatæ sunt ob amoris prandium. Verum,
Apud hunc, mea hera consilia summa eloquitur libere: magisque
Adeo ei consiliarius hic amicus est, quā auxiliarius.
Dum fuit, dedit: nunc nihil habet: quod habebat, nos habemus:
Iste nunc id habet, quod nos habuimus; humanum facinus factum 'st.
Actutum fortunæ solent mutarier: varia vita est.
Nos divitem eū meminimus, atque iste pauperes nos.
Vorterunt sese memoriæ: stultus sit, qui id admiretur.
Si eget, necesse est nos patiatur ali; ita æquom factu est.
Piaculum 'st, misereri nos hominū rei male gerentū.
Bonis esse oportet dentibus lenam probam: arridere,
Quisquis veniat, blandeque alloqui; male corde consultare;
Bene loqui lingua. Meretricem esse similem sentis condecet;
Quemquem hominem attigerit, profecto aut malum aut damnum dari.
Nunquā amatoris meretricem oportet causā noscere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente, eum mittas militia domum.
Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicu 'st suæ.
Nugæ sunt, nisi, quod modo cum dederit, dare iam lubeat denuo.
Is amatur hic apud nos, qui, quod dedit, id oblitu 'st datum.
Dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, alium quæstum cœpiat.
Æquo animo, ipse si nihil habeat, aliis, qui habent, det locum.
Probus est amator, qui, relictis rebus, rē perdit suā.
At nos male agere prædicant viri solere secum,
Nosque esse avaras. Quæso, num qui male nos agimus tandem?
Nam, ecastor, nunquam satis dedit suæ quisquam amicæ amator:
Neque, pol, satis accepimus, neque ulla satis poposcit.
Nam, quando sterilis est amator a datis, improbu 'st.
Si negat se habere, quod det, soli pernoctandum 'st.
Nec satis accipimus, satis eum quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de thesauris integris demunt, danunt:
Velut hic agrestis est adolescens, qui hic habet,
Nimis, pol, mortalis lepidus, nimisque probus dator.
Sed is, clam patre, etiam hanc noctem illac
Per hortum transilivit ad nos: eum volo convenire.
Sed est huic unus servos violentissumus,
Qui, ubi quamque nostrarum videt prope ædis, hac si aggredias,
Itē ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit.
Is item est agrestis: sed fores, quidquid est futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam ianuæ gerit? ecquis intus exit?

SCENA II. *Stratilax, Astaphium.*

S. Quis illic est, qui tam proterve nostras ædis arietat?
A. Ego sum: respice ad me.
S. Quid, ego? Nonne ego video? væ tibi!
Quid tibi ad hasce accessio est ædis prope, aut pultatio est?
A. Salve. S. Satis mihi est tuæ salutis: nil moror non salveo.
Ægrotare malim, quam esse tua salute sanior.
Id volo scire, quid debetur hic tibi nostræ domi?
A. Comprime ....
S. Spero, meam quidem, hercle: te, qui solitu 'st, comprimat.
[Impudens, per ridiculum ut rustico suadet stuprū!]
A. Iram, dixi.
S. Ut esse cœpisti, si dem, si est una altera.
A. Nimis hic quidem Truculentus.
S. Pergin' male loqui, mulier, mihi?
A. Quid tibi ego autem dico?
S. Quia enim me Truculentum nominas.
Nunc adeo, nisi abis actutum, ac dicis, quid quæras, cito,
Iam, hercle, ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.
A. Rus merum hoc quidem est.
S. Pudendumne? tu vero, clurinum pecus,
Advenisti huc te ostentatum cum exornatis ossibus,

Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam.
An eo bella es, quia accepisti? ad me advenias.
A. Nunc places.
S. Quam me illi velim! *A.* Mentiris.
S. Dicis, quod te rogo?
Mancupium qui accipias, gesta tecum penos annuos.
A. Dignis dant.
S. Laviniæ hic sunt, quas habes victorias?
A. Ne attigas me. *S.* Tangã? ita me amabit sarculũ,
Ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem,
Cumq; eo ita noctẽ in stramentis pernoctare perpetẽ,
Quam tuas centum cœnatas noctes mihi dono dari.
Rus tu mihi opprobras? ut nacta es hominem, quem
pudeat probri!
Sed quid apud nostras negoti, mulier, est ædis tibi?
Quid tu huc occursas, in urbem quotiescumque advenimus?
A. Mulieres volo convenire vostras.
S. Quas tu mulieres
Mihi narras? ubi musca nulla fœmina est in ædibus.
A. Nullane istic mulier habitat?
S. Rus, inquam, abierunt: abi.
A. Quid clamas, insane?
S. Abire hinc ni properas grandi gradu,
Iã ego istos fictos, compositos, crispos cincinnos tuos
Unguentatos, usque ex cerebro expellam.
A. Quanam gratia?
S. Quia adeo fores nostras, unguentis uncta, es ausa
accedere,
Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.
A. Erubui, mecastor, misera propter clamorem tuum.
S. Itane? erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiundi, mala.
Buccas rubricæ, cera omne corpus intinxit tibi.
Pessumæ estis.
A. Quid est, quod vobis pessumæ hæc * * *
S. Scio ego plus, quam me arbitrare scire.
A. Quid id est, obsecro,
Quod scias? *S.* Herilis noster filius apud vos Strabax
Ut pereat, ut eũ illiciatis in malã fraudẽ et præmiũ.
A. Sanus si videare, dicam: dicis contumeliam.
Nemo hominum hic perire solet apud nos: res perdunt suas.
Ubi perdidere res, abire hinc si volunt, nudis licet.
Ego non hunc novi adolescentem vostrum.
S. Veron'? *A.* Serio.
S. Quin maceria illa ait, in horto quæ est, quæ in
noctes singulas
Latere fit minor; qua iste ad vos damni permensu'st
viam.
A. Non mirum, vetus est maceria, lateres si veteres
ruunt.
S. Ain' tu, mala, lateres veteres ruere? nunquam,
edepol, mihi
Quisquã homo mortalis posthac duarũ r[illegible]duit,
Ni ista ego vostra hero maiori facta denarravero.
A. Estne ille violentus? *S.* Suã non eni ille meretricu- (lis
Muniendis rem coegit, verum parcimoniæ
Duritiæque: quæ nunc ad vos iam exportatur, pes-
sumæ.
Hẽ tu, o sexungula! male vivitis: egone hæc mussitẽ?
Iam enim, eccere, ibo in forum, atque hæc facta nar-
rabo seni.
Neque istuc in se gestit; ergo coget exanimem mali.
A. Si, ecastor, hic homo sinapi victitet, non censeam
Tam esse tristem posse. At, pol, hero benevolens ut
is est suo!
Verum ego illum, quamquam violentu 'st, spero, mu-
tari potest
Blandimentis, ornamentis cæteris meretriciis.
Vidi equidem ex iumentis domita fieri, atque alias
belluas.
Nunc ad heram revidebo: sed, eccum, odium progre-
ditur meum.
Tristis exit: haud convenit etiã hic dum Phronesiũ.

Scena III. *Dinarchus, Astaphium.*

D. Pisces ego credo, qui usque, dum vivunt, lavant,
Minus diu lavare, quam hæc lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant,
Omnes amantes balneatores sient.
A. Non quis parumper durare, opperirier?
D. Quin, hercle, lassus iam sum durando miser.
A. Mihi quoque, præ lassitudine, opus est ut lavem.
D. Sed obsecro, hercle, Astaphiũ, i intro, ac nuntia
Me adesse. Tu i propere, et suade iam ut satis laverit.
A. Licet. *D.* Audin' etiã? *A.* Quid vis? *D.* Dii me per- (duint,
Qui te revocavi: non tibi dicebam: i modo.
A. Quid iam me revocabas, improbe nihilique homo?
Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora.
D. Sed quid hæc hic autem tamdiu ante ædis stetit?
Nescio quem præstolata est; credo, militem.
Illud est. Vide ut iam, quasi volturii triduo
Prius prædivinant, quo die esuri sient,
Illum inhiant omnes: illi est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit,
Quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.
Ut rei servire suave est! væ misero mihi!
Post factum plector, quia ante partum perdidi.
Verum, nunc si qua mihi obtigerit hæreditas
Magna atque luculenta, nunc, postquam scio,
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia,
Ita ego illam, edepol, servem, itaque parce victitem,
Ut nulla, faxim, eis dies paucos siet.
Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim.
Sed est vocis sat. Sentio aperiri fores,
Quæ obsorbent quidquid venit intra pessulos.

Scena IV. *Phronesium, Dinarchus.*

P. Num tibi nam, amabo, ianua est mordax mea,
Quo introire metuas, mea voluptas? *D.* Ver vide:
Ut tota floret! ut olet! ut nitidu nitet!
P. Qui tam inficetu 's, Lemno adveniens, qui tuæ
Non des amicæ Dinarche, savium?
D. Vah! vapulo, hercle, ego nunc, atque adeo male.
P. Quo te avortisti? *D.* Salva sis, Phronesium!
P. Salve! Hicne hodie cœnas, salvos cum advenis?
D. Promisi. *P.* Ubi cœnabis tu? *D.* Ubi tu iusseris.
Hic. *P.* Me lubente facies. *D.* Edepol, me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium.
P. Velim, si fieri possit. *D.* Cedo soleas mihi:
Properate: auferte mensam. *P.* Amabo, sanun' es?
D. Non, edepol, bibere possum iã; ita animo male est.
P. Mane: aliquid fiet: ne abi. *D.* Ah! adspersisti aquã.
Iam rediit animus: deme soleas: cedo: bibam.
P. Idem es, ecastor, qui soles: sed dic mihi,
Benene ambulavisti? *D.* Huc quidẽ, hercle, ad te bene,
Quoniam tui videndi est copia. *P.* Complectere.
D. Lubens. Ah! hoc est mel melle dulci dulcius!
Hoc tuis fortunis, Iupiter, præstant meæ.
P. Dan' saviũ? *D.* Immo, vel decẽ. *P.* Haud istoc pau- (per es.
Plus pollicere tu, quam ego a te postulo.
D. Utinam a principio rei item parsissem meæ,
Ut nunc reparcis saviis! *P.* Si quid tibi
Compendi facere possim, factum, edepol, velim.
D. Iã lavisti? *P.* Iã, pol, mihi quidẽ, atque oculis meis.
Num tibi sordere videor? *D.* Non, pol, mihi quidem.
Verum tempestas, memini, cum quondam fuit,

Cum inter nos sorderemus unus alteri.
Sed quid ego facious audivi adveniens tuum,
Quod tu hic, me absente, novi uegoti gesseris?
Cumque bene provenisti salva, gaudeo.
P. Tibi mea consilia summa semper credidi.
Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui;
Verum assimulavi me esse prægnatem; haud eram.
D. Quapropter, o mea vita? *P*. Propter militem
Babyloniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habebat anno, dum hic fuit. *D*. Ego senseram.
Sed quid istuc? quoi rei id te assimulare retulit?
P. Ut esset aliquis laqueus et redimiculum,
Revorsionem ut ad me faceret denuo.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam,
Sese experturum, quanti sese penderem:
Si quod peperissem, id, educarem ac tollerem,
Bona sua me habiturum omnia. *D*. Ausculto lubens.
Quid denique agitis? *P*. Mater ancillas iubet,
Quoniam iam decumus mensis adventat prope,
Aliam aliorsum ire, præmandare, et quærere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti nostram, quæ modo erga ædes habet.
D. Novi. *P*. Hæc una opera circumit per familias;
Puerum vestigat clanculum; ad me detulit.
Datum sibi esse dixit. *D*. O merces malæ!
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit prior,
Sed tu posterior. *P*. Ordine omnem rem tenes.
Nunc ut præmisit nuntium miles mihi,
Non multo post hic aderit. *D*. Nunc tu te interim
Quasi pro puerpera hic procuras? *P*. Quippini?
Ubi, sine labore, res geri pulchre potest,
Ad suum quemque æquum 'st quæstum esse callidū.
D. Quid me futurum 'st, quando miles venerit?
Relictusne abs te vivam? *P*. Ubi illud, quod volo,
Habebo ab illo, facile inveniam, quomodo
Divortium et discordiam inter nos parem:
Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero
Assiduo. *D*. Immo, hercle vero, accubuo mavelim.
P. Quin Diis sacruficare hodie pro puero volo,
Quinto die quod fieri oportet. *D*. Censeo.
P. Non audes aliquod dare mihi munusculum?
D. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quidpiam me poscis. *P*. At ego, ubi abstuli.
D. Immo, faxo, hic aderit. Servulum huc mittam meū.
P. Sic facito. *D*. Quidquid autem erit, boni consulas.
P. Ecastor, munus, te curaturum, scio,
Ut, cuius me non pœniteat, mittas mihi.
D. Num quidpiam me vis aliud? *P*. Ut, quando otiū
Tibi sit, ad me revisas. *D*. Valeas. *P*. Vale.
D. Pro, Dii immortales! non amantis mulieris,
Sed sociæ unanimantis, fidentis fuit
Officium facere, quod modo hæc fecit mihi;
Suppositionem pueri quæ mihi credidit;
Germanæ quod sorori non credit soror.
Ostendit sese iam mihi medullitus,
Se mihi infidelem nunquam, se viva, fore.
Egone illā ut non amem? egone illi ut non bene velī?
Me potius non amabo, quam huic desit amor.
Ego istl non munus mittam? Iam modo ex hoc loco
Iubebo ad istam quinque perferri minas:
Præterea obsonari duntaxat ad minam.
Multo illi potius bene erit, bene quæ volt mihi,
Quam mihimet, omnia qui mihi facio mala.

SCENA V. *Phronesium*.

Puero isti date mammā: ut miseræ matres sollicitæq;
Ex animo sunt, cruciantarque! Edepol, commentum male!
Cumque eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
Malæ, quam sumus ingenio. Ego prima domi modo docta dictito. 5
Quanta est cura in animo, quantū corde capio dolore,
Dolus ne occidat morte pueri! Mater dicta quod sum, eo magis
Studeo vitæ, quæ suse sum tantū clā dolū aggrediri.
Lucri causa, avara probrum sum executa: alienos dolores 8
Mihi supposivi: nullā rē oportet dolose aggrediri, nisi (si
Astute accurateq; exsequare: vosmet iā videtis,
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me esse ægram assimulo.
Male quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est; ea illi miseræ miseria 'st.
Si bene facere incepit, eius eam cito odium percipit.
Nimia quam paucæ sunt defessæ, male quæ facere occeperunt: 15
Nimis quam paucæ efficiunt, si quid occeperint bene facere.
Mulieri nimio male facere melius est onus, quā bene.
Ego, quod mala sum, matris opera mala sum, et meapte malitia,
Quæ me gravidam esse assimulavi militi Babylonio.
Eam nunc malitiam accuratam miles inveniat volo.
Iste hic haud multo post, credo, aderit: nunc prius præcaveo sciens; 21
Eumq; gero ornatū, ut gravida, quasi puerperio cubē.
Date mihi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.
Hic apponite; atque abite ab oculis. Eho, Pithecium!
Face ut accumbam: accede. Adiutare sic decet puerperam. 25
Soleas mihi duce; pallium iniice in me huc, Archilis. Ubi es,
Astaphium? fer huc verbenam mihi, thus, et bellaria.
Date aquam manibus. Nunc, ecastor, ut veniat Miles, velim.

SCENA VI. *Stratophanes, Phronesium, Astaphium*.

S. Ne expectetis, spectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duellī prædicare soleo, haud in sermonibus.
Scio ego multos memoravisse milites mendacium.
Et Homeronidæ, et post illa mille memorari potest,
Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.
Non laudandu 'st, quoi plus credit qui audit, quam qui videt. 6
Non placet, cum illi plus laudant qui audiunt, quam qui vident.
Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt.
Non placet, quem scurræ laudant, manipulares mussitant; 10
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem præstringit domi.
Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et (cati.
Facile sibi facunditatē virtus argutā invenit.
Sine virtute argutū civē mihi habeam pro præfica,
Quæ alios collaudat, eapse se vero non potest.
Nunc ad amicam, decumo mense post, Athenas Atticas 16
Viso, quam gravidam reliqui meo compressu, quid ea agat.
P. Vide, quis loquitur.

A. Iam propiuque miles, mea Phronesium,
Tibi adest Stratophanes. Nunc tibi opu 'st, ægram ut te assimules. *P.* Tace.
Quid adhuc egeo tui, malum! admonitricis? An me malaficio vincere est?
S. Peperit mulier, ut ego opinor. *A.* Vin' adeam hominem? *P.* Volo.
S. Euge! Astaphium eccam! it mihi advorsum.
A. Salva, ecastor, Stratophanes.
Venire salvom.... *S.* Scio. Sed peperitne, obsecro, Phronesium?
A. Peperit puerum nimium lepidum. *S.* Ecquid mihi simili 'st? *A.* Rogas?
Quin, ubi natu 'st machærā at clypeū poscebat sibi.
S. Meus est, scio iam de argumentis. Nimium quidem simili 'st. Papæ!
Iam magnu 'st? Iamne electat legionem, quam spoliare valit?
A. Here nudiusquintus natus quidem ille est.
S. Quid tum postea?
Inter tot dies quidem, hercle, iam actum aliquid oportuit.
Quid illi ax utero axitio est, priusquam poterat ire in prælium?
A. Consequere, atque illam saluta, at gratulare illi.
S. Sequor.
P. Ubi illa, obsecro, est, quæ me hic reliquit, atque abstitit?
A. Assum; adduco tibi exoptatum Stratophanem.
P. Ubi is est? obsecro.
S. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.
Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis,
Gratulor; cum mihi tibique magnum dedisti decus.
P. Salve, qui me interfecisti pæne et vita et lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
S. Eisi haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit istic labos:
Filium peperisti, qui ædis spoliis opplebit tuas.
P. Multo, ecastor, magis oppletis opu 'st tritici granariis;
Ne, ille priusquam spolia capiat, hic nos exstiuxit fames.
S. Habe bonum animum. *P.* Savium sis pete hinc a me. Nequeo caput
Tollere; ita dolui, itaque ego nunc doleo: neque etiam queo
Pedibus mea sponte ambulare. *S.* Si plane ex medio mari
Savium petere tuum iubeas, petere haud pigeat me, mel meum!
Id ita esse experta es, nuncque experière, mea Phronesium,
Me te amare. Adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas;
Iis te dono: adduce huc tu istas: sed istæ reginæ domi
Suæ fuere ambæ: verum patriam ego excidi manu.
Iis te dono. *P.* Pœnitetne te quot ancillæ sunt iam?
Quins etiam super adducas, quæ mihi comedint cibum? *S.* Hoc quidem
Hercle, si ingratum 'st donum, cedo tu mihi istam, puere, perulam.
Hem! mea voluptas! attuli eccam pallulam ex parva Græcia tibi.
Tene tibi. *P.* Hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?
S. Peril, hercle, miser! Iam mihi auro contra constat filius.
Etiamnū me vilipendit. Ad id, purpurā ex Sara tibi
Attuli, et induvias Ponto amœnas. Tene tibi, voluptas mea!
Accipe hoc. Adduce hasce hinc e conspectu Suras.
Ecquid amas me? *P.* Nihil, ecastor: neque meres.
S. Nihilne huic sat est?
Ne mihi verbum quidem unum dixit! viginti minis
Venire illæc posse credo dona, quæ ei dono dedi.
Vehementer nunc mihi est irata; sentio atque intellego.
Verum adibo. Quid ais nunc tu? numne vis me, voluptas mea,
Quo vocatus sum, ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? Planissume, edepol, perii! Sed quid illuc boni est?
Quis homo ast, qui inducit pompam tantam? certum 'st, quo ferant,
Observare: huic, credo, fertur: verū iā scibo magis.

SCENA VII. *Geta, Phronesium, Stratophanes.*

G. Ite ite hac simul, mulii æris, damnigerulī, foras, gerones,
Bonorum hamaxagogæ. Satine, qui amat, nequit quin nihili
Sit, atque improbis sese artibus expoliat. Nam, hoc qui sciam, nequis
Id quærat ex me, domi est, qui facit improba facta, amator;
Qui bona sua pro stercore habet, foras iubet ferri: metuit
Publicos: mundissumu' st: puras sibi esse volt ædes:
Domi quidquid habet, verritur ἔξω. Quandoquidem ipsus perditum se it,
Secreto, hercle, equidem illum adiutabo: neque mea quidem
Opera unquam nihilo minus propere, quam potest, peribit.
Nam iam, de hoc obsonio, de mina una deminui
Modo quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc assimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi:
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, misereque perit sine omni bona gratia. Hæc
Cum video fieri, suffuror, suppilo, de præda prædam,
Capio. Meretricem ego item esse reor, mare ut est: quod des, devorat; nec unquam
Abundat. At hoc saltem servat mare; quod illi subest, apparet: huic des
Quantumvis; nusquam apparet, neque datori, neque acceptrici.
Velut meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in
Pauperiem; privavit bonis, luce, honore, atque amicis.
Atat eccam! adest propinque. Credo audiisse hæc me loqui.
Pallida est, ut peperit puerum. Alloquar, quasi nesciam.
Iubeo vos salvere. *P.* Noster Geta, quid agis? ut vales?
G. Valeo, et venio ad minus valentem; et, melius qui valeat, fero.

Herus meus, ocellus tuus, ad te ferre me hæc iussit tibi
Dona, quæ illos ferre vides, et has quinque argenti minas.
P. Pol, haud perit, quod illum tantum amo. *G.* Iussit opere orare, ut hæc grata haberes tibi.
P. Grata æquaque, ecastor, habeo: iubeo auferri intro. I, Cyame:
Ecquid auditis hæc, quæ imperata sunt? *G.* Vasa nolo auferant:
Defricari lubet. *P.* Impudens, mecastor! quanti est negoti! *G.* Tun' bona fide,
Tute ais impudentem me esse, ipsa quæ sis stabulum flagiti?
P. Dic, amabo te, ubi est Dinarchus? *G.* Domi.
P. Dic, ob hæc dona, quæ
Ad me miserit, me illum amare plurimum omnium hominum:
Ergo meumque honorem illum habere omnium maxumum:
Atque, ut huc veniat, obsecrare. *G.* Ilicet. Sed quisnam illic homo est,
Qui ipsus se comest, tristis, oculis malis? Animo, hercle, homo suo est miser,
Quisquis est. *P.* Dignus est, mecastor. *G.* Ecquid est? *P.* Non novisti? obsecro.
Qui illic apud me erat, huius pater pueri illic est. Usque ad ientaculum
Iussit ali. Mansi, auscultavi, observavi. *G.* Quem pernam
Novi hominem nihili? Illic, quæso, est? *P.* Illic est.
G. Me intuetur gemens.
Traxit ex intimo ventre suspirium. Hoc vide! dentibus
Frendit: icit femur. Num, obsecro, nam hariolus, qui ipsus se verberat?
S. Nunc ego meos animos violentos, meamque iram, ex pectore
Iam promam. Loquere: unde es? quoius es? cur ausu's inclementer
Mihi dicere? *G.* Lubido est. *S.* Istuccine mihi respondes?
G. Hoc. Non ego te flocci facio. *S.* Quid tu? cur ausa es alium te
Dicere amare hominem? *P.* Lubitum 'st. *S.* Ain' tandem? Istuc primum experiar.
Tun', tantilli doni causa, olerum, atque escarum, et poscarum,
Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas, hominem non nauci? *G.* Quæ hæc res? meone hero tu, improbe,
Maledicere audes, fons viti et periuri? *S.* Verbum unum
Adde istoc; iam, hercle, ego te hic hac offatim conficiam. *G.* Tange
Modo! iam ego te hic agnum faciam, et medium distruncabo. Si tu
Ad legionem bellator clues, et ego in culina Ares.
P. Si æquom facias, adventores meos non incuses; quorum mihi
Dona accepta et grata habeo; tuaque ingrata, quæ abs te accepi.
S. Tunc, pol, ego et donis privatus sum, et perii.
G. Plane istuc est.
Quid nunc ergo hic odiose es, confessus omnibus reus?
S. Perii, hercle, hodie, nisi hunc e te abigo!
G. Accede huc modo!
Adi huc modo!
S. Etiam, scelus viri, minitare? quem ego
Offatim iam, iam, iam concipilabo. Quid tibi huc ventio est?
Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam,
Amicam meam? Emorier ocyus, si manu niceris.
G. Quid, manu nicerim? *S.* Fac, quod iussi. Mane! iam ego te hic
Offatim conficiam. *G.* Occidi! optumum 'st: captio est: istam
Machæram longiorem habes, quam hæc est: sed verum
Sine domo petere, siquidem belligerandum 'st tecum.
Ibo domum ego tecum, bellator, arbitrum æquom ceperim.
Sed ego cesso me hinc emoliri, ventre dum salvo licet?

Scena VIII. *Phronesium, Stratophanes.*

P. Datin' soleas? atque me intro actutum ducite:
Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.
S. Quid mihi futurum 'st, quoi duæ ancillæ dolent,
Quibus te donavi? Iamne abiisti? Hem! sic datur!
Quo pacto excludis? quæso, potiu' planius,
Quam exclusus nunc sum? pulchre ludificor. Sine!
Quot illo mihi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego suffringam hisce talos totis ædibus.
Num quidpiam avarum, ut ad mores mulierum?
Postquam filiolum peperit, animos sustulit:
Nunc; quasi mihi dicat, Nec te iubeo, nec veto
Introire in ædis. At ego nolo; non eo.
Ego faxo; dicat me in diebus pauculis
Crudum virum esse. Sequere me hac. Verbũ sat est.

Actus III. Scena I. *Strabax, Astaphium.*

S. Rus mane dudum hinc ire me iussit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Post illoc veni, quum advenit, si Diis placet,
Ad villam, argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis Tarentinas erat mercatus de patre.
Quærit patrem. Dico esse in urbe: interrogo,
Quid eum velit. Homo crumenam sibi de collo detrahit;
Minas viginti mihi dat. Accipio lubens:
Condo in crumenam. Ille abit: ego perperus minas
Oves in crumena hac in urbem detuli.
Fuit, edepol, Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longe absunt a lupis.
Nunc ego istos mundulos urbanos amasios
Hoc ictu exponam, atque omnes eiiciam foras.
Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum, matrem. Nunc hodie efferam
Ad hanc argentũ, quã mage amo quam matrẽ meam.
Tat! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium?
A. Quid istuc alienum 'st, amabo, mi Strabax,
Qui non extemplo intres? Anne oportuit
Ita te quidem, qui es familiaris? *S.* Ibitur;
Ne me morari censeas. *A.* Lepide facis.

Scena II. *Stratilax, Astaphium.*

S. Mirum videtur, ruri herilem filium
Strabacem non rediisse, nisi si clanculum
Collapsus est hic in corruptelam suam.
A. Iam, pol, illic me inclamabit, si adspexerit.
S. Nimio minus sævus iam sum, Astaphium, quam fui:
Iam non sum Truculentus: noli metuere.
Quid vis? *A.* Quid? tuam exspecto truculentiam.
S. Dic: impera mihi, quid vis, et quo vis modo.
Novos omnes mores habeo; veteres perdidi.
Vel amare possum, vel iam scortum ducere.

A. Lepide, mecastor, nuntias. Sed dic mihi,
Habent? *S.* Parasitum te fortasse dicera.
A. Intellexisti lepide, quid ego dicerem.
S. Heus tu! iam, postquam in urbem crebro commeo,
Dicax sum factus: iam sum cavillator probus.
A. Quid id est? amabo. *S.* Istæcce ridicularia.
A. Cavillationes vis fortasse dicere?
S. Ita, ut pauxillum differat a cavillulis. (hoc tibi:
A. Sequere intro me, amabo, mea voluptas! *S.* Tene
Rhabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
A. Perii! Rhabonem? Quam esse dicã hanc belluam?
Quin tu arrhabonem dicis? *S.* AR facio lucri;
Ut Prænestinis conia est ciconia.
A. Sequere, obsecro. *S.* Strabacẽ hic opperiar modo,
Si ruri veniat. *A.* Is quidẽ apud nos est hic Strabax:
Modo rure venit. *S.* Priusne, quam ad matrem suam?
Heu, edepol, hominem nihili! *A.* Anne autem, ut soles?
S. Immo, nihil dico. *A.* I intro, amabo: cedo manum.
S. Tene. In tabernam ducor devorsoriam,
Ubi male accipiar mea mihi pecunia.

ACTUS IV. SCENA I. *Dinarchus.*

Neque natu 'st, neque progignetur, neque potest reperirier,
Cui ego nunc dictum aut factum malius quam Veneri velim.
Dii magni! ut ego lætus sum, et lætitia differor! ita
Ad me magna nuntiavit Cyamus hodie gaudia:
Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.
Cum hoc iam volupe 'st, tum hoc nimio magnæ mellinia mihi,
Militis odiosa ingrataq; habita. Totus gaudeo. (rit.
Mea pila est: si repudiatur miles, mulier mecum pe-
Salvus sum, quia pereo: si non pereã, plane interearn.
Nunc speculabor, quid ibi agatur; quis eat intro; qui foras
Veniat: procul hinc observabo, meis quid fortunis fuat;
Quia nihil habeo, onum animos movit mihi; omnia agam precario.

SCENA II. *Astaphium, Dinarchus.*

A. Lepide efficiam meum, hera, officium; vide intus modo ut tu tuum
Item efficias. Ama, id quod decet, rem tuam: istum exinani.
Nunc dum isti lubet, dum habet, tempus ei rei obsecunda:
Prome venustatem amanti tuam, ut gaudis compares.
Ego interim hic restitrix bis præsidebo, iste dum sic faciat
Domum ad te exagogam; nec quemquam interim istoc ad vos,
Qui sit odio, intromittam: tu perge, ut lubet. Ludin' istos?
D. Qui est iste? Eia, Astaphium! indica: qui perit?
A. Amabo, hiccine tu
Eras? *D.* Molestusne sum? *A.* Nunc magis quam fuisti. Nam, nisi qui
Nobis usu est, nobis molestus. Sed, obsecro, da mi operam, ut
Narrem quæ volo. *D.* Nam quid est? num mea refert?
A. Non mu. Sed
Intus, bolos quos dat! *D.* Quid? amator novus quispiam?
A. integrum et plenum adorta est thesaurum.
D. Quis est? *A.* Eloquar.
Sed tu taceto. Novisti tun' hunc Strabacem?
D. Quidni?
A. Solus summam habet hic apud nos: nunc is est fundus nobis.
Animo bono male rem gerit. *D.* Perii, hercle, ego idem.
A. Stultus es, qui facta infecta facare verbis postules.
Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio.
D. Non ego nunc intro ad vos mittar? *A.* Quidum, quam miles, magis?
D. Quia enim plus dedi. *A.* Plus enim es intromissus, cum dabas.
Sine vicissim, qui daut operam, ob id quod daut, operis utier.
Literas didicisti: quando scis, sina alios discere.
D. Discant, dum mihi argumentari liceat, ui oblitus siem,
Quod dedi. *A.* Interea magistar dum tu commentabere.
Volt interim illa itidem commentari. *D.* Quid?
A. Rem accipere identidem.
D. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,
Prætarea unam in opsonatum. *A.* Idem istoc delatum scio.
De eo nunc bene sumus tua virtute. *D.* Illine ut inimici mea
Bona istic edant? Mortuum, hercle, me, quam ut id patiar, mavelim.
A. Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est.
Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.
Stultus es. *D.* Quid est? *A.* Opperire. *D.* Quid iam?
A. Quia, pol, mavalim.
D. Non licet de obsoni mna me participem fieri?
A. Si volebas participari, auferres dimidiũ domum.
Nam itidẽ hic ut Acherunti ratio accepti scribitur.
Intro accipimus: quando acceptum 'st, non potest ferri foras.
Bene vale. *D.* Resiste. *A.* Amitte, sine. *D.* Amitto intro. *A.* Ad te quidem.
D. Immo, istoc ad vos. *A.* Iri non potest.
D. Nimium potast.
Experiri sina. *A.* Immo, opperira. Vis est experirier.
Dicam adesse, ni occupata est. *D.* Resista, hem!
A. Frustra es. *D.* Redin',
An non? *A.* Redeam: sed vocat me, quæ in me plus potest, quam potes.
D. Uno verbo eloquar: Mittin' me intro?
A. Mendax es; abi.
Unum aibas, sed tria dixti verba, atque mendacia.
D. Abiit! intro hinc ivit! Ego ut hæc mihi patiar fieri?
Iam, hercle, ego tibi, illecebra, ludos faciam clamore in via:
Quæ advorsum legem accepisti a plurimis pecuniam.
Iam, hercle, apud omnes magistratus, faxo, erit nomen tuum.
Post, id, ego te manum iniiciam quadrupli, venefica,
Suppostrix puerum. Ego, edepol, iam tua probra aperibo omnia.
Nihili me! perdidi omne quod fuit: fio impudens;
Nec mihi adest tantillũ pensi iã, quos capiã calceos.
Sed quid ego hic clamo? Quid si me iubeat intromittier?

Conceptis, me non facturum, verbis iurem, si velit.
Nugæ sunt! si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.
De nihilo illi est irasci, quæ te non flocci facit.
Sed quid hoc est? pro, Dii immortales! Calliclem video senem,
Meus qui affinis fuit, ancillas duas constrictas duce-
Alteram tonstricem huius, alterā ancillam suā. (re,
Pertimui, postquam una cura cor meum movit modo.
Timeo, ne malefacta antiqua mea sint inventa omnia.

SCENA III. *Callicles, Ancillæ, Dinarchus.*

C. Egone tibi male dicam, aut tibi adeo male velim? ut animus meu 'st,
Propemodum expertæ estis, quam ego sim mitis tranquillusque homo.
Rogitavi ego vos verberantes et pendentes simul.
Commemini, quo quidque pacto sitis confessæ: scio.
Hic nunc volo scire, eodem pacto si sine malo fateamini.
Quanquam vos colubrino ingenio ambæ estis; edico prius,
Ne duplices habeatis linguas; ne ego bilingues vos necem:
Nisi si ad tintinnaculos vos voltis educi viros.
A. Vis subegit verum fateri; ita lora lædunt brachia.
C. At, si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini.
D. Etiā nunc, quid sit negoti, falsus incertusq; sum;
Nisi quia timeo tamen. *A.* Ego nec, quid peccavi, scio.
C. Omnium primum, diversæ state. Hem! sic: istuc volo.
Neve inter vos significetis, ego ero paries. Loquere tu.
A. Quid loquar? *C.* Quid puero factum 'st, meā quem peperit filia,
Meo nepoti? Capita rerum mihi expedite.
A. Istæ dedi.
C. Iam tace. Accepistin' puerum tu ab hac?
A. Accepi *C.* Tace:
Nihil moror præterea. Satis est fassa. *A.* Inficias non eo.
C. Iam livorem tute scapulis istoc concinnas tuis.
Conveniunt adhuc utriusque verba. *D.* Væ misero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clā quæ speravi fore.
C. Loquere tu. Qui dare te huic puerum iussit?
A. Hera maior mea.
C. Quid tu? cur eum accepisti? *A.* Hera mea rogavit me minor,
Puer ut afferretur, eaque ut celarentur omnia.
C. Loquere tu. Quid eo fecisti puero?
A. Ad meam heram detuli.
C. Quid eo puero tua hera fecit? *A.* Heræ meæ extemplo dedit.
C. Cui, malum! heræ? *A.* Duæ sunt istæ. *C.* Cave tu, nisi quod te rogo, nisi
Ea quæ exquiro. *A.* Mater filiæ dono dedit, inquam.
C. Plus quam dudum, inquam, loquere. *A.* Plus tu rogitas. *C.* Responde ocyus.
Quid illa, cui donatus est? *A.* Supposivit. *C.* Cui?
A. Sibi.
Pro filiolo. *C.* Pro filiolo? Dii, obsecro vostram fidem!
Ut facilius alia, quam illa unde est, puerum alienum parit!
Hæc labore alieno puerum peperit sine doloribus.
Puer quidem beatus! matres duas habet, et avias duas:
Iam metuo, patres quot fuerint. Vide sis facinus muliebre!
A. Magis, pol, hæc malitia pertinet ad viros, quam ad mulieres.
Vir illam, non mulier, prægnatem fecit. *C.* Et idem ego istuc scio.
Tu bona ei custos fuisti. *A.* Plus potest, qui plus valet.
Vir erat; plus valebat; vicit: quod petebat, abstulit.
C. Et tibi quidem, hercle, idem attulit magnum malum.
A. De istoc ipsa, etsi tu taceas, respse experta intelligo.
C. Nunquam te facere hodie quivi, ut, is quis esset, diceres.
A. Tacui. At nunc non taceo: quando adest, necesse est indicem.
D. Lapideus sum: commovere me miser non audeo.
Res palam omnis est: meo illic nunc fiunt capiti comitia.
Meum illuc facinus, mea stultitia est. Timeo, quam mox nominer.
C. Loquere, filiam meam quis integram stupravēt.
A. Video ego te, propter male facta qui es patronus parieti.
D. Neque, vivus neque mortuus sum: neque, quid nunc faciam, scio.
Neque, ut hinc abeam, neque ut hunc adeam, scio: timore torpeo.
C. Dicin' an non? *A.* Dinarchus, cui illam prius desponderas.
C. Ubi is homo est, quem dicis? *D.* Adsum, Callicles: per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras,
Mihique ignoscas, quod, animi impos, vini vitio fecerim.
C. Non places. In mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent,
Qui quidem probi sunt: verum, qui improbus est, sive subbibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.
D. Scio equidem, quæ nolo, multa mihi audienda ob noxiam.
Ego tibi me obnoxium esse fateor, culpæ compotem.
A. Callicles, vide, quæso, homini ne facias iniuriam.
Reus solutus causam dicit: testes vinctos attines.
C. Solvite istas. Agite, abite, tu domum, et tu autem domum:
Eloquere hæc heræ tuæ: puerum reddat, si quis eum petat.
Eamus, tu, in ius. *D.* Quid vis in ius me ire? tu es prætor mihi.
Verum te obsecro, ut tuam gnatam des mihi uxorem, Callicles.
C. Eumdem, pol, te iudicasse quidem istam rem intelligo:
Nam haud mansisti, dum ego darem illam; tute sumsisti tibi.
Nunc habeas, ut nactu 's. Verum hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia.

D. Bene agis mecum. *C.* Filium istinc tuum te meliu 'st repetare.
Cæterum, uxorem, quam primum potest, abduce ex ædibus.
Ego adeo iam illi remittam nuntium affini meo:
Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat suo.
D. At ego ab hac puerum reposcam, ne mox inficias eat.
Nihil est: nam ipsa hæc ultro, ut factum 'st, fecit omnem rem palam.
Sed nimium, pol, opportune, ecce, ab sese egreditur foras.
Næ, ista stimulum longum habet, quæ usque illinc cor pungit meum!

SCENA IV. *Phronesium, Dinarchus, Astaphium.*

P. Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividia est, tonstricem meam sic mulcatam male.
Ea dixit, eum Dinarchi puerum inventum filium.
D. Ubi id audivit, quam penes est mea omnis res et liberi?
P. Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis.
D. Mulier, adsum: profectu 'st. *P.* Quid agitur, voluptas mea?
D. Non voluptas, aufer nugas: nihil ego nunc de istac re ago.
P. Scio, mecastor, quid velis, et quid postules, et quid petas.
Me videre vis, et me te amare postulas: puerum petis.
D. Dii immortales! ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit!
P. Scio equidem sponsam tibi esse, et filium ex sponsa tua:
Et tibi uxorem ducundam iam esse: alibi iam animum tuum;
Ut me quasi pro derelicta sis habiturus: sed tamen
Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam.
Quia, si unum ostium obsidеatur, aliud perfugium gerit.
D. Otium ubi erit, de istis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. *P.* Immo, amabo, ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me. *D.* Minume. *P.* Iam, amabo.
D. Quid opu 'st? *P.* E re mea est.
Triduum hoc saltem, dum aliquo Miles circumducitur.
In eam rem, si quid habebo, tibi quoq; etiã proderit.
Si auferes puerum, a Milite omnis tum mihi spes animam efflaverit.
D. Factũ cupio: nũ re facere, si veli, non est locus.
Nunc puero utere, et procura: quia, unde procures, habes.
P. Multum amabo te ob istam rem, mecastor. Ubi domi metues malum,
Fugito huc ad me: saltem amicus mihi esto manubiarius.
D. Bene vale, Phronesium! *P.* Iam me tuum oculum non vocas?
D. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur.
P. Numquid vis? *D.* Fac valeas. Operæ ubi mihi erit, ad te venero.
P. Ille quidem hinc abiit, abscessit: dicere hic quidvis licet.
Verum est verbum, quod memoratur: Ubi amici, ibidem opus.
Propter hunc spes etiã se hodie tantũ * * ri militem:
Quem ego, ecastor, mage amo quam me, dum id quod cupio, inde aufero.
Quæ cum multum abstulimus, haud multum apparet, quod datum 'st;
Ita sunt gloriæ meretricum. *A.* Aha, tace! *P.* Quid est, obsecro?
A. Adest pueri... *P.* Sine eum ipsum adire huc! Sine, si is est modo.
Sine eum ipsum adire, ut cupit, ad me hac recta. Si venerit,
Næ, istum, ecastor, hodie astutis confexim fallaciis.

ACTUS V. *Stratophanes, Phronesium, Astaphium, Strabax.*

Strat. Eo mihi amare! fero supplicium damnis ad amicam meam.
Utut illud acceptum sit, prius quod perdidi, hoc addam insuper.
Sed quid? Video heram atque ancillam ante ædis. Adeunda est hæc mihi.
Quid hic vos agitis? *P.* Ne me appella. *Strat.* Nimium sævis. *P.* Sic sine.
Potin' es, ut mihi molestus ne sies? *Strat.* Quid, Astaphilitium, est?
A. Merito, ecastor, tibi succenset. *P.* Egon? atque isti etiam parum
Malevolo. *Strat.* Ego, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc minam fero auri: si mihi rides, aspice.
P. Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quidquam credere.
Puero opus 'st cibum; opus 'st matri autem, quæ puerum lavit;
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini, largiter
Ut dies noctesque potet: opu 'st igne; opus est carbonibus:
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis: (diem.
Oleum opus est; farina puero opus est: opu 'st totum
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.
Non enim possunt militares pueri setanio educier.
Strat. Respice ergo! accipe hoc, qui istuc efficias opus. *P.* Cedo!
Quamquam parum est. *Strat.* Addam minam adhuc istic postea. *P.* Parum est.
Strat. Tuo arbitratu, quod iubebis, id dabitur. Da nunc savium.
P. Mitte me, inquam: odiosu 's. *Strat.* Nihil fit: non amor: teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxillisper perdidi.
P. Accipe hoc, atque auferto intro.
Strab. Ubi mea amica est gentium?
Neque ruri, neque hic, operis quidquam facto: corrumpor situ;
Ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui.
Sed eccam video. Heus, amica! quid agis?
Strat. Quis illic homo?
P. Quem ego, mecastor, magis amo, quam te.
Strat. Quam me? quomodo?
P. Hoc modo, ut molestus ne sies.
Strat. Iam abis, postquam aurum habes?
P. Condidi intro, quod dedisti.

Strab. Ades, amica! te alloquor.
P. At ego ad te ibam. *Strab.* Ad me, delicia?
P. Hercle vero, serio.
Strab. Quamquam ego tibi videor stultus, gaudere aliqui me volo.
Nam, quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliqui gaudeo.
P. Viu' te amplectar, et savium dem?
Strab. Quidvis face, gaudeam.
Strat. Meosne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum, hercle, me duco satius. Abstine hoc, mulier, manum!
Nisi si te mea manubia, machæra et hunc vis emori.
P. Nihil φλυαρεῖν satis 'st, miles. Si te amari postulas,
Auro, haud ferro, deterrere potes, ne amet, Stratophanes.
Strat. Qui, malum! bella aut faceta es, quæ ames hominem istimodi?
P. Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio?
Omnes homines ad suum quæstum callent, et fastidiunt.
Strat. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?
P. Quamquam hic horridu 'st, quamquam hic squalidu 'st, scitus bellum init.
Strat. Dedin' ego aurum? *P.* Mihi? Dedisti filio cibaria.
Strab. Nunc, si hanc tecum esse speras, alia opu 'st auri mina.
Strat. Malam rem his et magnam! *Strab.* Magno opere serva tibi viaticum.
Quid ista debet, nisi tria? *Srat.* Quæ tria nam?
Strab. Unguenta, noctem, savium.
P. Par pari respondet. Verum nunc saltem, si amas, mihi
Dato de tuis deliciis summis quid pauxillulum.
Strat. Quid id, ai, amabo, est, quod dem? dic dum: si superet, feres.
P. Campas dicis: abi, abi! consultavi istuc.
Strat. Mi homo,
Cave faxit volnus tibi, tam quoi sunt dentes ferrei.
Vulgo ad se omnes intromittit. Abstine istac tu manum.
Strab. Iam, hercle, iam magno tu vapula, vir strenuus.
Strat. Dedi ego huic aurum. *Srab.* At ego argentum.
Strat. At ego pallam et purpuram.
Strab. At ego oves et lanam: et alia multa, quæ poscet, dabo.
Melius te minis certare mecum, quam minaciis.
P. Lepidus, ecastor, mortalis! Strabax mi, perge, obsecro.
Stultus atque insanus damnis certant: nos salvæ sumus.
Strat. Age prior, tiro; da aliquid.
Strab. Immo, tu prior perde, et peri.
Strat. Hem tibi talentum argenti! Philippicum 'st: tene tibi.
P. Tanto melior! Noster esto; sed de vostro vivito.
Strat. Ubi est, quod tu das? Solve zonas. *P.* Provocatur. *Strat.* Quid times?
Strab. Tu peregrinus es: hic habito: timeo meos. Non ego ambulo.
Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata defero.
Strat. Quid dedi? ut distrinxi hominem!
Strab. Immo, ego vero, qui dedi.
P. I nunc intro, amabo, et tu ergo hac mecum.
Strat. Tu eris mecum quidem.
Strab. Quid tu, quid ais? cum hoccine?
Strat. Ego posterior dedi.
P. Tu dedisti: hic iam daturu 'st: istuc habeo; hoc expeto.
Verum utrique mos geratur amborum ex sententia.
Strat. Fiat! ut rem natam video, hoc accipiundum 'st, quod datur.
Strab. Meum quidem te lectum certe occupare non sinam.
P. Lepide, mecastor, aucupavi, atque ex mea sententia:
Meamque ut rem bene gestam, vostram rursus bene geram.
Verum, amabo, si quid animatu 's facere, fac iam ut sciam.
Veneris causa applaudite; eius hæc in tutela est fabula,
Spectatores! bene valete, plaudite, atque exsurgite.

PUBLIUS TERENTIUS AFER

P. Terentius Afer, Carthagine natus *anno ab U.C.* 560. Servivit Romæ Terentio Lucano Senatori, a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et cum Lælio. Scripsit comœdias sex, *in quibus naturam suavi ingenuitate depictam, summam verborum proprietatem latini sermonis saporem, et elegantiam Romani sunt admirati.* Eunuchus quidem bis die acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comœdia, id est octo millia nummum. Non obscura fama est adiutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione. Eamdem ipse auxit; nunquam enim nisi leviter se tutari conatur, *sciens* Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem. Post editas comœdias, nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta moresque, egressus Urbe est, neque amplius rediit. Mortuum esse in Archadiæ stymphalo tradunt, morbo implicitum acri dolore, ac tædio amissarum fabularum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Obiit an. ante C. N. 159 *(Fere omnino ex Svetonio.)*

P. Terentii afri Comoediae iuxta editionem Westerhovii.

ANDRIA

Acta ludiis Megalensibus, M. Fulvio et M. Glabrione ædilibus curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio, et L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudii filius, tibiis paribus, dextris et sinistris. Et est tota Græca. Edita M. Marcello et Cn. Sulpicio coss.

FABULÆ INTERLOCUTORES.

BYRRHIA, *servus Charini.*
CHARINUS, *adolescens, amans Philumenam.*
CHREMES, *pater Philumenæ.*
CRITO, *hospes ex Andro.*
DAVUS, *servus Simonis.* DROMO, *lorarius.*
GLYCERIUM, *quæ et* PASIBULA, *amica Pamphili, filia Chremetis.*
LESBIA, *obstetrix Glycerii.* MYSIS, *ancilla eiusd.*
PAMPHILUS, *adolescens, filius Simonis.*
SIMO, *pater Pamphili.* SOSIA, *libertus Simonis.*

PERSONA MUTA

ARCHILIS, *ancilla, adstretix Glycerii.*

C. Sulpitii Apollinaris Periocha

Sororem falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus:
Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
Fore hanc; nam aliam pater ei desponderat,
Gnatam Chremetis; atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias; cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Davi suasu, non repugnat Pamphilus:
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo dat, aliam Charino coniugem.

Prologus

Poeta, cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur:
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæso, animō advortite.
Menander fecit *Andriam* et *Perinthiam:*
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita dissimili sunt argumento; sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ, ac stilo.
Quæ convenere, in Andriam, ex Perinthia,
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti vituperant factum; atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt, næ, intelligendo, ut nihil intelligant;
Qui, cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Enniū
Accusant, quos hic noster auctores habet;
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, et quid spei sit relliquum,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

ACTUS I. SCENA I. *Simo, Sosia.*

Si. Vos isthæc intro auferte; abite. Sosia,
Adesdum: paucis te volo. *So.* Dictum puta:
Nempe ut curentur recte hæc. *Si.* Immo aliud.
So. Quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro;
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. *So.* Exspecto quid velis.
Si. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Apud me iusta et clemens fuerit servitus,
Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.
So. In memoria habeo. *Si.* Haud muto factū. *So.* Gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo;
Et, id gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestū est: nā isthæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.
Si. Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi;
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
So. Cur simulas igitur? *Si.* Rē omnem a principio audies;
Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces; et quid facere in hac re te velim.

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant? *So.* Ita est.
Si. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos;
Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat: et tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. *So.* Non iniuria: nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.
Si. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere;
Eorum obsequi studiis; advorsus nemini:
Nunquam præponens se illis. Ita facillume
Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit: namque, hoc tempore,
Obsequium amicos, veritas odium, parit.
Si. Interea mulier quædam, abhinc triennium,
Ex Andro commigravit huc viciniæ,
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
So. Hei! vereor, ne quid Andria apportet mali.
Si. Primum hæc pudice vitam, parce ac duriter,
Agebat, lana ac tela victum quæritans:
Sed, postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus, et item alter; ita ut ingenium est omnium
Hominum ab labore proclive ad lubidinem;
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: Certe captus est!
Habet! Observabam mane illorum servulos
Venientes aut abeuntes: rogitabam, Heus, puer!
Dic, sodes, quis heri Chrysidē habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomen. *So.* Teneo. *Si.* Phædrū, aut Cliniā
Dicebant, aut Niceratum; nam hi tres tum simul
Amabant. Eho! quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, cœnavit. Gaudebam. Item alio die
Quærebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere: enimvero spectatum satis
Putabam, et magnum exemplum continentiæ:
Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus, Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit; despondi: hic nuptiis dictus est dies.
So. Quid obstat, cur non veræ fiant? *Si.* Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis vicina hæc moritur. *So.* O factum bene!
Beasti: metui a Chryside. *Si.* Ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat fre-
Curabat una funus; tristis interim, (quens;
Nonnunquam collacrymabat. Placuit tum id mihi:
Sic cogitabam; Hic, parvæ consuetudinis
Causa, huius mortem tam fert familiariter;
Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet, patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni,
Mansuetique animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoque, eius causa, in funus prodeo,
Nihil suspicans etiā mali. *So.* Hē! quid est? *Si.* Scies.
Effertur: imus. Interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulā,
Forma.... *So.* Bona fortasse. *Si.* Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari præter cæteras
Visa est; et quia erat forma præter cæteras
Honesta et liberali; accedo ad pedisequas:
Quæ sit, rogo: sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum: At at! hoc illud est!
Hinc illæ lacrymæ! hæc illa 'st misericordia!
So. Quam timeo, quorsum evadas! *Si.* Funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus:
In ignem imposita 'st: fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo: ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat.
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium! inquit, quid agis? cur te is perditū?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Reiecit se in eum, flens, quam familiariter.
So. Quid ais! *Si.* Redeo inde iratus, atq; ægre ferens.
Nec satis ad obiurgandum causæ. Diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?
Quæ sese in ignem iniicere voluit, prohibui;
Servavi: honesta oratio est. *So.* Recte putas:
Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,
Indignum facinus: comperisse, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. Ego illud sedulo
Negare factum: ille instat factum: denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam (dē
Neget daturū. *So.* Non tu ibi gnatū...? *Si.* Ne hæc qui-
Satis vehemens causa ad obiurgandū. *So.* Qui, cedo?
Si. Tute ipse his rebus finem præscripsti, pater.
Prope adest, cum alieno more vivendum 'st mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.
So. Quis igitur relictus est obiurgandi locus?
Si. Si, propter amorem, uxorem nolit ducere;
Ea primum ab illo animadvertenda iniuria 'st.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera obiurgandi causa sit, si deneget.
Simul, sceleratus Davus si quid consili
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli:
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum; magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quā ut obsequatur gnato. *So.* Quapropter? *Si.* Rogas?
Mala mens, malus animus: quē quidē ego si sensero...
Sed quid opus est verbis? Sin eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes,
Qui mihi exorandus est; et spero confore.
Nunc tuum est officiū, has bene ut assimules nuptias;
Perterrefacias Davum; observes filium,
Quid agat, quid cum illo consilii captet. *So.* Sat est.
Curabo. Eamus iam nunc intro. *Si.* I præ; sequar.

SCENA II. *Simo, Davus.*

S. Non dubium est quin uxorem nolit filius;
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.
D. Mirabar, hoc si sic abiret: et heri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet;
Qui postquā audierat non datum iri filio uxorē suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id
ægre tulit.
S. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno
malo.
D. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,
Sperantes iā, amoto metu; interea oscitantes opprimi,
Ne esset spatiū cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute? *S.* Carnufex, quæ loquitur! *D.* Herus est,
neque provideram.

S. Dave. *D.* Hē, quid est? *S.* Ehodū ad me. *D.* Quid
hic vult? *S.* Quid ais? *D.* Qua de re? *S.* Rogas?
Meum gnatum rumor est amare. *D.* Id populus curat,
scilicet!
S. Hoccine agis, an non? *D.* Ego vero istuc. *S.* Sed
nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad
me attinet.
Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut ex-
pleret suum;
Nunc hic dies aliam vitā affert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, sive æquum 'st, te oro, Dave, ut re-
deat iam in viam.
D. Hoc quid sit? *S.* Omnes qui amant, graviter sibi
dari uxorem ferunt.
D. Ita aiunt. *S.* Tum si quis magistrum cepit ad eam
rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem ple-
rumque applicat.
D. Non, hercle, intelligo. *S.* Non? hem. *D.* Non: Da-
vus sum, non Œdipus.
S. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui?
D. Sane quidem.
S. Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam us-
que ad necem;
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego
pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc qui-
dem? *D.* immo, callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitio-
ne usus es.
S. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me de-
ludier.
D. Bona verba, quæso. *S.* Irrides? nihil me fallis:
sed dico tibi,
Ne temere facias: neque tu hoc dicas, tibi non prædi-
ctum. Cave!

SCENA III. *Davus.*

Enimvero, Dave, nihil loci 'st segnitiæ, neque so-
cordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiā de nuptiis.
Quæ si non astu providentur, me aut herum pessum-
dabunt.
Nec, quid agam, certum 'st; Pamphilumne adiutem,
an auscultem seni:
Si illum relinquo, eius vitæ timeo: sin opitulor, hu-
ius minas;
Cui verba dare difficile est. Primum iam de amore
hoc comperit:
Me infensus servat, ne quā faciam in nuptiis fallaciā:
Si senserit, perii: aut si lubitū fuerit, causā ceperit,
Quo iure, quaque iniuria, præcipitem me in pistri-
num dabit.
Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria, si
Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo
Audireque eorū est operæ pretiū audaciam: (est.
Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.
Quidquid peperisset, decreverunt tollere.
Et fingunt quamdam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex,
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:
Is obiit mortem: ibi tum hanc eiectam Chrysidis
Patrem recepisse, orbam, parvam: fabulæ!
Mihi quidem, hercle, non fit verisimile; atqui ipsis
commentum placet.

Sed Mysis ab ea egreditur: at ego hinc me ad forū, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater impru-
dentem opprimat.

SCENA IV. *Mysis.*

Audivi, Archilis, iamdudum: Lesbiam adduci iubes.
Sane, pol, illa temulenta 'st mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierē.
Tamen eā adducā. Importunitatē spectate aniculæ;
Quia compotrix eius est. Di, date facultatē, obsecro,
Huic pariundi, atq; illi in aliis potius peccandi locū.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? ve-
reor, quid siet.
Opperiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristi-
tiæ afferat.

SCENA V. *Pamphilus, Mysis.*

P. Hoccine 'st humanum factum aut inceptum? hoc-
cine 'st officium patris?
M. Quid illud est? *P.* Proh Deum atque hominum fi-
dem! quid est, si non hæc contumelia 'st?
Uxorē decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius communicatum o-
M. Miseram me! quod verbum audio? (portuit?
P. Quid? Chremes, qui denegarat se commissurū mihi
Gnatam suam uxorem, id mutavit, quia me immuta-
tum videt!
Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio mise-
Quod si fit, pereo funditus. (rum abstrahat?
Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem
quemquam, ut ego sum?
Proh Deum atque hominum fidem! (tero?
Nullon' ego Chremetis pactu affinitatem effugere po-
Quot modis contemtus, spretus! Facta, transacta o-
mnia! hem!
Repudiatus repetor: quamobrem? nisi si id est, quod
suspicor:
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi
potest,
Itur ad me. *M.* Oratio hæc me miserā exanimavit me-
P. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah! (tu.
Tantamne rē tā negligenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda 'st, Pamphile,
hodie, inquit: para:
Abi domum. Id mihi visus est dicere, Abi cito, et su-
spende te.
Obstupui: censen' ullum me verbū potuisse proloqui?
Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam?
Obmutui.
Quod si ego rescissem id prius; quid facerem, si quis
nunc me roget,
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem: sed nunc quid
primum exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorse
trahunt;
Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitudo:
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo
usque adhuc,
Quæ meo cumque animo lubitum 'st, facere: ein' ego
ut advorser? hei mihi!
Incertum 'st quid agam. *M.* Misera timeo, incertum
hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me ali-
quid de illa advorsum hunc, loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc
impellitur.
P. Quis hic loquitur? Mysis, salve. *M.* O! salve,
Pamphile. *P.* Quid agit? *M.* Rogas?
Laborat e dolore, atq; ex hoc misera sollicita 'st die,

Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,
Ne deseras se. *P.* Hem! egone istuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suū animum, atque omnē vitam credidit;
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim.
Bene et pudice eius doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium immutarier?
Noo faciam. *M.* Haud vereor, si in te solo sit situm;
Sed vim ut queas ferre. *P.* Adeon' me ignavū putas?
Adeon' porro ingratum, aut iohumanum, aut ferum,
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?
M. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.
P. Memor essem! o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Iam ferme moriens me vocat:
Accessi; vos semotæ: nos soli: incipit;
Mi Pamphile! huius formam atque ætatem vides:
Nec clam te est, quam illi utræque res nunc utiles,
Et ad pudicitiam, et ad rem tutandam, sient.
Quod ego te per hanc dextram oro, et ingeniū tuum,
Per tuam fidem, perque huius solitudinem,
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus;
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manū dat; mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptā servabo. *M.* Ita spero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? *M.* Obstetricem arcesso. *P.* Propera.
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis;
Ne ad morbum hoc etiam. *M.* Teneo.

ACTUS II. SCENA I. *Charinus, Byrrhia, Pamphilus.*

C. Quid ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? *B.* Sic est.
C. Qui scis? *B.* Apud forum modo e Davo audivi.
C. Væ misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit;
Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
B. Quæso, ædepol, Charine, quoniam non potest id fieri, quod vis,
Id velis, quod possit. *C.* Nihil volo aliud, nisi Philumenam.
B. Ah! quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua!
C. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias. *B.* Age, age, ut lubet.
C. Sed Pamphilum
Video: omnia experiri certum 'st, prius quam pereo.
B. Quid hic agit?
C. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum.
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. *B.* Id aliquid nihil est.
C. Byrrhia,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? *B.* Quidni? si nihil impetres,
Ut te arbitretur sibi paratum mœchū, si illā duxerit.
C. Abin' hinc in malā rē cū suspicione isthac, scelus?
P. Charinum video; salve. *C.* O! salve, Pamphile!
Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.
P. Neque, pol, consilii locū habeo, neq; auxilii copiā.
Sed istuc quidnam 'st? *C.* Hodie uxorem ducis?
P. Aiunt. *C.* Pamphile!
Si id facis, hodie postremum me vides. *P.* Quid ita?
C. Hei mihi!
Vereor dicere: huic dic, quæso, Byrrhia. *B.* Ego dicam. *P.* Quid est?
B. Sponsam hic tuam amat. *P.* Næ iste haud mecum sentit. Ehodum! dic mihi.
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine?
C. Ah, Pamphile,
Nihil. *P.* Quam vellem! *C.* Nunc te per amicitiam, et per amorem, obsecro,
Principio, ut ne ducas. *P.* Dabo equidem operam.
C. Sed si id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. *P.* Cordi?
C. Saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo; ne videam. *P.* Audi nunc iam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto,
Cū is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quā tu adipiscier.
C. Reddidisti animum. *P.* Nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.
Ego id agam, mihi qui ne detur. *C.* Sat habeo.
P. Davum optume
Video: huius consilio fretus sum. *C.* At tu, hercle, haud quidquam mihi,
Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire: fugin' hinc?
B. Ego vero, ac lubens.

SCENA II. *Davus, Charinus, Pamphilus.*

D. Di boni, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum?
Ut metum, in quo nunc est, adimam; atque expleam animum gaudio.
C. Lætus est, nescio quid. *P.* Nihil est: nondum hæc rescivit mala.
D. Quem ego nunc credo, si iam audierit sibi paratas nuptias....
C. Audin' tu illum? *D.* toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam?
C. Cessas alloqui?
D. Abeo. *C.* Dave: ades; resiste. *D.* Quis homo 'st, qui me?.... O Pamphile!
Te ipsum quæro. Euge, Charine! Ambo opportune vos volo.
C. Dave, perii. *D.* Quin tu hoc audi. *C.* Interii.
D. Quid timeas, scio.
P. Mea quidem, hercle, certe in dubio vita 'st.
D. Et quid tu, scio.
P. Nuptiæ mihi.... *D.* Et id scio. *P.* Hodie.
D. Obtundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam; tu autem, ut ducas.
C. Rem tenes.
P. Istuc ipsum. *D.* Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.
P. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. *D.* Hem!
Libero. Uxorem tibi non dat iam Chremes. *P.* Qui scis? *D.* Scio.

Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare sese
Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quemdam excelsum locum:
Circumspicio: nusquam. Forte ibi huius video Byrrhiam.
Rogo: negat vidisse: mihi molestū: quid agā, cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hē!
Paululum obsoni: ipsus tristis; de improviso nuptiæ.
Non cohærent. *P.* Quorsumnam istuc? *D.* Ego me continuo ad Chremem.
Cū illuc advenio, solitudo ante ostium: iā id gaudeo.
C. Recte dicis. *P.* Perge. *D.* Maneo. Interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullā: in ædibus
Nihil ornati, nihil tumulti. Accessi; intro aspexi.
P. Scio.
Magnum signum. *D.* Num videntur convenire hæc nuptiis?
P. Non opinor, Dave. *D.* Opinor, narras? non recte accipis.
Certa res est. Etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnā seni.
C. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. *D.* Ac nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat.
D. Ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illā uxorē ducere.
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis...
C. Bene mones.
Ibo: etsi, hercle, sæpe iam me spes hæc frustrata est. Vale.

SCENA III *Pamphilus, Davus.*

P. Quid igitur sibi vult pater? cur simulat?
D. Ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse iniuria videatur; neque id iniuria,
Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illæ turbæ fient. *P.* Quidvis patiar. *D.* Pater est, Pamphile.
Difficile est: tum hæc sola est mulier: dictum ac factum, invenerit
Aliquam causam, quamobrem eiiciat oppido. *P.* Eiiciat? *D.* Cito.
P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *D.* Dic te ducturum. *P.* Hem! *D.* Quid est?
P. Egone dicā? *D.* Cur non? *P.* Nunquā faciā. *D.* Ne nega.
P. Suadere noli. *D.* Ex ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar. *D.* Non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo: nam hocce haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris
Hæc, quæ facis; ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle; ut, cum velit tibi iure irasci, non queat.
Nam, quod tu speras, propulsabo facile: uxorem his moribus
Dabit nemo. Inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.
Sed, si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
P. Itan' credis? *D.* Haud dubium id quidem est.
P. Vide quo me inducas. *D.* Quin taces?
P. Dicam: puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. *D.* O facinus audax! *P.* Hanc fidem
Sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut darem.
D. Curabitur. Sed pater adest: cave, te esse tristem sentiat.

SCENA IV. *Simo, Davus, Pamphilus.*

S. Reviso quid agant, aut quid captent consilii.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde, ex solo loco.
Orationem sperat invenisse se,
Qui differat te: proin tu fac, apud te ut sies.
P. Modo ut possim, Dave. *D.* Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

SCENA V. *Byrrhia, Simo, Davus, Pamphilus.*

B. Herus me, relictis rebus, iussit Pamphilum
Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
[Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.]
Ipsum adeo præsto video cum Davo: hoc agam.
S. Utrumque adesse video. *D.* Hē! serva. *S.* Pamphile.
D. Quasi de improviso respice ad eū. *P.* Ehē, pater!
D. Probe. *S.* Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
B. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
P. Neque istic, neque alibi, tibi usquam erit in me mora. *B.* Hem!
D. Obmutuit. *B.* Quid dixit! *S.* Facis, ut te decet,
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
D. Sum verus? *B.* Herus, quantū audio, uxore excidit.
S. I nunc iam intro; ne in mora, cum opus sit, sies.
P. Eo. *B.* Nullane in re esse homini cuiquam fidem!
Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.
Ego illam vidi virginem, forma! bona
Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

SCENA VI. *Davus, Simo.*

D. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
S. Quid Davus narrat? *D.* Æque quidquā nunc quidē.
S. Nihilne? hem! *D.* Nihil prorsus. *S.* Atqui expectabam quidem.
D. Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virū.
S. Potin' es mihi verum dicere? *D.* Nihil facilius.
S. Num illi molestæ quidpiam hæ sunt nuptiæ,
Propter huiusce hospitæ consuetudinem?
D. Nihil, hercle: aut, si adeo, bidui est aut tridui
Hæc sollicitudo: nosti: deinde desinet.
Etenim ipsus secum eam rem recta reputavit via.
S. Laudo. *D.* Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam: cavit, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
S. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rē: sed est, quod succenset ti- (bi.

S. Quidnam est? *D.* Puerile est. *S.* Quid est?
D. Nihil. *S.* Quin dic, quid est?
D. Ait, nimium parce facere sumtu. *S.* Mene? *D.* Te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem.
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium
Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium: non laudo. *S.* Tace.
D. Commovi. *S.* Ego isthæc, recte ut fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
Nã, si hic mali est quidquã, hẽ illic est huic rei caput.

Actus III. Scena I. *Mysis, Simo, Davus, Lesbia, Glycerium.*

M. Ita, pol, quidem res est, ut dixti, Lesbia:
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
S. Ab Andria 'st ancilla hæc? quid narras? *D.* Ita est.
M. Sed hic Pamphilus... *S.* Quid dicit? *M.* Firmavit fidem. *S.* Hem!
D. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit!
M. Nam, quod peperisset, iussit tolli. *S.* O Iupiter!
Quid ego audio? Actũ 'st, siquidẽ hæc vera prædicat.
L. Bonum ingeniũ narras adolescentis. *M.* Optumũ.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. *L.* Sequor.
D. Quod remedium nunc huic malo inveniam?
S. Quid hoc?
Adeon' est demens? ex peregrina? iam scio, ah!
Vix tandem sensi stolidus. *D.* Quid hic sensisse ait?
S. Hæc primum affertur iam mihi ab hoc fallacia;
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
G. Iuno Lucina, fer opem! serva me, obsecro!
S. Hui! tam cito? ridiculum. Postquam ante ostium
Me audivit stare, approperat. Non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. *D.* Mihin'?
S. Nũ immemores discipuli? *D.* Ego, quid narres, nescio.
S. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet!
Nunc huius periclo fit: ego in portu navigo.

Scena II. *Lesbia, Simo, Davus.*

L. Adhuc, Archilis, quæ assolent, quæque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac, isthæc ut lavet: post deinde,
Quod iussi ei dare bibere, et quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertor.
Per, ecastor, scitus puer est natus Pamphilo.
Deos quæso, ut sit superstes: quandoquidem ipse est ingenio bono;
Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere iniuriam.
S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? *D.* Quidnam id est?
S. Non imperabat coram, quid opus facto esset, puerperæ:
Sed, postquam egressa est, illis quæ sunt intus, clamat de via.
O Dave! itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltẽ accurate, ut metui videar. Certe, si resciverĩ...
D. Certe, hercle, nunc hic se ipsus fallit, haud ego.
S. Edixin' tibi?
Interminatus sũ, ne faceres? nũ veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
D. Teneo, quid erret; et, quid agam, habeo.
S. Quid taces?
D. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc, sic fore.
S. Mihin' quisquam? *D.* Eho! an tute intellexti hoc assimulari? *S.* Irrideor?
D. Renuntiatum est: nam qui isthæc tibi incidit suspicio?
S. Qui? quia te noram. *D.* Quasi tu dicas, factum id consilio meo.
S. Certe enim scio. *D.* Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.
S. Egone te? *D.* Sed si quid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba censes. *S.* Falso! *D.* Itaque, hercle, nihil iam mutire audeo.
S. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic.
D. Intellexti.
Sed nihilosecius mox deferent puerũ huc ante ostiũ.
Id ego iam nunc tibi renuntio, here, futurum, ut sis sciens:
Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.
Prorsus a me opinionẽ hanc tuã esse ego amotã volo.
S. Unde id scis? *D.* Audivi, et credo: multa concurrunt simul,
Qui coniecturam hanc nunc facio. Iam primum hæc se e Pamphilo
Gravidam dixit esse: inventum 'st falsum: nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico
Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut afferret simul.
Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur (nuptiæ.
S. Quid ais? cum intellexeras
Id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
D. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti; tu tamen idẽ has nuptias
Perge facere ita, ut facis; et id spero adiuturos Deos.
S. Immo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus est, para.
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem;
Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia:
Sed parvi pendo. Illud mihi multo maximum 'st,
Quod mihi pollicitus est ipsus gnatus. Nunc Chremẽ
Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam, gnatus quod pollicitus est, haud dubium est (mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

Scena III. *Simo, Chremes.*

S. Iubeo Chremetem.... *C.* O! te ipsum quærebam.
S. Et ego te. *C.* Optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun', an illi insaniant.
S. Ausculta paucis; et, quid ego te velim, et tu quod quæris, scies.
C. Ausculto: loquere quid velis.
S. Per ego te Deos oro, et nostrã amicitiam, Chreme,
Quæ, incepta a parvis, cum ætate accrevit simul;
Perque unicam gnatam tuam, et gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa servandi datur;
Ut me adiuves in hac re: atque ita, ut nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. *C.* Ah! ne me obsecra;
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim cum dabam?
Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi iube.

Sed si ex ea re plus mali 'st quam commodi
Utrique, id oro te, in commune ut consulas;
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
S. Immo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme:
Neq; postulē abs te;nisi ipsa res moneat. *C.* Quid est?
S. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. *C.* Audio.
S. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. *C.* Fabulæ!
S. Profecto sic est. *C.* Sic, hercle, ut dicam tibi:
Amantium iræ amoris integratio 'st.
S. Hem! id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque eius lubido occlusa 'st contumeliis:
Priusquam harū scelera, et lacrymæ confictæ dolis,
Reducant animum ægrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. Spero, consuetudine
Et coniugio liberali devinctum, Chreme,
Deiu facile ex illis sese emersurum malis.
C. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,
Neq; illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?
C. At istuc periculum in filia fieri, grave 'st.
S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit;
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide.
Principio, amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.
C. Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
C. Sed quid ais? *S.* Quid? *C.* Qui scis eos nunc discordare inter se?
S. Ipsus mihi Davus, qui intimus est eorum consiliis, dixit.
Et is mihi suadet, nuptias, quantū queam, ut maturē.
Nū, censes, faceret, filiū nisi sciret eadem hæc velle?
Tute adeo iam eius verba audies. Heus! evocate huc
Atque eccum: video ipsum foras exire. (Davum.

SCENA IV. *Davus, Simo, Chremes.*

D. Ad te ibam. *S.* Quidnam est? (illum?
D. Cur non arcessitur? iā advesperascit. *S.* Audin' tu
Ego dudum non nihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes.
Propterea quod amat filius. *D.* Egon' istuc facerem?
S. Credidi.
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam.
D. Quid? *S.* Scies:
Nam propemodum habeo tibi iam fidem.
D. Tandem cognosti qui siem.
S. Non fuerant nuptiæ futuræ. *D.* Quid? non?
S. Sed ea gratia
Simulavi, vos ut pertentarem. *D.* Quid ais? *S.* Sic res est. *D.* Vide!
Nunquam istuc quivi ego intelligere: vah! consilium callidum!
S. Hoc audi. Ut hinc te intro ire iussi, opportune hic fit mihi obviam.
D. Hem! numnam periimus? *S.* Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.
D. Quidnam audio? *S.* Gnatam ut det, oro; vixque id exoro. *D.* Occidi!
S. Hem! quid dixti? *D.* Optume inquam factum!
S. Nunc per hunc nulla 'st mora.
D. Domum modo ibo: ut [apparetur,] dicam: atque huc renuntio.
S. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.....
D. Ego vero solus. *S.* Corrigere mihi gnatum porro enitere.
D. Faciam, hercle, sedulo. *S.* Potes nunc, dum animus irritatus est.
D. Quiescas. *S.* Age igitur, ubi nunc est ipsus?
D. Mirum ni domi 'st.
S. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. *D.* Nullus sum!
Quid causæ 'st, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum. Iam perturbavi omnia:
Herum fefelli; in nuptias conieci herilem filium;
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo.
Hem astutias! quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Sed eccum ipsum video: occidi!
Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

SCENA V. *Pamphilus, Davus.*

P. Ubi illic est scelus, qui me perdidit? *D.* Perii!
P. Atque hoc confiteor,
Iure mihi obtigisse, quando quidem tam iners, tam nulli consili
Sum. Servon' fortunas meas me commisisse futili?
Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultū nunquā id auferet.
D. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.
P. Nam quid ego nunc dicam patri? Negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. *D.* Nec [quid de] me: atque id ago sedulo.
Dicam, aliquid iam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram.
P. Ohe! *D.* Visus sum. *P.* Ehodum, bone vir! quid ais? viden' me tuis consiliis
Miserum impeditum esse? *D.* At iam expediam.
P. Expedies? *D.* Certe, Pamphile.
P. Nempe, ut modo. *D.* Immo melius, spero.
P. Oh! tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam et perditam restituas? hem! quo fretus siem!
Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? *D.* Dixti. *P.* Quid meritu's? *D.* Crucem.
Sed sine paululum ad me redeam: iam aliquid dispiciam. *P.* Hei mihi!
Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo?
Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci, sinit.

ACTUS IV. SCENA I. *Charinus, Pamphilus, Davus.*

C. Hoccin' est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda? ah!
Idne 'st verum? immo id est genus hominū pessumū,
In denegando modo quis pudor paululum adest;
Post, ubi tempus promissa est iam perfici,
Tum coacti, necessario se aperiunt;
Et timent; et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentissuma oratio est,
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi.. ? (des?
Heus! proxumus sum egomet mihi. Attamen, Ubi fi-
Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est,
Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.

Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo iniuriam hanc expostulem?
Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nihil promoveris.
Multum: molestus certe ei fuero; atque animo morem gessero.
P. Charine, et me et te, imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.
C. Itane, imprudens? Tandem inventa 'st causa: solvisti fidem.
P. Quid tandem? *C.* Etiam nunc me ducere istis dictis postulas.
P. Quid istuc est? *C.* Postquam me amare dixi, complacita est tibi.
Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.
P. Falsus es. *C.* Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?
Habeas. *P.* Habeam! ah! nescis, quantis in malis verser miser,
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnufex. *C.* Quid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit?
P. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio: cum patre altercasti dudum: et is nunc propterea tibi
Succenset; nec te quivit hodie cogere, illã ut duceres.
P. Immo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas,
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi;
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
C. Scio: tu coactus tua voluntate es. *P.* Mane.
Nondum scis. *C.* Scio equidem illam ducturũ esse te.
P. Cur me enicas? hoc audi: nunquam destitit
Instare, ut dicerem, me esse ducturum, patri:
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
C. Quis homo istuc? *P.* Davus. *C.* Davus! *P.* Davus omnia.
C. Quamobrem? *P.* Nescio: nisi mihi Deos satis
Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
C. Factũ hoc est, Dave? *D.* Factũ. *C.* Hẽ! quid ais, scelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.
Eho! dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent; quod, nisi hoc, consilium darent?
D. Deceptus sum, at non defatigatus. *C.* Scio.
D. Hac non successit; alia aggrediemur via;
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse iam ad salutem converti hoc malum.
P. Immo etiam: nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.
Tuu 'st, si quid præter spem evenit, mihi ignoscere.
Parum succedit quod ago? at facio sedulo.
Vel melius tute reperi; me missum face.
P. Cupio: restitue, in quem me accepisti locum.
D. Faciam. *P.* At iam hoc opus est. *D.* Hem! 'st, mane: concrepuit a Glycerio ostium,
P. Nihil ad te. *D.* Quæro. *P.* Hem, Nunccine demum? *D.* At iam hoc tibi inventum dabo.

SCENA II. *Mysis, Pamphilus, Charinus, Davus.*

M. Iam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum,
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
P. Mysis, quid est? *M.* Hem, Pamphile, optume te mihi offers. *P.* Quid est?
M. Orare iussit, si se ames, hera, iam ut ad se venias.
Videre ait te cupere. *P.* Vah! perii: hoc malum integrascit.
Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier?
Nam idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit.
C. Quibus quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset.
D. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga.
M. Atque, ædepol,
Ea res est; proptereaque nunc misera in mœrore est.
P. Mysis,
Per omnes tibi adiuro Deos, nunquam eam me deserturum:
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetivi; contigit: conveniunt mores: valeant,
Qui inter nos discidium volunt: hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.
C. Resipisco. *P.* Non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est.
Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo: sed si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat
Quis videor? *C.* Miser æque, atque ego. *D.* Consilium quæro. *C.* Fortis.
P. Scio quid conere. *D.* Hoc ego tibi profecto effectum reddam.
P. Iam hoc opus est. *D.* Quin iam habeo. *C.* Quid est? *D.* Huic, non tibi, habeo: ne erres.
C. Sat habeo. *P.* Quid facies? cedo. *D.* Dies mihi hic ut sit satis, vereor,
Ad agendum; ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.
P. Ego hanc visam. *D.* Quid tu? quo hinc te agis? *C.* Verum vis dicam? *D.* Immo etiam.
Narrationis incipit mihi initium. *C.* Quid me fiet?
D. Eho! tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo.
Quantum huic promoveo nuptias? *C.* Dave, attamen.... *D.* Quid ergo?
C. Ut ducam. *D.* Ridiculum! *C.* Huc face ad me ut venias, si quid poteris.
D. Quid veniam? nihil habeo. *C.* Attamen si quid...
D. Age, veniam. *C.* Si quid,
Domi ero. *D.* Tu, Mysia, dum exeo, parumper opperire me hic.
M. Quapropter? *D.* Ita facto est opus. *M* Matura.
D. Iam, inquam, hic adero!

SCENA III. *Mysis, Davus.*

M. Nihilne esse proprium cuiquã! Di, vostra fidem.
Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem! facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit. Mi homo, quid istuc, obsecro, 'st?
Quo portas puerum? *D.* Mysia, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia.
M. Quidnam incepturus? *D.* Accipe a me hunc ocyus,
Atque ante nostram ianuam appone. *M.* Obsecro,

Homine? *D.* Ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. *M.* Quamobrē id tute non facis?
D. Quia, si forte opus sit ad berū iusiurandū mihi,
Non apposuisse, ut liquido possim. *M.* Intelligo.
Nova nunc religio iu te isthæc incessit, cedo?
D. Move ocyus te, ut, quid agam, porro intelligas.
Pro, Iupiter! *M.* Quid est? *D.* Sponsæ pater interve-
Repudio, quod consilium primum intenderam. (nit.
M. Nesciu quid narres. *D.* Ego quoque hinc ab dex-
Venire me assimulabo: tu, ut subservias (tera
Orationi, utcumque opus sit verbis, vide.
M. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo; ne quod vostrum remorer commodum.

SCENA IV. *Chremes, Mysis, Davus.*

C. Revertor, postquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi, ut iubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer, hercle, 'st! Mulier, tun' apposuisti hunc?
M. Ubi illic est?
C. Non mihi respondes? *M.* Nusquam est: væ mise-
ræ mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. *D.* Di, vostrā fidem!
Quid turbæ est apud forum; quid illic hominum li-
tigant!
Tum annona cara 'st. Quid dicam aliud, nescio.
M. Cur tu, obsecro, hic me solam....? *D.* Quæ est
hæc fabula?
Eho! Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
M. Satin' sanus es, qui me id rogites? *D.* Quem ego
igitur rogem,
Qui hic neminem alium videam? *C.* Miror, unde sit.
D. Dicturan' es, quod rogo? *M.* Au! *D.* Concede ad
dexteram.
M. Deliras? non tute ipse? *D.* Verbum si mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
M. Male dicis? *D.* Unde 'st? dic clare. *M.* A vobis.
D. Ha, ha, he!
Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix?
C. Ab Andria 'st ancilla hæc, quantum intelligo.
D. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? *C.* Veni in tempore.
C. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua.
Mane; cave quoquam ex istoc excessis loco.
M. Di te eradicent! ita me miseram territas.
D. Tibi ego dico, an non? *M.* Quid vis? *D.* An
etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic apposuisti? dic mihi.
M. Tu nescis? *D.* Mitte id, quod scio: dic, quod rogo.
M. Vestri. *D.* Cuius vestri? *M.* Pamphili. *D.* Hem!
quid? Pamphili?
M. Eho! an non est? *C.* Recte ego semper fugi has
nuptias.
D. O facinus animadvertendum! *M.* Quid clamitas?
D. Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?
M. O hominem audacem! *D.* Verum: vidi Cantharam
Suffarcinatam. *M.* Dis, pol, habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.
D. Næ illa illum haud novit, cuius causa hæc incipit.
Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit. Tanto, hercle, magis dabit.
C. Non, hercle, faciet. *D.* Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, iam ego hunc mediam viam
Provolvam: teque ibidem pervolvam in luto.
M. Tu, pol, homo, non es sobrius *D.* Fallacia
Alia aliam trudit. Iam susurrari audio, (bus
Civem Atticam esse hanc. *C.* Hem! *D.* Coactus legi-
Eam uxorem ducet. *M.* Au! obsecro; an non civis est?
C. Iocularium in malum insciens pæne incidi.
D. Quis hic loquitur? O Chreme! per tempus advenis.
Ausculta. *C.* Audivi iam omnia. *D.* Anne tu omnia?
C. Audivi, inquam, a principio. *D.* Audistin', ob-
secro?
Hem scelera! hanc iam oportet in cruciatum hinc
abripi.
Hic ille est! non te credas Davum ludere.
M. Me miseram! nihil, pol, falsi, dixi, mi senex.
C. Novi rem omnem. Est Simo intus? *D.* Est.
M. Ne me attingas, sceleste! Si, pol, Glycerio non
omnia hæc.....
D. Eho, inepta! nescis quid sit actum? *M.* Qui sciam?
D. Hic socer est. Alio pacto haud poterat fieri,
Ut sciret hæc, quæ volumus. *M.* Hem! prædiceres.
D. Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

SCENA V. *Crito, Mysis, Davus.*

C. In hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem,
Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias
Potius, quam in patria honeste pauper vivere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos percunter? Video. Salvete. *M.* Obsecro,
Quem video? Est ne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. *C.* O Mysis! salve *M.* Salvos sis, Crito.
C. Itane Chrysis? hem! *M.* Nos quidem, pol, mise-
ras perdidit.
C. Quid vos? quo pacto hic? satin' recte? *M.* Nosne?
sic.
Ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet.
C. Quid Glicerium? iam hic suos parentes repperit?
M. Utinam! *C.* An nondum etiam? haud auspicato
huc me attuli.
Nam, pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem
pedem:
Semper enim dicta 'st eius hæc, atque habita 'st,
soror.
Quæ illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent: simul arbitror,
Iam aliquem esse amicum et defensorē ei: nam fere
Grandiuscula iam profecta 'st illinc. Clamitent,
Me sycophantam hæreditates persequi,
Mendicum: tum ipsam despoliare non libet.
M. O optume hospes! pol, Crito, antiquum obtines.
C. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam.
M. Maxume.
D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

ACTUS V. SCENA I. *Chremes, Simo.*

C. Satis iam, satis, Simo, spectata erga te amici-
tia 'st mea:
Satis pericli cœpi adire: orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pæne illusi vitam filiæ.
S. Immo enim nunc quam maxume abs te postulo,
atque oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re com-
probes.
C. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum efficias
id quod cupis:
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores,
cogitas:
Nam, si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.
S. Quibus? *C.* Ah! rogitas? perpulisti me, ut ho-
mini adolescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem in seditionē, atq; incertas nuptias,
Eius labore, atque eius dolore, gnato ut medicarer
tuo.

Impetrasti : incepi, dum res tetulit. Nunc non fert: feras.
Illam hinc civem esse aiunt: puer est uatna: nos missos face.
S. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile 'st, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarū gratia hæc sunt ficta atque incepta omnia.
Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his, desinent.
C. Erras: cum Davo egomet vidi iurgautem ancillam. S. Scio.
C. At vero voltu; cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
S. Credo: et, id facturas, Davus dudū prædixit mihi.
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

SCENA II. *Davus, Chremes, Simo, Dromo.*

Da. Animo nunc iam otioso esse impero. *C.* Hem Davum tibi.
S. Unde egreditur? *Da.* Meo præsidio atque hospitis.
S. Quid illud mali 'st?
Da. Ego commodiorem hominem, adveutum, tempus, non vidi. *S.* Scelus!
Quemnam hic laudat? *Da* Omnis res est iam in vado. *S.* Cesso alloqui?
Da. Herus est: quid agam? *S.* O! salve, bone vir!
Da. Ehem Simo! o noster Chreme?
Omnia apparata iam sunt intus. *S.* Curasti probe.
Da. Ubi voles, arcesse. *S.* Bene sane: id enimvero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii 'st?
Da. Mihin'?
S. Ita. *Da.* Mihine? *S.* Tibi ergo. *Da.* Modo introii.
S. Quasi ego, quam dudum, rogem.
Da. Cum tuo gnato una. *S.* Anne 'st intus Pamphilus? crucior miser.
Eho! non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnifex?
Da. Sunt. *S.* Cur igitur hic est? *C.* Quid illum censes? cum illa litigat.
Da. Immo vero indignū, Chremes, iam facinus faxo ex me audias.
Nescio qui senex modo venit; ellum, confidens, catus.
Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.
S. Quidnam apportas? *Da.* Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
S. Quid ait tandem? *Da.* Glycerium se scire civem esse Atticam.
S. Hem! Dromo! Dromo! *Da.* Quid est? *S.* Dromo!
Da. Audi. *S.* Verbum si addideris.... Dromo!
Da. Audi, obsecro. *Dr.* Quid vis? *S.* Sublimem hunc intro rape, quantum potes.
Dr. Quem? *S.* Davum. *Da.* Quamobrem? *S.* Quia lubet. Rape, inquam. *Da.* Quid feci? *S.* Rape.
Da. Si quidquam invenies me mentitum, occidito. *S.* Nihil audio.
Ego iam te commotum reddam. *Da.* Tamen: etsi hoc verum est? *S.* Tamen.
Cura asservandum vinctū; atque audin'? quadrupedem constringito.
Age nunc iam; ego, pol, hodie, si vivo, tibi
Ostendam, herum quid sit pericli fallere, et
Illi, patrem. *C.* Ah! ne sævi tantopere. *S.* O Chreme!
Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile! exi, Pamphile! ecquid te pudet?

SCENA III. *Pamphilus, Simo, Chremes.*

P. Quis me volt? Perii! pater est. *S.* Quid ais, omnium..... *C.* Ah!
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
S. Quasi quidquā in hunc iam gravius dici possiet.
Ain' tandem? civis Glycerium 'st? *P.* Ita prædicant.
S. Ita prædicant! O ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num eius color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' impotenti esse animo, ut, præter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
P. Me miserum! *S.* Hem! modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi;
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem huius sollicito amentia? an
Ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam?
Immo habeat: valeat: vivat cum illa. *P.* Mi pater!
S. Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi, invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant. Viceris.
P. Pater, licetne pauca? *S.* Quid dices mihi?
C. Tamen, Simo, audi. *S.* Ego audiam? quid audiam, Chreme? *C.* At tandem dicat, sine. *S.* Age, dicat; sino.
P. Ego me amare hanc, fateor. Si id peccare 'st, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone; impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam.
S. Adducas? *P.* Sine, pater.
C. Æquum postulat: da veniam. *P.* Sine, te hoc exorem. *S.* Sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paulū supplicii satis est patri.

SCENA IV. *Crito, Chremes, Simo, Pamphilus.*

Cr. Mitte orare; una harum quævis causa me, ut faciam, monet:
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? certe is est.
Cr. Salvos sis, Chreme.
Ch. Quid tu Athenas, insolens? *Cr.* Evenit. Sed hiccine 'st Simo?
Ch. Hic. *S.* Men' quæris? eho! tu Glycerium hinc civem esse ais?
Cr. Tu negas? *S.* Itane huc paratus advenis? *Cr.* Qua de re? *S.* Rogas?
Tune impune hæc facias? tune hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas?
Cr. Sanusne es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
P. Perii! metuo, ut substet hospes. *Ch.* Si, Simo, hunc noris satis,
Non ita arbitrere: bonus est hic vir. *S.* Hic vir sit bonus?
Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis,
Ut veniret antehac nunquam? Est vero huic credendum, Chreme?

P. Ni metuam patrem, habeo, pro illa re illum quod moneam probe.
S. Sycophanta! *Cr.* Hem! *Ch.* Sic, Crito, est hic: mitte. *Cr.* Videat, qui siet.
Si mihi pergit, quæ volt, dicere: ea, quæ non volt, audiet.
Ego isthæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam, ego quæ dico, vera an falsa audieris, iam sciri potest.
Atticus quidam olim, navi fracta, apud Andrum eiectus est,
Et isthæc una parva virgo. Tum ille egens, forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. *S.* Fabulam inceptat. *Ch.* Sine.
Cr. Itane vero obturbat? *Ch.* Perge. *Cr.* Tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. Ibi ego audivi ex illo, sese esse Atticum.
Is ibi mortuus est. *Ch.* Eius nomen? *Cr.* Nomen tam cito tibi? Phania.
Ch. Hem! perii! *Cr.* Verum, hercle, opinor fuisse Phaniam: hoc certo scio,
Rhamnusium se aiebat esse. *Ch.* O Iupiter. *Cr.* Eadem hæc, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. *Ch.* Utinam id sit, quod spero. Eho! dic mihi,
Quid eam tum....? suamne esse aiebat? *Cr.* Non.
Ch. Cuiam igitur? *Cr.* Fratris filiam.
Ch. Certe mea 'st. *Cr.* Quid ais? *S.* Quid tu ais?
P. Arrige aures, Pamphile.
S. Qui credis? *Ch.* Phania ille frater meus fuit.
S. Noram, et scio.
Ch. Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam relinquere hic est veritus; post illa nunc primum audio,
Quid illa sit factum. *P.* Vix sum apud me, ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Næ, istam multimodis tuam inveniri gaudeo.
P. Credo, pater.
Ch. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. *P.* Dignus es,
Cum tua religione, odio: nodum in scirpo quæris.
Cr. Quid istuc est?
Ch. Nomen non convenit. *Cr.* Fuit, hercle, huic aliud parvæ. *Ch.* Quod, Crito?
Numquid meministi? *Cr.* Id quæro. *P.* Egone huius memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. Heus, Chreme! quod quæris, Pasibula 'st. *Cr.* Ipsa est. *Ch.* Ea 'st.
P. Ex ipsa millies audivi. *S.* Omneis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo, credere. *Ch.* Ita me Dii ament, credo.
P. Quid restat, pater?
S. Iamdudum res reduxit me ipsa in gratiam.
P. O lepidum patrem!
De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes.
Ch. Causa optuma 'st.
Nisi quid pater ait aliud. *P.* Nempe. *S.* Id scilicet.
Ch. Dos, Pamphile, est
Decem talenta. *P.* Accipio. *Ch.* Propero ad filiam. Eho mecum, Crito;
Nam illam me credo haud nosse. *S.* Cur non illam huc transferri iubes?
P. Recte admones. Davo ego istuc dedam iam negoti.
S. Non potest.
P. Qui non potest? *S.* Quia habet aliud magis ex sese, et maius. P. Quidnam? *S.* Vinctus est.
P. Pater, non recte vinctus est. *S.* Haud ita iussi.
P. Iube solvi, obsecro.
S. Age, fiat. *P.* At matura. *S.* Eo intro. *P.* O faustum et felicem hunc diem!

SCENA V. *Charinus, Pamphilus.*

C. Proviso quid agat Pamphilus: atque eccum.
P. Aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror.
Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mihi immortalitas
Parta 'st, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego mihi potissumum optem nunc, cui hæc narrem, dari?
C. Quid illud gaudii est? *P* Davum video: nemo 'st, quem mallem, omnium.
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

SCENA VI. *Davus, Pamphilus, Charinus.*

D. Pamphilus ubinam hic est? *P.* Dave. *D.* Quis homo 'st? *P.* Ego sum. *D.* O Pamphile!
P. Nescis quid mihi obtigerit. *D.* Certe: sed quid mihi obtigerit, scio.
P. Et quidem ego. *D.* More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,
Prius resciseeres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.
P. Mea Glycerium suos parentes reperit. *D.* O factum bene! *C.* Hem!
P. Pater amicus summus nobis. *D.* Quis? *P.* Chremes. *D.* Narras probe.
P. Nec mora ulla 'st, quin iam uxorem ducam.
C. Num ille somniat
Ea, quæ vigilans voluit? *P.* Tum de puero, Dave?
D. Ah! desine.
Solus est, quem diligant Dii. *C.* Salvos sum, si hæc vera sunt.
Colloquar. *P.* Quis homo 'st? O Charine! in tempore ipso mihi advenis.
C. Bene factum. *P.* Audistin'? *C.* Omnia. Age, me in tuis secundis respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum, quæ voles, scio esse omnia.
P. Memini: atque adeo longum est nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. Tu, Dave, abi domum:
Propere arcesse, hinc qui auferant eam. Quid stas? quid cessas? *D.* Eo.
Ne exspectetis, dū exeant huc: intus despondebitur;
Intus transigetur, si quid est, quod restet.

Ω. Plaudite.

EUNUCHUS

Acta ludis Megalensibus, L. Postumio Albino, L. Cornelio Merula ædilibus curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Atilius Prænestinus tibiis duabus dextris. Græca Menandru. Acta II. Modos fecit Flaccus Claudi, M. Valerio, C. Fannio coss.

PERSONÆ

PHÆDRIA, *adolescens, amator Thaidis.*
PARMENO, *servus Phædriæ.* THAIS, *meretrix.*
GNATHO, *parasitus Thrasonis.*
CHÆREA, *adolescens, amator Pamphilæ.*
THRASO, *miles, rivalis Phædriæ.*
PYTHIAS, *ancilla Thaidis*
CHREMES, *adolescens, frater Pamphilæ.*
ANTIPHO, *adolescens.* DORIAS, *ancilla Thaidis.*
DORUS, *eunuchus.* SANGA, *centurio.*
SOPHRONA, *nutrix Pamphilæ.*
LACHES, *senex, pater Phædriæ et Chæreæ.*

C. Sulpitii Apollinaris periocha

Sororem falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique donat. Erat hæc civis Attica.
Eidem eunuchum, quem emerat, tradi iubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ puellulam
Cum deperiret, dono missam Thaidi,
Ornatu eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem: sed Atticus
Civis, repertus frater eius, collocat
Vitiatam ephebo, Phædriam exorat Thraso.

Prologus

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, et minume multos lædere,
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimabit esse, sic existimet:
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
Qui bene vertendo, et eas describendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit:
Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi;
Aut unde in patrium monimentum pervenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus iam sum; nihil est quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adesset, occepta 'st agi.
Exclamat, furem, non poetam, fabulam
Dedisse, at nihil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Nævi et Plauti, veterem fabulam:
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st
Poetæ; non qui furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos iam iudicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et Miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
Latinas, scisse sese, id vero pernegat.
Quod si personis iisdem uti aliis non licet;
Qui magis licet currentes servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per servum senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.
Date operam, et cum silentio animadvortite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

ACTUS I. SCENA I. *Phædria, Parmeno.*

Ph. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.
Pa. Si quidē hercle possis, nihil prius, neque fortius:
Verum, si incipies, neque pertendes naviter;
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, et ferre non posse; actum est! ilicet!
Peristi! Eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Here. Quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia; iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas, (modo.
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine,
Mori me malim: sentiet qui vir siem
Hæc verba, una, mehercle, falsa lacrymula,
Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit,
Restinguet: et te ultro accusabis; et dabis ei (ego et
Ultro supplicium. *Ph.* O indignum facinus! nunc
Illam scelestam esse, et me miserum, sentio:
Et tædet: et amore ardeo: et prudens, sciens,
Vivus, vidensque, pereo; nec, quid agam, scio.
Pa. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minumo: si nequeas paululo, at quanti queas;
Et ne te afflictes. *Ph.* Itane suades? *Pa.* Si sapis:
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas: et illas, quas habet, recte feras.
Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.
Nam, quod nos capere oportet, hæc intercipit.

SCENA II. *Thais, Phædria, Parmeno.*

T. Miseram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. *Ph.* Totus, Parmeno,
Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc.
Pa. Bono animo es:
Accede ad ignem hunc; iam calesces plus satis.
T. Quis hic loquitur? ehem! tun' hic eras, mi Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? *Pa.* Cæterum
De exclusione verbū nullū. *T.* Quid taces?
Ph. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. *T.* Missa isthæc face.
Ph. Quid missa? O Thais, Thais, utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet,
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.

T. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria.
Non, pol, quo quemquā plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: sed ita erat res: faciundum fuit. (foras.
Pa. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc
T. Siccine ais, Parmeno? age! sed huc qua gratia
Te arcessi iussi, ausculta. *Ph*. Fiat. *T*. Dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? *Pa*. Egone?
optume.
Verum, heus tu! hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo, et contineo optume; (lā est.
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo pa-
Plenus rimarum sum; hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Pa. Potest taceri hoc. *T*. Ibi tum matri parvulam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *Ph*. Civemne? *T*. Arbitror:
Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cætera
Neque sciebat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educare, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quo cum tum uno rem habebā, hospite,
Abii huc; qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
Pa. Utrumque hoc falsum est: effluet. *T*. Qui istuc?
Pa. Quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te
T. Ita 'st: sed sine me pervenire, quo volo. (attulit.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus. Te interea loci
Cognovi. Tute scis, post illa quam intumum
Habeam te; et mea consilia ut tibi credam omnia.
Ph. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. *Pa*. O! du-
biumne id est?
T. Hoc agite, amabo. Mater mea illic mortua 'st
Nuper. Eius frater aliquantum ad rem est avidior:
Is ubi hanc forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit. Forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.
Is venit. Postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo.
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare;
Verum id vereri. Sed, ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adiecit. *Ph*. Etiamne amplius?
T. Nihil: nam quæsivi. Nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere:
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam ac reddam. Sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicū, neque cognatū: quamobrem, Phædria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id, amabo! adiuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. Nihil respondes? *Ph*. Pessuma!
Egon' quidquam cum istis factis tibi respondeam?
Pa. Eu noster! laudo. Tandem perdoluit: vir es.
Ph. At ego nesciebam quorsum tu ires? parvula
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:
Ego excludor: ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times,
Quæ advecta est, ne illum talem præripiat tibi.
T. Egon' id timeo? *Ph*. Quid te ergo aliud sollicitat?
Num solus ille dona dat? nuncubi meam (cedo.
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? Porro eunuchum dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ; repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi;
Tamen contemtus abs te. Hæc habui in memoria.
Ob hæc facta abs te spernor. *T*. Quid istic, Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re ar-
Id fieri posse maxume; verumtamen, (bitror
Potius quam te inimicu habeam, faciam ut iusseris.
Ph. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres,
Potius quam te inimicum habeam: si istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
Pa. Labascit, victus uno verbo: quam cito!
T. Ego non ex animo misera dico? quam ioco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum? *Ph*. Siquidem biduum;
Verum ne fiant isti viginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut... *Ph*. Aut? nihil
moror.
T. Non fiet: hoc modo sine te exorem. *Ph*. Scilicet
Faciundum est quod vis. *T*. Merito amo te. *Ph*. Be-
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum. (ne facis.
Ita facere certum est: mos gerundus est Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. *Pa*. Maxume.
Ph. In hoc biduum, Thais, vale. *T*. Mi Phædria!
Et tu. Numquid vis aliud? *Ph*. Egone quid velim?
Cum milite isto præsens, absens ut sies;
Dies noctesque me ames: me desideres;
Me somnies; me expectes; de me cogites;
Me speres; me te oblectes; mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
T. Me miseram! forsitan hic mihi parvam habeat fi-
Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet. (dem,
Ego, pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria.
Et quidquid huius feci, causa virginis
Feci: nam me eius spero fratrem propemodum
Iam repperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit.

ACTUS II. SCENA I. *Phædria, Parmeno.*

Ph. Fac, ita ut iussi, deducantur isti. *Pa*. Faciam.
Ph. At diligenter.
Pa. Fiet. *Ph*. At mature. *Pa*. Fiet. *Ph*. Satin' hoc
mandatum 'st tibi? *Pa*. Ah!
Rogitare? quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit! *Ph*. Ego quoque una pereo; quod
mihi est carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. *Pa*. Minume:
quin effectum dabo.
Sed numquid aliud imperas?
Ph. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: et
istum æmulum,
Quod poteris, ab ea pellito.
Pa. Memini, tametsi nullus moneas. *Ph*. Ego rus
ibo, atque ibi manebo.
Pa. Censeo. *Ph*. Sed heus tu! *Pa*. Quid vis?
Ph. Censen' posse me obfirmare,
Et perpeti, ne redeam interea? *Pa*. Tene? non, her-
cle, arbitror:

Nam aut iam revertere; aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
Ph. Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam.
Pa. Vigilabis lassus: hoc plus facies. *Ph.* Ah! nihil dicis, Parmeno.
Eiiciunda, hercle, hæc est mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? *Pa.* Hui!
Universū triduū? vide quid agas. *Ph.* Stat sententia.
Pa. Di boni! quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eumdem esse? Hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.
Sed quis hic est, qui huc pergit? At at! hic quidem est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum una virginem dono huic. Papæ!
Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho: hæc superat ipsam Thaidem.

Scena II. *Gnatho, Parmeno.*

G. Di immortales! homini homo quid præstat! stulto intelligens!
Quid interest! Hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? Quoniam miser, quod habui, perdidi. Hem,
Quo redactus sū! omnes noti me atq; amici deserunt.
Hic ego illum contemsi præ me. Quid, homo, inquam, ignavissume?
Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?
Simul consilium cum re amisti? Viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis!
Omnia habeo, neque quidquam habeo. Nihil cum est, nihil defit tamen.
At ego infelix, neque ridiculus esse neque plagas pati
Possum: quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olī isti fuit generi quondā quæstus apud sæclū prius.
Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt; hos consector. Hisce ego non paro me ut rideant;
Sed his ultro arrideo, et eorū ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.
Negat quis? nego: ait? aio. Postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo uberrimus.
P. Scitum, hercle, hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
G. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus;
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes,
Quibus, et re salva et perdita, profueram, et prosum sæpe.
Salutant: ad cœnam vocant: adventum gratulantur.
Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore,
Et tam facile victum quærere; ibi homo cœpit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me. Sectari iussi;
Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis
Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.
P. Viden', otium, et cibus quid faciat alienus?
G. Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat?
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Rivalis servum: salva res est: nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. *P.* Hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. *G.* Plurima salute Parmenonē,
Summum suum, impertit Gnatho. Quid agitur?
P. Statur. *G.* Video.
Num quidnam, quod nolis, vides? *P.* Te. *G.* Credo: at num quid aliud?
P. Quidum? *G.* Quia tristis es. *P.* Nihil equidem.
G. Ne sis: sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? *P.* Non malum, hercle.
G. Uro hominem. *P.* Ut falsus animi 'st!
G. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse?
P. Hoc nunc dicis,
Eiectos hinc nos: omniū rerū, heus, vicissitudo est.
G. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam:
Ne sursum deorsū cursites, neve usq; ad lucē vigiles.
Ecquid beo te? *P.* Men'? papæ! *G.* Sic soleo amicos.
P. Laudo.
G. Detineo te fortasse; tu profectus alio fueras.
P. Nusquam. *G.* Tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac ut admittar
Ad illam. *P.* Age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras? *P.* Sine, biduum hoc prætereat:
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu istas, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
G. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho! numnam hic relictus custos,
Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam cursitet?
P. Facete dictum: mira vero, militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror quid ex Piræeo abierit; nam ibi custos publice est nunc.
Non temere est; et properans venit: nescio quid circumspectat.

Scena III. *Chærea, Parmeno.*

C. Occidi!
Neque virgo est usquam; neque ego, qui illam e conspetu amisi meo.
Ubi quæram? ubi investigem? quem percunter? quā insistam viam?
Incertus sum: una hæc spes est, ubi ubi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Tædet quotidianarum harum formarum. *P.* Ecce autem alterum!

Nescio quid de amore loquitur. O infortunatū senē!
Hic vero est, qui si occeperit, ludum iocumque dices
Fuisse illum alterum, præut huius rabies quæ dabit.
C. Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est;
Meque adeo, qui restiterim; tum autem, qui illum flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem: salve. *P.* Quid tu es tristis? quidve es alacris?
Unde is? *C.* Egone? nescio, hercule, neque unde eam, neque quorsum eam:
Ita prorsum oblitus sum mei.
P. Qui, quæso? *C.* Amo. *P.* Hem! *C.* Nunc, Parmeno te ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse: Chærea, aliquid inveni
Modo, quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
P. Age, inepte! *C.* Hoc, hercle, factum est: fac sis nunc promissa appareant;
Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient;
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum.
Tametsi bona 'st natura, reddunt curatura iunceas.
Itaque ergo amantur. *P.* Quid tua isthæc? *C.* Nova figura oris. *P.* Papæ!
C. Color verus, corpus solidum, et succi plenum.
P. Anni? *C.* Anni? sexdecim.
P. Flos ipse. *C.* Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
P. Quid? Virgo, cuia est? *C.* Nescio, hercle. *P.* Unde est? *C.* Tantumdem. *P.* Ubi habitat?
C. Ne id quidem. *P.* Ubi vidisti? *C.* In via.
P. Qua ratione amisisti?
C. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo:
Nec quemquam esse ego hominem arbitror, cui ma-
Felicitates omnes adversæ sient. (gis bonæ
P. Quid hoc est sceleris? *C.* Perii. *P.* Quid factum 'st? *C.* Rogas?
Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem,
Novistin'? *P.* Quid ni? *C.* Is, dum sequor hanc, fit mihi obviam.
P. Incommode, hercle. *C.* Immo enimvero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum liquet mihi deierare, his mensibus
Sex septem prorsum non vidisse proxumis,
Nisi nunc, cum minume vellē, minumeque opus fuit.
Eho! nonne hoc monstri simile 'st? quid ais? *P.* Maxu-
C. Continuo accurrit ad me, quā longe quidē, (me.
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens.
Heus! heus! tibi dico, Chærea, inquit. Restiti.
Scin' quid ego te volebam? Dic. Cras est mihi
Iudicium. Quid tum? Ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abiit hora. Rogo numquid velit?
Recte, inquit: Abeo. Cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostrā plateā. *P.* Mirū, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data est dono. *C.* Huc cum advenio, nulla e-
P. Comites secuti scilicet sunt virginem? (rat.
C. Verum: parasitus cum ancilla. *P.* Ipsa est: ilicet!
Desine: iam conclamatum est. *C.* Alias res agis.
P. Istuc ago quidem. *C.* Nostin' quæ sit? dic mihi:
Aut vidistin'? *P.* Vidi, novi: scio, quo abducta sit.
C. Eho, Parmeno mi, nostin'? *P.* Novi. *C.* Et scis ubi siet?
P. Huc deducta est ad meretricem Thaidem: ei dono data est.
C. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc?
P. Miles Thraso,
Phædriæ rivalis. *C.* Duras fratris partes prædicas.
P. Immo enim, si scias, quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. *C.* Quodnam, quæso, hercle?
P. Eunuchum. *C.* Illumne, obsecro,
Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem, mulierem?
P. Isthunc ipsum. *C.* Homo quatietur certe cum dono foras.
Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam.
P. Haud diu est.
C. Perii! nunquamne etiam me illam vidisse? ehodum dic mihi;
Estne, ut fertur, forma....? *P.* Sane. *C.* At nihil ad nostram hanc. *P.* Alia res est.
C. Obsecro, hercle, Parmeno, fac ut potiar.
P. Faciam sedulo, ac
Dabo operam, adiuvabo. Numquid me aliud vis?
C. Quo nunc is? *P.* Domum,
Ut mancipia hæc, ita ut iussit frater, deducam ad Thaidem.
C. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
P. Quid ita? *C.* Rogitas? summa forma semper conservam domi
Videbit: colloquetur: aderit una in unis ædibus;
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.
P. Quid si nunc tute fortunatus fias? *C.* Qua re, Parmeno?
Responde. *P.* Capias tu illius vestem. *C.* Vestem? quid tum postea?
P. Pro illo te ducam. *C.* Audio. *P.* Te esse illum dicam. *C.* Intelligo.
P. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sies.
Præterea forma et ætas ipsa 'st, facile ut pro eunucho probes.
C. Dixti pulchre: nunquam vidi melius consiliū dari.
Age, eamus intro: nunc iam orna me; abduc, duc, quantum potes.
P. Quid agis? iocabar equidem. *C.* Garris. *P.* Perii! quid ego egi miser?
Quo trudis? perculeris iam tu me. Tibi equidem dico, mane.
C. Eamus. *P.* Pergin'? *C.* Certum est. *P.* Vide ne nimium calidum hoc sit modo.
C. Non est profecto: sine. *P.* At enim isthæc in me cudetur faba. *C.* Ah!
P. Flagitium facimus. *C.* An id flagitium est, si in domum meretriciam
Deducar; et illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam
Habent despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?

An potius hæc [pati?] Æquum est fieri, ut a me ludatur dolis:
Quod qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes putent.
P. Quid istuc? si certum est facere, facias: verum, ne post conferas
Culpam in me. C. Non faciam. P. Iubesne?
C. Iubeo, cogo, atque impero.
Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. P. Di vortant bene.

Actus III. Scena I. *Thraso, Gnatho, Parmeno.*

T. Magnas vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingenteis. *T*. Ain' tu? læta 'st? *G*. Non tã ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id vero serio
Triumphat. *P*. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,
Deducam. Sed eccum Militem. *T*. Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.
G. Advorti, hercle, animũ. *T*. Vel rex semper maximas
Mihi agebat, quidquid feceram; aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem;
Quod in te est. *T*. Habes. *G*. Rex te ergo in oculis. . .
T. Scilicet.
G. Gestire. *T*. Vero: credere omnem exercitum,
Consilia. *G*. Mirum. *T*. Tum, sicubi eum satias
Hominum, aut negoti si quando odium ceperat;
Requiescere ubi volebat; quasi.... Nostin'? *G*. Scio:
Quasi ubi illã exspueret miseriã ex animo. *T*. Tenes.
Tum me convivam solum abducebat sibi. *G*. Hui!
Regem elegantem narras. *T*. Immo sic homo est
Perpaucorum hominum. *G*. Immo nullorũ arbitror,
Si tecum vivit. *T*. Invidere omnes mihi;
Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
Illi invidere misere; verum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.
Is ubi molestus magis est; Quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre, mehercle, dictum, et sapienter! papæ!
Iugularas hominem. Quid ille? *T*. Mutus illico.
G. Quidni esset? *P*. Dii, vostrã fidẽ! hominẽ perditũ
Miserumque, et illũ sacrilegũ! *T*. Quid? illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquid tibi dixi? *G*. Nunquam: sed narra, obsecro.
Plus millies audivi. *T*. Una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,
Et me irridere. Quid agis, inquam, homo impudens?
Lepus tute es, et pulpamentum quæris? *G*. Ha, ha, he!
T. Quid est? *G*. Facete, lepide, laute: nihil supra.
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.
T. Audieras? *G*. Sæpe; et fertur in primis. *T*. Meũ est.
G. Dolet, dictum imprudenti adolescenti et libero.
P. At te Di perdant! *G*. Quid ille, quæso? *T*. Perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri. Denique
Metuebant omnes iam me. *G*. Non iniuria.
T. Sed heus tu! purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicata 'st? *G*. Nihil minus.
Immo auge magis suspicionem. *T*. Cur? *G*. Rogas?
Scin'? si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat.... *T*. Sentio.
G. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comissatum; tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
Illius formam; tu huius contra. Denique
Par pari referto, quod eam mordeat.
T. Siquidem me amaret, tũ istuc prodesset, Gnatho.
G. Quando illud, quod tu das, expectat atque amat,
Iam dudum te amat: iam dudum illi facile fit,
Quod dolent: metuit semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Benedixti: at mihi istuc non in mentem venerat.
G. Ridiculum: non enim cogitaras: cæterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

Scena II. *Thais, Thraso, Parmeno, Gnatho, Pythias.*

Tha. Audire vocem visa sum modo Militis.
Atque eccum. Salve, mi Threso. *Thr*. O Thais mea,
Meum suavium! quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? *Pa*. Quam venuste! quod dedit
Principium adveniens! *Tha*. Plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? *Pa*. Hem alterũ!
Ex homine hunc natũ dicas. *Thr*. Ubi vis, non moror.
Pa. Adibo, atq; assimulabo, quasi nunc exeã:
Ituran', Thais quopiam es? *Tha*. Ehem Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura. *Pa*. Quo? *Tha*. Quid, hunc non vides?
Pa. Video, et me tædet. Ubi vis, dona adsunt tibi
A Phædria. *Thr*. Quid stamus? cur non imus hinc?
Pa. Quæso, hercle, ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, convenire et colloqui.
Thr. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
Pa. Res indicabit. Heus? iubete istos foras
Exire, quos iussi, ocyus, Procede tu huc.
Ex Æthiopia est usq; hæc. *Thr*. Hic sunt tres minæ.
G. Vix. *Pa*. Ubi tu es, Dore? accede, huc. Hem eunuchũ tibi!
Quam liberali facie, quam ætate integra!
Tha. Ita me Di ament, honestus est. *Pa*. Quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent: satis laudant. Fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, sollertem dabo.
Thr. Ego illum eunuchum, si opus sit, vel sobrius...
Pa. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi cæteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat: neque tibi obstat, quod quidam facit:
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
Thr. Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique. *G*. Nam, hercle, nemo posset, sat scio,
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Pa. Tace tu, quem ego esse infra infimos omneis puto
Homines: nam qui huic animum assentari induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.
Thr. Iamne imus? *Tha*. Hos prius introducam et, quæ volo
Simul imperabo: post continuo exeo.
Thr. Ego hinc abeo: tu istã opperire. *Pa*. Haud convenit
Una ire cum amica imperatorem in via.
Thr. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
G. Ha, ha, he! *Thr*. Quid rides? *G*. Istuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictũ in mentem venit.
Sed Thais exit. *Thr*. Abi præ, curre, ut sint domi
Parata. *G*. Fiat. *Tha*. Diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat: si id non commodũ est,
Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito.
Py. Ita faciam. *Tha*. Quid? quid aliud volui dicere?
Ehem? curate istam diligenter virginem:
Domi adsitis, facite. *Thr*. Eamus. *Tha*. Vos me sequimini.

Scena III. *Chremes, Pythias.*

C. Profecto, quanto magis magisque cogito,

Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me video ab ea astute labefactarier.
Iam tum cum primum iussit me ad se arcessier;
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem;
Ubi veni: causam, ut ibi manerem, repperit.
Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam
Velle agere mecum. Iam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia: ipsa accumbere
Mecum, mihi sese dare, sermonem quærere.
Ubi friget, huc evasit: quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent, dico; iam diu.
Rus Sunii ecquod haberem, et quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
Postremo, ecqua inde parva perisset soror;
Ecquis cum ea una; quid habuisset, cum periit?
Ecquis eam posset noscere? Hæc cur quæritet?
Nisi si illa forte, quæ olim periit parvula
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
Verum ea, si vivit, annos nata 'st sedecim,
Non maior. Thais, quam ego sum, maiuscula 'st,
Misit porro orare, ut venirem, serio.
Aut dicat quod volt; aut molesta ne siet:
Non, hercle, veniā tertio. Heus! heus! *P.* Ecquis hic?
C. Ego sum Chremes. *P.* O capitulum lepidissumū!
C. Dico ego mihi insidias fieri? *P.* Thais maximo
Te orabat opere, ut cras redires *C.* Rus eo.
P. Fac, amabo. *C.* Non possum, inquam.
P. At tu apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. *C.* Nihil minus. *P.* Cur, mi Chremes?
C. Malam rē? hinc abis? *P.* Si istuc ita certū est tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. *C.* Eo.
P. Abi, Dorias: cito hunc deduce ad Militem.

SCENA IV. *Antipho.*

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræeo,
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæreā ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum est.
Præteriit tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est: neque scio quid dicam, aut quid coniectem.
Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, ut illum quærā:
Idq; adeo visā, si domi est. Quisnā hinc a Thaide exit?
Is est, an non est? ipsus est: quid hoc hominis? qui hic ornatu 'est?
Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conicere;
Nisi, quidquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari.

SCENA V. *Chærea, Antipho.*

C. Numquis hic est? nemo est. Numquis hinc me sequitur? nemo homo 'st.
Iamne erumpere hoc licet mihi gaudiū? pro Iupiter!
Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur, [quoquo eam] rogitando obtundat, enecet;
Quid gestiam, aut quid lætus sim; quo pergam, unde emergam; ubi siem
Vestitum hunc nactus; quid mihi quæram; sanus sim an ne insaniam?
A. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chærea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit?
Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me adspectas?
Quid taces? *C.* O festus dies hominis! amice, salve.
Nemo 'st hominum, quem ego nunc magis cuperem videre quam te.
A. Narra, istuc, quæso, quid siet. *C.* Immo ego te obsecro, hercle, ut audias.
Nostin' hanc, quam amat frater? *A.* Novi, nempe, opinor, Thaidem.
C. Istam ipsam. *A.* Sic commemineram.
C. Quædam hodie est ei dono data
Virgo. Quid ego eius tibi nunc faciem prædicem aut laudem, Antipho;
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. *A.* Ain' tu? *C.* Primam dices, scio, si videris.
Quid multa verba? amare cœpi. Forte fortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi;
Neque is deductus etiamdum ad eam. Submonuit me Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui. *A.* Quid id est?
C. Tacitus citius audies.
Ut vestem cum eo mutem, et pro illo iubeam me illuc deducier.
A. Pro eunuchon'? *C.* Sic est. *A.* Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?
C. Rogas? viderem, audirem, essem una, qua cum cupiebam, Antipho.
Num parva causa, aut parva ratio 'st? Traditus sum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum:
Commendat virginem. *A.* Cui? tibine? *C.* Mihi.
A. Satis tuto tamen.
C. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: et mihi, ne abscedam, imperat:
In interiore parte ut maneam solus cum sola. Annuo.
Terram intuens modeste. *A.* Miser! *C.* Ego, inquit, ad cœnam hinc eo.
Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent,
Noviciæ puellæ. Continuo hæc adornant, ut lavet.
Adhortor, properent: dum apparatur virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc: Iovem
Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremiū imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi: et, quia consimilem luserat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculū per impluviū, fucū factum mulieri:
At quē Deū? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem. Ego illud vero ita feci, ac lubens.
Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
It, lavit, redit: deinde eam in lectum illæ collocant.
Sto exspectans, si quid mihi imperent. Venit una: Heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamus:
Ubi nos laverimus, si voles, lavato. Accipio tristis.

A. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem;
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
C. Vix elocuta 'st hoc, foras simul omnes proruunt se.
Abeunt lavatum: perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.
Interea somnus virginem opprimit: ego limis specto,
Sic per flabellum clanculū: simul alia circumspecto,
Satin' explorata sint: video esse: pessulum ostio obdo.
A. Quid tum? C. Quid? quid tum? fatue. A. Fateor.
C. An ego occasionem
Mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam tam insperatam,
Amitterem? tum, pol: ego is essem vere, qui simulabar.
A. Sane, hercle, ut dicis. Sed interim de symbolis quid actum est?
C. Paratum est. A. Frugi es: ubi? domin'? C. Immo apud libertum Discum.
A. Perlonge 'st: sed tanto ocyus properemus. Muta vestem.
C. Ubi mutem? perii; nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus sit: porro autē, pater ne rure redierit iam.
A. Eamus ad me: ibi proxumum est, ubi mutes.
C. Recte dicis.
Eamus: et de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere una tecum. A. Fiat.

ACTUS IV. SCENA I. *Dorias.*

Ita me Dii bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam, postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti iubeat. Ille continuo irasci:
Neque negare audere. Thaïs porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa, quæ cupiebat
De sorore eius indicare, ad eā rem tempus non erat.
Invitat tristis: mansit. Ibi illa cum illo sermonem occipit.
Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulū:
Voluit facere contra huic ægre. Heus, inquit, puer, Pamphilam
Arcesse, ut delectet hic nos. Illa exclamat, Minume gentium:
In convivium illam? Miles tendere: inde ad iurgium.
Interea aurum sibi clam mulier demit: dat mihi, ut auferam.
Hoc est signi; ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

SCENA II. *Phædria.*

Dum rus eo, cœpi egomet mecum, inter vias,
(Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ)
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Peiurem partē. Quid opus est verbis? dum hæc puto,
Præterii imprudens villam. Longe iam abieram,
Cum sensi. Redeo rursum, male vero me habens.
Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
Occepi mecum cogitare: Hem! biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est. Quid nihil? si non tangendi copia 'st,
Eho! ne videndi quidem erit? Si illud non licet,
Saltem hoc licebit: certe extrema linea
Amare haud nihil est. Villam prætereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

SCENA III. *Pythias, Phædria, Dorias.*

Py. Ubi ego illum scelerosum, misera, atque impium inveniam? aut ubi quæram?
Hoccine tam audax facinus facere esse ausum?
Ph. Perii! hoc quid sit, vereor.
Py. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo conscidit.
Ph. Hem! *Py.* Qui nunc si detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involē venefico!
Ph. Nescio quid profecto absente nobis turbatum 'st domi.
Adibo, Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?
Py. Ehem, Phædria, egon' quem quæram? abi hinc, quo dignus, cum donis tuis
Tam lepidis. *Ph.* Quid istuc est rei?
Py. Rogas me? Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!
Virginem, quam heræ dono dederat Miles, vitiavit.
Ph. Quid ais?
Py. Perii. *Ph.* Temulenta es. *Py.* Utinam sic sient, qui mihi male volunt!
D. Au! obsecro, mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit?
Ph. Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit?
Py. Ego illum nescio
Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrymat, neque, cum rogites quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet: etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. *Ph.* Nequeo mirari satis,
Quo ille abire ignavus possit longius: nisi si domum
Forte ad nos rediit. *Py.* Vise, amabo, num sit.
Ph. Iam faxo scies.
D. Perii! obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.
Py. At, pol, ego amatores mulierum esse audieram eos maxumos,
Sed nihil potesse: verum miseræ non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem virginem.

SCENA IV. *Phædria, Dorus, Pythias, Dorias.*

Ph. Exi foras, sceleste! at etiam restitas,
Fugitive? prodi, male conciliate. *Doru.* Obsecro.
Ph. Oh!
Illud vide; os ut sibi distorsit carnifex!
Quid huc reditio 'st? quid vestis mutatio?
Quid narras? paulum si cessassem, Pythias,
Domi non offendissem: ita iam adornabat fugam.
Py. Habesne hominem, amabo? *Ph.* Quidni habeam?
Py. O factum bene!
Dori. Istuc, pol, vero bene. *Py.* Ubi est? *Ph.* Rogitas? non vides?
Py. Videam? obsecro, quem? *Ph.* Hunc scilicet. *Py.* Quis hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie est. *Py.* Hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.
Ph. Non vidit? *Py.* An tu hunc credidisti esse, obsecro,

Ad nos deductum? *Ph.* Nam quem ? alium habui neminem. *Py.* Au!
Ne comparaudus hic quidem ad illum est: ille erat
Honesta facie et liberali. *Ph.* Ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
Py. Tace, obsecero; quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu vero videre velles, Phædria.
Hic est vetus, vietus, veternosus, senex,
Colore mustellino. *Ph.* Hem! quæ hæc est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu! emin' ego te? *Do.* Emisti. *Py.* Iube, mihi denuo
Respondeat. *Ph.* Roga. *Py.* Venistin' hodie ad nos?
At ille alter venit, annos natus sedecim, (Negat.
Quem secum adduxit Parmeno. *Ph.* Agedum, hoc mihi expedi
Primũ: istam quam habes, unde habes, vestẽ? taces?
Monstrum hominis! non dicturus? *Do.* Venit Chærea.
Ph. Fraterne? *Do.* Ito. *Ph.* Quando? *Do.* Hodie.
Ph. Quam dudum? *Do.* Modo.
Ph. Quicum? *Do.* Cum Parmenone. *Ph.* Norasne eum prius?
Do. Non; nec, quis esset, unquã audieram dicier.
Ph. Unde igitur fratrem meum esse sciebas?
Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit mihi hanc vestem.
Ph. Occidi!
Do. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.
Py. Iam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?
Iam satis certum est, virginem vitiatam esse?
Ph. Age nunc, bellua,
Credis huic quod dicit? *Py.* Quid isti credam? res ipsa indicat.
Ph. Concede isthuc paululum: audin'? etiam nunc paulum: sat est.
Dic dum hoc rursum: Chærea tuam vestem detraxit tibi?
Do. Factum. *Ph.* Et ea est indotus? *Do.* Factum.
Ph. Et pro te huc deductus est? *Do.* Ita.
Ph. Iupiter magne! o scelestum atque audacem hominem! *Py.* Væ mihi!
Etiam none non credis, indignis nos esse irrisas modis?
Ph. Mirum ni tu credis quod iste dicit: quid agam, nescio.
Heus! negato rursum. Possumne ego hodie ex te exsculpere
Verum? vidistin' fratrem Chæream? *Do.* Non.
Ph. Non potest sine
Malo fateri, video: sequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. *Do.* Obsecro te vero, Phædria. *Ph.* I intro nunc iam. *Do.* Oi! ei!
Ph. Alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio.
Actum est, siquidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere.
Py. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.
Dor. Sic est. *Py.* Inveniam, pol, hodie, parem ubi referam gratiam.
Sed nunc, quid faciundum censes, Dorias?
Dor. De istac rogas
Virgine? *Py.* Ita: utrum taceamne, an prædicem?
Dor Tu, pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re, et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. *Py* Ita faciam.
Dor. Sed videon' Chremem?
Thais iam aderit. *Py.* Quid ita? *Dor.* Quia, eum inde abeo, iam tum inceperat
Turba inter eos. *Py.* Aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc quid siet.

SCENA V. *Chremes, Pythias.*

C. At at! data, hercle, verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.
Ac, dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius!
Postquam surrexi, neque pes neque mens satis suum officium facit.
P. Chremes! *C.* Quis est? Ehem! Pythias. Vah! quanto nunc formosior
Videre mihi, quam dudum! *P.* Certe tu quidem, pol, et multo hilarior.
C. Verbum, hercle, hoc verum est, sine Cerere et Libero friget Venus.
Sed Thais multo ante venit? *P.* Anne abiit iam a Milite?
C. Iamdudum: ætatem: lites sunt inter eos factæ maxumæ.
P. Nihil dixit tum, ut sequerere sese? *C.* Nihil, nisi abiens mihi innuit.
P. Eho! nonne id sat erat? *C.* At nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit Miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras
Sed eccam ipsam: miror ubi ego huic antevorterim.

SCENA VI. *Thais, Chremes, Pythias.*

T. Credo equidem illum iam affuturum esse, ut illam a me eripiat. Sine, veniat!
Atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.
Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, et magnifica verba,
Verba dum sint: verum enim, si ad rem conferentur, vapulabit.
C. Thais, ego iam dudum hic adsum. *T.* O mi Chreme! te ipsum exspectabam.
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? *C.* Ad me? qui quasi istuc.....!
T. Quia, dum tibi sororem studeo
Reddere et restituere, hæc atque huiusmodi sum multa passa.
C. Ubi ea est? *T.* Domi apud me. *C.* Hem!
T. Quid est?
Educta ita, uti teque illaque dignum est. *C.* Quid ais? *T.* Id quod res est.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quidquam abs te pretii.
C. Et habetur, et refertur, Thais, a me, ita uti merita es, gratia.
T. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam hæc ea 'st, quam Miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monimentis.
C. Viden' tu illum, Thais? *P.* Ubi sita 'st?

T. In risco: odiosa, cessas?
C. Militem secum ad te quantas copias adducere?
Atat! *T.* Num formidolosus, obsecro, es, mi homo?
C. Apage sis,
Egon' formidolosus? nemo'st hominum, qui vivat, minus.
T. Atque ita opus est. *C.* Hau! metuo, qualem tu me esse hominem existumes.
T. Immo hoc cogitato; quicum res tibi est, peregrinus est;
Minus potens quam tu: minus notus, minus amicorum hic habens.
C. Scio istuc. Sed tu quod cavere possis, stultum admittere 'st.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta iniuria.
Tu abi, atque obsera ostium intus, ego dum hinc transcurro ad forum.
Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac.
T. Mane.
C. Melius est. *T.* Mane. *C.* Omitte: iam adero.
T. Nihil opus est istis, Chreme:
Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, et te parvam virginem
Amisisse; nunc cognosse: signa ostende.
P. Adsunt. *T.* Cape.
Si vim faciet, in ius ducito hominem: intellextin'?
C. Probe.
T. Fac animo hæc præsenti dicas. *C.* Faciam.
T. Attolle pallium.
Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

SCENA VII. *Thraso, Gnatho, Sanga, Chremes, Thais.*

Thr. Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce; sequimini.
Primum ædeis expugnabo. *G.* Recte. *Thr.* Virginem eripiam. *G.* Probe.
Thr. Male mulcabo ipsam. *G.* Pulchre. *Thr.* In medium huc agmen cum vecti, Donax:
Tu, Simalio, in sinistrum cornu: tu, Syrisce, in dexterum.
Cedô alios: ubi centurio est Sanga, et manipulus furum? *S.* Eccum, adest.
Thr. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui istuc huc portes, cogitas?
S. Egon'? Imperatoris virtutem noveram, et vim militum;
Sine sanguine hoc fieri non posse; qui abstergerem vulnera.
Thr. Ubi alii? *S.* Qui, malum, alii? solus Sannio servat domi.
Thr. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.
G. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
Thr. Idem hoc iam Pyrrhus factitavit. *C.* Viden' tu Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum est de occludendis ædibus.
Tha. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.
Ne metuas. *C.* Quid videtur? *Tha.* Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.
Thr. Sed eccam Thaidem ipsam video.
G. Quam mox irruimus? *Thr.* Mane.
Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an, quæ iubeam, sine vi faciat? *G.* Di, vostram fidem!
Quanti est sapere! Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
Thr. Thais, primum hoc mihi responde: cum tibi do istam virginem,
Dixtin', hos mihi dies soli dare te? *Tha.* Quid tum postea?
Thr. Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum!
Tha. Quid cum illo agas? *Thr.* Et cum eo clam te subduxti mihi.
Tha. Lubuit. *Thr.* Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.
C. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium...!
G. Ah! quid agis? tace.
Thr. Quid tu tibi vis? Ego non tangam meam?
C. Tuam autem, furcifer?
G. Cave sis; nescis, cui nunc male dicas viro.
C. Non tu hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res se habeat? Si quidquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam, ut huius loci, dieique, meique, semper memineris.
G. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
C. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis.
G. Ain' vero, canis?
Siccine agis? *Thr.* Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?
C. Scibis: principio eam esse dico liberam.
Thr. Hem! *C.* Civem Atticam *Thr.* Hui!
C. Meam sororem. *Thr.* Os durum! *C.* Miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc.
Thr. Tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? *C.* Prohibeo, inquam. *G.* Audin' tu? hic furti se alligat.
Satis hoc tibi est. *Thr.* Idem hoc tu ais, Thais?
Tha. Quære, qui respondeat.
Thr. Quid nunc agimus? *G.* Quin redeamus: iam hæc tibi aderit supplicans
Ultro. *Thr.* Credin'? *G.* Immo certe. Novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro.
Thr. Bene putas.
G. Iam dimitto exercitum? *Thr.* Ubi vis.
G. Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.
S. Iamdudum animus est in patinis. *G.* Frugi es.
Thr. Vos me hac sequimini.

ACTUS V. SCENA I. *Thais, Pythias.*

T. Pergin', scelesta, mecum perplexe loqui?
Scio; nescio; abiit; audivi; ego non affui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?
Virgo conscissa veste lacrymans obticet.
Eunuchus abiit: quamobrem? quid factum est? taces?
P. Quid tibi ego dicam, misera? illum eunuchum negant
Fuisse. *T.* Quis fuit igitur? *P.* Iste Chærea.
T. Qui Chærea? *P.* Iste ephebus, frater Phædriæ.
T. Quid ais, venefica?
P. Atqui certo comperi.

T. Quid is, obsecro, ad nos? quamobrem adductus est? *P.* Nescio;
Nisi amasse credo Pamphilam. *T.* Hem! misera oc-
Infelix! siquidem tu istæc vera prædicas. (cidi!
Num id lacrymat virgo? *P.* Id, opinor. *T.* Quid ais, sacrilega?
Istuccine interminata sum, hinc abiens, tibi?
P. Quid facerem? ita ut tu iusti, soli credita 'st.
T. Scelesta! lupo ovem commisisti. Dispudet,
Sic mihi data esse verba. Quid illic hominis est?
P. Hera mea, tace, tace, obsecro, salvæ sumus:
Habemus hominem ipsum. *T.* Ubi is est? *P.* Hem! ad sinistram.
Videsne? *T.* Video. *P.* Comprehendi iube, quantum potest.
T. Quid illo faciemus, stulta? *P.* Quid facias, rogas?
Vide, amabo! si non, cum aspicias, os impudens
Videtur. *T.* Non est. *P.* Tum quæ eius confidentia'st!

SCENA II. *Chærea, Thais, Pythias.*

C. Apud Antiphonem uterque, mater et pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin viderent me. Interim,
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam
Venit. Ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa 'st: hæreo,
Quid faciam. Quid mea autem? quid faciet mihi?
T. Adeamus. Bone vir, Dore, salve: dic mihi, (cet?
Aufugistin'? *C.* Hera, factum. *T.* Satin' id tibi pla-
C. Non. *T.* Credin' te impune habiturum?
C. Unam hanc noxiam
Mitte: si aliam admisero unquam, occidito. (igitur?
T. Num meam sævitiam veritus? *C.* Non. *T.* Quid
C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. Quid feceras? *C.* Paululum quiddam. *P.* Eho! paululum, impudens?
An paulum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare civem? *C.* Conservam esse credidi.
P. Conservam! vix me contineo, quin involem in
Capillum. Monstrum etiam ultro derisum advenit!
T. Abin hinc, insana? *P.* Quid ita vero? debeam,
Credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim;
Præsertim cum se servum fateatur tuum.
T. Missa hæc faciamus. Non te dignum, Chærea,
Fecisti: nam, etsi ego digna hac contumelia
Sum maxume; at tu indignus, qui faceres tamen.
Neque, ædepol, quid nunc consilii capiam, scio,
De virgine isthac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam non possim suis,
Ita ut æquum fuerat, atque ut studui, tradere;
Ut solidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
C. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais: sæpe ex huiusmodi re quapiam, et
Malo principio, magna familiaritas
Conflata est. Quid si hoc quispiam voluit Deus?
T. Equidem, pol in eam partem accipioque, et volo.
C. Immo ita quæso. Unum hoc scito: contumeliæ
Non me fecisse causa, sed amoris. *T.* Scio.
Et, pol, propterea mage nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea,
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
C. Te quoque iam, Thais, ita me Di bene ament, amo.
P. Tum, pol, tibi ab isthoc, hera, cavendum intelligo.
C. Non ausim. *P.* Nihil tibi quidquam credo.
T. Desinas.
C. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adiutrix sies.
Ego me tuæ commendo et committo fidei.
Te mihi patronam capio, Thais; te obsecro:
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.
T. Tamen si pater... *C.* Quid? ah! volet, certo scio;
Civis modo hæc sit. *T.* Paululum opperirier
Si vis, iam frater ipse hic aderit virginis:
Nutricem arcessitum iit, quæ illam aluit parvulam:
In cognoscendo tute ipse aderis, Chærea.
C. Ego vero maneo. *T.* Vin' interea, dum is venit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
C. Immo percupio. *P.* Quam tu rem actura, obsecro, es?
T. Nam quid ita? *P.* Rogitas? hunc tu in ædeis cogitas
Recipere posthac? *T.* Cur non? *P.* Crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. *T.* Au! tace,
P. Parum perspexisse eius videre audaciam. (obsecro.
C. Non faciam, Pythias. *P.* Non, pol, credo, Chærea,
Nisi si commissum non erit. *C.* Quin, Pythias,
Tu me servato. *P.* Neque pol servandum tibi
Quidquam dare ausim, neque te servare: apage te.
T. Adest optume ipse frater. *C.* Perii, hercle! obsecro
Abeamus intro, Thais: nolo me in via (quia pudet?
Cum hac veste videat. *T.* Quamobrem tandem? an
C. Id ipsum. *P.* Id ipsum? virgo vero! *T.* I præ, sequor.
Tu isthic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

SCENA III. *Pythias, Chremes, Sophrona.*

P. Quid? quid venire in mentem nunc possit mihi?
Quidnam? qui referam illi sacrilego gratiam,
Qui hunc supposuit nobis? *C.* Move vero ocyus
Te, nutrix. *S.* Moveo. *C.* Video: sed nihil promoves.
P. Iamne ostendisti signa nutrici? *C.* Omnia.
P. Amabo! quid ait? cognoscitne? *C.* Ac memoriter.
P. Bene, ædepol, narras: nam illi faveo virgini.
Ite intro: iamdudum hera vos expectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video: vide ut otiosus it, si Dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

SCENA IV. *Parmeno, Pythias.*

Pa. Reviso, quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod si astu rem tractavit, Di, vostram fidem!
Quantam, at quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam, ut mittam, quod ei amorem difficillimum, et
Carissimum ab meretrice avara, virginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia,
Sine sumtu, sine dispendio. tum hoc alterum,
Id vero est, quod ego mihi puto palmarium,
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere;
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quidquam, nec magis elegans;
Quæ, cum amatore suo cum cœnant, ligurriunt:
Harum videre [ingluviem,] sordes, inopiam;
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi;
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent;
Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.
Py. Ego, pol, te pro istis dictis et factis, scelus,
Ulciscar; ut ne impune in nos illuseris.
Pro fidem Deum! facinus fœdum! o infelicem adolescentulum!
O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit!
Pa. Quid est?

Py. Miseret me: itaque, ut ne viderem, misera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna!
Pa. O Iupiter!
Quæ illæc turba 'st? numnam ego perii? adibo. Quid istuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *Py.* Rogitas, audacissume?
Perdidisti istum, quem adduxti pro eunucho adolescentulum,
Dum studes dare verba nobis. *Pa.* Quid ita? aut quid factum 'st? cedo.
Py. Dicam: virginem istam, Thaidi quæ hodie dono data 'st,
Scis eam hinc civem esse? et fratrem eius esse apprime nobilem?
Pa. Nescio. *Py.* Atqui sic inventa 'st. Eam iste vitiavit miser.
Ille ubi [id] rescivit factū, frater violentissumus....
Pa. Quidnam fecit? *Py.* Colligavit primum eum miseris modis. *Pa.* Hem!
Colligavit? *Py.* Atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
Pa. Quid ais? *Py.* Nunc minatur porro, sese id, quod mœchis solet....
Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim.
Pa. Qua audacia
Tantum facinus audet? *Py.* Quid ita tantum?
Pa. An non tibi hoc maxumum est?
Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia
Prehendi quemquam? *Py.* Nescio. *Pa.* At ne hoc nesciatis, Pythias,
Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium.
Py. Hem!
Obsecro, an is est? *Pa.* Ne quam in illum Thais vim fieri sinat.
Atque adeo autem cur non egomet intro eo?
Py. Vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi prosis, et tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum est, ex te esse ortum. *Pa.* Quid igitur faciam miser?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem senem.
Dicam huic, an non? dicam hercle, etsi mihi magnum malum
Scio paratum; sed necesse est, huic ut subveniat.
Py. Sapis.
Ego abeo intro: tu isti narra omnem rem ordine, ut factum siet.

SCENA. V. *Laches, Parmeno.*

L. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi;
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.
Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?
P. Quis homo 'st? ehem! salvum te advenire, here, gaudeo.
L. Quem præstolare? *P.* Perii! lingua hæret metu.
L. Hem! quid est? quid trepidas? satin' salvæ? dic mihi.
P. Here, primum te arbitrari, quod res est, velim:
Quidquid huius factum est, culpa non factū est mea.
L. Quid? *P.* Recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quemdam Phædria
Eunuchū, quem dono huic daret. *L.* Cui? *P.* Thaidi.
L. Emit! perii, hercle! quanti? *P.* Viginti minis.
L. Actum est! *P.* Tum quamdam fidicinam amat hic Chærea.
L. Hem! quid? amat? an scit iam ille, quid meretrix siet?
An in Astu venit? aliud ex alio malum.
P. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.
L. Omitte de te dicere: ego te, furcifer,
Si vivo....! Sed istuc, quidquid est, primum expedi.
P. Is, pro illo eunucho, ad Thaidem deductus est.
L. Pro eunuchon'! *P.* Sic est: hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, et constrinxere. *L.* Occidi!
P. Audaciam meretricum specta. *L.* Numquid est
Aliud mali damnive, quod non dixeris,
Reliquom? *P.* Tantum est. *L.* Cesso huc introrumpere?
P. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum;
Nisi quia necesse fuit hoc facere. Id gaudeo,
Propter me hisce aliquid esse eventurum mali:
Nam iam diu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrē insigne aliquid faceret his: nunc reperit.

SCENA VI. *Pythias, Parmeno.*

Py. Nunquam, ædepol, quidquam iam diu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi solæ ridiculū fuit, quæ quid timeret, sciebam.
Pa. Quid hoc autem 'st? *Py.* Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi, obsecro, is est? *Pa.* Men' quærit hæc?
Py. Atque eccum video: adibo.
Pa. Quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *Py.* Perii:
Defessa iam sum misera te ridendo. *Pa.* Quid ita?
Py. Rogitas?
Nunquam, pol, hominem stultiorem vidi, nec videbo. Ah!
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus.
At etiā primo callidū et disertum credidi hominem.
Quid? illicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pœnitebat flagitii, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserū insuper etiā patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? iam scis te periisse?
Pa. Hem! quid dixti, pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itan', lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere?
Py. Nimium.
Pa. Si quidem istuc impune habueris. *Py.* Verum!
Pa. Reddam, hercle. *Py.* Credo.
Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.
Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitiis, et eumdem indicas: uterque in te exempla edent.
Pa. Nullus sum! *Py.* Hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.
Pa. Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perii.

SCENA. VII. *Gnatho, Thraso.*

G. Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso?

T. Egone? ut Thaidi me dedam, et faciam quod lubeat. *G.* Quid est?
T. Qui minus, quam Hercules servivit Omphalæ?
G. Exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!
Sed fores crepuere ab ea.
T. Perii: quid hoc autem 'st mali?
Hunc ego nunquam videram etiam: quidnam properans hinc prosilit?

SCENA. VIII. *Chærea, Parmeno, Phædria, Gnatho, Thraso.*

C. O Populares! ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo, hercle quisquam: nam in me plane Di potestatem suam
Omnem ostendere; cui tam subito tot contigerint commoda.
Pa. Quid hic lætus est? *C.* O Parmeno mi! o mearum voluptatum omnium
Inventor, inceptor, perfector! scin' me in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *Pa.* Audivi. *C.* Scis sponsam mihi?
Pa. Bene, ita me Di ament, factum. *G.* Audin' tu illum, quid ait? *C.* Tum autem Phædriæ,
Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una 'st domus.
Thais patri se commendavit in clientelam et fidem;
Nobis dedit se. *Pa.* Fratris igitur Thais tota 'st?
C. Scilicet.
Pa. Iam hoc aliud est quod gaudeamus: Miles pellitur foras.
C. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat. *Pa.* Visam domum.
T. Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim?
G. Sine dubio, opinor. *C.* Quid commemorem primum, aut laudem maxume?
Illumne, qui mihi consilium dedit, ut facerem; an me, qui ausus sim
Incipere? an Fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit;
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem?
An mei patris festivitatem, et facilitatem? O Iupiter!
Serva, obsecro, hæc nobis bona. *Ph.* Di, vostram fidem! incredibilia
Parmeno modo quæ narravit! sed ubi est frater?
C. Præsto adest.
Ph. Gaudeo. *C.* Satis credo. Nihil est Thaide hac tua, frater, dignius
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ.
Ph. Mihi illam laudas? *T.* Perii! quanto minus spei est, tanto magis amo.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. *G.* Quid vis faciam? *T.* Perfice hoc
Precibus, pretio ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
G. Difficile est. *T.* Si quid collibuit, novi te.... Hoc si effeceris,
Quodvis donum et præmium a me optato; id optatum feres.
G. Itane? *T.* Sic erit. *G.* Si efficio hoc, postulo, ut mihi tua domus,
Te præsente, absente, pateat; invocato ut sit locus
Semper. *T.* Do fidem, futurum. *G.* Accingar.
Ph. Quem hic ego audio?
O Thraso! *T.* Salvete.
Ph. Tu fortasse, quæ facta hic sint, nescis.
T. Scio. *Ph.* Cur ergo in his ego te conspicor regionibus?
T. Vobis fretus. *Ph.* Scin' quam fretus? Miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam, iter hac habui: periisti.
G. Eia! haud sic decet.
Ph. Dictum est. *G.* Non cognosco vostrum tam superbum. *Ph.* Sic erit.
G. Prius audite paucis: quod cū dixero, si placuerit,
Facitote. *Ph.* Audiamus. *G.* Tu concede paulum isthuc, Thraso.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me, huius quidquid facio, id facere maxume causa mea:
Verum idem si vobis prodest, vos non facere, inscitia 'st.
Ph. Quid id est? *G.* Militem ego rivalem recipiundum censeo. *Ph.* Hem!
Recipiundum! *G.* Cogita modo. Tu, hercle cum illa, Phædria,
Et libenter vivis: etenim bene libenter victitas.
Quod des, paulum est; et necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit sine sumtu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo,
Nemo 'st: principio et habet quod det, et dat nemo largius.
Fatuus est, insulsus, tardus: stertit noctesque et dies.
Neque tu istum metuas ne amet mulier: facile pellas, ubi velis.
Ph. Quid agimus? *G.* Præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto:
Accipit [hominem] nemo melius prorsus, neque prolixius.
Ph. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est.
C. Idem ego arbitror.
G. Recte facitis. Unum etiam hoc vos oro, ut me in vostrum gregem
Recipiatis; satis diu hoc iam saxum volvo.
Ph. Recipimus.
C. Ac libenter. *G.* At ego pro isthoc, Phædria, et tu Chærea,
Hunc comedendum et deridendum vobis propino.
C. Placet.
Ph. Dignus est. *G.* Thraso! ubi vis, accede.
T. Obsecro te, quid agimus?
G. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos,
Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. *T.* Bene fecisti: gratiā habeo maxumam.
Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
G. Disin' ego in hoc inesse vobis Atticā elegantiam?
Ph. Nihil prætermissum est. Ite hac. Ω. Vos valete, et plaudite.

Heautontimorumenos

Acta ludis Megalenaibus, L. Cornelio Lentulo L. Valerio Flacco ædilibus curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio et L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudii. Græca est Menandru. Acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris. Acta III. Edita M. Iuventio et M. Sempronio coss.

PERSONÆ

ANTIPHILA, *Amica Cliniæ.*
BACCHIS, *amica Clitiphonis.*
CHREMES, *senex, Clitiphonis pater.*
CLINIA, *Menedemi filius.*
CLITIPHO, *Chremetis filius.*
DROMO, *servus Menedemi.*
MENEDEMUS *Cliniæ pater.* NUTRIX.
PHRYGIA, *ancilla.* SOSTRATA, *Chremetis uxor.*
SYRUS, *servus Chremetis.*

C. Sulpitii Apollinaris Periocha

In militiam proficisei gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut reversus est, clam patrem divortitur
Ad Clitiphonem: is amabat scortum Bacchidem.
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut eius Bacchis venit amica, ac servulæ
Habitum gerens Antiphila: factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic, technis Syri,
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho, uxorem accipit.

Prologus

Ne cui sit vostrum mirum, cur parteis seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Græca, integram comœdiam
Hodie sum acturus, Heauton timorumenon;
Duplex quæ ex argumento facta 'st simplici.
Novā esse ostendi, et quæ esset: nunc qui scripserit,
Et cuia Græca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire vostrum, id dicerem.
Nunc quamobrem has parteis didicerī, paucis dabo.
Oratorem voluit esse me, non Prologum.
Vostrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam, quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Paucas Latinas; factum hic esse id non negat,
Neque se id pigere; et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum; quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum, quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua;
Arbitrium vostrum, vostra existumatio
Valebit: quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum possit, quam æquum, oratio.
Facite æqui sitis: date crescendi copiam,
Novarum qui spectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum: cur insano serviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo: date potestatem, mihi
Statariam agere ut liceat per silentium;
Ne semper servus currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Avarus leno, assidue agendi sint mihi:
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea causa causam hanc iustam esse, aīmū inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si quæ laboriosa 'st, ad me curritur:
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio: experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis;
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

ACTUS I. SCENA I. *Chremes, Menedemus.*

C. Quamquā hæc inter nos nuper notitia admodū 'st,
Inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es;
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit;
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam, et familiariter;
Quod mihi videre, præter ætatem tuam,
Facere, et præter quam res te adhortatur tua.
Nam, pro Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
Quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conicio: agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii maioris, nemo habet:
Servos complureis: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revortor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim dices, Me quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?
C. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari, puta.
Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream.
M. Mihi sic est usus: tibi ut opus facto 'st, face.
C. An cuiquā est usus homini, se ut cruciet? *M.* Mihi.
C. Si quid laboris est, nollē: sed quid istuc mali est,
Quæso? quid de te tantum meruisti? *M.* Eheu!
C. Ne lacryma: atque istuc, quidquid est, fac me ut
Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi: (sciam:
Aut consolando, aut consilio, aut re, iuvero.
M. Scire hoc vis? *C.* Hac quidem causa, qua dixi tibi.
M. Dicetur. *C.* At istos rastros interea tamen
Appone: ne labora. *M.* Minume. *C.* Quam rem agis?
M. Sine me, vacivum tempus ne quod dem mihi
Laboris. *C.* Non sinam, inquam. *M.* Ah! Non æqu-
um facis.
C. Hui! tā graves hos, quæso? *M.* Sic meritū 'st meū.
C. Nunc loquere. *M.* Filiū unicū adolescentulū (me:
Habeo; ah! quid dixi habere me? immo habui, Chre-
Nunc habeam, necne, incertum est. *C.* Quid ita i-
stuc? *M.* Scies.

Est e Corintho hic advena anus paupercula:
Eius filiam ille amare cœpit perdite,
Prope iā ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.
Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,
Tractare; sed vi, et via pervolgata patrum.
Quotidie accusabam: Hem! tibine hæc diutius
Licere speras facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum 'st, facies: sed, si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego, istuc ætatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
Simul rem, et belli gloriam, armis reperi.
Postremo adeo res rediit; adolescentulus,
Sæpe eadem et graviter audiendo, victus est.
Et ætate putavit me, et benevolentia
Plus scire, et providere, quam se ipsum sibi.
In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.
C. Quid ais? *M.* Clā me profectus, menses treis abest.
C. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, et non instrenui.
M. Ubi comperi ex iis qui ei fuere conscii,
Domum revortor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Assido; accurrunt servi; soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc; cœpi cogitare: Hem! tot mea
Solius solliciti sint causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea 'st,
Eum ego hinc eieci miserum iniustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam: nam, usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia;
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exercerent suum,
Omnes produxi ac vendidi: inscripsi illico
Ædeis mercede: quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo.
Decrevi tantisper me minus iniuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser:
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps.
C. Ingenio te esse in liberos leni puto,
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret. Verum neque tu illum satis noveras,
Nec te ille: hocque fit, ubi non vere vivitur.
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes;
Nec tibi ille 'st credere ausus, quæ est æquom patri:
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.
M. Ita res est, fateor: peccatum a me maximum est.
C. Menedeme, at porro recte spero; et illum tibi
Salvum affuturum esse hic, confido, propediem.
M. Utinā ita Di faxint! *C.* Facient: nunc, si commo-
Dionysia hic sunt hodie, apud me sis, volo. (dū est,
M. Non possū. *C.* Cur non? quæso, tandē aliquantulū
Tibi parce: idem absens facere te hoc vult filius.
M. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. *C.* Siccine est sententia?
M. Sic. *C.* Bene vale. *M.* Et tu. *C.* Lacrymas excussit
Miseretque me eius. Sed, ut diei tempus est, (mihi,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: iam dudum domi
Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro: sed quid crepuerunt fores
Hinc a me? quisnam egreditur? huc concessero.

SCENA II. *Clitipho, Chremes.*

Cl. Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam etiam cessant:
Et illam simul, cum nuntio, tibi hic ego affuturam hodie scio:
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.
Ch. Quicum loquitur filius?
Cl. Pater adest, quem volui: adibo. Pater, opportune advenis.
Ch. Quid id est? *Cl.* Hunc Menedemum nostin', nostrum vicinum? *Ch.* Probe.
Cl. Huic filium scis esse? *Ch.* Audivi, esse in Asia.
Cl. Non est, pater:
Apud nos est. *Ch.* Quid ais? *Cl.* Advenientem, e navi egredientem, illico
Abduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo iam inde usque a pueritia
Fuit semper familiaritas. *Ch.* Voluptatem magnam nuntias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum esset hodie, amplius;
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei obiicerem domi.
Atque etiam nunc tempus est. *Cl.* Cave faxis; non opus est, pater.
Ch. Quapropter? *Cl.* Quia enim incertum 'st etiam, quid se faciat: modo venit.
Timet omnia, patris iram, et animum amicæ, se erga ut siet, suæ:
Eam misere amat: propter eam hæc turba atque abitio evenit. *Ch.* Scio.
Cl. Nunc servulum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.
Ch. Quid narrat? *Cl.* Quid ille? se miserum esse.
Ch. Miserum? quem minus credere 'st?
Quid reliqui 'st, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
Cl. Immo ille fuit senex importunus semper: et nunc nihil magis
Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.
Ch. Illene? Sed reprimam me; nam in metu esse hunc, illi est utile.
Cl. Quid tute tecum? *Ch.* Dicam. Ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquantum iniquior erat præter eius lubidinem.
Pateretur: nā quē ferret, si parentē non ferret suum?
Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius, vivere?
Et quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum iniuriæ

Uniusmodi sunt ferme; paulo qui est homo tolerabilis.
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro convivarier:
Præbent exigue sumtum: atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.
Verū ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia. Hoc
Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
Cl. Ita credo *Ch.* Ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid cœnæ siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

ACTUS II. SCENA I. *Clitipho.*

Quam iniqui sunt patres, in omnes adolescentes, iudices!
Qui æquum esse censent, nos iam a pueris illico nasci senes;
Neque illarū affines esse rerū, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, næ, ille facili me utetur patre;
Nam et cognoscendi, et ignoscendi dabitur peccati locus.
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perii! is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!
Nunc ait: Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.
Astutus! næ, ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant: Da mihi, atque affer mihi:
Cui quid respondeam, nihil habeo; neque me quisquam est miserior.
Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductā, ignarā artis meretriciæ.
Mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.
Tum, quod dem ei, Recte est: nam, nihil esse mihi, religio 'st dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni; neque etiam dum scit pater.

SCENA II. *Clinia, Clitipho.*

Clin. Si mihi secundæ res de amore meo essent, iamdudum, scio,
Venissent: sed vereor, ne mulier, me absente, hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant;
Locus, occasio, ætas, mater, cuius sub imperio 'st, mala:
Cui nihil iam præter pretium dulce 'st. *Clit.* Clinia.
Clin. Hei misero mihi!
Clit. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens?
Clin. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.
Clit. Pergin' istuc prius diiudicare, quam scis, quid veri siet?
Clin. Si nihil mali esset, iam hic adessent.
Clit. Iam aderunt. *Clin.* Quando istuc erit?
Clit. Non cogitas hinc longule esse? et nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.
Clin. O Clitipho!
Timeo. *Clit.* Respira: eccum Dromonem cum Syro, una adsunt tibi.

SCENA III. *Syrus, Dromo, Clitipho, Clinia.*

S. Aiu' tu? *D.* Sic est. *S.* Verum interea, dum sermones cædimus,
Illæ sunt relictæ. *Clit.* Mulier tibi adest, audin', Clinia?
Clin. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo, Clitipho.
D. Minume mirum, adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. *Clin.* Perii! unde illi sunt ancillæ?
Clit. Men' rogas?
S. Non oportuit relictas: portant quid rerum!
Clin. Hei mihi!
S. Aurum, vestē: et vesperascit, et non noverunt viā.
Factum a nobis stulte est: abi dum tu, Dromo, illis obviam;
Propera: quid stas? *Clin.* Væ misero mihi! quanta de spe decidi!
Clit. Quid istuc? quæ res te sollicitat autem?
Clin. Rogitas quid siet?
Viden' tu ancillas, aurum, vestem? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui: unde ea esse censes? *Clit.* Vah! nunc demum intelligo.
S. Di boni! quid turbæ est! ædes nostræ vix capient, scio,
Quid comedent! quid ebibent! quid sene erit nostro miserius?
Sed video; eccos, quos volebam. *Clin.* O Iupiter! ubinam est fides?
Dum ego, propter te errans, patria careo demens, tu interea loci
Collocupletasti te, Antiphila: et me in his deseruisti malis,
Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens:
Cuius nunc pudet me, et miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra; neque potuisse unquam ab hac me expellere.
Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me *S.* Hic de nostris verbis errat videlicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam et vita est eadē, et animus te erga idem, ac fuit;
Quantum ex ipsa re coniecturam cepimus.
Clin. Quid est, obsecro? nā mihi nunc nihil rerū om-
Quod malim, quā me hoc falso suspicarier. (niū 'st
S. Hoc primum, ut ne quid huius rerū ignores, anus,
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipsa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audivi *Clit.* Quænam est altera?
S. Mane: hoc, quod cœpi, primum enarrē, Clitipho:
Post isthuc veniam. *Clit.* Propera. *S.* Iam primu om-
Ubi ventum ad ædes est, Dromo pultat fores: (niū,
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se coniecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum: ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam, te absente, exegerit,
Ubi de improviso interventum est mulieri:
Nam ea res dedit tum existumandi copiam

Quotidianæ vitæ consuetudinem,
Quæ, cuiusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Eius anuis causa, opinor, quæ erat mortua;
Sine auro: tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi:
Nulla mala re esse expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Reiectus negligenter: pax! *Clin.* Syre mi, obsecro,
Ne me in lætitiam frustra conicias. *S.* Anus
Subtemen nebat: præterea una ancillula
Erat; ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. *Clit.* Si hæc sunt, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit sordidatam et sordidam?
Magnũ hoc quoque signũ est, dominã esse extra noxiam,
Cum eius tam negliguntur internuntii:
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Clin. Perge, obsecro te: et cave, ne falsam gratiam
Studeas inire. Quid ait, ubi me nominas?
S. Ubi dicimus redisse te, et rogare uti
Veniret ad te; mulier telam deserit
Continuo, et lacrymis opplet os totum sibi: ut
Facile scires, desiderio id fieri tuo.
Clin. Præ gaudio (ita me Di ament) ubi sim, nescio:
Ita timui. *Clit.* At ego nihil esse scibam, Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa 'st altera?
S. Adducimus tuam Bacchidem. *Clit.* Hem! quid Bacchidem?
Eho, sceleste! quo illam ducis? *S.* Quo illam ego? ad nos scilicet.
Clit. Ad patremne? *S.* Ad eum ipsum. *Clit.* O hominis impudentem audaciam!
S. Heus! Non fit sine periclo facinus magnum et memorabile.
Clit. Hoc vide! in mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus!
Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? *S.* At enim.... *Clit.* Quid enim?
S. Si sinas, dicam. *Clin.* Sine.
Clit. Sino. *S.* Ita res est hæc nunc, quasi cum....
Clit. Quas, malum! ambages mihi
Narrare occipit? *Clin.* Syre, verum hic dicit; mitte: ad rem redi.
S. Enimvero reticere nequeo: multimodis iniurius,
Clitipho, es; neque ferri potis es. *Clin.* Audiundum, hercle, est: tace.
S. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum esse in potiundo periclum non vis: haud stulte sapis:
Siquidem id sapere 'st, velle te id, quod non potest, contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.
Harum duarum conditionũ nunc utram malis, vide;
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio:
Nam, tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia 'st.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:
Quod ut efficerem, orando surdas iam aures reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? *Clit.* Siquidem hoc fit. *S.* Siquidem, experiundo scies.
Clit. Age, age, cedo istuc tuum consilium: quid id est? *S.* Assimulabimus,
Tuam amicam huius esse. *Clit.* Pulchre! Cedo quid hic faciet sua?
An ea quoque dicetur huius, si una hæc dedecori est parum?
S. Immo ad tuam matrem abducetur. *Clit.* Quid eo?
S. Longum 'st, Clitipho,
Si tibi narrem. Quamobrem id faciam, vera causa est. *Clit.* Fabulæ!
Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.
S. Mane: habeo aliud, si istud metuis; quod ambo confiteamini
Sine periclo esse. *Clit.* Huiusmodi, obsecro, aliquid reperi. *S.* Maxume.
Ibo obviã hinc: dicã ut revortantur domũ. *Clit.* Hem!
Quid dixti? *S.* Ademtũ tibi iam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otiose ut dormias.
Clit. Quid ago nunc? *Clin.* Tune? quod boni est.
Clit. Syre, dic modo
Verum. *S.* Age modo, hodie sero ac nequidquã voles.
Clin. Datur: fruare, dum licet; nam nescias,
Eius sit potestas posthac, an unquam, tibi.
Clit. Syre, inquam. *S.* Perge porro, tamen istuc ago.
Clit. Verum, hercle, istuc est. Syre! Syre! inquam; heus, heus, Syre!
S. Concaluit. Quid vis? *Clit.* Redi, redi. *S.* Adsum; dic quid est?
Iam hoc quoque negabis tibi placere? *Clit.* Immo, Syre,
Et me, et meum amorem, et famã, permitto tibi.
Tu es iudex: ne quid accusandus sis, vide.
S. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho;
Quasi isthic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte advorsi evenerit,
Tibi erunt parata verba; huic homini verbera:
Quapropter hæc res neutiquam neglectui est mihi.
Sed isthunc exora, ut suam esse assimulet. *Clin.* Scilicet
Facturum me esse: in eum iam res rediit locũ,
Ut sit necesse. *Clit.* Amo te merito, Clinia.
Clin. Verum illa ne quid titubet. *S.* Perdocta 'st probe.
Clin. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere!
S. In tempore ad eam veni; quod rerum omnium est
Primum: nam quendam misere offendi militem
Eius noctem orantem: hæc arte tractabat virum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut esset apud te ob hoc quam gratissuma.
Sed, heus tu! vide sis, ne quid imprudens ruas:
Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem novi, quam esse soleas impotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine.
Clit. Laudabis. *S.* Vide sis! *Clit.* Tutemet mirabere.
S. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres!
Clit. Ubi sunt? cur retines? *S.* Iam nunc hæc non est tua.
Clit. Scio; apud patrem: at nunc interim.....
S. Nihilo magis.
Clit. Sine. *S.* Non sinam, inquam. *Clit.* Quæso, paulisper. *S.* Veto.
Clit. Saltem salutare. *S.* Abeas, si sapis. *Clit.* Eo.
Quid isthic? *S.* Manebit. *Clit.* O hominem felicem!
S. Ambula.

SCENA IV. *Bacchis, Antiphila, Clinia, Syrus.*

B. Ædepol, te, mea Antiphila, laudo, et fortunatam iudico,
Id cum studuisti, isti formæ ut mores consimiles forent:
Minumeque (ita me Di ament) miror, si te sibi quisque expetit.
Nã mihi, quale ingeniũ haberes, fuit indicio oratio.

Et cū egomet nunc mecū in animo vitā tuā considero
Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ abs se segregant;
Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile 'st.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscū est res, non sinunt.
Quippe, forma impulsi nostra, nos amatores colunt:
Hæc ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus.
Vobiscum uno semel ubi ætatē agere decretū 'st viro
Cuius mos maxume 'st consimilis vostrum; hi se ad vos applicant.
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini;
Ut nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
A. Nescio alias; me quidē semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *C.* Ah!
Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis:
Nam, dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam, tui carendum quod erat. *S.* Credo.
C. Syre, vix suffero.
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui!
S. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.
B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos?
A. Ah! retine me, obsecro.
S. Amabo, quid tibi est? *A.* Disperii! perii misera!
B. Quid stupes,
Antiphila? *A.* Videon' Cliniā, an non? *B.* Quē vides?
C. Salve, anime mi! *A.* O mi exspectate! salve! *C.* Ut vales?
A. Salvum advenisse gaudeo. *C.* Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptata meo?
S. Ite intro: nam vos iamdudum expectat senex.

ACTUS III. SCENA I. *Chremes, Menedemus.*

C. Luciscit hoc iam: cesso pultare ostium
Vicini, primum ex me ut sciat sibi filium
Redisse? etsi adolescentem hoc nolle intelligo.
Verum, cum videam miserum hunc tam excruciarier
Eius abitu; celem tam insperatum gaudium,
Cum illi pericli nihil ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adiutabo senem.
Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, et socium esse in negotiis:
Nos quoque senes est æquom senibus obsequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias
Natus sum; aut illud falsum est, quod volgo audio
Dici diem adimere ægritudinem hominibus:
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio ægritudo; et quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.
C. Sed ipsum foras egressum video: ibo, alloquar.
Menedeme, salve: nuntium apporto tibi,
Cuius maxume te fieri participem cupis.
M. Num quidnam de gnato meo audisti, Chreme?
C. Valet, atque vivit. *M.* Ubinam est, quæso?
C. Apud me domi.
M. Meus gnatus! *C.* Sic est. *M.* Venit?
C. Certe. *M.* Clinia
Meus venit? *C.* Dixi. *M.* Eamus: duc me ad eū, obsecro.
C. Non vult te scire se redisse etiam; et tuum
Conspectum fugitat, propter peccatum: tū hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.
M. Non tu ei dixisti, ut essem? *C.* Non.
M. Quamobrem, Chreme?
C. Quia pessume isthoc in te atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo animo esse ostenderis:
M. Non possū: satis iā, satis pater durus fui. *C.* Ah!
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis
Aut largitate nimia, aut parcimonia.
In eamdem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.
Primum; olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruisti hinc: ea coacta ingratiis
Post illa cœpit victum volgo quærere.
Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis: nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet;
Primum, iam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro. Satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre eius sumtus queat,
Nedum tu possis. *M.* Estne ea intus? *C.* Sit, rogas?
Sensi: namque ei unam cœnam atque eius comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda actum siet.
Nam, ut alia omittam, pytissando modo mihi
Quid vini absumsit! Sic hoc, dicens, asperum,
Pater hoc est; aliud lenius, sodes, vide.
Relevi dolia omnia, omnes serias:
Omnes sollicitos habui: atque hæc una nox.
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me Di amabunt, ut me tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum. *M.* Faciat quod lubet:
Sumat, consumat, perdat: decretum 'st pati,
Dum illum modo habeam mecū. *C.* Si certū est tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciā? *C.* Quidvis potius, quā quod cogitas:
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servolum; etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.
Syrus cum illo vostro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: et tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc de pecunia agitur; sed illud, quomodo
Minumo periclo id demus adolescentulo:
Nam, si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, et prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui!
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!
Tibi autem porro ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, volet; neque id
Putabit, pravum an rectum siet, quod petet.
Tu rem perire, et ipsum, non poteris pati.
Dare denegaris; ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te se valere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
M. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.
C. Somnū, hercle, ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.
M. Cedo dextrā: porro te idē oro ut facias, Chreme.
C. Paratus sum. *M.* Scin', quid nunc facere te volo?
C. Dic. *M.* Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt: cupio iam videre. *C.* Operam dabo.
Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit; concede hinc domum.
Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paullum negoti mihi obstat: Simus et Crito,
Vicini nostri hic, ambigunt de finibus:

Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse his dare.
Continuo hic adero. *M.* Ita, quæso. Di, vostrum fidē!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant, et diiudicent,
Quam sua? An eo fit, quia, in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi!
C. Dissolvi me otiosus operam ut tibi darem.

SCENA II. *Syrus, Chremes.*

S. Hac illac circumcursa: inveniundum 'st tamen
Argentum: intendenda in senem est fallacia.
C. Num me fefellit, hosce id struere? Videlicet
Ille Cliniæ servus tardiusculus est:
Idcirco huic nostro tradita 'st provincia.
S. Quis hic loquitur? perii! numnam hæc audivit?
C. Syre. *S.* Hem.
C. Quid tu isthic? *S.* Recte equidem: sed te miror, Chreme,
Tam mane, heri qui tantum biberis. *C.* Nihil nimis.
S. Nihil narras? visa vero 'st, quod dici solet,
Aquilæ senectus. *C.* Eia! *S.* Mulier commoda et
Faceta, hæc meretrix. *C.* Sane, idem visa 'st mihi.
S. Et quidem, hercle, forma luculenta. *C.* Sic satis.
S. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:
Minumeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrē quemdā avidū, miserū, atque aridū,
Vicinum hunc: nostin'? At, quasi is non divitiis
Abundet, gnatus eius profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? *C.* Quid ego nesciam?
Hominē pistrino dign[illegible] *S.* Quē? *C.* Isthunc servolū
Dico adolescentis... *S.* Syre, tibi timui male.
C. Qui passus est id fieri. *S.* Quid faceret? *C.* Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, amicæ quod daret;
Atque hunc difficilem invitum servaret senem.
S. Garris. *C.* Hæc facta ab illo oportebant, Syre.
S. Eho! laudas, quæso heros qui fallunt? *C.* In loco
Ego vero laudo. *S.* Recte sane. *C.* Quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum 'st:
Huic iam mansisset unicus gnatus domi.
S. Iocon' an serio illæc dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
C. Et nunc quid expectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare huius sumtus non queat?
Nonne ad senē aliquā fabricā fingit? *S.* Stolidus est.
C. At te adiutare oportet adolescentuli
Causa. *S.* Facile equidem facere possum, si iubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.
C. Tanto, hercle, melior. *S.* Non est mentiri meum.
C. Fac ergo. *S.* At heus tu! facito dū eadē hæc memineris,
Si quid huius simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.
C. Non usus veniet, spero. *S.* Spero, hercle, ego quoque:
Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid.... Quæ sit eius ætas, vides.
Et, næ, ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. *C.* De isthoc, cum usus venerit,
Videbimus, quid opus sit: nunc istuc age.
S. Nunquam commodius unquam herū audivi loqui;
Nec, cum male facerem, crederem mihi impunius
Licere. Quisnam a nobis egreditur foras?

SCENA III. *Chremes, Clitipho, Syrus.*

Ch. Quid istuc, quæso? qui isthic mos est, Clitipho? itane fieri oportet?
Cl. Quid ego feci? *Ch.* Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici
Inserere? *S.* Acta hæc res est: perii! *Cl.* Mene?
Ch. Hisce oculis; ne nega.
Facis adeo indigne iniuriam illi, qui non abstineas
Nam isthæc quidem contumelia 'st, manum.
Hominem amicum recipere ad te, atque eius amicam subagitare.
Vel heri in vino, quam immodestus fuisti! *S.* Factum.
Ch. Quam molestus?
Ut equidem, ita me Di ament, metui, quid futurum denique esset.
Novi ego amantium animum: advortunt graviter, quæ non censeas.
Cl. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater.
Ch. Esto: at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper.
Multa fert libido: ea prohibet facere tua præsentia.
Ego de me facio coniecturam: nemo 'st meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta Clitipho, audeam:
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti pudet;
Ne ineptus, ne protervus videar: quod illum facere credito.
Sed nostrum 'st intelligere, utcumque, atque ubicumque opus sit, obsequi.
S. Quid isthic narrat? *Cl.* Perii! *S.* Clitipho, hæc ego præcipio tibi?
Hominis frugi et temperantis functu 's officium!
Cl. Tace, sodes.
S. Recte sane. *Ch.* Syre, pudet me. *S.* Credo; neque id iniuria.
Quin mihi molestum 'st. *Cl.* Pergin', hercle?
S. Verum, dico quod videtur.
Cl. Non accedam ad illos? *Ch.* Eho! quæso, una accedundi via 'st?
S. Actum 'st! Hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.
Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare?
Ch. Quid faciam? *S.* Iube hunc
Abire hinc aliquo. *Cl.* Quo hinc abeam ego?
S. Quo? quo lubet: da illis locum.
Abi deambulatum. *Cl.* Deambulatum! quo?
S. Vah! quasi desit locus.
Abi sane isthac, istorsum, quo vis. *Ch.* Recte dicit: censeo.
Cl. Di te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.
S. At tu, pol, tibi istas
Posthac comprimito manus.
Censen' vero? quid illū porro credis facturū, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Di dant, servas, castigas, mones?
Ch. Ego istuc curabo. *S.* Atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.
Ch. Fiet. *S.* Si sapias: nam mihi iam minus, minusque obtemperat.
Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut
Reperisti, tibi quod placeat? an nondum etiam?
S. De fallacia
Dicis? st! inveni nuper quamdam. *Ch.* Frugi es. Cedo, quid est?
S. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit....
Ch. Quidnam Syre?
S. Pessuma hæc est meretrix. *Ch.* Ita videtur.
S. Immo, si scias.
Vah! vide, quod inceptet facinus: fuit quædam anus Corinthia *

Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuom.
Ch. Quid tum? *S.* Ea mortua 'st: reliquit filiam adolescentulam.
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento.
Ch. Intelligo.
S. Hanc secū huc adduxit; eaq; est nunc ad uxorē tuā.
Ch. Quid tum? *S.* Cliniam orat, sibi uti id nunc det; illam illi tamen
Post daturam. Mille nummum poscit. *Ch.* Et poscit quidem! *S.* Hui!
Dubium id est? *Ch.* Ego sic putavi. Quid nunc facere cogitas?
S. Egone? Ad Menedemum ibo: dicam, hanc esse captam ex Caria,
Ditem et nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
Ch. Erras. *S.* Quid ita? *Ch.* Pro Menedemo nunc tibi ego respondeo;
Non emo. Quid ais? *S.* Optata loquere. *Ch.* Atqui non est opus.
S. Non opus est? *Ch.* Non, hercle, vero. *S.* Quid istuc, miror. *Ch.* Iam scies.
Mane, mane! Quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

ACTUS IV. SCENA I. *Sostrata, Chremes, Nutrix, Syrus.*

So. Nisi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor;
Is, quicum exposita est gnata. *C.* Quid volt sibi, Syre, hæc oratio?
So. Quid est? isne tibi videtur? *N.* Dixi equidem, ubi mihi ostendisti, illico,
Eum esse. *So.* At ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. *N.* Satis.
So. Abi iam nunc intro, atque, illa si iam laverit, mihi nuntia:
Hic ego virum interea opperibor. *Sy.* Te volt: videas, quid velit:
Nescio, quid tristis est: non temere 'st: metuo, quid siet. *C.* Quid siet!
Næ, ista, hercle, magno iam conatu magnas nugas dixerit!
So. Ehem! mi vir. *C.* Ehem! mea uxor. *So.* Te ipsum quæro. *C.* Loquere, quid velis.
So. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum
Facere esse ausam. *C.* Vin' me istuc tibi, etsi incredibile 'st, credere?
Credo. *Sy.* Nescio quid peccati portet hæc purgatio.
So. Meministin' me esse gravidam, et mihi te maxumopere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli? *C.* Scio quid feceris:
Sustulisti. *Sy.* Si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est.
So. Minume: sed erat hic Corinthia anus, haud impura: ei dedi
Exponendam. *C.* O Iupiter! tantamne esse in animo inscitiam!
So. Perii! quid ego feci? *C.* Rogitas? *So.* Si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. *C.* Id equidē ego, si tu neges, certo scio,
Te inscientē atq; imprudentē dicere ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis: nam, iam primum, si meum
Imperium exequi voluisses, interemtam oportuit;
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.
At id omitto: misericordia, animus maternus... Sino.
Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam.
Credo, id cogitasti: quidvis satis est, dū vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque ius neque bonum atque æquum sciunt?
Melius, peius; prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.
So. Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor. Nunc hoc te obsecro'
Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior,
Ut meæ stultitiæ in iustitia tua sit aliquid præsidi.
C. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. Sed istuc, quidquid est,
Qua hoc occeptum 'st causa, loquere. *So.* Ut stultæ et miseræ omnes sumus
Religiosæ; cum exponendā do illi, de digito annulū
Detraho et eum, dico, ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
C. Istuc recte: conservasti te, atque illam. *So.* Is hic est annulus.
C. Unde habes? *So.* Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam.... *Sy.* Hem!
C. Quid ea narrat? *So.* Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.
Animum non advorti primum: sed, postquam aspexi, illico
Cognovi: ad te exsilui. *C.* Quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? *So.* Nescio, nisi ut ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. *Sy.* Interii! plus spei video, quam volo.
Nostra est, ita si est. *C.* Vivitne illa, cui tu dederas?
So. Nescio.
C. Quid renuntiavit olim? *So.* Fecisse id quod iusseram.
C. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur.
So. Philtere.
Sy. Ipsa est: mirum ni illa salva est, et ego perii.
C. Sostrata.
Sequere me intro hac. *So.* Ut præter spem evenit! quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollenda, Chreme!
C. Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non sinit.
Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

SCENA II. *Syrus.*

Nisi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiæ;
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati rescicat senex.
Nam, quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam subito e faucibus.
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda 'st mihi.
Nihil tam difficile 'st, quin quærendo investigari possiet.

Quid, si hoc nunc sic incipiam? nihil est: quid, si sic? tautumdem egero.
At sic opinor... Non potest... Immo, optume: euge! habeo optumam.
Retraham, hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

SCENA III. *Clinia, Syrus.*

C. Nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc iam, ut frugalior sim, quam volt.
S. Nihil me fefellit: cognita est, quantum audio huius
Isthuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor. (verba.
C. O mi Syre! audistin', obsecro? *S.* Quid ni? qui usque una affuerim.
C. Cui æque audisti commodius quidquam evenisse?
S. Nulli.
C. Atque ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte causa
Lætor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
S. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur;
Ne quid de amica nunc senex.... *C.* O Iupiter!
S. Quiesce.
C. Antiphila mea nubet mihi. *S.* Siccine mihi interloquere?
C. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me.
S. Fero, hercle, vero.
C. Deorum vitam apti sumus. *S.* Frustra operam, opinor, sumo.
C. Loquere; audio. *S.* At iam hoc non ages.
C. Agam. *S.* Videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui, in tuto ut collocetur:
Nam, si nunc a nobis abis, et Bacchidē hic relinquis,
Senex resciscet illico, esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
C. At enim isthoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam?
S. Quid ni?
C. Quid dicam? quam causam afferam? *S.* Quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. *C.* Quid ais?
S. Iubeo
Illam te amare, et velle uxorē: hanc esse Clitiphonis.
C. Bonam atque iustam rem oppido imperas, et factu facilem:
Et scilicet iam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vostrum. *S.* Immo, ut recta via rem narret ordine omnem. *C.* Hem!
Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane
Nam qui ille poterit esse in tuto? dic mihi. (prodis.
S. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallā; ut, cū narrat senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.
C. At enim spem isthoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam, dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas.
S. Quid? malum! me ætatem censes velle id assimularier?
Unus est dies, dū argentū eripio: pax! nihil amplius.
C. Tantum sat habes? Quid tum, quæso, si hoc pater resciverit?
S. Quid si redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc cœlum ruat?
C. Metuo quid agam. *S.* Metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore, ut te exsolvas: rem facias palā.
C. Age, age, traducatur Bacchis. *S.* Optume: ipsa exit foras.

Sc. IV. *Bacchis, Clinia, Syrus, Dromo, Phrygia.*

B. Satis, pol, proterve me Syri promissa huc induxerunt;
Decem minas quas mihi dare pollicitus est: quod si is nunc
Me deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet:
Aut, cum venturā dixero et constituero; cū is certo
Renuntiarit, Clitipho cum spe pendebit animi;
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
C. Satis scite promittit tibi. *S.* Atqui tu hanc iocari credis?
Faciet, nisi caveo. *B.* Dormiunt: pol, ego istos commovebo.
Mea Phrygia, audisti, modo iste homo quam villam demonstravit
Charini? *P.* Audivi. *B.* Proximam esse huic fundo ad dextram? *P.* Memini.
B. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
S. Quid hæc inceptat? *B.* Dic me hic oppido esse invitam, atque asservari;
Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, et venturam.
S. Perii hercle! Bacchis, mane, mane: quo mittis isthanc? quæso!
Iube, maneat. *B.* I. *S.* Quin est paratum argentum.
B. Quin ego maneo,
S. Atqui iam dabitur. *B.* Ut lubet: num ego insto?
S. At scin' quid, sodes?
B. Quid? *S.* Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa
Eo traducenda est. *B.* Quam rem agis, scelus?
S. Egone? argentum cudo,
Quod tibi dem. *B.* Dignam me putas, quam illudas?
S. Non est temere.
B. Etiamne tecum res hic mihi est? *S.* Minime: tuum tibi reddo.
B. Eatur. *S.* Sequere hac. Heus, Dromo! *D.* Quis me vult? *S.* Syrus. *D.* Quid est rei?
S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.
D. Quamobrem? *S.* Ne quæras: efferantur, quæ secum huc attulerunt.
Sperabit sumtum sibi senex levatum esse harū abitu.
Næ, ille haud scit, paulum lucri quantum ei damni apportet.
Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. *D.* Mutum dices.

SCENA V. *Chremes, Syrus.*

C. Ita me Di amabunt, ut nunc Menedemi vicem
Miseret me; tantum devenisse ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet;

Ita magno desiderio fuit ei filius:
Verum, ubi videbit tantos sibi sumtus domi
Quotidianos fieri nec fieri modum,
Optabit rursum ut abeat ab se filius.
Syrum optume eccum! *S.* Cesso hunc adoriri?
C. Syre. *S.* Hem!
C. Quid est? *S.* Te mihi ipsum iam dudum optabam
C. Videre egisse iam nescio quid cum sene. (dari.
S. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
C. Bonan' fide? *S.* Bona, hercle. *C.* Non possum pati,
Quin tibi caput demulceam. Accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
S. At si scias, quam scite in mentem venerit.
C. Vah! gloriare evenisse ex sententia?
S. Non, hercle, vero: verum dico. *C.* Dic, quid est?
S. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem,
Menedemo dixit Clinia; et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
C. Probe. *S.* Dic, sodes. *C.* Nimium, inquam.
S. Immo, si scias.
Sed porro ausculta, quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam;
Eius sibi complacitã formam, postquam adspexerit;
Hanc cupere uxorem. *C.* Modone quæ inventa 'st?
S. Eam:
Et quidem iubebit posci. *C.* Quamobrē istuc, Syre?
Nam prorsum nihil intelligo. *S.* Hui! tardus es.
C. Fortasse. *S.* Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum atque vestem qui.... Tenesne? *C.* Comparet?
S. Id ipsum. *C.* At ego illi neque do, neq; despondeo.
S. Non? quamobrem? *C.* Quamobrem? me rogas? homini ... *S.* Ut lubet.
Non ego dicebam, in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut simulares. *C.* Non mea 'st simulatio:
Ita tu isthæc tua misceto, ne me admisceas.
Egon', cui daturus non sum, ut ei despondeam?
S. Credebam. *C.* Minume. *S.* Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iusseras, (me,
Eo cœpi. *C.* Credo. *S.* Cæterum equidem istuc, Chre-
Æqui bonique facio. *C.* Atqui cum maxume
Volo te dare operam, ut fiat, verum alia via.
S. Fiat: quæratur aliud. Sed illud, quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddundum 'st illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies, quid mea? num datum mihi est?
Num iussi? num illa oppignorare filiam
Meam, me invito, potuit? Verum illud, Chreme,
Dicunt: Ius summum sæpe summa malitia est.
C. Haud faciam. *S.* Immo, aliis si licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta et beneaucta parte putant.
C. Quin egomet iam ad eam deferam. *S.* Immo filium
Iube potius. *C.* Quamobrem? *S.* Quia enim in hunc suspicio 'st
Translata amoris. *C.* Quid tum? *S.* Quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
Simul et conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest. Abi; effer argentum. *C.* Effero.

SCENA VI. *Clitipho, Syrus.*

C. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias: vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedã ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii Deæq;, quantum est, Syre,
Cum tuo isthoc invento, cumque incepto, perduint!
Huiusmodi res semper comminiscere,
Ubi me excarnifices. *S.* I tu hinc quo dignus es:
Quam pæne tua me perdidit protervitas!
C. Vellem, hercle, factum: ita meritus. *S.* Meritus! quomodo?
Næ, me istoc ex te prius audivissse gaudeo.
Quam argentum haberes, quod daturus iam fui.
C. Quid igitur dicam tibi, vis? abiisti: mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
S. Iam non sum iratus. Sed scin' ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? *C.* Apud nos. *S.* Non. *C.* Ubi ergo?
S. Apud Cliniam.
C. Perii! *S.* Bono animo es: iam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. *C.* Garris; unde? *S.* A tuo patre.
C. Ludis fortasse me. *S.* Ipsa re experibere.
C. Næ, ego fortunatus homo sum! Deamo te, Syre.
S. [Sed pater egreditur. Cave quidquam admiratus
Qua causa id fiat. Obsecundato in loco; (sies,
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.]

SCENA VII *Chremes, Clitipho, Syrus.*

Ch. Ubi Clitipho nunc est? *S.* Eccum me! inque.
Cl. Eccum hic tibi!
Ch Quid rei esset, dixti huic? *S.* Dixi pleraq; omnia.
Ch. Cape hoc argentum, ac defer. *S.* Hei! quid stas? lapis!
Quin accipis? *Cl.* Cedo sane. *S.* Sequere hac me ocyus.
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere;
Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
Ch. Minas quidem iam decem habet a me filia,
Quas pro alimentis esse nunc duco datas:
Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
Quam multa iniusta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc, relictis rebus, inveniundus est
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

SCENA VIII. *Menedemus, Chremes.*

M. Multo omnium nunc me fortunatissumum
Factum puto esse, gnate, cum te intelligo (Chreme:
Resipisse. *C.* Ut errat! *M.* Te ipsum quærebam,
Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.
C. Cedo, quid vis? faciam. *M.* Invenisti hodie filiam.
C. Quid tum? *M.* Hanc sibi uxorem dari volt Clinia.
C. Quæso, quid tu hominis es? *M.* Quid est?
C. Iamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia?
Ut ea via abs te argentum auferretur. *M.* Scio.
C. Ea res nunc agitur ipsa. *M.* Quid dixti, Chreme?
[Erravi: sic res acta 'st; quanta spe decidi!] (est
C. Immo hæc quidem, quæ apud te est, Clitiphonis
Amica. *M.* Ita aiunt. *C.* Et tu credis? *M.* Omnia.
C. Et illum aiunt velle uxorem, ut, cum desponderim,
Des, qui aurum, ac vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet.
M. Id est profecto: id amicæ dabitur. *C.* Scilicet?
Daturum. *M.* Vah! frustra sum igitur gavisus miser.
Quidvis tamen iam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?
C. Ægre! nimio illi, Menedeme, indulges. *M.* Sine!
Inceptum 'st: perfice hoc mihi perpetuo, Chreme.
C. Dic convenisse; egisse te de nuptiis.
M. Dicam: quid deinde? *C.* Me facturum esse omnia:
Generum placere: postremo etiam, si voles, (ram.
Desponsam quoque esse dicito. *M.* Hem! istuc volue-
C. Tanto ocyus te ut poscat, et tu id, quod cupis,
Quam ocyssume ut des. *M.* Cupio. *C.* Næ tu propediem,
Ut istam rem video, istius obsaturabere.
Sed hæc ita ut sunt, cautim, et paulatim dabis,

Si sapies. *M.* Faciam. *C.* Abi intro; vide, quid postu-
Ego domi ero, si quid me voles. *M.* Sane volo: (let.
Nam, te sciente faciam, quidquid egero.

ACTUS V. SCENA I. *Menedemus, Chremes.*

M. Ego, me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id certo scio.
Sed hic adiutor meus, et monitor, et præmonstrator, Chremes,
Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nihil potest; nam exsuperat eius stultitia hæc omnia.
C. Ohe! iam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam; nisi illos ex tuo ingenio iudicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum sit centies.
Sed interim, quid illic iam dudum gnatus cessat cum Syro?
M. Quos ais homines, Chreme, cessare? *C.* Ehem! Menedeme, advenis?
Dic mihi; Cliniæ, quæ dixi, nuntiastin'? *M.* Omnia.
C. Quid ait? *M.* Gaudere adeo cœpit, quasi qui cupiunt nuptias.
C. Ha! ha! he! *M.* Quid risisti? *C.* Servi venere in mentem Syri
Calliditates. *M.* Itane? *C.* Voltus quoque hominum fingit scelus.
M. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis?
C. Id. *M.* Idem istuc mihi
Venit in mentem. *C.* Veterator! *M.* Magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. *C.* Ain' tu? *M.* Quin tu ausculta.
C. Mane. Hoc prius scire expeto;
Quid perdideris: nam, ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo iniecisse verba tibi Dromonem, scilicet
Sponsæ vestem, aurum, atque ancillas opus esse, argentum ut dares.
M. Non. *C.* Quid? non? *M.* Non, inquam. *C.* Neque ipse gnatus? *M.* Nihil prorsus, Chreme,
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
C. Mira narras. Quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? *M.* Nihil.
C. Quamobrem? *M.* Nescio equidem: sed te miror, qui alia tam plane scias.
Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem subolest, esse amicam hanc Cliniæ.
C. Quid ais! *M.* Mitto iam osculari, atque amplexari: id nihil puto.
C. Quid est, quod amplius simuletur? *M.* Vah!
C. Quid est? *M.* Audi modo:
Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddã, retro:
Huc est intro latus lectus; vestimentis stratus est.
C. Quid, postquam hoc est factum? *M.* Dictum factum, huc abiit Clitipho.
C. Solus? *M.* Solus. *C.* Timeo. *M.* Bacchis consecuta 'st illico.
C. Sola? *M.* Sola. *C.* Perii! *M.* Ubi abiere intro, operuere ostium. *C.* Hem!
Clinia hæc fieri videbat? *M.* Quidni? mecum una simul.
C. Fili est amica Bacchis, Menedeme: occidi!
M. Quamobrem?
C. Decem dierum vix mihi est familia:
M. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat suo?
C. Immo, quod amicæ. *M.* Si dat. *C.* An dubium id tibi est?
Quemquamne animo tam communi esse aut leni pu-
Qui, se vidente, amicam patiatur suam....? (tas,
M. Quidni? quo verba facilius dentur mihi.
C. Derides? Merito mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi essem lapis! quæ vidi! væ misero mihi!
At, næ, illud haud inultum, si vivo, ferent:
Nam iam.... *M.* Non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? *C.* Præ iracundia,
Menedeme, non sum apud me. *M.* Tene istuc loqui?
Nonne id flagitium 'st, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?
C. Quid faciam? M. Id quod me fecisse aiebas parum.
Fac te patrem esse sentiat: fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, et poscere;
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
C. Immo, abeat, multo malo, quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illi pergo suppeditare sumtibus,
Menedeme, mihi illæc vere ad rastros res redit.
M. Quot incommoditates in hac re accipies, nisi ca-
Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen (ves!
Post; et id ingratum. *C.* Ah! nescis, quam doleam.
M. Ut lubet.
Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod mavis. *C.* Immo et gener et affines placent.
M. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? *C.* Dotis? *M.* Ita dico. *C.* Ah.
M. Chreme,
Ne quid vereare, si minus: nihil nos dos movet.
C. Duo talenta, pro re nostra, ego esse decrevi satis.
Sed ita dicto opus est, si me vis salvum esse, et rem, et filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. *M.* Quam rem agis?
C. Id mirari te simulato; et illum hoc rogitato simul,
Quamobrem id faciam. *M.* Quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
C. Egone? ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia
Diffluit, retundam; et redigam, ut, quo se vortat, nesciat.
M. Quid agis? *C.* Mitte; sine me in hac re gerere mihi morem. *M.* Sino.
Itané vis? *C.* Ita. *M.* Fiat. *C.* Age iam, uxorem ut arcessat, paret.
Hic, ita ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum....! *M.* Quid eum...? *C.* Egone? si vivo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper
Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat. (mei;
Non (ita me Di ament) auderet hæc facere viduæ
Quæ in me fecit. (mulieri,

SCENA. II. *Clitipho, Menedemus, Chremes, Syrus.*

Cl. Itane tandem, quæso, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me eiecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. *M.* Scio, tibi esse hoc gravius multo ac durius,

Cui fit: verum ego haud minus ægre patior: id qui, nescio;
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
Cl. Hic patrem adstare aiebas? *M.* Eccum! *Ch.* Quid me incusas, Clitipho?
Quidquid ego huius feci, tibi prospexi, et stultitiæ tuæ.
Ubi te vidi animo esse omisso, et, suavia in præsentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proximos, qui erant tibi: eis commisi, et credidi:
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho:
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. *Cl.* Hei mihi!
Ch. Satius est, quam, te ipso hærede, hæc possidere Bacchidem.
S. Disperii! scelestus, quantas turbas concivi insciens!
Cl. Emori cupio. *Ch.* Prius, quæso, disce, quid sit vivere:
Ubi scies: si displicebit vita, tum isthoc utitor.
S. Here, licetne...? *Ch.* Loquere. *S.* At tuto? *Ch.* Loquere. *S.* Quæ ista est pravitas,
Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obesse huic?
Ch. Ilicet.
Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te; nec tu aram tibi,
Nec precatorem, pararis. *S.* Quid agis? *Ch.* Nihil succenseo,
Nec tibi, nec huic: nec vos est æquom, quod facio, mihi.
S. Abiit! vah! rogasse vellem. *Cl.* Quid? *S.* Unde mihi peterem cibum:
Ita nos alienavit: tibi iam esse ad sororem intelligo.
Cl. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam fame mihi sit, Syre?
S. Modo liceat vivere; est spes. *Cl.* Quæ? *S.* Nos esurituros satis.
Cl. Irrides in re tanta? neque me quidquam consilio adiuvas?
Immo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum, dum loquitur pater;
Et, quantum ego intelligere possum.... *Cl.* Quid?
S. Non aberit longius.
Cl. Quid id ergo? *S.* Sic est; non esse horum te arbitror. *Cl.* Quid istuc, Syre?
Satin' sanus es? *S.* Ego dicam, quod mihi in mentem: tu diiudica.
Dū istis fuisti solus, dū nulla alia delectatio, (filia
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc
Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.
Cl. Est verisimile. *S.* An tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
Cl. Non arbitror. *S.* Nunc aliud specta: matres omnes filiis
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse: id non fit. *Cl.* Verum dicis. Quid nunc faciam, Syre?
S. Suspicionē isthanc ex illis quærere: rē profer palam:
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito; aut
Scibis, cuius sis. *Cl.* Recte suades: faciam.
S. Sat recte hoc mihi
In mentem venit: namque adolescens, quam minume in spe situs erit,
Tam facillume patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an uxorem ducat; ac Syro nihil gratiæ.
Quid hoc autem? Senex exit foras: ego fugio. Adhuc quod factum 'st,
Miror, continuo non iussisse abripi me. Ad Menedemum hinc pergam:
Eum mihi precatorem paro: seni nostro fidei nihil habeo.

SCENA III. *Sostrata, Chremes.*

S. Profecto, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo (vir, potuerit.
Tam ineptum quidquam tibi in mentem venire, mi
C. Pergin', mulier, odiosa esse? ullamne ego rem unquam in vita mea
Volui, quin tu in ea re mihi fueris advorsatrix, Sostrata?
At si rogitem iam, quid est, quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias;
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta! *S.* Ego nescio?
C. Immo scis, potius quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio.
S. Oh! iniquus es; qui me tacere de re tanta postules.
C. Non postulo: iam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.
S. Facies? *C.* Verum. *S.* Non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. *C.* Subditum! ain' tu?
S. Certe, inquam, mi vir.
C. Confitere, tuum non esse. *S.* Au! obsecro te, istuc inimicis siet.
Egone confitear, meum non esse filium, qui sit meus?
C. Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse illum tuum?
S. Quod filia est inventa? *C.* Non: sed, quod magis
Id quod est consimilis moribus, (credendum siet,
Convincas facile ex te natum: nam tui similis est probe:
Nam illi nihil vitii est relictū, quin sit et idem tibi.
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur: quam severus! Rem, cum videas, censeas.

SCENA IV. *Clitipho, Sostrata, Chremes.*

Cl. Si unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro,
Eius ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei.
Quod peto, et volo, parentes meos ut commonstres mihi.
S. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. *Cl.* Sum. *S.* Miseram me! hoccine quæsisti, obsecro?
Ita mihi atque huic sies superstes, ut ex me atque ex hoc natus es!
Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam.
C. At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.

Cl. Quos? *Ch.* Si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus: crede, et nostrum te esse credito.
Cl. Non sunt hæc parentis dicta. *Ch.* Non, si ex capite sis meo
Natus item, ut aiunt Minervam esse ex Iove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
S. Di isthæc.... *Ch.* Deos nescio: ego quod potero, enitar sedulo.
Quæris id, quod habes, parentes: quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare; et ut serves, quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos..?Pudet
Dicere, hac præsente, verbum turpe: at te id nullo modo
Puduit facere. *Cl.* Eheu! quam ego nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! neque, quod principium inveniam ad placandum, scio.

SCENA V. *Menedemus, Chremes, Clitipho, Sostrata.*

M. Enimvero Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane: exeo ergo, ut pacem conciliem. Optume
Ipsos video. *Ch.* Ehem, Menedeme! cur non arcessi iubes
Filiam, et, quod dotis dixi, firmas? *S.* Mi vir, te obsecro,
Ne facias. *Cl.* Pater, obsecro, ut mihi ignoscas.
M. Da veniam, Chreme:
Sine, te exorem. *Ch.* Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono? sciens
Non faciam. *M.* At id nos non sinemus. *Cl.* Si me vivum vis, pater,
Ignosce. *S.* Age, Chremes mi. *M.* Age, quæso, ne tam obfirma te, Chreme.
Ch. Quid isthic? video, non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
M. Facis, ut te decet. *Ch* Ea lege hoc adeo faciam; si facit,
Quod ego hunc æquom censeo. *Cl.* Pater, omnia faciam: impera.
Ch. Uxorem ut ducas. *Cl.* Pater. *Ch.* Nihil audio.
M. Ad me recipio:
Faciet. *Ch.* Nihil etiam audio ipsum.... *Cl.* Perii!
S. An dubitas, Clitipho?
Ch. Immo, utrum volt. *M.* Faciet omnia. *S.* Hæc, dum incipias, gravia sunt;
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. *Cl.* Faciam, pater.
S. Gnate mi, ego, pol, tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ nostri. *Cl.* Rufamne illam virginem,
Cæsiã, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.
Ch. Heia! ut elegans est! credas animum ibi esse.
S. Aliam dabo.
Cl. Quid istic? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum,
Quam volo. *S.* Nunc laudo te, gnata. *Cl.* Archonidi huius filiam.
S. Perplacet. *Cl.* Pater, hoc nunc restat. *Ch.* Quid?
Cl. Syro ignoscas volo,
Quæ mea causa fecit. *Ch.* Fiat. Ω. Vos valete, et plaudite!

HECYRA

Acta ludis Megalensibus, Sex. Iul. Cæsare, Cn. Cornelio Dolabella ædilibus curulibus. Non est peracta. Modos fecit Flaccus Claudi, tibiis paribus. Tota Græca Apollodoru facta est. Acta primo sine prologo. Data secundo, Cn. Octavio, T. Manlio, coss. Relata est L. Æmilio Paulo ludis funebribus. Non est placita. Tertio relata est, Q. Fulvio, L. Marcio ædilibus curulibus. Egit L. Ambivius Turpio. Placuit.

PERSONÆ

BACCHIS, *meretrix, amica Pamphili.*
LACHES, *senex, pater Pamphili.*
MYRRHINA, *mater Philumenæ.*
PAMPHILUS, *filius Lachetis et Sostratæ.*
PARMENO, *servus Sostratæ.*
PHIDIPPUS, *senex, pater Philumenæ.*
PHILOTIS, *meretrix.* SOSIA, *servus Pamphili.*
SOSTRATA, *mater Pamphili.* SYRA, *anus, lena*

C. Sulpitii Apollinaris periocha

Uxorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit;
Cuiusque, per vim quem detraxit, anulum
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ.
Dein profectus in Imbrum est, nuptam haud attigit
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus, 6
Ut ægram, ad se transfert: Revertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non volt. Pater incusat Bacchidis
Amorem. Dum se purgat Bacchis, annulum
Mater vitiatæ forte agnoscit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus, cum filio.

Prologus

Hecyra est huic nomen fabulæ. Hæc cum data est
Nova, novum intervenit vitium, et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit.
Ita populus studio stupidus in funambulo 4
Animum occuparat. Nunc hæc plane est pro nova.
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis eius: quæso hanc nunc noscite.

Alter Prologus

Orator ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator ut sim; eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adolescentior;
Novas qui exactas feci ut inveterascerent;
Ne cum poeta scriptura evanesceret.
In his, quas primum Cæcilii didici novas,
Partim sum earum exactus: partim vix steti.
Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Novas studiose; ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur. Ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt: ita poetam restitui in locum,
Prope iam remotum iniuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.
Quod si scripturam sprevissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius, quam in negotio;
Deterruissem facile, ne alias scriberet. 19
Nunc quid petam, mea causa æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquã agere licitũ est: ita eam oppressit calamitas:

Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adiutrix nostræ industriæ.
Cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit expectatio;
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum,
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
In experiundo ut essem. Refero denuo.
Primo actu placeo: cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores: populus convolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est: otium, et silentium est:
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos. Facite, ut vostra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix, adiutrixque sit.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ;
Et eum esse quæstum, in animum induxi, maxumum
Quam maxume servire vostris commodis;
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum: et se in vostram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa, causam hanc accipite, et date silentium,
Ut libeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emtas meo.

ACTUS I. SCENA I. *Philotis, Syra.*

P. Per, pol, quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi!
Quam sancte! ut quivis facile posset credere,
Nunquam, illa viva, ducturum uxorem domum.
Hem! duxit. *S.* Ergo propterea te sedulo
Et moneo, et hortor, ne cuiusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
P. Utin' eximium neminem habeam? *S.* Neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut, blanditiis suis,
Quam minimo pretio, suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
P. Tamen, pol, eamdem iniurium est esse omnibus.
S. Iniurium autem est ulcisci adversarios?
Aut, qua via te captent, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram! cur non aut isthæc mihi
Ætas, et forma est, aut tibi hæc sententia?

SCENA II. *Parmeno, Philotis, Syra.*

Pa. Senex si quæret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.
Audin' quid dicam, Scirte? si quæret me uti
Tum dicas: si non quæret nullus dixeris?
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. *Ph.* O, salve, Parmeno!
S. Salve, mecastor, Parmeno. *Pa.* Et tu, ædepol, Syra.
Dic mihi, Philotis ubi te oblectasti tam diu?
Ph. Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissumo:
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
Pa. Ædepol, te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse sæpe; et te tuum
Consilium contemsisse. *Ph.* Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem libera inter vos convivium.
Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui,
Quæ illi placerent. *Pa.* Haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
Ph. Sed quid hoc negoti est, modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut hac ille viva posset animum inducere
Uxorem habere. *Pa.* Habere autem?
Ph: Eho tu! an non habet?
Pa. Habet: sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.
Ph. Ita Di Deæque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.
Pa. Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. *Ph.* Nempe ea causa ut ne id fiat palam.
Ita me Di amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
Pa. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. *Ph.* Ah! noli, Parmeno;
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi, (cat.
Quam ego, quæ percontor scire. *Pa.* Vera hæc prædi-
Et illud mihi vitium 'st maxumum. Si mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. *Ph.* Ad ingenium redis.
Fidem do: loquere. *Pa.* Ausculta. *Ph.* Isthic sum.
Pa. Hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
Sese senem esse, dicere; illum autem unicum:
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille primo se negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit, animi ut incertus foret,
Pudorin' anne amori obsequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit senex:
Despondit ei gnatam huius vicini proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
Donec iam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas; nec moram ullam, quin ducat, dari;
Ibi demum ita ægre tulit; ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo, ibi eius commiseresceret.
Ubicumque datum erat spatium solitudinis,
Ut colloqui mecum una posset: Parmeno,
Perii! quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miser!
Ph. At te Di Deæque perduint, cũ isthoc odio Lache!
Pa. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit;
Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.
Ph. Quid ais! cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis; nec verum arbitror.
Pa. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
Ph. Quid deinde fit? *Pa.* Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras;
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet:
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse, eas tolerare posse nuptias:
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibriu haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
Ph. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
Pa. Hoc ego proferre incommodũ mihi esse arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
Ph. Quid interea? Ibatne ad Bacchidẽ? *Pa.* Quotidie.
Sed, ut fit postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multo, et magis procax, facta illico est,
Ph. Non, ædepol, mirum. *Pa.* Atqui ea res multo ma-
Disiunxit illum ab illa, postquam et ipse se, (xume
Et illam, et hanc, quæ domi erat, cognovit satis,

Ad exemplum ambarum mores earum existumans.
Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda, atque iniurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias.
Hic, animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus huius iniuriis,
Paulatim elapsu' est Bacchidi: atque: huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc: ea ad hos redibat lege hæreditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
Rus abdidit se; huc raro in urbem commeat.
Ph. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
Pa. Nunc audies. Primo dies complusculos
Bene conveniebat sane inter eas. Interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam:
Neque lites ullæ inter eas, postulatio
Nunquam. *Ph*. Quid igitur? *Pa*. Si quando ad eã accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico:
Videre nolle. Denique, ubi non quit pati,
Simulat se a matre arcessi ad rem divinam: abiit.
Ubi ibi est dies complures, arcessi iubet.
Dixere causam tunc, nescio quam. Iterum iubet.
Nemo remisit. Postquam arcessunt sæpius,
Ægram esse simulant mulierem. Nostra illico
It visere ad eam: admisit nemo. Hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit:
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se nondum etiam scio;
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam, quo cœpi hoc iter.
Ph. Et quidem ego; nam constitui cũ quodam hospite,
Me esse illum conventuram. *Pa*. Di vortant bene,
Quod agas! *Ph*. Vale. *Pa*. Et tu bene vale, Philotium.

ACTUS II. SCENA I. *Laches, Sostrata.*

L. Pro Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc est coniuratio?
Utin' omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.
Viris esse advorsas, æque studium est: similis pertinacia est.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.
Eĩ ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
S. Me miseram! quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. *L*. Hem!
Tu nescis? *S*. Non, ita me Di bene ament! mi Laches;
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. *L*. Di mala prohibeant!
S. Mequa abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. *L*. Scio.
Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest?
Quæ me, et te, et familiam dedecoras; filio luctum paras;
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis:
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.
Tu sola exorere, quæ perturbes hæc tua impudentia.
S. Egone? *L*. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem, putas.
An, quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini
Quo quisque pacto hic vitam vestrarum exigat?
Multo melius hic quæ fiunt, quam illic, ubi sum assidue scio;
Ideo, quia ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Iampridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam;
Minumeque adeo mirum: et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiã totã hanc odisset domũ.
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata:
Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei serviens;
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati.
Meo labori haud parcens, præter æquom atque ætatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægra esset mihi?
S. Non mea opera, neque, pol, culpa, evenit.
L. Immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares, cũ ego vos solvi curis cæteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. *S*. Haud equidem dico, mi Laches.
L. Gaudeo, ita me Di ament! quati causa: nam de te quidem
Satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest.
S. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit,
Ut cum matre plus una esset? *L*. Quid ais? non signi hoc sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?
S. Enim lassam oppido tum esse aiebant: eo ad eam non admissa sum.
L. Tuos esse ego illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror?
Et merito adeo: nam vestrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducare uxorem: et quæ vobis placita est conditio, datur.
Ubi duxere impulsu vostro, vostro impulsu easdem exigunt.

SCENA II. *Phidippus, Laches, Sostrata.*

P. Etsi scio ego, Philumena, meũ ius esse, ut te cogã,
Quæ ego imperem, facere; ego tamen patrio animo victus, faciam,
Ut tibi concedam; neque tuæ libidini advorsabor.
L. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc iam scibo, quid siet.
Phidippe etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem,
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos;
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram et vostram id esset.
Nunc video in illarũ potestate esse te. *P*. Heia vero!
L. Adii te heri de filia: ut veni, itidẽ incerto amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatẽ hanc,
Celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando vobis, corrigemus,
Te iudice ipso. Sin ea est causa retinendi apud vos,
Quia ægra est; te mihi iniuriam facere arbitror, Phidippe,

SI metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.
At, ita me Di ament! haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego: id adeo gnati causa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnificare.
Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit: eo domum studeo hæc, prius quam ille, ut redeat.
P. Laches, et diligentiam vostram et benignitatem
Novi: et quæ dicis, omnia esse, ut dicis, animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. *L.* Quæ res te facere id prohibet?
Eho! num quidnam accusat virum? *P.* Minume: nam, postquam attendi
Magis, et vi cœpi cogere, ut rediret, sancte adiurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse aliis vitii est: ego sum animo leni natus.
Non possum advorsari meis. *L.* Hem! Sostrata!
S. Heu me miseram!
L. Certumne est istuc? *P.* Nunc quidem, ut videtur: sed numquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum iam oporteat.
L. Eo tecum una.

SCENA III. *Sostrata.*

Ædepol, næ, nos sumus mulieres inique æque omnes invisæ viris,
Propter paucas, quæ omnes faciunt dignæ ut videamur malo.
Nam (ita me Di ament!) quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam,
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas: haud, pol, me quidem: nam numquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata; nec, qui hoc mi hi eveniat, scio;
Nisi, pol, filium multis modis iam expecto, ut redeat domum.

ACTUS III. SCENA I. *Pamphilus, Parmeno, Myrrhina.*

Pam. Nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata,
Quam mihi. Heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem,
Quam huc redire, atque hæc ita esse, miserum me resciscere?
Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.
Par. At sic citius, qui te expedias his ærumnis, reperias,
Si non redisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores:
Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras.
Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues:
Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.
Pam. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est æque miser?
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
Iam in hac re, ut taceam, cuivis facile scitu est, quam fuerim miser:
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum;
Vixque huc contuleram; hem! nova res orta 'st, porro ab hac quæ me abstrahat.
Tum matrem ex ea re me, aut uxorem, in culpa inventurum arbitror.
Quod ita cum esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nā matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet.
Tum uxori obnoxius sum; ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas iniurias quæ nunquā in ullo patefecit loco;
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
Par. Haud quidem, hercle, parvom, si vis vero verum rationem exequi.
Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, iniurias
Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est;
Cū de eadē causa est iracundus factus inimicissumus.
Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia.
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.
Pam. Abi, Parmeno, intro; ac me venisse nuntia.
Par. Hem! quid hoc est? *Pam.* Tace.
Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum.
Par. Agedum, ad fores
Accede propius. Hem! sensistin'? *Pam.* Noli fabularier.
Pro Iupiter! clamorem audio. *Par.* Tute loqueris; me vetas.
M. Tace, obsecro, mea gnata. *Pam.* Matris vox visa 'st Philumenæ.
Nullus sum. *Par.* Qui dum? *Pam.* Perii! *Par.* Quamobrem? *Pam.* Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas. *Par.* Uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt: id si forte est, nescio.
Pam. Interii! Cur mihi id non dixti? *Par.* Quia non poteram una omnia.
Pam. Quid morbi est? *Par.* Nescio. *Pam.* Quid? nemon' medicum adduxit? *Par.* Nescio
Pam. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quidquid est, certum sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam, si periculum ullum in te inest, perisse me una haud dubium est.
Par. Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi:
Nam invisos omnes nos esse illis sentio.

Heri nemo voluit Sostratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet,
(Quod sane nolim, maxume heri causa mei)
Servum illico introisse dicent Sostratæ:
Aliquid tulisse comminiscentur mali
Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctus siet.
Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum.

Scena II. *Sostrata, Parmeno, Pamphilus.*

S. Nescio quid iamdudum audio hic tumultuari misera:
Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggravescat:
Quod te, Æsculapi, et te, Salus, ne quid sit huius, oro!
Nunc ad eam visam. *Par.* Heus! Sostrata. *S.* Ehem!
Par. Iterum istinc excludere.
S. Ehem! Parmeno, tun' hic eras? Perii! quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit ægra?
Par. Non visas? ne mittas quidem visendi causa quemquam.
Nam, qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco.
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiã affert.
Tum autẽ filius introiit videre, ut venit, quid agat.
S. Quid ais! an venit Pamphilus? *Par.* Venit. *S.* Dis gratiam habeo.
Hem! isthoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit.
Par. Iam ea de causa maxume nunc huc introire nolo.
Nam, si remittent quidpiã Philumenæ dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quæ inter vos intervenit, unde ortũ est initiũ iræ.
Atque eccum video ipsum egredi: quam tristis est!
S. O mi gnate!
Pam. Mea mater, salve! *S.* Gaudeo venisse salvom. Salvan'
Philumena est? *Pam.* Meliuscula est. *S.* Utinam istuc ita Di faxint!
Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam tristis?
Pam. Recte, mater.
S. Quid fuit tumulti? Dic mihi. An dolor repente invasit?
Pam. Ita factum' est. *S.* Quid morbi est? *Pam.* Febris. *S.* Quotidiana? *Pam.* Ita aiunt.
I, sodes, intro; consequar iam te, mea mater. *S.* Fiat.
Pam. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera adiuta.
Par. Quid! non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? *Pam.* Cessas?

Scena III. *Pamphilus.*

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt:
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem; hei mihi!
Postquam me aspexere ancillæ advenisse, illico omnes simul
Lætæ exclamant, Venit! id quod me repente aspexerant.
Sed continuo voltum earum sensi immutari omniũ,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcucurrit, nuntians,
Me venisse: ego eius videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introii, extemplo eius morbum cognovi miser.
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, O facinus indignum! inquam; et corripui illico
Me inde lacrymans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater consequitur: iam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrymans misera: miseritum est. Profecto hoc sic est, ut puto.
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum a principio institit:
O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides.
Nam vitium est oblatum virgini olim, ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.
Sed cum orata eius reminiscor, nequeo, quin lacrymem miser.
Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambæ, si ius, si fas est, uti
Adversa eius per te tecta tacitaq; apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile;
Sine labore hanc gratiam, te, ut sibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum, de reducenda id facias, quod in rẽ sit tuã;
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic iam septimus;
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo, doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnes: sed, si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicã abortũ esse: scio, nemini aliter suspectũ fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. Hic tibi nihil est quidquam incommodi;
Et illi miseræ indigne factam iniuriam contexeris.
Pollicitus sum; et servare in eo certum 'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror;
Nec faciam; etsi amor me graviter, consuetudoque eius tenet.
Lacrymo, quæ posthac futura 'st vita, cum in mentem venit.
Solitudoque. O Fortuna! ut nunquam perpetuo es bona!
Sed iam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit,

Quem ego tum consilio missum feci: idem nunc huic operam dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minume 'st opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est.
Vereor, si clamorem eius hic crebro audiat,
Ne parturire intelligat. Aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

SCENA IV. *Parmeno, Sosia, Pamphilus.*

Par. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
S. Non, hercle, verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum 'st.
Par. Itane est? *S.* O fortunate! nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam, alias ut omittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser.
Ita usque adversa tempestate usi sumus. (fugerim
Par. Odiosum! *S.* Haud clā me est. Denique, hercle, au-
Potius, quam redeam, si eo mihi redeundum sciat.
Par. Olim quidem te caussæ impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite intro: ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu nunc hic stas? *Pam.* Equidem te expecto. *Par.* Quid est?
Pam. In arcem transcurso opus est. *Par.* Cui homini? *Pam.* Tibi.
Par. In arcem! quid eo? *Pam.* Callidemidē, hospitē
Myconium, qui mecum una advectus est, conveni.
Par. Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
Pam. Quid cessas? *Par.* Quid vis dicam? an conveniam modo?
Pam. Immo, quod constitui me hodie conventurū eū,
Non posse; ne me frustra illic expectet. Vola.
Par. At non novi hominis faciē. *Pam.* At faciā, ut no-
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius, (veris.
Cadaverosa facie. *Par.* Dii illum perduint!
Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
Pam. Maneto: curre. *Par.* Non queo: ita defessus sū.
Pam Ille abiit. Quid agam infelix? prorsus nescio,
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam.
Nam me parenti potius quam amori obsequi
Oportet. Atat! eccum Phidippum, et patrem
Video. Horsum pergunt. Quid dicā hisce, incertus sū.

SCENA V. *Laches, Phidippus, Pamphilus.*

L. Dixtin' dudum, illā dixisse, sese exspectare filiū?
Ph. Factum. *L.* Venisse aiunt: redeat. *Pa.* Quam causam dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio. *L.* Quem ego hic audivi loqui?
Pa. Certū obfirmare est viā me, quā decrevi persequi.
L. Ipsus est, de quo hic agebam tecum. *Pa.* Salve, mi pater!
L. Gnate mi, salve! *Ph.* Bene factum te advenisse, Pamphile:
Atque adeo, quod maxumum 'st, salvum atque validum. *Pa.* Creditur.
L. Advenis modo? *Pa.* Admodum. *L.* Cedo, quid reliquit Phania,
Consobrinus noster? *Pa.* Sane, hercle, homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: et qui sic sunt, haud multum hæredem iuvant.
Sibi vero hanc laudē relinquunt: vixit, dū vixit bene.
L. Tu tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
Pa. Quidquid est id, quod reliquit, profuit.
L. Immo obfuit:
Nam illum vivom et salvom vellem. *Ph.* Impune optare istuc licet:
Ille reviviscet iā nunquā: et tamen, utrū malis, scio.
L. Heri Philumenam ad se arcessi hic iussit. Dic iussisse te.
Ph. Noli fodere, iussi. *L.* Sed eam iam remittet.
Ph. Scilicet.
Pa. Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi omnia.
L. At istos invidos Di perdant, qui hæc libenter nuntiant!
Pa. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset: idq; si nunc memorare hic velī,
Quam fideli animo et benigno in illā et clementi fui,
Vere possū; ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.
Neq; mea culpa hoc discidiū evenisse, id testor Deos!
Sed quando sese esse indignam deputat [matri meæ,
Cui] concedat, cuiusque mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia;
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodū suadet sequi.
L. Pamphile, haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,
Cum te postputasse omnes res præ parente intelligo.
Verū, vide, ne impulsus ira, prave insistas, Pamphile.
Pa. Quibus iris impulsus nunc in illam iniquus siē,
Quæ nunquā quidqua erga me commerita 'st, pater,
Quod nollem; et sæpe, quod vellem, meritam scio?
Amoque, et laudo, et vehementer desidero.
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum:
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior;
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
Ph. Tibi id in manu est, ne fiat. *L.* Si sanus sies,
Iube illam redire. *Pa.* Non est consilium, pater.
Matris servibo commodis. *L.* Quo abis? mane;
Mane, inquā. Quo abis? *Ph.* Quæ hæc est pertinacia?
L. Dixin' Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eū?
Quamobrem te orabam, filiam ut remitteres.
Ph. Non credidi, ædepol, adeo inhumanum fore.
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat!
L. Ecce autem! tu quoque proterve iracundus es.
Ph. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
L. Decedet iam ira hæc; etsi merito iratus est.
Ph. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. *L.* Etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non: ut alii, si huic, non sit, siet.
L. Phidippe, ades! audi paucis. Abiit: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus neq; hic mihi quidquā obtempe-
Quæ dico, parvi pendunt. Porto hoc iurgium (rant:
Ad uxorem, cuius hæc fiunt consilio omnia:
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre 'st, evomā.

ACTUS IV. SCENA I. *Myrrhina, Phidippus.*

M. Perii! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo

Misera? nam audivisse vocē pueri visu' 'st vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam. (buisse
Quod si rescierit peperisse eā, id qua causa clā me ha-
Dicam, non, ædepol, scio. (la sum!
Sed ostiū concrepuit! Credo, ipsum ad me exire: nul-
P. Uxor ubi me ad filiam ira sensit, se duxit foras.
Atque eccam video! Quid ais, Myrrhina? heus! tibi dico. *M.* Mihine, mi vir?
P. Vir ego tuus sum? tuu' virum me, aut hominem, deputas adeo esse?
Nā, si utrumvis horū, mulier, unquā tibi visus forē,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. *M.* Quibus? *P.* At rogitas?
Peperit filia! Hem! taces? ex quo? *M.* Istuc patrem rogare est æquum?
Perii! Ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
P. Credo: neque adeo erbitrari patris est aliter. Sed demiror,
Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partū; præsertī cū et recte, et tempore suo, pepererit.
Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.
M. Misera sum. *P.* Utinam sciam ita esse istuc. Sed nunc mihi in mentem venit,
Ex hac re, quod locuta es olim, cum illū generū cepi-
Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati (mus.
Cum eo, qui meretricē amaret, qui pernoctaret foris.
M. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.
P. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere, Myrrhina:
Verū id vitiū nunquā decrevi esse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum 'st: at, pol, iam aderit, se quoque etiam cum oderit.
Sed, ut olim te ostendisti, eadem esse nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
M. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siē,
Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
P. Tun' prospicere, aut iudicare nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntē, aut introeuntē ad amicā: quid tum postea,
Si modeste ac raro hoc fecit? Nonne ea dissimulare nos
Magis humanū est, quā dare operā, id scire, qui nos o-
Nā si is posset ab ea sese derepente avellere, (derit?
Quicū tot cousuesset annos; non eum hominē ducerē,
Nec virum satis firmum gnatæ. *M.* Mitte adolescentem, obsecro,
Et quæ me peccasse ais. Abi: solum solus conveni.
Roga, velitne, an non, uxorem. Si est, ut dicat velle se,
Redde: sin est autē, ut nolit, recte ego consului meæ.
P. Siquidem ille ipse non volt, at tu sensti esse in eo, Myrrhina,
Peccatum; aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, esse ausam facere hæc te iniussu meo.
Interdico, ne extulisse extra ædes puerū usquā velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulē.
Ibo intro, atque edicā servis, ne quoquā efferri sinant.
M. Nullam, pol, credo mulierē me miseriorē vivere:
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,
Non, ædepol, clam me est; cum hoc, quod levius est, tam animo iracundo tulit.
Nec, qua via sententia eius possit mutari, scio.
Hoc mihi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum,
Si, puerum ut tollam, cogit, cuius nos qui sit, nescimus, pater:
Nam, cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est;
Neque detractum ei est quidquam, qui posset post nosci, qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.

SCENA II. *Sostrata, Pamphilus.*

S. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse; etsi ea dissimulas sedulo.
Verum, ita me Di ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illa mei:
Teque antequam me amare rebar, ei rei firmasti fidē.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me præmium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis et meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,
Ne mea præsentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *P.* Quæso, quid istuc consilii est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies: neque sinam, ut, qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factū, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te et cognatas deserere, et festos dies,
Mea causa, nolo. *S.* Nihil, pol, iam res isthæc mihi voluptatis ferunt:
Dum ætas, tempus tulit, perfuncta satis sum: satias iam tenet
Studiorum istorum. Hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortemve expectet meam.
Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnes causas præcidam omnibus:
Et me hac suspicione exsolvā, et illis morē gessero.

Sine me, obsecro, hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
P. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque una hac foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem!
S. Obsecro, mi Pamphile;
Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati.
Si cætera sunt ita, ut vis, itaque ut esse ego illam existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduce illam. *P.* Væ misero mihi!
S. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

SCENA III. *Laches, Sostrata, Pamphilus.*

L. Quem cum isthoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor.
Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere;
Quod faciundum fortasse sit post, idem hoc nunc si feceris.
S. Fors fuat, pol! *L.* Abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.
S. Spero, ecastor. *L.* I ergo intro, et compone, quæ tecum simul
Ferantur. Dixi. *S.* Ite, ut iubes, faciam. *P.* Pater.
L. Quid vis, Pamphile? *P.* Hinc abire matrem? minume. *L.* Quid ita istuc vis?
P. Quia de uxore, incertus sum etiam, quid sim facturus. *L.* Quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? *P.* Equidem cupio; et vix contineor:
Sed non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.
Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore.
L. Nescias. Verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit. Odiosa hæc est ætas adolescentulis.
E medio æquũ excedere est. Postremo iã nos fabulæ
Sumus, Pamphile, senex atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus; accedamus.

SCENA IV. *Phidippus, Laches, Pamphilus.*

Ph. Tibi quoque, ædepol, iratus sum, Philumena,
Graviter quidem: nam, hercle, abs te factum 'st turpiter,
Etsi tibi causa est de hac re, mater, quæ te impulit:
Huic vero nulla est. *L.* Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. *Ph.* Quid est?
Pa. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiã?
L. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne revereatur, minus iam quo redeat domũ. *Ph.* Ah!
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat, Laches.
Pa. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.
Ph. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Affinitatem hanc sane perpetuam volo.
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. *Pa.* Sensit peperisse! occidi!
L. Puerum! quem puerum? *Ph.* Natus est nobis ne- (pos.
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neq; fuisse prægnantẽ unquã ante hunc scivi diem.
L. Bene (ita me Di ament!) nuntias: et gaudeo,
Natum illum, et tibi illam salvam. Sed quid mulie- (ris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc celatos tam diu? Nequeo satis,
Quam hoc mihi videatur factum prave, proloqui.
Ph. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.
Pa. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi;
Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.
L. Nulla tibi, Pamphile, hic iam consultatio 'st.
Pa. Perii! *L.* Hunc videre sæpe optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dis. *Pa.* Nullus sum!
L. Reduc uxorem, ac noli advorsari mihi.
Pa. Pater, si ex me illa liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, cum eius alienum esse a me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac esse arbitror;
Quamobrem reducam? *L.* Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandumne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?
Ph. Vosmet videte iam, Laches, et tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea:
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? *L.* Ridicule rogas:
Quidquid futurum 'st, huic suum reddas scilicet,
Ut alamus nostrum. *Pa.* Quem ipse neglexit pater,
Ego alam? *L.* Quid dixti? Eho! an non alemus, Pamphile?
Prodemus, quæso, potius? quæ hæc amentia est?
Enimvero prorsus iam tacere non queo:
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrymarum esse me?
Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi,
Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus. (vides,
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adiungas tuum,
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi!
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli!
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres;
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo:
Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti, ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuũ:
Cui tu obsecutus, facis huic adeo iniuriam.
Nam in eamdem vitam te revolutum denuo (riam,
Video esse. *Pa.* Mene? *L.* Te ipsum. Et facis iniu-
Cum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris.
Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? *Ph.* Plane hic divinat: nam id est.
Pa. Dabo iusiurandum, nihil esse istorum, tibi.
L. Ah!
Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
Pa. Non est nunc tempus. *L.* Puerum accipias: nam
In culpa non est. Post de matre videro. (is quidem
Pa. Omnibus modis miser sum; nec, quid agam, scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum;
Nam puerum iniussu, credo, non tollent meo;
Præsertim in ea re cum sit mihi adiutrix socrus.
L. Fugis? hem! nec quidquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? Sine.
Puerũ, Phidippe, mihi cedo; ego alam. *Ph.* Maxume.
Non mirum fecit uxor, si hoc ægre tulit.

Amaræ mulieres sunt: non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira 'st: nam ipsa narravit mihi.
Id ego, hoc præsente, tibi nolebam dicere:
Neque ei credebam primo: nunc vero palam est.
Nam omnino abhorrere animū huic video a nuptiis.
L. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consili?
Ph. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam
Oremus, accusemus gravius, denique (censeo.
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
L. Faciam, ut mones. Eho! puer, curre ad Bacchi-
Vicinam nostrā: huc evoca verbis meis. (dem hanc
Et te oro porro in hac re adiutor sis mihi. *Ph.* Ah!
Iamdudum dixi, idemque nunc dico, Laches:
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est ut possit, quod spero fore.
Sed visne adesse me una, dum istam convenis?
L. Immo vero abi: aliquem puero nutricem para.

Actus V. Scena I. *Bacchis, Laches.*

B. Non hoc de nihilo 'st, quod Laches me nunc conventam esse expetit:
Nec, pol, me multum fallit, quin, quod suspicor, sit, quod velit.
L. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem:
Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.
Aggrediar. Bacchis, salve! *B.* Salve, Laches!
L. Credo, ædepol, te
Nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare iussi.
B. Ego, pol, quoque etiam timida sum, cum venit mihi in mentem quæ sim;
Ne nomen mihi quæstus obstet apud te; nam mores facile tutor.
L. Si vera dicis, nihil tibi est a me pericli, mulier:
Nam ea iam ætate sum, ut non siet, peccato, mihi ignosci æquom.
Quo magis omnes res cautius, ne temere faciā, accuro:
Nam si id facis, facturave es, bonas quod par est facere; inscitum
Offerre iniuriam tibi me immerenti, iniquom est.
B. Est magna, ecastor, gratia de isthac re, quam tibi habeam.
Nam qui post factam iniuriam se expurget, parum mihi prosit.
Sed quid istuc est? *L.* Meum receptas filium ad te Pamphilum. *B.* Ah!
L. Sine dicam. Uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.
Mane: nondum etiam dixi id, quod volui. Hic nunc uxorem habet:
Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque, pol, tu eadem isthac ætate.
B. Quis id ait? *L.* Socrus. *B.* Mene? *L.* Te ipsam: et filiam abduxit suam:
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.
B. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam iusiurandū, id pollicerer tibi, Lache,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
L. Lepida es: sed scin', quid volo potius, sodes, facias? *B.* Quid vis? cedo.
L. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc iusiurandum idem
Pollicere illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.
B. Faciam: quod, pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio,
Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet.
Sed nolo falsa fama esse gnatum suspectum tuum;
Nec leviorem vobis, quibus est minume æquom, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
L. Facilem benevolumque lingua tua iam tibi me reddidit.
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc, cum ego te esse præter nostram opinionem comperi,
Fac eadē ut sis porro; nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias.... Sed reprimam me, ne ægre quidquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periculum facias. *B.* Faciam sedulo.

Scena II. *Phidippus, Laches, Bacchis.*

P. Nihil apud me tibi (tur.
Defieri patiar, quin, quod opus sit, benigne præbea-
Sed, cum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
L. Noster socer, video, venit: puero nutricē adduxit.
Phidippe, Bacchis deierat persancte.... *P.* Hæccine ea est? *L.* Hæc est.
P. Nec, pol, istæ metuunt Deos; neque has respicere Deos opinor.
B. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire.
Hæc res hic agitur: Pamphilo, me facere, ut redeat uxor,
Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ,
Solā fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
L. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur.
Nam, si compererit crimini tua se falso uxor credidisse,
Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam; id leve est: cito ab eo hæc ira abscedet.
Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum.
P. Velim quidem, hercle. *L.* Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.
P. Quid mihi isthæc narras? an, quia non tute ipse dudum audisti,
De hac re animus meus ut sit, Laches? illis exple modo animum.
L. Quæso, ædepol, Bacchis, mihi quod es pollicita tute, ut serves.
B. Ob eam rem vis ergo intro eam? *L.* I, atque exple animum iis, ut credant.
B. Eo: etsi scio, pol, iis fore meum conspectum invisum hodie:
Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
L. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, rescíscent.
P. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognoverint:
Nam illas errore, et te simul suspicione, exsolves.

B. Perii! pudet Philumenæ: sequimini me huc intro ambæ.
L. Quid est, quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire,
Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit?
Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit,
Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam, et gloriam esse:
Referetque gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos iunget.

Scena III. *Parmeno, Bacchis.*

P. Ædepol, næ meam herus esse operam deputat parvi pretii,
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
Accedebam: Adolescens, dic dum, quæso, es tu Myconius?
Non sum. At Callidemides? Non. Hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam esse arbitror.
Denique, hercle, iam pudebat: abii: sed, quid Bacchidem
Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
B. Parmeno, opportune te offers. Propere curre ad Pamphilum.
P. Quid eo? *B.* Dic me orare, ut veniat. *P.* Ad te?
B. Immo, ad Philumenam.
P. Quid rei est? *B.* Tua quod nihil refert, percontari desinas.
P. Nihil aliud dicam? *B.* Etiam: cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus olim mihi dederat.
P. Scio.
Tantumne est? *B.* Tantum. Aderit continuo, hoc ubi ex te audierit.
Sed cessas? *P.* Minume equidem: nam hodie mihi potestas haud data 'st;
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
B. Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui pæne harum ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo:
Qua re suspectus suo patri et Phidippo fuit, exsolvi.
Hic adeo his rebus annulus fuit initiu inveniundis.
Nam memini, abhinc menses decem fere, ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo. Extimui illico. Mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es, obsecro? aut unde annulum istum nactus?
Dic mihi. Ille alias res agere se simulare. Postquam video,
Nescio quid suspicarier magis cœpi: instare, ut dicat
Homo se fatetur vi, in via, nescio quam compressisse:
Dici[illegible] sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem.
Rogat, unde sit? Narro omnia hæc: inde 'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.
Hæc tot, propter me, gaudia illi contigisse lætor;
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim est in rem nostram,
Ut quisquã amator nuptiis lætetur. Verum, ecastor,
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum 'st, usa sum benigno, et lepido, et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factũ fateor: (ret.
At, pol, me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveni-
Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda æquum 'st ferre.

Scena IV. *Pamphilus, Parmeno, Bacchis.*

Pam. Vide, mi Parmeno, etiam, sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris:
Ne me in breve conicias tempus, gaudio hoc falso frui.
Par. Visum est. *Pam.* Certen'? *Par.* Certe. *Pam.* Deus sum, si hoc ita est. *Par.* Verum reperies.
Pam. Manedum, sodes. Timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.
Par. Maneo. *Pam.* Sic te dixisse, opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem annulum suum habere. *Par.* Factum.
Pam. Eum, quem olim ei dedi:
Eaque hoc te mihi nuntiare iussit. Itane est factum?
Par. Ita, inquam.
Pam. Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?
Egon' te, pro hoc nuntio, quid donem? quid? quid? nescio.
Par. At ego scio. *Pam.* Quid? *Par.* Nihil enim.
Nam neque in nuntio, neque in me ipso, tibi boni quid sit, scio.
Pam. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? Ah! nimium me ingratum putas.
Sed Bacchidem, eccam, video stare ante ostium!
Me expectat, credo: adibo. *B.* Salve, Pamphile!
Pam. O Bacchis! o mea Bacchis! servatrix mea!
B. Bene factum, et volupe 'st. *Pam.* Factis, ut credam, facis:
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper siet. *B.* Ac tu, ecastor, morem antiquom atque ingenium obtines,
Ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior.
Pam. Ha! ha! he! tun' mihi istuc? *B.* Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa 'st. *Pam.* Dic verum. *B.* Ita me Di ament! Pamphile.
Pam. Dic mihi, harum rerum numquid dixti iam patri? *B.* Nihil. *Pam.* Neque opus est:
Adeo mutito: placet, non fieri hoc itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere,

Sciunt: quos non autem æquom 'st scire, neque resciscent, neque scient.
B. Immo etiã, hoc qui occultari facilius credas, dabo.
Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriiurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum.
Pam. Optume 'st:
Speroque hanc rem esse eventurã nobis ex sententia.
Par. Here, licetne scire ex te, hodie quid sit, quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod vos agitis? *Pam.* Non licet.
Par. Tamen suspicor.
Egone hunc ab Orco mortuum?... quo pacto?
Pam. Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, et ex quanta ærumna extraxeris.
Par. Immo vero scio; neque hoc imprudens feci.
Pam. Ego istuc satis scio.
Par. An temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto usus sit?
Pam. Sequere me intro, Parmeno. *Par.* Sequor. Equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. Plaudite!

ADELPHI

Acta ludis funebribus Æmilii Pauli, quos fecere Q Fabius Maximus, P. Cornelius Africanus. Egere L. Atilius Prænestinus, Minutius Prothimus. Modos fecit Flaccus Claudi, tibiis Sarranis. Facta Græca Menandru L. Anicio, M. Cornelio, coss.

PERSONÆ

ÆSCHINUS, *adolescens, filius Demeæ, sed adoptatus a patruo Micione.*
CANTHARA, *nutrix Pamphilæ.*
CTESIPHO, *adolescens, frater Æschini.*
DROMO, *servus Micionis.* *(Ctesiphonis.*
DEMEA, *senex, frater Micionis, pater Æschini et*
GETA, *servus Sostratæ.*
HEGIO, *senex, propinquus Pamphilæ.* *(chini.*
MICIO, *senex, frater Demeæ, pater adoptivus Æs-*
PAMPHILA, *filia Sostratæ, amica Æschini.*
SANNIO, *leno.* SOSTRATA, *mater Pamphilæ.*
SYRUS, *servus Æschini.*

C. Sulpitii Apollinaris periocha

Duos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. Hunc citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Æschinus; famam rei,
Amoremque, in se transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripit. Vitiaverat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea iurgare, graviter ferre. Mox tamen,
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam: potitur Ctesipho citharistriam.

Prologus

Postquam poeta sensit, scripturam suam
Ab iniquis observari, et adversarios
Rapere in peiorem partem, quam acturi sumus,
Indicio de se ipse erit: vos eritis iudices,
Laudin' an vitio duci id factum oporteat.
Συναποθνήσκοντες Diphili comœdia 'st.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Græca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos: verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam. Pernoscite,
Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia 'st.
Nam, quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adiutare, assidueque una scribere;
Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ;
Senes qui primi venient, ii partem aperient:
In agendo partem ostendent. Facite, æquanimitas
Poetæ ad scribendum augeat industriam.

ACTUS I. SCENA I. *Micio.*

Storax! non rediit hac nocte a cœna Æschinus;
Neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant?
Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi:
Et tibi bene esse, soli cum sibi sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!
Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit (stituere, aut
Aliquid. Vah! quemquamne hominem in animũ in-
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre: is adeo
Dissimili studio est, iam inde ab adolescentia.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus sum; et, quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui. Ille, contra hæc, omnia:
Ruri agere vitam; semper parce ac duriter
Se habere. Uxorem duxit: nati filii
Duo: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi:
Eduxi a parvulo: habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto: solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, prætermitto: non necesse habeo omnia
Pro meo iure agere. Postremo, alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,
Aut audebit, tanto magis audebit ceteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me sæpe, clamitans, Quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus, præter æquumque et bonum.
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.
Mea sic est ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit:
Studet par referre: præsens, absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium

Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest; hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.
Nescio quid tristem video. Credo iam, ut solet,
Iurgabit. Salvum te advenire, Demea,
Gaudemus.

Scena II. *Demea, Micio.*

D. Ehem! opportune: te ipsum quærito.
M. Quid tristis es? *D.* Rogas me, ubi nobis Æschinus
Siet, quid tristis ego sim? *M.* Dixin' hoc fore?
Quid fecit? *D.* Quid ille fecerit! quem neque pudet
Quidquam; nec metuit quemquam; neque legē putat
Tenere se ullam: nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designavit! *M.* Quidnam id est?
D. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam,
Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat. Clamant omnes, indignissume
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere! in ore 'st omni populo. Denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum, ac sobrium?
Nullum huius simile factum. Hæc cum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.
M. Homine imperito nunquā quidquā iniustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat. (cas
D. Quorsu istuc? *M.* Quia tu, Demea, hæc male iudi-
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare; non est: neque fores
Effringere. Hæc si neque ego, neque tu, fecimus,
Non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia?
Iniurium est: nam, si esset, unde id fieret,
Faceremus. Et tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet;
Potius quam, ubi te expectatum eiecisset foras,
Alieniore ætate, post faceret tamen.
D. Pro Iupiter! tu, homo, adigis me ad insaniam.
Non est flagitiū, facere hæc adolescentulū? *M.* Ah!
Ausculta; ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat? potat? olet unguenta? de meo.
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodū;
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur: discidit
Vestem? resarcietur: est, Dis gratia!
Et unde hæc fiant; et adhuc non molesta sunt.
Postremo, aut desine: aut cedo quemvis arbitrum;
Te plura in hac re peccare ostendam. *D.* Hei mihi!
Pater esse disce ab aliis, qui vere sciunt.
M. Natura tu illi pater es, consiliis ego.
D. Tun' consulis quidquā? *M.* Ah! si pergis, abiero.
D. Siccine agis? *M.* An ego toties de eadem re audiā?
D. Curæ est mihi. *M.* Et mihi curæ est: verū, Demea,
Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. *D.* Ah! Micio!
M. Mihi sic videtur. *D.* Quid istuc? tibi si istuc pla-
Profundat, perdat, pereat! nihil ad me attinet. (cet;
Iam si verbum unum posthac.... *M.* Rursum, Demea,
Irascere? *D.* An non credis? repeton' quem dedi?
Ægre 'st: alienus non sum. Si obsto, hem! desino.
Unum vis curem; curo: et est Dis gratia,
Cum ita, ut volo, est. Iste tuus ipse sentiet
Posterius: nolo in illum gravius dicere.
M. Nec nihil, neq; omnia hæc sunt, quæ dicit; tamen
Nonnihil molesta sunt hæc mihi: sed ostendere,
Me ægre pati, illi nolui: nam ita 'st homo;
Cum placo, advorsor sedulo, et deterreo:
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adiutor sim eius iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo: etsi Æschinus
Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? postremo, nuper (credo, iam omnium
Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam iam defervisse adolescentiam:
Gaudebam: ecce autē de integro! nisi, quidquid est
Volo scire, atque hominē convenire, si apud forū est.

Actus II. Scena I. *Sannio, Æschinus, Parmeno.*

S. Obsecro! populares, ferte misero atque innocenti auxilium!
Subvenite inopi! *Æ.* Otiose nunc iam illico hic consiste.
Quid respectas? nihil pericli est: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
S. Ego istam, invitis omnibus....
Æ. Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet.
S. Æschine, audi! ne te ignarum fuisse dicas meorum morum;
Leno ego sum. *Æ.* Scio. *S.* At ita, ut usquam fuit fide quisquam optumus.
Tu quod te posterius purges, hanc iniuriā mihi nolle
Factam esse, huius non faciam. Crede hoc; ego meū ius persequar;
Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris.
Novi ego vestra hæc: Nollem factum: iusiurandum dabitur, te esse
Indignum iniuria hac; indignis cum egomet sim acceptus modis.
Æ. Abi præ strenue, ac aperi fores. *S.* Cæterum hoc nihil facis.
Æ. I intro nunc iam. *S.* At enim non sinam. *Æ.* Accede illuc, Parmeno;
Nimium istoc abisti: hic propter hunc assiste. Hem! sic volo.
Cave nunc iam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos:
Ne mora sit, si innuero, quin pugnus continuo in mala hæreat.
S. Istuc volo ergo ipsum experiri. *Æ.* Hem! serva. Omitte mulierem.
S. O facinus indignum! *Æ.* Geminabit, nisi caves.
S. Hei misero mihi!
Æ. Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen.
I nunc iam. *S.* Quid hoc rei est? regnumne, Æschine, hic tu possides?
Æ. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
S. Quid tibi rei mecum 'st? *Æ.* Nihil. *S.* Quid? nostin' qui sim? *Æ.* Non desidero.
S. Tetigin' tui quidquam? *Æ.* Si attigisses, ferres infortunium.
S. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. *Æ.* Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium:
Nam, si molestus pergis esse, iam intro abripiere, atque ibi
Usque ad necē operiere loris. *S.* Loris liber? *Æ.* Sic erit.

S. O hominem impurum! hiccine libertatem aiunt æquam esse omnibus?
Æ. Si satis iam debacchatus es, leno, audi, si vis, nunc iam.
S. Egon' debacchatus sum autem, an tu in me?
Æ. Mitte ista, atque ad rem redi.
S. Quam rem? quo redeam? *Æ.* Iamne me vis dicere id, quod ad te attinet?
S. Cupio: æqui modo aliquid. *Æ.* Vah! leno iniqua me non volt loqui!
S. Leno sum, fateor; pernicies communis adolescentium;
Periurus, pestis: tamen tibi a me nulla orta est iniuria.
Æ. Nam, hercle, etiam hoc restat. *S.* Illuc, quæso, redi, quo cœpisti, Æschine.
Æ. Minis viginti tu illam emisti; quæ res tibi vortat male!
Argenti tantum dabitur. *S.* Quid? si ego tibi illam nolo vendere,
Coges me? *Æ.* Minume. *S.* Namque id metui.
Æ. Neque vendundam censeo,
Quæ libera 'st; nam ego liberali illam assero causa manu.
Nunc vide, utrum vis: argentum accipere, an causam meditari tuam?
Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *S.* Pro supreme Iupiter!
Minume miror, qui insanire occipiunt ex iniuria.
Domo me eripuit: verberavit: me invito, abduxit meam:
Ob malefacta hæc tantidem emtam postulat sibi tradier.
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum ius postulat.
Age, iam cupio, si modo argentum reddat: sed ego hoc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico,
Vendidisse me: de argento, somnium: mox; cras redi.
Id quoque possum ferre, si modo reddat; quamquam iniurium 'st.
Verum cogito id, quod res est: quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda et mussitanda iniuria adolescentium 'st.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.

SCENA II. *Syrus, Sannio.*

Sy. Tace! egomet conveniam iam ipsum: cupide accipiat, faxo; atque etiam
Bene dicat secum esse actum: quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? *Sa.* Nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.
Sy. Tua culpa. *Sa.* Quid agerem? *Sy.* Adolescenti morem gestum oportuit.
Sa. Qui potui melius, qui hodie usque os præbui? *Sy.* Age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum 'st lucrum. *Sa.* Hui!
Sy. Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paululum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissume,
Ne non tibi istuc fœneraret? *Sa.* Ego spem pretio non emo.
Sy. Nunquam rem facies. Abi! nescis inescare homines, Sannio.
Sa. Credo istoc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in præsentia.
Sy. Age: novi tuum animum: quasi iam usquam tibi sint viginti minæ,
Dum huic obsequare. Præterea autem te aiunt proficisci Cyprum. *Sa.* Hem!
Sy. Coëmisse, hinc quæ illuc veheres, multa: navem conductam, hoc scio.
Animus tibi pendet? Ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
Sa. Nusquam pedem.... Perii hercle! hac illi spe hoc inceperunt! *Sy.* Timet.
Inieci scrupulum homini. *Sa.* O scelera! illud vide,
Ut in ipso articulo oppressit! emtæ mulieres
Complures; et item hinc alia, quæ porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maxumum 'st.
Nunc si hoc omitto, actum agam: ubi illinc rediero,
Nihil est; refrixerit res: nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quã aut hic nunc manere tã diu, aut tum persequi.
Sy. Iamne enumerasti id, quod ad te rediturũ putes?
Sa. Hoccine illo dignum 'st? hoccine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?
Sy. Labascit. Unum hoc habeo: vide, si satis placet:
Potius, quam venias in periculum, Sannio,
Servesne an perdas totum, dividuum face.
Minas decem corradet alicunde. *Sa.* Hei mihi!
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser?
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber est totum caput:
Etiã insuper defrudet? Nusquã abeo. *Sy.* Ut lubet.
Numquid vis, quin abeam? *Sa.* Immo, hercle, hoc quæso, Syre;
Ut ut hæc sunt facta, potius, quam lites sequar,
Meum mihi reddatur; saltem quanti emta 'st, Syre.
Scio te non usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse, et gratum. *Sy.* Sedulo
Faciam: sed Ctesiphonem video: lætus est (ne.
De amica. *Sa.* Quid, quod te oro? *Sy.* Paulisper ma-

SCENA III. *Ctesipho, Syrus.*

C. Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.
Verum enim vero id demum iuvat, si, quem æquom 'st bene facere, is facit.
O frater! frater! quid ego nunc te laudem? satis certo scio;
Nunquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua.
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,
Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.
S. O Ctesipho! *C.* O Syre! Æschinus ubi est? *S.* Ellum! te expectat domi. *C.* Hem!
S. Quid est? *C.* Quid sit! illius opera, Syre, nunc vivo. Festivom caput!
Qui omnia sibi postputavit esse præ meo commodo;
Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit.

Nihil pote supra: sed [quisnam?] foris crepuit.
S. Mane, mane! ipse exit foras.

SCENA IV. *Æschinus, Sannio, Ctesipho, Syrus.*

Æ. Ubi ille est sacrilegus? *Sa.* Men' quærit? num quidnam effert? Occidi!
Nihil video. *Æ.* Ehem! opportune: te ipsum quæro. Quid fit, Ctesipho?
In tuto 'st omnis res: omitte vero tristitiam tuam.
C. Ego illam, hercle, vero omitto, qui quidem te habeam fratrem. O mi Æschine!
O mi germane! Ah! vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes.
Æ. Age, inepte! quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
Hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse; et pæne in eum locum
Redisse, ut si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.
C. Pudebat. *Æ.* Ah! stultitia 'st isthæc, non pudor. Tam ob parvolam
Rem, pæne ex patria . . . ? turpe dictu. Deos quæso, ut isthæc prohibeant.
C. Peccavi. *Æ.* Quid ait tandē nobis Sannio? *Sy.* Iam mitis est.
Æ. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam: tu intro ad illam, Ctesipho.
Sa. Syre, insta. *Sy.* Eamus: namque hic properat in Cyprum. *Sa.* Ne tam quidem:
Quamvis etiam maneo otiosus hic. *Sy.* Reddetur: ne time.
Sa. At ut omne reddat. *Sy.* Omne reddet; tace modo, ac sequere hac. *Sa.* Sequor.
C. Heus! heus Syre! *Sy.* Hem! quid est? *C.* Obsecro, hercle, hominem istum impurissumum
Quamprimū absolvitote: ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet; atque ego tum perpetuo perierim.
Sy. Non fiet: bono animo es: tu cum illa te intus oblecta interim:
Et lectulos iube sterni nobis, et parari cætera.
Ego iā, transacta re, convortā me domū cū obsonio.
C. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

ACTUS III. SCENA I. *Sostrata, Canthara.*

S. Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? *C.* Quid fiet rogas?
Recte, edepol, spero. *S.* Modo dolores, mea, tu occipiunt primulum.
C. Iam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquā tute pepereris?
S. Miseram me! neminem habeo: solæ sumus. Geta autem hic non adest;
Nec, quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum.
C. Pol, is quidem iam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat. *S.* Solus mearum miseriarum est remedium.
C. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum 'st, hera,
Quando vitium oblatum est; quod ad illum attinet potissumum;
Talē, tali genere atq; animo, natum ex tanta familia.
S. Ita, pol, est, ut dicis! salvos nobis, Deos quæso, ut siet.

SCENA II. *Geta, Sostrata, Canthara.*

G. Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique, heræque, filiæque herili est. Væ misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:
Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia.
Hoccine sæclum! o scelera! o genera sacrilega! o hominem impurum!
S. Me miseram! quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam?
G. Quem neque fides, neque iusiurandum, neque illum misericordia
Repressit, neque reflexit; neque quod partus instabat prope;
Cui miseræ indigne per vim vitiū obtulerat. *S.* Non intelligo
Satis, quæ loquatur. *C.* Propius, obsecro, accedamus, Sostrata. *G.* Ah!
Me miserum! vix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem; dum ægritudo hæc est recens.
Satis mihi id habeā supplicii, dū illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.
Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, et capite primum in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam.
Adolescenti ipsi eriperem oculos: post hæc præcipitem darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? *S.* Revocemus. Geta!
G. Hem! quisquis es, sine me. *S.* Ego sum Sostrata.
G. Ubi ea est? Te ipsam quærito:
Te expecto: oppido opportune te obtulisti mihi obviam,
Hera. *S.* Quid est? quid trepidas? *G.* Hei mihi!
S. Quid festinas, mi Geta?
Animam recipe. *G.* Prorsus . . . *S.* Quid istuc prorsus ergo 'st? *G.* Perimus!
Actum 'st! *S.* Eloquere ergo, obsecro te, quid sit.
G. Iam . . . *S.* Quid iam, Geta?
G. Æschinus . . . *S.* Quid is ergo? *G.* Alienus est ab nostra familia. *S.* Hem!
Perii! quare? *G.* Amare occepit aliam. *S.* Væ miseræ mihi!
G. Neq; id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palā.
S. Satin' hoc certum 'st? *G.* Certum: hisce oculis egomet vidi, Sostrata. *S.* Ah!
Me miseram! Quid credas iam? aut cui credas? nostrumne Æschinum,
Nostrarum vitam omnium? in quo nostræ spes, omnesque opes sitæ
Erant: qui sine hac iurabat se unum nunquam victurum diem;
Qui se in sui gremio positurū puerū dicebat patris;
Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorē ducere.
G. Hera, lacrymas mitte; ac potius, quot ad hanc rem opus est, porro consule;

Patisne, an narremus cuipiam? *C.* Au! mi homo, sanusne es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse?
G. Mihi quidem non placet.
Iam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio.
Tua fama, et gnatæ vita, in dubium veniet. Tum, si maxume
Fateatur, cū amet aliam, non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. *S.* Ah! minume gentium:
Non faciam. *G.* Quid agis? *S.* Proferam. *G.* Hem! mea Sostrata, vide, quam rem agas.
S. Peiore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. Hoc reliquum est;
Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul;
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam, Geta;
Experiar. *G.* Quid istuc? accedo, ut melius dicas.
S. Tu, quantum potes,
Abi, atque Hegioni, cognato huius, rem omnem narrato ordine:
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.
G. Nam, hercle, alius nemo respicit nos. *S.* Propera tu, mea Canthara,
Curre: obstetricem arcesse: ut, cum opus sit, ne in mora nobis siet.

SCENA III. *Demea, Syrus.*

D. Disperii! Ctesiphonem audivi filium
Una affuisse in raptione cum Æschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam abducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo: persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo iam, ubi siet:
Atque, hercle, hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam me id velle. *S.* Omnem rē modo seni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quidquam lætius. *D.* Pro Iupiter!
Hominis stultitiam! *S.* Collaudavit filium:
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
D. Disrumpor. *S.* Argentum annumeravit illico:
Dedit præterea in sumtum, dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. *D.* Hem!
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
S. Hem! Demea, haud aspexeram te: quid agitur?
D. Quid agatur! vostram nequeo mirari satis
Rationem. *S.* Est, hercle, inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda. Pisces cæteros purga, Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Paulisper: ubi ego venero, exossabitur: (placent,
Prius nolo. *D.* Hæccine flagitia! *S.* Mihi quidē non
Et clamo sæpe. Salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *D.* Di, vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? Væ misero mihi!
Videre videor iam diem illum, cum hinc egens
Profugiat aliquo militatum. *S.* O Demea!
Istuc est sapere, non, quod ante pedes modo 'st
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. *D.* Quid? isthæc iā penes vos psaltria 'st?
S. Ellam intus. *D.* Eho! an domi est habiturus?
S. Credo, ut est
Dementia. *D.* Hæccine fieri! *S.* Inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. *D.* Fratris me quidam
Pudet, pigetque. *S.* Nimium inter vos, Demea (ac
Non, quia ades præsens, dico hoc) pernimiū interest.
Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille, somnium. Sineres vero tu illum tuum
Facere hæc? *D.* Sinerē illū! an non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam cœperet?
S. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *D.* Sic siet
Modo, ut nunc est, quæso. *S.* Ut quisque suum volt esse, ita 'st.
D. Quid eum...? vidistin' hodie? *S.* Tuumne filium?
Abigam hunc rus. Iamdudum aliquid ruri agere arbitror.
D. Satin' scis ibi esse? *S.* Oh! qui egomet produxi.
D. Optume 'st.
Metui, ne hæreret hic. *S.* Atque iratum admodum.
D. Quid autem? *S.* Adortus iurgio fratrē apud forū,
De psaltria isthac. *D.* Ain' vero? *S.* Vah! nihil reticuit.
Nā, ut numerabatur forte argentū, intervenit
Homo de improviso: cœpit clamare, O Æschine!
Hæccine flagitia facere te! hæc te admittere
Indigna genere nostro! *D.* Oh! lacrymo gaudio.
S. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.
D. Salvos sit, spero: est similis maiorū suū. *S.* Hui!
D. Syre, præceptorum plenus istorum ille. *S.* Phy!
Domi habuit unde disceret. *D.* Fit sedulo.
Nihil prætermitto: consuefacio: denique,
Inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium
Iubeo; atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Hoc facito. *S.* Recte sane. *D.* Hoc fugito. *S.* Callide.
D. Hoc laudi est. *S.* Isthæc res est. *D.* Hoc vitio datur.
S. Probissume. *D.* Porro autē.... *S.* Non, hercle, otium
Nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia ('st
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio 'st:
Nam id nobis tam flagitium 'st, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti: et quod queo,
Conservis ad eumdem isthunc præcipio modum:
Hoc salsum 'st; hoc adustum 'st; hoc lautum 'st parū;
Illud recte; iterum sic memento: sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.
Postremo, tamquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere iubeo; et moneo, quid facto usus siet.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio.
Verum quid facias? ut homo 'st, ita morem geras.
Numquid vis? *D.* Mentem vobis meliorem dari.
S. Tu rus hinc abis? *D.* Recta. *S.* Nā quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperet?
D. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de isthoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul quē video? Estne hic Hegio,
Tribulis noster? Si satis cerno, is, hercle, 'st: vah!
Homo amicus nobis iam inde a puero. Dii boni!
Næ, illiusmodi iam nobis magna civium
Penuria 'st: homo antiqua virtute, ac fide;
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam huius generis reliquias
Restare video! Vah! vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem, et colloquar,

Scena IV. *Hegio, Geta, Demea, Pamphila.*

H. Pro, Di immortales! facinus indignum, Geta!
Quid narras! *G.* Sic est factum. *H.* Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? O Æschine,
Pol, haud paternum istuc dedisti. *D.* Videlicet
De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit. Hei mihi!
Utinam hic prope adesset alicubi, atq; audiret hæc!
H. Nisi facient, quæ illos æquom 'st, haud sic auferent.
G. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est.
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu, perimus. *H.* Cave dixeris.
Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
D. Adibo. Salvere Hegionem plurimum
Iubeo. *H.* Te quærebam ipsum. Salve, Demea.
D. Quid autem? *H.* Maior filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni
Neque liberalis functus officium est viri.
D. Quid istuc? *H.* Nostrũ amicum noras Simulum,
Atque æqualem? *D.* Quidni? *H.* Filiam eius virginem
Vitiavit. *D.* Hem! *H.* Mane: nondum audisti, Demea,
Quod est gravissumum. *D.* An quid est etiã amplius?
H. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo modo 'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
Humanum 'st. Ubi scit factum, ad matrẽ virginis
Venit ipsus ultro, lacrymans, orans, obsecrans,
Fidem dans, iurans se illam ducturum domum.
Ignotum 'st: tacitum 'st: creditum 'st. Virgo ex eo
Compressu gravida facta est: mensis hic decimus est.
Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet,
Paravit, quicum vivat; illam deserat.
D. Pro certon tu isthæc dicis? *H.* Mater virginis
In medio 'st: ipsa virgo: res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est servorum, non malus,
Neque iners, alit illas: solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci, quære rem.
G. Immo, hercle, extorq; nisi ita factum 'st, Demea.
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
D. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic respondeam,
Scio. *P.* Miseram me! differor doloribus.
Iuno Lucina, fer opem! serva me, obsecro! *H.* Hem!
Numnam illa, quæso, parturit? *G.* Certe, Hegio.
H. Hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos ius cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, Deos quæso, ut vobis decet.
Sin aliter animus voster est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Mihi cognatus erat: una a pueris parvolis
Sumus educati: una semper militiæ et domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem.
Quapropter enitar, faciam, experiar: denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? *D.* Fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
H. Sed, Demea, hoc tu facito: cum animo cogites,
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles;
Tam maxume vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
D. Redito: fiant, quæ fieri æquum 'st, omnia.
H. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.
D. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum! verum nimia illæc licentia
Profecto evadat in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

Scena V. *Hegio.*

Bono animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,
Fac consolere: ego Micionem, si apud forum 'st,
Conveniam; atque, ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat: sin aliter de hac re est eius sententia,
Respondeat mihi; ut, quid agã, quam primũ sciam.

Actus IV. Scena I. *Ctesipho, Syrus.*

C. Ain', patrem hinc abisse rus? *S.* Iam dudum.
C. Dic, sodes. *S.* Apud
Villam est: nunc cum maxume operis aliquid facere credo. *C.* Utinam quidem!
Quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit, velim
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
S. Ita fiat! et isthoc, si quid potis est, rectius.
C. Ita: nam hunc diem
Misere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope 'st.
Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc reverti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, iam huc recurret; sat scio.
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? *S.* Nihilne in mentem....? *C.* Nunquam quidquam. *S.* Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo 'st vobis? *C.* Sunt: quid postea?
S. Hisce opera ut data sit. *C.* Quæ non data sit? non potest fieri. *S.* Potest.
C. Interdiu: sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?
S. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum quam ovem reddo. *C.* Quo modo?
S. Laudarier te audit libenter: facio te, apud illum, Deum:
Virtutes narro. *C.* Meas? *S.* Tuas: homini illico lacrymæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. Hem tibi autem! *C.* Quidnam est? *S.* Lupus in fabula.
C. Pater est? *S.* Ipsus est. *C.* Syre, quid agimus?
S. Fuge modo intro: ego videro.
C. Si quid rogabit, nusquam tu me.... Audistin?
S. Potiu' ut desinas?

Scena II. *Demea, Ctesipho, Syrus.*

D. Næ, ego homo sum infelix! primum, fratrem nusquam invenio gentium;
Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec, quid agam, scio.
C. Syre. *S.* Quid ais? *C.* Men' quærit? *S.* Verum.
C. Perii! *S.* Quin tu animo bono es.
D. Quid hoc, malum! infelicitatis! nequeo satis decernere;
Nisi me credo huic esse natũ rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuntio: ægre solus, si quid fit, fero.
S. Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.
D. Nunc redeo: si forte frater redierit, viso. *C.* Syre,

Obsecro, vide, ne ille buc prorsus se lrruat.
S. Etiam taces?
Ego cavebo. *C.* Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi:
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutissumum 'st.
S. Age, tamen ego hunc amovebo. *D.* Sed eccum sceleratum Syrum.
S. Non, hercle, hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miseria?
D. Quid ille gannit? quid volt? qoid ais, bone vir est frater domi?
S. Quid, malum! boue vir, mihi narras? equidem perii! *D.* Quid tibi est?
S. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam,
Usque occidit. *D.* Hem! quid narras? *S.* Hem! vide, ut discidit labrum.
D. Quamobrem? *S.* Me impulsore hanc emtam esse ait. *D.* Non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? *S.* Factum: verum venit post insanieus:
Nihil pepercit. Non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
D. Laudo Ctesipho! patrissas! abi! virum te iudico.
S. Laudas? næ, ille continebit postbac, si sapiet, manus.
D. Fortiter! *S.* Perquem! quia miseram mulierem, et me servolum,
Qui referire nou audebam, vicit: hui! perfortiter!
D. Non potuit melius: idem, quod ego, sentit, te esse huic rei caput.
Sed estne frater intus? *S.* Non est. *D.* Ubi illum quæram, cogito.
S. Scio, ubi sit: verum hodie nunquam monstrabo.
D. Hem! quid ais? *S.* Ita.
D. Diminuetur tibi quidem iam cerebrum.
S. At nomen nescio
Illius hominis; sed locum novi, ubi sit.
D. Dic ergo locum.
S. Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum?
D. Quidni noverim?
S. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris,
Clivus deorsū vorsus est: hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.
D. Quonam? *S.* Illic ubi etiam caprificus magna est: nostin? *D.* Novi. *S.* Hac pergito.
D. Id quidem angiportum non est pervium.
S. Verum, hercle. Vah!
Censen' hominem me esse? Erravi. In porticum rursum redi:
Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.
Scin' Cratini, huius ditis, ædes? *D.* Scio.
S. Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum fabrica: ibi est.
D. Quid ibi facit?
S. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
D. Ubi potetis vos? *S.* Bene sane. *D.* Sed cesso ad eum pergere.
S. I sane. Ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitor.
Ctesipho autem in amore est totus. Ego iam prospiciam mihi:
Nam iam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissumum,
Carpam: et cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

SCENA III. *Micio, Hegio.*

M. Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum 'st, corrigo.
Nisi si me in illo credidisti esse hominum nomero, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam, ultro siquam fecere ipsi; expostulant,
Et ultro accusant. Id quia non est a me factum, agis gratias?
H. Ah! minume: nonqoam te aliter atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio;
Atque isthæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suspicionem hanc propter fratrem eius esse, et illam psaltriam.
M. Si ita æquom censes, aut si ita opus est facto, eamus. *H.* Bene facis:
Nam et illi animom iam relevabis, quæ dolore ac miseria
Tabescit; et tuo officio fueris functus: sed si aliter putas,
Egomet narrabo, quæ mihi dixti. *M.* Immo ego ibo.
H. Bene facis.
Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt, nescio quomodo,
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam impotentiā se semper credunt negligi.
Quapropter te ipsom purgare ipsis coram, placabilius est.
M. Et recte, et verum dicis. *H.* Sequere me ergo hac intro. *M.* Maxume.

SCENA IV. *Æschinus.*

Discrucior animi. Hoccine de improviso mali mihi obiici
Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit.
Pectore consistere nihil consilii quit. Vah! quomodo
Me ex hac expediam turba? tanta nunc suspicio de me incidit;
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc
Emisse: id anus fecit indicium mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa; ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat? iam partus adsiet?
Eone obstetricem arcessat? illa exclamat, Abi, abi iam, Æschine!
Satis diu dedisti verba: sat adhuc tua nos frustrata 'st fides.
Hem! quid istuc, obsecro, inquam, est? Valeas: habeas illam, quæ placet.
Sensi illico id illas suspicari: sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerē, ac fieret palam.

Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod miuume 'st opus
Usquam efferri. Age, mitto: fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo, ut credant: tot concurrunt verisimilia.
Egomet rapui: ipse egomet solvi argentum: ad me abducta 'st domum.
Hæc adeo mea culpa fateor fieri. Nou me hanc rem patri,
Ut ut erat gesta, indicasse? Exorassem, ut eam ducerem.
Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere!
Nunc hoc primum est: ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.
Heus! heus! Æschinus ego sum: aperite aliquis actu-
Prodit nescio quis: concedam huc. (tum ostium.

SCENA V. *Micio, Æschinus.*

M. Ita, uti dixi, Sostrata, (acta hæc 'sint, sciat.
Facite: ego Æschinum conveniam; ut, quomodo
Sed quis ostium hoc pultavit? *Æ.* Pater, hercle, est, Perii! *M.* Æschine.
Æ. Quid huic hic negoti 'st? *M.* Tune has pepulisti fores?
Tacet. Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est,
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nihil mihi respondes? *Æ.* Non equidem istas, quod sciam.
M. Ita? nam mirabar, quid hic negotii esset tibi.
Erubuit: salva res est. *Æ.* Dic, sodes, pater,
Tibi vero quid isthic est rei? *M.* Nihil mihi quidem:
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. *Æ.* Quid? *M.* Ego dicam tibi:
Habitant hic quædam mulieres pauperculæ:
Ut opinor, has non nosse te, et certo scio. (postea?
Neque enim diu huc commigrarunt. *Æ.* Quid tum
M. Virgo est cum matre. *Æ.* Perge. *M.* Hæc virgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus; (est?
Huic leges cogunt nubere hanc. *Æ.* Perii! *M.* Quid
Æ. Nihil: recte: perge. *M.* Is venit, ut secū avehat:
Nam habitat Mileti. *Æ.* Hem! virginem ut secum avehat!
M. Sic est. *Æ.* Miletum usque, obsecro? *M.* Ita.
Æ. Animo male 'st.
Quid ipsæ? quid aiunt? *M.* Quid illas censes? nihil
Commenta mater est, esse ex alio viro, (eulm.
Nescio quo, puerum natum; neque eum nominat;
Priorem esse illum; non oportere huic dari.
Æ. Eho! nonne hæc iusta tibi videntur postea?
M. Non. *Æ.* Obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?
M. Quid illā ni abducat? *Æ.* Factū a vobis duriter,
Immisericorditerque: atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter. (creditis
M. Quamobrem? *Æ.* Rogas me? Quid illi tandem
Fore animi misero, qui cum illa consuevit prius,
Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat,
Cum hanc sibi videbit præsens præsenti, eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater!
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui? quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? *Æ.* An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? Hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit, et id defendere.
M. Ridiculum! advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? Sed, quid ista, Æschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? Abeamus: quid est?
Quid lacrymas? *Æ.* Pater, obsecro, ausculta.
M. Æschine, audivi omnia,
Et scio: nam te amo; quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.
Æ. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut, me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *M.* Credo, hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale: sed vereor, ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Virginem vitiasti, quam te ius non fuerat tangere.
Iam id peccatum primum magnum: magnum, at humanum tamen:
Fecere alii sæpe, item boni. At postquam id evenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret? qua fieret? si te ipsū mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? Hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es: duces uxorem hanc. *Æ.* Hem!
M. Bono animo es, inquam. *Æ.* Pater,
Obsecro! non ludis tu nunc me? *M.* Ego te! quamobrem? *Æ.* Nescio:
Nisi quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
M. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas; abi!
Æ. Quid? iam uxorem? *M.* Iam. *Æ.* Iam? *M.* Iam; quantum potes. *Æ.* Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos!
M. Quid? quam illam? *Æ.* Æque. *M.* Perbenigne.
Æ. Quid? ille ubi est Milesius?
M. Abiit; periit; navem ascendit: sed cur cessas?
Æ. Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare; nam tibi eos, certo scio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
M. Ego eo intro, ut, quæ opus sunt, parentur: tu fac, ut dixi, si sapis.
Æ. Quid hoc est negoti! hoc est patrem esse? aut hoc est filium esse?
Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem!
Itaq. adeo magnā mihi iniecit sua commoditate curā,
Ne forte imprudens faciā, quod nolit: sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne moræ meis nuptiis egomet siē?

SCENA VI. *Demea.*

Defessus sum ambulando! Ut, Syre, te, cum tua
Monstratione, magnus perdat Iupiter!
Perreptavi usque omne oppidum; ad portam, ad lacū;
Quo non? neq. illic fabrica ulla erat, neq. fratrē homo

Vidisse se aiebat quisquam. Nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

SCENA VII. *Micio, Demea.*

M. Ibo; illis dicam, nullam esse in nobis moram.
D. Sed eccum ipsum! te iamdudum quæro, Micio.
M. Quidnam? *D.* Fero alia flagitia ad te, ingentia,
Boni illius adolescentis. *M.* Ecce autem! *D.* Nova,
Capitalia. *M.* Ohe! iã *D.* Nescis, qui vir sit. *M.* Scio.
D. Ah stulte! tu de psaltria me somnias
Agere: hoc peccatũ in virginẽ est civẽ. *M.* Scio. (hi,
D. Eho! scis? et patere? *M.* Quidni patiar? *D.* Dic mi-
Non clamas? non insanis? *M.* Non. Malim quidem...
D. Puer natus est. *M.* Di bene vortant? *D.* Virgo ni-
hil habet.
M. Audivi. *D.* Et ducenda indotata 'st? *M.* Scilicet.
D. Quid nunc futurum est? *M.* Id enĩ, quod res ipsa
Illinc huc transferetur virgo. *D.* O Iupiter! (fert:
Isthoccine pacto oportet? *M.* Quid faciam amplius?
D. Quid facias? Si non ipsa re istuc tibi dolet,
Simulare certe est hominis. *M.* Quin iam virginem
Despondi: res composita 'st; fiunt nuptiæ: (terum,
Demsi metũ omnẽ: hæc magis sunt hominis. *D.* Cæ-
Placet tibi factum, Micio? *M.* Non, si queam
Mutare: nunc, cum non queo, æquo animo fero.
Ita vita 'st hominum, quasi, cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est iacto, non cadit:
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
D. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro psaltria periere; quæ, quantum potest,
Aliquo abiicienda est, si non pretio, at gratiis.
M. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
D. Quid igitur facies? *M.* Domi erit. *D.* Pro Divum
Meretrix et mater familias una in domo? (fidem!
M. Cur non? *D* Sanum te credis esse? *M.* Equidem
arbitror.
D. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? *D.* Et nova nupta eadem hæc discet?
M. Scilicet.
D. Tu inter eas restim ductans saltabis. *M.* Probe.
D. Probe? *M.* Et tu nobiscũ una, si opus sit. *D.* Hei mi-
Non te hæc pudent? *M.* Iã vero omitte, Demea, (hi!
Tuam isthanc iracundiam; atque, ita uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te in gnati nuptiis.
Ego hos conveniam: post huc redeo. *D.* O Iupiter!
Hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!
Uxor sine dote veniet: intus psaltria est:
Domus sumtuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus,
Servare prorsus non potest hanc familiam.

ACTUS V. SCENA I. *Syrus, Demea.*

S. Ædepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi! sed, postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. *D.* Illud sis vide
Exemplum disciplinæ! *S.* Ecce autem hic adest
Senex noster. Quid fit? quid tu es tristis? *D.* Oh! sce-
S. Ohe, iam: tu verba fundis hic sapientia? (lus!
D. Tun'? si meus esses .. *S.* Dis quidẽ esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. *D.* Exemplum omnibus
Curarem ut esses. *S.* Quamobrem? quid feci? *D.* Ro-
In ipsa turba, atque in peccato maxumo, (gas?
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus!
Quasi re bene gesta. *S.* Sane nollem huc exitum.

SCENA II. *Dromo, Syrus, Demea.*

Dr. Heus, Syre! rogat te Ctesipho, ut redeas. *S.* Abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? *S.* Nihil.
De. Eho, carnufex!
Est Ctesipho intus? *S.* Non est. *De.* Cur hic nominat?
S. Est alius quidam, parasitaster parvulus:
Nostin'? *De.* Iam scibo. *S.* Quid agis? quo abis?
De. Mitte me.
S. Noli, inquam. *De.* Non manum abstines, mastigia?
An tibi iam mavis cerebrum dispergi hic? *S.* Abit.
Ædepol, comissatorem haud sane commodum,
Præsertim Ctesiphoni. Quid ego nunc agam?
Nisi, dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum iu
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi: sic agam.

SCENA III. *Micio, Demea.*

M. Parata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. Quisnam a me pepulit tam graviter fores?
D. Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem,
aut querar?
O cœlum! o terra! o maria Neptuni! *M.* Hem tibi!
Rescivit omnem rem; id nunc clamat scilicet;
Paratæ lites: succurrendum 'st. *D.* Eccum adest
Communis corruptela nostrum liberum.
M. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
D. Repressi, redii: mitto maledicta omnia;
Rem ipsam putemus. Dictum hoc inter nos fuit,
(Ex te adeo est ortum) ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. *M.* Factum 'st, non nego.
D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui minus
Mihi idem ius æquom 'st esse, quod mecum 'st tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non æquom dicis; non: nã vetus verbum hoc qui-
Communia esse amicorum inter se omnia. (dẽ est,
D. Facete! nunc demum isthæc nata oratio est.
M. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet sumtum filii
Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum uxorem credidisti, scilicet,
Ducturum: eamdem illam rationem antiquã obtine:
Conserva, quære, parce: fac quam plurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine.
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse omne. Hæc si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis dempseris molestiam.
D. Mitto rem: consuetudinem ipsorum.... *M* Mane:
Scio: istuc ibam. Multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus coniectura facile fit;
Duo cum idem faciunt, sæpe, ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit.
Quæ ego illis inesse video, ut confidam fore,
Ita ut volumus. Video sapere, intelligere, in loco
Vereri, inter se amare; scire est liberum
Ingenium, atque animum. Quovis illos tu die
Reducas. At enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. O noster Demea!
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet. *D.* Ne nimium modo
Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus, subvertant. *M.* Tace:
Non fiet. Mitte iam isthæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. *D.* Scilicet, ita tempus fert:
Faciundum est: ceterum rus cras cum filio

Cũ primo luce ibo hinc. *M.* Immo, de nocte, censeo:
Hodie modo hilarum fac te. *D.* Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. *M.* Pugnaveris.
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam serves. *D.* Ego istuc videro:
Atque ibi, favillæ plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo sit, faxo, et molendo: præter hæc,
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat: (cet.
Tam excoctã reddã atque atrã, quã carbo 'st. *M.* Pla-
Nunc mihi videre sapere: atque equidem filium
Tum, etiam si nolit, cogas, ut cum illa una cubet.
D. Derides? fortunatus, qui isthoc animo sies.
Ego sentio. *M.* Ah! pergisne? *D.* Iam iam desino.
M. I ergo intro, et, cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem.

SCENA IV. *Demea.*

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat; ut illa, quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:
Quod nunc mihi evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope iam excurso spatio, mitto: id quamobrem? re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.
Id esse verum, ex me, atque ex fratre, cuivis facile 'st noscere.
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis;
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus.
Sibi vixit: sibi sumtum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii:
Alia cura. Porro autẽ, illis dũ studeo ut quã plurimũ
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam.
Nunc, exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odiũ: ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illũ amant; me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illũ sunt ambo: ego desertus sũ.
Illum, ut vivat, optant: meam autem mortem expectant. Scilicet
Ita eos, meo labore eductos maxumo, hic fecit suos,
Paulo sumtu: miseriam omnem ego capio: hic potitur gaudia.
Age, age, nunc experiamur contra hæc quid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo provocat.
Ego quoq; e meis me amari, et magni pendi, postulo.
Si id fit dando atq; obsequendo, non posteriores ferã.
Deerit? id mea minume refert, qui sũ natu maxumus.

SCENA V. *Syrus, Demea.*

S. Heus; Demea! rogat frater, ne abeas longius.
D. Quis homo? O Syre noster, salve! quid fit? quid agitur?
S. Recte. *D.* Optume 'st. Iam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam: O noster! quid fit? quid agitur?
Servom haud illiberalem præbes te; et tibi
Lubens bene faxĩ. *S.* Gratiã habeo. *D.* Atqui, Syre,
Hoc verum 'st; et ipsa re experiere propediem.

SCENA VI. *Geta, Demea.*

G. Hera, ego hinc ad hos provisam, quam mox vir-
Arcessant. Sed eccum Demeam! Salvos sies. (ginẽ
D. O! qui vocare? *G.* Geta. *D.* Geta, hominem maxumi
Pretii te esse, hodie animo iudicavi meo. (xumi
Nam is mihi profecto est servos spectatus satis,
Cui dominus curæ 'st, ita uti tibi sensi, Geta.
Et tibi, ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim. Meditor esse affabilis;
Et bene procedit. *G.* Bonus es, cum hæc existumas.
D. Paulatim plebem primulum facio meam.

SCENA VII. *Æschinus, Demea, Syrus, Geta.*

Æ. Occidunt me quidẽ, dum nimis sanctas nuptias
Student facere: in apparando consumunt diem.
D. Quid agitur, Æschine? *Æ.* Ehem! pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle vero et animo et natura pater; (mũ
Qui te amet plus quam hosce oculos: sed cur non do-
Uxorẽ arcessis? *Æ.* Cupio: verũ hoc mihi moræ 'st,
Tibicina, et hymenæum qui cantent. *D.* Eho!
Vin' tu huic seni auscultare? *Æ.* Quid? *D.* Missa hæc
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas: (face;
Atque hanc in horto maceriam iube dirui,
Quantum potest; hac transfer: unam fac domum:
Traduce et matrẽ et familiã omnẽ ad nos. *Æ.* Placet,
Pater lepidissume. *D.* Euge! iam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet; sumtum admittet; multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam. Iube nunc iam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? *S.* Quid ago? *D.* Dirue.
Tu illas abi et traduce. *G.* Di tibi, Demea,
Bene faciant, cum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. *D.* Dignos arbitror.
Quid ais tu? *Æ.* Sic opinor. *D.* Multo rectiu 'st,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. *Æ.* Nihil enim vidi melius, mi pater.
D. Sic soleo: sed eccum, Micio egreditur foras.

SCENA VIII. *Micio, Demea, Æschinus.*

M. Iubet frater? ubi is est? tune iubes hoc, Demea?
D. Ego vero iubeo, et in hac re, et aliis omnibus,
Quam maxume unam facere nos hanc familiam;
Colere, adiuvare, adiungere. *Æ.* Ita quæso, pater.
M. Haud aliter censeo. *D.* Immo, hercle, ita nobis decet.
Primum huius uxoris est mater. *M.* Quid postea?
D. Proba et modesta. *M.* Aiunt. *D.* Natu grandior.
M. Scio. *D.* Parere iã diu hæc per annos non potest:
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est.
M. Quam hic rem agit?
D. Hanc te æquõ 'st ducere: et te operã, ut fiat, dare.
M. Me ducere autem? *D.* Te. *M.* Me? *D.* Te, inquam. *M.* Ineptis. *D.* Si tu sis homo,
Hic faciet. *Æ.* Mi pater. *M.* Quid? tu autem huic, asine, auscultas? *D.* Nihil agis:
Fieri aliter non potest. *M.* Deliras. *Æ.* Sine te exorem, mi pater.
M. Insanis? aufer. *D.* Age, da veniam filio. *M.* Satin' sanus es? Ego
Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam! atque anum decrepitam ducam! idne estis auctores mihi?
Æ. Fac: promisi ego illis. *M.* Promisti autem? de te largitor, puer.
D. Age: quid, si quid te maius oret? *M.* Quasi non hoc sit maxumum.
D. Da veniam. *Æ.* Ne gravare. *D.* Fac, promitte.
M. Non omittis?
Æ. Non, nisi te exorem. *M.* Vis est hæc quidem.
D. Age; prolixe, Micio.

M. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur; si vos tantopere istuc voltis, fiat. *Æ.* Bene facis:
Merito te amo. *D.* Verum, quid ego dicam? Hoc confit, quod volo.
Quid nunc, quod restat? Hegio his est cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
M. Quid facere? *D.* Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. *M.* Paulum id autem?
D. Si multum siet, tamen
Faciundum est: pro patre huic est: bonus est: noster est: recte datur.
Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum: Vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.
M. Quid istbic? dabitur, quandoquidem hic volt.
Æ. Mi pater!
D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo. *M.* Gaudeo.
D. Suo sibi hunc gladio iugulo.

SCENA IX. *Syrus, Demea, Micio, Æschinus.*

S. Factum est, quod iussi, Demea.
D. Frugi homo es: ego, ædepol, hodie mea quidem sententia
Iudico Syrum fieri esse æquom liberum. *M.* Isthunc liberum?
Quodnam ob factum? *D.* Multa. *S.* O noster Demea! ædepol, vir bonus es.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo:
Docui; monui; bene præcepi semper, quæ potui, omnia.
D. Res apparet: et quidē hæc porro; obsonare, cū fide
Scortum adducere, apparare de die convivium.
Non mediocris hominis hæc sunt officia. *S.* O lepidum caput!
D. Postremo, hodie, in psaltria hac emunda, hic adiutor fuit;
Hic curavit: prodesse æquom 'st: alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. *M.* Vin' tu hoc fieri?
Æ. Cupio. *M.* Si quidem
Tu vis, Syre, eho! accede huc ad me: liber esto.
S. Bene facis:
Omnibus gratiam habeo; et seorsum tibi præterea, Demea.
D. Gaudeo. *Æ.* Et ego. *S.* Credo. Utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiā ut uxorem meam una mecū videam liberā.
D. Optumam quidem mulierem. *S.* Et quidem tuo nepoti, huius filio,
Hodie primā mammā dedit hæc. *D.* Hercle vero serio,
Si quidem primam dedit, haud dubium, quin emitti æquom siet.
M. Ob eam rem? *D.* Ob eam. Postremo a me argentum, quanti est, sumito.
S. Di tibi, Demea, oro, omnes semper omnia optata offerant.
M. Syre, processisti hodie pulchre. *D.* Si quidem porro, Micio,
Tu tuum officium facies, atq; huic aliquid paululum præ manu
Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. *M.* Istoc vilius.
Æ. Frugi homo est. *S.* Reddam, hercle; da modo.
Æ. Age, pater. *M.* Post consulam.
D. Faciet. *S.* O vir optume! *Æ.* O mi pater festivissume!
M. Quid istuc? Quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ isthæc subita est largitas?
D. Dicam tibi:
Ut id ostenderē, quod te isti facilē et festivū putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono;
Sed ex assentando, indulgendo, et largiundo, Micio.
Nunc adeo, si ob eam rem vobis vita mea invisa est, Æschine,
Quia non iusta, iniusta, prorsus omnia omnino obsequor;
Missa facio: effundite, emite, facite, quod vobis lubet.
Sed, si id voltis potius, quæ vos propter adolescentiā
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere, et corrigere me, et obsecundare in loco;
Ecce me, qui id faciam vobis. *Æ.* Tibi, pater, permittimus:
Plus scis, quid facto opus est. Sed de fratre quid fiet?
D. Sino.
Habeat: in istac finem faciat. *Æ* Istuc recte. Ω. Plaudite!

PHORMIO

Acta ludis Romanis, L. Postumio Albino, L. Cornelio Merula, ædilibus curulibus. Egere L. Ambivius Turpio, L. Atilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudi, tibiis imparibus. Tota Græca Apollodoru Epidicazomenos. Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio, coss.

PERSONÆ

ANTIPHO, *adolescens, filius Demiphonis,*
CHREMES, *senex, frater Demiphonis.*
CRATINUS, *advocatus.* CRITO, *advocatus.*
DAVUS, *servus incerti heri.*
DEMIPHO, *senex, frater Chremetis.* DORIO, *leno.*
GETA, *servus Demiphonis.* HEGIO, *advocatus.*
NAUSISTRATA, *matrona, uxor Chremetis.*
PHÆDRIA, *adolescens, filius Chremetis.*
PHORMIO, *parasitus.* SOPHRONA, *nutrix Phanii.*

C. Sulpitii Apollinaris Periocha

Chremetis frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem, et filiam;
Athenis aliam coniugem; et amantem unice
Gnatum fidicinam. Mater e Lemno advenit
Athenas: moritur. Virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat: ibi eam visam Antipho
Cum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi, fremere: dein minas
Triginta dant parasito, ut illam coniugem
Haberet ipse: argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho, a patruo agnitam.

Prologus

Postquam poeta vetus poetam non potest
Retrahere ab studio; et transdere hominē in otium

Maledictis deterrere, ne scribat, parat;
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, et scriptura levi;
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum
Cervam videre fugere, sectari canes:
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, cum stetit olim nova,
Actoris opera magis stetisse, quam sua;
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet;
Et magis placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet:
Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum potuisset novus,
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret;
Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reiicere:
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab ipso allatum est, id sibi esse rellatum putet.
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc, quid velim, animũ attendite. Apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci: Latini Phormionem nominant,
Quia, primas qui partes aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res agetur maxume.
Voluntas vostra si ad poetam accesserit,
Date operam: adeste æquo animo per silentium;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco 'st;
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vostra adiutans, atque æquanimitas.

ACTUS I. SCENA I. *Davus.*

Amicus summus meus, et popularis, Geta,
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Iampridem apud me relliquom pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem: confeci; affero.
Nam herilem filium eius duxisse audio
Uxorem: ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est! hi, qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus.
Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiat; haud existumans
Quanto labore partum: porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies;
Ubi initiabunt. Omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi: sed videon' Getam?

SCENA II. *Geta, Davus.*

G. Si quis me quæret rufus.... *D.* Præsto est; desine. *G.* Oh!
At ego obviam conabar tibi, Dave. *D.* Accipe: hem!
Lectum est: conveniet numerus, quantum debui.
G. Amo te; et, non neglexisse, habeo gratiam.
D. Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res redit;
Si quis quid reddit, magna habenda 'st gratia.
Sed quid tu es tristis? *G.* Egone? Nescis, quo in metu, et
Quanto in periclo simus. *D.* Quid istuc est? *G.* Scies:
Modo ut tacere possis. *D.* Abi sis, insciens!
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? Ubi quid mihi lucri est
Te fallere? *G.* Ergo ausculta. *D.* Hanc operam tibi dico.
G. Senis nostri, Dave, fratrem maiorem Chremem
Nostin? *D.* Quidni? *G.* Quid? eius gnatũ Phædriam?
D. Tamquam te. *G.* Evenit, senibus ambobus simul
Iter, illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam,
Ad hospitem antiquom. Is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.
D. Cui tanta erat res, et supererat? *G.* Desinas:
Sic est ingenium. *D.* Oh! regem me esse oportuit.
G. Abeuntes ambo hic tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrũ. *D.* O Geta! provinciam
Cepisti duram. *G.* Mihi usus venit, hoc scio.
Memini relinqui me, Deo irato meo.
Cœpi advorsari primo. Quid verbis opus est?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi. (est,
D. Venere in mentem mihi isthæc: nam quæ inscitia
Advorsum stimulum calces? *G.* Cœpi iis omnia
Facere, obsequi quæ vellent. *D.* Scisti uti foro.
G. Noster mali nihil quidquam primo: hic Phædria
Continuo quamdam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissumo;
Neque, quod daretur, quidquam; id curarant patres.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, et reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, ex advorsum ei loco
Tonstrina erat quædam; hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea, dum sedemus illic, intervenit
Adolescens quidam lacrymans: nos mirarier:
Rogamus, quid sit? Nunquam æque, inquit, ac modo,
Paupertas mihi onus visum est et miserum et grave.
Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat exadvorsum; neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquã aderat, qui adiutaret funus. Miseritum 'st.
Virgo ipsa facie egregia. Quid verbis opu' est?
Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho:
Voltisne eamus visere? alius, censeo:
Eamus: duc nos, sodes. Imus, venimus:
Videmus. Virgo: pulchra, et, quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
Lacrymæ, vestitus turpis: ut ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita 'st. Noster vero.... *D.* Iam scio:
Amare cœpit. *G.* Scin' quam....? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit: obsecrat,
Sibi ut eius faciat copiam. Illa enim se negat:
Neque eum æquom ait facere: illam civem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit, (cam,
Lege id licere facere: sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire: et eam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
D. Non, si redisset, ei pater veniam daret?
G. Ille ne indotatam virginem, atque ignobilem
Daret illi? Nunquam faceret. *D.* Quid fit denique?
G. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens; qui... (illum Di omnes perduint!)
D. Quid is fecit? *G.* Hoc consilium, quod dicam, de-
Lex est, ut orbæ, qui sunt genere proxumi, (dit.
Eis nubant: et illos ducere eadem hæc lex iubet.
Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimulabo virginis:
Ad iudices veniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater; qui cognata tibi sit; omnia hæc
Confingã: quod erit mihi bonum, atque commodum,
Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.

Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidam nostra erit. *D.* Iocularem audaciam!
G. Persuasit homini: factum est: ventum est: vincimur:
Duxit. *D.* Quid narras? *G.* Hoc, quod audis.
D. O Geta!
Quid te futurum est? *G.* Nescio, hercle: unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus æquo animo. *D.* Placet:
Hem! istuc viri officium 'st. *G.* In me omnis spes mibi est.
D. Laudo. *G.* Ad precatorem adeam, credo, qui mihi
Sic oret: Nunc amitte, quæso, hunc: cæterum
Posthac, si quidquam, nihil precor: tantummodo
Non adsiat, Ubi ego hinc abiero, vel occidito.
D. Quid pædagogus ille, qui citharistriam....?
Quid rei gerit? *G.* Sic, tenuiter. *D.* Non multum habet,
Quod det, fortasse. *G.* Immo nihil, nisi spē meram.
D. Pater eius rediit, an non? *G.* Nondum. *D.* Quid? senem
Quoad exspectatis vostrum? *G.* Non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.
D. Numquid, Geta, aliud me vis? *G.* Ut bene sit tibi.
Puer, heus! nemon' huc prodit? Cape, da hoc Dorcio.

SCENA III. *Antipho, Phædria.*

A. Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse,
Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem eius adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.
P. Quid istuc est? *A.* Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis.
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset;
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali.
Non potitus essem: fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies:
At non quotidiana cura hæc angeret animum....
P. Audio.
A. Dum expecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.
P. Aliis, quia defit, quod amant, ægre 'st: tibi, quia (superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem, hercle, certo vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me Di bene ament! ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui,
Iam depecisci morte cupio. Tu coniicito cætera:
Quid ego ex hac inopia nunc capiam; at quid tu ex hac copia:
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es;
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama: palam
Beatus; ni unum hoc desit, animus qui modeste isthæc ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes; nostri nosmet pœnitat.
A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis;
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi eius sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc est? Videon' ego Getam currentem huc advenire?
Is est ipsus: hai! timeo miser, quam hic nunc mibi nuntiet rem.

SCENA IV. *Geta, Antipho, Phædria.*

G. Nullus es, Geta, nisi iam aliquod tibi consilium celere repperis:
Ita nunc imparatū subito tanta te impendent mala;
Quæ neque uti devitem, scio, neque quo modo me inde extraham;
Nam non potest celari nostra diutius iam audacia:
Quæ si non astu providentur, me aut herum pessum (dabunt.
A. Quidnam ille commotus venit?
G. Tum, temporis mibi punctum ad hanc rem est. Herus adest. *A.* Quid istuc mali 'st?
G. Quod cum audierit, quod eius remedium inveniam iracundiæ?
Loquarne? incendam. Taceam? instigem. Purgem me? laterem lavem.
Eheu me miserum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Eius me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam, absque eo esset,
Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam:
Aliquid convasassem, atque hinc me coniicerem protinus in pedes.
A. Quam hic fugam, aut furtum, parat?
G. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam via?
P. Te nominat. *A.* Nescio quod magnum hoc nuntio expecto malum.
P. Ah! sanusne es? *G.* Domum ire pergam: ibi plurimum 'st. *P.* Revocemus
Hominem. *A.* Sta illico. *G.* Hem!
Satis pro imperio, quisquis es. *A.* Geta. *G.* Ipse est, quem volui obviam.
A. Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.
G. Faciam. *A.* Eloquere. *G.* Modo apud portum....
A. Meumne? *G.* Intellexti. *A.* Occidi! *G.* Hem!
A. Quid agam? *P.* Quid ais? *G.* Huius patrem vidisse me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla 'st mihi vita expetenda. *G.* Ergo isthæc cum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom est: fortis fortuna adiuvat.
A. Non sum apud me. *G.* Atqui opus est nunc cum maxume ut sis, Antipho:
Nam, si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. *P.* Hoc verum est. *A.* Non possum immutarier.
G. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?
A. Cum hoc non possum, illud minus possem.
G. Hoc nihil est, Phædria: ilicet.
Quid hic conterimus operam frustra? quin abeo?
P. Et quidam ego. *A.* Obsecro:
Quid si assimulo? satin' est? *G.* Garris. *A.* Voltum contemplamini: hem!

Satin' sic est? *G.* Non. *A.* Quid si sic? *G.* Propemodum. *A.* Quid si sic? *G.* Sat est.
Hem! istuc serva: et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet. *A.* Scio.
G. Vi coactum te esse invitum, lege, iudicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea?
A. Ipsus est:
Non possum adesse. *G.* Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. *A.* Egomet me novi, et peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, et vitam meã.
P. Geta, quid nunc fiet? *G.* Tu iam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phædria.
P. Aufer mihi oportet: quin tu, quod faciam, impera.
G. Meministin' olim ut fuerit vostra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam;
Iustam illam causam, facilem, vincibilẽ, optumam?
P. Memini. *G.* Hem! nunc ipsa 'st opus ea; aut, si quid potest,
Meliore, et callidiore. *P.* Fiet sedulo.
G. Nunc prior adito tu: ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. *P.* Age.

ACTUS II. SCENA I. *Demipho, Geta, Phædria.*

D. Itane tandem uxorẽ duxit Antipho iniussu meo?
Nec meum imperium.... Age, mitto imperium; non simultatem meam
Revereri saltem? non pudere? O facinus audax! o Geta
Monitor! *G.* Vix tandem. *D.* Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?
Demiror. *G.* Atqui reperi iam: aliud cura. *D.* Anne hoc dicent mihi,
Invitus feci: lex coegit? Audio, et fateor. *G.* Places.
D. Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,
Etiamne id lex coegit? *P.* Illud durum. *G.* Ego expediam: sine.
D. Incertum est, quid agam; quia, præter spem, atque incredibile, hoc mihi obtigit.
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia. Peregre rediens semper cogitet
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communis esse hæc: fieri posse: ut ne quid animo sit novum.
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.
G. O Phædria! incredibile est, quantum herum anteeo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: Herus si redierit,
Molendum usque in pistrino; vapulandum; habendæ compedes;
Opus ruri faciundum. Horum nihil quidquam accidet animo novum.
Quidquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui?
D. Phædriã mei fratris video filiũ mihi ire obviam.
P. Mi patrue, salve! *D.* Salve! sed ubi est Antipho?
P. Salvom advenire... *D.* Credo. Hoc responde mihi.
P. Valet: hic est: sed satin' omnia ex sententia?
D. Vellem quidem. *P.* Quid istuc? *D.* Rogitas, Phædria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias!
P. Eho! an id succenses nunc illi? *G.* O artificem probum!
D. Egone illi non succenseam? Ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat,
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
P. Atqui nihil fecit, patrue, quod succenseas.
D. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnes noris. *P.* Haud ita 'st.
D. Hic in noxa est? ille ad defendendã causam adest:
Cum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
G. Probe horum facta imprudens depinxit senex.
D. Nam, ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.
P. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans;
Non causam dico, quin, quod meritus sit, ferat
Sed si quis forte, malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit; nostrane ea culpa est, an iudicum,
Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
G. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
D. An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, ubi tute verbum non respondeas?
Ita ut ille fecit. *P.* Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad iudices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
G. Laudo hunc; sed cesso adire quam primũ senem?
Here, salve! salvom te advenisse gaudeo. *D.* Ho!
Bone custos, salve! columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum!
G. Iam dudum te omnes nos accusare audio
Immerito; et horum me omnium immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem causam orare leges non sinunt:
Neque testimonii dictio est. *D.* Mitto omnia.
Addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino.
Tu servus. Verum, si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere: sed, id quod lex iubet,
Dotem daretis: quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verum argentum, deerat. *D.* Sumeret
Alicunde. *G.* Alicunde! nihil est dictu facilius.
D. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
G. Hui! dixti pulchre, siquidem quisquam crederet,
Te vivo. *D.* Non, non sic futurum est; non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave meritum 'st. Hominem commonstrarier
Mihi istum volo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
G. Nempe Phormionem. *D.* Istum patronũ mulieris.
G. Iam faxo hic aderit. *D.* Antipho ubi nunc est?
P. Foris.
D. Abi, Phædria: eum require, atque adduce huc.
P. Eo
Recta via equidem illuc. *G.* Nempe ad Pamphilam.
D. At ego Deos Penates hinc salutatum domum
Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui assient,
Ut ne imparatus sim, si adveniat Phormio.

SCENA II. *Phormio; Geta.*

P. Itane patris ais conspectum veritum hinc abisse?
G. Admodum.

P. Phaninm relictam solam? *G.* Sic. *P.* Et iratum senem?
G. Oppido. *P.* Ad te summa solum, Phormio, rerum redit.
Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum: accingere.
G. Obsecro te... *P.* Si rogabit? *G.* In te spes est.
P. Eccere.
Quid si reddet? *G.* Tu impulisti. *P.* Sic opinor.
G. Subveni.
P. Cedo senem! iam instructa sunt mihi in corde consilia omnia.
G. Quid ages? *P.* Quid vis, uisi uti maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis?
G. O vir fortis, atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,
Vereor, ne isthæc fortitudo in nervom erumpat denique. *P.* Ah!
Non ita est: factum est periclum: iam pedum visa 'st via.
Quot me censes homines iam deverberasse usque ad necem,
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto sæplus.
Cedo dum, en unquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?
G. Qui istuc? *P.* Quia non rete accipitri tenditur, neque milvo,
Qui male faciunt nobis; illis, qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est; in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse. Dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem; et sapiunt, mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficiũ summum nolunt reddere.
G. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum venire, unctum, atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo; cum ille et cura et sumtu absumitur,
Dum tibi sit, quod placeat; ille ringitur, tu rideas;
Prior bibas, prior decumbas; cœna dubia apponitur.
G. Quid istuc verbi est? *P.* Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Hæc, cum rationem ineas, quam sint suavia, et quam cara sint;
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem Deum?
G. Senex adest: vide, quid agas: prima coitio 'st acerrima.
Si eam sustinueris, postilla iam, ut lubet, ludas licet.

SCENA III. *Demipho, Geta, Phormio.*

D. En unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quam hæc est mihi?
Adeste, quæso. *G.* Iratus est. *P.* Quin tu hoc age. St!
Iam ego hunc agitabo. Pro Deum immortalium...!
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? *G.* Negat.
P. Neque eius patrem se scire, qui fuerit? *G.* Negat.
D. Ipsum esse opinor, de quo agebam. Sequimini.
P. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? *G.* Negat.
P. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens;
Negligitur ipsa. Vide, avaritia quid facit!
G. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies.
D. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?
P. Nam iam adolescenti, nihil est, quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat. Sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum:
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum.
G. Videas te, atque illũ, ut narras. *P.* In malã crucẽ!
Nam, ni ita eum existumassem, nunquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
G. Pergin' hero absenti male loqui impurissume?
P. Dignum autem hoc illo est. *G.* Ain' tandem, Carcer? *D.* Geta.
G. Bonorum extortor! legum contortor! *D.* Geta.
P. Responde. *G.* Quis homo est? ehem! *D.* Tace.
G. Absenti tibi
Te indignas, seque dignas, contumelias
Nunquam cessavit dicere hodie. *D.* Ohe! desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum? explana mihi;
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
P. Proinde expiscare, quasi non nosses. *D.* Nossem?
P. Ita.
D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
P. Ehu! tu sobrinum tuum non noras? *D.* Enicas:
Dic nomen. *P.* Nomen? maxume. *D.* Quid nunc taces?
P. Perii, hercle! nomen perdidi. *D.* Hem! quid ais?
P. Geta,
Si meministi id quod olim dictum est, subiice. Hẽ!
Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
D. Egone autem tento? *G.* Stilpho. *P.* Atque adeo quid mea?
Stilpho est. *D.* Quem dixti? *P.* Stilphonem, inquam, noveras?
D. Neque ego illum noram; neque mihi cognatus fuit
Quisquã isthoc nomine. *P.* Itane? non te horũ pudet?
At si talentum rem reliquisset decem...
D. Di tibi male faciant! *P.* Primus esses, memoriter
Progeniẽ vostram usque ab avo atq; atavo proferens.
D. Ita ut dicis. Ego tum si advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem. Itidem tu face.
Cedo, qui est cognata? *G.* Eu, noster! recte! Heus tu! (cave.
P. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Iudicibus. Tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? *D.* Filium narras mihi?
Cuius de stultitia dici, ut dignum est, non potest.
P. At tu, qui sapiens es, magistratus adi;
Iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas; et soli licet
Hic de eadem causa bis iudicium adipiscier.
D. Etsi mihi facta iniuria 'st, verumtamen
Potius, quam lites secter, aut quam te audiam;
Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet
Dotem dare abduce hanc: minas quinque accipe.
P. Ha, ha, he! homo suavis! *D.* Quid est? num iniquum postulo?
An ne hoc quidẽ adipiscar ego, quod ius publicũ est?
P. Itane tandem, quæso? Item, ut meretricem, ubi abusus sis,
Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem proxumo iussa 'st dari,
Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.

D. Ita, proximo quidem: at nos unde? aut quamobrem? *P.* Ohe!
Actum, aiunt, ne agas. *D.* Non agam? immo, haud desinam,
Donec perfecero hoc. *P.* Ineptis. *D.* Sine modo. (sinā,
P. Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu; nam tua
Præterierat iam ad ducendum ætas. *D.* Omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere;
Aut quidem, cum uxore hac, ipsum prohibebo domo.
G. Iratus est. *P.* Tute idem melius feceris.
D. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? *P.* Metuit hic nos, tametsi sedulo (quod est
Dissimulat. *G.* Bene habent tibi principia. *P.* Quin,
Ferendum, feras. Tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. *D.* Egon' tuam expetam
Amicitiam? aut te visum aut auditum velim?
P. Si concordabis cum illa, habebis, quæ tuam
Senectutem oblectet. Respice ætatem tuam.
D. Te oblectet! tibi habe. *P.* Minue vero iram.
D. Hoc age:
Satis iam verborum est. Nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eiiciam. Dixi, Phormio.
P. Si tu illam attigeris secus, quam dignū est liberā,
Dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus! domo me... *G.* Intelligo.

SCENA IV. *Demipho, Geta, Hegio, Cratinus, Crito.*

D. Quanta me cura et sollicitudine afficit
Gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis!
Neque mihi in conspectum prodit; ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi tu: vise, redieritne iam, an nondum, domum.
G. Eo. *D.* Videtis, quo in loco res hæc siet.
Quid ago? dic, Hegio. *H.* Ego Cratinum censeo,
Si tibi videtur. *D.* Dic, Cratine. *Cra.* Mene vis?
D. Te. *Cra.* Ego, quæ in rē tuā sint, ea velim facias: (mihi
Sic hoc videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquom est et bonum;
Et id impetrabis. Dixi. *D.* Dic nunc, Hegio.
H. Ego sedulo hunc dixisse credo: verum ita est;
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: et turpe inceptu est. *D.* Dic, Crito.
Cri. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. *H.* Numquid nos vis? *D.* Fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. *G.* Negant (he:
Redisse. *D.* Frater est expectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portū, quoad se recipiat. (scit:
G. At ego Antiphonem quæram, ut, quæ acta hic sint,
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

ACTUS III. SCENA I. *Antipho, Geta.*

A. Enimvero, Antipho, multimodis cum isthoc animo es vituperandus.
Itane hinc abisse, et vitam tuā tutandā aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros?
Nam, ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc tibi domi est, consuleres,
Ne quid, propter tuam fidem decepta, pateretur mali,
Cuius nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.
G. Equidem, here, nos iamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
A. Teipsum quærebam. *G.* Sed ea causa nihilo magis defecimus.
A. Loquere, obsecro: quonam in loco sunt res et fortunæ meæ?
Numquid patri subolet? *G.* Nihil etiam. *A.* Et quid spei porro 'st? *G.* Nescio. *A.* Ah!
G. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti.
A. Nihil fecit novi.
G. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem præbuit.
A. Quid is fecit? *G.* Confutavit verbis admodum iratum patrem.
A. Eu Phormio! *G.* Ego, quod potui, porro.
A. Mi Geta, omnes vos amo.
G. Sic habent principia sese, ut dico. Adhuc tranquilla res est:
Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat.
A. Quid eum? *G.* Ut aiebat,
De eius consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet.
A. Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta?
Nam per eius unam, ut audio, aut vivam aut moriar, sententiam.
G. Phædria tibi adest. *A.* Ubinam? *G.* Eccum, ab sua palæstra exit foras.

SCENA II. *Phædria, Dorio, Antipho, Geta.*

P. Dorio, audi, obsecro. *D.* Non audio. *P.* Parumper.
D. Quin omitte me.
P. Audi quod dicam. *D.* At enim tædet iam audire eadem millies.
P. At nunc dicam, quod lubenter audias. *D.* Loquere, audio.
P. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? Quo nunc abis?
D. Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi.
A. Hei! metuo lenonem, ne quid suo suat capiti.
G. Idem ego metuo.
P. Non mihi credis? *D.* Hariolare. *P.* Sin fidem do.
D. Fabulæ!
P. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices.
D. Logi!
P. Crede mihi, gaudebis facto. Verum, hercle, hoc est.
D. Somnia!
P. Experire: non est longum. *D.* Cantilenam eamdem canis.
P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu....
D. Garri modo.
P. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili,
Ut neque misericordia neque precibus molliri queas?
D. Adeon' te esse incogitantem, atque impudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meā ductes gratiis?
A. Miseritum 'st. *P.* Hei! veris vincor.
G. Quam uterque est similis sui!
P. Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mihi obiectum malum! *A.* Ah! quid istuc autem est, Phædria?
P. O fortunatissume Antipho! *A.* Egone? *P.* Cui, quod amas, domi 'st:
Nec cum huiusmodi unquam usus venit ut conflictares malo.
A. Mihin' domi 'st? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum:
Nam neque quomodo a me amittam, invenio; neque, uti retineam, scio.
D. Ipsum istuc mihi in hoc est. *A.* Eia! ne parum leno sies.
Numquid hic confecit? *P.* Hiccine? quod homo inhumanissumus:
Pamphilam meam vendidit. *G.* Quid? vendidit?

A. Ain'? vendidit?
P. Vendidit. *D.* Quam indignum facinus! ancillam ære emtam suo.
P. Nequeo exorare, ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem,
Triduum hoc: dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.
Si tū non dedero, unā præterea horā ne oppertus sies.
D. Obtundis. *A.* Haud longum est id, quod orat, Dorio: exoret, sine,
Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
D. Verba isthæc sunt. *A.* Pamphilamne hac urbe privari sinas?
Tū præterea horunc' amorem distrahi poterin' pati?
D. Neque ego, neque tu. *G.* Di tibi omnes id, quod es dignus, duint;
D. Ego te complures, advorsum ingenium meum, menses tuli,
Pollicitantem, nihil ferentem, flentem: nunc contra omnia hæc;
Repperi, qui det, neq; lacrymet: da locū melioribus.
A. Certe, hercle, ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,
Quam ad dares huic, præstituta. *P.* Factum. *D.* Num ego istuc nego?
A. Iam ea præteriit? *D.* Non: verum hæc ei antecessit. *A.* Non pudet
Vanitatis? *D.* Minume, dum ob rem. *G.* Sterquilinium! *P.* Dorio,
Itane tandem facere oportet? *D.* Sic sum: si placeo, utere.
A. Siccine hunc decipis? *D.* Immo enim vero, Antipho, hic me decipit.
Nam hic me huiusmodi esse sciebat: ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui.
Sed utut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar; ut potior sit, qui prior ad dandum'st. Vale.

SCENA III. *Phædria, Antipho, Geta.*

P. Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? Quod si hic potuisset nunc exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat. *A.* Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adiuverit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
G. Scio quidem hoc esse æquom. *A.* Age ergo, solus servare hunc potes.
G. Quid faciam? *A.* Invenias argentum. *G.* Cupio: sed id unde, edoce.
A. Pater adest hic. *G.* Scio: sed quid tum? *A.* Ah! dictum sapienti sat est.
G. Itane? *A.* Ita. *G.* Sane, hercle, pulchre suades! Etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me huius causa quærere in malo iubeas crucem?
A. Verum hic dicit. *P.* Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? *G.* Haud puto.
Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
P. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem!
Tum igitur, dum licet dumque adsum, loquimini mecum, Antipho:
Contemplamini me. *A.* Quamobrem? aut quidnam facturus, cedo?
P. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. *G.* Di bene vortant, quod agas! pedetentim tamen.
A. Vide, si quid opis potes afferre huic. *G.* Si quid! quid? *A.* Quære, obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
G. Quæro. Salvos est, ut opinor: verum enim metuo malum.
A. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
G. Quantum tibi opus est argenti? loquere. *P.* Solæ triginta minæ.
G. Triginta! hui! percara est, Phædria. *P.* Isthæc vero vilis est.
G. Age, age, inventas reddam. *P.* O lepidum caput!
G. Aufer te hinc. *P.* Iam opus est. *G.* Iam feres:
Sed opus est, mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem dari.
A. Præsto est: audacissume oneris quidvis impone, et feret:
Solus est homo amico amicus. *G.* Eamus ergo ad eum ocyus.
A. Numquid est, quod opera mea vobis opus sit?
G. Nihil: verum abi domum,
Et illam miserum, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare: cessas? *A.* Nihil est, æque quod faciam lubens.
P. Qua via istuc facies? *G.* Dicam in itinere; modo te hinc amove.

ACTUS IV. SCENA I. *Demipho, Chremes.*

D. Quid? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chremes,
Adduxtin' tecum filiam? *C.* Non. *D.* Quid ita non?
C. Postquam videt me eius mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam; ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aiebant. *D.* Quid illic tam diu,
Quæso, igitur commorabare, ubi id audiveras?
C. Pol, me detinuit morbus. *D.* Unde? aut qui? *C.* Ro- (gas?
Senectus ipsa est morbus. Sed venisse eas
Salvas, audivi ex nauta, qui illas vexerat.
D. Quid gnato obtigerit, me absente, audistin', Chreme?
C. Quod quidem me factum consilii incertum facit.
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario;
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicundum ordine est.
Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,
Scibam: ille, si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin spreverit me, plus, quam opus est scito, sciet.
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit, ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
D. Scio ita esse: et isthæc mihi res sollicitudini est:
Neque adeo defetiscar unquam experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

Scena II. *Geta.*

Ego hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. Venio ad hominem, ut dicerem,
Argento opus esse, et id quo pacto fieret.
Vixdum dimidium dixeram, intellexerat.
Gaudebat: me laudabat: quærebat senem:
Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni. Hominem ad forum
Iussi opperiri; eo me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum. Quis est ulterior? Atat! Phædriæ
Pater venit. Sed quid pertimui autem, bellua?
An quia, quos fallam, pro uno, duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui. Is si dat, sat est:
Si ab eo nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

Scena III. *Antipho, Geta, Chremes, Demipho.*

A. Expecto, quam mox recipiat huc sese Geta.
Sed patruum video cum patre adstantem. Hei mihi!
Quam timeo, adventus huius quo impellat patrem.
G. Adibo hosce O noster Chremes! *C.* Salve, Geta,
G. Venire salvom volup' est. *C.* Credo. *G.* Quid agi-
C. Multa advenienti, ut fit, nova hic, compluria. (tur?
G. Ita: de Antiphone audistin' quæ facta?
C. Omnia.
G. Tun' dixeras huic? Facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri! *D.* Id hoc cum agebam commodum.
G. Nam, hercle, ego quoque id quidem agitans me-
cum sedulo,
Inveni, opinor, remedium huic rei. *D.* Quid, Geta?
Quod remedium? *G.* Ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. *C.* Qui Phormio? *G.* Is, qui istam...
C. Scio.
G. Visum est mihi, ut eius tentarem sententiam.
Prendo hominem solum: Cur non, inquam, Phormio,
Vides, inter vos sic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis est, et fugitans litium.
Nam cæteri quidem, hercle, amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
A. Quid hic cœptat? aut quo evadet hodie? *G.* An le-
Daturum pœnas dices, si illam eiecerit? (gibus
Iam id exploratum est. Heia! sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verum, pone esse victum eum: at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier;
Soli sumus nunc hic, inquam: eho! dic, quid velis
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus, (dari
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies?
A. Satin' illi Di sunt propitii? *G.* Nam sat scio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. *D.* Quis te isthæc iussit loqui?
C. Immo, non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. *A.* Occidi! *C.* Perge eloqui.
G. A primo homo insanibat. *C.* Cedo, quid postulat?
G. Quid? nimium: quantum libuit. *C.* Dic.
G. Si quis daret
Talentum magnum. *C.* Immo malum, hercle: ut
nihil pudet!
G. Quod dixi adeo ei: Quæso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est, quæ dotem petat.
Ad pauca ut redeam, ac mittam illius ineptias,
Hæc denique eius fuit postrema oratio:
Ego, inquit, iam a principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, volui uxorem ducere.
Nam mihi veniebat in mentem eius incommodum,
In servitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem
Quæ debeo: et etiam nunc, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ sponsa 'st mihi;
Nullam mihi malim, quam isthanc, uxorem dari.
A. Utrum stultitia facere ego hunc an malitia,
Dicam, scientem an imprudentem, incertus sum.
D. Quid, si animam debet? *G.* Ager oppositus est
pignori,
Ob decem minas, inquit. *D.* Age, age: iam ducat:
dabo.
G. Ædiculæ item sunt ob decem alias. *D.* Oi! hui!
Nimium est. *C.* Ne clama: petito hasce a me decem.
G. Uxori emunda ancillula 'st: tum pluscula
Supellectile opus est: opus est sumtu ad nuptias:
His rebus sane pone, inquit, decem minas.
D. Sexcentas proinde scribito iam mihi dicas.
Nihil do. Impuratus me ille ut etiam irrideat?
C. Quæso, ego dabo: quiesce. Tu modo, filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *A.* Hei mihi!
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
C. Mea causa eiicitur: me hoc est æquom amittere.
G. Quantum potes, me certiorem, inquit, face;
Si illam dant, hanc ut mittam; ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem iam constituerunt dare.
C. Iam accipiat. illis repudium renuntiet:
Hanc ducat. *D.* Quæ quidem illi res vortat male!
C. Opportune adeo nunc argentum mecum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia:
Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

Scena IV. *Antipho, Geta.*

A. Geta! *G.* Hem! *A.* Quid egisti? *G.* Emunxi ar-
gento senes.
A. Satin' id est? *G.* Nescio, hercle: tantū iussus sum.
A. Eho, verbero! aliud mihi respondes, ac rogo?
G. Quid ergo narras? *A.* Quid ego narrem! opera tua
Ad restim mihi quidem res rediit planissume.
Ut te quidem omnes Di, Deæque, Superi, Inferi,
Malis exemplis perdant! hem! si quid velis,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis;
Qui te ad scopulum e tranquillo inferat.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? Iniecta est spes patri,
Posse illam extrudi. Cedo nunc porro, Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum;
Quid fiet? *G.* Non enim ducet. *A.* Novi: cæterum,
Cum argentum repetent, nostra causa, scilicet,
In nervom potius ibit! *G.* Nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.
Audi nunc contra iam: si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi.
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi, dabitur paululum.
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt.
Id ille istis reddet. *A.* Quamobrem? aut quid dicet?
G. Rogas?
Quot res! postilla, Monstra evenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negotii incipere: quæ causa est iustissuma.
Hæc fient. *A.* Ut modo fiant. *G.* Fient: me vide.
Pater exit: abi: dic, esse argentum, Phædriæ.

SCENA V. *Demipho, Geta, Chremes.*

D. Quietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duint:
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam.
Cui dem, et quamobrem dem, commemorabo. *G.* Ut cautus est, ubi nihil opus 'st!
C. Atque ita opus facto est! at matura, dum lubido eadem hæc manet.
Nam, si altera illa magis instabit, forsitan nos reiiciat.
G. Rem ipsam putasti. *D.* Duc me ad eum ergo.
G. Non moror. *C.* Ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc, prius quam hinc abeat:
Dicat, nos dare eam Phormioni nuptum, ne succenseat;
Et magis esse illum idoneum qui ipsi sit familiarior;
Nos nostro officio nihil digressos esse: quantum is voluerit,
Datum esse dotis. *D.* Quid tua, malum! id refert?
C. Magni, Demipho.
D. Non satis est, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
C. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se eiectam prædicet.
D. Idem ego istuc facere possum. *C.* Mulier mulieri magis congruit.
D. Rogabo. *C.* Ubi illas ego nunc reperire possim, cogito.

ACTUS V. SCENA I. *Sophrona, Chremes.*

S. Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut quo consilia hæc referam?
Aut unde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne iniuria afficiatur:
Ita patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.
C. Nam quæ hæc anus est exanimata, a fratre quæ egressa 'st meo?
S. Quod ut facerem, egestas me impulit: cum scirem infirmas nuptias
Hasce esse; ut id consulerem, interea vita ut in tuto foret.
C. Certe, ædepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video. *S.* Neque ille investigatur.... *C.* Quid agam?
S. Qui est eius pater. *C.* Adeo, an maneo, dum ea, quæ loquitur, magis cognosco?
S. Quod si eum nunc reperire possim, nihil est, quod verear. *C.* Ea 'st ipsa:
Colloquar. *S.* Quis hic loquitur? *C.* Sophrona!
S. Et meum nomen nominat?
C. Respice ad me. *S.* Di, obsecro vos! estne hic Stilpho? *C.* Non. *S.* Negas?
C. Concede hinc a foribus paululum istorsum, sodes, Sophrona.
Ne me isthoc posthac nomine appellassis. *S.* Quid? non, obsecro, es,
Quem semper te esse dictitasti? *C.* St! *S.* Quid has metuis fores?
C. Conclusam hic habeo uxorem sævam. Verum isthoc de nomine,
Eo perperā olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis: atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.
S. Hem! Isthoc, pol, nos te hic invenire miseræ nunquam potuimus.
C. Eho! dic mihi, quid rei tibi est cum familia hac, unde exis?
Ubi illæ sunt? *S.* Miseram me! *C.* Hem! quid est? vivuntne? *S.* Vivit gnata:
Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.
C. Male factum! *S.* Ego autem, quæ essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium. *C.* Antiphonine?
S. Hem! illi ipsi.
C. Quid! duasne is uxores habet? *S.* Au! obsecro: unam ille quidem hanc solam.
C. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? *S.* Hæc ergo est. *C.* Quid ais?
S. Composito factum 'st, quomodo hanc amans habere posset
Sine dote. *C.* Di, vostram fidem! quam sæpe forte temere
Eveniunt, quæ non audeas optare! Offendi adveniens,
Quicū volebā, atque ut volebam, collocatam filiam.
Quod, nos ambo opere maxumo dabamus operam, ut fieret,
Sine nostra cura, maxuma sua cura, hæc sola fecit.
S. Nunc quid opus facto sit, vide. Pater adolescentis venit;
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt.
C. Nihil pericli 'st.
Sed, per Deos atque homines! meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
S. Nemo ex me scibit. *C.* Sequere me: intus cætera audies.

SCENA II. *Demipho, Geta.*

D. Nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.
Ita fugias, ne præter casam, quod aiunt. Nonne id sat erat,
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum 'st ultro obiectum,
Ut sit, qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat.
G. Planissume. *D.* His nunc præmium est, qui recta prava faciunt.
G. Verissume. *D.* Ut stultissume quidem illi rem gesserimus.
G. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
D. Etiamne id dubium 'st? *G.* Haud scio, hercle, ut homo 'st, an mutet animum.
D. Hem! mutet autem? *G.* Nescio: verum, si forte, dico.
D. Ita faciam, ut frater censuit: uxorem eius huc adducam,
Cum ista ut loquatur. Tu, Geta, abi præ; nuntia hanc venturam.
G. Argentum inventum 'st Phædriæ: de iurgio siletur.
Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: vorsuram solves,
Geta. Præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt,
Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo; ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut eius orationem.

SCENA III. *Demipho, Nausistrata, Chremes.*

D. Agedum, ut soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis:
Ut sua voluntate id, quod est faciundum, faciat.
N. Faciam.
D. Pariter nunc opera me adiuves, ac re dudum opitulata es.
N. Factum volo: at, pol, minus queo viri culpa, quam me dignum 'st.
D. Quid autem? *N.* Quia, pol, mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat. Hem, vir viro quid præstat!
D. Binau'? quæso!
N. Ac rebus vilioribus multo, tamen talenta bina.
D. Hui!
N. Quid hæc videntur? *D.* Scilicet! *N.* Virum me natam vellem:
Ego ostenderem.... *D.* Certo scio. *N.* Quo pacto....
D. Parce, sodes;
Ut possis cum illa: ne te adolescens mulier defatiget.
N. Faciam, ut iubes. Sed meum virum abs te exire video. *C.* Hem! Demipho,
Iam illi datum est argentum? *D.* Curavi illico.
C. Nollem datum.
Hei! video uxorem: pæne plus, quam sat erat...
D. Cur nolles, Chreme?
C. Iam recte. *D.* Quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?
C. Transegi. *D.* Quid ait tandem? *C.* Abduci non potest. *D.* Qui non potest?
C. Quia uterque utrique est cordi. *D.* Quid istuc nostra? *C.* Magni. Præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. *D.* Quid! deliras?
C. Sic erit.
Non temere dico: redi mecum in memoriam. *D* Satiu' sanus es?
N. Au! obsecro, cave, ne in cognatam pecces.
D. Non est. *C.* Ne nega.
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti.
D. Non norat patrem?
C. Norat *D.* Cur aliud dixit? *C.* Nunquamne hodie concedes mihi,
Neque intelliges? *D.* Si tu nihil narras. *C.* Pergis?
N. Miror, quid hoc siet.
D. Equidem, hercle, nescio. *C.* Vin' scire? At ita me servet Iupiter,
Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo 'st.
D. Di, vostram fidem!
Eamus ad ipsam: una omnes nos aut scire aut nescire hoc volo. *C.* Ha!
D. Quid est? *C.* Itan' parvam mihi fidem esse apud te? *D.* Vin' me hoc credere?
Vin' satis quæsitum mihi istuc esse? age, fiat. Quid? illa filia,
Amici nostri quid futurum 'st? *C.* Recte. *D.* Hanc igitur mittimus?
C. Quidni? *D.* Illa maneat? *C.* Sic. *D.* Ire igitur tibi licet, Nausistrata.
N. Sic, pol, commodius esse in omnes arbitror, quam ut cœperas,
Manere hanc: nā perliberalis visa 'st, cū vidi, mihi.
D. Quid istuc negoti 'st? *C.* Iamne operuit ostium?
D. Iam. *C.* O Iupiter!
Di nos respiciunt! Gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *D.* Hem!
Quo pacto id potuit? *C.* Non satis tutus est ad narrandum hic locus.
D. At tu abi intro. *C.* Heus! ne filii quidem nostri hoc resciscant, volo.

SCENA IV. *Antipho.*

Lætus sum, ut meæ res sese habent, fratri obtigisse, quod volt.
Quam scitum 'st, eiusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res advorsæ sient, paulo mederi possis!
Hic simul argentum repperit, cura sese expedivit.
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro siem.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostensa
Huiusce habendæ. Sed ubinā Getā invenire possum,
Ut rogem, quod tempus conveniundi patris me capere iubeat?

SCENA V. *Phormio, Antipho.*

P. Argentum accepi: tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curavi, propria ea Phædria ut potiretur: nam emissa est manu.
Nunc una mihi res etiam restat, quæ est conficiunda, otium
Ab senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
A. Sed Phormio 'st. Quid ais? *P.* Quid? *A.* Quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere?
P. Vicissim partes tuas acturus est. *A.* Quas?
P. Ut fugitet patrem.
Te suam rogavit rursum ut ageres; causam ut pro se diceres.
Nam potaturus est apud me. Ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emtum, quam dudum dixit Geta;
Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. *A.* Vide, quis egrediatur. *P.* Geta 'st.

SCENA VI. *Geta, Antipho, Phormio.*

G. O Fortuna! o Fors Fortuna! quantis commoditatibus,
Quam subito, hero meo Antiphoni ope vostra hunc onerastis diem!
A. Quidnam hic sibi volt? *G.* Nosque amicos eius exonerastis metu.
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio:
Atque hominem propero invenire, ut hæc, quæ contigerint, sciat?
A. Num tu intelligis, hic quid narret? *P.* Num tu?
A. Nihil. *P.* Tantumdem ego.
G. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt.
A. Heus, Geta! *G.* Hem tibi!
Num mirum aut novum est revocari, cursum cum institueris? *A.* Geta.
P. Pergit, hercle. *G.* Nunquam tu odio tuo me vinces. *A.* Non manes?
G. Vapulabis. *A.* Id quidem tibi iam fiet, nisi resistis, verbero.
G. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitatur malum.
Sed isne est, quem quæro, an non? ipsus est. *P.* Congredere actutum. *A.* Quid est?

G. O omnium, quantum est, qui vivant, homo hominum ornatissume!
Nam, sine controversia, ab Dis solus diligere, Antipho.
A. Ita velim: sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici velim.
G. Satin' est, si te delibutū gaudio reddo? *A.* Enicas.
P. Quin tu hinc pollicitationes aufer, et quod fers, cedo. *G.* Oh!
Tu quoque hic aderas, Phormio? *P.* Aderam. Sed cessas? *G.* Accipe, hem!
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
A. Quamobrem? *G.* Omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio: resupinat: respicio: rogo,
Quamobrem retineat me. Ait, esse vetitum intro ad heram accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem;
Eumque nunc esse intus cum illis. Hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: adstiti:
Animam compressi: aurem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans. *A.* Eu Geta! *G.* Hic pulcherrumum
Facinus audivi: itaq; pæne, hercle, exclamavi gaudio.
A. Quod? *G.* Quodnam arbitrare? *A.* Nescio.
G. Atqui mirificissumum:
Patruus tuus pater est inventus Phanio uxori tuæ.
A. Hem!
Quid ais? *G.* Cum eius consuevit olim matre in Lemno clanculum.
P. Somnium! Utin' hæc ignoraret suum patrem?
G. Aliquid credito,
Phormio, esse causæ: sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?
P. Atque, hercle, ego quoque illam inaudivi fabulam. *G.* Immo etiam dabo,
Quo magis credas: patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:
Ait uterque tibi potestatem eius habendæ se dare.
Denique ego missus sum, te ut requirerem, atque adducerem.
A. Quin ergo rape me: quid cessas? *G.* Fecero.
A. O mi Phormio,
Vale. *P.* Vale, Antipho: bene, ita me Di ament, factum! gaudeo,
Tantam fortunam de improviso esse his datam.
Summa eludendi occasio 'st mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam;
Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet.
Nam idem hoc argentum, ita ut datum 'st, ingratiis
Ei datum erit. Hoc qui cogam, re ipsa repperi.
Nunc gestus mihi, voltusque, est capiundus novus.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proxumum:
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

SCENA VII. *Demipho, Phormio, Chremes.*

D. Dis magnas merito gratias habeo, atque ago:
Quando evenere hæc nobis, frater prospere.
Quantum potest, nunc conveniundus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. *P.* Demiphonem, si domi est,
Visam; ut, quod... *D.* At nos ad te ibamus, Phormio.
P. De eadē hac fortasse causa. *D.* Ita, hercle. *P.* Credidi.
Quid ad me ibatis? ridiculum! Verebamini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus! quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.
C. Estne ita, ut dixi, liberalis? *D.* Oppido.
P. Itaque ad vos venio nuntiatum, Demipho,
Paratum me esse: ubi voltis, uxorem date.
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam tantopere id vos velle animadverteram.
D. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem.
Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data:
Nunc viduam extrudi, turpe 'st. Ferme eadē omnia,
Quæ tute dudum coram me incusaveras.
P. Satis superbe illuditis me. *D.* Qui? *P.* Rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?
C. Tum autem Antiphonem video ab sese amittere
Invitum eam, inque. *D.* Tum autem video filium
Invitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi, sodes, ad forum, atque illud mihi
Argentum rursum iube rescribi, Phormio.
P. Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui?
D. Quid igitur fiet? *P.* Si vis mihi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam: sin est, ut velis
Manere illam apud te, dos hic maneat, Demipho.
Nam non est æquom, me propter vos decipi:
Cum ego vostri honoris causa repudium alteræ
Remiserim, quæ dotis tantumdem dabat.
D. I in malam rem hinc cum istac magnificentia,
Fugitive! Etiam nunc credis, te ignorarier,
Aut tua facta adeo? *P.* Irritor. *D.* Tun' hanc duceres,
Si tibi data esset? *P.* Fac periculum. *D.* Ut filius
Cum illa habitet apud te: hoc vostrū consilium fuit.
P. Quæso, quid narras? *D.* Quin tu mihi argentum cedo.
P. Immo vero uxorem tu cedo. *D.* In ius ambula.
P. In ius! Enimvero si porro esse odiosi pergitis....
D. Quid facies? *P.* Egone? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. *C.* Quid id nostra? *P.* Nihil.
Hic quamdam noram, cuius vir uxorem.... *C.* Hem!
D. Quid est?
P. Lemni habuit aliam. *C.* Nullus sum. *P.* Ex qua filiam
Suscepit: et eam clam educat. *C.* Sepultus sum.
P. Hæc adeo ego illi iam denarrabo. *C.* Obsecro,
Ne facias. *P.* Ho! tune is eras? *D.* Ut ludos facit!
C. Missum te facimus. *P.* Fabulæ! *C.* Quid vis tibi?
Argentum, quod habes, condonamus te. *P.* Audio.
Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini,
Inepti, vostra puerili sententia?
Nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape.
Quod dictum, indictum 'st: quod modo erat ratum, irritum est.
C. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit? *D.* Nescio;
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
C. Monstri, ita me Di ament, simile. *P.* Inieci scrupulum. *D.* Hem!
Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est.
Animo virili præsentique ut sis, para:
Vides tuum peccatum esse elatum foras;

Neque iam id celare posse te uxorem tuam.
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet ipsos indicare, placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. *P.* Atat! nisi mihi prospicio, hæreo.
Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.
C. At vereor, ut placari possit. *D.* Bono animo es.
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio excessit, unde hæc suscepta 'st tibi.
P. Itane agitis mecum? Satis astute aggredimini.
Non, hercle, ex re istius me instigasti, Demipho.
Ain' tu? ubi peregre, tibi quod libitum fuit, feceris,
Neque huius sis veritus, fœminæ primariæ,
Quin novo modo ei faceres contumeliam;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrymis si exstillaveris.
D. Malum, quod isti Di Deæque omnes duint!
Tantane affectum quemquam esse hominem audacia?
Non hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? *C.* In id redactus sum loci,
Ut, quid agam cum illo, nesciam prorsum. *D.* Ego (scio,
Inlus eamus. *P.* In ius! huc, si quid lubet.
D. Assequere, ac retine, dum ego huc servos evoco.
C. Etenim solus nequeo: accurre huc. *P.* Una iniuria 'st,
Tecum. *C.* Lege agito ergo. *P.* Altera est tecum, Chreme.
D. Rape hunc. *P.* Itane agitis? Enimvero voce 'st opus.
Nausistrata! exi! *C.* Os opprime. *D.* Impurum vide,
Quantum valet. *P.* Nausistrata! inquam. *C.* Non taces?
P. Taceam? *D.* Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.
P. Vel oculum exclude: est, ubi vos ulciscar probe.

SCENA VIII. *Nausistrata, Chremes, Phormio, Demipho.*

N. Quis nominat me? *C.* Hem! *N.* Quid istuc turbæ 'st, obsecro,
Mi vir? *P.* Hem! quid nunc obticuisti? *N.* Quis hic homo 'st?
Non mihi respondes? *P.* Hiccine ut tibi respondeat?
Qui, hercle, ubi sit, nescit. *C.* Cave isti quidquam credas.
P. Abi: tange: si non totus frigat, me enica.
C. Nihil est. *N.* Quid ergo est? quid isthic narrat?
P. Iam scies:
Ausculta. *C.* Pergin' credere? *N.* Quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nihil dixit? *P.* Delirat miser
Timore. *N.* Non, pol, temere 'st, quod tu tam times.
C. Ego timeo? *P.* Recte sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. *D.* Scelus!
Tibi narret? *P.* Eho tu! factum 'st abs te sedulo
Pro fratre. *N.* Mi vir, non mihi narras? *C.* At....
N. Quid, at?
C. Non opus est dicto. *P.* Tibi quidem: at scito huic opus est.
In Lemno.... *C.* Hem: quid ais? *D.* Non taces?
P. Clam te... *C.* Hei mihi!
P. Uxorem duxit. *N.* Mi homo, Di melius duint!
P. Sic factum est. *N.* Perii misera! *P.* Et inde filiam
Suscepit iam unam, dum tu dormis. *C.* Quid agimus?
N. Pro Di immortales! facinus indignum, et malum!
P. Hoc actum 'st. *N.* An quidquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, ubi ad uxores ventum 'st, tum fiunt senes.
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, et mansiones diutinæ
Lemni? Hæccine erat ea, quæ nostros fructus minuebat, vilitas?
D. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritum non nego;
Sed eam, quæ sit ignoscenda. *P.* Verba fiunt mortuo.
D. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus, fere abhinc annos quindecim, mulierculam
Eam compressit, unde hæc nata 'st: neque post illa unquam attigit.
Ea mortem obiit: a medio abiit: qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, ut alia facta tua sunt, æquo animo hoc feras.
N. Quid ego æquo animo? Cupio misera in hac re iam defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Iam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma atque ætas nunc magis expetenda 'st, Demipho?
Quid mihi nunc affers, quamobrem expectem, aut sperem, porro non fore?
P. Exequias Chremeti, quibus est commodum, ire, hem! tempus est.
Sic dabo! age, age nunc, Phormionem, qui volet, lacessito.
Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: iam supplicii satis est mihi:
Habet hæc, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.
N. At meo merito, credo! Quid ego nunc commemorem, Demipho,
Singillatim, qualis ego in hunc fuerim?
D. Novi æque omnia
Tecum. *N.* Meriton' hoc meo videtur factum?
D. Minume gentium:
Verum, quando iam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat: confitetur: purgat: quid vis amplius?
P. Enimvero, prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam et Phædriæ.
Heus! Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi. *N.* Quid est?
P. Ego minas triginta per fallaciam ab illo abstuli.
Eas dedi tuo gnato: is pro sua amica lenoni dedit.
C. Hem! quid ais? *N.* Adeon' hoc indignum tibi videtur, filius,
Homo adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nihil pudere? quo ore illum obiurgabis? responde mihi.
D. Faciet, ut voles. *N.* Immo, ut meam iam scias sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video. Eius iudicio permitto omnia:
Quod is iubebit, faciam. *P.* Mulier sapiens es, Nausistrata.
N. Satin' id est? *P.* Immo vero pulchre discedo, et probe,
Et præter spem. *N.* Tu, tuum nomen, dic, quod est.
P. Mihin'?
Phormio: vestræ familiæ, hercle, amicus, et tuo summus Phædriæ.

N. Phormio, at ego, ecastor, posthac tibi, quod potero, et quæ voles,
Faciamque et dicam. *P*. Benigne dicis. *N*. Pol, meritum 'st tuum.
P. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? *N*. Cupio.
P. Me ad cœnam voca.
N. Pol, vero voco. *D*. Eamus intro hinc. *C*. Fiat: sed ubi est Phædria,
Iudex noster? *P*. Iam hic, faxo, aderit. Ω Vos valete, et plaudite.

LUCIUS ANNAEUS SENECA

Tragœdiæ, quæ inde habentur, quamvis celeberrimi L. Annæi Senecæ nomen præseferant, nec uni, nec æque perito auctori tribuuntur. Integer ille Cordubensis philosophus, qui Neronis iuventutis rector et nimii in ipsum obsequii, ac avaritiæ a posteris, forte iniuria, accusatus, ob ingrata virtutis consilia per impium discipulum sibi venas exsolvere anno I. C. 65 fuit coactus, Medeam, Hyppolytum, et Troades arte summa scripsisse certo videtur. Reliquas vero et philosophi patri M. Annæo, et aliis scriptoribus viri eruditi tribuere. Non eadem omnium ferme est excellentia, quod non ipsius auctoris omnes opus esse testatur.

L. Annaei Senecae Tragoediae iuxta editionem Bipontinam.

HERCULES FURENS

DRAMATIS PERSONÆ

IUNO.	AMPHITRYON.
HERCULES.	THESEUS.
LYCUS.	CHORUS THEBANORUM.
MEGARA.	

ACTUS I. *Iuno sola.*

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Iovem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris;
Locumque, cœlo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est: pellices cœlum tenent.
Hinc, Arctos, alta parte glacialis poli;
Sublime classes sidus Argolicas agit,
Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriæ per undas vector Europæ nitet;
Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem
Passim vagantes exserunt Atlantides.
Ferro minaci hinc terret Orion Deos;
Suasque Perseus aureus stellas habet.
Hinc, clara gemini signa Tyndaridæ micant;
Quibusque natis mobilis tellus stetit.
Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere Superos; ne qua pars probro vacet,
Mundus puellæ serta Gnossiacæ gerit.
Sed vetera querimur: una me dira ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impiis
Quoties novercam fecit! Escendat, licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum;
Pariterque natus astra promissa occupet;
In cuius ortus mundus impendit diem,
Tardusque Eoo Phœbus effulsit mari,
Retinere mersum iussus Oceano iubar.
Non sic abibunt odia. Vivaces aget
Violentus iras animus; et sævus dolor
Æterna bella, pace sublata, geret.
Quæ bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica; quidquid pontus aut aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum atque domitum est. Superat, et crescit malis;
Iraque nostra fruitur; in laudes suas
Mea vertit odia. Dum nimis sæva impero,
[Patrem probavit: inde, qua lucem premit,
Aperitque Tethys, qua ferens Titan diem,]
Binos propinqua tingit Æthiopas face,
Indomita virtus colitur; et toto Deus
Narratur orbe. Monstra iam desunt mihi;
Minorque labor est Herculi iussa exsequi,
Quam mihi iubere: lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni iussa violento queant
Nocere iuveni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, et quæ fudit; armatus venit
Leone et hydra. Nec satis terræ patent:
Effregit, ecce, limen inferni Iovis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reverti: fœdus Umbrarum perit.
Vidi ipsa, vidi, nocte discussa inferum,
Et Dite domito, spolia iactantem patri
Fraterna. Cur non victum et oppressum trahit
Ipsum catenis, paria sortitum Iovi?
Ereboque capto potitur, et retegit Styga?
Patefacta ab imis Manibus retro via est,
Et sacra diræ Mortis in aperto iacent.
At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, et superbifica manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem: me quoque invasit tremor;
Et, terna monstri colla devicti intuens,
Timui imperasse. Levia sed nimium queror:
Cœlo timendum est; regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. Sceptra præripiat patris
Nec in astra lenta veniat, ut Bacchus, via:
Iter ruina quæret, et vacuo volet
Regnare mundo. Robore experto tumet;
Et, posse cœlum viribus vinci suis,
Didicit ferendo; subdidit mundo caput;
Nec flexit humeros molis immensæ labor;
Mediusque collo sedit Herculeo polus.
Immota cervix sidera et cœlum tulit,
Et me prementem. Quærit ad Superos viam.
Perge, ira, perge: et magna meditantem opprime.
Congredere; manibus ipsa dilacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ:
Ipse, imperando fessus, Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iovis
Emitte: Siculi verticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens,
Supposita monstri colla terrifici levet.
Sublimis alias Luna concipiat feras.
Sed vicit ista. Quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse: bella iam secum gerat.

Adsint, ab imo Tartari fundo excitæ,
Eumenides: ignem flammeæ spargant comæ:
Viperea sævæ verbera incutiant manus.
I nunc, superbe! Cælitum sedes pete;
Humana temne. Iam Styga et Manes, ferox,
Fugisse credis? heic tibi ostendam inferos.
Revocabo, in alta conditam caligine
Ultra nocentum exilia, discordem Deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus.
Educam, et imo Ditis e regno extraham
Quidquid relictum est. Veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, at in se semper armatus Furor.
Hoc, hoc ministro noster utatur dolor.
Incipita, famulæ Ditis; ardentem incitæ
Concutita pinum: et agmen horrendum anguibus
Megæra ducat; atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.
Hoc agite: pœnas petite violatæ Stygis:
Concutita pectus: acrior mentem excoquat
Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.
Ut possit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Iuno, cur nondum furis?
Me, me, Sorores, mente deiectam mea,
Versata primam, facere si quidquam apparo
Dignum noverca. Iam odia mutentur mea.
Natos reversus videat incolumes, precor;
Manuque fortis redeat. Inveni diem,
Invisa quo nos Herculis virtus iuvet;
Me pariter et se vincat; et cupiat mori
Ab inferis reversus. Heic prosit mihi,
Iove esse genitum. Stabo, et, ut certo exeant
Emissa nervo tela, librabo manum:
Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem favebo. Scelere perfecto, licet,
Admittat illas genitor in cœlum manus.
Movenda iam sunt bella; clarescit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

Chorus Thebanorum.

Iam rara micant sidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes: luce renata,
Cogit nitidum Phosphoros agmen:
Signum celsi glacialæ poli,
Septem stellis Arcades ursæ
Lucem verso temone vocant:
Iam, cœruleis evectus equis,
Titan summa prospicit Œta:
Iam, Cadmeis inclyta Bacchis,
Aspersa die, dumeta rubent:
Phœbique fugit reditura soror.
Labor exoritur durus, et omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina,
Grege dimisso, pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte iuvencus.
Vacuæ reparant ubera matres:
Errat cursu levis incerto
Molli petulans hœdus in herba.
Pendet summo stridula ramo,
Pennasque novo tradere soli
Gestit, querulos inter nidos,
Thracia pellex; turbaque circa
Confusa sonat, murmure mixto
Testata diem. Carbasa ventis
Credit dubius navita vitæ,
Laxos aura complente sinus.
Hic, exesis pendens scopulis,
Aut deceptos instruit hamos;
Aut suspensus spectat pressa
Præmia dextra: sentit tremulum
Linea piscem.
Hæc, innocuæ quibus est vitæ
Tranquilla quies, et læta suo
Parvoque domus, spes et in agris.
Turbine magno spes sollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus.
Ille superbos aditus regum,
Durasque fores, expers somni,
Colit: hic, nullo fine beatus,
Componit opes, gazis inhians;
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum tollit inani:
Hic, clamosi rabiosa fori
Iurgia vendens, improbus, iras
Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui, velocis
Memores ævi, tempora nunquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivita læti; properet cursu
Vita citato; volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui:
Stygias ultro quærimus undas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mœstos visere Manes.
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli iusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, et omneis fama per urbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat et astris: alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus;
Humilique loco, sed certe, sedet
Sordida parvæ fortuna domus:
Alta virtus animosa cadit.
Sed mœste venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem;
Tardusque senio graditur Alcidæ parens.

ACTUS II. *Megara, Amphitryon.*

M. O magne Olympi rector, et mundi arbiter!
Iam statue tandem gravibus ærumnis modum,
Finemque cladi. Nulla lux unquam mihi
Secura fulsit. Finis alterius mali
Gradus est futuri. Protenus reduci novus
Paretur hostis: antequam lætam domum
Contingat, aliud iussus ad bellum meat.
Nec ulla requies, tempus aut ullum datur,
Nisi dum iubetur: sequitur a primo statim
Infesta Iuno. Numquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superavit prius,
Quam nosse posset: gemina, cristati caput,
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans; igneos serpentium
Oculos remisso lumine ac placido intuens,

Arctos serenis vultibus nodos tulit;
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Prolusit hydræ. Mænali pernix fera,
Multo decorum præferens auro caput,
Deprensa cursu est. Maximus Nemeæ timor
Gemuit, lacertis pressus Herculeis, leo.
Quid stabula memorem dira Bistonii gregis,
Suisque regem pabulum armentis datum?
Solitumque densis hispidum Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora Mænalium suem?
Taurumque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiæ greges,
Pastor triformis litoris Tartessii
Peremtus; acta est præda ab Occasu ultimo.
Notum Cithæron pavit Oceano pecus:
Penetrare iussus Solis æstivi plagas,
Et adusta medius regna quæ torret dies,
Utrimque montes solvit abrupto obiice,
Et iam ruenti fecit Oceano viam.
Post hæc, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid? sæva Lernæ monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, et docuit mori?
Solitasque pennis condere obductis diem,
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum, cœlibis semper tori,
Regina gentis vidua Thermodontiæ;
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.
Quid ista prosunt? Orbe defenso caret.
Sensere terræ pacis auctorem suæ
Abesse terris: prosperum ac felix scelus
Virtus vocatur: sontibus parent boni.
Ius est in armis; opprimit leges timor.
Ante ora vidi nostra truculenta manu
Natos paterni cadere regni vindices:
Ipsamque Cadmi nobilis stirpem ultimam
Occidere: vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. Quis satis Thebas fleat?
Ferax Deorum terra, quem dominum tremis?
E cuius arvis, eque fecundo sinu,
Stricto iuventus orta cum ferro stetit;
Cuiusque muros natus Amphion Iove
Struxit, canoro saxa modulatu trahens;
In cuius urbem non semel Divum parens,
Cœlo relicto, venit; hæc, quæ Cœlites
Recepit, et quæ fecit, et (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur iugo.
Cadmea proles, civitasque Amphionis,
Quo decidistis? tremitis ignavum exulem,
Suis carentem finibus, nostris gravem?
Qui scelera terra quique persequitur mari,
Ac sæva iusta sceptra confringit manu,
Nunc servit absens, fertque, quæ ferri vetat;
Tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. Aderit, et pœnas petet,
Subitusque ad astra emerget: inveniet viam,
Aut faciet. Adsis sospes et remees, precor:
Tandemque venias victor ad victam domum.
Emerge, coniux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras: nulla si retro via,
Iterque clausum est, orbe diducto redi;
Et quidquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum. Dirutis qualis iugis,
Præcepe citato flumini quærens iter,
Quondam stetisti; scissa cum vasto impetu
Patuere Tempe; pectore impulsus tuo,
Huc mons et illuc cecidit; et, rupto aggere,
Nova cucurrit Thessalus torrens via;
Talis, parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe; rerum terminos tecum efferens:
Et, quidquid avida tot per annorum gradus
Abscondit ætas, redde; et oblitos sui,
Lucisque pavidos, ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est. Magna sed nimium loquor,
Ignara nostræ sortis. Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem;
Reditusque lentos, nec mei memores, querar?
Tibi, o Deorum ductor! indomiti ferent
Centena tauri colla: tibi, frugum potens,
Secreta reddam sacra: tibi muta fida
Longas Eleusin tacita iactabit faces.
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, et ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. Si qua te maior tenet
Clausum potestas; sequimur: aut omnes tuos
Defende reditu sospes, aut omnes trahe.
Trahes, nec ullus eriget fractos Deus.
A. O socia nostri sanguinis, casta fide
Servans torum natosque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni solet
Labore, maior. *M*. Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. *A*. Immo, quod metuunt nimis,
Nunquam amoveri posse, nec tolli, putant.
Prona est timori semper in peius fides.
M. Demersus, ac defossus, et toto insuper
Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?
A. Quam tunc habebat, cum per arentem plagam,
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas; bisque discedens fretum,
Et bis recurrens: cumque, deserta rate,
Deprensus hæsit Syrtium brevibus vadis,
Et, puppe fixa, maria superavit pedes.
M. Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest:
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.
Sed, ecce, sævus, ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit,
Aliena dextra sceptra concutiens, Lycus.

Lycus, Megara, Amphitryon.

L. Urbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne quidquid uberi cingit solo
Obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
Quidquid Cithæron vertice excelso videt,
Et bina findens Isthmos exilis freta,
Non vetera patriæ iura possideo domus
Ignavus hæres: nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. Qui genus iactat suum,
Aliena laudat. Rapta sed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis. Alieno in loco
Haud stabile regnum est: una sed nostras potest
Fundare vires, iuncta regali face
Thalamisque, Megara. Ducet e genere inclyto
Novitas colorem nostra. Non equidem reor
Fore ut recuset, ac meos spernat toros.
Quod si, impotenti pertinax animo, abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum, ac sermo popularis, premet?
Ars prima regni, posse te invidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipsa, tristi vestis obtentu caput

Valata, iuxta præsides adstat Deos;
Laterique adhæret verus Alcidæ sator.
M. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? *L.* O clarum trahens
A stirpe nomen regis! facilis mea
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella; tum vastis ager
Squallebit arvis: subdita tectis face,
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo necesse est. Particeps regno veni:
Sociemus animos: pignus hoc fidei cape:
Continge dextram. Quid truci vultu siles?
M. Egone ut parentis sanguine adspersam manum,
Fratrumque gemina cæde, contingam? Prius
Extinguet Ortus, referet Occasus, diem:
Pax ante fida nivibus et flammis erit;
Et Scylla Siculum iunget Ausonio latus;
Priusque multo, vicibus alternis fugax,
Euripus unda stabit Euboica piger.
Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid ultra est? una res superest mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui; quod esse cum populo mihi
Commune doleo: pars quota ex isto mea est?
Dominare tumidus; spiritus altos gere;
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.
Thebana novi regna. Quid matres loquar
Passas et ausas scelera? quid geminum nefas,
Mixtumque nomen coniugis, nati, patris?
Quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?
Riget superba Tantalis luctu parens,
Mœstusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse, torvum subrigens crista caput,
Illyrica Cadmus regna permensus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. Dominare, ut lubet,
Dum solita regni fata te nostri vocent.
L. Agedum, efferatas rabida voces amove:
Et disce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamvis sceptra victrici geram
Dextra, regamque cuncta sine legum metu,
Quas arma vincunt; pauca pro causa loquar
Nostra. Cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? arma non servant modum;
Nec temperari facile, nec reprimi, potest
Stricti ensis ira: bella delectat cruor.
Sed ille regno pro suo: nos improba
Cupidine acti? quæritur belli exitus,
Non causa. Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma posuit, et victum decet
Deponere odia. Non, ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus: hoc ipsum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege coniux digna: sociemus toros.
M. Gelidus per artus vadit exangues tremor.
Quod facinus aures pepulit? haud equidem horrui,
Cum, pace rupta, bellicus muros fragor
Circumsonaret: pertuli intrepide omnia.
Thalamos tremisco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus, et longa fame
Mors protrahatur lenta: non vincet fidem
Vis ulla nostram: moriar, Alcida, tua.
L. Animosne mersus inferis coniux facit?
M. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.
L. Telluris illum pondus immensæ premit.
M. Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.
L. Cogere. *M.* Cogi qui potest, nescit mori.
L. Effare, thalamis quod novis potius parem
Regale munus? *M.* Aut tuam mortem, aut meam.
L. Moriere, demens? *M.* Coniugi occurram meo
L. Sceptrone nostro potior est famulus tibi?
M. Quot iste famulus tradidit reges neci!
L. Cur ergo regi servit, et patitur iugum?
M. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
L. Obici feris monstrisque, virtutem putas?
M. Virtutis est domare, quæ cuncti pavent.
L. Tenebræ loquentem magna Tartareæ premunt.
M. Non est ad astra mollis a terris via.
L. Quo patre genitus Cœlitum sperat domos?
A. Miseranda coniux Herculis magni, sile:
Partes meæ sunt, reddere Alcidæ patrem,
Genusque verum. Post tot ingentis viri
Memoranda facta, postque pacatum manu
Quodcumque Titan ortus et labens videt,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postque defensos Deos;
Nondum liquet de patre? Mentimur Iovem?
Iunonis odio crede. *L.* Quid violas Iovem?
Mortale cœlo non potest iungi genus.
A. Communis ista pluribus causa est Deis.
L. Famuline fuerant ante quam fierent Dei?
A. Pastor Pheræos Delius pavit greges.
L. Sed non per omnes exul erravit plagas.
A. Quem profuga terra mater erraute edidit.
L. Num monstra, sævas Phœbus aut timuit feras.
A. Primus sagittas imbuit Phœbi draco.
L. Quam gravia parvus tulerit, ignoras, mala?
A. E matris utero fulmine eiectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis Idææ specu?
Sollicita tanti pretia natales habent;
Semperque magno constitit, nasci Deum.
L. Quemcumque miserum videris, hominem scias.
A. Quemcumque fortem videris, miserum neges.
L. Fortem vocemus, cuius ex humeris leo,
Donum puellæ factus, et clava excidit,
Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cuius horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?
A. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrasse thyrsum, cum, parum forti gradu,
Auro decorum syrma barbarico trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.
L. Teuthrantis hoc fatetur eversi domus,
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet:
Ipsius hæc sunt opera. *A.* Non nosti omnia.
Ipsius opus est, cæstibus fractus suis
Eryx, et Eryci iunctus Antæus Libys.
Et qui, hospitali cæde manantes, foci
Bibere iustum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, vulneri et ferro obvius,
Mortem coactus, integer, Cycnus pati:
Nec unus una Geryon victus manu.
Eris inter istos; qui tamen nullo stupro
Læsere thalamos. *L.* Quod Iovi, hoc regi licet:
Iovi dedisti coniugem; regi dabis.
Et, te magistro, non novum hoc discat nurus,
Etiam viro probante, meliorem sequi.
Sin copulari pertinax tædis negat,

Vel ex coacta nobilem partum feram.
M. Umbræ Creontis, et penates Labdaci,
Et nuptiales impii Œdipodæ faces;
Nunc solita nostro fata coniugio date.
Nunc, nunc, cruentæ regis Ægypti nurus,
Adeste, multo sanguine infectæ manus:
Deest una numero Danais: explebo nefas.
L. Coniugia quoniam pervicax nostra abnuis,
Regemque terres; sceptra quid possint, scies.
Complectere aras; nullus eripiet Deus
Te mihi: nec, orbe si remolito queat
Ad supera victor [numina] Alcides vehi.
Congerite silvas: templa supplicibus suis
Iniecta flagrent: coniugem et totum gregem
Consumat unus igne subiecto rogus.
A. Hoc munus a te genitor Alcidæ peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.
L. Qui morte cunctos luere supplicium iubet,
Nescit tyrannus esse: diversa irroga:
Miserum veta perire; felicem iube.
Ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,
Sacro regentem maria votivo colam.
A. Proh numinum vis summa! proh cœlestium
Rector parensque! cuius excussis tremunt
Humana telis; impiam regis feri
Compesce dextram. Quid Deos frustra precor?
Ubicumque es, audi, nate. Cur subito labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?
Infernus imo sonuit e fundo fragor.
Audimur! en, en sonitus Herculei gradus!

Chorus Thebanorum.

O Fortuna viris invida fortibus!
Quam non æqua bonis præmia dividis!
Eurystheus facili regnet in otio:
Alcmena genitus, bella per omnia,
Monstris exagitet cœliferam manum:
Serpentis resecet colla feracia:
Deceptis referat mala sororibus,
Cum somno dederit pervigiles genas,
Pomis divitibus præpositus, draco.
Intravit Scythiæ multivagas domos,
Et gentes patriis sedibus hospitas;
Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum litoribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus:
Et, qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic, quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia balteo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, et nivei vincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Qua spe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Siculæ regna Proserpinæ?
Illic nulla Noto, nulla Favonio
Consurgunt tumidis fluctibus æquora.
Non illic geminum, Tyndaridæ, genus,
Succurrunt timidis sidera navibus.
Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam iura feræ Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
Heic, qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergemina cuspide præferens:
Effugit tenui vulnere saucius,
Et, mortis dominus, pertimuit mori.
Fatum rumpe manu: tristibus inferis
Prospectus pateat lucis, et invius
Limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, et prece supplici,
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quæ silvas, et aves, saxaque, traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras;
Ad cuius sonitum constiterant feræ;
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus;
Deflent et lacrymis difficiles Dei:
Et, qui fronte nimis crimina tetrica
Quærunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen iuridici sedent.
Tandem mortis ait, vincimur, arbiter:
Evade ad superos; lege tamen data:
Tu post terga tui perge viri comes;
Tu non ante tuam respice coniugem,
Quam cum clara Deos obtulerit dies,
Spartanique aderit ianua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur, moras.
Munus, dum properat cernere, perdidit.
Quæ vinci potuit regia cantibus,
Hæc vinci poterit regia viribus.

ACTUS III. *Hercules.*

O lucis alme rector, et cœli decus!
Qui, alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre lætis exeris terris caput;
Da, Phœbe, veniam, si quid illicitum tui
Videre vultus. Iussus in lucem extuli
Arcana mundi. Tuque, Cœlestum arbiter
Parensque, visus fulmine opposito tege;
Et tu, secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas. Quisquis ex alto aspicit
Terrena, facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat, oraque in cœlum erigat,
Portenta fugiens. Hoc nefas cernant duo,
Qui advexit, et quæ iussit. In pœnas meas,
Atque in labores, non satis terræ patent:
Iunonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phœbo, quæque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Iovi:
Et, si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui. Noctis æternæ chaos,
Et nocte quiddam gravius, et tristes Deos,
Et fata, vici: morte contemta, redii.
Quid restat aliud? Vidi et ostendi inferos.
Da, si quid ultra est. Tam diu pateris manus
Cessare nostras, Iuno? quid vinci iubes?
Sed templa quare miles infestus tenet?
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

Megara, Amphitryon, Hercules, Theseus.

A. Utrumne visus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, et Graium decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Estne ille natus? Membra lætitia stupent.
O nate! certa et sera Thebarum salus!
Teneone in auras editum? an vana fruor
Deceptus umbra? Tune es? agnosco toros,
Humerosque, et alto nobilem trunco manum.

H. Unde iste, genitor, squalor, et lugubribus
Amicta coniux? unde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades gravat?
A. Socer est peremtus: regna possedit Lycus;
Natos, parentem, coniugem, leto petit.
H. Ingrata tellus! nemo ad Herculeæ domus
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defensus orbis? Cur diem questu tero?
Mactetur hostis. *T.* Hanc ferat virtus notam,
Fiatque summus hostis Alcidæ Lycus?
Ad hauriendum sanguinem inimicum feror.
H. Theseu, resiste, ne qua vis subita ingruat:
Me bella poscunt. Differ amplexus, parens,
Coniuxque, differ: nuntiet Diti Lycus
Me iam redisse. *T.* Flebilem ex oculis fuga,
Regina, vultum: tuque, nato sospite,
Lacrymas cadentes reprime. Si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit:
Lentum est, dabit; dat: hoc quoq; est lentum; dedit.
A. Votum secundet, qui potest, nostrum Deus,
Rebusque lapsis adsit. O magni comes
Magnanime nati! pande virtutum ordinem;
Quam longa mœstos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
T. Memorare cogis acta, securæ quoque
Horrenda menti: vix adhuc certa est fides
Vitalis auræ: torpet acies luminum;
Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
A. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore
Remanet pavoris; neve te fructu optimo
Frauda laborum. Quæ fuit durum pati,
Meminisse dulce est. Fare casus horridos.
T. Fas omne mundi, teque dominantem precor
Regno capaci; teque, quam tota irrita
Quæsivit Ætna mater; ut iura abdita
Et operta terris, liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit iugum,
Densis ubi æquor Tænarus silvis premit:
Heic ora solvit Ditis invisi domus,
Hiatque rupes alta, et immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non cæca tenebris incipit primo via;
Tenuis relictæ lucis a tergo nitor,
Fulgorque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem. Nocte sic mixta solet
Præbere lumen primus aut serus dies
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis;
In quæ omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est; ipsa deducit via:
Ut sæpe puppes æstus invitas rapit;
Sic pronus aer urget, atque avidum chaos:
Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbræ tenaces. Intus immensi sinus
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas: neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem: qualis incerta vagus
Meander unda ludit, et cedit sibi,
Instatque, dubius, litus an fontem petat:
Palus inertis fœda Cocyti iacet.
Hic vultur, illic luctifer bubo, gemit;
Omenque triste resonat infaustæ strigis;
Horrent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente; quam tenet segnis Sopor,
Famesque mœsta tabido rictu iacens;
Pudorque serus conscios vultus tegit:
Metus, Pavorque, Funus, et frendens Dolor,
Aterque Luctus sequitur, et Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adiuvat baculo gradum.
A. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
T. Non prata viridi læta facie germinant,
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges:
Non ulla ramos silva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squalet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ;
Rerumque mœstus finis, et mundi ultima:
Immotus aer hæret; et pigro sedet
Nox atra mundo: cuncta mœrore horrida;
Ipsaque Morte peior est Mortis locus.
A. Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,
Qua sede positus temperat populos leves?
T. Est in recessu Tartari obscuro locus,
Quem gravibus umbris spissa caligo alligat.
A fonte discors manat hinc uno latex:
Alter quieto similis (hunc iurant Dei)
Tacente sacram devehens fluvio Stygа:
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu volvit Acheron, invius
Renavigari. Cingitur duplici vado
Adversa Ditis regia; atque ingens domus
Umbrante luco tegitur: hic vasto specu
Pendent tyranni limina: hoc umbris iter;
Hæc porta regni. Campus hanc circa iacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. Dira maiestas Deo,
Frons torva; fratrum quæ tamen speciem gerat,
Gentisque tantæ: vultus est illi Iovis,
Sed fulminantis. Magna pars regni trucis
Est ipse dominus; cuius aspectum timet,
Quidquid timetur. *A.* Verane est fama, inferis
Tam sera reddi iura, et, oblitos sui
Sceleris, nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?
T. Non unus alta sede quæsitor sedens
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Aditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit; suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,
Dominusque vitæ servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animæque parcit; longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,
Iudex futurus. Sanguine humano abstine,
Quicumque regnas: scelera taxantur modo
Maiore vestra. *A.* Certus inclusos tenet
Locus nocentes? utque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæva perpetuis domant?
T. Rapitur volucri tortus Ixion rota.
Cervice saxum grande Sisyphia sedet.
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas; abluit mentum latex;
Fidemque cum iam sæpe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma destituunt famem.
Præbet volucri Tityos æternas dapes;
Urnasque frustra Danaides plenas gerunt.
Errant furentes impiæ Cadmeides;
Terretque mensas avida Phineas avis.
A. Nunc ede nati nobilem pugnam mei:
Patrui volentis munus, an spolium, refert?
T. Feralis tardis imminet saxum vadis,
Stupent ubi undæ, segne torpescit fretum:

Hunc servat amnem cultu et aspectu horridus,
Pavidosque Manes squalidus gestat senex.
Impexa pendet barba; deformem sinum
Nodus coercet; concavæ lucent genæ:
Regit ipse conto portitor longo ratem.
Hic, onere vacuam litori puppim applicans,
Repetebat umbras; poscit Alcides viam:
Cedente turba, dirus exclamat Charon,
Quo pergis audax? siste properantem gradum.
Non passus ullas natus Alcmena moras,
Ipso coactum navitam conto domat,
Scanditque puppem. Cymba, populorum capax,
Succubuit uni: sedit, et gravior ratis
Utrimque Lethen latere titubanti bibit.
Tunc victa trepidant monstra, Centauri truces,
Lapithæque multo in bella succensi mero.
Stygiæ paludis ultimos quærens sinus,
Fœcunda mergit capita Lernæus labos.
Post hæc avari Ditis apparet domus.
Hic sævus umbras territat Stygius canis,
Qui, trina vasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubræ: viperis horrent iubæ;
Longusque torta sibilat cauda draco:
Par ira formæ. Sensit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque captat aure subrecta sonum,
Sentire et umbras solitus. Ut propior stetit
Iove natus, antro sedit incertus canis,
Et uterque timuit. Ecce, latratu gravi
Loca muta terret: sibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor,
Per ora missus terna, felices quoque
Exterrat umbras. Solvit a læva feros
Tunc ipse rictus, et Cleonæum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dextera robur gerens,
Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat:
Ingeminat ictus. Domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antroque toto cessit. Extimuit sedens
Uterque solio dominus; et duci iubet:
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc, gravia monstri colla permulcens manu,
Adamante texto vincit. Oblitus sui,
Custos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; et patiens trahi,
Herumque fassus, ore submisso obsequens,
Utrumque cauda pulsat anguifera latus.
Postquam est ad oras Tænari ventum, et nitor
Percussit oculos lucis ignotæ, novos
Resumit animos victus, et vastas furens,
Quassat catenas: pæne victorem abstulit,
Pronumque retro vexit, et movit gradu.
Tunc et meas respexit Alcides manus:
Geminis uterque viribus tractum canem
Ira furentem, et bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. Vidit ut clarum æthera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est: lumina in terram dedit;
Compressit oculos, at diem invisum expulit,
Aciemque retro flexit; atque omni petiit
Cervice terram: tum sub Herculea caput
Abscondit umbra. Densa sed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens;
Magnique meritas Herculis laudes canit.

Chorus Thebanorum.

Natus Eurystheus properante partu,
Iusserat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiæ regem spoliare sortis.
Ausus est cæcos aditus inire,
Ducit ad Manes via qua remotos
Tristis, et silva metuenda nigra;
Sed frequens magna comitante turba:
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri;
Quantus Eleum ruit ad Tonantem,
Quinta cum sacrum revocavit æstas;
Quanta, cum longæ redit hora noctis,
Crescere et somnos cupiens quietos,
Libra Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ;
Tanta per campos agitur silentes
Turba: pars tarda gradiens senecta,
Tristis, et longa satiata vita;
Pars adhuc currit melioris ævi;
Virgines nondum thalamis iugatæ,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris et nomen modo doctus infans:
His datum solis, minus ut timerent,
Igne prælato relevare noctem.
Cæteri vadunt per opaca tristes;
Qualis est nobis animus, remota
Luce, cum mœstus sibi quisque sentit
Obrutum tota caput esse terra.
Stat chaos densum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi, vacuæque nubes.
Sera nos illo referat senectus:
Nemo ad id sero venit, unde nunquam,
Cum semel venit, potuit reverti.
Quid iuvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. Tibi crescit omne,
Et quod Occasus videt, et quod Ortus.
Parce venturis; tibi, Mors paramur:
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora, carpit.
  Thebis læta dies adest:
Aras tangite supplices:
Pingues cædite victimas:
Permixtæ maribus nurus
Sollennes agitent choros:
Cessent, deposito iugo,
Arvi fertilis incolæ.
Pax est, Herculea manu,
Auroram inter et Hesperum,
Et qua Sol, medium tenens,
Umbras corporibus negat.
Quodcumque alluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Transvectus vada Tartari,
Pacatis redit inferis.
Iam nullus superest timor:
Nil ultra iacet inferos.
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

ACTUS IV. *Hercules, Theseus, Amphitryon. Megara.*

H. Ultrice dextra fusus, adverso Lycus
Terram cecidit ore: tum, quisquis comes

Fuerat tyranni, tacuit et pœnæ comes.
Nunc sacra patri victor et Superis feram;
Cæsisque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum socia et adiutrix, precor,
Belligera Pallas, cuius in læva ciet
Ægis feroces ore saxifico minas.
Adsit Lycurgi domitor et Rubri maris,
Tectam virenti cuspidem thyrso gerens:
Geminumque numen, Phœbus et Phœbi soror,
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fraterque quisquis incolit cœlum meus,
Non ex noverca frater. Huc appellite
Greges opimos. Quidquid Indorum seges,
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt,
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theseu. Tonantem nostra adorabit manus:
Tu conditores urbis, et silvestria
Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquæ,
Laremque regis advenæ Tyrium coles.
Date thura flammis. *A.* Nate manantes prius
Manus cruenta cæde et hostili expia.
H. Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem! gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima, mactari Iovi,
Quam rex iniquus. *A.* Finiat genitor tuos,
Opta, labores: detur aliquando otium,
Quiesque fessis. *H.* Ipse concipiam preces
Iove meque dignas. Stet suo cœlum loco,
Tellusque et æther: astra inoffensos agant
Æterna cursus: alta pax gentes alat:
Ferrum omne teneat ruris innocui labor;
Ensesque lateant: nulla tempestas fretum
Violenta turbet: nullus, irato Iove,
Exsiliat ignis: nullus, hiberna nive
Nutritus, agros amnis eversos trahat:
Venena cessent: nulla nociture gravis
Succo tumescat herba: non sævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; et, si quod parat
Monstrum, meum sit.-Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ: Phœbus obscuro meat
Sine nube vultu. Quis diem retro fugat,
Agitque in Ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellæ polum
Implent diurnæ? Primus, en, noster labor,
Cœli refulget parte non minima Leo,
Iraque totus fervet, et morsus parat.
Iam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
Stat ore, et ignes efflat, et rutila iubam
Cervice iactat. Quidquid auctumnus gravis,
Hiemsque gelido frigida spatio, refert,
Uno impetu transiliet: et verni petet (lum est?
Frangetque Tauri colla. *A.* Quod subitum hoc ma-
Quo, nate, vultus huc et huc acres refers?
Acieque falsum turbida cœlum vides?
H. Perdomita tellus; tumida cesserunt freta;
Inferna nostros regna sensere impetus:
Immune cœlum est; dignus Alcidæ labor.
In alta mundi spatia sublimis ferar:
Petatur æther: astra promittit pater.
Quid si negaret? non capit terra Herculem,
Tandemque Superis reddit. En, ultro vocat
Omnis Deorum cœtus, et laxat fores,
Una vetante. Recipis, et reseras polum?
An contumacis ianuam mundi traho?
Dubitatur etiam? Vincla Saturno exuam;
Contraque patris impii regnum impotens
Avum resolvam. Bella Titanes parent,
Me duce, furentes: saxa cum silvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris iuga.
Iam monte gemino limitem ad Superos agam.
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum.
In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur. *A.* Infandos procul
Averte sensus: pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
H. Quid hoc? Gigantes arma pestiferi movent:
Profugit umbras Tityos, ac, lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope a cœlo stetit!
Labat Cithæron; alta Pallene tremit,
Macetumque Tempe. Rapuit hic Pindi iuga:
Hic rapuit Œten. Sævit horrendum Mimas.
Flammifera Erinnys verbere excusso sibilat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit. Sæva Tisiphone, caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem clausit opposita face.
Sed, ecce, proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen. Inviso patri
Hæc dextra iam vos reddet. Excutiat leves
Nervus sagittas: tela sic mitti decet
Herculea. *A.* Quo se cæcus impegit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus,
Pharetramque solvit. Stridet emissa impetu
Arundo: medio spiculum collo fugit,
Vulnere relicto. *H.* Ceteram prolem eruam,
Omnesque latebras. Quid moror? maius mihi
Bellum Mycenis restat: ut Cyclopea
Eversa manibus saxa nostris concidant;
Huc eat et illuc aula disiecto obiice,
Rumpatque postes: columen impulsum labet.
Perlucet omnis regia: hic video abditum
Natum scelesti patris. *A.* En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, et aspectu horridum,
Dextra precantem rapuit, et circa furens
Bis ter rotatum misit: ast illi caput
Sonuit; cerebro tecta disperso madent.
At misera, parvum protegens natum sinu,
Megara, furenti similis, e latebris fugit.
H. Licet Tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecumque temet hæc dextra, et feret.
A. Quo, misera, pergis? quam fugam, aut latebras
Nullus salutis, Hercule infenso, est locus: (petis?
Amplectere ipsum potius, et blanda prece
Lenire tenta. *M.* Parce iam, coniux, precor.
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitusque, reddit: cernis, ut tendat manus?
H. Teneo novercam! sequere! da pœnas mihi
Iugoque pressum libera turpi Iovem.
Sed, ante matrem, parvulum hoc monstrum occidat.
M. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?
A. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: spiritum eripuit timor.
In coniugem nunc clava libratur gravis.
Perfregit ossa: corpori trunco caput
Abest, nec usquam est. Cernere hoc audes, nimis
Vivax senectus? Si piget luctus, habes
Mortem paratam: pectus in tela indue;
Vel stipitem istum, cæde monstrorum illitum,
Converte. Falsum, ac nomini turpem tuo,
Remove parentem, ne tuæ laudi obstrepat.
T. Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? profuge, et obtectus late;
Unumque manibus aufer Herculeis scelus.

H. Bene habet! pudendi regis excisa est domus.
Tibi hunc dicatum, maximi coniux Iovis,
Gregem cecidi: vota persolvi libens
Te digna: et Argos victimas alias dabit.
A. Nondum litasti, nate: consumma sacrum.
Stat, ecce, ad aras hostia; exspectat manum
Cervice prona: præbeo, occurro, insequor:
Macta. Quid hoc est? Errat acies luminum,
Visusque mœror hebetat? an video Herculis
Manus trementes? Vultus in somnum cadit;
Et fessa cervix capite submisso labat;
Flexo genu iam totus ad terram ruit,
Ut cæsa silvis ornus, aut portus mari
Datura moles. Vivis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus, ut somno gravi
Vis victa morbi pectus oppressum levet.
Removete, famuli, tela, ne repetat furens.

Chorus Thebanorum.

Lugeat æther, magnusque Parens
Ætheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.
Tuque, ante omnes, qui per terras,
Tractusque maris, fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan. Obitus pariter
Tecum Alcides vidit et Ortus,
Novitque tuas utrasque domos.
Solvite tantis animum monstris,
Solvite, Superi: rectam in melius
Flectite mentem. Tuque, o domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Astrææ,
Frater duræ languide Mortis,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, et idem pessimus, auctor;
Pater, o, rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum lenisque foveas;
Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem;
Preme devictum torpore gravi.
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva prius pectora linquat,
Quam mens repetat pristina cursum.
En, fusus humi sæva feroci
Corde volutat somnia. Nondum est
Tanti pestis superata mali:
Clavæque gravi lassum solitus
Mandare caput, quærit vacua
Pondera dextra, motu iactans
Brachia vano: nec adhuc omnes
Expulit æstus; sed, ut, ingenti
Vexata Noto, servat longos
Unda tumultus, et, iam vento
Cessante, tumet. Pelle insanos
Fluctus animi: redeat pietas,
Virtusque viro: vel sit potius
Mens vesano concita motu;
Error cæcus, qua cœpit, eat.
Solus te iam præstare potest
Furor insontem. Proxima puris
Sors est manibus, nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
Pectora palmis: mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu: gemitus vastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, vastisque ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,
Lateque patens unda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen
Senserat, aer.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi;
Uno planctu tria regna sonent.
Et tu, collo, decus ac telum,
Suspensa diu, fortis arundo,
Pharetræque graves, date sæva fero
Verbera tergo: cædant humeros
Robora fortes; stipesque potens
Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non vos, patriæ laudis comites,
Ulti sævo vulnere reges;
Non Argiva membra palæstra
Flectere docti, fortes cæstu,
Fortesque manu; iam tamen ausi
Telum Scythici leve coryti
Missum certa librare manu,
Tutosque fuga figere cervos,
Nondumque feræ terga iubatæ;
Ite ad Stygios umbræ portus,
Ite innocuæ, quas in primo
Limine vitæ scelus oppressit,
Patriusque furor: ite, infaustum
Genus, o pueri! noti per iter
Triste laboris; ite, iratos
Visite reges.

Actus V. *Hercules, Amphitryon, Theseus.*

H. Quis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Ubi sum? sub ortu Solis, an sub cardine
Glacialis Ursæ? Numquid Hesperii maris
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe redimus: unde, prostrata domo,
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? Post reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri: paveo: nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande præsagit malum.
Ubi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa coniux? cur latus lævum vacat
Spolio leonis? quonam abit tegimen meum,
Idemque somno mollis Herculeo torus?
Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet.
Exsurge victor, quem novum cælo pater
Genuit relicto: cuius in fœtu stetit
Nox longior, quam nostra? quod cerno nefas?
Nati cruenta cæde confecti iacent!
Perempta coniux! quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,
Hercule reverso? Quisquis Ismeni loca,
Actæa quisquis arva, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanii colis,
Succurre: sævæ cladis auctorem indica.
Ruat ira in omnes: hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem. Victor Alcidæ, lates?

Procede: seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, sive Geryonæ pecus,
Libyæve dominos; nulla pugnandi mora est.
En, nudus adsto: vel meis armis licet
Petas inermem. Cur meos Theseus fugit,
Paterque, vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus. Quis meos dederit neci
Omnes simul, profare. Quid, genitor, siles?
At tu ede, Theseu, sed tua, Theseu, fide.
Uterque tacitus ora pudibunda obtegit;
Furtimque lacrymas fundit. In tantis malis
Quid est pudendum? numquid Argivæ impotens
Dominator urbis, numquid infestum Lyci
Pereuntis agmen, clade nos tanta obruit?
Per, te, meorum facinorum laudem, precor,
Genitor, tuique nominis semper mihi
Numen secundum; fare, quis fudit domum?
Cui præda iacui? *A.* Tacita sic abeant mala.
H. Ut inultus ego sim? *A.* Sæpe vindicta obfuit.
H. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
A. Maiora quisquis timuit. *H.* His etiam, pater,
Quidquam timeri maius aut gravius potest?
A. Cladis tuæ pars ista, quam nosti, quota est!
H. Miserere, genitor! supplices tendo manus.
Quid hoc? manus refugit! Hic errat scelus.
Unde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæa nece?
Iam tela video nostra; non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quæ dextera
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor: genitor, hoc nostrum est scelus?
Tacuere! nostrum est! *A.* Luctus est istic tuus;
Crimen novercæ: casus hic culpa caret.
H. Nunc, parte ab omni, genitor, iratus tona,
Oblite nostri: vindica sera manu
Saltem nepotes: stelliger mundus sonet:
Flammas et hic et ille iaculetur polus:
Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque ales avida. Cur Promethei vacant
Scopuli? paretur, vertice immenso feras
Volucresque pascens, Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis. Illa, quæ Pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc et hinc vinctas manus
Distendat alto. cumque revocata vice
In se coibunt saxa, quæ in cælum exprimunt
Actis utrimque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium iaceam mora.
Quin structum acervans nemore congesto aggerem,
Cruore corpus impio sparsum cremo?
Sic, sic agendum est! inferis reddam Herculem.
A. Nondum tumultu pectus attonito caret.
Mutavit iras: quodque habet proprium furor,
In se ipse sævit. *H.* Diræ Furiarum loca,
Et inferorum carcer, et sonti plaga
Decreta turbæ, et si quod exilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi,
Huc me abde, tellus: Tartari ad finẽ ultimum
Mansurus ibo. Pectus o nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
Deflere digne poterit? hic, durus malis,
Lacrymare vultus nescit. Huc ensem date;
Date huc sagittas; stipitem huc vastum date.
Tibi tela frangam nostra; tibi nostros, puer,
Rumpemus arcus; ac tuis stipes gravis
Ardebit umbris: ipsa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas: vos quoque infaustas meis
Cremabo telis, o novercales manus!
T. Quis nomen unquam sceleris errori addidit?
H. Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
T. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.
H. Non sic furore cessit extinctus pudor,
Populos ut omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. Sana si mens est mihi,
Referte manibus tela: si remanet furor,
Pater, recede: mortis inveniam viam.
A. Per sancta generis sacra, per ius nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas,
Seu tu parentem; perque venerandos piis
Canos, senectæ parce desertæ, precor,
Annisque fessis: unicum lapsæ domus
Firmamen, unum lumen afflicto malis,
Temet reserva. Nullus ex te contigit
Fructus laborum: semper aut dubium mare,
Aut monstra, timui. Quisquis in toto furit
Rex sævus orbe, manibus aut aris nocens,
A me timetur: semper absentis pater
Fructum tui, tactumque et aspectum, peto.
H. Cur animam in ista luce detineam amplius,
Morerque, nihil est: cuncta iam amisi bona:
Mentem, arma, famam, coniugem, natos, manus;
Etiam furorem. Nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.
A. Perimes parentem? *H.* Facere ne possim, occidam.
A. Genitore coram? *H.* Cernere hunc docui nefas.
A. Memoranda potius omnibus facta intuens,
Unius a te criminis veniam pete.
H. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci iussus: hoc unum meum est.
Succurre, genitor, sive te pietas movet,
Seu triste fatum, sive violatæ decus
Virtutis: effer arma; vincatur mea
Fortuna dextra. *T.* Sunt quidem patriæ preces
Satis efficaces: sed tamen nostro quoque
Movere fletu. Surge, et adversa impetu
Perfringe solito: nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume: nunc magna tibi
Virtute agendum est; Herculem irasci veta.
H. Si vivo, feci scelera: si morior, tuli.
Purgare terras propero: iamdudum mihi
Monstrum impium, sævumque, et immite, ac ferum,
Oberrat. Agedum, dextra! conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius.
Ignave, cessas, fortis in pueros modo,
Pavidasque matres? Arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi Thracis excindam nemus;
Bacchique lucos, et Cithæronis iuga
Mecum cremabo; tota cum domibus suis
Dominisque tecta, cum Deis templa omnibus
Thebana, supra corpus excipiam meum;
Atque urbe versa condar: et, si fortibus
Leve pondus humeris mœnia immissa incident,
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus omne, media parte quod mundi sedet,
Dirimitque Superos, in meum vertam caput.
A. Reddo arma. *H.* Vox est digna genitore Herculis.
Hoc, en, peremtus spiculo cecidit puer.
A. Hoc, Iuno, telum manibus emisit tuis.
H. Hoc nunc ego utar. *A.* Ecce, quam miserum metu
Cor palpitat, corpusque sollicitum ferit!
H. Aptata arundo est. *A.* Ecce, iã facies scelus
Volens, sciensque. Pande, quid fieri iubes?
Nihil rogamus; noster in tuto est dolor.
Natum potes servare tu solus mihi,
Eripere nec tu. Maximum evasi metum.
Miserum haud potes me facere, felicem potes.
Sic statue quidquid statuis, ut causam tuam

Famamque in arcto stare et ancipiti scias.
Aut vivis, aut occidis. Hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo. Tam tarde patri
Vitam dat aliquis? Non feram ulterius moram:
Letale ferro pectus impresso induam:
Hic, hic iacebit Herculis sani scelus.
H. Iam parce, genitor, parce; iam revoca manum.
Succumbe, virtus; perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor;
Vivamus. Artus allava afflictos solo,
Theseu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit. *A.* Hanc manum amplector libens:
Hac nixus ibo: pectori hanc ægro admovens,
Pellam dolores. *H.* Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Hærebit altum facinus. In quas impius
Terras recedes? Ortum an Occasum petes?
Ubique notus, perdidi exilio locum.
Me refugit orbis. Astra transversos agunt
Obliqua cursus; ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. O fidum caput,
Theseu! latebram quære longinquam, abditam.
Quoniamque, semper sceleris alieni arbiter,
Amas nocentes, gratiam meritis refer
Vicemque nostris: redde me infernis, precor,
Umbris reductum; meque subiectum tuis
Restitue vinclis: ille me abscondet locus.
Sed et ille novit. *T.* Nostra te tellus manet.
Illic solutam cæde Gradivus manum
Restituet armis. Illa te, Alcida, vocat,
Facere innocentes terra quæ Superos solet.

THYESTES

DRAMATIS PERSONÆ

THYESTES.	PLISTHENES, THYESTÆ F.
ATREUS.	CHORUS SENUM MYCENÆORUM
UMBRA TANTALI.	SATELLES.
MEGÆRA.	NUNTIUS.
TANTALUS, THYESTÆ F. / ALIUS THYESTÆ F.	*Mutæ personæ*

ACTUS I. *Umbra Tantali, Megæra.*

T. Quis me inferorum sede ab infausta extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?
Quis male Deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum? Peius inventum est siti
Arente in undis aliquid, et peius fame
Hiante semper? Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?
Aut membra celeri differens cursu rota?
Aut pœna Tityi? qui, specu vasto patens,
Visceribus atras pascit effossis aves;
Et, nocte reparans quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro iacet.
In quod malum transcribor? O, quisquis nova
Supplicia functis duros umbrarum arbiter
Disponis! adde, siquid ad pœnas potes,
Quod ipse custos carceris diri horreat;
Quod mœstus Acheron paveat; ad cuius metum
Nos quoque tremamus. Quære: iam nostra subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, et inausa audeat.
Regione quidquid impia cessat loci,
Complebo. Nunquam, stante Pelopea domo,
Minos vacabit. *M.* Perge, detestabilis
Umbra, et penates impios furiis age.
Certetur omni scelere; et alterna vice
Stringantur enses. Ne sit irarum modus,
Pudorve. Mentes cæcus instiget furor;
Rabies parentum duret, et longum nefas
Eat in nepotes: nec vacet cuiquam vetus
Odisse crimen; semper oriatur novum,
Nec unum in uno: dumque punitur scelus,
Crescat. Superbis fratribus regna excidant,
Repetantque profugos: dubia violentæ domus
Fortuna, reges inter incertos, labet.
Miser ex potente fiat, ex misero potens;
Fluctuque regnum casus assiduo ferat.
Ob scelera pulsi, dum dabit patriam Deus,
In scelera redeant: sintque tam invisi omnibus,
Quam sibi. Nihil sit, ira quod vetitum putet.
Fratrem expavescat frater, et natum parens,
Natusque patrem: liberi pereant male;
Peius tamen nascantur: immineat viro
Infesta coniux. Bella trans pontum vehant:
Effusus omnes irriget terras cruor;
Supraque magnos gentium exultet duces
Libido victrix. Impia stuprum in domo
Levissimum sit: fratris et fas et fides,
Iusque omne, pereat. Non sit a vestris malis
Immune cœlum. Cum micant stellæ polo,
Flammæque servant debitum mundo decus,
Nox atra fiat; excidat cœlo dies.
Misce penateis: odia, cædes, funera,
Arcesse, et imple Tantalo totam domum.
Ornetur altum columen, et lauro fores
Lætæ virescant; dignus adventu tuo
Splendescat ignis. Thracium fiat nefas
Maiore numero. Dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet? Ignibus iam subditis,
[Spument ahena:] membra per partes eant
Discerpta: patrios polluat sanguis focos:
Epulæ instruantur: non novi sceleris tibi
Conviva venies. Liberum dedimus diem;
Tuamque ad istas solvimus mensas famem.
Ieiunia exple. Mixtus in Bacchum cruor,
Spectante te, potetur. Inveni dapes,
Quas ipse fugeres. Siste! quo præceps ruis?
T. Ad stagna, et amnes, et recedentes aquas,
Labrisque ab ipsis arboris plenæ fugas.
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar, igneo cinctus freto.
Quicumque pœnas lege Fatorum datas
Pati iuberis; quisquis exeso iaces
Pavidus sub antro, iamque venturi times
Montis ruinam; quisquis avidorum feros
Rictus leonum, et dira Furiarum agmina
Implicitus horres; quisquis immissas faces
Semiustus abigis; Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi;
Amate pœnas. Quando continget mihi
Effugere superos? *M.* Ante perturba domum;
Inferque tecum prœlia, et ferri malum
Regibus amorem: concute insano ferum
Pectus tumultu. *T.* Me pati pœnas decet,

Non esse pœnam. Mitior, ut dirus vapor
Tellure rupta, vel gravem populis luem
Sparsura pestis? Ducam in horrendum nefas
Avus nepotes? Magne Divorum parens,
Nosterque, quamvis pudeat; ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur loquax;
Nec hoc tacebo: moneo, ne sacra manus
Violata cæde, nava furiali malo
Aspergite aras. Stabo, et arcebo scelus.
Quid ora terres verbere, et tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incensum siti
Cor, et perustis flamma visceribus micat.
Sequor.
M. Hunc furorem divide in totam domum.
Sic, sic ferantur, et suum infensi invicem
Sitiant cruorem. Sensit introitus tuos
Domus, et nefando tota contactu horruit.
Actum est abunde. Gradere ad infernos specus,
Amnemque notum: iam tuum mœstæ pedem
Terræ gravantur. Cernis, ut fontes liquor,
Introrsus actus, linquat; ut ripæ vacent;
Ventusque raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit,
Fugiente pomo, ramus; et qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terra vada,
Longe [remotos latus exaudit sonos].
Iam Lerna retro cessit, et Phoronides
Latuere venæ: nec suas profert sacer
Alpheos undas; at Cithæronis iuga
Stant parte nulla cana deposita nive;
Timentque veterem nobiles Argi sitim.
En, ipse Titan dubitat, an iubeat sequi,
Cogatque habenis ire, periturum diem.

Chorus.

Argos de Superis siquis Achaicum,
Pisæisque domos curribus inclytas,
Isthmi siquis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, et mare dissidens;
Siquis Taygeti conspicuas nives,
Quas, cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit iugis,
Æstas veliferis solvit Etasiis;
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheos, stadio notus Olympico;
Advertat placidum numen, et arceat
Alternas scelerum, ne redeant, vices,
Neu succedat avo deterior nepos:
Et maior placeat culpa minoribus.
Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum satis est. Fas valuit nihil,
Aut commune nefas. Proditus occidit
Deceptor domini Myrtilus, et fide
Vectus, qua tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. Notior
Nulla est Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio,
Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis victima concidit;
Divisusque tua est, Tantale, dextera,
Mensas ut strueres hospitibus Deis.
Hos æterna fames prosequitur cibos,
Hos æterna sitis; nec dapibus feris
Decerni potuit pœna decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus:
Impendet capiti plurima noxio
Phineis avibus præda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat,
Et curvata suis fœtibus, ac tremens,
Alludit patulis arbor hiatibus:
Hæc, quamvis avidus, nec patiens moræ,
Deceptus toties, tangere negligit;
Obliquatque oculos, oraque comprimit,
Inclusisque famem dentibus alligat;
Sed tunc divitias omne nemus suas
Demittit propius, pomaque desuper
Insultant foliis mitia languidis;
Accenduntque famem; quæ iubet irritas
Exercere manus. Has ubi protulit,
Et falli libuit, totus in arduum
Auctumnus rapitur, silvaque mobilis.
Instat deinde sitis non levior fame;
Qua cum percaluit sanguis, et igneis
Exarsit facibus, stat miser obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, sterili deficiens vado;
Conantemque sequi, deserit: hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

ACTUS II. *Atreus, Satelles.*

A. Ignave, iners, enervis, et (quod maximum
Probrum tyranno rebus in summis reor)
Inulte, post tot scelera, post fratris dolos,
Fasque omne ruptum, questibus vanis agis
Iratus Atreus? Fremere iam totus tuis
Debebat armis orbis, et geminum mare
Utrimque classes agere: iam flammis agros
Lucere et urbes decuit; ac strictum undique
Micare ferrum. Tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite: non silvæ tegant
Hostem, nec altis montium structæ iugis
Arces. Relictis, bellicum totus canat
Populus, Mycenis. Quisquis invisum caput
Tegit ac tuetur, clade funesta occidat.
Hæc ipsa pollens incluti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age, anime! fac quod nulla posteritas probet,
Sed nulla taceat. Aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum esse mallet. Scelera non ulcisceris,
Nisi vincis: et quid esse tam sævum potest,
Quod superet illum? Numquid abiectus iacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? Novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest; frangi potest.
Proin, antequam se firmet, aut vires paret,
Petatur ultro; ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit: in medio est scelus
Positum occupanti. *S.* Fama te populi nihil
Adversa terret? *A.* Maximum hoc regni bonum est,
Quod facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quam laudare. *S.* Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At, qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis quam voce laudari volet.
A. Laus vera et humili sæpe contingit viro;
Non, nisi potenti, falsa. Quod nolunt, velint.
S. Rex velit honesta; nemo non eadem volet.
A. Ubicumque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. *S.* Ubi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est. *A.* Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt: qua iuvat, reges eant.
S. Nefas nocere vel malo fratri puta.
A. Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.

Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? Coniugem stupro abstulit,
Regnumque furto: specimen antiquum imperi
Fraude est adeptus; fraude turbavit domum.
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Cuius per omne corpus effuso coma
Dependet auro; cuius e tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalici gerunt:
Possessor huius regnat: hunc cunctæ domus
Fortuna sequitur. Tuta seposita sacer
In parte carpit prata, quæ claudit lapis,
Fatale saxeo pascuum muro tegens:
Hunc, facinus ingens ausus, assumta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami, avehit:
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum.
Per regna trepidus exul erravi mea:
Pars nulla generis tuta ab insidiis vacat.
Corrupta coniux, imperi quassa est fides,
Domus ægra, dubius sanguis: est certi nihil,
Nisi frater hostis. Quid stupes? tandem incipe,
Animoque sume Tantalum, et Pelopem aspice:
Ad hæc manus exempla poscuntur meæ.
Profare, dirum qua caput mactem via.
S. Ferro peremtus spiritum inimicum exspuat.
A. De fine pœnæ loqueris: ego pœnam volo.
Perimat tyrannus lenis: in regno meo
Mors impetratur. *S.* Nulla te pietas movet?
A. Excede, pietas, si modo nostra in domo
Unquam fuisti. Dira Furiarum cohors,
Discorsque Erinnys, veniat, et geminas faces
Megæra quatiens: non satis magno meum
Ardet furore pectus: impleri iuvat
Maiore monstro. *S.* Quid novi rabidus struis?
A. Nil, quod doloris capiat assueti modum.
Nullum relinquam facinus; et nullum est satis.
S. Ferrum? *A.* Parum est. *S.* Quid ignis?
A. Etiamnum parum est.
S. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
A. Ipso Thyeste. *S.* Maius hoc ira est malum.
A. Fateor: tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusque volvit: rapior, et, quo, nescio;
Sed rapior. Imo mugit e fundo solum;
Tonat dies serenus; ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit; at moti Lares
Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas,
Quod Dî timetis. *S.* Facere quid tandem paras?
A. Nescio quid animus maius, et solito amplius,
Supraque fines moris humani, tumet,
Instatque pigris manibus: haud, quid sit, scio:
Sed grande quiddam est. Ita sit! hoc, anime, occupa.
Dignum est Thyeste facinus, et dignum Atreo.
Uterque faciat. Vidit infandas domus
Odrysia mensas. Fateor; immane est scelus,
Sed occupatum: maius hoc aliquid dolor
Inveniat. Animum, Daulis, inspira, parens,
Sororque: causa est similis: assiste, et manum
Impelle nostram. Liberos avidus pater
Gaudensque laceret, et suos artus edat.
Bene est! abunde est! hic placet pœnæ modus
Tantisper. Ubinam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? Tota iam ante oculos meos
Imago cædis errat; ingesta orbitas
In ora patris. Anime, quid rursus times?
Et ante rem subsidis? Audendum est: age!
Quod est in isto scelere præcipuum nefas,
Hoc ipse faciet. *S.* Sed quibus captus dolis,
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. *A.* Non poterat capi,
Nisi capere vellet. Regna nunc sperat mea:
Hac spe minanti fulmen occurret Iovi;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas;
Dubiumque Libycæ Syrtis intrabit fretum:
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. *S.* Quis fidem pacis dabit?
Cui tanta credet? *A.* Credula est spes improba.
Natis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hospitiis vagus
Regno ut miserias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. Si nimis durus preces
Spernet Thyestes; liberos eius rudes,
Malisque fessos gravibus, et faciles capi,
Præcomimovebunt. Hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.
S. Iam tempus illi fecit ærumnas leves.
A. Erras; malorum sensus accrescit die.
Leve est miserias ferre; perferre est grave.
S. Alios ministros consili tristis lege:
Peiora iuvenes facile præcepta audiunt:
In patre facient, quidquid in patruo doces.
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
A. Ut nemo doceat fraudis et sceleris vias,
Regnum docebit. Ne mali fiant, times?
Nascuntur. Istud, quod vocas sævum, asperum,
Agique dire credis, et nimium impie,
Fortasse et illic agitur. *S.* Hanc fraudem scient
Nati parari? *A.* Tacita tam rudibus fides
Non est in annis: detegent forsan dolos,
Tacere multis discitur vitæ malis.
S. Ipsosne, per quos fallere alium cogitas,
Falles, ut ipsi crimine et culpa vacent?
A. Quid enim est necesse liberos sceleri meo
Inserere? per nos odia se nostra explicent:
Male agis: recedis, anime! Si parcis tuis,
Parces et illi: consili Agamemnon mei
Sciens minister fiat, et patri sciens
Menelaus adsit. Prolis incertæ fides
Ex hoc petatur scelere. Si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; si patruum vocant;
Pater est. Eatur! multa sed trepidus solet
Detegere vultus; magna nolentem quoque
Consilia produnt! nesciant quantæ rei
Fiant ministri. Nostra tu cœpta occule.
S. Haud sum monendus. Ista nostro in pectore
Fides, timorque, sed magis claudet fides.

Chorus

Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis, cupidi arcium,
Regnum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ fores.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis, movet;
Non quidquid fodit Occidens,
Aut unda Tagus aurea
Claro devehit alveo;

Non quidquid Libycis terit
Ferveus area messibus;
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis;
Non Eurus rapiens mare,
Aut sævo rabidus freto
Ventosi tumor Adriæ;
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs;
Qui, tuto positus loco,
Infra se videt omnia;
Occurritque suo libens
Fato; nec queritur mori.
Reges conveniant licet,
Qui sparsos agitant Dahas;
Qui Rubri vada litoris,
Et gemmis mare lucidum
Late sanguineum tenent;
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt iuga Sarmatis:
Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi;
Et quocumque loco iacent
Seres vellere nobiles:
Mens regnum bona possidet.
Nil ullis opus est equis;
Nil armis, at inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas:
Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus.
Rex est, qui metuit nihil:
Rex est, qui cupiet nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.
Stet, quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus,
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui, notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

ACTUS III. *Thyestes, Plisthenes. Tantalus iunior, et Frater tertius, mutæ personæ.*

T. Optata patriæ tecta, et Argolicas opes,
Miserisque summum ac maximum exulibus bonum,
Tactum soli natalis, et patrios Deos
(Si sunt tamen Di) cerno; Cyclopum sacras
Turres, labore maius humano decus,
Celebrata iuveni stadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.
Occurret Argos: populus occurret frequens;
Sed nempe et Atreus! Repete silvestres fugas,
Saltusque densos potius, et mixtam feris
Similemque vitam. Clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat.
Cum, quod datur, spectabis, et dantem aspice.
Modo inter illa, quæ putant cuncti aspera,
Fortis fui, lætusque: nunc, contra, in metus
Revolvor: animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.
P. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumque versat, seque in incerto tenet.
T. Quid, anime, pendes? quidve consilium diu
Tam facile torques? Rebus incertissimis,
Fratri atque regno, credis? ac metuis mala
Iam victa, iam mansueta: et ærumnas fugis
Bene collocatas? Esse iam miserum iuvat.
Reflecte gressum, dum licet; teque eripe.
P. Quæ causa cogit, genitor, a patria gradum
Referre visa? cur bonis tantis sinum
Subducis? Ira frater abiecta redit;
Partemque regni reddit; et laceræ domus
Componit artus, teque restituit tibi.
T. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra, sed genibus labant:
Alioque, quam quo nitor, abductus feror.
Sic concitatam remige et velo ratem
Æstus, resistens remigi et velo, refert.
P. Evince, quidquid obstat, et mentem impedit:
Reducemque quanta præmia exspectent, vide.
Pater, potes regnare. *T.* Cum possim mori?
P. Summa est potestas. *T.* nulla, si cupias nihil.
P. Natis relinques. *T.* Non capit regnum duos.
P. Miser esse mavult, esse qui felix potest?
T. Mihi crede, falsis magna nominibus placent:
Frustra timentur dura. Dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. O! quantum bonum est,
Obstare nulli! capere securas dapes
Humi iacentem! Scelera non intrant casas:
Tutusque mensa capitur angusta cibus:
Venenum in auro bibitur. Expertus loquor;
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum,
Et eminentem, civitas humilis tremit;
Nec fulget altis splendidum tectis ebur;
Somnosque non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur, et retro mare
Iacta fugamus mole: non ventrem improbum
Alimus tributo gentium; nullus mihi
Ultra Getas metatur et Parthos ager:
Non thure colimur, nec meæ, excluso Iove,
Ornantur aræ: nulla, culminibus meis
Imposita, nutat silva; nec fumant manu
Succensa multa stagna: nec somno dies,
Bacchoque nox iungenda pervigili datur.
Sed non timemur: tuta sine telo est domus;
Rebusque parvis alta præstatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati.
P. Nec abnuendum est, si dat imperium Deus.
T. Nec appetendum. *P.* Frater, ut regnes, rogat.
T. Rogat? Timendum est: errat hic aliquis dolus.
P. Redire pietas, unde submota est, solet;
Reparatque vires iustas amissas amor.
T. Amat Thyesten frater? Æthereas prius
Perfundet Arctos pontus; et Siculi rapax
Consistet æstus unda, et Ionio seges
Matura pelago surget; et lucem dabit
Nox atra terris; ante cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus, fidem
Fœdusque iungent. *P.* Quam tamen fraudem times?
T. Omnem: timori quem meo statuam modum?
Tantum potest, quantum odit. *P.* In te quid potest?
T. Pro me nihil iam metuo: vos facitis mihi
Atrea timendum. *P.* Decipi cautus times?
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
T. Eatur: unum genitor hoc testor tamen:
Ego vos sequor, non duco. *P.* Respiciet Deus
Bene cogitata. Perge non dubio gradu.

Atreus, Thyestes, Plisthenes.
Tantalus Fil. et tertius Fruter, Mutæ personæ.

A. Plagis tenetur clusa dispositis fera.
Et ipsum, et uua generis invisi indolem
Iunctam parenti, cerno. Iam tuto in loco
Versantur odia: venit in nostras manus
Tandem Thyestes; venit, et totus quidem.
Vix tempero animo; vix dolor frenos capit.
Sic, cum feras vestigat, et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore; dum procul lento suem
Odore sentit, paret, et tacito locum
Rostro pererrat: præda cum propior fuit,
Cervice tota pugnat, et gemitu vocat
Dominum morantem; seque retinenti eripit.
Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi:
Tamen tegatur. Aspice, ut, multo gravis
Squalore, vultus obruat mœstos coma:
Quam fœda iaceat barba: Præstatur fides.
Fratrem iuvat videre: complexus mihi
Redde expetitus. Quidquid irarum fuit,
Transierit. Ex hoc sanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.
T. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia
Quæ credidisti. Pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. Est prorsus nocens,
Quicumque visus tam bono fratri est nocens.
Lacrymis agendum est: supplicem primus vides.
Hæ te precantur pedibus intactæ manus;
Ponatur omnis ira, et ex animo tumor
Erasus abeat: obsides fidei accipe
Hos innocentes. *A*. Frater, a genibus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete.
Vos quoque, senum præsidia, tot iuvenes, meo
Pendete collo. Squalidam vestem exue;
Oculisque nostris parce, et ornatus cape
Pares meis: lætusque fraterni imperii
Capesse partem. Maior hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum, casus est: virtus, dare.
T. Di paria, frater, pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. Regiam capitis notam
Squalor recusat noster: et sceptrum manus
Infausta refugit: liceat in media mihi
Latere turba. *A*. Recipit hoc regnum duos.
T. Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.
A. Quis influentis dona Fortunæ abnuit?
T. Expertus est quicumque quam facile effluant.
A. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?
T. Tua iam peracta gloria est; restat mea.
Respuere certum est regna consilium mihi.
A. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
T. Accipio: regni nomen impositi feram:
Sed iura et arma servient mecum tibi:
A. Imposita capiti vincla venerando gere.
Ego destinatas victimas Superis dabo.

Chorus.

Credat hoc quisquam? ferus ille et acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus, hæsit.
Nulla vis maior pietate vera est.
Iurgia externis inimica durant:
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum, magnis agitata causis,
Gratiam rupit, cecinitque bellum:
Cum leves frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis,
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem;
Opprimit ferrum; manibusque iunctis,
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium tanto subitum e tumultu
Quis Deus fecit? Modo per Mycenas
Arma civilis crepuere belli:
Pallidæ natos tenuere matres;
Uxor armato timuit marito,
Cum manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietæ.
Ille labentes renovare muros,
Hic situ quassas stabilire turres,
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat; pavidusque pinnis
Anxiæ noctis vigil incubabat.
Peior est bello timor ipse belli.
Iam minæ sævi cecidere ferri;
Iam silet murmur grave classicorum;
Iam tacet stridor litui strepentis;
Alta pax urbi revocata lætæ est.
Sic, ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum:
Scylla pulsatis resonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautæ,
Quod rapax haustum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem
Rupe ferventis residens in Ætnæ,
Ne superfusis violetur undis
Ignis æternis resonans caminis;
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laertes, Ithaca tremente;
Si suæ ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit;
Alta, quæ navis timuit secare
Hinc et hinc fusis spatiosa velis,
Strata ludenti patuere cymbæ;
Et vacat mersos numerare pisces
Hic, ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motæ.
Nulla sors longa est: dolor ac voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas.
Ima permutat levis hora summis.
Ille, qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus, et Phœbi propioris Indus,
Et Dahæ Parthis equitem minati;
Anxius sceptrum tenet; et moventes
Cuncta divinat metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quidquid a vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis;
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam Divos habuit faventeis,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Actus IV. *Nuntius, Chorus.*

N. Quis me per auras turbo præcipitem vehet,
Atraque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? O domus, Pelopi quoque
Et Tantalo pudenda! *C.* Quid portas novi?
N. Quænam ista regio est? Argos et Sparte pios
Sortita fratres? et maris gemini premens
Fauces Corinthos? an feris Ister fugam
Præbens Alanis? an sub æterna nive
Hyrcana tellus? en vagi passim Scythæ?
Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
C. Effare; et istud pande, quodcumque est malum.
N. Si steterit animus, si metu corpus rigens
Remittet artus. Hæret in vultu trucis
Imago facti. Ferte me insanæ procul
Illo, procellæ, ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. *C.* Animos gravius incertos tenes.
Quid sit, quod horres, ede, et auctorem indica.
Non quæro quis sit, sed uter: effare ocyus.
N. In arce summa Pelopeæ pars est domus
Conversa ad Austros; cuius extremum latus
Æquale monti crescit, atque urbem premit,
Et contumacem regibus populum suis
Habet sub ictu. Fulget hic, turbæ capax,
Immane tectum, cuius auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.
Arcana in imo regia secessu patet,
Alta vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni; nulla qua lætos solet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli:
Sed taxus, et cupressus, et nigra ilice
Obscura nutat silva; quam supra eminens
Despectat alte quercus, et vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidæ solent;
Hinc petere lapsis rebus et dubiis opem.
Affixa inhærent dona: vocales tubæ,
Fractique currus, spolia Myrtoi maris,
Victæque falsis axibus pendent rotæ;
Et omne gentis facinus. Hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis: hic præda hostium,
Et de triumpho picta Barbarico chlamys.
Fons stat sub umbra tristis, et nigra piger
Hæret palude. Talis est diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cœlo fidem.
Hic nocte cæca gemere ferales Deos,
Fama est: catenis lucus excussis sonat;
Ululantque Manes. Quidquid audire est metus,
Illic videtur. Errat antiquis vetus
Emissa bustis turba; et insultant loco
Maiora notis monstra. Quin tota solet
Micare flamma silva, et excelsæ trabes
Ardent sine igne. Sæpe latratu nemus
Trino remugit: sæpe simulacris domus
Attonita magnis: nec dies sedat metum:
Nox propria luco est; et superstitio inferum
In luce media regnat. Hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, et immugit specus,
Vocem Deo solvente. Quo postquam furens
Intravit Atreus liberos fratris trahens;
Ornantur aræ. Quis queat digne eloqui?
Post terga iuvenum nobiles revocat manus,
Et mœsta vitta capita purpurea ligat:
Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve salsa victimam culter mola.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. *C.* Quis manum ferro admovet?
N. Ipse est sacerdos: ipse funesta prece
Letale carmen ore violento canit.
Stat ipse ad aras: ipse devotos neci
Contrectat, et componit, et ferro admovet.
Attendit ipse: nulla pars sacri perit.
Lucus tremiscit. Tota succusso solo
Nutavit aula, dubia quo pondus daret,
Ac fluctuanti similis: e lævo æthere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens.
Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho: regium capiti decus
Bis terque lapsum est; flevit in templis ebur.
Movere cunctos monstra: sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro Deos
Terret minantes. Iamque, dimissa mora,
Assiluit aris, torvum et obliquum intuens.
Ieiuna silvis qualis in Gangeticis
Inter iuvencos tigris erravit duos,
Utriusque prædæ cupida, quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illo reflectit, et famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiæ
Speculatur iræ; quem prius mactet sibi,
Dubitat; secunda deinde quem cæde immolet.
Nec interest: sed dubitat; et sævum scelus
Iuvat ordinare. *C.* Quem tamen ferro occupat?
N. Primus locus (ne desse pietatem putes)
Avo dicatur; Tantalus prima hostia est.
C. Quo iuvenis animo, quo tulit vultu necem?
N. Stetit sui securus, et non est preces
Perire frustra passus: ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit, et penitus premens
Iugulo manum commisit. Educto stetit
Ferro cadaver: cumque dubitasset diu,
Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem sævus trahit,
Adicitque fratri: colla percussa amputat.
Cervice cæsa truncus in pronum ruit:
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
C. Quid deinde, gemina cæde perfunctus, facit?
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?
N. Silva iubatus qualis Armenia leo
In cæde multa victor armento incubat,
Cruore rictus madidus; et, pulsa fame,
Non ponit iras; hinc et hinc tauros premens,
Vitulis minatur, dente iam lasso piger;
Non aliter Atreus sævit, atque ira tumet,
Ferrumque gemina cæde perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret, infesta manu
Exegit ultra corpus. At, pueri statim
Pectore receptus, ensis in tergo exstitit.
Cadit ille, et, aras sanguine extinguens suo,
Per utrumque vulnus moritur. *C.* O sævum scelus!
N. Exhorruistis? hactenus sistat nefas;
Pius est. *C.* An ultra maius aut atrocius
Natura recipit? *N.* Sceleris hunc finem putas?
Gradus est. *C.* Quid ultra potuit? obiecit feris
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit.
N. Utinam arcuisset, ne tegat functos humus,
Ne solvat ignis! avibus epulandos licet
Ferisque triste pabulum sævis trahat;
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet.
Pater insepultos spectet. O nullo scelus
Credibile in ævo, quodque posteritas neget!
Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit;
Et adhuc calentes viscerum venas notat.

Postquam hostiæ placuere, securus vacat
Iam fratris epulis. Ipse divisum secat
In membra corpus; amputat trunco tenus
Humeros patentes, et lacertorum moras;
Denudat artus dirus, atque ossa amputat:
Tantum ora servat, et datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viscera, et lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex,
Querente aheno, iactat: impositas dapes
Transiluit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus, et pati iussus moram,
Invitus ardet. Stridet in verubus iecur:
Nec facile dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. Piceus ignis in fumos abit;
Et ipse fumus tristis, ac nebula gravis,
Non rectus, exit; seque in excelsum levans,
Ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phœbe patiens! fugeris retro licet,
Medioque ruptum merseris cœlo diem,
Sero occidisti. Lancinat natos pater,
Artusque mandit ore funesto suos.
Nitet fluente madidus unguento comam,
Gravisque vino: sæpe præclusæ cibum
Tenuere fauces. In malis unum hoc tuis
Bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.
Sed et hoc peribit. Verterit currus licet,
Sibi ipse Titan obvium ducens iter;
Tenebrisque facinus obruat tetrum novis
Nox missa ab ortu tempore alieno gravis;
Tamen videndum est: tota patefient mala.

Chorus.

Quo, terrarum Superumque parens,
Cuius ad ortus noctis opacæ
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?
Cur Phœbe tuos rapis aspectus?
Nondum, seræ nuntius horæ,
Nocturna vocat lumina Vesper;
Nondum Hesperiæ flexura rotæ
Iubet emeritos solvere currus;
Nondum, in noctem vergente die,
Tertia misit buccina signum;
Stupet ad subitæ tempora cœnæ
Nondum fessis bubus arator.
Quid te æthereo pepulit cursu?
Quæ causa tuos limite certo
Deiecit equos? Numquid, aperto
Carcere Ditis, victi tentant
Bella Gigantes? numquid Tityos
Pectore fesso renovat veteres
Saucius iras? num reiecto
Latus explicuit monte Typhoeus?
Numquid struitur via Phlegræos
Alta per hostes? et Thessalicum
Thressa premitur Pelion Ossa?
Solitæ mundi periere vices;
Nihil Occasus, nihil Ortus erit.
Stupet, Eoos assueta Deo
Tradere frenos, genitrix primæ
Roscida lucis, perversa sui
Lumina regni: nescit fessos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore iubas mergere ponto.
Ipse, insueto novus hospitio,
Sol Auroram videt occiduus,
Tenebrasque iubet surgere, nondum
Nocte parata. Non succedunt
Astra, nec ullo micat igne polus;
Nec Luna graves digerit umbras.
Sed, quidquid id est, utinam nox sit!
Trepidant, trepidant pectora magno
Percussa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent:
Iterumque Deos hominesque premat
Deforme Chaos; iterum terras,
Et mare et ignes, et vaga picti
Sidera mundi, Natura tegat.
Non æternæ facis exortu
Dux astrorum, sæcula ducens,
Dabit æstatis brumæque notas.
Non Phœbeis obvia flammis
Demet Nocti Luna timores;
Vincetque sui fratris habenas,
Curvo brevius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum
Turba Deorum.
Hic, qui, sacris pervius astris,
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno
Reddit Zephyro vela tepenti,
Aries præceps ibit in undas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyadas, secum Geminos
Trahet, et curvi brachia Cancri,
Leo, flammiferis æstibus ardens,
Iterum e cœlo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Iustæque cadent pondera Libræ;
Secumque trahent Scorpion acrem.
Et, qui nervo tenet Hæmonio
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem, gelidos
Cadet Ægoceros, frangetque tuam,
Quisquis es, Urnam: tecum excedent
Ultima cœli sidera Pisces:
Monstraque, nunquam perfusa mari,
Merget condens omnia Gurges:
Et, qui medias dividit Ursas,
Fluminis instar, lubricus Anguis:
Magnoque minor iuncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu:
Custosque sui tardus plaustri,
Iam non stabilis, ruet Arctophylax.
Nos e tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus.
In nos ætas ultima venit.
O nos dura sorte creatos,
Seu perdidimus solem miseri,
Sive expulimus! Abeant questus:
Discede, timor. Vitæ est avidus,
Quisquis non vult, mundo secum
Pereunte, mori.

ACTUS V. *Atreus.*

Æqualis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto Superos: summa votorum attigi.
Bene est! abunde est! iam sat est etiam mihi!
Sed cur satis sit? pergam, et implebo patrem
Funere suorum. Ne quid obstaret pudor,
Dies recessit: perge, dum cœlum vacat.

Utinam quidem tenere fugientes Deos
Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes viderent! Quod sat est, videat pater.
Etiam die nolente, discutiam tibi
Tenebras, miseriæ sub quibus latitant tuæ.
Nimis diu conviva securo iacet
Hilarique vultu. Iam satis mensis datum est,
Satisque Baccho. Sobrio tanta ad mala
Opus est Thyeste. Turba famularis, fores
Templi relaxa; festa pateflat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut ut spiritu expulso stupens
Corpus rigescat: fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo, sed dum fit miser.
Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpura atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens læve caput.
Eructat. O me Cælitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.
Satur est; capaci ducit argento merum.
Ne parce potu; restat etiamnum cruor
Tot hostiarum: veteris hunc Bacchi color
Abscondet: hoc hæc mensa claudatur scypho.
Mixtum suorum sanguinem genitor bibat:
Meum bibisset. Ecce, iam cantus ciet,
Festasque voces, nec satis menti imperat.

Thyestes.

Pectora, longis hebetata malis,
Iam sollicitas ponite curas.
Fugiat mœror, fugiatque pavor:
Fugiat, trepidi comes exilii,
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor afflictis. Magis, unde cadas,
Quam quo, refert. Magnum, ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano
Figere gressum: magnum, ingenti
Strage malorum pressum, fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati; nec degenerem
Victumque malis, rectum impositas
Ferre ruinas: sed iam sævi
Nubila fati pelle, ac miseri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni.
Veterem ex animo mitte Thyesten.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me revocas, festumque vetas
Celebrare diem? quid flere iubes,
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? Prohibet! prohibet!
Vernæ capiti fluxere rosæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter subitos stetit horrores!
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Mœror lacrymas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.
Libet infaustos mittere questus;
Libet et Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes; ululare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens ante, sui præsaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument,
Quos tibi luctus, quosve tumultus
Fingis demens? Credula præsta
Pectora fratri. Iam, quidquid id est,
Vel sine causa, vel sero, times.
Nolo, infelix; sed vagus intra
Terror oberrat; subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest.
Dolor, an metus est? an habet lacrymas
Magna voluptas?

Atreus, Thyestes.

A. Festum diem, germane, consensu pari
Celebremus: hic est, sceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis alliget certæ fidem.
T. Satia dapis me, nec minus Bacchi, tenet.
Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si cum meis gaudere felici datur.
A. Heic esse natos crede in amplexu patris.
Heic sunt, eruntque; nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur: ora, quæ exoptas, dabo;
Totumque turba iam sua implebo patrem.
Satieberis; ne metue: nunc, mixti meis,
Iucunda mensæ sacra iuvenilis colunt.
Sed accientur. Poculum infuso cape
Gentile Baccho. *T.* Capio fraternæ dapis
Donum: paternis vina libentur Deis;
Tunc haurientur. Sed quid hoc? non vult manus
Parere: crescit pondus, et dextram gravat.
Admotus ipsis Bacchus a labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipsa trepido mensa subsiluit solo.
Vix lucet ignis. Ipse quin æther gravis,
Inter diem noctemque desertus, stupet.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa cœli: spissior densis coit
Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit.
Fugit omne sidus. Quidquid est, fratri, precor,
Natisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella. Redde iam natos mihi.
A. Reddam; et tibi illos nullus eripiet dies.
T. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? Sentio impatiens onus;
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste, nati: genitor infelix vocat:
Adeste; visis fugiet hic vobis dolor.
Unde obloquuntur? *A.* Expedi amplexus pater.
Venere. Natos ecquid agnoscis tuos?
T. Agnosco fratrem. Sustines tantum nefas
Gestare, tellus? Non ad infernam Stygem
Te nosque mergis? rupta et ingenti via,
Ad Chaos inane regna cum rege abripis?
Non, tota ab imo tecta convellens solo,
Vertis Mycenas? Stare circa Tantalum,
Avosque nostros, siquis intra Tartara est,
Uterque iam debuimus. Hinc compagibus
Et hinc revulsis, huc tuam immani sinu
Demitte vallem, nosque defossos tege
Acheronte toto. Noxiæ supra caput
Animæ vagentur nostrum; et ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens,
Exitia supra nostra violentus fluat.
Immota tellus, pondus ignavum iaces?
Fugere Superi. *A.* At accipe hos potius libens
Diu expetitos: nulla per fratrem est mora:
Fruere: osculare: divide amplexus tribus.
T. Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?
Sic odia ponis? Non peto, incolumes pater
Natos ut habeam: scelere quod salvo dari,

Odioque, possit, frater hoc fratrem rogo;
Sepelire liceat. Redde, quod cernas statim
Uri. Nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. *A.* Quidquid e natis tuis
Superest, habebis: quodque non superest, habes.
T. Utrumne sævis pabulum alitibus iacent?
An belluis servantur? an pascunt feras?
A. Epulatus ipse es impia natos dape.
T. Hoc est, Deos quod puduit! hoc egit diem
Aversum in ortus! Quas miser voces dabo,
Questusque quos? quæ verba sufficient mihi?
Abscissa cerno capita, et avulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod avidus capere non potuit pater.
Volvuntur intus viscera, et clausum nefas
Sine exitu luctatur, et quærit viam.
Da, frater, ensem: sanguinis multum mei
Habet ille: ferro liberis demus fugam.
Negatur ensis? pectora illiso sonent
Contusa planctu. Sustine, infelix, manum;
Parcamus umbris. Tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve, Cecropiis metus
Terris, Procrustes? Genitor en natos premo,
Premorque natis. Sceleris est aliquis modus?
A. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus,
Non ubi reponas. Hoc quoque exiguum est mihi:
Et vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui, ut viventium
Biberes cruorem. Verba sunt iræ data,
Dum propero: ferro vulnera impresso dedi:
Cecidi ad aras; cæde votiva focos
Placavi; et artus, corpore exanimo amputans,
In parva carpsi frusta: et hæc ferventibus
Demersi ahenis; illa lentis ignibus
Stillare iussi: membra, nervosque abscidi
Viventibus; gracilique traiectas veru
Mugire fibras vidi, et aggessi manu
Mea ipse flammas. Omnia hæc melius pater
Fecisse potuit: cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. *T.* Clusa litoribus vagis,
Audite, maria! vos quoque audite hoc scelus,
Quocumque, Di, fugistis! audite, Inferi!
Audite, terræ! Noxque, Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca!
Tibi sum relictus: sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. Vota non faciam improba:
Pro me nihil precabor. Ecquid iam potest
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu, summe cœli rector, ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Convolve mundum: bella ventorum undique
Committe; et omni parte violentum intona:
Manuque, non qua tecta et immeritas domos
Telo petis minore: sed qua montium
Tergemina moles cecidit; et qui montibus
Stabant pares Gigantes; hæc arma expedi,
Ignesque torque. Vindica amissum diem:
Iaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. Causa, ne dubites diu,
Utrinsque mala sit: si minus, mala sit mea.
Me pete: trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte. Si natos pater
Humare, et igni tradere extremo volo,
Ego sum cremandus. Si nihil Superos movet,
Nullumque telis impios numen petit,
Æterna nox permaneat, et tenebris tegat
Immensa longis scelera. Nil, Titan, queror,
Si perseveras. *A.* Nunc meas laudo manus;
Nunc parta vera est palma. Perdideram scelus,
Nisi sic doleres. Liberos nasci mihi
Nunc credo; castis nunc fidem reddi toris.
T. Quid liberi meruere? *A.* Quod fuerant tui.
T. Natos parenti...? *A.* Fateor; et, quod me iuvat,
Certos. *T.* Piorum præsides testor Deos.
A. Quid coniugales? *T.* Scelere quis pensat scelus?
A. Scio quid queraris: scelere prærepto doles:
Nec, quod nefandas hauseris, tangit, dapes;
Quod non pararis. Fuerat hic animus tibi
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adiuvante liberos matre aggredi,
Similique leto sternere. Hoc unum obstitit;
Tuos putasti. *T.* Vindices aderunt Dei:
His puniendum vota te tradunt mea.
A. Te puniendum liberis trado tuis.

THEBAIS ALIAS PHOENISSÆ

DRAMATIS PERSONÆ

ŒDIPUS.	NUNTIUS.	POLYNICES.
ANTIGONE.	IOCASTA.	ETEOCLES.

ACTUS I. *Œdipus, Antigone.*

Œ. Cæci parentis regimen, ac fessi unicum
Patris levamen, nata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic; desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi: melius inveniam viam,
Quam quæro, solus, quæ me ab hac vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis aspectu levet
Cœlum atque terras. Quantulum hac egi manu!
Non video noxæ conscium nostræ diem:
Sed videor. Hinc iam solve inhærentem manum,
Et patere cæcum, qua volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua prærupta protendit iuga
Meus Cithæron; qua peragrato celer
Per saxa monte iacuit Actæon, suis
Nova præda canibus; qua per obscurum nemus,
Silvamque opacæ vallis, instinctas Deo
Egit sorores mater; et, gaudens malo,
Vibrante fixum prætulit thyrso caput;
Vel qua cucurrit, corpus invisum trahens,
Zethi iuvencus, qua, per horrentes rubos,
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.
Vel qua alta maria vertice immenso premit
Inoa rupes, qua, scelus fugiens suum,
Novumque faciens, mater insiluit freto,
Mersura natum, seque. Felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,
Qui me reposcit; hunc petam cursu incito:
Non hæsitabit gressus; huc omni duce
Spoliatus ibo. Quid moror sedes meas?
Mortem, Cithæron, redde; et hospitium mihi
Illud meum restitue, ut exspirem senex,
Ubi debui infans. Recipe supplicium vetus
Semper cruente, sæve, crudelis, ferox,
Cum occidis, et cum parcis. Olim iam tuum
Est hoc cadaver. Perage mandatum patris,
Iam et matris. Animus gestit antiqua exsequi
Supplicia. Quid me, nata, pestifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, sequor: iam parce! Sanguineum gerens
Insigne regni Laius rapti furit.
Et, ecce, inanes manibus infestis petit
Foditque vultus. Nata, genitorem vides?

Ego video. Tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor animi, fortis in partem tui:
Omitte pœnas languidas longæ moræ;
Mortemque totam recipe. Quid segnis traho?
Quid vivo? Nullum facere iam possum scelus?
Possum miser: prædico; discede a patre;
Discede, virgo. Timeo, post matrem, omnia.
A. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvat: nemo me comitem tibi
Eripiet unquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa magni patris e regno mea est
Pater ipse. Non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.
Non, si revulso Iupiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat.
Manum hanc remittam. Prohibeas, genitor, licet;
Regam abnuentem; dirigam inviti gradum.
In plana tendis? vado. Prærupta expetis?
Non obsto; sed præcedo. Quovis utere
Duce me: duobus omnis eligitur via.
Perire sine me non potes; mecum potes.
Heic alta rupes arduo surgit iugo,
Spectatque longe spatia subiecti maris.
Vis hanc petamus? Nudus heic pendet silex:
Heic scissa tellus faucibus ruptis hiat.
Vis hanc petamus? Heic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat.
In hunc ruamus? Dum prior, quo vis, eo:
Non deprecor, non hortor. Extingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo: si vivis, sequor.
Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca:
Victasque magno robore ærumnas doma.
Resiste: tantis in malis vinci mori est.
Œ. Unde in nefanda specimen egregium domo?
Unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
Non esset unquam, (fata bene novi mea)
Nisi ut noceret. Ipsa se in leges novas
Natura vertet; regeret in fontem citas
Revolutus undas amnis: et noctem afferet
Phœbea lampas; Hesperus faciet diem.
Ut ad miserias aliquid accedat meas;
Pii quoque erimus. Unica Œdipodæ est salus,
Non esse salvum. Liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum. Dextra, quid cessas iners
Exigere pœnas? Quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. Mitte genitoris manum,
Animosa virgo: funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exequias patris.
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente: pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. Qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori:
Nec tamen in æquo est: alterum gravius reor.
Malo imperari, quam eripi, mortem mihi.
Desiste cœpto virgo: ius vitæ ac necis
Meæ penes me est. Regna deserui libens;
Regnum mei retineo. Si fida es comes,
Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paterna. Tradis? an nati tenent
Cum regno et illum? Faciet, ubicumque est, opus.
Ibi sit: relinquo: natus hunc habeat meus,
Sed uterque. Flammas potius et vastum aggerem
Compone: in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignea funebrem escendam struem,
Pectusque solvam durum, et in cineres dabo
Hoc, quidquid in me vivit. Ubi sævum est mare?
Duc, ubi sit altis prorutum saxis iugum,
Ubi torta rapidus ducat Ismenos vada;
Duc, ubi feræ sint, ubi fretum, ubi præceps locus,
Si dux es. Illuc ire morituro placet,
Ubi sedit alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens: dirige huc gressus pedum;
Heic siste patrem. Dira ne sedes vacet,
Monstrum repone maius. Hoc saxum insidens,
Obscura nostræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo solvat. Quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus
Serpente notum, (sacra quo Dirce latet)
Supplex adoras; quisquis Eurotam bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis;
Quique Elin et Parnasson, et Bœotios
Colonus agros uberis tondes soli;
Adverte mentem; sæva Thebarum lues
Luctifica cæcis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patrisque rivalis sui,
Frater suorum liberum, et fratrum parens:
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac sibi nepotes. Monstra quis tanta explicet?
Ego ipse, victæ spolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei.
Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? Hoc animo sedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, et tenebras petere: nam sceleri hæc meo
Parum alta nox est. Tartaro condi iuvat,
Et siquid ultra Tartarum est. Tandem libet,
Quod olim oportet. Morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapso vias
Cludes? et arctis colla laqueis inseri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum auferes?
Quid ista tandem cura perficiet tua?
Ubique mors est: optime hoc cavit Deus.
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro: dextra noster et nuda solet
Bene animus uti: dextra, nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis, veni.
Non destino unum vulneri nostro locum.
Totus nocens sum: qua voles, mortem exige.
Effringe corpus; corque tot scelerum capax
Evelle: totos viscerum nuda sinus.
Fractum incitatis ictibus guttur sonet:
Laceræve fixis unguibus venæ fluant:
Aut dirige iras, quo soles. Hæc vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabe irriga.
Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu, parens, ubicumque pœnarum arbiter
Adstas mearum, (non ego hoc tantum scelus
Ulla expiari credidi pœna satis
Unquam; nec ista morte contentus fui;
Nec me redemi parte: membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige;
Nunc solvo pœnas; tunc tibi inferias dedi:
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge. Timida tum parvo caput
Libavit haustu; vixque, cupientes sequi,
Eduxit oculos. Hæret etiam nunc mihi
Ille animus, hæret, cum recusantem manum
Pressere vultus. Audies verum, Œdipe:
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam præstitisti. Nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, qua cœpit mori.

A. Pauca, o parens magnanime! miserandæ precor
Ut verba natæ mente placata audias.
Non te ut reducam veteris ad specimen domus,
Habitumque regni flore pollentem inclyto,
Peto; aut ut iras, tempore aut ipsa mora
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Et hoc deceat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. Non est ut putas virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitæ bona
Proiecit, atque abscidit, et casus suos
Oneravit ipse, cui Deo nullo est opus,
Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
Utrumque timidi est. Nemo contemsit mori,
Qui concupivit. Cuius haud ultra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis iam Deorum (velle fac) quidquam potest
Mali tuis adiicere? iam nec tu potes,
Nisi hoc, ut esse te putes dignum nece.
Non es; nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te, genitor, insontem voca,
Quod innocens es, Dis quoque invitis. Quid est
Quod te efferarit; quod novos suffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? Ut careas die?
Cares. Ut altis nobilem muris domum,
Patriamque, fugias? patria tibi vivo perit.
Natos fugis, matremque? ab aspectu omnium
Fortuna te submovit: et quidquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abscessit a te iussa. Quem, genitor, fugis?
Œ. Me fugio: fugio conscium scelerum omnium
Pectus: manumque hanc fugio, et hoc cœlum, et Deos;
Et dira fugio scelera, quæ feci innocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho?
Ego laticis haustu satior? aut ullo fruor
Almæ parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, execrabilis,
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut nati, audiam?
Utinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusque adactis omne, qua voces meant,
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, nata: iam sensum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infelix pater
Fugissem. Inhæret ac recrudescit nefas
Subinde, et aures ingerunt, quidquid mihi
Donastis, oculi. Cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis æternas? quid heic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Mixtusque superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingeni sollertis eximium decus,
Periere: cuncta sors mihi infesta abstulit.
Lacrymæ supererant; has quoque eripuit mihi.
Absiste: nullas animus admittit preces;
Novamque pœnam sceleribus quærit parem.
Et esse par quæ poterit? infanti quoque
Decreta mors est. Fata quis tam tristia
Sortitus unquam? videram nondum diem,
Uterique nondum solveram clusi moras;
Et iam timebar. Protinus quosdam editos
Nox occupavit, et novæ luci abstulit:
Mors me antecessit. Aliquis, intra viscera
Materna, letum præcoquis feti tulit:
Sed numquid et peccavit? abstrusum, abditum,
Dubiumque an essem, sceleris infandi reum
Deus egit: illo teste, damnavit parens;
Calidoque teneros transuit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris,
Avibusque sævis, quas Cithæron noxius,
Cruore sæpe regio tinctas, alit.
Sed, quem Deus damnavit abiecit pater,
Mors quoque refugit. Præstiti Delphis fidem:
Genitorem adortus impia stravi nece.
Hoc alia pietas redimet? Occidi patrem;
Sed matrem amavi: proloqui hymenæum pudet,
Tædasque nostras. Has quoque invitum pati
Te cuge pœnas: facinus ignotum, efferum,
Inusitatum, effare, quod populi horreant;
Quod esse factum nulla non ætas neget:
Quod parricidam pudeat. In patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus;
Scelerisque pretium maius accepi scelus.
Leve est paternum facinus: in thalamos meos
Deducta mater, ne parum scelerum foret,
Fecunda. Nullum crimen hoc maius potest
Natura ferre. Siquod etiamnum est tamen;
Qui facere possent, dedimus. Abieci, necis
Pretium paternæ, sceptrum; et hoc iterum manus
Armavit alias. Optime regni mei
Fatum ipse novi: nemo sine sacro feret
Illud cruore. Magna præsagit mala
Paternus animus: iacta iam sunt semina
Cladis futuræ: spernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat:
Ius ille, et icti fœderis testes Deos
Invocat, et Argos exul atque urbes movet
Graias in arma. Non levis fessis venit
Ruina Thebis: tela, flammæ, vulnera
Instant, et istis siquod est maius malum;
Ut esse genitos nemo non ex me sciat.
A. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
Hæc una abunde est, ut pater natos regas
Graviter furentes. Tu impii belli minas
Avertere unus, tuque vecordes potes
Inhibere iuvenes, civibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
Œ. Illis parentis ullus aut æqui est amor,
Avidis cruoris, imperi, armorum, doli,
Diris, scelestis; breviter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus; et pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira præcipites agat:
Nefasque nullum, per nefas nati, putant.
Non patria illos tangit afflicti pudor,
Non patria. Regno pectus attonitum furit.
Scio, quo ferantur, quanta moliri parent:
Ideoque leti quæro maturi viam,
Morique propero, dum in domo nemo est mea
Nocentior me. Nata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Unum hoc habet Fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis. Sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra. Nil grave aut miserum est mihi,
Quod te sciam voluisse. Tu tantum impera:
Hic Œdipus Ægæa tranabit freta,
Iubente te; flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; seque serpenti offeret,
Quæ sæva furto nemoris Herculeo furit;
Iubente te, præbebit alitibus iecur;
Iubente te, vel vivet. ——

Actus II. *Nuntius, Œdipus, Antigone.*

N. Exemplum in ingens regia stirpe edite,
Thebæ, paventes arma fraterna, invocant,
Rogantque, tectis arceas patriis faces.
Non sunt minæ: iam propius accessit malum;
Nam, regna repetens, frater, et pactas vices,
In bella cunctos Græciæ populos agit;
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter et bellum et nefas.
Œ. Ego ille sum, qui scelera committi vetem,
Et abstinere sanguine a caro manus
Doceam? Magister iuris et amoris pii
Ego sum? meorum facinorum exempla appetunt.
Me nunc sequuntur. Laudo, et agnosco libens:
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago clara, generosam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate: et aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc iuvet vixisse. Facietis, scio:
Sic estis orti: scelere defungi haud levi,
Haud usitato, tanta nobilitas potest.
Ferte arma: facibus petite penetrales Deos,
Frugemque flamma metite natalis soli.
Miscete cuncta: rapite in exitium omnia.
Deiicite passim mœnia; in planum date.
Templis Deos obruite; maculatos lares
Conflate. Ab imo tota considat domus:
Urbs concremetur: primus a thalamis meis
Incipiat ignis. *A.* Mitte violentum impetum
Doloris; ac te publica exorent mala;
Auctorque placidæ liberis pacis veni.
Œ. Vides modestæ deditum menti senem?
Placidæque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus ira; fervet immensum dolor;
Maiusque, quam quod casus et iuvenum furor
Conatur, aliquid cupio. Non satis est adhuc
Civile bellum: frater in fratrem ruat.
Nec hoc sat est, quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. Nemo me ex his eruat
Silvis: latebo rupis exesæ cavo,
Aut sepe densa corpus abstrusum tegam:
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et sæva fratrum bella, quod possum, audiam.

* * * * * * * *

Actus III.

* * * * * * * *

'Ακέφαλος.

Iocasta, Antigone, Nuntius.

I. Felix Agave, facinus horrendum, manu
Qua fecerat, gestavit; et spolium tulit
Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit scelus; sed misera non ultra suum
Scelus hoc cucurrit. Hoc leve est, quod sum nocens;
Feci nocentes. Hoc quoque etiamnum leve est;
Peperi nocentes. Deerat ærumnis meis,
Ut et hostem amarem. Bruma ter posuit nives,
Et tertia iam falce decubuit Ceres,
Ut exul errat natus, et patria caret,
Profugusque regum auxilia Graiorum rogat.
Gener est Adrasti, cuius imperio mare,
Quod cingit Isthmon, regitur. Hic gentes suas,
Septemque secum regna, ad auxilium trahit
Genero. Quid optem, quidve decernam, haud scio.
Regnum reposcit: causa repetentis bona est:
Mala, sic petentis. Vota quæ faciam parens?
Utrumque natum video: nil possum pie,
Pietate salva, facere. Quodcumque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam affectu pari;
Quo causa melior, sorsque deterior trahit,
Inclinat animus, semper infirmo favens.
Miseros magis fortuna conciliat suis.
N. Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisque tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis: æra iam bellum cient,
Aquilaque pugnam signifer mota vocat.
Septena reges bella dispositi parant:
Animo pari Cadmea progenies subit:
Cursu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem,
Fumoque similes campus in cœlum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit: et, si vera metuentes vident,
Infesta fulgent signa: subrectis adest
Frons prima telis; aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus;
Et impia arma mater opposita impedi.
A. Perge, o parens! et concita celerem gradum;
Compesce tela: fratribus ferrum excute.
Nudum inter enses pectus infestos tene.
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe.
I. Ibo, ibo, et armis obvium opponam caput.
Stabo inter arma. Petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem. Tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non est pius,
Incipiat a me. Fervidos iuvenes anus
Tenebo: nullum teste me fiet nefas:
Aut si aliquod, et me teste, committi potest,
Non fiet unum. *A.* Signa collatis micant
Vicina signis: clamor hostilis fremit:
Scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.
Et, ecce, motos fletibus credas meis;
Sic agmen armis segne compositis venit.
Procedit acies tarda; sed properant duces.
I. Quis me, procellæ turbine insanæ vehens,
Volucer per auras ventus æthereas aget?
Quæ Sphinx, vel atra nube subtexens diem
Stymphalis, avidis præpetem pennis feret?
Aut quæ per altas aeris rapiet vias
Harpyia, sævi regis observans famem,
Et inter acies proiiciet raptam duas?
N. Vadit furenti similis, aut etiam furit.
Sagitta qualis Parthica velox manu
Excussa fertur; qualis insano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapsa cœlo stella, cum, stringens polum,
Rectam citatis ignibus rumpit viam;
Attonita cursu fugit, et binas statim
Diduxit acies. Victa materna prece,
Hæsere bella; iamque in alternam necem
Illinc et hinc miscere cupientes manum,
Vibrata dextra tela suspensa tenent.
Paci favetur: omnium ferrum latet,
Cessatque, tectum: vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater ostendit comas;
Rogat abnuentes: irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, potest.

Actus IV. *Iocasta, Polynices, Eteocles.*

I. In me arma et ignes vertite; in me omnis ruat
Unam iuventus; quæque ab Inachio venit
Animosa muro; quæque Thebana ferox
Descendit arce. Civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.

Hæc membra passim spargite, ac divellite:
Ego utrumque peperi. Ponitis ferrum ocyus?
An dico, et ex quo? Dexteras matri date:
Date, dum piæ sunt. Error invitos adhuc
Fecit nocentes: omne Fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen. Hoc primum nefas
Inter scientes geritur. In vestra manu est,
Utrum velitis. Sancta si pietas placet,
Donate matrem pace: si placuit scelus,
Maius paratum est: media se opponit parens:
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita nunc cui mater alterna prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius?
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit: sed, pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit. Ergo iam nunquam duos,
Nisi sic, videbo? Iunge complexus prior,
Qui, tot labores totque perpessus mala,
Longo parentem fessus exilio vides.
Accede propius; clude vagina impium
Ensem; et trementem, iamque cupientem excuti,
Hastam solo defige. Maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat:
Hunc quoque repone: vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,
Et ora matri redde. Quo vultus refers,
Acieque pavida fratris observas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam.
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius hæres? an times matris fidem?
P. Timeo: nihil iam iura naturæ valent.
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. *I.* Redde iam capulo manum;
Adstringe galeam; læva se clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus mane.
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet,
Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reverso post fugam nato oscula
Vel prima, vel suprema. Dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times;
Ego utrumque, sed pro utroq. Quid strictum abnuis
Recondere ensem? qualibet gaude mora:
Id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
Vinci. Vereris fratris infesti dolos?
Quoties necesse est fallere, aut falli a suis,
Patiare potius ipse, quam facias, scelus.
Sed ne verere: mater insidias et hinc
Et rursus illinc abiget. Exoro? an patri
Invideo vestro? Veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? Hic ferrum abdidit,
Reclinis hastæ; et arma defixa incubant.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram,
Sed ante lacrymas. Teneo longo tempore
Petita votis ora. Te, profugum solo
Patrio, penates regis externi tegunt.
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere. Non te duxit in thalamos parens
Comitata primos; nec sua festas manu
Ornavit ædes, nec sua lætas faces
Vitta revinxit: dona non auri et graves
Gazas socer, non arva, non urbeis, dedit.
Dotale bellum est: hostium es factus gener,
Patria remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis,
Sine crimine exul. Nequid e fatis tibi
Deesset paternis; hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. Nate, post multos mihi
Remisse soles; nate, suspensæ metus
Et spes parentis, cuius aspectum Deos
Semper rogavi; cum tuus reditus mihi
Tantum esset erepturus adventu tuo,
Quantum daturus; quando pro te desinam,
Dixi, timere? Dixit irridens Deus,
Ipsum timebis. Nempe, nisi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, si tu non fores,
Bello carerem. Triste conspectus datur
Pretium tui, durumque: sed matri placet.
Hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars sævus audet. Hoc quoque est magnum nefas,
Tam prope fuisse. Stupeo, et exsanguis tremo,
Cum stare fratreis hinc et hinc video duos
Sceleris sub ictu: membra quassantur metu.
Quam pæne mater maius aspexi nefas,
Quam quod miser videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque iam nil tale, sum infelix tamen,
Quod pæne vidi. Per decem mensium graves
Uteri labores, perque pietatem inclytæ
Precor sororis, et per irati sibi
Genas parentis, scelere quas nullo nocens,
Erroris a se dira supplicia exigens,
Hausit; nefandas mœnibus patriis faces
Averte: signa bellici retro agminis
Flecte: ut recedas, magna pars sceleris tamen
Vestri peracta est: vidit hostili grege
Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas; vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, et excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ petunt nostras domos,
Fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
In se ruentes. Totus hoc exercitus,
Hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror,
Genitrixque vidit: nam pater debet sibi,
Quod ista non spectavit. Occurrat tibi
Nunc Œdipus, quo iudice, erroris quoque
Pœnæ petuntur. Ne, precor, ferro erue
Patriam, ac penates: neve, quas regere expetis,
Everte Thebas. Quis tenet mentem furor?
Patriam, petendo, perdis. Ut fiat tua,
Vis esse nullam? Quin tuæ causæ nocet
Ipsum hoc, quod armis uris infestis solum,
Segetesque adultas sternis, et totos fugam
Edis per agros. Nemo sic vastat sua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio iubes,
Aliena credis? Rex sit e vobis uter,
Manente regno, quærite. Hæc telis petes
Flammisque tecta? poteris has Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed, convocatus vocis et citharæ sono,
Per se ipse turres venit in summas lapis.
Hæc saxa franges victor? hinc spolia auferes,
Vinctosque duces patris æquales tui?
Matres, ab ipso coniugum raptas sinu,
Sævus catena miles imposita trahet?
Ut adulta virgo, mixta captivo gregi,
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An et ipsa, palmas vincta post tergum datas,
Mater triumphi præda fraterni vehar?
Potesne cives lætus exitio datos
Videre passim? mœnibus caris potes
Hostem admovere? sanguine et flamma potes
Implere Thebas? Tam ferum et durum geris
Sævumque in iras pectus, et nondum imperas?
Quid sceptra facient? Pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer.

P. Ut profugus errem semper? ut patria arcear,
Opemque gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si peierassem? Fraudis alienæ dabo
Pœnas; at ille præmium scelerum feret?
Iubes abire: matris imperio obsequor:
Da, quo revertar: regia frater mea
Habitet superbus; parva me abscondat casa:
Hanc da repulso. Liceat exiguo lare
Pensare regnum. Coniugi donum datus,
Arbitria thalami dura felicis feram;
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?
In servitutem cadere de regno grave est.
I. Si regna quæris, nec potest sceptro manus
Vacare sævo; multa, quæ possunt peti
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,
Qua lata terris spatia frugiferis iacent,
Et qua trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura: nec lætis minus
Mæandros arva flectit errantes aquas,
Rapidusque campos fertiles Hebrus secat.
Hinc grata Cereri Gargara, et dives solum
Quod Xanthus ambit nivibus Idæis tumens:
Hinc, qua relinquit nomen Ionii maris,
Fauces Abydi Sestos oppositæ premit:
Aut, qua latus iam propior Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:
Hæc regna ferro quære: in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret sceptro tuo
Tradatque gentes: hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. Melius exilium est tibi,
Quam reditus iste. Crimine alieno exulas,
Tuo redibis. Melius, istis viribus,
Nova regna nullo scelere maculata appetes.
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. Vade, et id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere possint. Regna cum scelere omnibus
Sunt exiliis graviora. Nunc belli mala
Propone; dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Graciæ robur trahas;
Licet arma longe miles ac late explicet;
Fortuna belli semper ancipiti in loco est,
Quodcumque Mars decernit. Exæquat duos,
Licet impares sint, gladius; et spes et metus
Sors cæca versat. Præmium incertum petis,
Certum scelus. Favisse fac votis Deos
Omnes tuis: cessere, et aversi fugam
Petiere: cives clade funesta iacent:
Obtexit agros miles. Exultes licet,
Victorque fratris spolia deiecti geras;
Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? Hunc, quem vincere infelix cupis,
Cum viceris, lugebis. Infaustas, age,
Dimitte pugnas: libera patriam metu,
Luctu parentes. *P.* Sceleris et fraudis suæ
Pœnas nefandus frater ut nullas ferat?
I. Ne metue: pœnas et quidem solvet graves.
Regnabit. *P.* Hæcne est pœna? *I.* Si dubitas, avo
Patrique crede. Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmique proles. Sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Rupta tenebat illa. Iam numeres, licet,
Fratrem inter istos. *P.* Numero: et est tanti mihi
Cum regibus iacere. *E.* Te turbæ exulum
Adscribo. *P.* Regna, dummodo invisus tuis.
E. Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum. Regis hoc magni reor,
Odia ista premere. Multa dominantem vetat
Amor suorum: plus in iratos licet.
Qui vult amari, languida regnet manu.
P. Invisa nunquam imperia retinentur diu.
E. Præcepta melius imperi reges dabunt;
Exilia tu dispone. Pro regno, velim
Patriam, penates, coniugem, flammis dare.
Imperia, pretio quolibet, constant bene.
* * * * * * * *

Deest, et magna pars huius Tragœdiæ intercidit.

HIPPOLYTUS

DRAMATIS PERSONÆ

HIPPOLYTUS. PHÆDRA. THESEUS.
CHORUS *Civium Atheniensium*
NUNTIUS. NUTRIX. FAMULI.

ACTUS I. *Hippolytus.*

Ite, umbrosas cingite silvas;
Summaque montis iuga Cecropii
Celeri planta lustrate vagi;
Quæ saxoso loca Parnethi
Subiecta iacent; et quæ, Thriasiis
Vallibus, amnis rapida currens
Verberat unda; scandite colles
Semper canos nive Rhipæa.
Hac, hac alii, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata iacent,
Quæ rorifera mulcens aura,
Zephyrus vernas evocat herbas:
[Ubi per glacies lenis Ilissus,
Ubi Mæander super æquales]
Labitur agros piger, et steriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite lævo
Saltus aperit; qua, comitatæ
Gregibus parvis, nocturna petunt
Pabula fœtæ. Vos, qua, tepidis
Subditus Austris, frigora mollit
Durus Acharnan: alius rupem
Dulcis Hymetti, parvas alius
Calcet Aphidnas. Pars illa diu
Vacat immunis, qua curvati
Litora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria silvæ,
Vocat hunc Phlyeus: hic versatur
Metus agricolis, vulnere multo
Iam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas:
Teneant acres lora Molossos.
Et pugnaces tendant Cressæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax,
Avidumque feræ) nodo cautus
Propiore liga: veniet tempus,
Cum latratu cava saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci
Captent auras lustraque presso
Quærant rostro, dum lux dubia est;
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet. Alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea penna
Vano cludat terrore feras.

Tibi libretur missile telum.
Tu grave dextra lævaque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages: tu, iam victor,
Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti, Diva virago,
Cuius regno pars terrarum
Secreta vacat: cuius certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, et quæ stanti
Ludit in Istro: tua Gætulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur cervas: nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes:
Latisque feri cornibus uri.
Quidquid solis pascitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite silva,
Sive ferocis iuga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant saltus,
Vacuisque vagus Sarmata campis,
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus, retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plaustro
Præda gementi. Tum rostra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque casas rustica longo
Turba triumpho.
En, Diva favet! Signum arguti
Misere canes: vocor in silvas.
Hac, hac pergam, qua via longum
Compensat iter.

Phædra, Nutrix.

P. O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cuius per omne litus innumeræ rates
Tenuere pontum, quidquid, Assyria tenus
Tellure, Nereus pervium rostris secat;
Cur me, in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere ætatem in malis
Lacrymisque cogis? profugus en coniux abest;
Præstatque nuptæ, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci:
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit, furoris socius. Haud illum timor,
Pudorque tenuit: stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed maior alius incubat mœstæ dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor,
Solvere curis: alitur et crescit malum,
Et ardet intus; qualis Ætnæo vapor
Exundat antro. Palladis telæ vacant;
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non, inter aras, Atthidum mixtam choris,
Iactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adiudicatæ præsidem terræ Deam.
Iuvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gæsa iaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret; infando malo
Correpta, pecoris efferi sævum ducem
Audax amasti. Torvus, impatiens iugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid: quis meas miseræ Deus,
Aut quis iuvare Dædalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopia potens,
Qui nostra cæca monstra conclusit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem.
Stirpem perosa Solis invisi, Venus
Per nos catenas vindicat Martis sui,
Suasque; probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis. Nulla Minois levi
Defuncta amore est: iungitur semper nefas.
N. Thesea coniux, clara progenies Iovis,
Nefanda casto pectore exturba ocyus:
Extingue flammas: neve te diræ spei
Præbe obsequentem. Quisquis in primo obstitit,
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, iugum.
Nec me fugit, quam durus et veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcumque dederit exitum casus, feram.
Fortem facit vicina libertas senem.
Obstare primum est velle, nec labi via:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas,
Superasque matrem? Maius est monstro nefas;
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.
Si, quod maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, et vacuum metu;
Erras. Teneri crede Lethæo abditum
Thesea profundo, et ferre perpetuam Styga;
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populisque reddit iura centenis, pater,
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura: credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas;
Quid ille, rebus lumen infundens suum,
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans corusca fulmen Ætnæum manu,
Sator Deorum? Credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia, ut lateas, avos?
Sed, ut secundus numinum abscondat favor
Coitus nefandos, utque contingat stupro,
Negata magnis sceleribus semper, fides;
Quid pœna præsens, consciæ mentis pavor,
Animusque culpa plenus, et semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impii flammas, precor,
Nefasque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.
Expelle facinus mente castifica horridum;
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris et nati apparas,
Uteroque prolem capere confusam impio?
Perge, et nefandis verte naturam ignibus.
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa? *P.* Quæ memoras, scio
Vera esse, nutrix: sed furor cogit sequi
Peiora. Vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens.
Sic, cum gravatam navita adversa ratem
Propellit unda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.

Quod ratio poscit, vicit, ac regnat, furor;
Potensque tota mente dominatur Deus.
Hic Volucer omni regnat in terra potens;
Ipsumque flammis torret indomitis Iovem.
Gradivus istas belliger sensit faces;
Opifex trisulci fulminis sensit Deus;
Et, qui furentes semper Ætnæis iugis
Versat caminos, igne tam parvo calet:
Ipsumque Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit sagitta certior missa puer:
Volitatque cœlo pariter et terræ gravis.
N. Deum esse Amorem, turpis et vitio favens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit! ille, per cœlum volans,
Proterva tenera tela molitur manu;
Regnumque tantum minimus e Superis habet!
Vana ista demens animus adscivit sibi;
Venerisque numen finxit, atque arcus Dei.
Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetit.
Tunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit, libido: non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis [cibus.]
Cur in penates rarius tenues subit
Hæc delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque sanos vulgus affectus tenet,
Et se coercent modica? contra, divites,
Regnoque fulti, plura, quam fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Quid deceat alto præditam solio, vides.
Metue ac verere sceptra remeantis viri.
P. Amoris in me maximum regnum fero;
Reditusque nullos metuo. Non unquam amplius
Convexa tetigit supera, qui, mersus semel,
Adiit silentem nocte perpetua domum.
N. Ne crede Diti. Clauserit regnum licet,
Canisque diras Stygius observet fores:
Solus negatas invenit Theseus vias.
P. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
N. Immitis etiam coniugi castæ fuit.
Experta sævam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti coniugem iratum puta:
Quis huius animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminæ nomen fugit:
Immitis annos cœlibi vitæ dicat.
Connubia vitat: genus Amazonium scias.
P. Hunc, in nivosi collis hærentem iugis,
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet.
N. Resistet ille, seque mulcendum dabit,
Castosque ritus Venere non casta exuet?
Tibi ponet odium, cuius odio forsitan
Persequitur omnes? *P.* Precibus haud vinci potest?
N. Ferus est. *P.* Amore didicimus vinci feros.
N. Fugiet. *P.* Per ipsa maria, si fugiat, sequar.
N. Patris memento. *P.* Meminimus matris simul.
N. Genus omne profugit. *P.* Pellicis careo metu.
N. Aderit maritus. *P.* Nempe Pirithoi comes.
N. Aderitque genitor. *P.* Mitis Ariadnæ pater.
N. Per has senectæ splendidas supplex comas,
Fessumque curis pectus, et cara ubera,
Precor, furorem siste, teque ipsam adiuva.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
P. Non omnis animo cessit ingenuo pudor.
Paremus, altrix. Qui regi non vult, amor
Vincatur. Haud te, fama, maculari sinam.
Hæc sola ratio est, unicum effugium mali.
Virum sequamur: morte prævertam nefas.
N. Moderare, alumna, mentis effrenæ impetus:
Animos coerce. Dignam ob hoc vita reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
P. Decreta mors est: quæritur fati genus;
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem,
An missa præceps arce Palladia cadam.
Pro! castitatis vindicem armemus manum.
N. Sic te senectus nostra præcipiti sinat
Perire leto? siste furibundum impetum.
P. [Haud facile quisquam ad vitam revocari potest.]
Prohibere ratio nulla periturum potest,
Ubi, qui mori constituit, et debet mori.
N. Solamen annis unicum fessis, hera,
Si tam protervus incubat menti furor,
Contemne famam: fama vix vero favet,
Peius merenti melior, et peior bono.
Tentemus animum tristem et intractabilem.
Meus iste labor est, aggredi iuvenem ferum,
Mentemque sævam flectere immitis viri.

Chorus.

Diva, non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul et sagittis,
Iste lascivus puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem;
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax isti puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Quæque nascentem videt ora Solem,
Quæque ad Hesperias iacet ora metas,
Siqua ferventi subiecta Cancro est,
Siqua Parrhasiæ glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus. Iuvenum feroces
Concitat flammas: senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus;
Et iubet cœlo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores,
Ipse qui cœlum nebulasque ducit!
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cycno:
Fronte nunc torva petulans iuvencus,
Virginum stravit sua terga ludo,
Perque fraternos, nova regna, fluctus,
Ungula lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum,
Pro sua vector timidus rapina.
Arsit obscuri Dea clara mundi,
Nocte deserta; nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, et gyro breviore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis:
Passus aptari digitis smaragdos,

Et dari legem rudibus capillis,
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco;
Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Persis, ditisque ferax
Lydiæ regni, deiecta feri
Terga leonis, humerisque, quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis, (credite læsis)
Nimiumque potens. Qua terra salo
Cingitur alto, quaque æthereo
Candida mundo sidera currunt;
Hæc regna tenet puer immitis;
Spicula cuius sentit in imis
Cœrulus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti, quam magna gerunt,
Grege pro toto, bella iuvenci!
Si coniugi timuere suo,
Poscunt timidi prœlia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, et toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum movit amor: tum silva gemit
Murmure sævo.
Amat insani bellua ponti,
Lucæque boves. Vindicat omnes
Natura sibi: nihil immune est:
Odiumque perit, cum iussit amor:
Veteres cedunt ignibus iræ.
Quid plura canam? vincit sævas
Cura novercas.

Actus II. *Chorus, Nutrix, Phædra.*

C. Altrix, profare, quid feras? quonam in loco est
Regina? sævis ecqui est flammis modus?
N. Spes nulla tantum posse leniri malum;
Finisque flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tacito; et, inclusus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis; et lapsæ genæ
Lucem recusant. Nil idem dubiæ placet;
Artusque varie iactat incertus dolor.
Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput:
Nunc se quieti reddit; et, somni immemor,
Noctem querelis ducit; attolli iubet,
Iterumque poni corpus; et solvi comas,
Rursusque fingi. Semper impatiens sui
Mutatur habitus. Nulla iam Cereris subit
Cura, aut salutis. Vadit incerto pede,
Iam viribus defecta: non idem vigor;
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura. Iam gressus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui ferebant signa Phœbeæ facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lacrymæ cadunt per ora, et assiduo genæ
Rore irrigantur; qualiter Tauri iugis
Tepido madescunt imbre percussæ nives.
Sed, en patescunt regiæ fastigia:
Reclinis ipsa sedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non sana abnuit.
P. Removete, famulæ, purpura atque auro illitas
Vestes: procul sit muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt:
Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet:
Sic temere iactæ colla perfundant comæ
Humerosque summos; cursibus motæ citis,
Ventos sequantur. Læva se pharetræ dabit;
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, et nodo comas
Coegit emisitque, lunata latus
Protecta pelta: talis in silvas ferar.
N. Sepone questus: non levat miseros dolor.
Agreste placa virgini numen Deæ.
Regina nemorum, sola quæ monteis colis,
Et una solis montibus coleris Dea,
Converte tristes ominum in melius minas.
O magna silvas inter et lucos Dea,
Clarumque cœli sidus, et noctis decus,
Cuius relucet mundus alterna face,
Hecate triformis! en, ades cœptis favens.
Animum rigentem tristis Hippolyti doma.
Amare discat; mutuos ignes ferat;
Det faciles aures. Mitiga pectus ferum:
Innecte mentem: torvus, aversus ferox,
In iura Veneris redeat. Huc vires tuas
Intende: sic te lucidi vultus ferant,
Et, nube rupta, cornibus puris eas.
Sic te, regentem frena nocturni ætheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;
Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata! iam faves votis, Dea.
Ipsum intuor sollenne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. Quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus. Utendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere: verum iusta, qui reges timet,
Deponat: omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regii imperii pudor.

Hippolytus, Nutrix.

H. Quid huc seniles fessa moliris gradus,
O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta vultus? Sospes est certe parens,
Sospesque Phædra, stirpis et geminæ iugum.
N. Metus remitte: prospero regnum in statu est;
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse pœnis gravibus infestus domas.
Quem fata cogunt, ille cum venia est miser:
At, siquis ultro se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona,
Queis nescit uti. Potius, annorum memor,
Mentem relaxa: noctibus festis facem
Attolle: curas Bacchus exoneret graves.
Ætate fruere: mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus; grata nunc iuveni Venus.
Exsultet animus. Cur toro viduo iaces?
Tristem iuventam solve: nunc luxus rape:
Effunde habenas: optimos vitæ dies
Effluere prohibe. Propria descripsit Deus
Officia, et ævum per suos ducit gradus.
Lætitia iuvenem, frons decet tristis senem.

Quid te coerces, et necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcumque lætis tenera luxuriat satis.
Arborque celso vertice evincet nemus,
Quam non maligna cædit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, et silvester, et vitæ inscius,
Tristem iuventam, Venere deserta, colis
Hoc esse munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? cursibus domitent equos,
Et sæva bella Marte sanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi Parens,
Cum tam rapaces cerneret Fati manus,
Ut damna semper sobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus;
Orbis iacebit squalido turpis situ;
Vacuum sine ullis classibus stabit mare;
Alesque cælo deerit, et silvis fera,
Solis et aer pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt
Carpuntque turbam; pontus, et ferrum, et doli!
Sed fata credas deesse; sic atram Styga
Iam petimus ultro. Cælibem vitam probet
Sterilis iuventus; hoc erit, quidquid vides,
Unius ævi turba, et in semet ruet.
Proinde vitæ sequere naturam ducem:
Urbem frequenta; civium cœtus cole.
H. Non alia magis est libera, et vitio carens,
Ritusque melius vita quæ priscos colat,
Quam quæ, relictis mœnibus, silvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem iugis;
Non aura populi, et vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno servit; aut, regno imminens,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes;
Spei metusque liber. Haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit:
Nec scelera populos inter atque urbes sita
Novit; nec omnes conscius strepitus pavet:
Haud verba fingit. Mille non quærit tegi
Dives columnis; nec trabes multo insolens
Suffigit auro. Non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec sparsi sacra
Centena nivei colla submittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, et aperto æthere
Innocuus errat. Callidas tantum feris
Struxisse fraudes novit; et, fessus gravi
Labore, niveo corpus Ilisso fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit;
Nunc nemoris alti densa metatur loca,
Ubi Lerna puro gelida pellucet vado:
Sedemque mutat. Heic aves querulæ fremunt;
Ramique ventis lene percussi tremunt.
Veteresque fagi. Iuvit aut amnis vagi
Pressisse ripas, cæspite aut nudo leves
Duxisse somnos, sive fons largus citas
Defundit undas; sive per flores novos,
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
Excussa silvis poma compescunt famem;
Et fraga, parvis vulsa dumetis, cibos
Faciles ministrant. Regios luxus procul
Est impetus fugisse. Sollicito bibunt
Auro superbi: quam iuvat nuda manu
Captasse fontem! Certior somnus premit
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta et obscuro improbus
Quærit cubili; seque multiplici, timens,
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teste cælo vivit. Hoc equidem reor
Vixisse ritu, prima quos mixtos Deis
Profudit ætas. Nullus his auri fuit
Cæcus cupido: nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.
Nondum secabant credulæ pontum rates:
Sua quisque norat maria. Non vasto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma sæva miles aptabat manu:
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Ballista portas: iussa nec dominum pati,
Iuncto ferebat terra servitium bove:
Sed arva, per se fœta, poscentes nihil
Pavere gentes. Silva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps, quæque succensas agit
Libido mentes. Venit imperii sitis
Cruenta: factus præda maiori minor:
Pro iure vires esse. Tum primum manu
Bellare nuda: saxaque et ramos rudes
Vertere in arma. Non erat gracili levis
Armata ferro cornus, aut longo latus
Mucrone cingens ensis, aut cristæ procul
Galeæ comantes: tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis. Hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, et rubuit mare.
Tum scelera, demto fine, per cunctas domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dextera nati parens,
Cecidit; maritus coniugis ferro iacet;
Perimuntque fœtus impiæ matres suos.
Taceo novercas: mitius nil est feris.
Sed dux malorum femina: hæc scelerum artifex
Obsedit animos, cuius incestæ stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ: sola coniux Ægei,
Medea, reddit feminas dirum genus.
N. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?
H. Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor;
Odisse placuit. Ignibus iunges aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis: ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem;
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quam victus animum feminæ mitem geram.
N. Sæpe obstinatis induit frenos amor,
Et odia mutat. Regna materna aspice.
Illæ feroces sentiunt Veneris iugum.
Testaris istud unicus gentis puer.
H. Solamen unum matris amissæ fero,
Odisse quod iam feminas omnes licet.
N. Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, et lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.
Quo se dabit fortuna? quo verget furor?
Terræ repente corpus exanimum accidit;
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus, en, alumna, temet Hippolytus tenet.

Phædra, Hippolytus, Nutrix, Famuli.

P. Quis me dolori reddit, atque æstus graves

Reponit animo? quam bene exciderem mihi!
Cur dulce munus redditæ lucis fugis?
Aude, anime; tenta, perage mandatum tuum.
Intrepida constent verba. Qui timide rogat,
Docet negare. Magna pars sceleris mei
Olim peracta est: serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda: si cœpta exsequor,
Forsan iugali crimen abscondam face.
Honesta quædam scelera successus facit.
En, incipe; anime. Commodes paulum precor
Secretus aures. Si quis est, abeat, comes.
H. En, locus ab omni liber arbitrio vacat.
P. Sed ora cœptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit; at maior tenet.
Vos testor, omnes Cœlites, hoc, quod volo,
Me nolle.
H. Animusne, cupiens aliquid, effari nequit?
P. Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.
H. Committe curas auribus, mater, meis.
P. Matris superbum est nomen, et nimium potens.
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca;
Famulamque potius. Omne servitium feram.
Non me, per altas ire si iubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non, si per ignes ire et infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra: me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet iussa exsequi.
Muliebre non est regna tutari urbium:
Tu, qui iuventæ flore primævo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, supplicem ac servam tege.
Miserere viduæ. *H.* Summus hoc omen Deus
Avertat! Aderit sospes actutum parens.
P. Regni tenacis dominus et tacitæ Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi forte amori placidus et Pluton sedet.
H. Illum quidem æqui Cœlites reducem dabunt.
Sed, dum tenebit vota in incerto Deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te merebor; esse ne viduam putes:
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
P. O spes amantum credula! O fallax amor!
Satisne dixit? Precibus admotis agam.
Miserere: tacitæ mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetque. *H.* Quodnam istud malũ est?
P. Quod in novercam cadere vix credas malum.
H. Ambigua voce verba perplexa iacis;
Effare aperte. *P.* Pectus insanum vapor
Amorque torret: intimas sævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat,
Visceribus ignis mersus, et venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.
H. Amore nempe Thesei casto furis.
P. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Cum prima puras barba signaret genas,
Monstrique cæcam Gnossii vidit domum,
Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit! presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat pudor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori;
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei;
Tuusque potius: talis, en, talis fuit,
Cum placuit hosti; sic tulit celsum caput.
In te magis refulget incomtus decor,
Et genitor in te totus: et torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus.
In ora Graio Scythicus apparet rigor.
Si, cum parente, Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacumque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas;
Te genitor, at me natus. En, supplex iacet
Allapsa genibus regiæ proles domus.
Respersa labe nulla, et intacta, innocens,
Tibi mutor uni. Certa descendi ad preces:
Finem hic dolori faciet, aut vitæ, dies.
Miserere amantis. *H.* Magne regnator Deum!
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando sæva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? Omnis impulsus ruat
Æther, et atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus. Tuque, sidereum caput
Radiate, tantum ne nefas stirpis tuæ
Speculere, lucem merge, et in tenebras fuge.
Cur dextra, Divum rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulca mundus ardescit face?
In me tona: me fige: me velox cremet
Transactus ignis. Sum nocens: merui mori:
Placui novercæ: dignus, en, stupris ego
Scelereque tanto visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O maius ausa matre monstrifera malum,
Genitrice peior! Illa se tantum stupro
Contaminavit, et tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit nota,
Scelusque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans: ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, et peremit, et leto dedit
Odium dolusque! Genitor, invideo tibi.
Colchide noverca maius hoc, maius malum est.
P. Et ipsa nostræ fata cognosco domus:
Fugienda petimus: sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum, sequar,
Rupesque, et amnes, unda quos torrens rapit.
Quacumque gressus tuleris, hac amens agar.
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
H. Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus. Quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis: merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Læva reflexi. Iustior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens Dea.
P. Hippolyte, nunc me compotem voti facis:
Sanas furentem. Maius hoc voto meo est,
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
H. Abscede; vive; ne quid exores; et hic
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris. O silvæ! O feræ!
N. Deprensa culpa est. Anime, quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus. Scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste, Athenæ! fida famulorum manus,
Fer opem! nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitque: mortis intentat metum:

Ferro pudicam terret. En, præceps abit,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.
Pignus tenemus sceleris. Hanc mœstam prius
Recreate. Crinis tractus, et laceræ comæ,
Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notæ.
Referte in urbem. Recipe iam sensus, hera.
Quid, te ipsa lacerans, omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

Chorus.

Fugit insanæ similis procellæ,
Ocyor nubes glomerante Coro,
Ocyor cursum rapiente flamma,
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama, miratrix senioris ævi:
Pulchrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coeunte cornu
Iunxit, et curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda Phœbe;
Nec tenent stellæ faciem minores:
Qualis est, primas referens tenebras,
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu, thyrsigere Liber ab Indis,
Intonsa iuvenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas:
Nec vultus nimium suspicias tuos.
Omnes per populos fabula distulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit soror.
Anceps, forma, bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor,
Sævit solstitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis,
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ;
Ut fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur; nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax. Quis sapiens bono
Confidat fragili? Dum licet, utere.
Tempus te tacitum subruet; horaque
Semper præterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis. Te nemore abdito,
Cum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Naides improbæ,
Formosos solitæ claudere fontibus;
Et somnis facient insidias tuis
Lascivæ nemorum Deæ,
Montivagique Panes:
Aut, te stellifero despiciens polo,
Sidus, post veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit; nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos, solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus. Tu fueras labor,
Et tu causa moræ. Te Dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius;
Hæc solem facies rarius appetat;
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercili!
Phœbo colla licet splendida compares:
Illum cæsaries, nescia colligi,
Perfundens humeros, ornat et integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege iacens. Tu licet asperos
Pugnacesque Deos viribus erceas
Et vasti spatio vincere corporis.
Æquas Herculeos iam iuvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis vehi,
Frenis, Castorea mobilior manu,
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis iaculum dirige viribus;
Tam longe, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In cœlum placeat, nulla sine alite
Descendent, tepido viscere condita:
Prædam de mediis nubibus afferes.
Raris forma viris (secula prospice)
Impunita fuit: te melior Deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
Deformis senii monstret imaginem.
Quid sinat inausum feminæ præceps furor?
Nefanda iuveni crimina insonti parat.
En scelera! quærit crine lacerato fidem:
Decus omne turbat capitis: humectat genas.
Instruitur omni fraude feminea dolus.
Sed iste quisnam est, regium in vultu decus
Gerens, et alto vertice attollens caput?
Ut ora iuveni paria Pirithoo gerit!
Ni languido candore pallerent genæ,
Staretque recta squalor incultus coma.
En, ipse Theseus redditus terris adest.

ACTUS III. *Theseus, Nutrix.*

T. Tandem profugi noctis æternæ plagam,
Vastoque Manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum sufferunt oculi diem!
Iam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
Paremque toties Libra composuit diem,
Ambiguus ut me sortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis et vitæ mala.
Pars una vitæ mansit extincto mihi,
Sensus malorum: finis Alcides fuit,
Qui, cum revulsum Tartaro extraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret;
Trepidantque gressus. Heu! labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariterque mortem fugere, et Alciden sequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. Luctus, et lacrymæ, et dolor,
In limine ipso mœsta lamentatio,
Hospitio digna prorsus inferno hospite.
N. Tenet obstinatum Phædra consilium necis,
Fletusque nostros spernit, ac morti imminet.
T. Quæ causa leti? reduce cur moritur viro?
N. Hæc ipsa letum causa maturum attulit.
T. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
N. Haud pandit ulli: mœsta secretum occulit,
Statuitque secum ferre, quo moritur, malum.

Iam perge, quæso, perge: properato est opus.
T. Reserate clusos regii postes laris.

Theseus, Phædra, Famuli.

T. O socia thalami! siccine adventum viri,
Et expetiti coniugis vultum excipis?
Quin ense viduas dexteram? atque animum mihi
Restituis? et, te quidquid e vita fugat,
Expromis? *P.* Eheu! per tui sceptrum imperi,
Magnanime Theseu, perque natorum indolem,
Tuosque reditus, perque iam cineres meos,
Permitte mortem. *T.* Causa quæ cogit mori?
P. Si causa leti dicitur, fructus perit.
T. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
P. Aures pudica coniugis solas timet.
T. Effare: fido pectore arcana occulam.
P. Alium silere quod voles, primus sile.
T. Leti facultas nulla continget tibi.
P. Mori volenti deesse mors nunquam potest.
T. Quod sit luendum morte delictum, indica.
P. Quod vivo. *T.* Lacrymæ nonne te nostræ movent?
P. Mors optima est perire lacrymandum suis.
T. Silere pergit. Verbera ac vinclis anus
Altrixque prodet, quidquid hæc fari abnuit.
Vincite ferro: verberum vis extrahat
Secreta mentis. *P.* Ipsa iam fabor; mane.
T. Quidnam ora mœsta avertis, et lacrymas genis
Subito coortas veste prætenta obtegis?
P. Te, te, creator Cœlitum, testem invoco,
Et te, coruscum lucis ætheree iubar,
Ex cuius ortu nostra dependet domus,
Tentata precibus restiti: ferro ac minis
Non cessit animus: vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.
T. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?
P. Quem rere minime. *T.* Quis sit, audire expeto.
P. Hic dicet ensis, quem, tumultu territus,
Liquit stuprator, civium accursum timens.
T. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum in-
Regale parvis asperum signis ebur, (tuor?
Capulo refulget gentis Actææ decus.
Sed ipse quonam evasit? *P.* Hi trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

Theseus.

Pro, sancta Pietas! pro, Gubernator poli,
Et qui secundum fluctibus regnum moves!
Unde ista venit generis infandi lues?
Hunc Graia tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phasis? redit ad auctores genus;
Stirpemque primam degener sanguis refert.
Est prorsus iste gentis armiferæ furor,
Odisse Veneris fœdera, et castum diu
Vulgare populis corpus. O tetrum genus,
Nullaque victum lege melioris soli!
Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.
Ubi vultus ille, et ficta maiestas viri,
Atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens,
Morumque senium triste, et aspectu grave?
O vita fallax! abditos sensus geris;
Animisque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum; vera fallaces probant:
Simulantque molles dura. Silvarum incola
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reservas? A meo primum toro,
Et scelere tanto, placuit ordiri virum?
Iam iam superno numini grates ago,
Quod icta nostra cecidit Antiope manu;
Quod non ad antra Stygia descendens tibi
Matrem reliqui. Profugus ignotas procul
Percurre gentes. Te licet terra ultimo
Submota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque nostris pedibus obversum colas;
Licet, in recessu penitus extremo abditus,
Horrifera celsi regna transieris poli;
Hiemesque supra positus et canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Post te furentes, sceleribus pœnas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam.
Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia,
Emetiemur: nullus obstabit locus.
Scis, unde redeam. Tela quo mitti haud queunt,
Huc vota mittam. Genitor æquoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam Deo;
Et invocata munus hoc sanxit Styge.
En, perage donum triste, regnator freti.
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem;
Adeatque Manes iuvenis iratos patri.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, et Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci. Redde nunc pactam fidem,
Genitor. Moraris? cur adhuc undæ silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; sidera et cœlum eripe.
Effunde pontum: vulgus æquoreum cie,
Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.

Chorus.

O magna parens Natura Deum,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent silvas; nunc arbustis
Redeant umbræ; nunc æstivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant; viresque suas
Temperet annus? Sed cur idem,
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus, abes, non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cæca, peiora fovens.
Vincit sanctos dira libido:
Fraus sublimi regnat in aula:
Tradere turpi fasces populus
Gaudet; eosdem colit, atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti: castos sequitur
Mala paupertas; vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor, falsumque decus!
Sed quid citato nuntius portat gradu,
Rigatque mœstis lugubrem vultum genis?

ACTUS IV. *Nuntius, Theseus.*

N. O sors acerba et dura famulatus gravis,

Cur me ad nefandos nuntiam casus vocas?
T. Ne metue clades fortiter fari asperas:
Non imparatum pectus ærumnis gero.
N. Vocem dolori lingua luctificam negat.
T. Proloquere, quæ sors aggravet quassam domum.
N. Hippolytus (heu me!) flebili leto occubat.
T. Natum parens obiisse iampridem scio:
Nunc raptor obiit: mortis effare ordinem.
N. Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem citatis passibus cursum explicans,
Celsos sonipedes ocyus subigit iugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, et patrium solum
Abominatus, sæpe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permissis quatit;
Cum subito vastum tonuit ex alto mare,
Crevitque in astra. Nullus inspirat salo
Ventus: quieti nulla pars cœli strepit;
Placidumque pelagus propria tempestas agit.
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furenti pontus exsurgit sinu
Regnante Coro. Saxa cum fluctu tremunt;
Et cana summum spuma Leucaten ferit.
Consurgit ingens pontus in vastum aggerem;
Tumidumque monstro pelagus in terram ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues:
Terris minatur. Fluctus haud cursu levi
Provolvitur. Nescio quid onerato sinu
Gravis unda portat: quæ novum tellus caput
Ostendit astris; Cyclas exoritur nova.
Latuere rupes, numen Epidaurii Dei,
Et scelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum stupentes querimur, en, totum mare
Immugit: omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat expulso sale;
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas;
Qualis per alta vehitur Oceani freta,
Fluctus refundens ore, physeter capax.
Inhorruit concussus undarum globus;
Solvitque sese, et litori invexit malum
Maius timore. Pontus in terras ruit,
Suumque monstrum sequitur: os quassat tremor.
T. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
N. Cærulea taurus colla sublimis gerens
Erexit altam fronte viridanti iubam.
Stant hispidæ aures, cornibus varius color,
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus. Hinc flammam vomit;
Oculi hinc relucent: cærula insignis nota
Opima cervix arduos tollit toros:
Naresque hiulcis haustibus patulæ fremunt:
Musco tenaci pectus ac palear viret:
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus ultima in monstrum coit
Facies, et ingens bellua immensam trahit
Squamosa partem. Talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet aut reddit rates.
Tremuere terræ: fugit attonitum pecus
Passim per agros; nec suos pastor sequi
Meminit iuvencos: omnis e saltu fera
Diffugit: omnis, frigido exsanguis metu,
Venator horret. Solus immunis metu,
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notæ vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris:
Heic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, seque prætentans, satis
Prolusit iræ, præpeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum:
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci natus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, et magnum intonat;
Haud frangit animum vanus hic terror meum;
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum: iamque deerrantes via,
Quacumque pavidos rapidus evexit furor,
Hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat: ora nunc pressis trahit
Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coercet. Sequitur assiduus comes,
Nunc æqua carpens spatia; nunc contra obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit ultra fugere: nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum vero pavida sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur iugo
Eripere; rectique in pedes iactant onus.
Præceps in ora fusus, implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus: et quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus; at, curru levi,
Dominante nullo, qua timor iussit ruunt.
Talis per auras, non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem,
Phaethonta currus devio excussit polo.
Late cruentat arva, et illisum caput
Scopulis resultat. Auferunt dumi comas;
Et ora durus pulchra populatur lapis;
Peritque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotæ.
Tandemque raptum truncus ambusta sude
Medium per inguen stipite erecto tenet;
Paulumque domino currus affixo stetit.
Hæsere biiuges vulnere, et pariter moram
Dominumque rumpunt. Inde semianimem secant
Virgulta: acutis asperi vepres rubis,
Omnisque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros, funebris, famuli, manus,
Per illa, qua distractus Hippolytus, loca
Longum cruenta tramitem signat nota:
Mœstæque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. Hoccine est formæ decus?
Qui modo, paterni clarus imperii comes.
Et certus hæres, siderum fulsit modo,
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur! *T.* O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium; amissum fleo.
N. Haud quisquam honeste flere, quod voluit, potest.
T. Equidem malorũ maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
N. Et, si odia servas, cur madent fletu genæ?
T. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

Chorus.

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis Fortuna furit;
Leviusque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies,
Præbetque senes casa securos.

Admota ætbereis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumque Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus. Tremuit telo
Iovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens cœlo Iupiter alto
Vicina petit. Non capit unquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis
Mobilis alis hora: nec ulli
Præstat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumque diem nocte relicta,
Luget mœstos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Actææ veneranda genti,
Quod tuus cœlum superosque Theseus
Spectat, et fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoque vecors Phædra quid ferro parat?

ACTUS V. *Theseus, Phædra.*

T. Quis te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis iste, quidve vociferatio,
Planctusque supra corpus invisum, volunt?
P. Me, me, profundi sæve dominator freti,
Invade, et in me monstra cœrulei maris
Emitte; quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper! o nunquam ad tuos
Tuto reverse! natus et genitor nece
Reditus tuos luere. Pervertis domum,
Amore semper coniugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos?
Talesque feci? membra quis sævus Sinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius
Dædalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulsit? Heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? exanimis iaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. Hac manu pœnas tibi
Solvam, et nefando pectori ferrum inseram;
Animaque Phædram pariter ac scelere exuam;
Et te, per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos, amens sequar.
Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos iungere: at certe licet
Iunxisse fata. Morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. Coniugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro?
O Mors, amoris una sedamen mali!
O Mors, pudoris maximum læsi decus!
Confugimus ad te: pande placatos sinus.
Audite, Athenæ; tuque, funesta pater
Peior noverca. Falsa memoravi; et nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi. Vana punisti pater;
Iuvenisque castus crimine incestæ iacet;
Pudicus, insons. Recipe iam mores tuos;
Mucrone pectus impium iusto patet;
Cruorque sancto solvit inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens,
Disce ex noverca: condere Acherontis plagis.

Theseus, Chorus.

T. Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus,
Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,
Impiũ rapite, atque mersũ premite perpetuis malis.
Nunc adeste, sæva ponti monstra, nunc vastũ mare,
Ultimo quodcumq; Proteus æquorũ abscondit sinu,
Meque ovantẽ scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ,
Morte facili dignus haud sum, qui nova natum nece
Segregem sparsi per agros; quique, dum falsum nefas
Exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.
Sidera et Manes, et undas scelere complevi meo.
Amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.
In hoc redimus? patuit ad cœlum via,
Bina ut viderem funera, et geminam necem?
Cœlebs et orbus, funebres una face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos?
Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus: ereptos mihi
Restitue Manes. Impius frustra invoco
Mortem relictam. Crudus, et leti artifex,
Exitia machinatus insolita effera,
Nunc tibimet ipse iusta supplicia irroga.
Pinus, coacto vertice attingens humum,
Cœlo remissum findat in geminas trabes;
Mittarve præceps saxa per Scironia.
Graviora vidi, quæ pati clusos iubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado;
Quæ pœna maneat memet et sedes, scio.
Umbræ nocentes, cedite; et cervicibus
His, his repositum degravet fessas manus
Saxum, seni perennis Æolii labor:
Me ludat amnis ora vicina alluens:
Vultur relicto transvolet Tityo ferus;
Meumque pœnæ semper accrescat iecur.
Et tu mei requiesce Pirithoi pater:
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce, tellus; recipe me, dirum chaos,
Recipe: hæc ad umbras iustior nobis via est.
Natum sequor: ne metue, qui Manes regis;
Casti venimus. Recipe me æterna domo
Non exiturum. Non movent Divos preces:
At, si rogarem scelera, quam proni forent!
C. Theseu, querelis tempus æternum manet.
Nunc iusta nato solve, et absconde ocyus
Dispersa fœde membra laniatu effero.
T. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Pondusque, et artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? Crimen agnosco meum.
Ego te peremi: neu nocens tantum semel
Solusve fierem, facinus ausurus parens,
Patrem advocavi. Munere, en, patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de nato est super,
Miserande, mœsto pectore incumbens, fove.
Disiecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, et errantes loco
Restitue partes. Fortis heic dextræ locus;
Heic læva frenis docta moderandis manus
Ponenda: lævi lateris agnosco notas.
Quam magna lacrymis pars adhuc nostris abest?

Durate trepidæ lugubri officio manus;
Fletusque largos sistite, arentes genæ,
Dum membra nato genitor annumerat suo,
Corpusque fingit. Hoc quid est, forma carens,
Et turpe multo vulnere abruptum undique?
Quæ pars tui sit, dubito; sed pars est tui.
Heic, heic repone, non suo, at vacuo loco.
Hæccine illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata! numinum o sævus favor!
Sic ad parentem natus ex voto redit?
En, hæc suprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus. Interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerba cæde funestam domum;
Mopsopia claris tota lamentis sonet.
Vos apparate regii flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. Istam terra defossam premat;
Gravisque tellus impio capiti incubet.

OEDIPUS

DRAMATIS PERSONÆ

ŒDIPUS, IOCASTA, CREON, CHORUS *Thebanorum*, TIRESIAS, MANTO, SENEX, PHORBAS, NUNTIUS.

ACTUS I. *Œdipus, Iocasta.*

Œ. Iam nocte Titan dubius expulsa redit,
Et nube mœstum squalida exoritur iubar,
Lumenque flamma triste luctifica gerens,
Prospiciet avida peste solatas domos,
Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum!
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Ut alta ventos semper excipiunt iuga:
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris;
Imperia sic excelsa Fortunæ obiacent.
Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram,
Curis solutus, exul, intrepidus, vagans!
Cælum Deosque testor, in regnum incidi.
Infanda timeo; ne mea genitor manu
Perimatur. Hoc me Delphicæ laurus monent:
Aliudque nobis maius indicant scelus.
Est maius aliquod patre mactato nefas?
Pro, misera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus et diros toros
Nato minatur, impia incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.
Non ego penates profugus excessi meos.
Parum ipse fidens mihimet, in tuto tua,
Natura posuit iura. Cum magna horreas,
Quæ posse fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expavesco, meque non credo mihi.
Iamiam aliquid in nos Fata moliri parant.
Nam quid rear, quod ista Cadmeæ lues
Infesta genti strage tam late edita,
Mihi parcit uni? Cui reservamur malo?
Inter ruinas urbis, et semper novis
Deflenda lacrymis funera, ac populi struem,
Incolumis adsto. Scilicet, Phœbi reus,
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? fecimus cœlum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda; non Zephyri leves
Spirant; sed ignes auget æstiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeæi premens.
Deseruit amnes humor, atque herbas color;
Aretque Dirce, tenuis Ismenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix unda vada.
Obscura cœlo labitur Phœbi soror;
Tristisque mundus nubilo pallet novo.
Nullum serenis noctibus sidus micat:
Sed gravis et ater incubat terris vapor.
Obtexit arces Cœlitum ac summas domos
Inferna facies. Denegat fructum Ceres
Adulta; et, altis flava cum spicis tremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter et sexus ruit;
Iuvenesque senibus iungit, et natis patres,
Funesta pestis: una fax thalamos cremat;
Fletuque acerbo funera et questu carent.
Quin ipsa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos: quodque in extremis solet,
Periere lacrymæ. Portat hunc æger parens
Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit;
Properatque, ut alium repetat in eumdem rogum.
Quin, luctu in ipso, luctus exoritur novus;
Suæque circa funus exequiæ cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis: nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt:
Arsisse satis est: pars quota in cineres abit?
Deest terra tumulis: iam rogos silvæ negant.
Non vota, non ars ulla, correptos levant:
Cadunt medentes; morbus auxilium trahit.
Affusus aris, supplices tendo manus,
Matura poscens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem; neve post omnes cadam
Fiamque regni funus extremum mei.
O sæva nimium numina! O fatum grave!
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata? Sperne letali manu
Contacta regna: linque lacrymas, funera,
Tabifica cœli vitia; quæ tecum invehis
Infaustus hospes: profuge iamdudum ocyus
Vel ad parentes. *I.* Quid iuvat, coniux, mala
Gravare questu? regium hoc ipsum reor,
Adversa capere; quoque sit dubius magis
Status, et cadentis imperii moles labat,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile, terga Fortunæ dare.
Œ. Abest pavoris crimen ac probrum procul;
Virtusque nostra nescit ignavos metus.
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret; adversus feros
Audax gigantes obvias ferrem manus.
Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis
Fugi: cruentos vatis infandæ tuli
Rictus, et albens ossibus sparsis solum.
Cumque e superna rupe, iam prædæ imminens,
Aptaret alas verbere, et, caudam movens,
Sævi leonis more, conciperet minas,
Carmen poposci. Sonuit horrendum: insuper
Crepuere malæ: saxaque, impatiens moræ,
Revulsit unguis, viscera expectans mea.
Nodosa sortis verba, et implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solvi feræ.
I. Quid sera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire. Laudis hoc pretium tibi
Sceptrum, et peremtæ Sphingis hæc merces datur.
Œ. Ille, ille dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat: illa nunc Thebas lues
Peremta perdit. Una iam superest salus,
Si quam salutis Phœbus ostendit viam.

Chorus.

Occidis, Cadmi generosa proles,
Urbe cum tota: viduas colonis
Respicis terras, miseranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille, Bacche,
Miles, extremos comes usque ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere et mundo tua signa primo.
Cinnami silvis Arabas beatos
Vidit, et versas equitis sagittas,
Terga fallacis metuenda Parthi.
Litus intravit pelagi Rubentis.
Promit hic ortus, aperitque lucem
Phœbus, et flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictæ genus interimus;
Labimur sævo rapiente fato;
Ducitur semper nova pompa Morti.
Longus ad Manes properatur ordo
Agminis mœsti; seriesque tristis
Hæret; et turbæ tumulos petenti
Non satis septem patuere portæ.
Stat gravis strages, premiturque iuncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues male carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis. Patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta cervix:
Nec cruor ferrum maculavit: atra
Turpis e plaga sanies profusa est.
Segnior cursu, sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ:
Taurus, armenta pereunte, marcet.
Deficit pastor, grege deminuto,
Tabidos inter moriens iuvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces:
Cessat irati fremitus leonis:
Nulla villosis feritas in ursis:
Perdidit pestem latebrosa serpens;
Aret, et sicco moritur veneno.
Non silva sua decorata coma
Fundit opacis montibus umbras:
Non rura virent ubere glebæ:
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba Sororum face Tartarea:
Phlegethonque sua motam ripa
Miscuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, et omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymba
Flumina servat durus senio
Navita crudo, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.
Quin Tænarei vincula ferri
Rupisse canem fama, et nostris
Errasse locis; mugisse solum;
Vaga per lucos simulacra virum
Maiora viris; bis Cadmeum,
Nive discussa, tremuisse nemus;
Bis turbatam sanguine Dircen;
Nocte silenti
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! Piger ignavos
Alligat artus languor; et ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparsere leves: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit;
Multoque genas sanguine tendit;
Oculique rigent; at sacer ignis
Pascitur artus. Resonant aures;
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, et venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. Tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant:
Quos liberior domus, elato
Custode, sinit, petitis fontes;
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata iacet turba per aras,
Oratque mori. Solum hoc faciles
Tribuere Dei. Delubra petunt,
Haud ut voto numina placent;
Sed iuvat ipsos satiare Deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit?
Adestne clarus sanguine ac factis Creo?
An æger animus falsa pro veris videt?
Adest petitus omnibus votis Creo.

ACTUS II. *Œdipus, Creon.*

Œ. Horrore quatior, fata quo vergant, timens;
Trepidumque gemino pectus eventu labat.
Ubi læta, duris mixta, in ambiguo iacent,
Incertus animus, scire cum cupiat, timet.
Germane nostræ coniugis, fessis opem
Siquam reportas, voce properata edoce.
C. Responsa dubia sorte perplexa latent.
Œ. Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.
C. Ambage nexa Delphico mos est Deo
Arcana tegere. *Œ.* Fare, sit dubium licet:
Ambigua soli noscere Œdipodæ datur.
C. Cædem expiari regiam exilio Deus,
Et interemtum Laium ulcisci iubet.
Non ante cœlo lucidus curret dies,
Haustusque tutos ætheris puri dabit.
Œ. Ecquis peremtor incyti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phœbus, ut pœnas luat.
C. Sit, precor, dixisse tutum visu et auditu horrida.
Torpor insedit per artus; frigidus sanguis coit.
Ut sacrata templa Phœbi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite submisi manus,
Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit;
Imminens Phœbea laurus tremuit, et movit domum;
Ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
Incipit [Lethæa] vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum. Contigit nondum specum;
Emicat, vasto fragore, maior humano sonus:
» Mitis Cadmæis remeabunt sidera Thebis,
» Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
» Regis cæde nocens, Phœbo iam notus et infans.
» Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis.
» Tecum bella geres; natis quoque bella relinques,
» Turpis maternos iterum revolutus in ortus. »
Œ. Quod facere, monitu Cœlitum iussus, paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus.
Queritur peremtum nemo, quem incolumem timet.

C. Curam peremti maior excussit timor.
Œ. Pium prohibuit ullus officium metus?
C. Sphinx, et nefandi carminis tristes minæ.
Œ. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis Deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem iura præcipitis poli;
Tuque, o sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula evolvis rota;
Sororque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phœbe; quique, ventorum potens,
Æquor per altum cæruloscurrus agis;
Et qui carentes luce disponis domos,
Adeste. Cuius Laius dextra occidit,
Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat, et prole impia.
Hic et parentem dextera perimat sua;
Faciatque (numquid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi. Non erit veniæ locus:
Per regna iuro, quæque nunc hospes gero,
Et quæ reliqui; perque Penetrales Deos;
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrimque nostro geminus alludis solo.
Et ipse nostris vocibus testis veni,
Fatidica vatis ora Cirrheæ movens.
Ita molle senium ducat, et summum diem
Securus alto reddat in solio parens,
Solasque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla sontem gratia eripiet mihi.
Sed, quo nefandum facinus admissum loco est,
Memorate: aperto Marte, an insidiis, iacet?
C. Frondifera sanctæ nemora Castaliæ petens,
Calcavit arctis obsitum dumis iter,
Trigeminus qua se spargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Unde altus ima deserit, cœlum petens,
Clementer acto colle, Parnassos biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arva: tertius trames, cava
Convalle serpens, tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Elei vadum.
Hic pace fretum subita prædonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phœbea excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat genu,
Comesque Manto luce viduatum trahens.

Œdipus, Tiresias, Manto.

Œ. Sacrate Divis, proximum Phœbo caput,
Responsa solve: fare, quem pœnæ petant.
T. Quod tarda fatu est lingua, quod quærit moras,
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet:
Visu carenti magna pars veri latet.
Sed, quo vocat me patria, quo Phœbus, sequar.
Fata eruantur. Si foret viridis mihi
Calidusque sanguis, pectore exciperem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depressum iugo.
Tu, lucis inopem, nata, genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
M. Opima sanctas victima ante aras stetit.
T. In vota Superos voce sollemni voca,
Arasque dono thuris Eoi extrue.
M. Jam thura sacris Cœlitum ingessi focis.
T. Quid flamma, largas iamne comprendit dapes?
M. Subito refulsit lumine, at subito occidit.
T. Utrumne clarus ignis et nitidus stetit,
Rectusque purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
M. Non una facies mobilis flammæ fuit:
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata, picto nuntiat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisve sit, dubites, color.
Cærulea fulvis mixta oberravit notis,
Sanguinea rursus; ultima in tenebras abit.
Sed, ecce, pugnax ignis in partes duas
Discedit; et se scindit unius sacri
Discors favilla. Genitor, horresco intuens:
Libata Bacchi dona permutat cruor;
Ambitque densus regium fumus caput:
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sorditam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. *T.* Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitæ vagos?
Quidnam loquar? Sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, et truces iras tegunt?
Pudet Deos nescioquid. Huc propere admove,
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra et admotas manus
Patiuntur? *M.* Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem;
Trepidusque vultum solis et radios fugit.
T. Unone terram vulnere afflicti petunt?
M. Iuvenca ferro semet [imposito] induit,
Et vulnere uno cecidit: at taurus, duos
Perpessus ictus, huc et huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
T. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas, cruor?
M. Huius per ipsam, qua patet pectus, viam
Effusus amnis: huius exiguo graves
Maculantur ictus imbre: sed, versus retro,
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
T. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
M. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta; sed totas manus
Quatiunt: novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet;
Liventque venæ: magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat iecur.
Ac, semper omen unico imperio grave,
En, capita paribus bina consurgunt toris;
Sed utrumque cæsum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit: has omnes, retro
Prohibens reverti, limes obliquus secat.
Mutatus ordo est: sede nil propria iacet;
Sed acta retro cuncta. Non animæ capax,
In parte dextra pulmo sanguineus iacet:
Non læva cordis regio: non molli ambitu
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.
Natura versa est: nulla lex utero manet.
Scrutemur unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem. Membra cum gemitu movet:
Tremulo rigore debiles artus micant:
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum:
Et inane surgit corpus; ac sacros petit

Cornu ministros. Viscera effugiunt manum!
Neque ipsa, quæ te pepulit, armenti gravis
Vox est; nec usquam territi resonant greges:
Immugit aris ignis, et trepidant foci.
Œ. Quid ista sacri signa terrifici ferant,
Exprome: voces aure non timida hauriam.
Solent suprema facere securos mala.
T. His invidebis, quibus opem quæris, malis.
Œ. Memora, quod unum scire Cœlicolæ volunt,
Contaminarit rege quis cæso manus.
T. Nec alta cœli quæ levi penna secant,
Nec fibra vivis rapta pectoribus potest
Ciere nomen: alia tentanda est via.
Ipse evocandus noctis æternæ plagis,
Emissus Erebo, ut cædis auctorem indicet.
Reseranda tellus: Ditis implacabile
Numen precandum: populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. Ede, cui mandes sacrum.
Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Invisere umbras. *Œ*. Te, Creo, hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
T. Dum nos profundæ claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

Chorus.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Lucidum cœli decus, huc ades votis,
Mollia Nisæis armatæ brachia thyrsis,
Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ
Palmis supplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput:
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas,
Avidumque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra;
Hederave mollem baccifera
Religare frontem;
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto revocare nodo;
Qualis, iratam metuens novercam,
Creveras, falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.
Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga vasta terræ,
Qui bibit Gangen, niveumque quisquis
Frangit Araxen.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis.
Condita lascivi deducunt orgia mystæ.
Te Bassaridum comitata cohors,
Nunc Edoni pede pulsavit
Sola Pangæi; nunc Threicio
Vertice Pindi, nunc Cadmeas
Inter matres, impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Nebride sacra præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam: thyrsumque levem
Vibrante manu, iam post laceros
Pentheos artus, Thyades, œstro
Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi;
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino.
Ius habet in fluctus magni puer advena ponti,
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palæmon.
Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,
Et tumidum Nereus posuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus:
Garrula per ramos avis obstrepit:
Vivaces hederas ramus tenet:
Summa ligat vitis carchesia:
Idæus prora fremuit leo:
Tigris puppe sedet Gangetica.
Tum pirata freto pavidus natat;
Et nova demersos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus;
Illisumque utero pectus coit:
Parvula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curvo subit:
Lunata scindit cauda mare,
Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.
Divite Pactolos vexit te Lydius unda,
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terræ te Dacum feroces;
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes, quasque Mæotis
Alluit gentes frigida fluctu:
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos:
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacæ graves catervæ;
Positis tandem levibus sagittis,
Mænades factæ: sacer et Cithæron
Sanguine inundavit,
Ophioniaque cæde.
Prœtides silvas petiere; et Argos
Præsente Bacchum coluit noverca.
Naxos, Ægæo redimita ponto,
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.
Pumice sicco
Fluxit Nyctelius latex:
Garruli gramen secuere rivi:
Combibit dulces humus alta succos,
Niveique lactis candida fontes,
Et mixto odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta cœlo.
Sollemne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit tædas geminus Cupido
Telum deposuit Iupiter igneum;
Oditque, Baccho veniente, fulmen.
Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus,
Altaque cæruleum dum Nerea nesciet Arctos,
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.

ACTUS III. *Œdipus, Creon.*

Œ. Etsi ipse vultus flebiles præfert notas,
Expone, cuius capite placemus Deos.
C. Fari iubes, tacere quæ suadet metus.
Œ. Si te ruentes non satis Thebæ movent,
At sceptra moveant lapsa cognatæ domus.

C. Nescisse cupies, nosse quæ nimium expetis.
Œ. Iners malorum remedium ignorantia est.
Itane et salutis publicæ indicium obrues?
C. Ubi turpis est medicina, sanari piget.
Œ. Audita fare; vel, malo domitus gravi,
Quid arma possint regis irati, scies.
C. Odere reges dicta, quæ dici iubent.
Œ. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tua.
C. Tacere liceat. Nulla libertas minor
A rege petitur. *Œ.* Sæpe, vel lingua magis,
Regi atque regno muta libertas obest.
C. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
Œ. Imperia solvit, qui tacet, iussus loqui.
C. Coacta verba placidus accipias, precor.
Œ. Ulline pœna vocis expressæ fuit?
C. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger,
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupressus, altis exerens silvis caput,
Virente semper alligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus et putres situ
Annosa ramos. Huius abrupit latus
Edax vetustas: illa, iam fessa cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.
Amara baccas laurus; et tiliæ leves;
Et Paphia myrtus; et per immensum mare
Motura remos alnus; et Phœbo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget; et, magno ambitu
Diffusa ramos, una defendit nemus.
Tristis sub illa, lucis et Phœbi inscius,
Restagnat humor, frigore æterno rigens.
Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus. Præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, et super rapti rogis
Iaciuntur ignes. Ipse funesto integit
Vates amictu corpus, et frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squalente cultu mœstus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus adstringit comam.
Nigro bidentes vellere, atque atræ boves,
Retro trahuntur. Flamma prædatur dapes;
Vivumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Manes; teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus:
Carmenque magicum volvit, et rabido minax
Decantat ore quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. Sanguinem libat focis;
Solidasque pecudes urit, et multo specum
Saturat cruore. Libat et niveum insuper
Lactis liquorem; fundit et Bacchum manu
Læva; canitque rursus, et, terram intuens,
Graviore Manes voce et attonita ciet.
Latravit Hecates turba: ter valles cavæ
Sonuere mœstum: tota, succusso solo,
Pulsata tellus. Audior, vates ait;
Rata verba fudi: rumpitur cæcum Chaos;
Iterque populo Ditis ad superos datur.
Subsedit omnis silva, et erexit comam.
Duxere rimas robora; et totum nemus
Concussit horror. Terra se retro dedit,
Gemuitque penitus; sive tentari abditum
Acheron profundum mente non æqua tulit;
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
Compage rupta sonuit; aut ira furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subito dehiscit terra, et immenso sinu
Laxata patuit. Ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras; ipse torpentes lacus,
Noctemque veram. Gelidus in venis stetit
Hæsitque sanguis. Sæva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervæ dente Dircæo satæ,
Avidumque, populi pestis Ogygii, malum.
Tum torva Erinnys sonuit, et cæcus Furor,
Horrorque, et una quidquid æternæ creant
Celantque tenebræ; Luctus avellens comam,
Ægreque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, et pendens Metus.
Nos liquit animus: ipsa, quæ ritus senis
Artesque norat, stupuit. Intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus: illico, ut nebulæ leves,
Volitant, et auras libero cœlo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx;
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nectitur densum globo:
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta, gelidi Strymonis fugiens minas,
Permutat hiemes ales, et, cœlum secans,
Tepente Nilo pensat Arctoas nives;
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidæ latebras nemoris umbrosi petunt
Animæ trementes. Primus emergit solo,
Dextra ferocem cornibus taurum premens,
Zethus, manuque sustinens læva chelyn,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Interque natos Tantalis tandem suos
Tuto superba fert caput fastu gravi,
Et numerat umbras. Peior hac genitrix adest,
Furibunda Agave; tota quam sequitur manus
Partita regem: sequitur et Bacchas lacer
Pentheus, tenetque sævus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,
Celatque semet. Instat, et Stygias preces
Geminat, sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius: fari horreo,
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtentus comam,
Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Cruore semper læta cognato, domus!
Vibrate thyrsos: enthea natos manu
Lacerate potius. Maximum Thebis scelus
Maternus amor est. Patria, non ira Deum,
Sed scelere, raperis. Non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio æthere
Satiata tellus halitu sicco nocet;
Sed rex cruentus; pretia qui sævæ necis,
Sceptra, et nefandos occupat thalamos patris,
Invisa proles, (sed tamen peior parens
Quam natus, utero rursus infausto gravis),
Egit qui in ortus semel; et matri impios
Fœtus regessit; quique vix mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit; implicitum malum;
Magisque monstrum Sphinge perplexum sua.
Te, te, cruenta sceptra qui dextra geris,
Te pater inultus, urbe cum tota, petam;
Et mecum Erinnys pronubas thalami traham;
Traham sonantes verbera: incestam domum
Vertam, et Penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocyus
Agite exulem. Quodcumque funesto gradu
Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas; spiritus puros dabit
Vitalis aura: veniet et silvis decor.

Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,
Comitatus illo dignus, excedent simul:
Et ipse rapidis gressibus sedes volet
Effugere nostras: sed graves pedibus moras
Addam, et tenebo. Repet incertus viæ,
Baculo senili triste prætentans iter.
Præripite terras: auferam cœlum pater.
Œ. Et ossa et artus gelidus invasit tremor.
Quidquid timebam facere, fecisse arguor.
Tori iugalis abnuit Merope nefas,
Sociata Polybo: sospes absolvit manus
Polybus meas: uterque defendit parens
Cædem, stuprumque: quis locus culpæ est super?
Multo ante Thebæ Laium amissum gemunt,
Bœota gressus quam meo tetigi loca.
Falsusne senior, an Deus Thebis gravis?
Iamiam tenemus callidi socios doli.
Mentitur ista, præferens fraudi Deos,
Vates, tibique sceptra despondet mea.
C. Egon' ut sororem regia expelli velim?
Si me fides sacrata cognati Iaris
Non contineret in meo certum statu;
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. Liceat hoc tuto tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Iam te minore tutior pones loco.
Œ. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea
Tam gravia regna? *C.* Suadeam hoc illis ego,
In utrumque queis est liber etiam nunc status.
Tibi iam necesse est ferre fortunam tuam.
Œ. Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, et otium ac somnum loqui.
Ab inquieto sæpe simulatur quies.
C. Parumne me tam longa defendit fides?
Œ. Aditum nocendi perfido præstat fides.
C. Solutus onere regio, regni bonis
Fruor; domusque civium cœtu viget;
Nec ulla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratia nostra salus.
Quid tam beatæ desse fortunæ rear?
Œ. Quod deest. Secunda non habent unquã modum.
C. Incognita igitur ut nocens causa cadam?
Œ. Num ratio vobis reddita est vitæ meæ?
Num audita causa est nostra Tiresiæ? tamen
Sontes videmur. Facitis exemplum; sequor.
C. Quid si innocens sum? *Œ.* Dubia pro certis solent
Timere reges. *C.* Qui pavet vanos metus,
Veros meretur. *Œ.* Quisquis in culpa fuit,
Dimissus odit omne, quod dubium putat.
C. Sic odia fiunt. *Œ.* Odia qui nimium timet,
Regnare nescit: regna custodit metus.
C. Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes: metus in auctorem redit.
Œ. Servate sontem saxeo inclusum specu:
Ipse ad penates regios referam gradum.

Chorus.

Non tu tantis causa periclis;
Non hæc Labdacidas premunt
Fata; sed veteres Deum
Iræ sequuntur. Castalium nemus
Umbram Sidonio præbuit hospiti;
Lavitque Dirce Tyrios colonos;
Ut primum magni natus Agenoris,
Fessus per orbem furta sequi Iovis,
Sub nostra pavidus constitit arbore,
Prædonem venerans suum;
Monituque Phœbi, iussus erranti
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi iuga curva plaustri,
Deseruit fugas, nomenque genti
Inauspicata de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monstra semper
Protulit tellus. Aut anguis, imis
Vallibus editus, annosa supra
Robora sibilat, supraque pinus,
Supra Chaonias celsior arbores,
Cœruleum arexit caput,
Cum maiore sui parte recumberet;
Aut fœta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo classicum cornu;
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit ære. Ante non linguas
Agiles et ora vocis ignotæ
Clamore primum hostico experti,
Agmina campos cognata tenent;
Dignaque iacto semine proles,
Uno ætatem permensa die,
Post Luciferi usta meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis advena monstris;
Populique timet bella recentis;
Donec cecidit sæva iuventus;
Genitrixque suo reddi gremio
Modo productos vidit alumnos.
Hæc transierit civile nefas:
Illa Herculeæ norint Thebæ
Prœlia fratrum:
Quid Cadmei fata nepotis,
Cum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere suum?
Præceps silvas montesque fugit
Citus Actæon; agilique magis
Pede per saltus et saxa vagus,
Metuit motas Zephyris plumas;
Et, quæ posuit, retia vitat;
Donec fontis in unda
Cornua vidit vultusque feros,
Ubi virgineos foverat artus
Nimium sævi Diva pudoris.

ACTUS IV. *Œdipus, Iocasta.*

Œ. Curas revolvit animus, et repetit metus.
Obiisse nostro Laium scelere autumant
Superi Inferique: sed animus contra innocens,
Sibique melius quam Deis notus, negat.
Redit memoria tenue per vestigium,
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium,
Datumque Diti, cum prior iuvenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul,
Phocæa trifidas regio qua scindit vias.
Unanima coniux, explica errorem, precor,
Quæ spatia moriens Laius vitæ tulit.
Primone in ævo viridis, an fracto, occidit?
I. Inter senem iuvenemque; sed propior seni.
Œ. Frequensne turba regium cinxit latus?
I. Plures fefellit error ancipitis viæ;
Paucos fideles curribus iunxit labor.
Œ. Aliquisne cecidit regio fato comes?
I. Unum fides virtusque consortem addidit.
Œ. Teneo nocentem: convenit numerus, locus:
Sed tempus adde. *I.* Decima iam metitur seges:

Senex, Œdipus.

S. Corinthius te populus in regnum vocat
Patrium. Quietem Polybus æternam obtinet.
Œ. Ut undique in me sæva Fortuna irruit!
Edissere agedum, quo cadat fato parens.
S. Animam senilem mollis exsolvit sopor.
Œ. Genitor, sine ulla cæde defunctus iacet:
Testor; licet iam tollere ad cœlum pie
Puras, nec ulla scelera metuentes, manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
S. Omnem paterne regna discutient metum.
Œ. Repetam paterna regna; sed matrem horreo.
S. Metuis parentem, quæ, tuum reditum expetens,
Sollicita pendet? *Œ.* Ipsa me pietas fugat.
S. Viduam relinques? *Œ.* Tangis, en, ipsos metus.
S. Effare, mersus quis premat mentem timor.
Præstare tacitam regibus soleo fidem.
Œ. Connubia matris Delphico admonitu tremo.
S. Timere vana desine, et turpes metus
Depone. Merope vera non fuerat parens.
Œ. Quod subditivi præmium nati petit?
S. [Regnum: superbam liberi adstringunt fidem].
Œ. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
S. Hæ te parenti parvulum tradunt manus.
Œ. Tu me parenti tradis? at quis me tibi?
S. Pastor nivoso sub Cithæronis iugo.
Œ. In illa temet nemora quis casus tulit?
S. Illo sequebar monte cornigeros greges.
Œ. Nunc adice certas corporis nostri notas.
S. Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
Œ. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. *S.* Regios pavit greges.
Minor sub illo turba pastorum fuit.
Œ. Eloquere nomen. *S.* Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
Œ. Potesne facie noscere ac vultu virum?
S. Fortasse noscam: sæpe iam spatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
Œ. Ad sacra et aras omne compulsum pecus
Duces sequantur. Ite propere, arcessite,
Famuli, penes quos summe consistit gregum.
S. Sive ista ratio, sive fortuna occulit,
Latere semper patere, quod latuit diu.
Sæpe eruentis veritas patuit malo.
Œ. Malum timeri maius his aliquod potest?
S. Magnum esse, magna mole quod petitur, scias.
Concurrit illinc publica, hinc regis salus,
Utrimque paria: contine medias manus.
Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.
Non expedit concutere felicem statum.
Œ. Tuto movetur, quidquid extremo in loco est.
S. Nobilius aliquid genere regali appetis?
Ne te parentis pigeat inventi, vide.
Œ. Vel pœnitendi sanguinis quæram fidem,
Si nosse libeat. Ecce, grandævus senex,
Arbitria sub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. Refersne nomen aut vultum senis?
S. Arridet animo forma: nec notus satis,
Nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laio, famulus greges
Agitasti opimos sub Cithæronis plaga?

Phorbas, Senex, Œdipus.

P. Lætus Cithæron pabulo semper novo
Æstiva nostro prata submittit gregi.
S. Noscisne memet? *P.* Dubitat anceps memoria.
Œ. Huic aliquis a te traditur quondam puer?
Effare. Dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? veritas odit moras.
P. Obducta longo temporum tractu moves.
Œ. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.
P. Inutile isti munus infantem dedi.
Non potuit ille luce, non cœlo, frui.
S. Procul sit omen! Vivit; et vivet, precor.
Œ. Superesse quare traditum infantem negas?
P. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
Ligabat artus: vulneri innatus tumor
Puerile fœda corpus urebat lue.
S. Quid quæris ultra? fata iam accedunt prope.
Œ. Quis fuerit infans, edoce. *P.* Prohibet fides.
Œ. Huc aliquis ignem: flamma iam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quærenti vias
Ignosce, quæso, et ferus videor tibi,
Et impotens: parata vindicta in manu est:
Dic vera. Quisnam, quove generatus patre,
Qua matre genitus? *P.* Coniuge est genitus tua.
Œ. Dehisce, tellus! tuque, tenebrarum potens,
In Tartara ima, rector umbrarum, rape
Retro reversas generis ac stirpis vices.
Congerite, cives, saxa in infandum caput:
Mactate telis: me petat ferro parens;
Me natus: in me coniuges arment manus,
Fratresque; et æger populus ereptos rogis
Iaculetur ignes. Sæculi crimen vagor,
Odium Deorum, iuris exitium sacri;
Qua luce primum spiritus hausi rudes,
Iam morte dignus. Redde nunc animos, parens.
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam gressu pete.
Gratare matri liberis auctam domum.

Chorus.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lenis et modice fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidā ratem,
Tuta me media vehat
Vita decurrens via.
Gnossium regem timens,
Astra dum demens petit,
Artibus fisus novis,
Certat et veras aves
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter
Nube sub media stetit,
Alitem exspectans suam:
Qualis accipitris minas
Fugit, et sparsos metu
Colligit fetus avis;
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quidquid excessit modū,
Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant.
Mœstus et famulus manu
Regius quassat caput.
Ede, quid portes novi.

ACTUS V. *Nuntius.*

Prædicta postquam fata, et infandum genus,
Deprendit, ac se scelere convictum Œdipus
Damnavit ipse; regiam infestus petens,
Invisa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycos insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens iubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces;
Gemitus, et altum murmur; et gelidus fluit
Sudor per artus. Spumat, et volvit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor.
Secum ipse sævus grande nescio quid parat,
Suisque fatis simile. Quid pœnas moror?
[Ut] hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel saxo domet?
Quæ tigris, aut quæ sæva visceribus meis

Incurret ales? Ipse tu, scelerum capax,
Sacer Cithæron, vel feras in me tuis
Emitte silvis, mitte vel rabidos canes.
Nunc redde Agaven. Anime, quid mortem times?
Mors innocentem sola Fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemque ducit. Itane tam magnis breves
Pœnas sceleribus solvis? atque uno omnia
Pensabis ictu? Moreris? hoc patri sat est?
Quid deinde matri? quid male in lucem editis
Natis? quid ipsi, quæ tuum magna luit
Scelus ruina, flebili patriæ dabis?
Solvendo non es. Illa, quæ leges ratas
Natura in uno vertit Œdipoda, novos
Commenta partus, suppliciis eadem meis
Novetur. Iterum vivere atque iterum mori
Liceat; renasci semper; ut toties nova
Supplicia pendas. Utere ingenio miser.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.
Mors eligatur longa: quæratur via,
Qua, nec sepultis mixtus, et vivis tamen
Exemtus, erres. Morere, sed citra patrem.
Cunctaris, anime? Subitus, en, vultus gravat
Profusus imber, ac rigat fletu genas.
Et flere satis est? Hactenus fundent levem
Oculi liquorem: sedibus pulsi suis
Lacrymas sequantur. Hi maritales statim
Fodiantur oculi. Dixit, atque ira furit.
Ardent minaces igne truculento genæ;
Oculique vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax vultus, iratus, ferox,
Tantum eruentis. Gemuit, et, dirum fremens,
Manus in ora torsit. At contra truces
Oculi steterunt, et suam intenti manum
Ultro insequuntur: vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina.
Radice ab ima funditus vulsos simul
Evolvit orbes. Hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte recessus luminum, et inanes sinus;
Sævitque frustra; plusque, quam sat est, furit;
Tantum est periclum lucis. Attollit caput;
Cavisque lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur. Quidquid effossis male
Dependet oculis, rumpit; et victor Deos
Conclamat omnes: Parcite, heu! patriæ, precor:
Iam iussa feci: debitas pœnas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœdus imber; et laceram caput
Largum revulsis sanguinem venis vomit.

Chorus.

Fatis agimur: cedite Fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servatque suæ decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu.
Omnia certo tramite vadunt.
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo. Multis ipsum
Metuisse nocet; multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.
Sonuere fores; atque ipse suum,
Duce non ullo, molitur iter,
Luminis orbus.

Œdipus, Chorus, Iocasta.

Œ. Bene habet! peractum est! iusta persolvi patri.
Iuvant tenebræ. Quis Deus, tandem mihi
Placatus, atra nube perfundit caput?
Quis scelera donat? Conscium evasi diem.
Nil, parricida, dexteræ debes tuæ:
Lux te refugit: vultus Œdipodem hic decet.
C. En, ecce, rapido sæva prosiluit gradu
Iocasta vecors; qualis attonita et furens
Cadmea mater abstulit nato caput,
Sensitve raptum. Dubitat; afflictum alloqui
Cupit, pavetque. Iam malis cessit pudor.
Et hæret ore primo vox. *I.* Quid te vocem?
Natumne? dubitas? natus es: natum pudet.
Invite loquere, nate. Quo avertis caput,
Vacuosque vultus? *Œ.* Quis frui et tenebris vetat?
Quis reddit oculos? Matris, heu! matris sonus.
Perdidimus operam. Congredi fas amplius
Haud est: nefandos dividat vastum mare,
Dirimatque tellus abdita; et quisquis sub hoc
In alia versus sidera, ac solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
I. Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.
Œ. Iam parce verbis, mater, et parce auribus;
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas et nefas.
I. Quid, anime, torpes? Socia cur scelerum dare
Pœnas recusas? Omne confusum perit,
Incesta, per te iuris humani decus.
Morare, ac nefastum spiritum ferro exige.
Non, si ipse mundum concitans Divum sator
Corusca sæva tela iaculetur manu,
Unquam rependam sceleribus pœnas pares,
Mater nefanda. Mors placet: mortis via
Quæratur. Agedum! commoda matri manum,
Si parricida es: restat hoc operi ultimum.
Rapiatur ensis: hoc iacet ferro meus
Coniux. Quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. Utrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum iugulo imprimam?
Eligere nescis vulnus: hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum et natum tulit.
C. Iacet peremta: vulneri immoritur manus;
Ferrumque secum nimius eiecit cruor.
Œ. Fatidice, te, te, præsidem veri Deum,
Compello. Solum debui fatis patrem.
Bis parricida, plusque quam timui nocens,
Matrem peremi: scelere confecta est meo.
O Phœbe mendax! fata superavi impia.
Pavitante gressu sequere fallaces vias,
Suspensa plantis efferens vestigia.
Cæcam tremente dextera noctem rege.
I, gradere præceps, lubricus ponens gradus.
I, profuge, vade. Siste, ne in matrem incidas.
Quicumque fessi corpore et morbo graves
Semianima trahitis (pectora, en, fugio, exeo),
Relevate colla: mitior cœli status
Post terga sequitur. Quisquis exilem iacens
Animam retentat, vividos haustus levis
Concipiat. Ite, ferte depositis opem.
Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta fata, et horridus morbi tremor,
Maciesque, et atra pestis, et rabidus dolor,
Mecum ite, mecum. Ducibus his uti libet.

TROADES

DRAMATIS PERSONÆ

HECUBA.	ANDROMACHA
CHORUS *Troadum*.	SENEX.
TALTHYBIUS.	ULYSSES,
AGAMEMNON.	ASTYANAX.
CALCHAS.	NUNTIUS.
HELENA. PYRRHUS.	POLYXENA, *persona muta*.

ACTUS I. *Hecuba*.

Quicumque regno fidit, et magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, et te, Troia. Non unquam tulit
Documenta Fors maiora, quam fragili loco
Starent superbi. Columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, Cœlitum egregius labor.
Ad cuius arma venit, et qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui, renatum primus excipiens diem,
Tepidum Rubenti Tigrin immiscet freto:
Et quæ, vagos vicina prospiciens Scythas,
Ripam catervis Ponticam viduis ferit;
Excisa ferro est. Pergamum incubuit sibi.
En, alta muri decora congesti iacent,
Tectis adustis: regiam flammæ ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troia: nec cœlum patet,
Undante fumo: nube ceu densa obsitus,
Ater favilla squalet Iliaca dies.
Stat avidus iræ victor, et lentum Ilium
Metitur oculis; ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. Horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci. Spolia populator rapit
Dardania: prædam mille non capiunt rates.
Testor Deorum numen adversum mihi,
Patriæque cineres, teque rectorem Phrygum,
Quem Troia toto conditum regno tegit,
Tuosque Manes, quo stetit stante Ilion,
Et vos meorum liberum magni greges,
Umbræ minores: quidquid adversi accidit,
Quæcumque Phœbas, ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida; nec tacui metus;
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus, in vos sparsit, aut fallax Sinon:
Meus ignis iste est: facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversæ gemis,
Vivax senectus? respice, infelix, ad hos
Luctus recentes. Troia iam vetus est malum.
Vidi exsecrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasque ad aras maius admissum scelus
Aiacis armis; cum ferox, sæva manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cum recepisset libens,
Ensis senili siccus e iugulo rediit.
Placare quem non potuit a cæde effera
Mortalis ævi cardinem extremum premens,
Superique testes sceleris, et quondam sacrum
Regni iacentis? Ille, tot regum parens,
Caret sepulcro Priamus, et flamma indiget,
Ardente Troia. Non tamen Superis sat est.
Dominum, ecce, Priami nuribus et natis legens,
Sortitur urna. Præda quem vilis sequar?
Hic Hectoris coniugia despondet sibi;
Hic optat Heleni coniugem; hic Antenoris;
Nec deest, tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur: sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba, captivæ, mea,
Ferite palmis pectora, et planctus date,
Et iusta Troiæ facite. Iamdudum sonet
Fatalis Idæ iudicis diri domus.

Chorus Troadum, Hecuba.

C. Non rude vulgus, lacrymisque novum,
Lugere iubes: hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Graias hospes Amyclas,
Secuitque fretum pinus Matri
Sacra Cybellæ.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide nostris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decimas secuit messor aristas;
Ut nulla dies mœrore caret,
Sed nova fletus causa ministrat.
Ito ad planctus,
Miseramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile sequemur.
Non indociles lugere sumus.
H. Fidæ casus nostri comites,
Solvite crinem: per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Troiæ
Pulvere turpes. Paret exertos
Turba lacertos. Veste remissa,
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus: cui coniugio
Pectora velas, captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.
Vacat ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. Placet hic habitus,
Placet: agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres:
Solitum flendi vincite morem:
Hectora flemus.
C. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.
H. Complete manus: hoc ex Troia
Sumsisse licet. Cadat ex humeris
Vestis apertis: imumque tegat
Suffulta latus. Iam nuda vocant
Pectora dextras: nunc nunc vires
Exprome, dolor, tuas.
Rhœtea sonent litora planctu:
Habitansque cavis montibus Echo
Non, ut solita est, extrema brevis
Verba remittat: totos reddat
Troiæ gemitus. Audiat omnis
Pontus, et æther. Sævite, manus;
Pulsu vasto tundite pectus.
Non sum solito contenta sono:
Hectora flemus.
C. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos:
Tibi nostra caput dextera pulsat;
Tibi maternis ubera palmis
Laniata iacent. Fluit, et multo
Sanguine manat, quamcumque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum,

Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit; summusque dies
Hectoris idem patriæque fuit.
H. Vertite planctus. Priamo vestros
Fundite fletus: satis Hector habet.
C. Accipe, rector Phrygiæ, planctus:
Accipe fletus, bis capta senex.
Nil Troia semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Graio
Mœnia ferro; bisque pharetras
Passa Herculeas. Post elatos
Hecubæ partus, regumque gregem,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Iovi victima cæsus,
Sigea premis litora truncus.
H. Alio lacrymas flectite vestras:
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. *Felix Priamus!*
Dicite cunctæ. Liber Manes
Vadit ad imos: nec feret unquam
Victa Graium cervice iugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non, Argolici præda triumphi,
Subiecta feret colla tropæis.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; currusque sequens
Agamemnonios, aurea dextra
Vincula gestans, lætis fiet
Pompa Mycenis. *C. Felix Priamus!*
Dicimus omnes. Secum excedens
Sua regna tulit: nunc Elysii
Memoris tutis errat in umbris,
Interque pias felix animas
Hectora quærit. *Felix Priamus!*
Felix, quisquis, bello moriens,
Omnia secum consumta videt!

ACTUS II. *Talthybius, Chorus Troadum.*

T. Quam longa Danais semper in portu mora,
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt!
C. Quæ causa ratibus faciat et Danais moram,
Effare; reduces quis Deus cludat vias.
T. Pavet animus: artus horridus quassat tremor.
Maiora veris monstra vix capiunt fidem.
Vidi ipse, vidi. Summa iam Titan iuga
Stringebat: ortus vicerat noctem dies,
Cum subito cæco terra mugitu fremens
Concussa, totos traxit ex imo sinus.
Movere silvæ capita; at excelsum nemus
Fragore vasto tonuit, et lucus sacer.
Idæa ruptis saxa ceciderunt iugis.
Nec sola tellus tremuit: et pontus suum
Adesse Achillem sensit, ac stravit vada.
Tum scissa vallis aperit immensos specus;
Et hiatus Erebi pervium ad superos iter,
Tellure fracta, præbet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma, proludens tuis
Iam, Troia, fatis, stravit; aut Neptunium
Cana nitentem perculit iuvenem coma;
Aut cum, inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit; et, quærens iter,
Tardus cruento Xanthus erravit vado;
Aut cum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem et Troiam trahens.
Implevit omne litus irati sonus:
Ite, ite, inertes! [debitos] Manibus meis
Auferte honores. Solvite ingratas rates,
Per nostra ituri maria. Non parvo luit
Iras Achillis Græcia: at magno luet.
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, et tumulum riget.
Hæc fatus alta voce, dimisit diem:
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coeunte terra iunxit. Immoti iacent
Tranquilla pelagi: ventus abiecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenæum chorus.

Pyrrhus, Agamemnon, Calchas.

P. Cum læta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles? cuius unius manu
Impulsa Troia, [corruit tandem solo,
Brevi repensam] quidquid adiecit moræ
[Scyros, fretumque Lesbos Ægæum secans]
Illa remoto, dubia, quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;
Sero es daturus. Iam suum cuncti duces
Tulere pretium: quæ minor merces potest
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum iussus, et longa sedens
Ævum senecta degere, ac Pylii senis
Transcendere annos, exuens matris dolos,
Falsasque vestes, fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eamdem sensit et mitem manum.
Cecidere Thebæ; vidit Eetion capi
Sua regna victus: clade subversa est pari
Imposita celso parva Lyrnessos iugo;
Captaque tellus nobilis Briseide,
Et, causa litis regibus, Chryse iacet;
Et nota fama Tenedos; et quæ pascuo
Fœcunda pingui Thracios nutrit greges
Scyros, fretumque Lesbos Ægæum secans,
Et sacra Phœbo Cilla. Quid? quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsæ tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria ac summum decus;
Iter est Achillis. Sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia sileam merita, non unus satis
Hector fuisset? Ilium vicit pater;
Vos diruistis. Inclytas laudes iuvat,
Et clara magni facta genitoris sequi.
Iacuit peremtus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cuius ob luctum parens
Pallente mœstum protulit vultu diem:
Suique victor operis exemplum horruit,
Didicitque Achilles et Dea natos mori.
Tum sæva Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne æstimas,
Et si Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas?
Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? At tuam natam parens
Helenæ immolasti: solita iam et facta expeto.
A. Iuvenile vitium est, regere non posse impetum.
Ætatis alios fervor hic primæ rapit,
Pyrrhum paternus. Spiritus quondam truces,
Minasque, tumidi lentus Æacidæ tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid cæde dira nobilem clari ducis

Aspergis umbram? Noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu;
Moderata durant: quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes. Magna momento obrui,
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit
Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco,
Unde illa cecidit. Fateor, aliquando, impotens
Regno ac superbus, altius memet tuli:
Sed fregit illos spiritus hæc, quæ dare
Potuisset alii, causa, Fortunæ favor.
Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.
Ego esse quidquam sceptra nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, et falso comam
Vinclo decentem? Casus hæc rapiet brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui: ruere, et æquari solo,
Etiam arcuissem. Sed regi frenis nequit
Et ira, et ardens hostis, et victoria
Commissa nocti. Quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræque, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusque felix, cuius infecti semel
Vecors libido est. Quidquid eversæ potest
Superesse Troiæ, maneat: exactum satis
Pœnarum, et ultra est. Regia ut virgo occidat,
Tumoloque donum detur, et cineres riget,
Et facinus atrox cædis ut thalamos vocem,
Non patiar. In me culpa cunctorum redit.
Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.
P. Nullumne Achillis præmium Manes ferent?
A. Ferent; et illum laudibus cuncti canent,
Magnumque terræ nomen ignotæ audient.
Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo est
Impensus homini? Detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli pœna iubes.
P. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos; timide, cum increpuit metus!
Regum tyranne! iamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac Veneris novæ?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas retinesque, maiorem dabo,
Dignamque quam det Pyrrhus: et nimium diu
A cæde nostra regia cessat manus,
Paremque poscit Priamus. *A.* Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Sævo peremtus ense quod Priamus iacet,
Supplex paternus. *P.* Supplices nostri patris
Hostesque eosdem, novimus. Priamus tamen
Præsens rogavit: tu, gravi pavidus metu,
Nec ad rogandum fortis, Aiaci preces
Ithacoque mandas, clausus, atque hostem tremens.
A. At non timebat tunc tuus fateor parens,
Interque cædes Græciæ, atque ustas rates,
Segnis iacebat, belli et armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelyn.
P. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantus Achillis timuit: et, tanto in metu,
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.
A. Nempe isdem in istis Thessalis navalibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
P. Est regis alti, spiritum regi dare.
A. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
P. Mortem misericors sæpe pro vita dabit.
A. At nunc misericors virgines busto petis.
P. Iamne immolari virgines credis nefas?
A. Præferre patriam liberis regem decet.
P. Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.
A. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
P. Quodcumque libuit facere victori, licet.
A. Minimum decet libere, cui multum licet.
P. His ista iactas, quos, decem annorum gravi
Regno subactos, Pyrrhus exsolvit iugo?
A. Hos Scyrus animos? *P.* Scelere quæ fratrū caret.
A. Inclusa fluctu. *P.* Nempe cognati maris.
Atrei et Thyestæ nobilem novi domum.
A. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro!
P. Illo ex Achille, genere qui mundum suo
Sparsus per omnem, Cœlitum regnum tenet,
Thetide æquor, umbras Æaco, cœlum Iove.
A. Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.
P. Quem nec Deorum comminus quisquam petiit.
A. Compescere equidem verba, et audacem malo
Poteram domare: sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. Potius interpres Deum
Calchas vocetur. Fata si poscunt, dabo.
Tu, qui Pelasgæ vincla solvisti rati,
Morasque bellis; arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longa semitam flamma trahens,
Dant signa fati; cuius ingenti mihi
Mercede constant ora; quid iubeat Deus,
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
C. „ Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.
Mactanda virgo est Thessali busto ducis:
Sed quo iugari Thessalæ cultu solent,
Ionidesve, vel Mycenææ nurus,
Pyrrhus parenti coniugem tradat suo.
Sic rite dabitur. Non tamen nostras tenet
Hæc una puppes causa: nobilior tuo,
Polyxena, cruore debetur cruor,
Quem fata quærunt. Turre de summa cadat
Priami nepos Hectoreus, et letum oppetat.
Tum mille velis impleat classis freta. „

Chorus Troadum.

Verum est? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Cum coniux oculis imposuit manum,
Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristis cineres urna coercuit,
Non prodest animam tradere funeri;
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur? nullaque pars manet
Nostri, cum profugo spiritus halitu,
Immixtus nebulis, cessit in aera,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid Sol Oriens, quidquid et Occidens
Novit; cœruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Ætas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bis sena volant sidera turbine,
Quo cursu properat secula volvere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus
Hoc omnes petimus fata: nec amplius,
Iuratos Superis qui tetigit lacus,

Usquam est. Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ disiicit impetus;
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est; ipsaque mors nihil,
Velocis spatii meta novissima.
Spem ponant avidi; solliciti metum.
Quæris, quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.
Tempus nos avidum devorat, et Chaos.
Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animæ. Tænara, et aspero
Regnum sub domino, limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

ACTUS III. *Andromacha, Senex, Astyanax, Ulysses.*

A. Quid, mœsta, Phrygiæ, turba, laceratis comas,
Miserumque tunsæ pectus, effuso genas
Fletu rigatis? Levia perpessæ sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa, quodcumque accidit,
Torpens malis rigensque, sine sensu fero.
Iam, erepta Danais, coniugem sequerer meum,
Nisi hic teneret. Hic meos animos domat,
Morique prohibet. Cogit hic aliquid Deos
Adhuc rogare: tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere. Prosperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.
Miserrimum est timere, cum speres nihil.
S. Quis te repens commovit afflictam metus?
A. Exoritur aliquod maius e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.
S. Et quas reperiet, ut velit, clades Deus?
A. Stygis profundæ claustra, et obscuri specus
Laxantur; et, ne desit eversis metus,
Hostes ab uno conditi Dite exeunt.
Solisne retro pervium est Danais iter?
Certe æqua mors est. Turbat atque agitat Phrygas
Communis iste terror: hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendæ sopor.
S. Quæ visa portent, effer in medium, metus.
A. Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellæ iugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis,
(Si somnus ille est mentis attonitæ stupor)
Cum subito nostros Hector ante oculos stetit:
Non qualis, ultro bella in Argivos ferens,
Graias petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde multa qualis in Danaos furens,
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens iubar,
Sed fessus ac deiectus, et fletu gravis,
Similisque nostro, squalida obtectus coma.
Iuvat tamen vidisse. Tum, quassans caput,
Dispelle somnos, inquit, et natum eripe,
O fida coniux! lateat: hæc una est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit, gemis?
Utinam iaceret tota! Festina: amove
Quocumque nostræ parvulam stirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit;
Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quæsivi Hectorem.
Fallax per ipsos umbra complexus abit.
O nate! magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus; unica afflictæ domus,
Veterisque soboles sanguinis nimium incluti,
Nimiumque patri similis. Hos vultus meus
Habebat Hector: talis incessu fuit,
Habituque talis; sic tulit fortes manus.
Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,
Cervice fusam dissipans lata comam.
O nate sero Phrygibus, at matri cito!
Eritne tempus illud, ac felix dies,
Quo, Troici defensor et vindex soli,
Recidiva ponas Pergama, et sparsos fuga
Cives reducas? nomen ut patriæ suum,
Phrygibusque, reddas? Sed, mei fati memor,
Tam magna timeo vota. Quod captis sat est,
Vivamus. Heu me! quis locus fidus meo
Erit timori? quave te sede occulam?
Arx illa, pollens opibus et muris Deum,
Gentes per omnes clara, et invidiæ capax,
Nunc pulvis altus: strata sunt flamma omnia;
Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem
Quo lateat infans. Quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens coniugis cari sacer,
Verendus hosti, mole quem immensa parens
Opibusque magnis struxit, in luctus suos
Rex non avarus: optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit!
Omen tremisco misera feralis loci.
S. Hæc causa multos una ab interitu arcuit,
Credi perisse. *A.* Vix spei quidquam est super.
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
S. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
A. Si quæret hostis? *S.* Urbe in eversa periit.
A. Quid proderit latuisse rediturо in manus?
S. Victor feroces impetus primos habet.
A. Quid? quod latere sine metu magno nequit?
S. Miser occupet præsidia, securus legat.
A. Quis te locus, quæ regio seducta, invia,
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? Qui semper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; coniugis furtum piæ
Serva et fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate. Quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? Agnosco indolem:
Pudet timere. Spiritus magnos fuga,
Animosque veteres, sume, quos casus dedit.
En, intuere, turba quæ simus super,
Tumulus, puer, captiva. Cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,
Aude subire. Fata si miseros iuvant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulcrum. *S.* Claustra commissum tegunt:
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
A. Levius solet timere, qui propius timet.
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
S. Cohibe parumper ora, questusque opprime.
Gressus nefandos dux Cephallenum admovet.
A. Dehisce, tellus; tuque, coniux, ultimo
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Ulysses; et quidem dubio gradu
Vultuque: nectit pectore astus callidos.
U. Duræ minister sortis, hoc primum peto,
Ut, ore quamvis verba dicantur meo:
Non esse credas nostra. Graiorum omnium

Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet. Hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit; semper a tergo timor
Respicere coget; arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit,
Andromacha. *A.* Vester augur hoc Calchas canit?
U. Et si taceret augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector; cuius et stirpem horreo.
Generosa in ortus semina exsurgunt suos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice subito celsus, et fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa mat[?]tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, et cœlo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. Est quidem iniustus dolor
Rerum æstimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella, post hiemes decem
Totidemque messes, iam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac nunquam bene
Troiam iacentem. Magna res Danaos movet,
Futurus Hector. Libera Graios metu:
Hæc una naves causa deductas tenet;
Heic classis hæret. Neve crudelem putes,
Quod, sorte iussus, Hectoris natum petam;
Petissem Oresten. Patere, quod victor tulit.
A. Utinam quidem esses, nate, materna in manu;
Nossemque quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio. Non, hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præstricta, non, acri latus
Utrumque flamma cincta, maternam fidem
Unquam exuissem. Nate, quis te nunc locus,
Fortuna quæ possedit? Errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriæ vapor
Corripuit artus? sævus an victor tuo
Lusit cruore? numquid, immanis feræ
Morsu peremtus, pascis Idæas aves?
U. Simulata remove verba: non facile est tibi
Decipere Ulyssem: vicimus matrum dolos,
Etiam Dearum. Cassa consilia amove.
Ubi natus est? *A.* Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? Unum quæris: ego quæro omnia.
U. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.
A. Tuta est, perire quæ potest, debet, cupit.
U. Magnifica verba mors prope admota excutit.
A. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare: nam mori votum est mihi.
U. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui,
Quodcumque celas, adiget invitam dolor;
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
A. Propone flammas, vulnera, et diras mali
Doloris artes, et famem, et sævam sitim,
Variasque pestes undique, et ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris cæci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
U. Stulta est fides, celare, quod p[?]das statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere parvis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem, quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem: bella Telemacho paras.
A. Invita Ulyssi gaudium ac Danais dabo.
Dandum est. Fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete, Atridæ; tuque lætifica, ut soles,
Refer Pelasgis. Hectoris proles obiit.
U. Et, esse verum hoc, qua probas Danais fide?
A. Ita, quod minari maximum victor potest,
Contingat, et me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Ut luce caret, ut inter extinctos iacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
U. Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
Solidamque pacem, lætus ad Danaos feram.
Quid agis, Ulysse? Danaidæ credent tibi?
Tu cui? parenti. Fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandæ mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil maius timent.
Fidem alligavit iureiurando suam.
Si peierat, timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Ulyssem. Veritas nunquam perit.
Scrutare matrem; mœret, illacrymat, gemit,
Et huc et illuc anxios gressus refert;
Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quam mœret. Ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat sæva, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
A. Me liquit animus: membra quatiuntur, labant.
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
U. En, tremuit. Hac, hac parte quærenda est mihi.
Matrem timor detexit: iterabo metum.
Ite, ite celeres: fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicumque latitat, erutam in medium date.
Bene est: tenetur. Perge, festina, attrahe.
Quid respicis, trepidasque! iam certe perit.
A. Utinam timerem! solitus ex longo est metus.
Dediscit animus sero, quod didicit diu.
U. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit, nec potest vatem sequi,
Meliore fato raptus; hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur solo.
Nunc, ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda sedibus sacris manus.
A. Quid agimus? animum distrahit geminus timor.
Hinc natus, illinc coniugis cari cinis.
Pars utra vincet? Testor immites Deos,
Deosque veros, coniugis Manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te. Vivat, ut possit tuos
Referre vultus. Prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disiecta vastis? Potius hic mortem oppetat:
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? Potero; perpetiar; feram,
Dum non meus, post fata, victoris manu
Iactetur Hector. Hic suam pœnam potest
Sentire; at illum fata iam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.
Erras: utrimque est Hector: hic sensus potens,
Forsan futurus ultor extincti patris.
Utrique parci non potest. Quidnam facis?
Serva e duobus, anima, quem Danai timent.
U. Responsa peragam; funditus busta eruam.
A. Quæ vendidistis? *U.* Pergam, et e summo aggere

Traham sepulcra. *A.* Cœlitum appello fidem,
Fidemque Achillis. Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. *U.* Tumulus hic campo statim
Toto iacebit. *A.* Fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum. Templa violastis, Deos
Etiam faventes: busta transierat furor.
Resistam: inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires. Qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis Deo
Percussa Mænas, entheo silvas gradu,
Armata thyrso, terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit; in medios ruam,
Tumuloque, cineris socia, defenso, cadam.
U. Cessatis? et vos flebilis clamor movet,
Furorque cassus feminæ? Iussa ocyus
Peragite. *A.* Me, me, sternite heic ferro prius.
Repellor? heu me! rumpe fatorum moras:
Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est. Arma concussit manu;
Iaculatur ignes. Cernitis, Danai, Hectorem?
An sola video? *U.* Funditus cuncta erue.
A. Quid agis? ruina mater et natum et virum
Prosternis una. Forsitan Danaos prece
Placare poteris. Conditum elidet statim
Immane busti pondus. Intereat miser,
Ubicunque potius, ne pater natum obruat,
Prematque patrem natus. Ad genua accido
Supplex, Ulysse; quamque nullius pedes
Novere dextram pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur quodcumque, Fortunæ datur.
Sic te revisat coniugis sanctæ torus;
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta! sic te iuvenis excipiat tuus,
Et, vota vincens vestra felici indole,
Ætate avum transcendat, ingenio patrem!
Miserere matris: unicum afflictæ mihi
Solamen hic est. *U.* Exhibe natum, et roga.
A. Huc e latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miseræ.
Hic puer, hic est terror, Ulysse,
Mille carinis. Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna iubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique senis iura per omnes
Incluta terras: excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lacrymas
Et Troia prior; parvasque minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cuius vastis
Viribus omnes cessere feræ;
Qui, perfracto limine Ditis,
Cæcum retro patefecit iter,
Hostis parvi victus lacrymis,
Suscipe, dixit, rector, habenas;
Patrioque sede celsus solio;
Sed sceptra fide meliore tene.
Hoc fuit illo victore capi.
Discite mites Herculis iras;
An sola placent Herculis arma?
Iacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex; vitamque petit.,
Regnum Troiæ, quocumque volet,
Fortuna ferat.

Ulysses, Andromacha, Astyanax.

U. Matris quidem me mœror attonitæ movet:
Magis Pelasgæ me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
An. An has ruinas urbis, in cinerem datas,
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?
Nullas habet spes Troia, si tales habet.
Non sic iacemus Troes, ut cuiquam metus
Possimus esse. Spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. Ipse, post Troiam, pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat iugum.
Servire liceat. Aliquis hoc regi negat?
U. Non hoc Ulysses, sed negat Calchas tibi.
An. O machinator fraudis! O scelerum artifex!
Virtute cuius bellica nemo occidit;
Dolis et astu maleficæ mentis iacent
Etiam Pelasgi: vatem et insontes Deos
Prætendis? hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Iam solus audes aliquid, et claro die.
U. Virtus Ulyssis Danaidis nota est satis,
Nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem
Conterere verbis. Ancoras classis legit.
An. Brevem moram largire, dum officium parens
Nato supremum reddo, et amplexu ultimo
Avidos dolores satio. *U.* Misereri tui
Utinam liceret! Quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus. Arbitrio tuo
Implere lacrymis: fletus ærumnas levat.
An. O dulce pignus! O decus lapsæ domus!
Summumque Troiæ funus! O Danaum timor!
Genitricis o spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar. Vota destituit Deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; iura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes iugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenera parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris: nec, stato lustri die,
Sollenne referens Troici lusus sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras, mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dira tristius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. *U.* Rumpe iam fletus, parens.
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
An. Lacrymis, Ulysse, parva, quã petimus, mora est.
Concede, parvos ut mea condam manu
Viventis oculos. Occidis parvus quidem,
Sed iam timendus. Troia te expectat tua.
I, vade liber: liberos Troas vide.
As. Miserere, mater! *An.* Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuvencus applicat matri latus:
At ille sævus, matre submota, leo,
Prædam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitque; talis e nostro sinu
Te rapiet hostis. Oscula, et fletus, puer,
Lacerosque crines, excipe; et plenus mei

Occurre patri. Pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba: Si Manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Graio pateris Andromachen iugo,
Crudelis Hector? lentus et segnis iaces?
Rediit Achilles; sume nunc iterum comas,
Et sume lacrymas, quidquid e misero viri
Funere relictum est: sume, quæ reddas tuo
Oscula parenti. Matris hanc solatio
Relinque vestem: tumulus hanc tetigit meus,
Manesque cari. Quidquid heic cineris latet,
Scrutabor ora. *U.* Nullus est flendi modus.
Abripite propere classis Argolicæ moram.

Chorus Troadum.

Quæ vocat sedes habitanda, captas?
Thessali montes, et opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie, meliorque fœtu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An, maris vasti domitrix, Iolcos;
Urbibus centum spatiosa Crete?
Parva Gortyne, sterilisque Tricce?
An frequens rivis levibus Mothone?
Quæ sub Œtæis latebrosa silvis
Misit infestos Troiæ ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virginis Pleuron inimica Divæ?
An maris lati sinuosa Trœzen?
Pelion, regnum Prothoi superbum,
Tertius cœlo gradus? hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Iam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras,
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Carystos?
An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Calydnæ?
An carens nunquam Gonoessa vento?
Quæque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusin?
Numquid Aiacis Salamina veram?
Aut fera notam Calydona sæva?
Quasque profundit, subiturus æquor,
Segnibus terras Titaressos undis,
Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?
Pharin? an Pisam, Iovis et coronis
Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, et donet cuicumque terræ;
Dum, luem tantam Troiæ atque Achivis
Quæ tulit, Sparte procul absit; absit
Argos, et sævi Pelopis Mycenæ;
Neritos parva brevior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris, Hecube, videndam
Ducet? in cuius moriere regno?

ACTUS IV. *Helena, Andromacha, Hecuba, Polyxena, muta persona.*

Hel. Quicumque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus. Eversis quoque
Nocere cogor Phrygibus. Ego Pyrrhi toros
Narrare falsos iubeor; ego cultus dare
Habitusque Graios. Arte capietur mea,
Meaque fraude concidet Paridis soror?
Fallatur: ipsi levius hoc equidem reor:
Optanda mors est, sine metu mortis mori.
Quid iussa cessas agere? ad auctores redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domus
Generosa virgo, melior afflictos Deus
Respicere cœpit; teque felici parat
Dotare thalamo. Tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.
Nam te Pelasgæ maximum gentis decus
Ad sancta lecti iura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi Deæ,
Placidumque numen æquoris tumidi Thetis,
Suam vocabunt. Te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.
Depone cultus squalidos; festos cape.
Dedisce captam. Deprime horrentes comas,
Crinemque docta patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet. Profuit multis capi.
A. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere? flagrant strata passim Pergama.
O coniugale tempus! an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos est,
Quos Helena suadet? Pestis, exitium, lues
Utriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quæ passim iacent
Inhumata campis? Hæc hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ, cruor;
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. Perge! thalamos appara!
Tædis quid opus est? quidve sollemni face?
Quid igne? thalamis Troia prælucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne: planctus et gemitus sonent.
Hel. Ratione quamvis careat, et flecti neget
Magnus dolor, sociosque nonnumquam sui
Mœroris ipsos oderit; causam tamen
Possum tueri iudice infesto meam,
Graviora passa. Luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum? solus occulte Paris
Lugendus Helenæ est. Durum et invisū et grave est,
Servitia ferre? patior hoc olim iugum,
Annis decem captiva. Prostratum Ilium est,
Versi Penates? perdere est patriam grave;
Gravius timere. Vos levat tanti mali
Comitatus: in me victus et victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit: me meus traxit statim,
Sine sorte, dominus. Causa bellorum fui,
Tantæque Teucris cladis? hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta.
Sin rapta Phrygiis præda remigibus fui,
Deditque donum iudici victrix Dea,
Ignosce Paridi. Iudicem iratum mea
Habitura causa est: ista Menelaum manent
Arbitria. Nunc hanc, luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis, flecte. Vix lacrymas queo
Retinere *A.* Quantum est, Helena quod lacrymat, malum!
Cur lacrymat autem? Fare, quos Ithacus dolos,
Quæ scelera nectat. Utrum ab Idæis iugis
Iactanda virgo est? arcis an celsæ edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat
Altum vadosus Sigeon spectans sinus?

Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubæque Pyrrhus. Fare, quam pœnam pares.
Exprome, et uuum hoc deme nostris cladibus,
Falli: paratas perpeti mortem vides.
Hel. Utinam inberet me quoque interpres Deum
Abrumpere ense lucis invisæ moras,
Vel, Achillis ante busta, furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda; quam tradi sibi,
Cineremque Achillis ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, iubet.
A. Vide, ut animus ingens lætus audierit necem.
Cultus decoros regiæ vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet.
Labefacta mens succubuit: assurge, alleva
Animum, et cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat: revixit. Prima mors miseros fugit.
Hec. Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?
Adhuc rebellat? O manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem,
Dividere matrem. Sola nunc hæc est super,
Votum, comes, levamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fœtus: hac sola vocor
Iam voce mater: dura et infelix, age,
Elabere, anima. Denique hoc unum mihi
Remitte funus. Irrigat fletus genas;
Imberque victo subitus e vultu cadit.
Lætare, gaude, nata! Quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
A. Nos, Hecuba; nos, nos, Hecuba, lugendæ sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret:
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
Hel. Magis invidebis, si tuam sortem scias.
A. An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?
Hel. Versata dominos urna captivis dedit.
A. Cui famula tradar, ede; quem dominum voco?
Hel. Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.
A. Cassandra felix! quam furor sorte eximit,
Phœbusq. *Hel.* Regum hanc maximus rector tenet.
Hec. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
Hel. Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.
Hec. Quis tam impotens ac dirus, et iniquæ ferus
Sortitor urnæ regibus reges dedit?
Quis tam sinister dividit captas Deus?
Quis arbiter crudelis, et miseris gravis,
Eligere dominos nescit? et sæva manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Ulyssem vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus. Domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? Sterilis, et sævis fretis
Inclusa, [tellus non capit tumulos meos.]
Duc, duc, Ulysse: nil moror: dominum sequor.
Me mea sequentur fata: non pelago quies
Tranquilla veniet, sæviet ventis mare,
Et bella, et ignis, et mea, et Priami mala.
Dumque ista veniant, interim hoc pœnæ loco est:
Sortem occupavi, præmium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age,
Reclude ferro pectus, et Achillis tui
Coniunge soceros. Perge, mactator senum!
Et hic decet te sanguis: abreptam trahe:
Maculate Superos cæde funesta Deos;
Maculate Manes. Quid precer vobis? precor
His digna sacris æquora: hoc classi accidat,
Toti Pelasgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum vehar, quidquid rati.

Chorus Troadum.

Dulce mœrenti populus dolentum;
Dulce lamentis resonare gentes.
Lentius luctus lacrymæque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.
Semper, ah! semper dolor est malignus:
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum [placuisse] pœnæ.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
Nemo se credet miserum, licet sit;
Tolle felices. Removeto multo
Divites auro; removeto centum
Rura qui scindunt opulenta bubus;
Pauperi surgent animi iacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis
Neminem lætos habuisse vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui, secans fluctum rate singulari,
Nudus in portus cecidit petitos.
Æquior casum tulit et procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque litus
Naufraga spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phrixus,
Cum gregis ductor, radiante villo,
Aureo fratrem simul et sororem
Sustulit tergo, medioque iactum
Fecit in ponto. Tenuit querelas
Et vir, et Pyrrhe, mare cum viderent,
Et nihil præter mare cum viderent,
Unici terris homines relicti.
Solvet hunc cœtum, lacrymasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tuba iussi dare vela nautæ,
Cum, simul ventis properante remo,
Prenderint altum, fugietque litus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet?
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque nato,
Troia qua iaceat regione monstrans,
Dicet, et longe digito notabit:
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in cœlum, nebulæque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

Actus V. *Nuntius, Andromacha, Hecuba.*

N. O dira fata, sæva, miseranda, horrida!
Quod tam ferum, tam triste, his quinis scelus
Mars vidit annis? quid prius referens gemam?
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
H. Quoscumque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt. Quisquis est, Hecubæ est, miser.
N. Mactata virgo est; missus e muris puer:
Sed uterque letum mente generosa tulit.
A. Expone seriem cædis, et duplex nefas
Prosequere: gaudet magnus ærumnas dolor

Tractare totas. Ede, et enarra omnia.
N. Est una magna turris e Troia super,
Assueta Priamo; cuius e fastigio
Summisque pinnis, arbiter belli sedens,
Regebat acies. Turre in hac, blando sinu
Fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Hæc nota quondam turris, et muri decus,
Nunc sæva cautes, undique affusa ducum
Plebisque turba cingitur. Totum coit,
Ratibus relictis, vulgus. His collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cuius e cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille prærupti petit;
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis, pressit: atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem: nec gradu segni puer
Ad alta pergit mœnia: ut summa stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit,
Intrepidus animo. Qualis ingentis feræ
Parvus tenerque fœtus, et nondum potens
Sævire dente, iam tamen tollit minas,
Morsusque inanes tentat, atque animis tumet;
Sic ille, dextra prensus hostili, puer
Ferox, superbe moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulyssen. Non flet, e turba omnium,
Qui fletur: ac, dum verba fatidici et preces
Concipit Ulysses vatis, et sævos ciet
Ad sacra Superos, sponte desiluit sua
In media Priami regna.
A. Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha,
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens iuris expers ausa? non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri.
Nec parva gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. Quis tuos artus teget,
Tumuloque tradet? *N.* Quos enim præceps locus
Reliquit artus? Ossa disiecta et gravi
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, et illas nobiles patris notas,
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix: silicis impulsu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso: iacet
Deforme corpus. *A.* Sic quoque est similis patri.
N. Præceps ut altis cecidit e muris puer,
Flevitque Achivum turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumque Achillis. Huius extremum latus
Rhœtea leni verberant fluctu vada.
Aversa cingit campus, et clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. Concursus frequens
Implevit omne litus. Hi classis moras
Hac morte solvi rentur: hi stirpem hostium
Gaudent recidi. Magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque: nec Troes minus
Suum frequentant funus, et, pavidi metu,
Partem ruentis ultimam Troiæ vident.
Cum subito, thalami more, præcedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, mœstum caput
Demissa. Tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur: sic viro turpis suo
Reddatur Helene. Terror attonitos tenet
Utrosque populos. Ipsa deiectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genæ;
Magisque solito splendet extremus decor;
Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies.
Stupet omne vulgus; et fere cuncti magis
Peritura laudant. Hos movet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
Movet animus omnes fortis, et leto obvius.
Pyrrhum antecedit: omnium mentes tremunt:
Mirantur, ac miserantur. Ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Iuvenis paterni vertice in busti stetit,
Audax virago non tulit retro gradum:
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit:
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens; nec tamen moriens adhuc
Deponit animos: cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, et irato impetu.
Uterque flevit cœtus: at timidum Phryges
Misere gemitum; clarius victor gemit.
Hic ordo sacri: non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit. Obduxit statim,
Sævusque totum sanguinem tumulus bibit.
H. Ite, ite, Danai; petite iam tuti domos:
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis; Concidit virgo, ac puer:
Bellum peractum est. Quo meas lacrymas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Natam an nepotem, coniugem an patriam, fleam?
An omnia? an me? Sola, Mors, votum meum:
Infantibus violenta, virginibus, venis,
Ubicumque properas, sæva: me solam times,
Vitasque: gladios inter ac tela et faces,
Quæsita tota nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis, meos
Absumsit artus: quam prope a Priamo steti!
N. Repetite celeri maria, captivæ, gradu.
Iam vela puppis laxat, et classis movet.

MEDEA

DRAMATIS PERSONÆ

MEDEA.	CREON.	CHORUS *Corinthiorum*.
IASON.	NUTRIX.	NUNTIUS.

ACTUS I. *Medea.*

Di coniugales! tuque, genialis tori
Lucina custos, quæque domitorem freti
Tiphyn novam frenare docuisti ratem!
Et tu, profundi sæve dominator maris,
Clarumque Titan dividens orbi diem!
Tacitisque præbens conscium sacris iubar
Hecate triformis! quosque iuravit mihi
Deos Iason! quosque Medeæ magis
Fas est precari, Noctis æternæ Chaos,
Aversa Superis regna, Manesque impios,
Dominumque regni tristis, et dominam fide
Meliore raptam! voce non fausta precor.
Adeste, adeste, sceleris ultrices Deæ!
Crinem solutis squalidæ serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,

Adeste: thalamis horridæ quondam meis
Quales stetistis: coniugi letum novæ,
Letumque socero et regiæ stirpi date.
[Mihi peius aliquid, quod precer sponso malum:]
Vivat: per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.
Me coniugem optet; limen alienum expetat,
Iam notus hospes: quoque non aliud queam
Peius precari, liberos similes patri,
Similesque matri. Parta iam, parta ultio est:
Peperi. Querelas, verbaque incassum sero.
Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cæloque lucem? Spectat hoc nostri sator
Sol generis! et spectator; et curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, et remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi;
Committe habenas, genitor, et flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari iuga:
Gemino Corinthos litori opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.
Hoc restat unum, pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum; postque sacrificas preces
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quære supplicio viam,
Si vivis, anime: si quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcumque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos. Effera, ignota, horrida,
Tremenda cælo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, et cædem, et vagum
Funus per artus. Levia memoravi nimis:
Hæc virgo feci: gravior exsurgat dolor.
Maiora iam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. Quo virum linquis modo?
Hoc, quo secuta es. Rumpe iam segnes moras:
Quæ scelere parta est, scelere linquenda est domus.

Chorus.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui cælum Superi, quique regunt fretum,
Adsint, cum populis rite faventibus.
Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat, tergore candido.
Lucinam nivei femina corporis,
Intentata iugo, placet: et, asperi
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.
Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde stella redis semper amantibus:
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti iugis
Exercet iuvenum modo,
Muris quod caret, oppidum;
Et quas Aonius latex,
Alpheosque sacer lavat.
Si forma velit aspici,
Cedent Æsonio duci,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui iuga tigribus;
Necnon qui tripodas movet,
Frater virginis asperæ.
Cedet, Castore cum suo,
Pollux, cæstibus aptior.
Sic, sic, Cælicolæ, precor,
Vincat femina coniuges,
Vir longe superet viros.
Hæc cum femineo constitit in choro,
Unius facies prænitet omnibus.
Sic cum Sole perit sidereus decor;
Et densi latitant Pleiadum greges,
Cum Phœbe solidum lumina non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niveus Puniceo color
Perfusus rubuit: sic nitidum iubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenæ solitus pectora coniugis
Invita trepidus prendere dextera,
Felix Æoliam corripe virginem,
Nunc primum soceris, sponse, volentibus.
Concesso, iuvenes, ludite iurgio.
Hinc illinc, iuvenes, mittite carmina.
Rara est in dominos iusta licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum:
Excute sollennem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus:
Solvat turba iocos. Tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

Actus II. *Medea, Nutrix.*

M. Occidimus! aures pepulit Hymenæus meas!
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Iason potuit? erepto patre,
Patria atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? Durus merita contempsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, et mare?
Adeone credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente vesana feror
Partes in omnes, unde me ulcisci queam.
Utinam esset illi frater! Est coniux: in hanc
Ferrum exigatur. Hoc meis satis est malis?
Si quod Pelasgæ, si quod urbes Barbaræ
Novere facinus, quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum: scelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant. Inclytum regni decus
Raptum; et nefandæ virginis parvus comes
Divisus ense, funus ingestum patri;
Sparsumque ponto corpus; et Peliæ senis
Decocta aheno membra. Funestum impie
Quam sæpe fudi sanguinem! at nullum scelus
Irata feci: sævit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitrii
Iurisque factus? Debuit ferro obvium
Offerre pectus. Melius, ah! melius, dolor
Furiose, loquere. Si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minus, vivat tamen;
Memorque nostri, muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Coniugia solvit; quique genitricem abstrahit
Natis; et arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit. Petatur solus hic; pœnas luat,
Quas debet. Alto cinere cumulabo domum:
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.

N. Sile, obsecro; questusque secreto abditos
Manda dolori. Gravia quisquis vulnera
Patiente et æquo mutus animo pertulit,
Referre potuit. Ira, quæ tegitur, nocet:
Professa perdunt odia vindictæ locum.
M. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese: magna non latitant mala.
Libet ire contra. *N.* Siste furialem impetum,
Alumna! Vix te tacita defendit quies.
M. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
N. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
M. Nunquam potest non esse virtuti locus.
N. Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
M. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
N. Abiere Colchi: coniugis nulla est fides:
Nihilque superest opibus e tantis tibi.
M. Medea superest: heic mare et terras vides,
Ferrumque et ignes et Deos et fulmina.
N. Rex est timendus. *M.* Rex meus fuerat pater.
N. Non metuis arma? *M.* Sint licet terra edita.
N. Moriere. *M.* Cupio. *N.* Profuge. *M.* Pœnituit fugæ.
Medea fugiam? *N.* Mater es. *M.* Cui sim, vides.
N. Profugere dubitas? *M.* Fugiam: at ulciscar prius.
N. Vindex sequetur. *M.* Forsan inveniam moras.
N. Compesce verba; parce iam demens minis,
Animosque minue. Tempori aptari decet.
M. Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Sed cuius ictu regius cardo strepit?
Ipse est, Pelasgo tumidus imperio, Creon.

Creon, Medea.

C. Medea, Colchi noxium Æetæ genus,
Nondum meis exportat e regnis pedem?
Molitur aliquid: nota fraus, nota est manus.
Cui parcit illa? quemve securum sinit?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener;
Concessa vita est. Liberet fines metu;
Abeatque tuta. Fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius affatus petit.
Arcete, famuli, tactu et accessu procul.
Iubete, sileat. Regium imperium pati
Aliquando discat. Vade veloci via;
Monstrumque sævum, horribile, iamdudum avehe.
M. Quod crimen, aut quæ culpa, multatur fuga?
C. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat.
M. Si iudicas, cognosce; si regnas, iube.
C. Æquum atque iniquum regis imperium feras.
M. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
C. I, querere Colchis. *M.* Redeo: qui advexit, ferat.
C. Vox constituto sera decreto venit.
M. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.
C. Auditus a te Pelia supplicium tulit.
Sed fare: causæ detur egregiæ locus.
M. Difficile quam sit animum ab ira flectere
Iam concitatum; quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua cœpit, ire, regia didici mea.
Quamvis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat,
Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt,
Palustribus qua maria dulcescunt aquis,
Armata peltis quidquid exterret cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis,
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens,
Fulsi. Petebant tunc meos thalamos proci,
Qui nunc petuntur. Rapida Fortuna ac levis,
Præcepsque, regno eripuit, exilio dedit.
Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus. Hoc reges habent
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere. Solum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Græciæ florem inclytum,
Præsidia Achivæ gentis, et prolem Deum,
Servasse memet. Munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet, et silvas trahit;
Geminumque munus Castor et Pollux meum est;
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;
Omnesque Minyæ: nam ducum taceo ducem,
Pro quo nihil debetur. Hunc nulli imputo.
Vobis revexi cæteros, unum mihi.
Incesse nunc, et cuncta flagitia ingere;
Fatebor: obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. Virgini placeat pudor,
Paterque placeat; tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus. Hic tuus primum gener
Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, qua volet, nostram premat;
Non pœnitet servasse tot regum decus.
Quodcumque culpa præmium ex omni tuli,
Hoc est penes te. Si placet, damna ream:
Sed redde crimen. Sum nocens, fateor, Creo.
Talem sciebas esse, cum genua attigi,
Fidemque supplex præsidia dextræ petii.
Terra hac miseriis angulum et sedem rogo,
Latebrasque viles. Urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
C. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,
Testatus equidem videor haud clare parum,
Generum exulem legendo, et afflictum, et gravi
Terrore pavidum. Quippe te pœnæ expetit
Letoque Acastus, regna Thessalica obtinens.
Senio trementem debili atque ævo gravem
Patrem peremtum queritur, et cæsi senis
Discissa membra; cum, dolo captæ tuo,
Piæ sorores impium auderent nefas.
Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri. Nullus innocuum cruor
Contaminavit: abfuit ferro manus;
Proculque vestro purus a cœtu stetit.
Tu, tu malorum machinatrix facinorum,
Cui fœminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famæ memoria est,
Egredere; purga regna; letales simul
Tecum aufer herbas. Libera cives metu:
Alia sedens tellure, sollicita Deos.
M. Profugere cogis? redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. Fugere cur solam iubes?
Non sola veni. Bella si metuis pati,
Utrumque regno pelle. Cur sontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis, iacet.
Fugam rapinasque adice; desertum patrem,
Lacerumque fratrem. Quidquid etiamnum novas
Docet maritus coniuges, non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
C. Iam exisse decuit: quid seris fando moras?
M. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
C. Vade: hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
M. Per ego auspicatos regii thalami toros,

Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema natis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. *C.* Fraudibus tempus petis.
M. Quæ fraus timeri tempore exiguo potest?
C. Nullum ad nocendum tempus angustū est malis.
M. Parumne miseræ temporis lacrymis negas?
C. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exilio dies.
M. Nimis est; recides aliquid ex isto licet:
Et ipsa propero. *C.* Capita supplicium lues,
Clarus priusquam Phœbus attollat diem,
Nisi cedis Isthmo. Sacra me thalami vocant;
Vocat precari festus Hymenæo dies.

Chorus.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur æther,
Non erat usus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates,
Non Oleniæ sidera capræ,
Non quæ sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes:
Nondum Boreas, nondum Zephyrus,
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis; nunc lina sinu
Tendere toto; nunc, prolato
Pede, transversos captare Notos;
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo; nunc in summo
Religare loco, cum iam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, et alto rubicunda tremunt
Suppara velo
Candida nostri secula patres
Videre, procul fraude remota.
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioque senex factus in arvo,
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in unum Thessala pinus;
Iussitque pati verbera pontum;
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum. Dedit illa graves
Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores; cum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsu, velut æthereo
Gemerent sonitu; spargeret astra
Nubesque ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, et omnes
Labente manu misit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyra;
Ipsaque vocem perdidit Argo.
Quid? cum Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter solvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid? cum Ausonium diræ pestes
Voce canora mare mulcerent;
Cum, Pieria resonans cithara,
Thracius Orpheus solitam cantu
Retinere rates pæne coegit
Sirena sequi? quod fuit huius
Pretium cursus? aurea pellis;
Maiusque mari Medea malum,
Merces prima digna carina.
Nunc iam cessit pontus, et omnes
Patitur leges. Non Palladia
Compacta manu, regum referens
Inclyta remos, quæritur Argo.
Quælibet altum cymba pererrat:
Terminus omnis motus, et urbes
Muros terra posuere nova.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxen:
Albim Persæ, Rhenumque, bibunt.
Venient annis sæcula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes;
Nec sit terris ultima Thule.

ACTUS III. *Nutrix, Medea.*

N. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
Resiste, et iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum iam recepto Mænas insanit Deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysæ iugis:
Talis recursat huc et huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat.
Proclamat: oculos uberi fletu rigat:
Renidet: omnia specimen affectus capit;
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.
Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? Exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus.
Se vincet: iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Di fallant metum!
M. Si quæris, odio, misera, quem statuas modum,
Imitare amorem. Regias egon' ut faces
Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, et solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccus polus
Versabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus cessabit in pœnas furor;
Crescetque semper. Quæ ferarum immanitas,
Quæ Scilla, quæ Charybdis, Ausonium mare
Siculumque sorbens, quæve, anhelantem premens
Titana, tantis Ætna fervescit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro sævus, aut vis ignium
Adiuta flatu, possit inhibere impetum,
Irasque nostras. Sternam et evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest.
Sed cesserit coactus, et dederit manus;
Adire certe, et coniugem extremo alloqui
Sermone potuit; hoc quoque extimuit ferox?

Laxare certe tempus immitis fugæ
Genero licebat. Liberis unus dies
Datus duobus! Non queror tempus breve:
Multum patebit. Faciet, hic faciet dies,
Quod nullus unquam taceat. Invadam Deos,
Et cuncta quatiam. *N.* Recipe turbatum malis,
Hera, pectus: animum mitiga. *M.* Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant. Trahere, cum pereas, libet.
N. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

Iason, Medea.

I. O dura fata semper, et sortem asperam,
Cum sævit et cum parcit, ex æquo malam!
Remedia quoties invenit nobis Deus
Periculis peiora? Si vellem fidem
Præstare meritis coniugis, leto fuit
Caput offerendum: si mori nolim, fide
Misero carendum est. Non timor vicit virum,
Sed trepida pietas: quippe sequeretur necem
Proles parentum. O sancta, si cœlum incolis,
Iustitia, numen invoco ac testor tuum.
Nati patrem vicere. Quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde, nec patiens iugi,
Consulere natis malle, quam thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque, ecce, viso memet, exiluit, furit:
Fert odia præ se; totus in vultu est dolor.
M. Fugimus Iason, fugimus. Hoc non est novum,
Mutare sedes: causa fugiendi nova est.
Pro te solebam fugere: discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam,
Patriumque regnum, quæque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras iubes?
Quæ maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe, petam?
Quascumque aperui tibi vias, clausi mihi.
Quo me remittis? exuli exilium imperas,
Nec das. Eatur: regius iussit gener:
Nihil recuso. Dira supplicia ingere;
Merui. Cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira; vinculis oneret manus,
Clusamque saxo noctis æternæ obruat;
Minora meritis patiar. Ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque sævos gentis indomitæ metus,
Armifero in arvo flammeum Æetæ pecus,
Hostisque subiti tela; cum, iussu meo,
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adice expetita spolia Phrixei arietis,
Somnoque iussum lumina ignota dare
Insomne monstrum; traditum fratrem neci;
Et scelere in uno non semel factum scelus;
Iussasque natas, fraude deceptas mea,
Secare membra non revicturi senis.
Aliena quærens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberum, et certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque præteritos metus,
Per cœlum, et undas, coniugii testes mei,
Miserere: redde supplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Usque a perustis Indiæ populis petunt,
Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exul tuli,
Nisi fratris artus. Hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupsi: redde fugienti sua.
I. Perimere cum te vellet infestus Creo,
Lacrymis meis evictus, exilium dedit.
M. Pœnam putabam; munus, ut video, est fuga.
I. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.
Gravis ira regum est semper. *M.* Hoc suades mihi,
Præstas Creusæ: pellicem invisam amoves.
I. Medea amores obicit? *M.* Et cædem, et dolos.
I. Obiicere crimen quod potes tandem mihi?
M. Quodcumque feci. *I.* Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
M. Tua illa, tua sunt illa. Cui prodest scelus,
Is fecit. Omnes coniugem infamem arguant;
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
I. Ingrata vita est, cuius acceptæ pudet.
M. Retinenda non est, cuius acceptæ pudet.
I. Quin potius ira concitum pectus doma.
Placare natis. *M.* Abdico, eiuro, abnuo.
Meis Creusa liberis fratres dabit?
I. Regina natis exulum, afflictis potens.
M. Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole fœda misceat prolem inclytam,
Phœbi nepotes, Sisyphi nepotibus.
I. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quæso. *M.* Supplicem audivit Creo. (lus.
I. Quid facere possim, eloquere. *M.* Pro me? vel sce-
I. Hinc rex, et illinc. *M.* Est et his maior metus,
Medea. Nos confligere certemus, sine;
Sit pretium Iason. *I.* Cedo defessus malis.
Et ipsa casus sæpe iam expertos time.
M. Fortuna semper omnia infra me stetit.
I. Acastus instat; propior est hostis Creo.
M. Utrumque profuge. Nolo ut in socerum manus
Armes; nec, ut te cæde cognata inquines,
Medea cogit: innocens mecum fuge.
I. Et quis resistet, gemina si bella ingruant,
Creo atque Acastus arma si iungant sua?
M. His adice Colchos, adiice Æeten ducem;
Scythas Pelasgis iunge; demersos dabo.
I. Alta extimesco sceptra. *M.* Ne cupias, vide.
I. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
M. Nunc summe toto Iupiter cœlo tona:
Intende dextram: vindices flammas para;
Omnemque ruptis nubibus mundum quate.
Nec diligenti tela librentur manu:
Vel me, vel istum: quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit: non potest in nos tuum
Errare fulmen. *I.* Sana meditari incipe,
Et placida fare. Siquid ex soceri domo
Potest fugam levare, solamen pete.
M. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletque: liberos tantum fugæ
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lacrymas profundam. Te novi nata manent.
I. Parere precibus cupere me fateor tuis;
Pietas vetat: namque, istud ut possim pati,
Non ipse memet cogat et rex et socer.
Hæc causa vitæ est: hoc perusti pectoris
Curis levamen. Spiritu citius queam
Carere, membris, luce. *M.* Sic natos amat?
Bene est: tenetur. Vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata: liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est et illud. Voce iam extrema peto,
Ne, siqua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba; (sed melior tibi)

Memoriæ nostri subeat: hæc, iræ data,
Obliterentur. *I.* Omnia ex animo expuli.
Precorque, et ipsa fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes. Miserias lenit quies.
M. Discessit! Itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. Hoc age; omnes advoca
Vires et artes. Fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. Vix fraudi est locus;
Timemur; hac aggredere, qua nemo potest
Quidquam timere: perge: nunc aude, incipe,
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.
Tu, fida nutrix, socia mœroris mei,
Variique casus, misera consilia adiuva.
Est palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decusque regni, pignus Æetæ datum
A Sole generis. Est et auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comæ.
Hæc nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate; sacra luctifica appara.
Statuantur aræ: flamma iam tectis sonet.

Chorus.

Nulla vis flammæ, tumidique venti,
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniux, viduata tædis,
Ardet et odit.
Non, ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit, properatque torrens
Ister, et iunctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.
Non, ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos nivibus solutis
Sole iam forti, medioque vere,
Tabuit Hæmus.
Cæcus est ignis stimulatus ira;
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet mortem: cupit ire in ipsos
Obvius enses.
Parcite, o Divi! veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.
Ausus æternos agitare currus,
Immemor metæ iuvenis paternæ,
Quos polo sparsit furiosus ignes,
Ipse recepit.
Constitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori:
Rumpe nec sacro, violente, sancta
Fœdera mundi.
Quisquis audacis tetigit carinæ
Nobiles remos, nemorisque sacri
Pelion densa spoliavit umbra;
Quisquis intravit scopulos vagantes,
Et, tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Iura piavit.
Exigit pœnas mare provocatum.
Tiphys in primis, domitor profundi,
Liquit indocto regimen magistro,
Litore externo procul a paternis
Occidens regnis; tumuloque vili
Tectus, ignotas iacet inter umbras.
Aulis, amissi memor inde regis,
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.
Ille, vocali genitus Camœna,
Cuius ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus iacuit per agros.
At caput tristi fluitavit Hebro.
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non rediturus.
Stravit Alcides Aquilone natos:
Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse, post terræ pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Œta,
Præbuit sævis sua membra flammis,
Tabe consumtus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Stravit Ancæum violentus ictu
Setiger. Fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; morerisque dextra
Matris iratæ. Meruere cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus,
Raptus (heu!) tutas puer inter undas?
Ite nunc, fortes; perarate pontum,
Fonte timendo.
Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit serpens. Libycis arenis,
Omnibus verax, sibi falsus uni,
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si vere cecinit futura,
Exul errabit Thetidis maritus:
Igne fallaci nociturus Argis,
Nauplius præceps cadet in profundum:
Patrioque pendet crimine pœnas
Fulmine et ponto moriens Oileus.
Coniugis fatum redimens Pheræi,
Uxor, impendes animam marito.
Ipse, qui prædam spoliumque iussit
Aureum prima revehi carina,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.
Iam satis, Divi, mare vindicastis:
Parcite iusso.

ACTUS IV. *Nutrix.*

Pavet animus, horret: magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, et semet dolor
Accendit ipse, vimque præteritam integrat.
Vidi furentem, sæpe et, aggressam Deos,
Cœlum trahentem: maius his, maius parat
Medea monstrum: namque, ut attonito gradu
Evasit, et penetrale funestum attigit,
Totas opes effudit; et quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita.
Et triste læva [complicans] sacrum manu,
Pestes vocat, quascumque ferventis creat
Arena Libyæ, quasque perpetua nive
Taurus coercet frigore Arctoo rigens;
Et omne monstrum. Tracta magicis cantibus
Squamifera latebris turba desertis adest.
Heic sera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exertat; et, quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestis plicat,

Cogitque in orbes. Parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Cœlo petam venena. Iam iam tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille, vasti more torrentis iacens,
Descendat anguis; cuius immensos duæ
Maior minorque sentiunt nodos feræ;
Maior Pelasgis apta, Sidoniis minor.
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. Adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina:
Et hydra, et omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens, cæde se reparans sua.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam evocavit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustæ malas.
Quæcumque generat invius saxis Eryx;
Quæ fert opertis hieme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis;
Et queis sagittas divites Arabes linunt;
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis:
Quodcumque tellus vere nidifico creat;
Aut rigida cum iam bruma decussit decus
Nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcumque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu.
Hæmonius illas contulit pestes Athos;
Has Pindus ingens: illa Pangæi iugis
Teneram cruenta falce deposuit comam;
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Bætis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado;
Hæc passa ferrum est, dum parat Phœbus diem;
Illius alta nocte succisus frutex;
At huius ungue secta cantato seges:
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit; miscetque et obscœnas aves,
Mœstique cor bubonis, et raucæ strigis
Exsecta vivæ viscera. Hæc scelerum artifex
Discreta ponit: his rapax vis ignium;
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. Sonuit, ecce, vesano gradu,
Canitque: mundus vocibus primis tremit.

Medea.

Comprecor vulgus silentum, vosque ferales Deos,
Et Chaos cæcum, atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squalidæ Mortis specus, (vos.
Suppliciis, animæ, remissis, currite ad thalamos no-
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humū.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
[Gravior Tityi pœna] sedeat coniugis socero mei:
Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; vestras hic dies quærit manus.
Nunc, meis vocata sacris, noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis vinculo solvens comam,
Secreta nudo nemora lustravi pede.
Et evocavi nubibus siccis aquas;
Egique ad imum maria, et Oceanus graves
Interius undas, æstibus victis, dedit:
Pariterque mundus lege confusa ætheris
Et solem et astra vidit; et vetitum mare
Tetigistis, Ursæ. Temporum flexi vices:
Æstiva tellus floruit cantu meo;
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;
Et Ister, in tot ora divisus, truces
Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare,
Tacente vento. Nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meæ:
Die relicto, Phœbus in medio stetit;
Hyadesque, nostris cantibus motæ, labant.
Adesse sacris tempus est, Phœbe, tuis.
Tibi hæc cruenta serta texuntur manu,
Novena quæ serpens ligat;
Tibi hæc, Typhoeus membra quæ discors tulit,
Qui regna concussit Iovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.
Œtæus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ sororis, impiæ matris facem,
Ultricis Althææ vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciæ Stymphalidos,
Lernæa passæ spicula.
Sonuistis, aræ; tripodas agnosco meos,
Favente commotos Dea.
Video Triviæ currus agiles,
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; sed quos facie
Lurida mœsta, cum, Thessalicis
Vexata minis, cœlum freno
Propiore legit. Sic face tristem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum,
Pretiosa sonent æra Corinthi.
Tibi sanguineo cespite sacrum
Sollenne damus: tibi, de medio
Rapta sepulcro, fax nocturnos
Sustulit ignes: tibi, mota caput,
Flexa voces cervice dedi:
Tibi, funereo de more iacens,
Passos cingit vitta capillos:
Tibi iactatur tristis Stygia
Ramus ab unda: tibi, nudato
Pectore, Mænas sacro feriam
Brachia cultro.
Manet noster sanguis ad aras.
Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.
Sacrum laticem percussa dedi.
Quod si nimium sæpe vocari
Quereris, votis ignosce, precor.
Causa vocandi, Persei, tuos
Sæpius arcus, una atque eadem
Semper, Iason. Tu nunc vestes
Tinge Creusæ, quas cum primum
Sumserit, imas urat serpens
Flamma medullas. Ignis, fulvo
Clusus in auro, latet obscurus;
Quem mihi, cœli qui furta luit
Viscere fœto, dedit, et docuit
Condere vires arte, Prometheus.
Dedit et tenui sulfure tectos
Mulciber ignes; et vivacis

Fulgura flammæ de cognato
Phaethonte tuli. Habeo mediæ
Dona Chimæræ.
Habeo flammas usto tauri
Gutture raptas; quas, permixto
Felle Medusæ, tacitum iussi
Servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate;
Donisque meis semina flammæ
Condita serva. Fallant visus,
Tactusque ferant. Meet in pectus
Venasque calor: stillent artus,
Ossaque fument; vincatque suas
Flagrante coma nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, et sacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis est omnis: huc natos voca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite, nati, matris infaustæ genus:
Placate vobis munere et multa prece
Dominam et novercam. Vadite, et celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

Chorus.

Quonam cruenta Mænas,
Præceps amore sævo,
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget; et, caput feroci
Quatiens superba motu,
Regi minatur ultro.
Quis credat exulantem?
Flagrant genæ rubentes;
Pallor fugat ruborem;
Nullum, vagante forma,
Servat diu colorem
Huc fert pedes et illuc,
Ut tigris orba natis
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus; sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorq; causam
Iunxere: quid sequetur?
Quando efferat Pelasgis
Nefanda Colchis arvis
Gressum: metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc Phœbe mitte cur-
Nullo morante loro. (rus,
Nox condat alma lucem:
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

ACTUS V. *Nuntius, Chorus, Nutrix, Medea. Iason.*

Nun. Periere cuncta: concidit regni status.
Nata atque genitor cinere permixto iacent.
C. Qua fraude capti? *Nut.* Qua solent reges capi;
Donis. *C.* In illis esse quis potuit dolus?
Nun. Et ipse miror; vixque, iam facto malo,
Potuisse fieri credo. *C.* Quis cladis modus?
Nun. Avidus per omnem regiæ partem furit,
Ut iussus, ignis: iam domus tota occidit;
Urbi timetur. *C.* Unda flammas opprimat.
Nun. Et hoc in ista clade mirandum accidit;
Alit unda flammas; quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis. Ipsa præsidia occupat.
Nut. Effer citatum sede Pelopeia gradum,
Medea; præceps, quaslibet terras peta.
M. Egon' ut recedam? Si profugissem prius
Ad hoc redirem. Nuptias specto novas.
Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est!
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Cælebs Iason. Quære pœnarum genus
Haud usitatum: iamque sic temet para.
Fas omne cedat; abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt puræ manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita;
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. Quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. Hoc age: et faxo, sciant,
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notæ,
Quæ commodavi scelera. Prolusit dolor
Per ista noster: quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum: crevit ingenium malis.
Iuvat, iuvat rapuisse fraternum caput;
Artus iuvat secuisse, et arcano patrem
Spoliasse sacro. Iuvat, in exitium senis,
Armasse natas. Quære materiam, dolor:
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quæ perfido
Intendis hosti tela? Nescio quid ferox
Decrevit animus intus, et nondum sibi
Audet fateri. Stulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! Quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit: placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit. Ultimum [magnum] scelus
[Animo] parandum est. Liberi quondam mei,
Vos, pro paternis sceleribus, pœnas date.
Cor pepulit horror: membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit. Ira discessit loco:
Materque tota, coniuge expulsa, redit.
Egon' ut meorum liberum ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius, ah demens furor!
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas,
A me quoque absit. Quod scelus miseri luant?
Scelus est Iason genitor, et maius scelus
Medea mater. Occidant: non sunt mei.
Pereant? mei sunt: crimine et culpa carent.
Sunt innocentes: fateor: et frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrymæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor,
Diducit? Anceps æstus incertam rapit.
Ut sæva rapidi bella cum venti gerunt,
Utrimque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet; haud aliter meum
Cor fluctuatur; ira pietatem fugat,
Iramque pietas. Cede pietati, dolor.
Huc, cara proles, unicum afflictæ domus
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Coniungite artus. Habeat incolumes pater,
Dum et mater habeat. Urget exilium, ac fuga.
Iam iam meo rapientur avulsi e sinu,
Flentes, gementes: [o scelus! Pereant patri;
Periere matri.] Rursus increscit dolor,
Et fervet odium: repetit invitam manum
Antiqua Erinnys. Ira, qua ducis, sequor.
Utinam superbæ turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisque septenos parens
Natos tulissem! sterilis in pœnas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? Ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. Quem trabe infesta petit
Megæra? cuius umbra dispersis venit
Incerta membris? Frater est! pœnas petit!
Dabimus. Sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure: pectus en furiis patet.
Discedere a me, frater, ultrices Deas,
Manesque ad imos ire securas, iube:
Mihi me relinque, et utere hac, frater, manu,
Quæ strinxit ensem: victima Manes tuos
Placemus ista. Quid repens affert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostræ tecta conscendam domus,
Cæde inchoata. Perge tu mecum comes,

Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime. Non in occulto tibi est
Perdenda virtus: approba populo manum.
I. Quicumque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus. Huc, huc, fortis, armigeri, cohors,
Conferte tela: vertite ex imo domum.
M. Iam iam recepi sceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediere regna: rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina! O festum diem!
O nuptialem! Vade. Perfectum est scelus;
Vindicta nondum: perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Iam cecidit ira: pœnitet: facti pudet.
Quid, misera feci? Misera, pœniteat licet,
Feci. Voluptas magna me invitam subit:
Et ecce crescit. Deerat hoc unum mihi,
Spectator ipse. Nil adhoc factum reor:
Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.
I. En ipsa tecti parte præcipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. *M.* Congere extremum tuis
Natis, Iason, funus, ac tumulum strue.
Coniux socerque iusta iam functis habent,
A me sepulti. Natus hic fatum tulit;
Hic, te vidente, dabitur exitio pari.
I. Per numen omne, perque communes fugas,
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Iam parce nato. Si quod est crimen, meum est:
Me dede morti; noxium macta caput.
M. Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
I nunc, superbe! virginum thalamos pete;
Relinque matres. *I.* Unus est pœnæ satis.
M. Si posset una cæde satiari manus,
Nullam petisset. Ut duos perimam tamen,
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre siquod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
I. Iam perage cœptum facinus, haud ultra precor;
Moramque saltem suppliciis dona meis.
M. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.
Meus dies est: tempore accepto utimur.
I. Infesta memet perime. *M.* Misereri iubes.
Bene est; peractum est. Plura non habui, dolor,
Quæ tibi litarem. Lumina huc tumida alleva,
Ingrate Iason. Coniugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo. Patuit in cœlum via.
Squamosa gemini colla serpentes iugo
Submissa præbent. Recipe iam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.
I. Per alta vade spatia sublimi ætheris:
Testare nullos esse, qua veheris, Deos.

AGAMEMNON

DRAMATIS PERSONÆ

THYESTES.	AGAMEMNON.
CLYTÆMNESTRA.	CASSANDRA.
NUTRIX.	EURYBATES.
ÆGISTHUS.	ELECTRA.
CHORUS *Argivarum, sive Mycenæarum.*	STROPHIUS.
	CHORUS ILIADUM.
ORESTES, *Muta persona.*	PYLADES, *Muta persona.*

ACTUS I. *Thyestis Umbra.*

Opaca linquens Ditis inferni loca,
Adsum, profundo Tartari emissus specu,
Incertus utras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En, horret animus, et pavor membra excutit:
Video paternos, immo fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiæ limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis. Hoc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus heic habendæ curiæ: heic epulis locus.
Libet reverti: nonne vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla iactantem iubis?
Ubi ille, celeri corpus evinctus rotæ,
In se refertur; ubi per adversum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor;
Ubi tondet ales avida fœcundum iecur;
Et, inter undas fervida exustus siti,
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus Cœlitum dapibus graves.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Reputemus omnes, quos, ob infandas manus,
Quæsitor urna Gnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis;
A fratre vincar. Liberis plenus tribus
In me sepultis, viscera exedi mea.
Nec hactenus Fortuna maculavit patrem;
Sed maius aliud ausa commisso scelus,
Natæ nefandos petere concubitus iubet.
Non pavidus hausi dicta; sed cepi nefas.
Ergo, ut per omnes liberos irem parens,
Coacta fatis nata fert uterum gravem,
Me patre dignum. Versa natura est retro.
Avo parentem, (pro nefas!) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis,
Post fata demum, sortis incertæ fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cuius secutæ mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis,
Post decima Phœbi lustra devicto Ilio,
Adest, daturus coniugi iugulum suæ.
Iam iam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Iam scelera prope sunt; iam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ: causa natalis tui,
Ægisthe, venit. Quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? Respice ad matrem: decet.
Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hiberna longa spatia producunt mora?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur: redde iam mundo diem.

Chorus Argivarum.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.
Alia ex alia cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget, ab imis
Commota vadis, unda nivali
Vicina polo;
Ubi, cœruleis immunis aquis,

Lucida versat plaustra Booles.
Ut præcipites regum casus
Fortuna rotat!
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma recessus
Præbet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora solvit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in præceps? impia quas non
Arma fatigant? Iura, pudorque,
Et coniugii sacrata fides,
Fugiunt aulas: sequitur tristis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæque superbos urit Erinnys,
Nimias semper comitata domos;
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto. Licet arma vacent,
Cessentque doli,
Siduut ipso pondere magna;
Ceditque oneri Fortuna suo.
Vela secundis inflata Notis
Ventos nimium timuere suos.
Nubibus ipsis inserta caput,
Turris pluvio vapulat Austro;
Densasque nemus spargens umbras
Annosa videt robora frangi.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis maiora patent:
Et, cum in pastus armenta vagos
Vilia currant, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum est.
Felix, mediæ quisquis turbæ
Sorte quietus,
Aura stringit litora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiora legit.

Actus II. *Clytæmnestra, Nutrix.*

C. Quid, segnis anime, tuta consilia expetis?
Quid fluctuaris? clusa iam melior via est.
Licuit pudicos coniugis quondam toros,
Et sceptra casta vidua tutari fide.
Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, et omnem prona nequitiam incita:
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc evolve fœmineos dolos,
Quod ulla coniux perfida, atque impos sui,
Amore cæco; quod novercales manus
Ausæ; quod ardens impia virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe:
Ferrum, venena: vel Mycenæas domos,
Coniuncta socio, profuge furtiva rate.
Quid timida loqueris furta, et exilium, et fugas?
Soror ista fecit: te decet maius nefas.
N. Regina Danaum, et inclytum Ledæ genus,
Quid tacita versas? quidve consilii impotens,
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Proin, quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequiit, sæpe sanavit mora.
C. Maiora cruciant, quam ut moras possim pati.
Flammæ medullas et cor exurunt meum.
Mixtus dolori, subdidit stimulos timor.
Invidia pulsat pectus. Hinc animum iugo
Premit Cupido turpis, et vinci vetat;
Et, inter istas mentis obsessæ faces,
Fessus quidem, et deiectus, et pessum datus,
Pudor rebellat. Fluctibus variis agor;
Ut, cum hinc profundum ventus, hinc æstus rapit,
Incerta dubitat unda, cui cedat malo.
Proinde omisi regimen e manibus meis.
Quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret,
Huc ire pergam: fluctibus dedimus ratem.
Ubi animus errat, optimum est casum sequi.
N. Cæca est temeritas, quæ petit casum ducem.
C. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
N. Tuta est, latetque, culpa, si pateris, tua.
C. Perlucet omne regiæ vitium domus.
N. Piget prioris, et novum crimen struis?
C. Res est profecto stulta nequitiæ modus.
N. Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
C. Et ferrum et ignis sæpe medicinæ loco est.
N. Extrema primo nemo tentavit loco.
C. Rapienda rebus in malis præceps via est.
N. At te reflectat coniugii nomen sacrum.
C. Decem per annos vidua, respiciam virum?
N. Meminisse debes sobolis ex illo tuæ.
C. Equidem et iugales filiæ memini faces;
Et generum Achillem. Præstitit matri fidem!
N. Redemit illa classis immotæ moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
C. Pudet, pigetque! Tyndaris, cœli genus,
Lustrale classi Doricæ peperi caput!
Revolvit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopia fecit domo,
Cum stetit ad aras ore sacrifico pater,
Quam nuptiales! horruit Calchas suæ
Responsa vocis, et recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
N. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
C. Non est soluta prospero classis Deo:
Eiecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus, immotus prece,
Sminthea tenuit spolia Phœbei senis,
Ardore sacræ virginis iam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille, solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus æger, et relucentes rogi.
Inter ruentis Græciæ stragem ultimam,
Sine hoste victus, marcet, ac Veneri vacat,
Reparatque amores; neve desertus foret
A pellice unquam barbara cœlebs torus,
Ablatam Achilli diligit Lyrnesida:
Nec rapere puduit a sinu avulsam viri.
En Paridis hostem! nunc, novum vulnus gerens,
Amore Phrygiæ vatis incensus furit:
Et, post tropæa Troica, ac versum Ilium,
Captæ maritus remeat, et Priami gener.
Accingere, anima! bella non levia apparas:
Scelus occupandum est. Pigra, quam exspectas diem?
Pelopia Phrygiæ sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduæ domi,
Patrique Orestes similis? horum te mala
Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid misera cessas? En, adest natis tuis
Furens noverca. Per tuum, si aliter nequit,
Latus exigatur ensis, et perimat duos.
Misce cruorem: perde pereundo virum.
Mors misera non est, commori cum quo velis.
N. Regina, frena temet, et siste impetum;
Et, quanta tentes, cogita. Victor venit
Asiæ ferocis, ultor Europæ: trahit

Captiva Pergama, et diu victos Phrygas;
Hunc fraude nunc conaris et furto aggredi?
Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum;
Non melior Aiax, morte decreta furens;
Non sola Danais Hector et bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus, armis corpora immixtis gerens,
Fluctusque Simois cæde purpureos agens;
Non nivea proles Cycnus æquorei Dei:
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx;
Non picta pharetras, et securigera manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, et aras cæde maculare impia?
Victrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos et arma, classibusque horrens fretum,
Propone, et alto sanguine exundans solum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regesta Danais. Comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam.

Ægisthus, Clytæmnestra, Nutrix.

Æ. Quod tempus animo semper ac mente horrui,
Adest profecto rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira sævos fata moliri Deos.
Oppone cunctis vile suppliciis caput,
Ferrumque et ignes pectore adverso excipe.
C. Ægisthe, non est pœna sic nato mori.
Æ. Tu nos, pericli socia, tu, Leda sata,
Comitare tantum: sanguinem reddet tibi
Ignavus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Iacensque vultus languido obtutu stupet?
C. Amor iugalis vincit, ac flectit retro.
Referamur illuc, unde non decuit prius
Abire: vel nunc casta repetatur fides:
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse pæne est innocens.
Æ. Quo raperis amens? credis aut speras tibi
Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil
Subesset animo, quod graves faceret metus;
Tamen superba et impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Gravis ille sociis, stante adhuc Troia, fuit.
Quid rere ad animum suapte natura trucem
Troiam addidisse? Rex Mycenarum fuit;
Veniet tyrannus. Prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! sola sed turba eminet,
Tenetque regem, famula veridici Dei.
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. Ultimum est nuptæ malum
Palam mariti possidens pellex domum.
Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.
C. Ægisthe, quid me rursus in præceps rapis,
Iramque flammis iam residentem incitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi:
Nec coniugem hoc respicere, nec dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato in toro.
Quid, quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
Æ. Ita est: pacisci mutuam veniam licet.
Ignota tibi sunt iura regnorum, aut nova?
Nobis maligni iudices, æqui sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si, quidquid aliis non licet, solis licet.
C. Ignovit Helenæ: iuncta Menelao redit,
Quæ Europam et Asiam paribus afflixit malis.
Æ. Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit,
Nec cepit animum coniugi obstrictum suæ.
Iam crimen ille quærit, et causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi;
Quid honesta prodest vita, flagitio vacans,
Ubi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartamne repetes spreta, et Eurotan tuum,
Patriasque sedes, profuga? Non dant exitum
Repudia regum: spe metum falsa levas.
C. Delicta novit nemo, nisi fidus, mea.
Æ. Non intrat unquam regium limen fides.
C. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
Æ. Pretio parata, vincitur pretio fides.
C. Surgit residuus pristinæ mentis pudor.
Quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala
Consilia dictas? Scilicet nubet tibi,
Regum relicto rege, generosa exuli?
Æ. Et cur Atrida videor inferior tibi,
Natus Thyestæ? *C.* Si parum est, adde et nepos.
Æ. Auctore Phœbo gignor: haud generis pudet.
C. Phœbum nefandæ stirpis auctorem vocas,
Quem, nocte subita frena revocantem sua,
Cœlo expulistis? quid Deos probro advocas?
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum scimus illicita virum.
Facesse propere, ac dedecus claræ domus
Asporta ab oculis: hæc vacat regi ac viro.
Æ. Exilia mihi sunt haud nova: assuevi malis.
Si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror iussu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis grave.
C. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?
Quæ iuncta peccat, debet et culpæ fidem.
Secede mecum potius, ut rerum statum
Dubium ac minacem iuncta consilia explicent.

Chorus Argivarum.

Canite, o pubes inclyta, Phœbum:
Tibi festa caput turba coronat:
Tibi virgineas, laurum quatiens,
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. Tu quoque nostros,
Thebais hospes, comitare choros,
Quæque Erasini gelidos fontes,
Quæque Eurotan, quæque virenti
Tacitum ripa bibis Ismenon,
Quam fatorum præscia Manto,
Sata Tiresia, Latonigenas
Monuit sacris celebrare Deos.
Arcus, victor pace relata,
Phœbe, relaxa,
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citata vocale chelys.
Nil acre, velim,
Magnumque, modis intonet altis:
Sed quale soles leviore lyra
Flectere carmen simplex; lusus
Cum docta tuos Musa recenset.
Licet et chorda graviore sones,
Quale canebas, cum Titanas
Fulmine victos videre Dei;
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris: stetit imposita
Pelion Ossæ: pinifer ambos
Pressit Olympus.

Ades, o magni, soror et coniux,
Consors sceptri, regia Iuno:
Tua te colimus turba Mycenæ:
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis:
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multifora tibia buxo
Sollenne canit: tibi fila movent
Docta puellæ carmine molli.
Tibi votivam matres Graiæ
Lampada iactant: ad tua coniux
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata iugo.
Tuque, o magni nata Tonantis,
Inclyta Pallas, quæ Dardanias
Sæpe petisti cuspide turres;
Te permixto matrona minor
Maiorque choro colit; et reserat,
Veniente Dea, templa sacerdos:
Tibi nexilibus turba coronis
Redimita venit.
Tibi grandævi lassique senes,
Compote voto, reddunt grates,
Libantque manu vina trementi.
Et te Triviam nota memores
Voce precamur. Tu maternam
Sistere Delon, Lucina, iubes,
Huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis: nunc iam stabilis
Fixa terras radice tenet;
Respuit auras; religatque rates,
Assueta sequi. Tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras:
Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum;
Et adhuc lacrymas marmora fundunt
Antiqua novas.
Colit impense fœmina virque
Numen geminum: tuque, ante omnes,
Pater ac rector, fulmine pollens,
Cuius nutu simul extremi
Tremuere poli, generis nostri
Iupiter auctor, cape dona libens;
Abavusque tuam non degeneram
Respice prolem.
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ ferens.
Namque hasta summo lauream ferro gerit.
Fidusque regi semper Eurybates adest.

ACTUS III. *Eurybates, Clytæmnestra.*

E. Delubra et aras Cœlitum, et patrios Lares,
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. Vota Superis, solvite:
Telluris altum remeat Argolicæ decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
C. Felix ad aures nuntius venit meas.
Ubinam petitus per decem coniux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
E. Incolumis, auctus gloria, laude inclytus,
Reducem expetito litori impressit pedem.
C. Sacris colamus prosperum tandem diem,
Et, si propitios, attamen lentos, Deos.
Tu pande, vivat coniugis frater mei;
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
E. Meliora votis posco, et obtestor Deos:
Nam certa fari sors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides, æquora immenso vagus,
Graviora pelago damna, quam bello, tulit;
Remeatque victo similis, exiguas trahens
Lacerasque victor classe de tanta rates.
C. Effare, casus quis rates hausit meas?
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces?
E. Acerba fatu poscis: infaustum iubes
Miscere læto nuntium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.
C. Exprome. Clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem: dubia plus torquent mala.
E. Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
Divisa præda est. Maria properantes petunt.
Iamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes iacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora est.
Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,
Aurata primas prora designat vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis. Unda vix actu levi,
Tranquilla, Zephyri mollis afflatu, tremit;
Splendetque classe pelagus, et pariter latet.
Iuvat videre nuda Troiæ litora;
Iuvat relicti sola Sigæi loca.
Properat iuventus omnis adductos simul
Lentare remos: adiuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant æquora, et latera increpant;
Dirimuntque canæ cærulum spumæ mare.
Ut aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas: credita est vento ratis:
Fususque transtris, miles aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat; Hectoris fortis minas,
Currusque, et empto redditum corpus rogo:
Sparsum cruore regis Herceum Iovem.
Tunc, qui iacente reciprocus ludit salo,
Tumidumque pando transilit dorso mare,
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agitatque gyros, et comes lateri adnatat,
Anteire naves lætus, et rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra, lascivit chorus;
Millesimam nunc ambit et lustrat ratem.
Iam litus omne tegitur, et campi latent;
Et dubia parent montis Idæi iuga;
Et iam, quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Iam lassa Titan colla relevabat iugo;
In astra iam lux prona, iam præceps dies;
Exigua nubes, sordido crescens globo,
Nitidum cadentis inquinat Phœbi iubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cœlum sparserat stellis: iacent
Deserta vento vela: tum murmur grave,
Maiora minitans, collibus summis cadit;
Tractuque longo litus ac petræ gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet;
Cum subito luna conditur, stellæ latent:
In astra pontus tollitur: cœlum perit.
Nec una nox est; densa tenebras obruit
Caligo, et, omni luce subducta, fretum
Cœlumque miscet. Undique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus infimo eversum solo,

Adversus Euro Zephyrus, et Boreæ Notus.
Sua quisque mittunt tela, et infesti fretum
Emoliuntur. Turbo convolvit mare:
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.
Nec manet in Austro; fit gravis nimbis Notus;
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna, et Eoos sinus.
Quid rapidus ora Corus Oceano exerens?
Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes cœlo Deos
Decidere, et atrum rebus induci chaos.
Vento resistit æstus, et ventus retro
Æstum revolvit. Non capit sese mare;
Undasque miscent imber et fluctus suas.
Nec hoc levamen denique ærumnis datur,
Videre saltem, et nosse, quo pereant malo.
Premunt tenebræ lumina, et diræ Stygis
Inferna nox est. Excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat:
Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ;
Hoc lumen optant. Ipsa se classis premit;
Et prora proræ nocuit, et lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritque, et alto redditam revomit mare:
Hæc onere sidit: illa convulsum latus
Submittit undis; fluctus hanc decimus tegit.
Hæc, lacera, et omni decore populato levis,
Fluitat; nec illi vela nec tonsæ manent,
Nec rectus altas malus antennas ferens;
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio et usus audet: ars cessit malis.
Tenet horror artus: omnis officio stupet
Navita relicto: remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor;
Eademque Superos Troes et Danai rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Ulysses, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo. Quisquis ad Troiam iacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit gradu:
Quem fama servat, victa quem tellus premit.
Nil nobile ausos pontus atque undæ ferent?
Ignava fortes fata consument viros?
Perdenda mors est? Quisquis es nondum malis
Satiate tantis Cœlitum, tandem tuum
Numen sereno. Cladibus nostris daret
Vel Troia lacrymas. Odia si durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos simul perire nobiscum iuvat,
Quibus perimus? Sistite infestum mare.
Vehit ista Danaos classis? et Troas vehit.
Nec plura possunt: occupat vocem mare.
Ecce alia clades! fulmine irati Iovis
Armata, Pallas, quidquid aut hasta minax,
Aut ægide et furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat; et cœlo novæ
Spirant procellæ. Solus invictus malis,
Luctatur Aiax. Vela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu
Certum reducta Pallas excussit manu,
Imitata patrem. Transit Aiacem et ratem;
Ratisque partem secum et Aiacis tulit.
Nil ille motus, arduus ut cautes, salo
Ambustus exstat; dirimit insanum mare,
Fluctusque rumpit pectore; et navem manu
Complexus in se traxit; et cæco mari
Collucet Aiax: omne resplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,
Superasse nunc se pelagus, atque ignes: iuvat
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare:
Non me fugavit bellici terror Dei:
Et Hectorem una solus et Martem tuli:
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.
Cum Phrygibus istos vicimus: tene horream?
Aliena inerti tela mittis dextera?
Quid si ipse mittat? Plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit:
Terraque et igne victus et pelago iacet.
Nos alia maior naufragos pestis vocat.
Est humilis unda, scrupeis mendax vadis,
Ubi saxa rapidis clusa verticibus tegit
Fallax Caphareus: æstuat scopulis fretum,
Fervetque semper fluctus alterna vice:
Arx imminet prærupta, quæ spectat mare
Utrimque geminum; Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia iungi maria Phrixeia vetat;
Hinc scelere Lemnon nobilem; hinc et Chalcida;
Tardamque ratibus Aulida. Hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, et clarum manu
Lumen nefanda vertice e summo efferens,
In saxa duxit perfida classem face.
Hærent acutis rupibus fixæ rates:
Has inopis undæ brevia comminuunt vada:
Pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet.
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit. Iam timent terram rates,
Et maria malunt. Cecidit in lucem furor:
Postquam litatum est Ilio, Phœbus redit;
Et damna noctis tristis ostendit dies.
C. Utrumne doleam, læter an reducem virum?
Remeasse lætor: vulnus at regni grave
Lugere cogor. Redde iam Graiis, Pater
Altisona quatiens regna, placatos Deos.
Nunc omne læta fronde veletur caput:
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomtæ comas,
Iliades adsunt: quas super, celso gradu,
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

Chorus Iliadum, Cassandra.

Ch. Heu! quam dulce malum mortalibus additum,
Vitæ dirus amor; cum pateat malis
Effugium, et miseros libera mors vocet,
Portus æterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta: nullos civium cœtus
Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris;
Non acies feras,
Pulvereamque nubem,
Motam Barbaricis equitum catervis,
Hostica aut muros populante flamma,
Urbe cum tota populos cadentes;
Indomitumve bellum. Perrumpet omne
Servitium contemtor levium Deorum,
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetque vitæ ponere finem.
Par ille regi, par Superis erit.
O! quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,

Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei Thetidisque natus,
Carusque Palidæ nimium feroci
Vicit, acceptis cum fulsit armis,
Fuditque Troas falsus Achilles;
Aut cum ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci: restitit annis
Troia bis quinis,
Unius noctis peritura furto.
Vidimus simulata dona molis immensæ;
Danaumque fatale munus duximus nostra
Creduli dextra; tremuitque sæpe
Liminis in primo sonipes, cavernis
Conditos reges bellumque gestans:
Et licuit versare dolos, ut ipsi
Fraude sua capti caderent Pelasgi.
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitumque murmur percussit aures:
Et fremuit male subdolo
Parens Pyrrhus Ulyssi.
Secura metus, Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquævi gregis Astyanax,
Hinc Æmonio desponsa rogo,
Ducunt turmas; hæc fœmineas,
Ille viriles.
Festæ matres votiva ferunt
Munera Divis: festi patres
Adeunt aras: unus tota est
Vultus in urbe.
Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, læta est Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quidve extremum, deflere paras?
Mœnia, Divum fabricata manu,
Diruta nostra?
An templa Deos super usta suos?
Non vacat istis lacrymare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, senis in iugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingui.
Ca. Cohibete lacrymas, omne quas tempus petit,
Troades, et ipsæ vestra lamentabili
Lugete gemitu funera: ærumnæ meæ
Socium recusant. Cladibus questus meis
Removete: nostris ipsa sufficiam malis.
Ch. Lacrymas lacrymis miscere iuvat.
Magis exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ. Iuvat in medium
Deflere suos; nec enim, quamvis
Dura virago, patiensque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non, quæ verno nobile carmen
Ramo cantat tristis aedon,
Ityn in varios modulata sonos;
Non, quæ tectis Bistonos ales
Residens summis, impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit digne
Conquesta domum; licet ipse velit,
Clarus niveos inter olores,
Istrum Cycnus Tanaimque colens,
Extrema loqui: licet alcyones
Ceyca suum fluctu leviter
Plangente sonent, cum tranquillo
Male confisæ credunt iterum
Pelago audaces, fœtusque suos
Nido pavidæ titubante fovent;
Non, si, molles imitata viros,
Tristis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti,
Pectora rauco concita buxo,
Ferit, ut Phrygium lugeat Attin.
Non est lacrymis, Cassandra, modus;
Quia, quæ patimur, vicere modum.
Sed cur sacratas deripis capiti infulas?
Miseris colendos maxime Superos reor.
Ca. Vicere nostra iam metus omnes mala.
Equidem nec ulla Cœlites placo prece;
Nec, si velint sævire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ iam soror?
Bibere tumuli sanguinem atque aræ meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regia miseri senes
Vacua relicti, totque per thalamos vident,
Præter Lacænam, cæteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, et regimen Phrygum,
Fœcunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.
Circa ruinas rabida latravit suas,
Troiæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.
Ch. Silet repente Phœbas; et pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittæ; mollis horrescit coma.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina, et, versi retro,
Torquentur oculi: rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditurque celsa: nunc reluctantes parat
Reserare fauces; verba nunc clauso male
Custodit ore, mænas impatiens Dei.
Ca. Quid me, furoris incitam stimulis novi,
Quid mentis inopem, sacra Parnassi iuga
Rapitis? Recede, Phœbe: iam non sum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor vesana? cui bacchor furens?
Iam Troia cecidit: falsa quid vates ago?
Ubi sum? fugit lux alma, et obscurat genas
Nox alta; et æther abditus tenebris latet.
Sed, ecce, gemino sole præfulget dies;
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idæa cerno nemora; fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor Deas.
Timete, reges, moneo, furtivum genus:
Agrestis ille alumnus evertet domum.
Quid ista vecors tela fœminea manu
Destricta præfert? quem petit dextra virum
Lacæna culte ferrum Amazonio gerens?
Quæ versat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum, colla vexatus, iacet
Ignobili sub dente Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leæ.
Quid me vocatis sospitem solam e meis,
Umbræ meorum? Te sequor, tota pater
Troia sepulte. Frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaum, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus;
Sed lacera membra, et saucios vinclo gravi
Illos lacertos. Te sequor, nimium cito
Congresse Achilli Troile. Incertos geris,
Deiphobe, vultus, coniugis munus novæ.

Iuvat per ipsos ingredi Stygios lacus;
Iuvat videre Tartari sævum canem,
Avidique regna Ditis. Hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque. Vos, Umbræ, precor,
Iurata Superis unda, te pariter precor;
Reserate paulum terga nigrantis poli,
Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.
Spectate, miseri: fata se vertunt retro.
Instant Sorores squalidæ:
Sanguinea iactant verbera:
Fert læva semustas faces;
Turgentque pallentes genæ;
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia:
Strepuntque nocturni metus;
Et ossa vasti corporis,
Corrupta longinquo situ,
Palude limosa iacent.
Et ecce defessus senex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Mœstus futuro funere.
Exultat, et ponit gradus
Pater decoros Dardanus.
Ch. Iam pervagatus ipse se fregit furor,
Caditque; flexo qualis ante aras genu
Cervice taurus vulnus incisa gerens.
Relevemus artus entheos. Tandem suos,
Victrice lauro cinctus, Agamemnon adit;
Et festa coniux obvios illi tulit
Gressus: reditque iuncta concordi gradu.

ACTUS IV. *Agamemnon, Cassandra.*

A. Tandem revertor sospes ad patrios Lares.
O cara, salve, terra! Tibi tot Barbaræ
Dedere gentes spolia: tibi, felix diu,
Potentis Asiæ Troia submisit manus.
Quid ista vates, corpus effusa, ac tremens,
Dubia labat cervice? famuli, attollite.
Refovete gelido latice. Iam recipit diem
Marcente visu. Suscita sensus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adest.
Festus dies est. *C.* Festus et Troiæ fuit.
A. Veneremur aras, *C.* Cecidit ante aras pater.
A. Iovem precemur pariter. *C.* Herceum Iovem?
A. Credis videre te Ilium? *C.* Et Priamum simul.
A. Hic Troia non est. *C.* Ubi Helena est, Troiā puto.
A. Ne metue dominā famula. *C.* Libertas adest.
A. Secura vive. *C.* Mors mihi est securitas.
A. Nullum est periclū tibimet. *C.* At magnū tibi est.
A. Victor timere quid potest? *C.* Quod non timet.
A. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,
Retinete, ne quid impotans peccet furor.
At te, Pater, qui sæva torques fulmina,
Pellisque nubes, sidera et terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te, sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Iuno, pecore votivo, libens,
Arabumque donis, supplice et fibra, colam.

Chorus Argivarum.

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratæ carum novercæ,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem æquasti numerum Deorum:
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi cœlo magnus Alcides;
Cui lege mundi Iupiter rupta
Roscidæ noctis geminavit horas,
Iussitque Phœbum tardius celeres
Agitare currus, et tuas lente
Remeare bigas, pallida Phœbe:
Retulit pedem, nomen alternis
Stella quæ mutat, seque mirata est
Hesperum dici: Aurora movit
Ad solitas vices caput, et, relabens,
Imposuit senis humero mariti.
Sensit Ortus, sensit Occasus,
Herculem nasci: violentus ille
Nocte non una poterat creari.
Tibi concitatus substitit mundus,
O puer magnum subiture cœlum!
Te sensit Nemeæus arcto,
Pressus lacerto, fulmineus leo,
Cervaque Parrhasis.
Sensit Arcadii populator agri:
Gemuitque taurus, Dictæa linquens
Horridus arva.
Morte fœcundum domuit draconem,
Vetuitque collo pereunta nasci:
Geminosque fratres, pectore ab uno
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans; duxitque ad Ortus
Hesperium pecus,
Geryonæ spolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebrive ripis, pavit tyrannus;
Hospitum dirus stabulis cruorem
Præbuit sævis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis aurigæ.
Vidit Hippolyta ferox
Pectore in medio rapi spolium: et sagittis
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit cœlo:
Arborque pomis fertilis aureis
Extimuit manus, insueta carpi,
Fugitque in suras leviore ramo:
Audivit sonitum crepitante lamna
Frigidus custos nescius somni,
Linqueret cum iam nemus omne fulvo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cœlum canis inferorum
Triplici catena, tacuit, nec ullo
Latravit ore, lucis ignotæ
Metuens colorem. Te duce, succidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce, concidit totidem diebus
Troia, quot annis.

ACTUS V. *Cassandra.*

Res agitur intus magna, par annis decem.
Eheu! quid hoc est? anime, consurge, et cape
Pretium furoris. Vicimus victi Phryges!
Bene est! resurgis, Troia: traxisti iacens
Pares Mycenas: terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam providæ mentis furor
Ostendit oculis. Video, et intersum, et fruor.
Imago visus dubia non fallit meos:
Spectamus. Epulæ, regia instructæ domo,
(Quales fuerunt ultimæ Phrygibus dapes)
Celebrantur. Ostro lectus Iliaco nitet;
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt;
Et ipse picta veste sublimis iacet,
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles iubet,

Induere potius coniugis fidæ manu
Textos amictus. Horreo, atque animo tremo.
Regemne perimet exul, et adulter virum?
Venere fata: sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, et cruor Baccho incidet:
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis: exitum manibus negat,
Caputque laxi et invii cludunt sinus.
Haurit trementi semivir dextra latus,
Nec penitus adigit: vulnere in medio stupet.
At ille, ut altis hispidus silvis aper,
Cum, casse vinctus, tentat egressus tamen,
Arctatque motu vincla, et incassum furit;
Cupit fluentes undique et cæcos sinus
[Disiicere;] et hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens:
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, ante quam ferro petat;
Sic huc et illuc impiam librat manum.
Habet: peractum est: pendet exigua male
Caput amputatum parte; et hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu iacent.
Nondum recedunt: ille iam exanimem petit,
Laceratque corpus: illa fodientem adiuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis;
Hic est Thyestæ natus, hæc Helenæ soror.
Stat, ecce, Titan dubius, emerito die,
Suane currat, an Thyestæa via.

Electra, Strophius,
Orestes et Pylades, mutæ personæ.

E. Fuge, o paternæ mortis auxilium unicum!
Fuge, et scelestas hostium evita manus.
Eversa domus est funditus: regna occidunt.
Hospes quis iste concitos currus agit?
Germane, vultus veste furabor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos fugis?
Domus timenda est. Pone iam trepidos metus,
Oresta: amici fida præsidia intuor.
S. Phocide relicta, Strophius, Elea inclytus
Palma, revertor: causa veniendi fuit,
Gratari amico, cuius impulsum manu
Cecidit decenni Marte concussum Ilium.
Quænam ista lacrymis lugubrem vultum rigat,
Pavetque mœsta? Regium agnosco genus.
Electra, fletus causa quæ læta in domo est?
E. Pater peremtus scelere materno, iacet:
Comes paternæ quæritur natus neci:
Ægisthus arces Venere quæsitas tenet.
S. O nulla longi temporis felicitas!
E. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios Deos,
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
S. Etsi timendum cæsus Agamemnon docet,
Aggrediar; et te, Oresta, furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis,
Insigne frontis: læva, victricem tenens
Frondem, virenti protegat ramo caput:
Et ista donum palma Pisæi Iovis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.
Tuque, o, paterni assideus frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Græcia nunc teste, veloces, equi,
Infida cursu fugite præcipiti loca.
E. Excessit: abiit: currus effreno impetu
Effugit aciem. Tuta iam opperiar meos
Hostes, et ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta coniugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculata gerit.
Manus recenti sanguine etiamnum madent;
Vultusque præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras; patere me vittis tuis,
Cassandra, iungi, paria metuentem tibi.

Clytæmnestra, Electra, Ægisthus, Cassandra.

Cl. Hostis parentis! impium atque audax caput!
Quo more cœtus publicos, virgo, petis?
E. Adulterorum virgo deserui domum.
Cl. Quis esse credat virginem? *E.* Natam tuam.
Cl. Modestius cum matre. *E.* Pietatem doces!
Cl. Animos viriles corde tumefacto geris:
Sed agere domita fœminam disces malo.
E. Nisi forte fallor, fœminas ferrum decet.
Cl. Et esse, demens, te parem nobis putas?
E. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Ut vidua loquere. Vir caret vita tuus.
Cl. Indomita post hæc virginis verba impiæ
Regina frangam. Citius interea mihi
Edissere, ubi sit natus, ubi frater tuus.
E. Exiit Mycenas. *Cl.* Redde nunc natum mihi.
E. Et tu parentem redde. *Cl.* Quo latitat loco?
E. Tuto, quietus, regni non metuens nova.
Iustæ parenti satis, at iratæ parum.
Cl. Morieris hodie. *E.* Dummodo hac moriar manu;
Recedo ab aris. Sive te iugulo iuvat
Mersisse ferrum, præbeo iugulum volens;
Seu, more pecudum, colla resecari placet,
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est; cæde respersam viri,
Atque obsoletam, sanguine hoc dextram ablue.
Cl. Consors pericli pariter ac regni mei,
Ægisthe, gradere. Nata genitricem impie
Probris lacessit: abditum fratrem occulit.
Æ. Furibunda virgo, vocis infandæ sonum,
Et aure verba indigna materna, opprime.
E. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera natus, nomen ambiguum suis,
Idem sororis natus, et patris nepos?
Cl. Ægisthe, cessas impium ferro caput
Demetere? Fratrem reddat, aut animam statim.
Æ. Abstrusa cæco carcere et saxo exigat
Ævum, per omnes torta pœnarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, pædore obsita,
Vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus,
Æthere negato: sero succumbet malis.
E. Concede mortem. *Æ.* Si recusares, darem.
Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.
E. Mortem aliquid ultra est? *Æ.* Vita, si cupias mori.
Cl. Abripite, famuli, monstrum, et avectam procul
Ultra Mycenas, ultimo in regni angulo,
Vincite septam nocte tenebrosi specus,
Ut inquietam virginem carcer domet.
At ista pœnas capite persolvat suo,
Captiva coniux, regii pellex tori.
Trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.
Ca. Ne trahite: vestros ipsa præcedam gradus.
Perferre prima nuntium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus eversis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis lueret malis,
Perisse dono fœminæ, stupro, dolo.
Nihil moramur: rapite! Quin grates ago.
Tantum iuvat vixisse, post Troiam, iuvat.
Cl. Furibunda, morere! *Ca.* Veniet et vobis furor.

HERCULES OETAEUS

DRAMATIS PERSONÆ

HERCULES. HYLLUS. ALCMENA.
CHORUS *Ætolarum Mulierum.* NUTRIX.
DEIANIRA. IOLE. PHILOCTETES.
CHORUS *Œchaliarum Virginum.*
LICHAS, *muta persona.*
Iole et Chorus Œchalidum sunt προτατικὰ πρόσωπα.

ACTUS I. *Hercules.*

Sator Deorum, cuius excussum manu
Utræque Phœbi sentiunt fulmen domus,
Secura regna: protuli pacem tibi,
Quacumque Nereus porrigi terras vetat.
Non est tonandum: perfidi reges iacent,
Sævi tyranni. Fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum: sed mihi cœlum, parens,
Adhuc negatur! Parui, certa Iove
Ubique dignus: teque testata est meum
Patrem noverca. Quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?
Quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi
Certe remisit. Omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aer, inferi.
Nullus per urbes errat Arcadias leo:
Stymphalis icta est, Mænali nulla est fera:
Sparsit peremtus aureum serpens nemus:
Et hydra vires posuit; et, notos Hebro,
Cruore pingues hospitum fudi greges;
Hostisque traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi silentum fata: nec tantum redii;
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. Nullus Antæus Libys
Animam resumit: cecidit ante aras suas
Busiris: una est Geryon sparsus manu;
Taurusque, populis horridus centum pavor.
Quodcumque tellus genuit infesta, occidit,
Meaque fusum est dextera. Iratis Deis
Non licuit esse. Si negat mundus feras,
Animum noverca, redde nunc nato patrem,
Vel astra forti. Nec peto ut monstres iter:
Permitte tantum, genitor; inveniam viam.
Vel, si times, ne terra concipiat feras;
Properet malum quodcumque, dum terra Herculem
Habet, videtque. Nam quis invadet mala?
Aut quis per urbes rursus Argolicas erit
Iunonis odio dignus? In tutum meas
Laudes recepi: nulla me tellus silet.
Me sensit Ursæ frigidum Scythicæ genus,
Indusque Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor: occurri tibi
Quacumque fulges: nec meos lux prosequi
Potuit triumphos. Solis excessi vices;
Infraque nostras substitit metas dies.
Naturæ cessit: terra defecit gradum.
Laxata per me nox: et extremum chaos
In me cucurrit: inde ad hunc orbem redii,
Unde retro nemo. Tulimus Oceani minas;
Nec ulla valuit quatere tempestas ratem,
Quacumque pressi. Pars quota est, quem prosequor?
Iam vacuus æther non potest odiis tuæ
Sufficere nuptæ; quasque devincam feras,
Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Feræ negantur. Hercules monstri loco
Iam cœpit esse. Quanta nunc fregi mala;
Quot scelera nudus! Quidquid immane obstitit,
Solæ manus stravere: nec iuvenis feras
Timui, nec infans. Quidquid est iussum, leve est;
Nec ulla nobis segnis illuxit dies.
O! quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperavit! Institit virtus mihi
Iunone peior. Sed quid impavidum genus
Fecisse prodest? Non habent pacem Dei:
Purgata tellus omnis in cœlo videt
Quodcumque timuit: transtulit Iuno feras.
Ambit peremtus Cancer ardentem plagam,
Libyæque sidus fertur, et messes alit.
Annum fugatæ tradit Astrææ Leo.
At ille, iactans fervidam cœlo iubam,
Austrum madentem siccat, et nimbos trahit.
Invasit omnis, ecce, iam cœlum fera,
Meque antecessit. Victor e terris meos
Specto labores. Astra portentis prius
Ferisque Iuno tribuit, ut cœlum mihi
Faceret timendum. Sparserit mundum licet,
Cœlumque terris peius, ac peius Styge,
Irata faciat; dabitur Alcidæ locus.
Si, post feras, post bella, post Stygium canem,
Nondum astra merui, Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus; una iam tellus erit:
Illinc fugabo maria, si iungi iubes;
Committat undas Isthmus; at, iuncto salo,
Nova ferantur Atticæ puppes via.
Mutetur orbis: vallibus currat novis
Ister, novasque Tanais accipiat vias:
Da, da tuendos, Iupiter, saltem Deos.
Illa licebit fulmen a parte auferas,
Ego quam tuebor. Sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem iubes,
Hac esse Superos parte securos puta.
Cirrhæa Pæan templa, et ætheream domum,
Serpente cæso, meruit: at quoties iacet
Python in hydra? Bacchus at Perseus Deis
Iam se intulere: sed quota est mundi plaga
Oriens subactus? aut quota est Gorgon fera?
Quis astra natus laudibus meruit suis
Ex te et noverca? quem tuli, mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculei, Licha,
Præfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratumque regnum: vos pecus rapite ocyus,
Qua, templa tollens, ara Cenæi Iovis
Austro timendum spectat Euboicum mare.

Chorus Œchaliarum Virginum, Iole.

C. Par ille est Superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit. Mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.
Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit fluminis ultimi,
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.
Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis
Ponto, cum Borean expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Ut litus medio speret in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies et lacrymæ tenent,
Et crinis patrio pulvere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris, Mors miseros fugis.

[Stamus, nec patria est: messibus, heu! locus
Et silvis dabitur;] lapsaque sordidæ
Fient templa casæ. Iam gelidus Dolops
Hac ducet pecudes, qua tepet obrutus,
Stratæ qui superest Œchaliæ, cinis.
Illo Thessalicus pastor in oppido
Indocta referens carmina fistula,
Cantu nostra canet tempora flebili.
Et, dum pauca Deus sæcula contrahit,
Quæretur, patriæ quis fuerit locus.
Felix incolui non steriles focos,
Nec ieiuna soli iugera Thessali.
Ad Trachina vocor, saxa rigentia,
Et dumeta iugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At, si quas melior sors famulas vocat,
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircæa colent mœnia, qua fluit
Ismenos tenui flumine languidus.
Heic mater tumidi nupserat Herculis.
Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia,
Quæ virgata tibi præbuit ubera?
Falsa est de geminis fabula noctibus,
Æther cum tenuit sidera longius,
Commisitque vices Lucifer Hespero,
Et solem vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus pervia membra sunt.
Ferrum sentit hebes; lentior est chalybs:
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit; fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuspides,
Non arcus Scythica tensus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus;
Aut qui, soliferæ suppositus plagæ,
Vicino Nabathæ vulnera dirigit
Parthus, Gnossiacis certior ictibus.
Muros Œchaliæ corpore propulit.
Nil obstare valet: vincere quod parat,
Iam victum est. Quota pars vulnere concidit?
Pro fato [potuit] vultus iniquior;
Et vidisse sat est Herculeas minas.
Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges,
Supra Thessalicos cum stetit aggeres,
Ut cœlo insereret vipereas manus,
Hoc vultu riguit? Commoda cladibus
Magnis magna patent. Nil superest mali:
Iratum miseræ vidimus Herculem.
I. At ego infelix, non templa suis
Collapsa Deis, sparsosve focos,
Natis mixtos arsisse patres,
Hominique Deos, templa sepulcris;
Nullum querimur commune malum.
Alio nostras Fortuna vocat
Lacrymas: alias flere ruinas
Mea fata iubent. Quæ prima querar?
Quæ summa gemam? pariter cuncta
Deflere iuvat; nec plura dedit
Pectora tellus, ut digna sonent
Verbera fatis. Me vel Sipyli
Flebile saxum fingite, Superi;
Vel in Eridani ponite ripis,
Ubi mœsta sonat Phaethontiadum
Silva sororum: Me vel Siculis
Addite saxis, ubi fata gemit
Thessala Siren: vel in Edonas
Tollite silvas. Qualis natum
Daulias ales solet Ismaria
Flere sub umbra; formam lacrymis
Aptate meis; resonetque malis
Aspera Trachin. Cypria lacrymas
Myrrha tuetur: raptum coniux
Ceyca gemit: sibi Tantalis est
Facta superstes: fugit vultus
Philomela suos; natumque sonat
Flebilis Atthis: cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix, cum silva domus
Nostra feretur, patrioque sedens
Ales in agro referam querulo
Murmure casus; volucremque Iolen
Fama loquetur. Vidi, vidi
Miseranda mei fata parentis,
Cum, letifero stipite pulsus,
Tota iacuit sparsus in aula.
Pro! si tumulum fata dedissent,
Quoties genitor quærendus eras!
Potuine tuam spectare necem,
Nondum teneras vestita genas,
Necdum forti sanguine, Toxeu?
Quid vestra querar fata, parentes,
Quos in tutum mors æqua tulit?
Mea me lacrymas fortuna rogat.
Iam iam dominæ captiva colos
Fusosque legam. Pro, sæve decor,
Formaque mortem paritura mihi:
Tibi cuncta domus concidit uni,
Dum me genitor negat Alcidæ,
Atque Herculeus socer esse timet.
Sed iam dominæ tecta petantur.
C. Quid regna tui clara parentis,
Proavosque tuos, respicis amens?
Fugiat vultus fortuna prior.
Felix, quisquis novit famulum
Regemque pati, vultusque suos
Variare potest. Vires pepulit
Pondusque mali, casus animo
Qui tulit æquo.

Act. II. *Nutrix, Deianira, Lichas, muta persona.*

N. O quam cruentus fœminas stimulat dolor,
Cum patuit una pellici et nuptæ domus!
Scylla, et Charybdis, Sicula contorquens freta,
Minus est timenda: nulla non melior fera est.
Namque, ut reluxit pellicis captæ decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purumve claris noctibus sidus micat;
Stetit furenti similis, ac torvum intuens,
Herculea coniux: fœta ut, Armenia iacens
Sub rupe, tigris, hoste conspecto, exsiliit;
Aut iussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum; dubia quo gressus agat,
Hæsit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix satis est domus.
Incurrit, errat, sistit: in vultus dolor
Processit omnis; pectori pæne intimo
Nihil est relictum. Fletus insequitur minas:
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu: nunc inardescunt genæ;
Pallor ruborem pellit; et formas dolor
Errat per omnes: queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce, præcipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exserit.
D. Quamcumque partem sedis ætheræ premis,
Coniux Tonantis, mitte in Alcidem feram,
Quæ mihi satis sit: siqua fœcundum caput

Palude tota vastior serpens movet,
Ignara vinci; si quid excessit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Avertat oculos; hoc sinu immenso exeat.
Vel, si feræ negantur, hanc animam, precor,
Converte in aliquid: quodlibet possum malum
Hac mente fieri. Commoda effigiem mihi
Parem dolori: non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremæ sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore invenies feras,
Quas timuit. Odiis accipe hoc telum tuis.
Ego sum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocumque. Quid cessas, Dea?
Utere furente. Quod iubes fieri nefas?
Reperi. Quid hæres? ipsa iam cesses licet,
Hæc ira satis est. *N.* Pectoris sani parum,
Alumna, questus comprime, et flammas doma,
Frena dolorem: coniugem ostende Herculis.
D. Iole meis captiva germanos dabit
Natis? Invisque fiet, e famula, nurus?
Num flamma cursus pariter et torrens ferent?
Et Ursa pontum sicca cæruleum bibet?
Non ibo inulta. Gesseris cœlum licet,
Totusque pacem debeat mundus tibi,
Est aliquid hydra potius; iratæ dolor
Nuptæ. Quis ignis tantus in cœlum furit
Ardentis Ætnæ? Quidquid est victum tibi,
Hic vincet animus. Capta præripiet toros?
Adhuc timebam monstra: iam nullum est malum:
Cessere pestes: in locum venit feræ
Invisa pellex. Summe, pro, rector Deum,
Et clare Titan! Herculis tantum fui
Coniux timentis. Vota, quæ Superis tuli,
Cessere captæ: pellici felix fui.
Illi meas audistis, O Superi! preces:
Incolumis illi remeat. O nulla dolor
Contente pœna, quære supplicia horrida,
Incogitata, infanda. Iunonem doce,
Quid odia valeant: nescit irasci satis.
Pro me gerebas bella; propter me vagas
Achelous undas sanguine infecit suo,
Cum lenta serpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret, serpente deposita, minas:
Et mille in hoste vinceres uno feras.
Iam displicemus: capta prælata est mihi.
Non præferetur. Qui dies thalami ultimus
Nostri est futurus, hic erit vitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, et ponit minas:
Iam cessit ira. Quid, miser, langues, dolor?
Perdis furorem? Coniugis tacitæ fidem
Mihi reddis iterum. Quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi serva impetum.
Pares eramus: non erit votis opus:
Aderit noverca, quæ manus nostras regat,
Nec invocata. *N.* Quod paras demens scelus?
Perimes maritum, cuius extremos dies
Primusque laudes novit, et cœlo tenus
Erecta terras fama suppositas habet?
Rogos in istos terra consurget parens;
Domusque soceri prima, et Ætolum genus
Sternetur omne; saxa iamdudum et faces
In te ferentur; vindicem tellus suum
Defendet omnis. Una quot pœnas dabis!
Effugere terras crede, et humanum genus,
Te posse; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Iam iam minaces ire per cœlum faces
Specta, et tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidæ tui.
Quocumque perges, misera, cognatos Deos
Illic videbis. *D.* Maximum fieri scelus
Et ipsa fateor; sed dolor fieri iubet.
N. Moriere. *D.* Moriar Herculis nempe inclyti
Coniux: nec ullus, nocte discussa, dies
Viduam notabit; nec meos pellex toros
Captiva capiet. Ante ab Occasu dies
Nascetur: Indos ante glacialis polus,
Scythasve tepida Phœbus inficiet rota;
Quam me relictam Thessalæ aspiciant nurus.
Meo iugales sanguine extinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat: elisis feris
Et coniugem addat. Inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret. Alcidæ toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet;
Sed non inultam. Si quid e nostro Hercule
Concepit Iole, manibus avellam meis
Ante, et per ipsas pellicem invadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam.
Felix iacet, quicumque, quos odit, premit.
N. Quid ipsa flammas pascis? et vastum foves
Ultro dolorem misera? quid cassum times?
Dilexit Iolen; nempe dum starent lares,
Regisque natam peteret. In famulæ locum
Regia cecidit: perdidit vires amor;
Multumque ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur: excidit, quidquid licet.
D. Fortuna amorem peior inflammat magis.
Amat vel ipsum, quod caret patrio lare,
Quod nudus auro crinis et gemma iacet:
Ipsas misericors forsan ærumnas amat.
N. Hoc usitatum est Herculi; captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanii soror
Concessa famulo est. Adice, quot nuptas prius,
Quot virgines, dilexit. Erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit Auge, vim stupri passa, excidit,
Nullamque amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? nempe Thespiades vacant,
Brevique in illas arsit Alcides face.
Hospes Timoli Lydiam fovit nurum;
Et, amore captus, ad leves sedit colos,
Udum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa cervix spolia deposuit feræ,
Crinemque mitra pressit, et famulus stetit,
Hirtam Sabæa marcidus myrrha comam.
Ubique caluit; sed levi caluit face.
Hærere amantes post vagos ignes solent.
Famulamne et hostis præferet natam tibi?
D. Ut alta silvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus investit tepor;
At, cum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæva totas bruma decussit comas,
Deforme solis aspicis truncis nemus;
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, et fulget minus;
Nec illa Venus est. Quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit, et partu labat;
Materque multum rapuit ex illo mihi.
Ætas citato senior eripuit gradu.
Vides ut altum famula non perdat decus?
Cessere vultus penitus, et pædor sedet;
Tamen per ipsas fulget ærumnas decor;
Nihilque ab illa casus et fatum grave,
Nisi regna, traxit. Hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit; hic rapit somnos pavor.

Præclara totis gentibus coniux eram;
Thalamosque nostros invido voto nurus
Optabat omnis: quo nimis quisquis Deos
Orabat ullos. Nuribus Argolicis fui
Mensura voti. Quem Iovi socerum parem,
Altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? Ipse, qui Alcidæ imperat,
Facibus suis me iungat Eurystheus licet,
Minus est. Toro caruisse regnantis leve est:
Alte illa cecidit, quæ viro caret Hercule.
N. Conciliat animos coniugum partus fere.
D. Sic ipse forsan dividet partus toros.
N. Famula illa trahitur interim donum tibi.
D. Hunc, quem per urbes ire præclarum vides,
Et viva tergo spolia gestantem feræ,
Qui regna miseris donat, et celsis rapit,
Vasta gravatus horridam clava manum,
Cuius triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto iacet;
Levis est, nec illum gloriæ stimulat decor.
Errat per orbem, non ut æquetur Iovi,
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat.
Quod amet, requirit: virginum thalamos petit.
Siqua negata, rapitur: in populos furit;
Nuptas ruinis quærit; at vitium impotens
Virtus vocatur. Cecidit Œchalia inclyta;
Unusque Titan vidit atque unus dies
Stantem et cadentem: causa bellandi est amor.
Toties timebit, Herculi natam parens
Quoties negabit: hostis est, quoties socer
Fieri recusat; si gener non est, furit.
Post hæc, quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac sæva manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic coniuges expellit Alcides suas;
Hæc sunt repudia! Nec potest fieri nocens:
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit novercam. Quid stupes, segnis furor?
Scelus occupandum est: perge, dum fervet manus.
N. Perimes maritum? *D.* Pellicis certe meæ.
N. At Iove creatum. *D.* Nempe at Alcmena satum.
N. Ferrone? *D.* Ferro. *N.* Si nequis?
D. Perimam dolo.
N. Quis iste furor est? *D.* Quem meus coniux docet.
N. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
D. Cœlestis ira quos premit, miseros facit,
Humana nullos. *N.* Parce, miseranda, et time.
D. Contemsit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses. *N.* Maior admisso tuus,
Alumna, dolor est; culpa par odium exigit.
Cur sæva modicis statuis? ut læsa es, dole.
D. Leve esse credis pellicis nuptæ malum?
Quidquid dolorem pascit, hoc nimium puta.
N. Amorne clari fugit Alcidæ tibi?
D. Non fugit, altrix: remanet, et penitus sedet
Fixus medullis; crede: sed magnus dolor
Iratus amor est. *N.* Artibus magicis fere
Coniugia nuptæ precibus admixtis ligant.
Vernare iussi frigore in medio nemus:
Missumque fulmen stare: concussi fretum
Cessante vento: turbidum explicui mare:
Et sicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum saxa: discussi fores:
Umbræ, stetistis: et, mea iussi prece,
Manes loquuntur: sonuit infernus canis.
Mare, terra, cœlum, et Tartarus servit mihi.
Nox media solem vidit, et noctem dies.
Nihilque leges, ad meos cantus, tenent.
Flectemus illum; carmina invenient iter.
D. Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessala
Sub rupe Pindus? aut ubi inveniam malum,
Cui cedet illa? Carmine in terras mago
Descendat astris Luna desertis licet,
Et bruma messes videat, et cantu fugax
Stet deprehensum fulmen; et, versa vice,
Medius coactis ferveat stellis dies;
Non flectet unum. *N.* Vicit et Superos amor.
D. Vincetur uni forsan, et spolium dabit;
Amorque summus fiat Alcidæ labor.
Sed te, per omne Cœlitum numen, precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, et fide tacita premas.
N. Quid istud est, quod esse secretum iubes?
D. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.
N. Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.
D. Circumspice, agedum, nequis arcana aucupet;
Partemque in omnem vultus inquirens eat.
N. En, locus ab omni tutus arbitrio vacat.
D. Est in remoto regiæ sedis loco,
Arcana tacitus nostra defendens, specus.
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Nessus est auctor mali,
Quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
Qua celsus astris inserit Pindus caput,
Ultraque nubes Othrys eductus riget.
Namque, ut, subactus Herculis clava horridi,
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unoque turpe subdidit cornu caput;
Me coniugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. Forte per campos vagus,
Evenos, altum gurgitem in pontum ferens,
Iam pæne summis turbidus ripis erat.
Transire Nessus verticem solitus vadis
Pretium poposcit: meque iam dorso ferens,
Qua iungit hominem spina deficiens equo,
Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Iam totus undis Nessus exierat ferox;
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem verticem scindens gradu.
Ast ille, ut esse vidit Alciden procul,
Tu præda nobis, inquit, et coniux eris.
Prohibetur undis; meque complexus ferens,
Gressum citabat. Non tenent undæ Herculem:
Infide vector, inquit, immixti licet
Ganges et Ister vallibus iunctis eant,
Vincemus ambos: consequar telo fugam.
Præcessit arcus verba: tum longum ferens
Arundo vulnus, tenuit hærentem fugam;
Mortemque fixit. Ille, iam quærens diem,
Tabum fluentem vulneris dextra excipit,
Traditque nobis ungulæ insertum suæ,
Quam forte sæva sciderat avulsam manu.
Tum verba moriens addit: Hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes Luna quam sequitur magam,
Astris relictis. Illitas vestes dabis
Hac, inquit, ipsa tabe, si pellex tuos
Invisa thalamos tulerit, et coniux levis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux aspiciat; hoc tenebræ tegant
Tantum remotæ. Sic potens vires suas
Sanguis tenebit. Verba deprendit quies;

Mortemque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentem virus in vestem datum,
Mentem per artus adeat, et tacta intimas
Intret medullas. *N.* Ocyus iussa exequar,
Alumna. Precibus tu Deum invictum advoca,
Qui certa tenera tela dimittit manu.
D. Te, te precor, quem mundus et Superi timent,
Et æquor, et qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri teliger sævæ puer;
Intende certa spiculum velox manu,
Non e sagittis levibus. Ex humero, precor,
Graviore profer, quod tuæ nondum manus
Misere in aliquem. Non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules. Rigidas manus
Intende, et arcum cornibus iunctis para.
Nunc, nunc sagittam prome, qua quondam horridus
Iovem petisti; fulmine abiecto Deus
Cum fronte subita tumuit, et rapidum mare
Taurus puellæ vector Assyriæ scidit.
Immitte amorem. Vincat exempla omnia:
Amare discat coniugem: si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
Extingue totas: perbibat flammas mei.
Tu fulminantem sæpe domuisti Iovem;
Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbæ ducem maioris et dominum Stygis.
Tu, qui noverca es gravior irata Deus,
Cape hunc triumphum: solus avince Herculem.
N. Prolata vis est, quæque Palladia colu
Lassavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem: precibus augebo malum.
In tempore ipso gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis est dira, ne pateat, doli.
D. O, quod superbæ non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, et victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum;
Nunc poscit Iolen. Sed iecur fors horridum
Flectam merendo: merita vicerunt malos.
Non ante vestes induat coniux, iube,
Quam thure flammas pascat, et placet Deos
Cana rigentem populo vinctus comam.
Ipsa in penates regios gressus feram,
Precibusque Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendas vices.

Chorus Ætolarum Mulierum.

Flemus casus, Œnei, tuos,
Comitum primos turba per annos:
Flemus dubios, veneranda, toros.
Nos Acheloi tecum solitæ
Pulsare vadum, cum iam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu serperet æquo,
Nec præcipitem volveret amnem
Flavus rupto fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros;
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis,
Cum, iam pulso sidere brumæ,
Tertia soles evocat æstas,
Et, spiciferæ concessa Deæ,
Attica mystas claudit Eleusin.
Nunc quoque, casum quemcumque times,
Fidas comites accipe fatis:
Nam rara fides, ubi iam melior
Fortuna ruit.
Tu quicumque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset;
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys;
Et, cum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli
Ferrumque latens: cumque in populos
Prodire parant, comes invidia est.
Noctem quoties submovet Eos,
Regem toties credite nasci.
Pauci reges, non regna, colunt:
Plures fulgor concitat aulæ.
Cupit hic, regi proximus ipsi,
Clarus latas ire per urbes:
Urit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri: nec tota sitim
Lydia vincit; nec quæ, Zephyro
Subdita, tellus stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec, si totus serviat Hebrus;
Ruraque dives cingat Hydaspes;
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis, natura parum est.
Colit hic regem, regumque lares,
Non ut, presso vomere semper,
Nunquam cesset curvus arator,
Vel mille secent arva coloni:
Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatque aliquos, nullumque levet.
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros orta dies.
Rarum est, felix idemque senex.
Cæspes, Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O, si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia, Coro
Pulsante fretum, mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet e patula pocula fago;
Sed non trepida tenet illa manu.
Carpit faciles vilesque cibos;
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.
Coniux, modico nupta marito,
Non, disposita clara monili,
Gestat pelagi dona Rubentis;
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda;
Nec Sidonio mollis aeno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Mæonia distinguit acu,
Quæ, Phœbeis subditus Euris,
Legit Eois Ser arboribus.
Quælibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ nevere Manus:

Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dira lampade Erinnys,
Quarum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patrioque puer constitit axe,
Nec per solitum decurrit iter,
Sed Phœbeis ignota secat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli dum sulcat iter,
Tenuit placitas Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto:
Sed, dum volucres vincere veras
Icarus audet, patrisque puer
Despicit alas, Phœboque volat
Proximus ipsi; dedit ignoto
Nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusque sonet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis litora puppis;
Nec magna meas aura phaselos
Iubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quærit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid, pavido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Mænas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rursus Fortuna rotat,
Miseranda, refer. Licet ipsa neges,
Vultus loquitur, quodcumque tegis.

ACTUS III. *Deianira, Chorus.*

D. Vagus per artus errat excussos tremor:
Erectus horret crinis. Impulsis adhuc
Stat terror animis, et cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis iecur.
Ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies;
Ita mens adhuc vexatur excussa metu.
Semel profecto premere felices Deus
Cum cœpit, urget: hos habent magna exitus.
C. Quis tam impotens, o misera! te casus rotat?
D. Ut missa palla est, tabe Nessea illita,
Thalamisque mœrens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, et fraudem struit.
Libet experiri. Solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit Deus.
Et forte, nulla nube respersus iubar,
Laxabat ardens fervidum Titan diem.
(Vix ora solvi patitur etiam nunc timor)
Medios in ignes solis, et claram facem,
Quo tincta fuerat palla, vestisque illita,
Abiectus horret sanguis, et Phœbi coma
Tepefactus ardet. Vix queo monstrum eloqui.
Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;
Utque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, et lassus tumor
In litore ipso spumat; aut cœlestibus
Aspersa tepidis thura laxantur focis;
Sic languet omne vellus, et perdit comam.
Dumque ipsa miror, causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit;
Et, quidquid illa tabe contactum est, labat.
[Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.]
Natum paventem cerno, et ardenti pede
Gressus ferentem. Prome, quid portes novi.

Hyllus, Deianira, Nutrix.

H. I, profuge! quære, si quid ulterius patet
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis.
Ultra labores, mater, Alcidæ fuge.
D. Nescio quod animus grande præsagit malum.
H. Regna, triumpha, templa Iunonis pete:
Hæc tibi patent: delubra præclusa omnia.
D. Effare, qui me casus insontem premat.
H. Decus illud orbis, atque præsidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Iovis,
O mater, abiit. Membra, et Herculeos toros
Urit lues nescio qua. Qui domuit feras,
Ille, ille victor, vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris ultra? *D.* Miserias properant suas
Audire miseri. Fare, quo posita in statu
Iam nostra domus est. O lares! miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!
H. Non sola mœres. Hercules toto iacet
Mundo gemendus: fata ne, mater, tua
Privata credas; iam genus totum obstrepit.
Hunc, eiulatu quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum:
Luctum occupasti prima: non sola Herculem,
Miseranda, mœres. *D.* Quam prope a leto tamen,
Ede, ede, (quæso) iaceat Alcides meus.
H. Mors refugit illum, victa quæ in regno suo
Semel est: nec audent fata tam vastum nefas
Admittere. Ipsa forsitan trepida colos
Clotho manu proiecit, et fatum Herculis
Timet peragere. Pro diem! infandum diem!
Hocne ille summo magnus Alcides est
Ad fata et umbras, atque peiorem polum?
D. Præcedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare? Fare, si nondum occidit.
H. Euboica tellus, vertice immenso tumens,
Pulsatur omni latere: Phrixeum mare
Scindit Caphareus; servit hoc Austro latus.
At, qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemque cursus volvit, et totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano iuga.
Heic rupe celsa, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cenæi Iovis.
Ut stetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tauris gemuit auratis nemus;
Spolium leonis sordidum tabo exuit,
Posuitque clavæ pondus, et pharetra graves
Laxavit humeros. Veste tunc fulgens tua,
Cana revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. Accipe has, inquit, focis
Non falsæ messes genitor; et largo sacer
Splendescat ignis thure, quod, Phœbum colens,
Dives Sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, et cœlum, et freta;
Feris subactis omnibus, victor redii.
Depone fulmen. Gemitus in medias preces,
Stupente et ipso, cecidit. Hinc cœlum horrido
Clamore complet. Qualis impressa fugax
Taurus bipenni vulnus et telum ferens,
Delubra vasto trepida mugitu replet;
Aut quale mundo fulmen emissum tonat;
Sic ille gemitus sidera et pontum ferit:
Et vasta Chalcis sonuit, et voces Cyclas

Excepit omnis: hinc petræ Capharides;
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus: vulgus antiquam putat
Rabiem redisse. Tunc fugam famuli petunt.
At ille, vultus igneos torquens face,
Unum inter omnes quærit et sequitur Lichan.
Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu consumsit, et parum sui
Pœnæ reliquit: dumque tremebundum manu
Tenuit cadaver, Hac manu, hac, inquit, ferar
O fata! victus? Herculem perimit Lichas!
Ecce alia clades; Hercules perimit Lichan.
Facta inquinentur: fiat hic summus labor.
In astra missus fertur, et nubes vago
Spargit cruore. Talis in cœlum exsilit
Arundo, Getica visa dimitti manu;
Aut quam Cydon excussit: inferius tamen
Et tela fugient. Truncus in pontum cadit;
In saxa cervix. Funus ambobus iacet.
Resistite, inquit: non furor mentem abstulit.
Furore gravius istud atque ira malum est.
In me iuvat sævire. Vix pestem indicat,
Et sævit. Artus ipse dilacerat suos,
Et membra vasta carpit avellens manu.
Exuere amictus quærit. Hoc solum Herculem
Non posse vidi. Trahere conatus tamen,
Et membra traxit. Corporis palla horridi
Pars est; et ipsam vestis immiscet cutem.
Nec causa diræ cladis in medio patet:
Sed causa tamen est, vixque sufficiens malo.
Nunc ore terram languidus prono ferit;
Nunc poscit undas: unda non vincit malum.
Fluctisona quærit litora, et pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus.
O sortem acerbam! fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum litore Euboico refert,
Austerque lenis pondus Herculeum rapit.
D. Destituit animus membra; nox oculos premit.
Quid, anime, cessas? quid stupes factum scelus?
Natum reposcit Iupiter, Iuno æmulum.
Reddendus orbi est. Quod potest reddi, exhibe:
Eat per artus ensis exactus meos.
Sic, sic agendum est. Tam levis pœnas manus
Tantas reposcit? Tolle fulminibus, socer,
Nurum scelestam: nec levi telo manus
Armetur: illud fulmen exsiliat polo,
Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,
Hydram cremasses. Pestem ut insolitam feri,
Et ut noverca peius irata malum.
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaethonta missum est. Perdidi, erepto Hercule,
Et ipse populos. Quid rogas telum Deos?
Iam parce socero. Coniugem Alcidæ necem
Optare pudeat. Hæc erit voto manus;
A me petatur. Occupa ferrum ocyus.
Cur deinde ferrum? quidquid in mortem trahit,
Telum est abunde. Rupe ab ætherea ferar.
Hæc, hæc, renatum prima quæ poscit diem,
Œta eligatur: corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, et partem mei
Ferat omne saxum: pendeant laceræ manus;
Totumque rubeat asperi montis latus.
Levis una mors est: levis; at extendi potest.
Eligere nescis, anime, cui telo incubes.
Utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis! huic decet ferro immori.
Una perire dextera nobis sat est?
Coite, gentes: saxa et immensas faces
Iaculetur orbis: nulla nunc cesset manus.
Corripite tela: vindicem vestrum abstuli.
Impune sævi sceptra iam reges gerent.
Impune iam nascetur indomitum malum:
Reddentur aræ, cernere assuetæ hostiam
Similem colenti: sceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Sævisque, rapto vindice, opposui Deis.
Cessas, Tonantis socia? non spargis facem,
Imitata fratrem, et mittis ereptam Iovi;
Meque ipsa perdis? Laus tibi erepta inclyta est,
Ingens triumphus: æmuli, Iuno, tui
Mortem occupavi. *N.* Quid domum impulsā trahis?
Erroris est hoc omne, quodcumque est, nefas.
Haud est nocens, quicumque non sponte est nocens.
D. Quicumque fato ignoscit, et parcit sibi,
Errare meruit: morte damnari placet.
N. Nocens videri, qui mori quærit, cupit.
D. Mors innocentes sola deceptos facit.
N. Titana fugies? *D.* Ipse me Titan fugit.
N. Vitam relinques, misera? *D.* At Alciden sequar.
N. Superest, et auras ille cœlestes trahit.
D. Vinci Hercules cum potuit, hinc cœpit mori.
N. Natum relinques, fataque abrumpes tua?
D. Quamcumque natus sepelit, hæc vixit diu.
N. Virum sequeris? *D.* Prægredi castæ solent.
N. Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.
D. Nemo nocens sibi ipse pœnas abrogat.
N. Multis remissa est vita, quorum error nocens,
Non dextra, fuerat. Fata quis damnat sua?
D. Quicumque, fata iniqua sortitus, fugit.
N. Hic ipse Megaren nempe confixam suis
Stravit sagittis, atque natorum indolem,
Lernæa figens tela furibunda manu.
Ter parricida factus, ignovit tamen
Sibi: nam furoris, fonte Cinyphio, scelus
Sub axe Libyco tersit, et dextram abluit.
Quo misera pergis? quid tuas damnas manus?
D. Damnat meas devictus Alcides manus.
Placet scelus punire. *N.* Si novi Herculem,
Aderit cruenti forsitan victor mali;
Dolorque fractus cedet Alcidæ tuo.
D. Exedit artus virus, ut fama est, hydræ.
Immensa pestis coniugis membra abstulit.
N. Serpentis illi virus enectæ autumas
Haud posse vinci, qui malum et vivum tulit?
Elisit hydram, dente cum infixo stetit
Media palude victor, effuso obrutus
Artus veneno. Sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridas Nessi manus?
D. Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
Proinde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicumque cum Alcide occidit.
N. Per has aniles, ecce, te supplex comas,
Atque ubera ista pæne materna, obsecro,
Depone tumidas pectoris læsi minas,
Mortisque diræ expelle decretum horridum.
D. Quicumque misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est. Interim pœna est mori;
Sed sæpe donum: in pluribus venia fuit.
N. Defende saltem dexteram, infelix, tuam;
Fraudisque facinus esse, non nuptæ, sciant.
D. Defendar illic: inferi absolvent ream.
A me ipsa damnor: purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas,
Et umbra tristis coniugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. Scelera, quæ quisque ausus est,
Hic vicit error. Iuno non ausa Herculem est
Eripere terris. Horridam pœnam para.

Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis
Impellat humeros; me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat sitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcumque regem Thessalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras.
Vacat una Danais; has ego explebo vices.
Laxate Manes: recipe me comitem tibi,
Phasiaca coniux: peior hac, peior tuo
Utroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es. Adde me comitem tuis,
Threicia coniux, sceleribus: natam tuam,
Althæa mater, recipe: nunc veram tuam
Agnosce prolem. Quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? Claudite Elysium mihi,
Quæcumque fidæ coniuges nemoris sacri
Lucos tenetis. Siqua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis,
Stricto cruenta Belias ferro stetit,
In me suas agnoscat et laudet manus.
In hanc abire coniugum turbam libet.
Sed et illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte coniux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est. Pro nimis mens credula!
Pro, Nesse fallax! atque semiferi doli!
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; tuque, quæ blanda tenes
In luce miseros, vita: carituræ Hercule
Lux vilis ista est. Exigam pœnas tibi;
Reddamque vitam. Fata an extendo mea,
Mortemque, coniux, ad tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, et armatæ manus
Intendere arcum tela missurum valent?
An arma cessant, teque, languenti manu,
Non audit arcus? Si potest letum dare,
Animose coniux, dexteram expecto tuam.
Mors differatur: frange, ut insontem Lichan;
Alias in urbes sparge; et ignotum tibi
Emitte in orbem. Perde, ut Arcadiæ nefas,
Et quidquid aliud restitit. Ah illis tamen,
Coniux, redisti. *H.* Parce iam, mater, precor:
Ignosce fatis: error a culpa vacat.
D. Si vera pietas, Hylle, quærenda est tibi,
Iam perime matrem. Pavida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc, hæc peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. Maius eripui decus,
Quam in luce tribui. Si tibi ignotum est nefas,
A matre disce. Seu tibi iugulo placet
Mersisse ferrum, sive maternum libet
Invadere uterum, mater intrepidum tibi
Præbebit animum: non erit totum scelus
A te peractum: dextera sternar tua,
Sed mente nostra. Natus Alcidæ, times?
Ita nulla peragas iussa, nec frangens mala
Erres per orbem; siqua nascetur fera,
Referas parentem: dexteram intrepidam para.
Patet, ecce, plenum pectus ærumnis: feri.
Scelus remitto: dexteræ parcent tuæ
Eumenides ipsæ. Verberum crepuit sonus.
Quænam ista, torquens angue vipereo comam,
Temporibus atra squalidis pinnas quatit?
Quid, dira, me flagrante persequeris face,
Megæra? Pœnas poscit Alcides? dabo.
Iamne inferorum, Diva, sedere arbitri?
Sed, ecce, diras carceris video fores.
Quis iste saxum immane detritis gerit
Iam senior humeris? ecce, iam victus lapis.
Quærit relabi. Membra quis præbet rotæ?
Heic, ecce, pallens dira Tisiphone stetit;
Causam poposcit. Parce verberibus, precor,
Megæra, parce: sustine Stygias faces.
Scelus est amoris: sed quid hoc? tellus labat,
Et aula tectis crepuit excussis! Minax
Unde iste cœtus? totus in vultus meos
Decurrit orbis: hinc et hinc populi fremunt;
Totusque poscit vindicem mundus suum.
Iam parcite, urbes: quo fugam præceps agam?
Mors sola portus dabitur ærumnis meis.
Testor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superosque testor: Herculem terris adhuc
Moritura linquo. *H.* Fugit attonita! hei mihi!
Peracta iam pars matris est: statuit mori.
Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas! si mori matrem vetas,
Patri es scelestus: si mori pateris tamen,
In matre peccas: surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est: pergam, et eripiam scelus.

Chorus

Verum est, quod cecinit sacer
Thressæ sub Rhodopes iugis,
Aptans Pieriam chelyn,
Orpheus, Calliopæ genus,
Æternum fieri nihil.
Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor;
Oblitusque sequi fugam,
Amisit liquor impetum:
Et, dum fluminibus mora est,
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones ultimi.
Advexit volucrem nemus;
Et silva residens venit;
Aut si quæ aera pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauros obiter ferens;
Et iuxta Rhodopen stetit,
Laxata nive cantibus.
Et, quercum fugiens suam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt suis
Ipsæ cum latebris feræ.
Iuxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo;
Nec damæ trepidant lupos.
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores
Manes cum tacitos adit,
Mœrentem feriens chelyn,
Cantu Tartara flebili
Et tristes Erebi Deos
Movit: nec timuit Stygis
Iuratos Superis lacus.
Hæsit non stabilis rota,
Victo languida turbine.
Increvit Tityi iecur,
Dum cantus volucres tenet.
Audito quoque navita,
Inferni ratis æquoria
Nullo remigio venit.
Tunc primum Phrygius senex,
Undis stantibus, immemor,
Excussit rabidam sitim,

Nec pomis adhibet manus:
Sed, cum linqueret inferos
Orpheus, carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Cousumtas iterum Deæ
Suppleut Eurydices colos;
Sed, dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
Cautus præmia perdidit.
Quæ nata est iterum, perit.
Tunc, solamina cantibus
Quærens, flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis:
Leges in Superos datas,
[Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis Deus,
Anni disposuit vices]
Nulli non avidas colo
Parcas stamina nectere.
Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Devictus iubet Hercules.
Iam iam, legibus obrutis,
Mundo cum veniet dies,
Australis polus obruet
Quidquid per Libyam iacet,
Et sparsus Garamas tenet.
Arctous polus obruet
Quidquid subiacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidens
Ortus atque obitus trahet.
Atque omnes pariter Deos
Perdat mors aliqua, et chaos.
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via Tartari,
Stratis ut pateat polis?
An, quod dividit æthera
A terris spatium, sat est,
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiat nefas
Fati? quis, Superi, locus
Pontum, sidera, Tartara,
Regna unus capiet tria?
  Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus.

Actus IV. *Hercules, Chorus.*

H. Converte, Titan clare, anhelantes equos;
Emitte noctem. Pereat hic mundo dies,
Quo moriar: atra nube inhorrescat polus.
Obsta novercæ. Nunc, pater, cæcum chaos
Reddi decebat: hinc et hinc compagibus
Ruptis, uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc partem in omnem, Iupiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica iaculetur iuga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris iam iam fores
Pluton superbus: vincula excutiet patri,
Cœlumque reddet. Ille, qui, pro fulmine
Tuisque facibus, natus in terris eram,
Ad Styga revertor. Surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in Superos onus.
Regnum omne, genitor, ætheris dubium tibi
Mors nostra faciat. Antequam spolium tui
Cœlum omne fiat, conde me tota, pater,
Mundi ruina: frange, quem perdis, polum.
C. Non vana times, nate Tonantis.
Iam Thessalicam Pelion Ossam
Premet; et Pindo congestus Athos
Nemus æthereis inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoeus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen.
Feret Ætnæos inde caminos,
Scindatque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Iam te cœli signa sequentur.
H. Ego, qui relicta morte, contemta Styge,
Per media Lethes stagna cum spoliis redii,
Cum pæne trepidis excidit Titan equis;
Ego, quem Deorum regna senserunt tria,
Morior: nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud mea telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys: non truci rictu Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum:
Sine hoste vincor: quodque me torquet magis,
O misera virtus! summus Alcidæ dies
Nullum malum prostravit. Impendo, hei mihi!
In nulla vitam facta. Pro, mundi arbiter,
Superique, quondam dexteræ testes meæ!
Pro, cuncta tellus! Herculis vestri placet
Mortem perire? Dirus, o, nobis pudor!
O turpe fatum! fœmina Herculeæ necis
Auctor feretur: auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere fœminea manu
Voluere Fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem, hei mihi!
Iunonis odio: fœminæ caderem minis,
Sed cœlum habentis. Si nimis, Superi, fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon. Fœminæ cuius manu
Iunonis hostis vincor? Hinc gravior tui,
Noverca, pudor est. Quid diem hunc lætum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia fœmina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidæ imparem.
Victa es duobus: pudeat irarum Deos.
Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis! aut, centum anguibus
Vallatus, hydram tabe pavissem meo!
Utinam fuissem præda Centauris datus!
Aut, inter umbras victus, æterno miser
Saxo sederem, spolia cum traxi ultima,
Fato stupente. Nunc ab inferna Styge
Lucem recepi; Ditis evici moras.
Ubique me mors fugit, ut leto inclyto
Fortis carerem. O feræ victæ! O feræ!
Non me triformis, sole conspecto, canis
Ad Styga reduxit: non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri:
Non gemina serpens. Perdidi mortem, hei mihi!
Toties honestam. Titulus extremus quis est?
C. Viden' ut laudis conscia virtus
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris; non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole gigantum,
Et montiferum Titana pati,
Rabidæque necem debere feræ.

Si tua causa est miseranda necis,
Quod nulla fera est, nullusque gigas;
Iam quis dignus necis Herculeæ
Superest auctor, nisi dextra tui?
H. Heu! qualis intus scorpios, quis, fervida
Plaga revulsus, cancer infixus meas
Urit medullas? Sanguinis quondam capax
Tumidi iecur pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet, felle siccato, iecur;
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumsit; hinc aditus nefas
In membra fecit; abstulit costis latus;
Exedit artus penitus, et totas malum
Hausit medullas: ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus: et pesti satis
Herculea non sunt membra. Pro! quantum est malū,
Quod esse vastum fateor? O dirum nefas!
En, cernite, urbes, cernite, ex illo Hercule
Quid iam supersit. Herculem agnoscis, pater?
Hisne ego lacertis colla Nemeæi mali
Elisa pressi? tensus hac arcus manu
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
His ego citatam gressibus vici feram,
Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus [emisit] fretum?
His tot feræ, tot scelera, tot reges iacent?
His mundus humeris sedit? hæc moles mea est?
Hæcne illa cervix? has ego opposui manus
Cœlo ruenti? Cuius, o, custos manu
Trahetur ultra Stygius? O vires prius
In me sepultæ! Quid patrem appello Iovem?
Quid per Tonantem vindico cœlum mihi?
Iam iam meus credetur Amphitryon pater.
Quæcumque pestis viscere in nostro lates,
Procede: quid me vulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido Pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys, genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe litus? O dirum malum!
Utrumne serpens squalidum crista caput
Vibrans? an aliquod est mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullumque. Quis vultus tibi est?
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quæcumque pestis, sive quæcumque es fera,
Palam timeres. Quis tibi in medias locum
Fecit medullas? Ecce, dirupta cute,
Viscera manus detexit: ulterior tamen
Inventa latebra est. O malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrymæ genas?
Invictus olim vultus, et nunquam malis
Lacrymas suis præbere consuetus, (pudet!)
Iam flere didicit. Quis dies fletum Herculis,
Quæ terra, vidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus, quæ tot elisit mala,
Tibi cessit uni: prima, ut ante omnes mihi
Fletum abstulisti. Durior saxo horrido
Et chalybe vultus, et vaga Symplegade,
Rictus meos infregit, et lacrymam extulit.
Flentem, gementem, summe, pro! rector poli,
Me terra vidit: quodque me torquet magis,
Noverca vidit. Urit, ecce, iterum fibras,
Incaluit ardor. Unde nunc fulmen mihi?
C. Quid non possit superare dolor?
Quondam Getico durior Hæmo,
Nec Parrhasio lentior axe,
Sævo cessit membra dolori;
Fessumque movens per colla caput,
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus sæpe resorbet.
Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido sidere, Titan
Non tamen audet; vincitque faces
Solis adusti glaciale iubar.

Hercules, Alcmena.

H. Converte vultus ad meas clades, pater.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non, cum per artus hydra fœcundum meos
Caput explicaret. Inter infernos lacus,
Possessus atra nocte, cum Fato steti;
Nec invocavi. Tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In astra torsi: semper hæc nobis manus
Votum spopondit: nulla, propter me, sacro
Micuere cœlo fulmina. Hic aliquid dies
Optare iussit: primus audierit preces,
Idemque summus. Unicum fulmen peto:
Giganta crede; non minus cœlum mihi
Asserere potui: dum patrem verum puto,
Cœlo peperci. Sive crudelis pater,
Sive es misericors, commoda nato manum.
Propera ante mortem, et occupa hanc laudem tibi.
Vel, si piget, manusque detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa; qui me monte proiecto opprimant.
Abrumpat Erebi claustra; me stricto petat
Bellona ferro. Mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; est frater quidem
Sed ex noverca. Tu quoque, Alcidæ soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Iaculare, Pallas. Supplices tendo manus
Ad te, noverca: sparge tu saltem, precor,
Telum: perire fœminæ possum manu.
Iam fracta, iam satiata, quid pascis minas?
Quid quæris ultra? supplicem Alciden vides:
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem. Nunc mihi irata quidem
Opus est noverca. Nunc tua cessat dolor?
Nunc odia ponis? parcis, ubi votum est mori?
O terræ et urbes! non facem quisquam Herculi,
Non arma, tradet? Tela subtrahitis mihi?
Ita nulla sævas terra concipiat feras
Post me sepultum; nec meas unquam manus
Imploret orbis: siqua nascetur fera,
Nascatur alius; undique infelix caput
Mactate saxis; vincite ærumnas meas.
Ingrate, cessas, orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisque suppositus fores,
Ni me tulisses. Vindicem vestrum malis
Eripite, populi: tempus hoc vobis datur.
Pensate merita: mors erit pretium omnium.
A. Quas misera terras mater Alcidæ petam?
Ubi natus, ubinam est? certe si visus notat,
Reclinis, ecce, corde anhelanti æstuat:
Gemit; peractum est! Membra complecti ultima,
O nate, liceat: spiritus fugiens meo
Legatur ore: brachia in amplexus cape:
Ubi membra sunt? ubi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? *H.* Herculem spectas quidem,
Mater: sed umbram simile nescio quid mei
Agnosce, mater. Ore quid flectis retro,
Vultumque mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubescis? *A.* Quis feram mundus novam,

Quæ terra genuit? quodve tam dirum nefas
De te triumphat? Herculis victor quis est?
H. Nuptæ iacentem cernis Alcidem dolis.
A. Quis tantus est, qui vincat Alciden, dolus?
H. Quicumque, mater, fœminæ iratæ sat est.
A. At unde in artus pestis aut ossa incidit?
H. Aditum venenis palla fœmineis dedit:
A. Ubinam ipsa palla est? membra nudata intuor.
H. Consumta mecū est. *A.* Tantane inventa est lues?
H. O mater, hydram, et mille cum Lerna feras,
Errare mediis crede visceribus meis.
Quæ tanta nubes flamma Sicanias, [secat?]
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me iactate, pro, comites, freta,
Mediosque in amnes. Qui sat est Ister mihi?
Non ipse, terris maior, Oceanus meos
Frangit vapores: omnis in nostris malis
Deficiet humor; omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Iovi?
Decuit tenere. Redde me tenebris tuis:
Talem subactis Herculem ostende inferis:
Nil inde ducam. Quid times iterum Herculem?
Invade, Mors, non trepida: iam possum mori.
A. Compesce lacrymas saltem, et ærumnas doma,
Malisque tantis Herculem indomitum refer;
Mortemque vince: quod soles, vince inferos.
H. Si me catenis horridus vinctum suis
Præberet avidæ Caucasus volucri dapem,
Scythia gemente, flebilis gemitus mihi
Non [excidisset.] Si vagæ Symplegades
Utraque premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi,
Atque Hæmus, et qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Iovisque fulmen excipiens Mimas.
Non, ipse si in me, mater, hic mundus ruat,
Superque nostros flagret incensus rogos
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret. Mille decurrant feræ,
Pariterque lacerent: hinc feris clangoribus
Ætherea me Stymphalis, hinc taurus minax
Cervice tota pulset: et quidquid furit,
Solum quoque, ingens, surgat hinc illinc fremens;
Artusque nostros dirus immittat Sinis:
Sparsus silebo. Non feræ excutient mihi,
Non arma, gemitus; nil, quod impelli potest.
A. Non virus artus, nate, fœmineum coquit;
Sed dura series operis; et longus tibi
Pavit cruentos forsitan morbos labor.
H. Ubi Mors? ubi illa? Testis est aliquis mali?
Intendat arcus. Nuda sufficiet manus.
In orbe mecum veniat huc aliquis mihi.
Procedat, agedum, huc. *A.* Hei mihi! sensū quoque
Excussit ille nimius impulsum dolor.
Removete, quæso, tela, et infestas, precor,
Rapite hinc sagittas. Igne suffusæ genæ
Scelus minantur. Quas petam latebras anus?
Dolor iste furor est. Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu;
Vel scelere pereat, ante quam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. Ecce, lassatus malis,
Sopore fessas alligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, Superi! Si mihi natum inclytum
Miseræ negatis; vindicem saltem, precor,
Servate terris. Abeat excussus dolor;
Corpusque vires reparet Herculeum suas.

Hyllus, Alcmena, Hercules.
Philoctetes, muta persona.

Hy. pro lux acerba! pro capax scelerum dies!
Nurus Tonantis occidit: natus iacet:
Nepos supersum. Scelere materno hic periit;
Fraude illa capta est. Quis, per annorum vices,
Totoque in ævo, poterit ærumnas senex
Referre tantas? Unus eripiat dies
Parentem utrumque. Cætera ut sileam mala,
Parcamque Fatis, Herculem amitto patrem.
A. Compesce voces, inclytum Alcidæ genus,
Miseræque fato similis Alcmenæ nepos.
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed, ecce, lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, at luctus mihi.
He. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo.
Et, inter astra positus, evasi genus
Mortale tandem. Quis mihi cælum parat?
Te, te, pater, iam video: placatam quoque
Specto novercam. Qui sonus nostras ferit
Cælestis aures? Iuno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbique tritam flammea zonam rota.
Cubile video noctis: hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem cludit, et ab ipsis, pater,
Deducit astris? Ora Phœbeus modo
Afflabat axis: tam prope a cælo fui.
Thrachina video: quis mihi terras dedit?
Modo nempe me infra steterat, ac totus mihi
Suppositus orbis. Tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri. Parce, et hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris: hoc munus parat.
Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucasi domui latus.
O clara Megara! tunc, cum furerem, mihi
Coniux fuisti? Stipitem atque arcus date.
Dextra inquinetur: laudibus maculam imprimam.
Summus legatur fœmina Herculeus labor.
Hy. Compesce diras, genitor, irarum minas.
Habet: peractum est! quas petis pœnas, dedit.
Sua peremta dextera mater iacet.
He. [Cæci dolores.] Manibus irati Herculis
Occidere meruit: perdidit comitem Lichas.
Sævire in ipsum corpus exanime impetus,
Atque ira cogit. Cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant feræ.
Hy. Plus misera læso doluit: hinc aliquid quoque
Detrahere velles. Occidit dextra sua,
Tuo dolore: plura, quam poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ iaces,
Nec fraude matris. Nessus hos struxit dolos;
Ictus sagittis qui tuis vitam expuit,
Cruore tincta est palla semiferi, pater;
Nessusque nunc has exigit pœnas sibi.
He. Habet: peractum est! fata se nostra explicant.
Lux ista summa est. Quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, et Parnassio
Cirrhæa quatiens templa mugitu nemus:
« Dextra peremti, victor Alcide, viri
Olim iacebis. Hic tibi, emenso freta,
Terrasque, et umbras, finis extremus datur. »
Nil querimur ultra. Decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclyta,
Me digna prorsus. Nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis silva, et Œtæum nemus
Suscipiat ignis. Herculem accipiat rogus,

Sed ante mortem. To, genus Pæantium,
Hoc triste nobis, juvenis, officium appara.
Hercolea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle; supremas fero.
Est clara captas inter, in vultu genus
Regoumque referens, Euryto virgo edita,
Iole: tuis hanc facibus et thalamis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,
Nihilque miseræ præter Alciden dedi;
Et iste rapitur. Penset ærumnas suas:
Iovis nepotem foveat, et natum Herculis.
Tibi illa pariat quidquid ex nobis habet,
Tuque ipsa planctus pone fouereos, precor
O clara genitrix: vivit Alcides tuus,
Virtute uostra pellicem feci tuam
Credi novercam: sive nascente Hercule
Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est: licet sit falsa progenies mihi;
Materua culpa cesset, et crimen Iovis;
Merui parentem; contuli cœlo decus.
Natura me concepit in laudes Iovis.
Quin ipse quamqoam Iupiter credi meus
Pater esse gaudet. Parce iam lacrymis, parens.
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Iuno genuit, æthereum gerens
Sceptrum, et Tonanti nupta? mortali tamen
Cœlum tenens invidit: Alcideo suum
Dici esse voluit. Perage nunc, Titan, vices
Solus relictus. Ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara et Manes peto.
Hanc tameu ad imos perferam laudem inclytam,
Quod nulla pestis vicit Alciden palam:
Omnemque pestem vicit Alcides palam.

Chorus.

O decus mundi, radiate Titan!
Cuius ad primos Hecate vapores
Lassa nocturnæ levat ora bigæ,
Dic sub Aurora positis Sabæis,
Dic sob Occaso positis Iberis,
Quique [ferventem patiuntur axem,]
Quique sub plaustro patiuntur Ursæ,
Dic ad æternos properare Manes
Herculem, et regnum canis inquieti,
Unde non ouquam remeavit ullus.
Sume, quos nubes radios sequantor:
Pallidus mœstas speculare terras;
Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, pro, Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Siqua sub Lerna numerosa pestis
Sparget in centum rabiem dracones?
Arcadum siquis, populi vetusti,
Fecerit silvas aper inquietas?
Thraciæ siquis Rhodopes alumnus,
Durior terris Helices nivosæ,
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Siquid irati Superi per urbes
Iusserint nasci? Iacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per urbes,
Et, comas nullo cohibente nodo,
Fœmina exertos feriat lacertos;
Solaque, obductis foribus Deorum,
Templa securæ pateant novercæ.
Vadis ad Lethen Stygiumque litus,
Unde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad Manes miserandus, unde,
Morte devicta, tuleras triumphum.
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vulto, tenuique collo:
Teque non solum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Æaconque inter geminosque Cretas,
Facta discernes: feries tyrannos.
Parcite, o dites! inhibete dextras.
Laudis est, purum tenuisse ferrum;
Dumque regnabas, minimum cruentis
In tuas urbes licuisse fatis.
Sed locum virtus habet inter astra.
Sedis Arctoæ spatium tenebis?
Au, gravis Titan ubi promit æstus?
Au sub Occasu tepido nitebis,
Unde commisso resonare ponto
Audies Calpen? loca quæ sereni
Deprimes cœli? quis erit recepto
Tutus Alcida locus inter astra?
Horrido tantum procul a Leone
Det pater sedes, calidoque Cancro;
Ne, tuo vulto tremefacta, leges
Astra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam silvis hiemes recident,
Vel comam silvis revocabit æstas;
Pomaque auctumno fugienta cedent,
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.
Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda;
Ante descendet glacialis Ursæ
Sidus, et ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.
Te, Pater rerum, miseri precamur,
Nulla nascatur fera, nulla pestis.
Non duces sævos miseranda tellus
Horreat: nulla dominetur aula,
Qui putet solum decus esse regni,
Semper impensum tenuisse ferrum.
Siquid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Hem! quid hoc? mundus tonat: ecce, mœret,
Mœret Alcidæ pater. An Deorum
Clamor, an vox est timidæ novercæ?
Hercule an viso fugit astra Iuno?
Lassus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuere Manes
Herculem? et visum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: læto venit, ecce, vultu,
Quem tulit Pœas; humerisque tela
Gestat, et notas populis pharetras,
Herculis hæres.

ACTUS V. *Nutrix, Philoctetes.*

N. Effare casus, juvenis, Herculeos, precor;
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
P. Quo nemo vitam. *N.* Lætus adeone ultimos
Invasit ignes? *P.* Esse iam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub hoc mundo Hercules
Immane nil reliquit: en domita omnia.
N. Inter vapores quis fuit forti locus?
P. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est: hæc quoque accessit feris:
Inter labores ignis Herculeos abiit.
N. Edissere, agedum, flamma quo victa est modo.
P. Ut omnis Œten mœsta corripuit manus,

Huic fagus umbras perdit, et toto iacet
Succisa trunco: flectit hic pinum ferox
Astris minantem, et nube de media vocat;
Ruitura cautes movit, et silvam trahit
Secum minorem. Chaonis, quondam loquax,
Stat vasta late quercus, et Phœbum vetat;
Ultraque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos. Resilit excussus chalybs;
Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.
Commota tandem est: tunc cadens latam sui
Duxit ruinam. Protinus radios locus
Admisit omnes. Sedibus pulsæ suis,
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quæruntque lassis garrulæ pinnis [domos.]
Iamque omnis arbor sonuit, et sacræ quoque
Sensere quercus horridam ferro manum;
Nullique priscum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis silva, et alternæ trabes
In astra tollunt Herculi angustum rogum.
Rapit alta flammas pinus, et robur tenax,
Et brevior ilex silva. Contexit pyram
Populea silva, frondis Herculeæ nemus.
At ille, ut ingens, nemore sub Nasamonio,
Æger reclini pectore immugit leo,
Fertur. Quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra, non ignes, erat.
Ut pressit Œten, ac suis oculis rogum
Lustravit omnem, fregit impositus trabes,
Arcumque poscit: Accipe hæc, inquit, sate
Pœante, dona; munus Alcidæ cape.
Has hydra sensit; his iacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Virtute felix iuvenis, has nunquam irritas
Mittes in hostem: sive de media voles
Auferre volucres nube, descendent aves,
Et certa prædæ tela de cœlo fluent.
Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, et certam dare
Fugam sagittis: ipsa non fallunt iter
Emissa nervo tela. Tu tantum, precor,
Accommoda ignes et facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem cupiet manus,
Mecum per ignem flagret; hoc telum Herculem
Tantum sequatur. Hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre posses. Adiuvet domini rogum.
Tum rigida secum spolia Nemeæi mali
Arsura poscit: latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba; nec lacrymas dolor
Cuiquam remisit. Mater, in luctum furens,
Diduxit avidum pectus, atque, utero tenus,
Exerta vastos ubera in planctus ferit:
Superosque et ipsum vocibus pulsans Iovem,
Implevit omnem voce fœminea locum.
Deformuletum, mater, Herculeum facis:
Compesce lacrymas, inquit: introrsus dolor
Femineus abeat. Iuno cur lætum diem,
Te flente, ducat? Pellicis gaudet suæ
Spectare lacrymas. Contine infirmum iecur,
Mater: nefas est ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit. Et dirum fremens,
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Cum, victor Erebi, Dite contemto, rediit,
Tremente Fato; talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus [fuit!]
Hæsera lacrymæ: cecidit impulsus dolor
Nobis quoque ipsis. Nemo moriturо ingemit:
Iam flere pudor est. Ipsa, quam sexus iubet
Mœrere, siccis hæsit Alcmene genis;
Stetitque nato pæne iam similis parens.
N. Nullasne in astra misit ad Superos preces
Arsurus, aut in vota respexit Iovem?
P. Iacuit sui securus; et, cœlum intuens,
Quæsivit oculis, arce an ex aliqua pater
Despiceret illum: tum, manus tendens, uit
Quacumque parte prospicis natum, pater,
Te, te, pater, quem, nocte commissa, dies
Quæsivit unus, si meas laudes canit
Utrumque Phœbi litus, et Scythiæ genus,
Et omnis, ardens, ora, quam torret dies;
Si pace tellus plena, si nullæ gemunt
Urbes, nec aras impius quisquam inquinat;
Si scelera desunt, spiritum admitte hunc (precor)
In astra. Nec me Mortis inferna locus,
Nec mœsta nigri regna conterrent Iovis:
Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos,
Pater, erubesco. Nube discussa, diem
Pande, ut Deorum vultus ardentem Herculem
Spectet: licet tu sidera et mundum neges,
Ultro, pater, cogere. Si voces dolor
Abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis: approba natum prius,
Ut dignus astris videar, hic faciet dies.
Leve est, quod actum est. Herculem hic, genitor, dies
Inveniet, aut damnabit. Hoc postque addidit:
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas poposcit. Hoc age, Alcidæ comes;
Non segnis, inquit, corripe Œtæam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? Redde iam pharetras mihi,
Ignave, iners, inermis! en, nostros manus
Quæ tendat arcus! Quis sedet pallor genis?
Animo faces invade quo Alciden vides
Vultu iacere, respice arsurum, miser.
Vocat, ecce, iam me genitor, et pandit polos.
Venio, pater. Vultusque non idem fuit.
Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, et reluctantur faces,
Et membra vitant: sed recedentem Hercules
Insequitur ignem. Caucasū, aut Pindum, aut Athon,
Ardere credas. Nullus erumpit sonus.
Tantum ingemiscit ignis. O durum iecur!
Typhon in illo positus immanis rogo
Gemuisset ipse, quique convulsam solo
Imposuit humeris Ossan, Enceladus ferox.
At ille, medias inter exurgens faces,
Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens;
Nunc, o parens Herculea, sic stare ad rogum,
Te, mater, inquit; sic decet fleri Herculem.
Inter vapores positus et flammæ minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta flectens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum ministris: urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus; vix habent flammæ fidem:
Tam placida frons est, tanta maiestas viro.
Nec properat uri: cumque iam forti datum
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit: minima quas flamma occupat,
Totasque in ignem vertit; et, qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet: ast illi graves
Luxere barbæ: cumque iam vultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non pressit oculos. Sed quid hanc mœstam intuor
Sinu gerentem? Reliquias magni Herculis

Cineremque iactans squalidum Alcmene gemit.

Alcmena, Philoctetes.

A. Timete, Superi, fata. Tam parvus cinis
Herculeus est: huc ille decrevit gigas.
O! quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est. Ecce, vix totam Hercules
Complevit urnam. Quam leve est pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima,
Rediturus ibas: quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? Non ut et spolium trahas,
Rursumque Theseus debeat lucem tibi;
Sed quando solus? Mundus impositus tuas
Compescet umbras; teque Tartareus canis
Inhibere poterit, quando Tænareas fores
Pulsabis? Ah! quas mater ad fauces agar?
Qua mors aditur? Vadis ad Manes, iter
Habiturus unum. Quid diem questu tero?
Quid, misera, duras, vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Iovi?
Quis me parentem natus Alcmenam suam
Tantus vocabit? O nimis felix, nimis,
Thebane coniux! Tartari intrasti loca
Florente nato; teque venientem inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. Quas petam terras anus,
Invisa sævis regibus? siquis tamen
Rex est relictus sævus. Hei miseræ mihi!
Quicumque cæsos ingemunt nati patres,
A me petent supplicia: me cuncti obruent.
Siquis minor Busiris, aut siquis minor
Antæus urbes fervidæ terret plagæ,
Ego præda ducar. Siquis Ismarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri. Forsitan pœnas petet
Irata Iuno: totus uretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcida vacat.
Pellex supersum, supplicia de qua exigat.
Ne parere possem, fecit hic natus mihi
Uterum timendum. Quæ petam Alcmene loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga,
Defendet? aut quas mater in latebras agar,
Ubique per te nota? Si patriam petam,
Laresque miseros, Argos Eurystheus tenet.
Orbata Thebas regnum et Ismenum petam,
Thalamosque nostros, in quibus quondam Iovem
Dilecta vidi? pro, nimis felix, nimis,
Si fulminantem et ipsa sensissem Iovem!
Utinam meis visceribus Alcides foret
Exsectus infans! Nunc datum est miseræ, datum,
Videre natum laude certantem Iovi;
Et hoc daretur scire, quod fatum mihi
Eripere posset. Quis memor vivet tui,
O nate, populus? Omne iam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisque terram nobilem quæram tuis?
Heic dira serpens cecidit, haic ales fera,
Heic rex cruentus; heic tua fractus manu,
Qui, te sepulto, possidet cœlum, leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebrique populos? hæc quoque est meritis tuis
Defensa tellus: stabula cum regno iacent.
Heic pax, cruento rege prostrato, data est.
Ubi enim negata est? Quod tibi infelix anus
Quæram sepulcrum? De tuis totus rogis
Contendat orbis. Reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis iam petet, quis poscet, Alcmenes onus?
Quæ tibi sepulcra, nate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis. Fama erit titulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes.
Complectere ossa; reliquiæ auxilium dabunt;
Erunt satis præsidia: terrebunt tuæ
Reges vel umbræ. *P.* Debitos nato quidem
Compesce fletus, mater Alcidæ inclyti.
Non est gemendus, nec gravi urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetat mœrere; degeneres iubet.
A. Sedabo questus? vindicem amisi parens
Terræ atque pelagi: quaque purpureus dies
Utrumque clara spectat Oceanum rota.
Quot misera in uno condidi natos parens!
Regno carebam; regna sed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci. Nil ego a Superis petii,
Incolume nato. Quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? Quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? Vota in hac fuerant manu.
Quidquid negaret Iupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, et toto stetit
Succisa fœtu, bisque septenos greges
Deplanxit una? gregibus æquari meus
Quot ille poterat! Matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat. Alcmena dabo.
Cessate, matres, pertinax siquas dolor
Adhuc iubet lugere, quas luctus gravis
In saxa vertit: cedite his cunctæ malis,
Agedum, senile pectus, o miseræ manus,
Pulsate: et una funeri tanto sat est
Grandæva anus defecta, quod totus brevi
Iam quæret orbis? Expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia: invidiam ut Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

Alcmena.

Flete Alcmenen, magnique Iovis
Plangite natum, cui concepto
Lux una periit, noctesque duas
Contulit Eos; ipsa quiddam
Plus luce perit. Totæ pariter
Plangite gentes, quarum sævos
Ille tyrannos iussit Stygias
Penetrare domos, populisque madens
Ponere ferrum. Fletum meritis
Reddite tantis. Totus, totus
Personet orbis. Fleat Alciden
Cœrula Creta, magno tellus
Clara Tonanti: centum populi
Brachia pulsent.
Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idæa quassate manu:
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Iacet Alcides, non minor ipso,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phœbe nascente genus.
Iuga Parthenii Nemeæque sonent,
Feriantque graves Mænala planctus.
Poscite magno Alciden gemitu:
Stratus vestris setiger oris;
Alesque sequi iussa sagittas,
[Totum pennis velata diem.]

Flete, Argolicæ, flete, Cleonæ;
Hic terrentem mœnia quondam
Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. Date Sithoniæ
Verbera matres; gelidusque sonet
Planctibus Hebrus: flete Alciden,
Quod non stabulis nascitur infans,
Nec vestra greges viscera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryonæ.
Mecum miseræ plangite gentes.
Audiat ictus utraque Tethys.
Vos quoque mundi turba citati
Flete Herculeos, numina, casus.
Vestrum Alcides cervice meus
Mundum, Superi, cœlumque, tulit,
Cum stelligeri vector Olympi,
Pondere liber, spiravit Atlas.
Ubi nunc vestræ, Iupiter, arces?
Ubi promissi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. Quoties telis
Facibusque tuis ille pepercit!
Quoties ignis spargendus erat!
In me saltem iaculare facem,
Semelenque puta. Iamne Elysias,
O nate, domus, iam litus habes,
Ad quod populos Natura vocat?
An post raptum Styx atra canem
Præclusit iter;
Teque in primo limine Ditis
Fata morantur? Quia nunc Umbras,
Nate, tumultus, Manesque, tenet?
Fugit abducta navita cymba,
Et Centauris Thessala motis
Ferit attonitos ungula Manes?
Anguesque suos hydra sub undis
Territa mersit? teque labores,
O nate, timent?
Fallor, fallor, vesana parens;
Nec te Manes Umbræque timent.
Non, Argolico rapta leoni,
Fulva pellis contecta iuba
Lævos operit dura lacertos;
Vallantque feri tempora dentes.
Donum pharetræ cessere tuæ;
Telaque mittet iam dextra minor.
Vadis inermis, nate, per umbras,
Ad quas semper mansurus eris.

Alcmena, Hercules.

H. Quid me, tenentem regna siderei poli,
Cœloque tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? parce; nam virtus mihi
In astra, et ipsos fecit ad Superos iter.
A. Unde sonus trepidas aures ferit?
Unde meas inhibet lacrymas fragor?
Agnosco, agnosco: victum est Chaos.
A Styge, nate, redis iterum mihi;
Fractaque non semel est Mors horrida.
Vicisti rursus Noctis loca,
Puppis et infernæ vada tristia.
Pervius est Acheron iam languidus,
Et remeare licet soli tibi.
Nec te Fata tenent post funera.
An tibi præclusit Pluton iter,
Et, pavidus regni, metuit sibi?
Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, cum plurimus
In cœlum fureret flammæ metus.
Arsisti certe; verum ultima
Non tenuere tuas umbras loca.
Quid timuere tui Manes, precor?
Umbra quoque est Diti nimis horrida.
H. Non me gementis stagna Cocyti tenent;
Non puppis umbras furva transvexit meas.
Iam parce, mater, questibus. Manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis evictus tulit.
Paterna cœlo pars data est, flammis tua.
Proinde planctus pone, quos nato paret
Genitrix inerti. Luctus in turpes eat.
Virtus in astra tendit, in mortem timor.
Præsens ab astris, mater, Alcides cano;
Pœnas cruentus iam tibi Eurystheus dabit.
Curru superbum vecta transcendes caput.
Me iam decet subire cœlestem plagam.
Inferna vici rursus Alcides loca.
A. Mane parumper. Cessit; ex oculis abiit;
In astra fertur. Fallor? an vultus putat
Vidisse natum? Misera mens incredula est.
Es numen, et te mundus æternus tenet.
Credo triumphis: regna Thebarum petam,
Novumque templis additum numen canam.

Chorus.

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus. Vivite, fortes.
Vos Lethæos sæva per amnes
Nec Fata trahent: sed, cum summas
Exiget horas consumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sed tu, domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator, ades.
Nunc quoque nostras respice terras,
Et, siqua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis.
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

OCTAVIA

DRAMATIS PERSONÆ

OCTAVIA. NUTRIX *Octaviæ*. CHORUS *Romanorum*.
SENECA. PRÆFECTUS. POPPÆA.
AGRIPPINA. NERO. NUNTIUS.

ACTUS I. *Octavia.*

Iam vaga cœlo sidera fulgens
Aurora fugat: surgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Age, tot tantis onerata malis,
Repete assuetos iam tibi questus,
Atque æquoreas vince Alcyonas;
Vince et volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua est.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus
Natæ exaudi, siquis remanet
Sensus in umbris. Utinam ante manu
Grandæva sua mea rupisset
Stamina Clotho, tua quam mœrens
Vulnera vidi,

Oraque fœdo sparsa cruore!
O lux semper funesta mihi!
Tempore ab illo lux est tenebris
Invisa magis.
Tulimus sævæ iussa novercæ,
Hostilem animum, vultusque truces.
Illa illa meis tristia Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes:
Teque extinxit, miserande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum, cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus nostris ante ignoti,
Iurisque sol.
Coniugis (heu me!) pater insidiis
Oppresse iaces; servitque domus,
Cum prole tua, capta tyranno!

Nutrix Octaviæ.

Fulgore primo captus, et fragili bono
Fallacis aulæ quisquis attonitus stupet,
Subito labantis, ecce, Fortunæ impetu,
Modo præpotentem, cernat eversam domum,
Stirpemque Claudii, cuius imperio fuit
Subiectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, et recepit invitus rates.
En! qui Britannis primus imposuit iugum,
Ignota et tante classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit,
Et sæva maria, coniugis scelere occidit;
Mox illa nati: cuius extinctus iacet
Frater venenis: mœret infelix soror,
Eademque coniux: nec graves luctus valet
Ira coacta tegere. Crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari
Ardens mariti, mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasque frustra. Molat immitis dolor
Consilia nostra: nec regi mentis potest
Generosus ardor; sed malis vires capit.
Heu! quam nefandum prospicit noster timor
Scelus! quod utinam nomen avertat Deum!

Octavia, Nutrix.

O. O mea nullis æquanda malis
Fortuna! licet repetam luctus
Electra tuos. Tibi mœrenti
Cæsum licuit flere parentem;
Scelus ulcisci vindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit,
Texitque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor; fratrisque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi,
Totque malorum breve solamen.
Nunc, in luctus servata meos,
Magni resto nominis umbra.
N. Vox (heu!) nostras perculit aures
Tristis alumnæ.
Cessat thalamis inferre gradus
Tarda senectus? *O*. Excipe nostras
Lacrymas, nutrix, testis nostri
Fida doloris. *N*. Quis te tantis
Solvet curis, miseranda, dies?
O. Qui me Stygias mittet ad umbras.
N. Omina (quæso) sint ista procul.
O. Non vota meos tua nunc casus,
Sed fata, regunt. *N*. Dabit afflictæ
Meliora Deus tempora mitis.
Tu modo blando vince obsequio
Placata virum. *O*. Vincam sævos
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam sævi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro;
Spernit Superos hominesque simul;
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens. Licet ingratum
Diræ pudeat munere matris
Hoc imperium cepisse; licet
Tantum munus morte rependat;
Feret hunc titulum post fata tamen
Fœmina longo semper in ævo.
N. Animi retine verba furentis:
Temere emissam comprime vocem.
O. Toleranda quamvis patiar, haud unquã queant,
Nisi morte tristi, nostra finiri mala.
Genitrice cæsa, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis, luctu obruta,
Mœrore pressa, coniugi invisa, ac meæ
Subiecta famulæ, luce non grata fruor;
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris. Absit crimen a fatis meis;
Mori iuvabit: pœna nam gravior nece est
Videre tumidos et truces miseræ mihi
Vultus tyranni, iungere atque hosti oscula,
Timere nutus; cuius obsequium meus
Haud ferre posset, fata post fratris, dolor,
Scelere interemti; cuius imperium tenet,
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quam sæpe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum solvit quies,
Et fessa fletu lumina oppressit sopor!
Modo facibus atris armat infirmas manus;
Oculosque et ora fratris infestus petit:
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos:
Persequitur hostis; atque inhærenti mihi
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor, et ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus et metus miseræ mihi.
Adice his superbam pellicem, nostræ domus
Spoliis nitentem; cuius in munus suam
Stygiæ parentem natus imposuit rati:
Quam, dira post naufragia, superato mari,
Ferro interemit, sævior pelagi fretis.
Quæ spes salutis, post nefas tantum, mihi?
Inimica victrix imminet thalamis meis;
Odioque nostri flagrat; et pretium stupri
Iustæ maritum coniugis [poscit] caput.
[Emerge ab umbris,] et fer auxilium tuæ
Natæ invocanti, genitor: aut Stygios sinus,
Tellure rupta, pande, quo præceps ferar.
N. Frustra parentis invocas Manes tui,
Miseranda, frustra: nulla cui prolis suæ
Manet inter umbras cura; qui nato suo
Præferre potuit sanguine alieno satum;
Genitamque [fratre coniugem incestus] sibi
Toris nefandis flebili iunxit face.
Hinc orta series facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, sanguinis diri sitis:
Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Pro facinus ingens! fœminæ est munus datus
Silanus; et cruore fœdavit suo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hostis (hei mihi!) captam domum
Dolis novercæ, Principis factus gener,

Idemque natus, iuvenis infandi ingenii,
Capaxque scelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, et te iunxit invitam metu.
Tantoque victrix facta successu ferox,
Ausa imminere est orbis imperio sacri.
Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas fœminæ, et blandos dolos,
Regnum petentis per gradum scelerum omnium?
Tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys sæva funesto pede
Intravit aulam; polluit Stygia face
Sacros penates: iura Naturæ, furens,
Fasque omne, rupit; miscuit coniux viro
Venena sæva; cecidit atque eadem sui
Mox scelere nati. Tu quoque extinctus iaces,
Deflende nobis semper, infelix puer,
Modo sidus orbis, columen Augustæ domus,
Britannice, (heu me!) nunc levis tantum cinis,
Et tristis umbra; sæva cui lacrymas dedit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque et vultus, Deo
Similes volanti, flamma fervens abstulit.
O. Extinguat et me, ne manu nostra cadat.
N. Natura vires non dedit tantas tibi.
O. Dolor, ira, mœror, miseriæ, luctus, dabunt.
N. Vince obsequendo potius immitem virum.
O. Ut fratrem ademtum scelere restituat mihi?
N. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
O. Exspectat aliam Principis sobolem domus:
Me dira miseri fata germani trahunt.
N. Confirmet animam civium tantus favor.
O. Solatur ista nostra, non relevat, mala.
N. Vis magna populi est. *O.* Principis maior tamen.
N. Respiciet ipse coniugem. *O.* Pellex vetat.
N. Invisa cunctis nempe. *O.* Sed cara est viro.
N. Nondum uxor est. *O.* Iam fiet, at genitrix simul.
N. Iuvenilis ardor impetu primo furit;
Languescit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapor.
Amor perennis coniugis castæ manet.
Violare prima quæ toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Iam metuet eadem, nempe prælatam sibi,
Subiecta et humilis: atque monimenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
Et hanc levis fallaxque destituet Deus,
Volucer Cupido. Sit licet forma eminens,
Opibus superba; gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores
Regina Deum, cum se formas
Vertit in omnes dominus cœli,
Divumque pater;
Et modo pennas sumsit oloris;
Modo Sidonii cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri. Fulgent cœlo
Sidera Ledæ: patrio residet
Bacchus Olympo: Deus Alcides
Possidet Heben; nec Iunonis
Iam timet iras; cuius gener est,
Qui fuit hostis. Vicit sapiens
Tamen obsequium coniugis altæ,
Pressusque dolor. Sola Tonantem
Tenet æthereo secura toro
Maxima Iuno; nec, mortali
Captus forma, deserit altam
Iupiter aulam. Tu quoque, terris
Altera Iuno, soror Augusti,
Coniuxque, graves vince dolores.
O. Iungentur ante sæva sideribus freta,
Et ignis undæ, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies,
Quam cum scelesti coniugis mente impia
Mens nostra, semper fratris extincti memor.
Utinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis Cœlitum rector paret,
Qui sæpe terras fulmine infesto quatit,
Mentesque nostras ignibus terret sacris,
Novisque monstris! Vidimus cœlo iubar
Ardens, cometam pandere infestam facem,
Qua plaustra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En, ipse diro spiritu sævi ducis
Polluitur æther: gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona, neglecto Iove,
Irata Tellus edidit quondam parens.
Hæc gravior illo pestis: hic, hostis Deum
Hominumque, templis expulit Superos suis,
Civesque patria: spiritum fratri abstulit;
Hausit cruorem matris: et lucem videt?
Fruiturque vita, noxiamque animam trahit?
Pro, summe Genitor! tela cur frustra iacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum pœnas luat
Nero, ipse Divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi iugo;
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.
N. Indignus ille (fateor) est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunæ tuæ,
Alumna, quæso; neva violenti move
Iram mariti. Forsitan vindex Deus
Exsistet aliquis; lætus et veniet dies.
O. Gravi Deorum nostra iampridem domus
Urgetur ira: prima quam pressit Venus
Furore miseræ dira genitricis meæ:
Quæ, nupta, demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, coniugis, legum immemor.
Illo, soluta crines, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine extinxit faces:
Incendit ira Principis pectus truci
Cædem in nefandam. Cecidit infelix parens
(Heu!) nostra ferro, meque perpetuo obruit
Extincta luctu. Coniugem traxit suum,
Natumque, ad umbras; prodidit lapsam domum.
N. Renovare luctus parce cum fletu pios;
Manes parentis neva sollicita tuæ,
Graves furoris quæ sui pœnas dedit.

Chorus.

Quæ fama modo venit ad aures,
Utinam, falso credita, perdat,
Frustra toties iactata, fidem!
Nec nova nostri coniux thalamos
Principis intret: teneatque suos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Servetque decus Roma æternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Iuno: soror Augusti
Sociata toris, cur a patria
Pellitur aula? sancta quid illi
Prodest pietas, Divusque pater?
Quid virginitas, castusque pudor?

Nos quoque nostri sumus immemores
Post fata ducis, cuius prodimus
Stirpem, sævo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hac expulerunt
Urbe superbos; ultique tuos
Sunt bene Manes, virgo, dextra
Cæsa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Præmia victrix dira libido.
Te quoque bellum triste secutum est,
Mactata tua miseranda manu,
Nata Lucretii, stuprum sævi
Passa tyranni. Dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia coniux; quæ per cæsi
Membra parentis sævos egit
Impia currus, laceroque seni
Violenta rogos nata negavit.
Hoc quoque nostra videre nefas
Sæcula; magnum cum Tyrrhenum
Rate ferali Princeps captam
Fraude parentem misit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Iussi nautæ:
Resonant remis pulsata freta;
Fertur in altum provecta ratis,
Quæ, resoluto robore labens,
Pressa dehiscit, sorbetque mare.
Tollitur ingens
Clamor ad astra, cum fœmineo
Mixtus planctu. Mors ante oculos
Dira vagatur: quærit leti
Sibi quisque fugam:
Alii laceræ puppis tabulis
Hærent nudi, fluctusque secant:
Repetunt alii litora nantes:
Multos mergunt fata profundo.
Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas, rigat et mœstis
Fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira, iam victa malis,
Hæc, exclamat, mihi, pro tanto
Munere, reddis præmia, nate?
Hac sum, fateor, digna carina,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Cæsaris amens. Exere vultus
Acheronte tuos, pœnisque meis
Pascere, coniux: ego causa tuæ,
Miserande, necis; natoque tuo
Funeris auctor.
En, ut merui, ferar ad Manes
Inhumata tuos,
Obruta sævis æquoris undis.
Feriunt fluctus ora loquentis:
Ruit in pelagus; rursumque salo
Pressa resurgit; pellit palmis,
Cogente metu, fata, at cedit
Fessa labori. Mansit tacitis
In pectoribus, spreta tristi
Iam morte, fides. Multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent: brachia quamvis
Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibusque levant. Quid tibi sævi
Fugisse maris profuit undas?
Ferro es nati moritura tui;
Cuius facinus vix posteritas,
Tarde semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miseræ fata parentis,
Patiturque moram sceleris nullam:
Missus peragit iussa satelles;
Reserat dominæ pectora ferro.
Cædis moriens illa ministrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut ensem:
Hic est, hic est fodiendus, ait,
Ferro, monstrum qui tale tulit.
Post hanc vocem cum supremo
Mixtam gemitu,
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

ACTUS II. *Seneca.*

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea,
Alte extulisti, gravius ut ruerem, edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus inter Corsici rupes maris;
Ubi liber animus, et sui iuris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O! quam iuvabat (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cœlum intueri, Solis et cursus sacros,
Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in cæcum chaos
Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruina; rursus ut stirpem novam
Generet, renascens melior; ut quondam tulit
Iuvenis, tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni Dea,
Iustitia, cœlo missa, cum sancta Fide,
Terras regebat mitis. Humanum genus
Non bella norat, non tubæ fremitus truces,
Non arma; gentes cingere assuerant suas
Muris nec urbes: pervium cunctis iter.
Communis usus omnium rerum fuit:
Et ipsa tellus læta fœcundos sinus
Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis: alia sed soboles minus
Conspecta mitis. Tertium sollers genus
Novas ad artes exstitit; sanctum tamen:
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos [gravi]
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subiectos iugo
Tauros feroces; vulnere immunem prius
Sulcare terram, læsa quæ fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suæ
Deterior ætas: eruit ferrum grave,
Aurumque; sævas mox et armavit manus;
Partita fines, regna constituit; novas
Exstruxit urbes; tecta defendit sua,
Aliena telis aut petiit, prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, et mores feros,
Hominum cruenta cæde pollutas manus,

Astræa virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda: cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant. Sæculo premimur gravi,
Quo scelera regnant: sævit impietas furens:
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed, ecce, gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. Quid ferat, mente horreo.

Nero, Præfectus, Seneca.

N. Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi
Sullæque cæsi referat abscisum caput.
P. Iussa haud morabor: castra confestim petam.
S. Nihil in propinquos temere constitui decet.
N. Iusto esse facile est, cui vacat pectus metu.
S. Magnum timoris remedium clementia est.
N. Extinguere hostem maxima est virtus ducis
S. Servare cives maior est patriæ patri.
N. Præcipere mitem convenit pueris senem.
S. Regenda magis est fervida adolescentia.
N. Ætate in hac satis esse consilii reor.
S. Ut facta Superi comprobent semper tua.
N. Stulte verebor, ipse cum faciam, Deos.
S. Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.
N. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
S. Crede obsequenti parcius; levis est Dea.
N. Inertis est, nescire quid liceat sibi.
S. Id facere, laus est, quod decet, non quod licet.
N. Calcat iacentem vulgus. *S.* Invisum opprimet.
N. Ferrum tuetur Principem. *S.* Melius fides.
N. Decet timeri Cæsarem. *S.* At plus diligi. (ve est.
N. Metuant necesse est. *S.* Quidquid exprimitur, gra-
N. Iussisque nostris pareant. *S.* Iusta impera.
N. Statuam ipse. *S.* Quæ consensus efficiat rata.
N. [Detectus] ensis faciet. *S.* Hoc absit nefas.
N. An patiar ultra sanguinem nostrum peti,
[Inultus] et contemtus ut subito opprimar?
Exilia non fregere submotos procul
Plautum atque Sullam; pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens favor
In urbe nostra, qui fovet spes exulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa coniux pereat, et carum sibi
Fratrem sequatur. Quidquid excelsum est, cadat.
S. Pulchrum eminere est inter illustres viros;
Consulere patriæ; parcere afflictis; fera
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus: petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est; colitur et templis Deus.
Illum tamen Fortuna iactavit diu
Terra marique per graves belli vices,
Hostes parentis donec oppressit sui.
Tibi numen incruenta submittit suum;
Et dedit habenas imperii facili manu;
Nutuque terras, maria, subiecit tuo.
Invidia tristis, victa consensu pio,
Cessit: senatus equitis accensus favor
Plebisque votis, atque iudicium patrum est.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus: orbem tu sacra specie regis
Patriæ parens; quod nomen ut serves, petit,
Suosque cives Roma commendat tibi.
N. Munus Deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma, et senatus; quodque ab invitis preces,
Humilesque voces, exprimit nostri metus.
Servare cives Principi et patriæ graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia est,
Cum liceat una voce suspectos sibi
Mori iubere? Brutus in cædem ducis,
A quo salutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Iovi
Æquatus altos sæpe per honorum gradus,
Cæsar nefando civium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Lacerata toties! Ille, qui meruit pia
Virtute cœlum, Divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, iuvenes, senes,
Sparsos per orbem, cum suos mortis metu
Fugerent penates, et trium ferrum ducum,
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita cæsorum patres
Videre mœsti: flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi.
Nec finis heic cruoris aut cædis stetit.
Pavere volucres et feras sævas diu
Tristes Philippi: hausit et Siculum mare
Classes, virosque [sæpe cedentes. Suis
Concussus orbis viribus. Magnus ducum,]
Superatus acie, puppibus Nilum petit
Fugæ paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Ægyptus iterum; nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum. Condidit tandem suos
Iam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, et continuit imperium metu.
Armis, fideque militis, tutus fuit;
Pietate nati factus eximia Deus,
Post fata consecratus, et templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si sævo prior
Ense occupаro quidquid infestum est mihi,
Dignaque nostram sobole fundaro domum.
S. Implebit aulam stirpe cœlesti tuam
Generata Divo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris, more Iunonis, toros.
N. Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam coniugis iunctus mihi.
S. Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus cum tegit flammas amor.
N. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu;
Manifesta quamvis pectore insociabili,
Vultuque signa proderent odium mei;
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor:
Dignamque thalamis coniugem inveni meis
Genere atque forma, victa cui cedat Venus,
Iovisque coniux, et ferox armis Dea.
S. Probitas, fidesque coniugis, mores, pudor,
Placeant marito: sola perpetuo manent,
Subiecta nulli, mentis atque animi bona.
Florem decoris singuli carpunt dies.
N. Omnes in unam contulit laudes Deus;
Talemque nasci Fata voluerunt mihi.
S. Recedat a te, temere ne credas, Amor.
N. Quem submovere fulminis dominus nequit,
Cœli tyrannum, sæva qui penetrat freta,
Ditisque regna, detrahit Superos polo.
S. Volucrem esse Amorem fingit immitem Deum
Mortalis error; armat et telis manus;
Arcusque sacros miscuit sæva face;

Genitumque credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est; iuventa gignitur; luxu, otio,
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem si fovere atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus suas.
N. Hanc esse vitæ maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur. Interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi iugales præferat tædas Deus,
Iungatque nostris igne Poppæam toris.
S. Vix sustinere posset hos thalamos dolor
Videre populi: sancta nec pietas sinat!
N. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
S. Maiora populus semper a summo exigit.
N. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
S. Obsequere potius civibus placidus tuis.
N. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
S. Nihil impetrare cum valet, iuste dolet.
N. Exprimere ius est, ferre quod nequeunt preces.
S. Negare durum est. *N.* Principem cogi nefas.
S. Remittat ipse. *N.* Fama sed victum feret.
S. Levis atque vana. *N.* Si, licet, multos notat.
S. Excelsa metuit. *N.* Non minus carpit tamen.
S. Facile opprimetur: merita te Divi patris,
Ætasque frangat coniugis, probitas, pudor.
N Desiste tandem, iam gravis nimium mihi,
Instare, liceat facere, quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota iampridem moror,
Cum portet utero pignus, et partem mei.
Quin destinamus proximam thalamis diem?

ACTUS III. *Agrippina.*

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis scelestis: nubat his flammis meo
Poppæa nato iuncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiæ cædis mihi
Semper memoria, Manibus nostris gravis
Adhuc inultis, reddita et meritis meis
Funesta merces puppis, et pretium imperii
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere, votum fuerat: haud tempus datum est
Lacrymis: sed ingens scelere geminavit nefas.
Peremta ferro, fœda vulneribus, sacros
Intra penates, spiritum effudi gravem,
Erepta pelago: sanguine extinxi meo
Nec odia nati, sævit in nomen ferus
Matris tyrannus: obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos, destruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit, pœnam in meam,
Puero regendum noster infelix amor.
Extinctus umbras agitat infestus meas,
Flammisque vultus noxios coniux petit;
Instat, minatur; imputat fatum mihi
Tumulumque nati: poscit auctorem necis.
Iam, parce, dabitur: tempus haud longum peto.
Ultrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno; verbera, et turpem fugam,
Pœnasque, queis et Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
Licet exstruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Servant cohortes; mittat immensas opes
Exhaustus orbis; supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempusque, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,
Desertus, et destructus, et cunctis egens.
Heu! quo labor, quo vota ceciderunt mea!
Quo te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, nate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo scelere occidit!
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi,
Aluique, sævæ nostra lacerassent feræ
Viscera! sine ullo scelere, sine sensu, innocens,
Meus occidisses: iunctus atque hærens mihi,
Semper quietam cerneres sedem Inferum,
Proavos, patremque, nominis magni viros.
Quos nunc pudor luctusque perpetuus manet.
Ex te, nefande, meque, quæ talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, coniux, mater, infelix meis?

Octavia, Chorus.

O. Parcite lacrymis urbis festo
Lætoque die; ne tantus amor,
Nostrique favor Principis acres
Suscitet iras, vobisque ego sim
Causa malorum: non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt:
Graviora tuli. Dabit hic nostris
Finem curis vel mortis dies.
Non ego sævi cernere cogar
Coniugis ora.
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulæ. Soror Augusti,
Non uxor, ero.
Absint tantum tristes pœnæ,
Letique metus. Scelerum diri,
Miseranda, viri, potes hæc demens,
Sperare, memor? Hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funesta cades: sed quid patrios
Sæpe penates respicis udis
Confusa genis? Propera tectis
Efferre gradus: linque cruentam
Principis aulam.
C. En, illuxit, suspecta diu,
Fama toties iactata, dies!
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos iam victrix Poppæa tenet,
Cessat pietas dum nostra, gravi
Compressa metu, segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi?
Fregit claros quæ sæpe duces;
Dedit invictæ leges patriæ,
Fasces dignis civibus olim,
Iussit bellum, pacemque; feras
Gentes domuit; captos reges
Carcere clusit? gravis, en, oculis
Undique nostris iam Poppææ
Fulget imago iuncta Neroni:
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominæ;
Ipsamque toris detrahat altis:
Petat infelix mox et flammis
Talisque feri Principis aulam.

ACTUS IV. *Nutrix, Poppæa.*

N. Quo trepida gressum coniugis thalamis tui
Effers, alumna? quodve secretum petis,

Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certa petitus precibus et votis dies
Nostris refulsit. Cæsari iuncta es tuo
Tæda iugali. Quem tuus cepit decor,
Et culpa [Senecæ,] tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen, Venus.
O! qualis altos quanta pressisti toros
Residens in aula! Vidit attonitus tuam
Formam Senatus, thura cum Superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput;
Et ipse, lateri iunctus atque hærens tuo,
Sublimis inter civium læta omina
Incessit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo: talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin:
Quorum toros celebrasse Cœlestes ferunt,
Pelagique numen omne consensu pari.
Quæ subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrymæ, doce.
P. Confusa tristi proximæ noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta sensu. Læta nam postquam dies
Sideribus atris cessit, et nocti polus,
Inter Neronis iuncta complexus mei
Somno resolvor; nec diu placida frui
Quiete licuit; visa nam thalamos meos
Celebrare turba est mœsta; resolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum sæpe terribilem sonum,
Sparsam cruore coniugis genitrix mei,
Vultu minaci sæva, quatiebat facem:
Quam dum sequor, coacta præsenti metu,
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: lata quo præceps, toros
Cerno iugales pariter et miror meos,
In queis resedi fessa. Venientem intuor,
Comitante turba, coniugem quondam meum,
Natumque: properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula;
Irrumpit intra tecta cum trepidus mea,
Ensemque iugulo condidit sævum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor:
Quatit ora et artus horridus nostros tremor,
Pulsatque pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu! quid minantur Inferum Manes mihi?
Aut quem cruorem coniugis vidi mei?
N. Quæcumque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer et arcanus refert
Veloxque sensus. Coniugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris, amplexu novi
Hærens mariti? Sed movent læto die
Pulsata palmis pectora, et fusæ comæ.
Octaviæ discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris et patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustæ manu
Prælata, clarum nomen invidia tibi
Partum ominatur. Inferum sedes toros
Stabiles futuros spondet æternæ domus.
Iugulo quod ensem condidit Princeps tuus:
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum; recipe lætitiam, precor,
Timore pulso: redde te thalamis tuis.
P. Delubra et aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen Deum,
Ut expientur noctis et somni minæ,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, et precibus piis
Superos adora, maneat ut præsens metus.

Chorus.

Si vera loquax Fama Tonantis
Furta et gratos narrat amores;
Quem modo Ledæ pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt;
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem;
Quæ regit, et nunc deseret astra;
Petet amplexus, Poppæa, tuos;
Quos et Ledæ præferre potest,
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danae, fluxit in auro.
Formam Sparte iactet alumnæ,
Licet, et Phrygius præmia pastor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiæque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

Nuntius, Chorus.

N. Quicumque tectis miles exsultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes, ecce, Præfecti trahunt
Præsidia ad urbis: victa nec cedit metu
Concepta rabies temere; sed vires capit.
C. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
N. Octaviæ furore perculsa agmina,
Et efferata, per nefas ingens ruunt.
C. Quid ausa facere, quove consilio, doce.
N. Reddere penates Claudiæ Divi parant,
Torosque fratris, debitam partem imperii.
C. Quos iam tenet Poppæa concordi fide?
N. Hic urit animos pertinax nimium furor,
Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcumque claro marmore effigies stetit,
Aut ære fulgens, ora Poppææ gerens,
Afflicta vulgi manibus, et sævo iacet
Eversa ferro. Membra per partes trahunt
Deducta laqueis: obruunt turpi diu
Calcata cœno. Verba conveniunt feris
Immixta factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis Principis sedem parant,
Populi nisi iræ coniugem [dedat] novam,
Reddat penates Claudiæ victus suos.
Ut noscat ipse civium motus mea
Voce, haud morabor iussa Præfecti exsequi.
C. Quid fera frustra bella movetis?
Invicta gerit tela Cupido:
Flammis vestros obruet ignes;
Queis extinxit fulmina sæpe,
Captumque Iovem cœlo traxit.
Læsi tristes dabitis pœnas
Sanguine vestro. Non est patiens
Fervidus iræ, facilisque regi.
Ille ferocem iussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atriden; regna evertit
Priami; claras diruit urbes.
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta Dei.

ACTUS V. *Nero, Præfectus.*

N. O lenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea!
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos; cæde nec populi madet

Funerea Roma, quæ viros tales tulit!
Admissa sed iam morte puniri parum est:
Graviora meruit impium plebis scelus.
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta coniux et soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo;
Iramque nostram sanguine extinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis.
Ignes, ruinæ, noxium populum premant,
Turpisque egestas, sæva cum luctu fames.
Exsultat ingens sæculi nostri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata nostram; ferre nec pacem potest.
Sed inquieta rapitur. Hinc audacia,
Hinc temeritate fertur in præceps sua.
Malis domanda est, et gravi semper iugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos coniugis vultus meæ
Attollere oculos. Fracta per pœnas, metu
Parere discet Principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota præposuit meis.
P. Populi furorem cæde paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
N. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?
Compescis? hæc vindicta debetur mihi?
P. Cecidere motus impii ferro duces.
N. Quid! illa turba, petere quæ flammis meos
Ausa est penates, Principi legem dare,
Abstrahere nostris coniugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incesta manu
Et voce dira, debita pœna vacat!
P. Pœnam dolor constituet in cives tuos?
N. Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.
P. Quam temperet non ira, non noster timor?
N. Iram expiabit, prima quæ meruit, meam.
P. Quam poscat, ede, nostra ne parcat manus.
N. Cædem sororis poscit, et dirum caput.
P. Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.
N. Parere dubitas? *P.* Cur meam damnas fidem?
N. Quod parcis hosti. *P.* Fœmina hoc nomen capit?
N. Si scelera cepit. *P.* Estne, qui sontem arguat?
N. Populi furor. *P.* Quis regere dementes valet?
N. Qui concitare potuit. *P.* Haud quemquam reor.
N. Mulier; dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,
Vel pœna; quæ tam sera damnatam premit,
Diu nocentem: tolle consilium, ac preces;
Et imperata perage: devectam rate
Procul in remotum litus interimi iube,
Tandem ut residat pectoris nostri tumor.

Chorus, Octavia.

C. O funestus multis populi
Dirusque favor! qui, cum flatu,
Vela secundo ratis implevit,
Vexitque procul; languidus idem
Deserit alto sævoque mari.
Flevit Gracchos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiusque favor, genere illustres,
Pietate, fide, lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, simili leto
Fortuna dedit; quem neque fasces
Texere sui, nec tecta domus.
Plura referre prohibet præsens
Exempla dolor. Modo cui patriam
Reddere cives, aulam, et fratris
Voluere toros; nunc ad pœnam
Letumque trahi, flentem, miseram
Cernere possunt. Bene paupertas
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ,
Aut evertit Fortuna, domos.
O. Quo me trahitis? quodve tyrannus
Aut exilium regina iubet?
Si mihi vitam fracta remittit,
Tot iam nostris evicta malis;
Si cæde mea cumulare parat
Luctus nostros; invidet etiam
Cur in patria mihi sæva mori?
Sed iam spes est nulla salutis:
Fratris cerno miseranda ratem.
Hæc est, cuius vecta carina
Quondam genitrix, nunc et thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum Pietas nunc numen habet;
Nec sunt Superi: regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quæ lacrymis nostris questus
Reddet Aedon? cuius pennas
Utinam miseræ mihi Fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri, procul et cœtus
Hominum tristes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore, et tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture mœstum fundere murmur.
C. Regitur fatis mortale genus;
Nec sibi quidquam spondere potest
Firmum et stabile:
Per quæ casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum
Iam multa, domus
Quæ vestra tulit. Quid sævior est
Fortuna tibi? Tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris uxor, cuius nomen
Clarum toto fulsit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis: mox exilium,
Verbera, sævas passa catenas,
Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu. Felix thalamis
Livia Drusi, natisque, ferum
Ruit in facinus, pœnamque suam.
Iulia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit Principis aulam,
Cara marito, partuque potens?
Eadem, famulo subiecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in cœlum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funesta, violata manu
Remigis ante,
Mox et ferro lacerata diu,
Sævi iacuit victima nati?
O. Me quoque tristes mittet ad Umbras
Ferus et Manes, ecce, tyrannus.

Quid iam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queis ius in nos
Fortuna dedit. Testor Superos....
Quid agis, demens? parce precari,
Queis invisa es, numina Divum.
Tartara testor, Erebique Deas
Scelerum ultrices, et te, genitor,
Dignum tali morte et pœna.
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem; date vela fretis;
Ventisque petat puppis rector
Pandatariæ litora terræ.

C. Lenes auræ, Zephyrique leves,
Tectam quondam nube ætherea
Qui vexistis raptam sævæ
Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoque tristi procul a pœna
Portate precor templa ad Triviæ.
Urbe est nostra mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen Superum: civis gaudet
Roma cruore.

GRATIUS FALISCUS

Gratius patria fuit Faliscus. *Cynegeticon* sive de venatione carmen pure et eleganter composuit, quod extrema partem utilum habemus. Huius nomen veteres latini scriptores vix memoriæ nostræ tradidere. De illo tamen videtur dixisse Ovidius *Aptaque venandi Gratius arma daret.*

Gratii Falisci Cynegeticon ex edit. P. Burmanni

Dona cano divûm, lætas venantibus artis,
Auspicio, Diana, tuo; prius omnis in armis
Spes fuit, et nuda silvas virtute movebant
Inconsulti homines, vitaque erat error in omni;
Post alia propiore via, meliusque profecti,
Te sociam, Ratio, rebus sumpsere gerendis.
Hinc omne auxilium vitæ, rectusque reluxit
Ordo: et contiguas didicere ex artibus artes
Proserere; hinc demens cecidit violentia retro.
Sed primum auspicium Deus artibus, altaque circũ
Firmamenta dedit; tum partes quisque secutus
Exegere suas, tetigitque industria finem.
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Qua primam quærebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hac solvere noxa.
Adscivere tuo comites sub numine divæ
Centum omnes nemorũ, centum de fontibus, omnes
Naiades, et Latii cultor qui faunus amœni,
Mænaliusque puer, domitrixque Idæa leonum
Mater et inculto Silvanus termite gaudens.
His ego præsidibus nostram defendere sortem
Contra mille feras, et non sine carmine; nisus
Carmine, et arma dabo venanti, et persequar artes
Armorum; cassesque, plagarumque ordiar astus.
Prima iubent tenui nascentem iungere filo
Limbũ, et quadruplici tormento adstringere limbos.
Illa operum patiens, illa usus linea longi.
Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore,
Per senos circumusque sinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.
Et bis vicenos spatium prætendere passus
Rete velim, plenisque decem consurgere nodis.
Ingrati maiora sinus impendia sument.
Optima Cinyphiæ, ne quid contere, paludes
Lina dabunt; bonus Æoliæ de valle Sibyllæ
Fœtus et aprico Tuscorum stupea campo
Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,
Qua cultor Latii per opaca silentia Thybris
Labitur, inque sinus magno venit ore marinos.
At contra nostris imbellia lina Faliscis:
Hispanæque alio spectantur Sætabis usu.
Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstivi turba Canopi.
Ipse in materia damnosus candor inerti
Ostendit longe fraudem, atque exterruit hostes.
At pauper rigui custos Alabandicus orti
Cannabias nutrit silvas, quam commoda nostro
Armamenta operi: gravis est tutela sed illis,
Tu licet Hæmonios includas sentibus ursos.
Tantum ne subeat vitiorum pessimus humor,
Ante cave: non est humentibus usus in armis;
Nulla fides: ergo, seu pressa flumina valle
Inter opus, crassæque malum fecere paludes:
Sive improvisus cœlo perfuderit imber:
Illa vel ad flatus Helices oppande serenæ,
Vel caligineo laxanda reponito fumo.
Idcirco et primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis adcenderit annum
Ignibus, et claro Pleias se prompserit ortu.
Imbiberit, tanto despondet longior usu,
Magnum opus, et tangi, nisi cura vincitur, impar.
Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos? illi aggeribus tentare superbis
Ire freta; et matres ausi tractare deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint: flet adhuc et porro flebit Adonim
Victa Venus, ceciditque suis Ancæus in arvis,
Ut prædexter erat geminisque securibus ingens.
Ipse deus, cultorque feri Tyrinthius orbis
Quem mare, quẽ tellus, quẽ præceps ianua, Ditis,
Omnia tentantem, qua laus erat obvia, passi,
Hinc decus et famæ primum patravit honorem.
Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo
Gratis, quæ vires fallat collata ferinas.
Sunt, quibus immundo decerptæ vulture plumæ
Instrumentum operis fuit, et non parva facultas.
Tantum inter nivei iungantur vellera cygni:
Et satis armorum est: hæc clara luce coruscant
Terribiles species: ab vulture dirus avaro
Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res.
Sed quam clara tuis et pinguis pluma sub armis,
Tam mollis tactu, et non sit creberrima nexu,
Ne reprensa suis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipso mendosa coarguat usu.
Hic magis in cervos valuit metus: ast ubi lentæ
Interdum Lybico fucantur sandyce pinnæ,
Lineaque exstructis lucent ancontibus arma,
Rarum, si qua metus eludat bellua falsos.

Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus;
Cervino iussere magis contexere nervo;
Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.
Quid, qui dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas? quum dissimulantibus armis
Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima Divos
Mens fuit, in cæcas aciem quæ magna tenebras
Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus?
Dic age Pierin, (fas est) Diana, ministro.
Arcadium stat fama senem, quem Mænalus altor
Et Lacedæmoniæ primum vidistis Amyclæ,
Per non adsuetas metantem retia valles,
Dercylon: haud illo quisquam se iustior egit,
Aut fuit in terris divom observantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Iussit adire suas et pandere gentibus artes.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit: et proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus; tum stricta verutis
Dentibus, et geminas subiere hastilia furcas.
Et quidam totos clauserunt ensibus orbes,
Ne cessaret iners in vulnere massa ferina
Blandimenta vagæ fugiens novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent: sed lubricus errat
Mox, et ab expertis festinant usibus omnes.
Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos,
Quam longa exigui spicant hastilia dentes?
Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas
Prægravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi melius finxere salubris.
Quocirca et iaculis habilem perpendimus usum:
Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.
Ipsa arcu Lyciaque suas Diana pharetra
Armavit comites; ne tela relinquite Divæ,
Magnum opus et volucres quondam fecere sagittæ.
Disce agedum et validis delectū hastilibus omnē.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, et umbrosæ Veneris per litora myrtus,
Taxique, pinusque, Altinatesque genistæ
Et magis incomptus operæ Lotoser agrestis
Termes, ab Eois descendet virga Sabæis,
Mater odorati multum pulcherrima thuris.
Illa suos usus intractatumque decorem
(Sic nemorum iussere Deæ) natalibus haurit
Arbitriis: at enim multo sunt ficta labore
Cætera, quæ silvis errant hastilia nostris.
Numquam sponte sua procerus ad aera termes
Exiit inque ipsa curvantur stirpe genistæ.
Ergo age, luxuriam primo fœtusque nocentes
Detrahe: frondosas gravat indulgentia silvas.
Post ubi proceris generosa stirpibus arbor
Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgæ,
Stringe notas circum, et gemmantes exige versus.
His siquis vitium nociturus sufficit humor,
Ulceribus fluet, et venas durabit inertes.
In quinos sublata pedes hastilia plena
Cæde manu, dum pomiferis advertitur annus
Frondibus, et tepidos autumnus continet imbres.
Sed cur exiguis tantos in partibus orbes
Lustramus? prima illa canum, non ulla per artes
Cura prior, sive indomitos vehementior hostes
Nudo Marte premas, seu bellum ex arte ministres.
Mille canum patriæ, ductique ab origine mores
Cuique sua: magna indocilis dat prœlia Medus,
Magnaque diversos extollit gloria Celtas.
Arma negant contra, Martemque odere Geloni,
Sed natura sagax: Perses in utroque paratus.
Sunt qui Seras alant genus intractabilis iræ.
At contra faciles, magnique Lycaones armis:
Sed non Hyrcanæ satis est vehementia genti
Tanta: suis petiere ultro fera semina silvis.
Dat Venus adcessus, et blando fœdere iungit.
Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravis succedere Tigrim
Ausa canis, maiore tulit de sanguine fœtum.
Sed præceps virtus ipsa venabitur aula
Ille tibi et pecudum multo cum sanguine crescet:
Pasce tamen, quæcumque domi sibi crimina fecit,
Excutiet silva magnus pugnator adepta.
At fugit adversos idem quos repperit hostes
Umber: quanta fides, utinam et sollertia naris,
Tanta foret virtus et tantum vellet in armis!
Quid freta si Morinum, dubio refluentia ponto,
Venerisatque ipsos libeat penetrare Britannos?
O quanta est merces, et quantum impendia supra!
Si non ad speciem mentiturosque decores
Protinus; (hæc una est catulis iactura Britannis.)
At magnum cum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo præceps discrimine Mavors
Non tunc egregios tantum admirere Molossos,
Comparat his versuta suas Athamania fraudes,
Acyrusque, Pheræque, et clandestinus Acarnan.
Sicut Acarnanes subierunt prœlia furto:
Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes.
At clangore citat, quos nondum conspicit, apros
Ætola quæcumque canis de stirpe, (malignum
Officium) sive illa metus convicia rupit,
Seu frustra nimius properat furor: et tamen illud
Ne vanum totes genus aspernere per artes,
Mirum quam celeres, et quantum nare merentur:
Tum non est victi cui concessere labori.
Idcirco variis miscebo gentibus usum.
Quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallia
Sensum agilem: traxere animos de patre Gelonæ
Hyrcano, et vanæ tantum Calydonia linguæ
Exibit vitium patre emendata Molosso.
Scilicet ex omni florem virtute capessunt,
Et sequitur natura favens: at te leve si qua
Tangit opus, pavidosque iuvat compellere dorcas,
Aut versuta sequi leporis vestigia parvi:
Petronios (sic fama) canes, volucresque Sugambros,
Et pictam macula Vertraham delige falsa.
Ocior adfectu mentis pinnaque recurrit,
Sed premit inventas, non inventura latentes
Illa feras; quæ Petroniis bena gloria constat.
Quod si maturo pressantes gaudia lusu
Dissimulare feras, tacitique accedere possent:
Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,
Constaret silvis: sed virtus irrita damno est.
At vestrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta suos at Creta suos promittit alumnos.
Sed primum celsa lorum cervice ferentem,
Glympice, te silvis egit Bœotius Hagnon,
Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper
Gratia per nostros unum testabitur usus.
Hic trepidas artes at vix novitate sedentes
Vidit, qua propior patuit via: nec sibi turbam
Contraxit comitem, nec vasa tenentia longe.
Unus præsidium, atque operi spes magna petito,
Adsumptus Metagon lustrat per nota ferarum
Pascua, per fontes, per quas trivere latebras.
Primæ lucis opus: tum signa vapore ferino
Intemerata legens, si qua est, qua fallitur, eius
Turba loci, maiore secat spatia extera gyro.
Atque hic egressu iam tum sine fraude reperto

Incubuit spatiis, qualis permissa Lechæis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, et primæ spes ambitiosa coronæ.
Sed ne qua ex nimio redeat iactura favore,
Lex dicta officiis: ne voce lacesseret hostem,
Neve levem prædam, aut propioris pignora lucri
Amplexus, primos nequidquam effunderet actus.
Iam vero impensum melior fortuna laborem
Quum sequitur, iuxtaque domus quæsita ferarum,
Ut sciat, occultos et signis arguat hostes:
Aut effecta levi testatur gaudia cauda,
Aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis,
Mandit humum, celsasve adprensat naribus auras.
Et tamen ut ne prima faventem pignora fallant,
Circa omnem, aspretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, adcessusque abitusque notasse ferarum
Admonet, et, si forte loci spes prima fefellit,
(Rarum opus) incubuit spatiis ad prospera versis,
Intacto repetens prima ad vestigia gyro.
Ergo ubi plena suo rediit victoria fine
In partem prædæ veniat, comes et sua naris
Præmia: sic operi iuvet inservisse benigno.
Hoc ingens meritum est, hæc ultima palma tropæi,
Hagnon magne, tibi Divom concessa favore.
Ergo semper eris, dum carmina, dumque manebunt
Silvarum dotes, atque arma Diania terris.
Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem
Finxit: non alio maior sub pectore virtus,
Seu norit voces, seu nudi ad pignora Martis.
Thoes commissos (clarissima fama) leones
Et subiere astu, et parvis domuere lacertis.
Nam genus exiguum, et pudeat quam informe fateri,
Vulpina specie: tamen huic exacta voluntas.
At non est alius, quem tanta ad munia, fœtus,
Exercere velis: haut te tua culpa refellat
Inter opus, quo sera cadit prudentia damno.
Iunge pares ergo, at maiorum pignore signa
Fœturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuere sua pecus hoc immane inventa.
Et primum expertos animi, quæ gratia prima est,
In Venerem iungunt: tum sortis cura secunda,
Ne renuat species, aut quæ detrectat honorem.
Sint celsi vultus, sint birtæ frontibus aures,
Os magnum, et patulis agitatos morsibus ignes
Spirent, adstricti succingant ilia ventres,
Cauda brevis, longumque latus, discretaque collo
Cæsaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impatiens: validis tum surgat pectus ab armis.
Quod magnos capiat motus, magnisque supersit.
Effuge, qui lata pandit vestigia planta;
Mollis in officio: siccis ego dura lacertis
Crura velim, et solidos hæc in certamina calces.
Sed frustra longus properat labor, abdita si non
Altas in latebras, unique inclusa marito
Femina, nec patitur Veneris sub tempore magnos
Illa, neque emeritæ servat fastigia laudis.
Primi complexus, dulcissima prima voluptas.
Hanc Veneris dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos, at mater adultera non est,
Da requiem gravidæ, solitosque remitte labores.
Vix oneri super illa suo, tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percensere notis, iamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipsi: teneris vix artubus hæret
Ille tuos olim non defecturus honores:
Iamque illum impatiens æquæ vehementia sortis
Extulit; adfectat materna regna sub alvo;
Ubera tota tenet, a tergo liber aperto,
Dum tepida indulget terris clementia mundi.

Verum, ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,
Ira iacet turbaque potens operitur inerti.
Illius et manibus vires sit cura futuras
Perpensare. leves deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.
Protinus et cultus alios et debita fœtæ
Blandimenta feres, curaque sequere merentem:
Illa perinde suos, ut erit delata, minores;
Ac longam præstabit opem: tum denique, fœtæ
Cum desunt operi, fregitque industria matres,
Transeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte novam pubem, facilique tuebere maza:
Nec luxu alios, avidæque impendia vitæ
Noscant; hæc magno redit indulgentia damno.
Nec mirum: humanos non est magis altera sensus.
Tollit se ratio, et vitiis adeuntibus obstat.
Hæc illa est, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum servata cavis potant Mareotica gemmis,
Nardiferumq; metunt Gangē, vitiisque ministrant.
Sic et Achæmenio cecidisti, Lydia, Cyro.
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet, ad summam ne quid restaret habendum,
Tu quoque luxuriæ fictas dum colligis artes,
Et sequeris demens alienam, Græcia, culpam,
O quantum et quoties decoris frustrata paterni!
At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis!
Qui tibi cultus erat post tot, Serrane triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutisque indole priscæ,
Imposuere orbi Romam caput: actòque ab illis,
Ad cœlum virtus summosque tetendit honores.
Scilicet exiguis magna sub imagine rebus
Prospicies, quæ sit ratio, et quo fine regenda.
Idcirco imperium catulis, unusque magister
Additur: ille dapes, pœnamque operamq; ministrans
Temperat: hunc spectet silvas domitura iuventus
Nec vile arbitriū est: cuicumq; hæc regna dicantur,
Ille tibi egregia iuvenis de pube legendus,
Utrumque, et prudens, et sumptis impiger armis.
Quod nisi et adcessus, et agendi tempora belli
Noverit, et socios tutabitur hoste minores:
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno est:
Ergo in opus vigila, factusque ades omnibus armis:
Arma acuere viam: tegat imas fascia suras.
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta clamys, cavaque e Mele galeri:
Ima Toletano præcingant ilia cultro:
Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, et curva rumpent non pervia falce.
Hæc tua militia est: quin et Mavortia bello
Vulnera, et errantes per tot divortia morbos,
Caussasque, adfectusque canum tua cura tueri est.
Stat fatum supra, totumque avidissimus Orcus
Pascitur, et nigris orbem circumsonat alis.
Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura, nec expertos fallet Deus: hinc quoque nosse
Est aliud, quod præstet opus placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris oræ
Abstiterint, atroque cadant cum sanguine fibræ:
Inde rape ex ipso, qui vulnus fecerit, hoste
Virosam eluviem, lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum sucus comprimat acer.
Mortis enim patuere viæ: tum para monebo
Circum labra sequi, tenuique includere filo.
At si pernicies angusto pascitur ore,
Contra pande viam, fallentesque argue caussas
Morborum, in vitio facilis medicina recenti.
Sed tactu impositis mulcent pecuaria palmis,
(Id satis) aut nigræ circum picis unguine signant.
Quod si destricto levis est in vulnere noxa,

Ipse habet auxilium validæ natale salivæ.
Illa gravis labes, et cura est altior illis,
Cum vitium caussæ totis egere latentes
Corporibus, seraque aperitur noxia summa.
Inde emissa lues, et per contagia morbus
Venere in vulgum, iuxtaque exercitus ingens
Æquali sub labe ruit: nec viribus ullis,
Aut merito venia est, aut spes, exire precanti.
Quod sive a stygia letum Proserpina nocte
Extulit, et Furiis commissam ulciscitur iram;
Seu vitium ex alto spiratque vaporibus æther
Pestiferis, seu terra suos populatur honores;
Fontem averte mali: trans altas ducere valles
Admoneo: latumque fuga superabitis amnem.
Hoc primum effugium leti: tunc dicta valebunt
Auxilia, et nostra quidam redit usus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una potestas
Disce vices, et quæ tutela est proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,
Præcipitat letale malum: sic tutius ergo
Anteire auxiliis, et primas vincere caussas.
Namque subit, nodis qua lingua tenacibus hæret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.
Ille, ubi salsá siti [præcepit] viscera longa,
Æstivos vibrans adcensis febribus ignes,
Moliturque fugas, et sedem spernit amatam.
Scilicet hoc motu, stimulisque potentibus acti
In furias vertere canes, ergo insita ferro;
Iam teneris elementa mali caussæque recidunt.
Nec longa in facto medicina est ulcere: purum
Sparge salem, et tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata suas quam nox bene compleat umbras,
Ecce aderit, factique oblitus vulneris, ultro
Blanditur mensis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priscas artes inventaque simplicis anni
Si referam? non illa metus solatia falsi
Tam longam traxere fidem; collaribus ergo
Sunt qui lucifugæ cristas inducere Meliæ
Iussere, aut sacris conserta monilia conchis,
Et vivum lapidem, et circa Melitesia nectunt
Curalia, et magicis adiutas cantibus herbas.
Ac sic offectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata deorum.
At si deformis lacerum dulcedine corpus
Persequitur scabies, longi via pessima leti:
In primo adcessu tristis medicina; sed una
Perniciés redimenda anima, quæ prima sequaci
Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgum.
Quod si dat spatium clemens, et promovet ortu
Morbus, disce vias, et, qua sinit, artibus exi.
Tunc et odorato medicata bitumina vino,
Imponasque pices, immundæque unguen amurcæ.
Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.
Inde lavant ægros: est ira coercita morbi,
Laxatusque rigor, quæ te, natura, timentem
Differat, et pluvias, et Cauri frigora vitent;
Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus æstus,
A vento; clarique faces ad solis, ut omne
Exsudent vitium, subeatque latentibus ultro,
Quæ facta est medicina, vadis: nec non tamen illum
Spumosi catulos mergentem litoris æstu
Respicit, at facilis Pæan adiuvit in artes.
O rerum prudens, quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, si vincere curent
Desidiam, et gratos agitando prendere fines!
Est in Trinacris specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus circum atræ mœnia silvæ
Alta premunt ruptique ambustis faucibus amnes,
Vulcano condicta domus, quam subter eunti
Stagna sedent, venis oleoque madentia vivo.
Huc defecta mala vidi pecuaria tabe
Sæpe trahi, victosque malo graviore magistros.
Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,
Incola sancte, tuam, des ipsis ultima rebus
Auxilia, et, meriti si nulla est noxia tanti,
Tot miserere animas; liceatque adtingere fontes,
Sancte, tuos: ter quisque vocant, ter pinguia libant
Tura foco: struitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monstrum
Adversis specubus, ruptoque e pectore montis
Venit, ovans austris et multo flumine flammæ
Emicat: ipse manu ramum pallenta sacerdos
Termitem quatiens: procul hinc extorribus ire
Edico, præsente Deo, præsentibus aris, (motû est,
Quis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore
Inclamat: cecidere animi et trepidantia membra.
O quisquis misero fas unquam in supplice fregit,
Qui pretio fratrum, meliorisque ausus amici
Sollicitare caput, patriosve lacessere Divos;
Illum agat infandæ comes huc audacia culpæ,
Discet, commissa quantum Deus ultor in ira
Pone sequens valeat; sed cui bona pectore mens est,
Obsequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, et ipse, suos ubi contigit ignis honores,
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro:
Huic fas auxilium et Vulcania tangere dona.
Nec mora; si medias exedit noxia fibras,
His lave præsidiis, adfectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, et ipsa
Artem aluit natura suam: quæ robore pestis
Acrior, aut leto propior via? sed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam si fallat opem dimissa facultas,
At tu præcipitem, qua spes est proxima, labem
Adgredere; in subito subita est medicina tumultu.
Stringendæ nares, scindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa est avidæ vehementia pesti.
Ilicet auxiliis fessum solabere corpus:
Subsiduasque fraces, diffusaque Massica prisco
Sparge cado: Liber tenues e pectore curas
Exiget: est morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tussis, quid mœsti damna veterni,
Aut incurvatæ si qua est tutela podagræ?
Mille tenent pestes, curaque potentia maior.
Mitte age: non opibus tanta est fiducia nostris:
Mitte animæ ex alto ducendum numen Olympo,
Supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum,
Idcirco aeriis molimur compita lucis,
Spicatasque faces sacrum, ad nemora alta, Dianæ,
Sistimus, et solito catuli velantur honore;
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma, sacris et pace vacantia festa.
Tum cadus, at viridi fumantia liba feretro
Præveniunt, teneraque extrudens cornua fronte
Hœdus et ad ramos etiamnum hærentia poma,
Lustralis de more sacri, quo tota iuventus
Lustraturque Deæ, proque anno reddit honorem.
Ergo impetrato respondet multa favore
Ad partes; qua poscis opem, seu vincere silvas
Seu tibi fatorum labes exire minasque
Cura prior: tua magna fides tutelaque, Virgo.
Restat equos finire notis; quos arma Dianæ
Admittant: non omne meas genus audet in artes.
Est vitium ex animo, sunt quos imbellia fallant
Corpora: præveniens quondã est incommoda virtus.
Consule, Penei qualis perfunditur amne
Thessalius; aut patriæ quem conspexere Mycenæ

Glaucum; nempe ingens, nempe ardua fundet inau- (ras
Crura: quis Eleas potior lustravit arenas?
Ne tamen hoc adtingat opus; iactantior illi
Virtus, quam silvas, durumque lacessere Martem.
Nec sævos miratur equos terrena Syene.
Scilicet et Parthis inter sua mollia rura
Mansit honor: veniat Caudini saxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas desuper Alpes,
Ante opus excussis cadet unguibus: et tamen illi
Est animus, fingetque meas se iussus in artes.
Sed iuxta vitium posuit Deus; at tibi contra
Callæcis lustratur equis scruposa Pyrene.
Non tamen Hispana Martem tentare minacem
Ausim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt: at tota levi Nasamonia *virga*
Fingit equos. Pisis Numidæ solvere *iugales*.
Audax et patiens operum genus: ille vigebit
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.
Nec magni cultus: sterilis quodcumque remisit
Terra, fuit, tenuesque sitim producere rivi.
Sic et Strymonio facilis tutela Bisaltæ;
Possent Ætnæas utinam se ferre per arces;
Qui ludus siculis: quid tum, si turpia colla,
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Graiis Agregas, victæque fragosum
Nebroden liquere feræ. O quantus in armis
Ille meis, cuius dociles pecuaria fœtus
Sufficient, quis Chaonias contendere contra
Ausit, vix merita quas signat Achaia palma!
Spadices vix Pellæi valuere Ceraunii,
Et tibi devotæ magnum pecuaria Cyrrhæ
Phœbe, decus, nostras agere in sacraria tensas.
Vanauti melius pugnat color: optima nigri
Crura illi, badiosque legunt *in pectore crines*,
Et quorum fessas imitantur terga favillas.
O quantum Italiæ, sic Dii voluere, parentes
Præstant, et terras omni præcepimus usu!
Nostraque non segnis illustrat prata *iuventus*.
. . . .

Nonnulla erosa penitus legi non potuerunt in illo unico huius et sequentis poematii exemplari Longobardicis literis scripto.

M. A. OLYMPIUS NEMESIANUS

M. Aurelii Olympii Nemesiani Carthaginiensis poetæ multis coronis illustris, ex variis carminibus, solum ad Carinum et Numerianum *Cynegetica* et *Eclogæ* quatuor supersunt. Caro imperante floruit, et non solum ingenii, sed et pure et castigatæ dictionis præ cæteris Afris laudem est consequutus.

M. Aurelii Olympii Nemesiani Cynegeticon ex edit. P. Burmanni.

Venandi cano mille vias: hilaresque labores,
Discursusque citos, securi prœlia ruris,
Pandimus. Aonio iam nunc mihi pectus ab œstro
Æstuat: ingentes Helicon iubet ire per agros:
Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, et late campos metatur apertos:
Imponitque iugum vati, retinetque corymbis
Implicitum, ducitque per avia, qua sola numquam
Trita rotis: iuvat aureto procedere curru
Et parere deo: virides en ire per herbas
Imperat: intacto premimus vestigia musco.
Et quamvis cursus se ostendat tramite noto;
Obvia Calliope, facies insistere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita sulcis.
Nam quis non Nioben numeroso funere mœstam
Iam cecinit? quis non Semelen, ignemque iugalem,
Letalemque simul, novit de pellicis astu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menses
Dignatus, iusti complerit tempora partus?
Sunt qui sacrilego rotantes sanguine thyrsos
(Nota nimis) dixisse velint, qui vincula Dirces,
Pisæique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, sponsasque truces sub fœdere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia tædis.
Biblidos indictum nulli scelus: impia Mirrhæ
Connubia, et sævo violatum crimine patrem
Novimus; utque Arabum fugiens cum carperet arva,
Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.
Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi,
Stellatumque oculis custodem virginis Ius,
Herculeosque velint semper numerare labores,
Miratumque rudes se tollere Terea pinnas
Post epulas, Philomela, tuas: sunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaetonta loquantur
Extinctasque canant emisso fulmine flammas,
Fumantemque Padum, Cygnum, plumamque senilem,
Et flentes semper germani funere silvas.
Tantalidum casus, et sparsas sanguine mensas,
Condentemque caput visis Titana Mycenis,
Horrendasque vices generis dixere priores.
Colchidos iratæ sacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchræque incendia Glauces,
Non crinem Nisi, non sævæ pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem busta sororem.
Hæc iam magnorum præcepit copia vatum,
Omnis et antiqui vulgata est fabula secli.
Nos saltus, viridesque plagas, camposque patentes
Scrutamur, totisque citi discurrimus arvis:
Et varias cupimus facili cane sumere prædas;
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audacesque lupos, vulpem captare dolosam
Gaudemus: nos flumineas errare per umbras
Malumus, et placidis Ichneumona quærere ripis
Inter arundineas segetes felemque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis,
Implicitumque sinu spinosi corporis Erem
Ferre domum: talique placet dare lintea curæ;
Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
Litoribus tutosque sinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portusque fideles,
Linquit et Hadriacas audet tentare procellas.
Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Adciugar; divi fortissima pignora Cari,
Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Litus, et edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Rhenum Tigrimq; bibunt, Ararisque remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.

Nec taceam primum quæ nuper bella sub Arcto
Felici, carine, manu confeceris, ipso
Pæne prior genitore deo: utque intima frater
Persidos, et veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina regni.
Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras
Parthorum, laxosque arcus, et spicula nulla.
Hæc vobis nostræ libabunt carmina Musæ,
Cum primum vultus sacros, bona numina terræ,
Contigerit vidisse mihi: iam gaudia nota
Temporis impatiens sensus: spretorque morarum,
Præsumit: videorque mihi iam cernere fratrum
Augustos habitus, Romam, clarumque senatum,
Et fidos ad bella duces, et milite multo
Agmina, quis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.
Tu modo, quæ saltus placidos silvasque pererras
Latonæ, Phœbe, magnum decus, eia age, suetos
Sume habitus, arcumq; manu: pictamque pharetram
Suspende ex humeris: sint aurea tela, sagittæ;
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:
Sit chlamis aurato multum subtemine lusa,
Corrugesque sinus gemmatis baltheus artet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.
Tecum Naiades faciles, viridique iuventa
Pubentes Dryades, Nymphæq; unde amnibus humor,
Adsint, et docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, Diva, tuum frondosa per avia vatem:
Te sequimur: tu pande domos et lustra ferarum.
Huc igitur mecum, quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites, avidosque tumultus,
Civilesque fugis strepitus, bellique fragores,
Nec prædas avidus sectaris gurgite ponti:
Principio tibi cura canum non segnis ab anno
Incipiat primo, cum Ianus temporis auctor
Pandit inocciduum bissenis mensibus ævum.
Elige tunc cursu facilem, facilemque recursu,
Seu Lacedæmonio natam, seu rure Molosso,
Non humili de gente canem: sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine, decenter prona carinam,
Quæ sensim rursus sicca se colligat alvo,
Renibus ampla satis, validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.
Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum,
Dum superant vires, dum læto flore iuventus,
Corporis et venis primævi sanguis abundat.
Namque graves morbi subeunt, segnisque senectus:
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diversa magis fœturæ convenit ætas.
Tu bis vicenis plenum iam mensibus, acrem
In Venerem permitte marem: sit femina, binos
Quæ tulerit soles: hæc optima cura iugandis.
Sed non spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos: divisa Britannia mittit
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicæ stirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de sanguine manat Ibero.
Quin etiam siccæ Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non spreveris usum.
Mox quum se bina formavit lampade Phœbe,
Ex quo passa marem genitalia viscera turgent,
Fecundos aperit partus matura gravedo
Continuo, largaque vides strepere omnia prole.
Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi si placitum populosos pascere fœtus,
Iam macie tenues, succique videbis inanes,
Pugnantesque diu, quisnam prior ubera lambat,
Distrahere invalidam lassato viscere matrem.
Sin vero hæc cura est, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo, catulosque probare voluntas,
Quis nondum gressus stabiles neque lumina passa
Luciferum videre iubar, quæ prodidit usus
Percipe, et intrepidus spectatis adnue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibusque leves gravibus prænoscere cursu.
Quin et flammato ducatur linea longe
Circuitu signetque habilem vapor igneus orbem,
Impune in medio possis consistere circo.
Huc omnes catuli, huc indiscreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honestos,
Iudicio natos servans trepidoque periclo.
Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,
Continuo saltu transcendens fervida zonæ
Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium: sic conscia mater
Segregat egregiam sobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice simul, iam vere sereno,
Molli pasce sero: passim nam lactis abundans
Tempus adest, albent plenis et ovilia mulctris.
Interdumque cibo Cererem cum lacte ministra,
Fortibus ut sucis teneras complere medullas
Possint, et validas iam tunc promittere vires.
Sed postquam Phœbus candentem fervidus axem
Contigerit, tardasque vias, Cancrique morantis
Sidus init, tunc consuetam minuisse saginam
Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus:
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam quum membrorum nexus nodosque relaxant,
Infirmosque pedes, et crura natantia ponunt;
Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceasque futuris
Cursibus imprudens: catulis nam sæpe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, et teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntve novos adroso robore dentes,
Aut teneros duris impingunt postibus ungues.
Mox quum iam validis insistere cruribus ætas
Passa, quater binos volvens ab origine menses,
Illæsis catulos spectaveris undique membris,
Tunc rursus miscere sero Cerealia dona
Conveniet, fortemque dari de frugibus escam.
Libera tunc primum consuescant colla ligari,
Concordes et ferre gradus, clausique teneri.
Iam quum bis denos Phœbe reparaverit ortus;
Incipe non longo catulos producere cursu;
Sed parvæ vallis spatio septove novali.
His leporem præmitte manu, non viribus æquis,
Nec cursus virtute parem: sed tarda trahentem
Membra; queant iam nunc faciles ut sumere prædas.
Nec semel indulge catulis moderamine cursus;
Sed, donec validos etiam prævertere suescant,
Exerceto diu, venandi munera cogens
Discere, et emeritæ laudem virtutis amare.
Nec non consuetæ norint hortamina vocis,
Seu cursus revocent, iubeant seu tendere cursus.
Quin etiam docti victam contingere prædam,
Exanimare velint tantum, non carpere sumptam.
Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, et in parvos iterum protendere curas.
Nam tristes morbi, scabies et sordida venis
Sæpe venit, multamque canes discrimine nullo
Dant stragem: tu sollicitos impende labores,
Et sortire gregem suffecta prole quotannis,
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva

Admiscere decet: catulosque canesque maritas
Unguere profuerit, tepidoque ostendere soli,
Auribus et tineas candenti pellere cultro.
Est etiam canibus rabies, letale periclum,
Quod seu cœlesti corrupto sidere manat,
Quum segnes radios tristi iaculatur ab æthra
Phœbus et attonito pallens caput exerit orbe;
Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Quum quatit, hoc canibus blandis inviscerat æstus:
Exhalat seu terra sinu, seu noxius aer
Caussa mali, seu quum gelidos non sufficit humor,
Torrida per venas concrescunt semina flammæ.
Quidquid id est, imas agitat sub corde medullas
Inque feros rictus, nigro spumante veneno,
Prosilit, insanos cogens infigere morsus.
Disce igitur potus medicos, curamque salubrem.
Tunc virus tibi sumes, multumque domabis
Castorea, attritu silicis lentescere cogens.
Ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,
Admiscensque diu facies concrescere utrumque:
Mox lactis liquidos sensim superadde fluores,
Ut non cunctantes haustus infundere cornu
In serta possis, furiasque repellere tristes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
Quin et Tuscorum non est extrema voluptas
Sæpe canum: sit forma illis licet obsita villo,
Dissimilesque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen iniucunda dabunt tibi munera prædæ.
Namque et odorato noscunt vestigia prato,
Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.
Horum animos, moresque simul, naresque sagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc narranda supellex
Venandi, cultusque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generosa propago:
Armata et palmis nuper grex omnis avorum.
Illis ampla satis lævi sunt æquora dorso,
Immodicumque latus, parvæque ingentibus alvi,
Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago splendore micantes:
Plurima se validos cervix resupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores.
Nec pes officium standi tenet: ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.
Quin etiam gens ampla iacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fecunda proborum.
Namque valent longos pratis intendere cursus.
Nec minor est illis, Graio quam in corpore, forma.
Nec non terribiles, spirabile flumen, anheli
Provolvunt flatus, et lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.
Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.
Sit tibi præterea sonipes, Maurusia tellus
Quem mittit, modo sit gentili sanguine firmus:
Quemque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit, et adsiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat quod turpe caput, deformis et alvus
Est ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,
Quodque iubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, lascivaque colla secutus,
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ:
Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera freni.
Quin et promissi spatiosa per æquora campi
Cursibus adquirunt commoto sanguine vires,
Paullatimque avidos comites post terga relinquunt.
Haud secus effusis Nerei per cærula ventis,
Cum se Threicius Boreas super extulit antro,
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cesserunt flamina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereidum mirata suo super æquore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursus:
His etiam emerito vigor est iuvenilis in ævo.
Nam quæcumque suis virtus bene floruit annis,
Non prius est animo, quam corpore, passa ruinam.
Pasce igitur sub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, veteresque labores
Effluere adspecta nigri cum labe cruoris.
Mox lætæ redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus distento robore formant,
Mox sanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga consumere campum.
Inde ubi pubentes calamos duraverit æstas,
Lactentesque urens herbas siccaverit omnem
Messibus humorem, culmisque armarit aristas:
Hordea tum, paleasque leves præbere memento.
Pulvere quin etiam puras secernere fruges
Cura sit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plausu sonipes lætumque relaxet
Corpus, et altores rapiat per viscera succos.
Id curent famuli, comitumque animosa iuventus.
Nec non et casses idem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiscant raris semper contexere nodis,
Et servare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces,
Et vulpes, acresque lupos, ceu fulgura cœli
Terrificant, linique vetant transcendere septum.
Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveisque alios miscere colores,
Alternosque metus subtemine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,
Dat Libye, magnarum avium fecunda creatrix;
Dantque grues, cycnique senes, et candidus anser:
Dant quæ, fluminibus crassisque paludibus errant,
Pallitosque pedes stagnanti gurgite tingunt:
Hinc mage Puniceas nativo munere sumes:
Namque illic sine fine greges florentibus alis
Invenies avium, suavique rubescere luto,
Et sparsos passim tergo vernare colores.
His ita dispositis, hiemis sub tempus aquosæ
Incipe veloces catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata Feris vestigia servant.

BUCOLICON

Ecloga I. Epiphunus. *Timetus, Tityrus.*

Tim. Dum fiscella tibi fluviali, Tityre iunco
Texitur, et raucis resonant tua rura cicadis:
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum; nam te calamos inflare labello
Pan docuit, versuque bonus tibi favit Apollo.
Incipe, dum salices hœdi, dum gramina vaccæ
Detondent, viridique greges permittere campo
Et ros, et primi suadet clementia solis.
Tit. Hos annos, canamque meã, mihi care, senectam
Tu iuvenis, carusque deis in carmina cogis?
Viximus, et calamis versus cantavimus olim,
Dum secura hilares ætas ludebat amores.
Nunc album caput, et veneres tepuere sub annis:
Iam mea ruricola dependet fistula Fauno.

Te nunc rura sonant: nuper nam carmine victor
Risisti calamos et dissona flamina Mopsi,
Iudice me: mecum senior Melibœus utrumque
Audierat, laudesque tuas sublime ferebat.
Quem nunc, emerita permensum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.
Quare age, si qua tibi Melibœi gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis tibia manes.
Tim. Et parere decet iussis, et grata iubentur.
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibusque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri laudesque sonarent.
Sed quia tu nostræ musam deposcis avenæ
Accipe quæ super hæc cerasus, quam cernis ad omnē,
Continet, inciso servans mea carmina libro.
Tit. Dic age: sed nobis ne vento garrula pinus
Obstrepat, has ulmos potius fagosve petamus.
Tim. Hic cantare libet: virides nam suggerit herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne: quieti,
Aspice, ut, ecce, procul decerpant gramina tauri.
Omniparens æther, et rerum caussa liquores,
Corporis et genetrix tellus vitalis, et aer;
Accipite hos calamos, atque hæc nostro Melibœo
Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animæ cœlestia templa,
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur:
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
Pectore fovisti, quos tu, Melibœe probasti.
Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,
Felicesque anni, nostrique novissimus ævi
Circulus, innocuæ clauserunt tempora vitæ.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrimæque fuere,
Quam si florentes mors invida pelleret annos,
Nec tenuit tales communis caussa querelas;
Heu, Melibœe, iaces letali frigore segnis
Lege hominum, cœlo dignus, canente senecta,
Concilioque Deum: plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat: tu ruricolum discernere lites
Assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia iusti
Floruit, ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi vultus gravitas, et mite serena
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris, et iungere cera
Hortatus, duras docuisti fallere curas.
Nec segnem passus nobis marcere iuventam.
Sæpe dabas meritæ non vilia præmia Musæ,
Sæpe etiam senior, ne nos cantare pigeret.
Lætus Phœbea dixisti carmen avena.
Felix o Melibœe, vale: tibi frondis odoræ
Munera dat, lauros carpens ruralis Apollo:
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges:
Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos dant carmina Musæ,
Carmina dant Musæ; nos te modulamur avena.
Silvestris nunc te platanus, Melibœe, susurrat,
Te pinus; reboat te, quidquid carminis Echo
Respondet silvæ, te nostra armenta loquuntur.
Namque prius siccis phocæ pascentur in arvis,
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confusis legibus anni;
Messem tristis hiems, æstas tractabit olivas,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Melibœe, tuas mea fistula laudes.
Tit. Perge puer, cœptum tibi iam ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat, et felix dominam perducat ad urbem.
Namque hic in silvis præsens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.
Sed iam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus præbere liquores.

ECLOGA II. *Idas et Alcon.*

Formosam Donacen puer Idas, et puer Alcon
Ardebant; rudibusque annis incensus uterque
In Donaces Venerem furiata mente ruebant.
Hanc, cum vicini flores in vallibus horti
Carperet, et molli gremium compleret acantho,
Invasere simul. Venerisque immitis uterque
Tum primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, et pueris iam non puerilia vota;
Quis anni ter quinque hiemes, et cura iuventæ.
Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce sonaret,
Sollicitusque foret linguæ sonus, improba cervix,
Suffususque rubor crebro, venæque tumentes:
Tum vero ardentes flammati pectoris æstus
Carminibus, dulcique parant relevare querela,
Ambo ævo, cantuque pares, nec dispare forma:
Ambo genis leves, intonsi crinibus ambo:
Atque sub hac platano mœsti solatia casus
Alternant: Idas calamis et versibus Alcon.
I. Quæ colitis sylvas Dryades, quæque antra Na-
Et quæ marmoreo pede, Naiades, uda secatis (pææ,
Litora, purpureosque alitis per gramina flores,
Dicite quo prato Donacem, qua forte sub umbra
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi iam trini perierunt ordine soles,
Ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.
Interea, tamquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores:
Siccaque fœtarum lambentes ubera matrum
Stant vituli, et teneris mugitibus aera complent.
Ipse ego nec molli iunco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in usus.
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis mille iuvencas
Esse mihi: nosti numquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego sum, Donace, cui sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Eheu nulla meæ te tangit cura salutis!
Pallidior buxo, violæque simillimus erro.
Omnes ecce cibos, et nostri pocula Bacchi
Horreo: nec placido memini concedere somno.
Te sine, væ misero! mihi lilia nigra videntur,
Pallentesque rosæ, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos, nec myrtus, nec laurus spirat odores.
At tu si venias, et candida lilia fient,
Purpureæque rosæ, et dulce rubens hyacinthus,
Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites, deus et sata poma Priapus,
Pascua læta Pales, Idas te diliget unam.
Hæc Idas calamis: tu quæ responderit Alcon
Versu, Phœbe, refer, sunt aurea carmina Phœbo.
A. O montana Pales, o pastoralis Apollo,
Et nemorum Sylvane potens, et nostra Dione,
Quæ iuga celsa tenes Erycis, cui cura iugales
Concubitus hominum totis connectere seclis,
Quid merui, cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi, noster quæ non dedit Idas:
Vocalem, longos quæ ducit Ædona cantus:
Quæ licet interdum contexto vimine clausa,
Quum parvæ patuere fores, ceu libera ferri

Novit, et agrestes inter volitare volucres:
Scit rursus remeare domum, tectumque subire
Viminis, et caveam totis præponere silvis.
Præterea tenerum leporem geminasque palumbes
Nuper, quæ potui, silvarum præmia misi.
Et post hæc Donace nostros contemnis amores?
Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam; qui mane boves in pascua ducam:
Dii pecorum pavere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, et pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me mane notavi,
Nondum purpureos Phœbus cum tolleret ortus
Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis.
Quod vidi nulla tegimur lanugine malas.
Pascimus et crinem: nostro formosior Ida
Dicor: et hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas, et lactea colla,
Atque hilares oculos, et formam puberis ævi.
Nec sumus indocti calamis: cantamus avena
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tytirus, e silvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque, te propter, Donace, cantabimur urbi:
Si modo coniferas inter viburna cupressos,
Atque inter pinos corylum frondescere fas est.
Sic pueri Donacen toto sub sole canebant:
Frigidus e silvis donec descendere suasit
Hesperus, et stabulis pastos inducere tauros:

ECLOGA III. BACCHUS. *Pan.*

Nyctilos, atq; Mycon, nec non et pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant ilice solem;
Quum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
Cœperat, et somno lassatas sumere vires,
Quem super ex tereti pendebat fistula ramo.
Hanc pueri (tamquam prædam pro carmine possent
Sumere, fasque esset calamos tractare deorum)
Invadunt furto: sed nec resonare canorem
Fistula, quem suerat, nec vult contexere carmen.
Sed pro carminibus male dissona sibila reddit.
Tum Pan excussus sonitu stridentis avenæ,
Iamque videns, Pueri, si carmina poscitis inquit,
Ipse canam; nulli fas est inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cera coniungo sub antris;
Iamque ego, Bacche, tuos ortus et semina vitis
Ordine detexam: debemus carmina Baccho.
Hæc fatus, cœpit calamis sic montivagus Pan.
Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea serta plicas, qui comptas palmite tigres
Ducis odorato perfusus colla capillo,
Vera Iovis proles; iam tunc post sidera cœli
Sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.
Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi,
Pertulit, et iusto produxit tempore partus.
Hunc Nymphæ, Faunique senes, Satyrique procaces,
Nos etiam Nysæ viridi nutrimus in antro.
Quin et Silenus parvum veneratus alumnum,
Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis.
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Adlicit aut tremulis quassat crepitacula palmis.
Cui deus adridens, horrentes pectore setas
Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas,
Adplauditve manu mutilum caput, aut breve mentũ,
Et simas tenero collidit pollice nares.
Interea pueri florescit pube iuventa,
Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum lætas ostendit pampinus uvas.
Mirantur Satyri frondes et poma Lyæi.
Tum Deus, o Satyri, maturos carpite fructus,
Dixit, et ignotos, pueri calcate racemos.
Vix hæc ediderat, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concava saxa super, properant vindemia fervet
Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva.
Nudaque purpureo sparguntur pectora musto.
Tum Satyri, lasciva cohors sibi pocula quisque
Obvia corripiunt quod sors dedit, hoc capit usus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit:
Pronus at ille lacu bibit, et crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia cymbala mergit.
Atque alius latices pressis resupinus ab uvis
Excipit, at potis saliens liquor ore resultat,
Spumeus inque humeros et pectore diffluit humor.
Omnia ludus habet: cantusque chorosque licentes
Et Venerem iam vina movent: raptantur amantes,
Concubitu Satyri fugientes iungere Nymphas.
Iam iamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non æquis viribus hausit
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque gravis semper ridetur Iaccho,
Quin etiam deus ille, deus Iove prosatus ipso,
Et plantis uvas premit, et de vitibus hastas
Integit, et lynci præbet cratera bibenti.
Hæc Pan Mænalia pueros in valle docebat,
Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox iubet, uberibus suadens siccare liquorem
Lactis, et in niveas adstrictum cogere glebas.

ECLOGA IV. EROS. *Lycidas, Mopsus.*

Populea Lycidas, nec non et Mopsus in umbra,
Pastores, calamis ac versu doctus uterque,
Nec triviale sonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopso Meroe, Lycidæ crinitus Iolas
Ignis erat: parilisque furor de dispare sexu
Cogebat trepidos totis discurrere silvis.
Hos puer ac Meroe multum lusere furentes,
Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,
Nunc fagos placitas fugiunt, promissaque fallunt
Antra, nec est animus solitos adludere fontes.
Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis,
Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis,
Inque vicem dulces cantu dixere querelas.
M. Immitis Meroe, rapidisque fugacior Euris,
Cur nostros calamos, cur pastoralia vitas
Carmina? quemve fugis? quæ me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac spem fronte serenans,
Tandem dura negas? non possum nolle negantem.
» Cantet, amat quod quisq; levant et carmina curas.
L. Respice me tandem, puer o crudelis Iola:
Non hoc semper eris: perdunt et gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.
Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis,
» Cantet, amat quod quisq; levant et carmina curas.
M. Cerva marem sequitur, taurum formosa iuvenca.
Et Venerem sensere lupæ, sensere leænæ,
Et genus aerium volucres, et squamea turba,
Et montes silvæque: suos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis: miserum tu perdis amantem.
» Cantet, amat quod quisq; levant et carmina curas.
L. Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in arto est.
Ver erat, et vitulos vidi sub matribus istos,
Qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.
Et tibi iam tumidæ nares, iam fortia colla;
Iam tibi bis denis numerantur messibus anni.
» Cantet, amat quod quisq; levant et carmina curas.
M. Huc, Meroe formosa, veni: vocat æstus in umbrã.

Iam pecudes subiere nemus, iam nulla canoro
Gutture cantat avis, torto non squamea tractu
Signat humum serpens: solus cavo, qui sonat omnis
Silva, nec æstivis cantu concedo cicadis.
a Cantet, amat quod quisq;: levant et carmina curas.
L. Tu quoque sæva puer, niveum ne perde colorem
Sole sub hoc: solet hic lucentes urere malas.
Hic age pampinea mecum requiesce sub umbra.
Hic tibi lene fluens fons murmurat; hic et ab ulmis
Purpureæ fœtis dependent vitibus uvæ.
a Cantet, amat quod quisq;: levant et carmina curas.
M. Qui tulerit Meroes fastidia longa superbæ,
Sithonias feret ille nives, Libycosque calores,
Nerinas potabit aquas, taxique nocentis
Non metuet sucos, sardosque gramina vincet,
Et sua Marmaricos coget iuga ferre leones.
a Cantet, amat quod quisq;: levant et carmina curas.
L. Quisquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, discatque diu patienter amare,
Prudentesque animos teneris non spernat in annis,
Perferat et fastus: sic olim gaudia sumet,
Si modo sollicitos aliquis Deus audit amantes.
a Cantet, amat quod quisq;: levant et carmina curas.
M. Quid prodest quod me pagani mater Amyntæ
Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulphure lauros.
Cum sic in Meroen totis miser ignibus arsi?
a Cantet, amat quod quisq; : levant et carmina curas.
L. Hæc eadem nobis varieque coloria fila,
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas.
Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.
Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iolas.
a Cantet, amat quod quisq;: levant et carmina curas.

EIUSDEM OLYMPII LAUDES HERCULIS.

Pieridum columen, cuius Parnassia magno
Numine templa sonant, læto, precor, huc age, Phœbe,
Te coniunge choro: penetralia sancta sororum,
Et nova Castalios latices per rura petentem,
Hippocrenæo victorem insistere fonti
Me fac: namque tuam non nunc novus advena turbā
Ingredior, laurosque gerens, et florea sertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum.
Testor adhuc veteres, quamvis desuetus, honores.
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi post viscera numen
Semper ob immensos invicti roboris æstus.
Nec nasci potuisse vacat: nam lucis in ipsis,
Inclyte, principiis, tardo vix editus ortu,
Fecisti de patre fidem. Sed cur mihi lentis
Ludis adhuc, Cirrhæe, modis, tenerumque resultans
Luxuriante leves impellis pollice chordas?
Pone habitum, quo mollis amas; at frondis amatæ
Linque nemus; [mollique] exutus tempora lauro,
Populea mecum carmen luctare sub umbra.
Iam grave plus etiā, quā ventria tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus: sed regia Iuno
Impedit, et partus prohibet, nascique vetabat,
Ut metus ipse Deum monstret. Nec vivida cœli
Semina mortales norunt sentire latebras,
Nec possunt sufferre moras. Datur inde novercæ
Materies; gravibusque odiis augmenta ministrat
Quod vinci cœpisse pudet. Mox improba binos
In tua membra iubet, dum nasceris, ire dracones.
Incumbunt celeres illi, squamosaque iussus
Armat colla furor: nec quamvis maxima tractu
Tardantur spiris: sequitur pars cætera pectus.
Tristis Tartarea vibratur sibilus aura.
Morte rubent oculi; trifidisque horrentia linguis
Ora sonant; nigrumque fremens levat ira venenum.
Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
Cœlicolum regina, iuvat? cur obiicis angues?
Cur parvo geminos? anne unum posse necari,
Iam strato Pythone, times? Licet omnia mundi
Monstra voces, ipsamque armes serpentibus Hydrā,
Defendet Natura Deum; patremque probabit,
Quod non vis constare, Iovem. Iamque irrita tetra
Iussa parant implere angues; miseroque furore
In tua fata tument. Cernit tua membra petentes,
Horrescitque, parens; numenque ignara creasse,
Mortali pietate timet. Nil, sancta, superbæ
Pellicis insidias, cœlo modo freta, tremiscas;
Neve hæc monstra tibi faciant, Alcmena, pavorem.
Sic mater potes esse Dei. Iam tolle serenum
Læta animum; tantoque libens hæc adspice vultu,
Ut deceat genuisse Iovem. Depone timorem
Indignum partu, [natumque exemplar habeto]
Cui metuis, nil ipse timet. Nam lumine recto
Ridebas tu, Dive, truces; animosque superbos
De genitore tenens, votisque aptissimus orbis,
Gaudebas tantam iam tum meruisse novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et, quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prensos tellure dracones.
Efferat ætherium, quantum volet, orbis in axem
Latoidas, verosque probet sua fabula Divos,
Quod Delo iam stare licet: non æqua laborum
Gloria, nec parili serpentes sorte necarunt:
Illi unum ferro; geminos hic inermis, et unus.
His cœptis non ulla parat cunabula partus
Diva tibi. Sed, cum totis iam bruma rigeret
Imbribus, et solidis hærerent flumina lymphis,
Nudum prægelidis durando firmat in undis.
Utque rudis primo tentasti robore gressus,
Frondosæ deserta vagus penetralia silvæ,
Secura iam matre, petis; telisque tremendis
Ludis; et ætherias adducto deiicis arcu
Aut funda violenter aves; noctemque sub astris
Exigis, et puram fractis bibis amnibus undam.
Immanem interea Nemeæ per lustra leonem
Ipsa Chimæræa cretum de gente noverca
In tua depastis armabat vota iuvencis:
Augebatque fero vires, rabiemque iuvabat,
Naturam minus esse putans. Heu! quanta virorum
Funera! quam multos stravit cum dentibus apros!
Non illum magnæ, viduatis [montibus] orbes
Armorum fregere minis. Martique domando
Assuetas morsu fudit graviore catervas,
Hunc gravis Eurystheus (nam, te quocumque levares,
Imperium duri voluit sufferre tyranni,
Sic mundo Fortuna favens) hunc sternere lato
Imperat. At nullum virtus reticenda per ævum,
Dignaque sidereos post membra intrare recessus,
Posse mori quem vile putat! Namque impiger ultro
Vadis, et immensæ scrutatus devia silvæ,
In nova sanguineos [animasti] vulnera rictus.
Admonita feritate, iuba, visuque cruentus,
Excussis movet arma toris, dubiumque residens
Infremit. Invadis trepidum, solisque lacertis
Grandia corripiens eliso guttura morsu,
Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.
Tunc et flavicomis radiantia tergora villis,
Ceu spolium, fuso victor rapis. Emicat omnis
In laudes mox turba tuas; longoque relicta
Currit in arva metu. Iuvat ire, et libera rura,

Defensosque videre locos, silvamque iuvencis
Iam facilem, et nullis resonantes fletibus agros.
Mænalium petis inde nemus, fletamque colonis
Arcadiam, et steriles raro iam robore silvas.
Namque hic immensa membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper; soloque tremendus
Corpore lonatis fundebat dentibus ornos,
Sternebatque suos lugentia rura colonos.
Horrebat [trifidis] nigrantia corpora setis,
Duratosque armos scopulis, totosque per artus
Difficilis potuisse mori: non spicula in illum,
Nodosumve rapis clavato pondere robur.
Armati viduatur honos: nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet: iamque arripis ultro
Spumantem, cogisque diem sufferre tuendo,
Atque supinato mirantem lumine vinci
Argolici victor portas sub tecta tyranni.
Fama celer toto victorem sparserat orbe,
Auxiliumque Dei poscebat Creta, cruento
Victa malo. Taurus, medio nam sidere Lunæ
Progenitus, Dictæa Iovis possederat arva.
Fulmen ab ore venit, flammisque furentibus ardet
Spiritus, et terram non cœli flamma perurit,
Sed flatus monstri. Dextro iam Siria cessent
Sidera; Solque, licet, glaciali frigore victus,
Abstrusum mundo claudat iubar, aurea condens
Lumina, et ignifluo stupefactus in orbe tepescat;
Æstus habet Cretam: pereunt silvæque lacusque,
Graminaque, et fontes sacri: montesque perurit
Flamma ferox. Idam, Superis spectantibus, ignis
Dissipat; et magno cunabula grata Tonanti
Igne suo monstrum, si fas est dicere, vincit.
Tandem fama celer Dictæa ad litora magnum
Duxerat Alciden, cum taurum dira minantem
Excipit, et sævum cornu, flammasque vomentem,
Corripit; atque artus constringens fortibus ulnis,
Ignifluos flatus, animamque in pectore clausit.

* * * * * * * *

Desunt multa

TITUS CALPURNIUS SICULUS

Nemesiano patrono suo T. Iulium Calpurnium coniugendum putavimus. Ad illum hic *Eclogas*, quæ inde habentur inscripsit, in quibus *facilitatem sermonis et volubilitatem, sed parum interdum nervi et concinnitatis* Giraldus notavit. Summa paupertate laboravit, quapropter iure sic in Ecloga IV queritur:

Frange, puer, calamos, et inanes desere Musas;
. . . . quid enim tibi fistula reddet
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo,
Præter quam scopulis ventosa remurmurat echo.

T. Calpurnii Bucolicon ad Nemesianum, ex edit. P. Burmanni.

ECLOGA I. DELOS. *Ornitus, Corydon.*

O. Nondum solis equos declivis mitigat æstas,
Quamvis et madidis incumbant præla racemis,
Et spument rauco ferventia musta susurro.
C. Cernis ut (ecce) pater quas tradidit, Ornite, vaccæ
Molle sub hirsuta latus explicuere genista?
Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris?
Torrida cur solo defendimus ora galero?
O. Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista petamus
Antra patris Fauni; graciles ubi pinea densat
Silva comas, rapidoque caput levat obvia soli:
Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.
C. Quo me cumque vocas sequor, Ornite: nā mea Leuce,
Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
Pervia corniger fecit sacraria Fauni.
O. Prome igitur calamos, et si qua recondita servas.
Nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lygdon.
Et iam captatæ pariter successimus umbræ.
Sed quonam sacra descripta est pagina fago,
Quam modo nescio quis properanti falce notavit?
C. Adspicis, ut virides etiam nunc litera rimas
Servet, et arenti nondum se laxet hiatu?
Ornite, fer propius tua lumina: tu potes alto
Cortice descriptos citius percurrere versus.
Nam tibi longa satis pater internodia largus,
Procerumque dedit mater non invida corpus.
O. Non pastor, non hoc triviali more viator,
Sed deus ipse canit: nihil armentale resultat;
Nec montana sacros distinguunt iubila versus.
C. Mira refers, sed rumpe moras, oculoque sequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.
O. Qui iuga, qui silvas tueor satus æthere Faunus,
Hæc populis ventura cano: iuvat arbore sacra
Læta patefactis incidere carmina fagis.
Vos o præcipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei: licet omne vagetur
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit præsepia crate:
Non tamen insidias prædator ovilibus ullas
Adferet, aut laxis abiget iumenta capistris.
Aurea secura cum pace renascitur ætas,
Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito, iuvenemque beata sequuntur
Secula, maternis caussam qui lusit in ulnis.
Dum populos Deus ipse reget, dabit impia vinctas
Post tergum Bellona manus, spoliataque telis
In sua vesanos torquebit viscera morsus:
Et modo quæ toto civilia distulit orbe,
Secum bella geret, nullos iam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.
Omnia Tartareo subigentur carcere bella,
Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.
Candida pax aderit, nec solum candida vultu,
Qualis sæpe fuit, quæ libera Marte professo,
Quæ, domito procul hoste, tamen grassantibus armis
Publica diffudit tacito discordia ferro.
Omne procul vitium simulatæ cedere pacis
Iussit, et insanos clementia condidit enses.
Nulla catenati feralis pompa senatus
Carnificum lassabit opus, nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia patres.
Plena quies aderit, quæ stricti nescia ferri
Altera Saturni revocet Latialia regna,

Altera regna Numæ, qui primus ovantia cæde
Agmina, Romuleis et adbuc ardentia castris,
Pacis opus docuit, lussitque silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella sonare.
Iam nec adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus fasces, et inane tribunal
Adcipiet consul: sed legibus omne reductis
Ius aderit, moremque fori vultumque priorem
Reddet, ed adflictum melior deus auferet ævum.
Exsultet quæcumque Notum gens ima iacentem
Erectumque colit Boream, quæcumque vel ortu
Vel patet occasu, mediuve sub æthere fervit.
Cernitis, ut puro nox iam vigesima cœlo
Fulgeat? ut placidum radianti luce cometem
Proferat? ut liquidum [nutat] sine vulnere sidus?
Non per utrumque polum, sicut solet, igne cruento
Spargit et ardenti scintillat sanguine lampas.
At quondam non talis erat, quum Cæsare rapto
Indixit miseris fatalia civibus arma.
Scilicet ipse Deus Romanæ pondera molis
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis.
Ut neque translati sonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates
Censeat, occasus ulsi quum respexerit ortus.
C. Ornita, iam dudum velut ipso numine plenum
Me quatit, et mixtus subit inter gaudia terror;
Sed bona facundi veneremur numina Fauni.
O. Carmina, quæ nobis decus obtulit ipse canenda,
Dicamus, teretique sonum modulemur avena.
Forsitan Augustas feret bæc Melibœus ad aures.

Ecloga II. Crocale. *Astacus, Idas, Thyrsis.*

Intactam Crocalen puer Astacus, et puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,
Dilexere diu: formosus uterque, nec impar
Voce sonans: terras hi cum gravis ureret æstas,
Ad gelidos fontes et easdem forte sub ulmos
Conveniunt, dulcique simul contendere cantu
Pignoribusque parant: placet, hic ut vellera septem,
Ille sui victus ne messem vindicet horti.
Et magnum certamen erat sub iudice Thyrsi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quæcumque vagis altum ferit aera pennis.
Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas
Pascit oves, Faunusque pater, Satyrique bicornes.
Adfuerunt sicco Dryades pede, Naides udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus.
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere silentia montes.
Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri
Calcabant. illis etiam certantibus ausa est
Dædala nectareos apis intermittere flores.
Iamque sub [umbrosa] medius consederat ulmo
Thyrsis, et, o pueri, me iudice, pignora, dixit,
Irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto,
Si laudem victur, si fert opprobria victus.
Et nunc alternos magis ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus iactate micantes.
Nec mora [discernunt] digitis, prior incipit Idas.
I. Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas,
Et mea frondenti circumdat tempora tæda.
Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,
Iam levis obliqua crescit tibi fistula canna.
A. At mihi Flora comas parienti gramine spargit,
Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.
Adcipe, dixerunt Nimphæ, puer, adcipe fontem,
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.
I. Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albæ
Terga maritus ovis nascenti mutet in agna
Quæ neque diversi speciem servare parentis
Possit, et ambiguo testetur utrumque colore.
A. Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, et non gentilia poma.
Ars mea nunc malo pira temperat, et modo cogit
Insita præcoquibus subrepere persica prunis.
I. Me teneras salices iuvat, aut oleastra putare,
Et gregibus portare novas, ut carpere frondes
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagos quærat fœtura parentes.
A. Et mihi, cum fulvis radicibus arida tellus
Panditor, irriguo perfunditur area fonte,
Et satiatur aqua, succos ne forte priores
Languida mutata quærant plantaria terra.
I. O si quis Crocalen deus adferat! hunc ego terris,
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor:
Decernamque nemus, dicamque, sub arbore numen
Hoc erit, ite procul (sacer est locus) ite profani.
A. Urimur in Crocalen: si quis mea vota deorum
Audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, et tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.
I. Nec contemne casas, et pastoralia tecta:
Rusticus est (fateor) sed non est barbarus Idas.
Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus,
Sæpe cadit festis devota Palilibus agna.
A. Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti
Mittere primitias, et fingere liba Priapo:
Rorantesque favos, damus et liquentia mella.
Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.
I. Mille sub oberibus balantes pascimus agnas.
Totque Tarentinæ præstant mihi vellera matres:
Per totum niveus premitur mihi caseus annum.
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hornus.
A. Qui numerare velit, quā multa sub arbore nostra
Poma legam, citius tenues numerabit aristas.
Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit æstas,
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hortus.
I. Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,
Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.
Vellera tunc dabimus, quum primum tempus apricū
Surget, et a tepidis fiet tonsura Kalendis.
A. Et nos, quos etiam prætorrida muneret æstas,
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Castaneasque nuces totidem, cum sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.
I. Nū, precor, informis videor tibi? nū gravis annis?
Decipiorque miser, quoties mollissima tango
Ora manu, primique sequor vestigia floris
Nescius, et gracili digitos lanugine fallo?
A. Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse
Admiror toties: etenim sic flore iuventæ
Induimus vultus, ut in arbore sæpe notavi
Cerea sub tenui lucere Cydonia lana.
I. Carmina poscit amor, nec fistula cedit amori.
Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula vesper,
Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphesibœus.
A. Iam resonant frondes, iā cantibus obstrepit arbos,
I procul, o Dorida, primumque reclude canalem,
Et sine iam dudum sitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, senior quum talia Thyrsis:
Este pares, et ob hoc concordes vivite; nam vos
Et decor, et cantus, et amor sociavit, et ætas.

Ecloga III. Exoratio. *Iolas, Lycidas.*

I. Numquid in hac, Lycida, vidisti forte iuvencam
Vallo meam? solet illa tuis occurrere tauris.
Et iam pene duas, dum quæritur, exiuit horas.
Nec tamen adparet: duris ego perdita ruscis

Iam dudum nullis dubitavi crura rubelis
Scindere, nec quidquam post tantum sanguinis egi.
L. Non satis attendi: neque enim vacat: uror, Iola,
Uror et immodice: Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatq; novum post tot mea munera Mopsũ.
I. Mobilior ventis o femina: sic tua Phyllis?
Quæ sibi (nam memini) si quando solus abesses,
Mella etiam sine te iurabat amara videri.
L. Altius ista querar: si forte vacabis, Iola,
Has pete nunc salices, et lævas flecte sub ulmos:
Nam cum prata calent, illic requiescere noster
Taurus amat, gelidaque iacet spatiatus in umbra,
Et matutinas revocat palearibus herbas.
I. Non equidẽ, Lycida, quamvis contemptus, abibo.
Tityre, quas dixit salices pete lævus, et illinc,
Si tamen invenies, deprensum verbere multo
Huc age: sed fractum referas hastile memento.
Nunc age, dic, Lycida, quæ vos tam magna tulere
Iurgia? quis vestro deus intervenit amori?
L. Phyllide contentus, (solus tu testis Iola es)
Callirhoen sprevi, quamvis cum dote rogaret.
En sibi cum Mopsu calamos intexere cera
Incipit, et puero comitata sub ilice cantat.
Hoc ego quum vidi, (fateor) sic intimus arsi,
Ut nihil ulterius tulerim: nam protinus ambas
Diduxi tunicas, et pectora nuda cecidi.
Alcippen irata petit, dixitque, relicto,
Improbe, te, Lycida, Mopsum tua Phillis amabit.
Nunc penes Alcippen manet, ac ne forte vagetur
Ah vereor: nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam quod Mopso iurgetur anhelo.
I. A te cœperunt tua iurgia: tu prior illi
Victas tende manus: decet indulgere puellæ,
Vel quum prima nocet: si quid mandare iuvabit,
Sedulus iratæ contingam nuntius aures.
L. Iam dudum meditor, quo Phyllida carmine placẽ:
Forsitan audito poterit mitescere cantu:
Et solet illa meas ad sidera ferre Camenas.
I. Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.
L. Has tibi, Phylli, preces iã pallidus, hos tibi cantus
Dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,
Dum flet, et excusso dispergit lumina somno.
Non sic destricta macrescit turdus oliva,
Non lepus, extremas legulus quum sustulit uvas,
Ut Lycidas, domina sine Phyllide, tabidus erro.
Te sine, væ misero! mihi lilia nigra videntur;
Nec sapiunt fontes, et acescunt vina bibenti.
At si tu venias, et candida lilia fient,
Et sapient fontes, et dulcia vina bibentur.
Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas
Dicere felicem, cui dulcia sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Ah dolor! et post hoc placuit tibi torrida Mopsi
Vox? et carmen inops? et acerbæ stridor avenæ?
Quem sequeris? quem, Philli, fugis? formosior illo
Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas.
Sum quoque divitior: certaverit ille tot hædos
Pascere, quot nostri numerantur vespere tauri?
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis, optima Phylli,
Quam numerosa meis siccetur bucula mulctris,
Et quam multa suos suspendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto
Texitur, et nullo tremuere coagula lacte.
Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli:
Tradimus ecce manus: licet illæ et vimine torto,
Scilicet et lenta post tergum vite domentur,
Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi
Tityrus, et medio furem suspendit ovili.
Accipe, ne dubita, meruit manus utraque pœnas.
His tamen, his, iisdem, manibus tibi sæpe palumbes,
Sæpe etiam leporem, decepta matre, paventem
Misimus in gremium: per me tibi lilia prima
Contigerant, primæque rosæ: vix dum bene florem
Degustabat apis, tu cingebare coronis.
Aurea sed forsan mendax tibi munera iactat,
Qui metere occidua ferales nocte lupinos
Dicitur, et cocto pensare legumine panem:
Qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,
Vilia quum subigit manualibus hordea saxis.
Quod si turpis amor precibus, quod abominor, istis
Obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa
Ilice, quæ primum nostros violavit amores.
Hi tamen ante mala figentur in arbore versus:
» Credere, pastores, levibus nolite puellis:
» Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerũ.
Nunc age, si quidquam miseris succurris, Iola,
Perfer, et exora modulato Phyllida cantu.
Ipse procul stabo, vel acuta carice tectus,
Vel propius latitans vicina, ut sæpe, sub ara.
I. Ibimus, et veniet, nisi me præsagia fallunt:
Nam bonus a dextro fecit mihi Tityrus omen.
Qui redit inventa non irritus, ecce, iuvenca.

ECLOGA IV. CÆSAR. *Melibœus, Corydon, Amyntas.*

M. Quid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci,
Quidve sub hac platano, quã garrulus adstrepit hu-
Infesta statione sedes? iuvat humida forsan (mor,
Ripa? levatque diem vicini spiritus amnis?
C. Carmina iam dudum, non quæ nemorale resultent,
Volvimus, o Melibœe; sed hæc, quibus aurea possint
Secula cantari, quibus et deus ipse canatur,
Qui populos urbemque regit, pacemque togatam.
M. Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo
Respicit, o iuvenis: sed magnæ numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.
C. Quidquid id est, silvestre licet videatur acutis
Auribus, et nostro tantum memorabile pago:
Dum mea rusticitas, si non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.
Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatus Amyntas,
Quem [vicina meis natalibus admovet ætas.]
M. Iam puerum calamos et odoræ vincula ceræ
Iungere non cohibes, levibus quem sæpe cicutis
Ludere conantem vetuisti fronte paterna?
Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi;
Frange, puer, calamos, et inanes desere Musas,
Et potius glandes rubicundaque collige corna:
Duc ad mulctra greges, et lac venale per urbem
Non tacitus porta: quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo,
Præter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.
C. Hæc ego, confiteor, dixi, Melibœe; sed olim:
Non eadem nobis sunt tempora, non Deus idem.
Spes magis adridet: certe ne fraga rubosque
Colligerem, viridique famem solarer hibisco.
Tu facis, et tua nos alit indulgentia farre.
Tu nostras miseratus opes, docilemque iuventam
Hiberna prohibes ieiunia solvere fago.
Ecce nihil querulum per te, Melibœe, sonamus,
Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur silvis Amaryllidos; ultima nuper,
Litora terrarum, nisi tu, Melibœe, fuisses,
Ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris
Pascua [Geryonæ], liquidis ubi cursibus ingens
Dicitur occiduas impellere Bætis arenas.

Scilicet extremo nunc vilis in orbe iacerem,
Ah dolor! et pecudes inter conductus Iberas,
Irrita septena modularer sibila canna:
Nec quisquam nostras, inter dumeta Camenas
Respiceret: non ipse daret mihi forsitan aurem,
Ipse Deus, vacuam, longeque sonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.
Sed, nisi forte tuas melior sonus avocat aures,
Et nostris aliena magis tibi carmina rident,
Vis hodierna tua subigatur pagina lima?
Nam tibi non solum venturos noscere nimbos
Agricolis, qualemque ferat sol aureus ortum,
Adtribuere dei; sed dulcia carmina sæpe
Concinis, et modo te Baccheis Musa corymbis
Munerat, et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.
Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixitque: Truces hæc fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus, Hyblæa modulabile carmen avena.
M. Magna petis, Corydon, si Tityrus esse laboras.
Ille fuit vates sacer, et qui posset avena
Præsonuisse chelyn, blandæ cui sæpe canenti
Adlusere feræ, cui substitit advena quercus,
Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho
Nais, et implicitos comebat pectine crines.
C. Est (fateor Melibœe) Deus; sed nec mihi Phœbus
Forsitan abnuerit, tu tantum commodus audi:
Scimus enim, quam te non adspernetur Apollo.
M. Incipe, nam faveo: sed prospice, ne tibi forte
Tinnula tam fragili respiret fistula buxo,
Quam resonare solet, si quando laudat Alexin.
Hos potius calamos, magis hos sectare canales,
Pro me qui dignas cecinerunt consule silvas.
Incipe, ne dubita: venit en et frater Amyntas:
Cantibus iste tuis alterno succinet ore.
Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen:
Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.
C. Ab Iove principium, si quis canit æthera, sumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:
At mihi, qui nostras præsenti numine terras,
Perpetuamque regit iuvenili robore pacem,
Lætus, et Augusto felix adrideat ore.
A. Me quoque facundo comitatus Apolline Cæsar
Respiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos et Phœbus amat, quos Iuppiter ipse tuetur:
In quibus augustos visuraque sæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos.
C. Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,
Iuppiter ipse parens, cui tu iam proximus ipse,
Cæsar, abes, posito paullisper fulmine sæpe
Cressia rura petit, viridique reclinis in antro
Carmina Dictæis audis Curetica silvis.
A. Adspicis, ut virides, audito Cæsare, silvæ
Conticeant? memini, quamvis urgente procella,
Sic nemus immotis subito requiescere ramis,
Et dixi: Deus hinc, certe Deus expulit Euros,
Nec mora Pharsaliæ solverunt sibila cannæ.
C. Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos?
Utque superfuso magis ubera lacte graventur?
Et nuper tonsis exundent vellera fœtis?
Hoc ego iam (memini) semel hac in valle notavi,
Et, venisse Palem, pecoris dixisse magistros.
A. Scilicet omnis eum, tellus gens omnis adorat,
Diligiturque deis: quem sic taciturna verentur
Arbuta, cuius iners audito nomine tellus
Incaluit, floremque dedit; cui silva vocato
Densat odore comas, stupefacta regerminat arbos.
C. Illius ut primum senserunt numina terræ,
Cœpit, et uberior sulcis fallentibus olim,
Luxuriare seges, tandemque legumina plenis
Vix resonant siliquis: nec præfocata malignum
Messis habet lolium, nec inertibus albet avenis.
A. Iam neque damnatos metuit iactare ligones
Fossor, et invento, si Fors dedit, utitur auro.
Nec timet, ut nuper, dum iugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa:
Iamque palam presso magis ac magis instat aratro.
C. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit, et intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat [saginata] magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.
A. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum
Seu cantare iuvat, seu ter pede læta ferire
Carmina, non nullas licet hic cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro,
Turbida nec calamos exsurdant classica nostros.
C. Numine Cæsareo securior ipse Lyceus
Pan recolit silvas, et amœna Faunus in umbra
Securus recubat, placidoque in fonte lavatur
Nais, et humanum non calcatura cruorem
Per iuga siccato velox pede currit Oreas.
A. Dii, precor, hunc iuvenem, quem vos, nisi fallor,
Æthere misistis, post longa reducite vitæ (ab ipso
Tempora, vel potius mortale resolvite pensum,
Et date perpetuo cœlestia fila metallo:
Sit deus, et nolit pensare Palatia cœlo.
C. Tu quoque, mutata seu Iuppiter ipse figura,
Cæsar, ades, seu quis superum sub imagine falsa
Mortalique lates: vivas, atque hunc, precor, orbem,
Hos precor æternus populos rege; sit tibi cœli
Vilis amor, cœptamque, pater, ne desere terram.
M. Rustica credebam nemorales carmina vobis
Concessisse deos, et obesis auribus apta:
Verum, quæ imparibus modo concinuistis avenis,
Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim,
Quod Peligna solent examina, lambere nectar.
C. O mihi quam tenero decurrunt carmina versu!
Tum, Melibœe, sonent, si quando in montibus istis
Dicar habere Larem, si quando nostra videre
Pascua contigerit: vellit nam sæpius aurem
Invida paupertas: et dixit, ovilia cura.
At tu, si qua modo non adspernanda putabis,
Fer, Melibœe, Deo mea carmina: nam tibi fas est
Sacra Palatini penetralia visere Phœbi:
Tu mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem
Tityron a silvis dominam deduxit in urbem,
Ostenditque Deos, et spreto dixit ovili.
Tityre rura prius, sed post cantabimus arma.
A. Respiciat nostros utinam Fortuna labores
Pulchrior, et meritæ faveat Deus ipse iuventæ!
Nos tamen interea tenerum mactabimus hædum,
Et pariter subitæ peragemus fercula cœnæ.
M. Nunc ad flumen oves deducite: iam fremit æstas,
Iam sol contractas pedibus magis admovet umbras.

Ecloga V. *Mycon.*

Forte Mycon senior, Canthusque Myconis alumnus,
Torrentem patula vitabant arbore solem,
Quum iuveni senior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris:
Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canaque lasciva concidere gramina morsu,
Canthe puer; quos ecce greges a monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo,
Hos tibi do senior iuveni pater: ipse tuendos

Accipe; iam certe potes insudare labori,
Iam pro me gnavam potes exercere iuventam.
Adspicis, ut nobis iamdudum mille querelas
Adferat, et baculum premat inclinata senectus?
Sed qua lege regas et amantes lustre capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas,
Percipe; vere novo quum iam tinnire volucres
Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo;
Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim toto vernanti gramine silva
Pullat, et æstivas reparabilis inchoat umbras;
Tunc florent silvæ, viridisque renascitur annus.
Tunc Venus, et calidi scintillat fervor amoris,
Lascivumque pecus salientes accipit hircos.
Sed non ante greges in pascua mitti clausos,
Quam fuerit placata Pales: tum cespite vivo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumq; Laremque
Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros
Imbuat; atque etiam, dum vivit, ovilis lustre.
Nec mora: tunc campos ovibus, dumeta capellis
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem
Cœperit, et primæ spatium tepefecerit horæ!
At si forte vaces, dum matutina relaxat
Frigora sol, tumidis spument tibi mulctra papillis,
Implebis, quod messe fluat: rursusque premetur
Mane, quod occiduæ mulsere redegerit horæ.
Parce tamen fœtis: nec sint compendia tanti,
Destruat ut niveos venalis caseus agnos:
Nam tibi præcipuo fœturæ colatur amore.
Te quoque non pudeat, quum serus ovilia vises,
Si qua iacebit ovis partu resoluta recenti
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, et nondum stare paratos;
Nec tu longinquas procul a præsepibus herbas,
Nec nimis amotæ sectabere pabula silvæ,
Dum peragit vernum Iovis inconstantis tempus.
Veris enim dubitanda fides: modo fronte serena
Blandius adrisit, modo cum caligine nimbos
Intulit, et miseras torrentibus abstulit agnas.
At quum longa dies sitientes adferet æstus,
Nec fuerit variante deo mutabile cœlum;
Iam silvis committe greges, iam longius herbas
Quære: sed ante diem pecus exeat: humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.
At simul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas,
Vel campos permitte sequi: sine protegat illos
Interea veteres quæ porrigit æsculus umbras.
Verum ubi declivi iam nona tepescere sole
Incipiet, seræque videbitur hora merendæ;
Rursus pasce greges, et opacos desere lucos,
Nec prius æstivo pecus includatur ovili,
Quam levibus nidis somnos captare volucris
Cogitet, et tremuli tremebunda coagula lactis.
Sucida iam tereti constringere vellera iunco
Quum iam tempus erit, maternas demere lanas
Hircorumque iubas, et olentes cædere barbas,
Ante tamen secerne pecus, gregibusque notatis
Consimiles include comas; ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.
Sed tibi quum vacuas posito velamine costas
Denudavit ovis, circumspice, ne sit acuta
Forfice læsa cutis, tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere: quæ nisi ferro
Rumpitur, ah miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, et putrida contrahet ossa.
Providus (hoc moneo) viventia sulphura tecum,
Et Scyllæ caput, atque intacta bitumine porta,
Ulceribus laturus opem: nec Brutia desit
Dura tibi, et liquido simul unguine terga (memento)
Si sint rasa, linas; vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina: nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in armo.
Tunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tellus,
Dum rimosa palus, et multo torrida limo
Æstuat, et fragiles nimius sol pulverat herbas,
Lurida conveniet succendere galbana septis,
Et tua cervino lustrare mapalia fumo:
Obfuit iste malis odor anguibus; ipse videbis
Serpentum cecidisse minas: non stringere dentes
Ulla potest uncos, sed inani debilis ore
Marcet, et obtuso iacet exarmata veneno.
Tunc age, vicinæ, circumspice, tempore brumæ,
Qua ratione geras: aperit cum vinea sepes,
Et portat lectas securus vinitor uvas,
Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.
Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,
Tum debes servare comas, dum permanat humor,
Dum viret et tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidis fœnilibus olim
Promere, cum pecudes extremus clauserit annus.
Sic tibi nitendum est: labor hoc in tempore noster,
Gnavaque sedulitas venit, et pastoria virtus.
Nec pigeat ramos siccis miscere recentes
Et sucos adhibere novos, ne torrida nimbis
Instat hiems, nimioque gelu, nivibusque coactis,
Incurvare velit nemus, et constringere frondes.
Tu tamen aut leves hederas, aut molle salictum
Valle premas gelida; sitis est pensanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo: nihil aridus illis
Ingenti positus quamvis strue, prosit acervus,
Virgea si desint liquido turgentia suco,
Et quibus est aliquid plenæ vitale medullæ.
Præcipue gelidum stipulis et fronde caduca
Sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus
Urat, at interno vastet pecuaria morbo.
Plura quidem monuisse velim: nam plura supersunt.
Sed iam sere dies, cadit, et iam, sole fugato,
Frigidus æstivas impellit noctifer horas.

ECL. VI. LITIGIUM. *Astilus, Lycidas, Mnasylus.*

A. Serus ades, Lycida; modo Nyctilus et puer Alcon
Certavere sub his alterno carmine ramis,
Iudice me, sed non sine pignore. Nyctilus hœdos
Iuncta matre dedit: catulum dedit ille, leænæ
Iuravitque genus: sed sustulit omnia victor.
L. Nyctilon ut cantu rudis exsuperaverit Alcon,
Astile credibile est? ut vincat acanthida cornix,
Vocalem superet si dirus aedona bubo.
A. Ta potiar, Petale, qua nunc ego maceror una,
Si magis aut docili calamorum Nictilus arte,
Aut cantu magis est, quam vultu, proximus illi.
L. Iam nunc decipior, te iudice pallidus alter
Venit, at hirsuta spinosior histrice barba;
Candidus alter erat, levique decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemque simillimus auro,
Qui dici posset, si non cantaret, Apollo.
A. O Lycida, si quis tibi carminis usus adesset,
Tu quoque laudatum posses Alcona probare.
L. Vix igitur, quoniam nec nobis, improbe, pares,
Ipse tuos iudex calamos committere nostros?
Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.
A. Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam
Dignetur, qui vix stillantes, arida, voces
Rumpis, et capellis male singultantia verba?

L. Fingas plura licet: nec enim potes, improbe, vera
Exprobrare mihi, sicut tibi multa Lycotas.
Sed quid opus vana consumere tempora lite?
Ecce venit Mnasylus: erit (nisi forte recusas)
Arbiter: ista nunc non credulus, improbe, verbis.
A. Malueram, fateor, vel prædam nactus abire,
Quam tibi certanti partem committere vocis:
Nec tamen hoc impune feres: en adspicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.
Scit frenos, scit ferre iugum, sequiturque vocantem
Credulus, et mensæ non improba porrigit ora.
Adspicis ut fruticat late caput? utque sub ipsis
Cornibus, et tereti lucent redimicula collo?
Adspicis ut niveo frons irretita capistro
Lucet, et, a dorso quæ totam circuit alvum,
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua subtiles ramosaque tempora molles
Implicuere rosæ, rutiloque monilia torque
Extrema cervice natant: ubi pendulus apri
Dens sedet, et nivea distinguit pectora luna.
Hunc ego, qualemcumque vides in valle, paciscor
Pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.
L. Terreri, Mnasyle, suo me munere credit:
Adspice, quam timeam: genus est (ut scitis) equarum
Non iugale mihi, quarum de sanguine ponam
Velocem Petason, qui gramina, matre relicta
Nunc primum teneris libavit dentibus: illi
Pes levis, adductum latus, excelsissima cervix;
Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix,
Et tornata brevi substringitur ungula cornu,
Ungula, quæ viridi sic exsultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, sed non curvaret, aristas;
Hunc dare, si vincar, silvestria numina iuro.
M. Et vacat, et vestros cantus audire iuvabit.
Iudice me sane contendite, si libet: istic
Protinus ecce torum fecere sub ilice Musæ.
Sed, ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,
Gramina linquamus, ripamque volubilis undæ.
Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphæ
Respondent, et obest arguti glarea rivi.
A. Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,
Saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus
Dependet, scopulisque cavum sinuantibus arcum
Imminet, exesa veluti testudine, concha.
M. Venimus, et tacito sonitum tutabimur antro.
Seu residere libet, dabit ecce sedilia tophus:
Ponere seu cubitum, melior viret herba tapetis.
Nunc mihi seposita reddantur carmina lite:
Nam vicibus teneros malim cantetis amores:
Astile tu Petalen, Lycida tu Phyllida lauda.
L. Tu modo nos illis iam nunc, Mnasyle, precamur,
Auribus excipias, quibus hunc et Acanthida nuper
Diceris in silva iudex audisse Thalea.
A. Non equidem possum, cum provocet iste, tacere.
Rumpor enim merito: nihil hic nisi iurgia quærit.
Audiat, aut dicat, quoniam cupit: hoc mihi certe
Dulce satis fuerit, Lycidan spectare trementem,
Dum te stante palam sua crimina pallidus audit.
L. Me, puto, vicinus Stimicon, me proximus Ægon
Hos inter frutices tacite risere volentem
Oscula cum tenero simulare virilia Mopso.
A. Fortior o utinam nondum Mnasylus adesset!
Efficerem, ne te quisquam tibi turpior esset.
M. Quid furitis? quæ vos insania tendere iussit?
Si vicibus certare placet? sed non ego vobis
Arbiter: hoc alius possit discernere iudex.
Et venit ecce Mycon, venit et vicinus Iolas:
Litibus hi vestris poterunt imponere finem.

ECLOGA VII. TEMPLUM. *Lycotas, Corydon.*

L. Lentus ab urbe venis, Corydon: vigesima certe
Nox fuit, ut nostræ cupiunt te cernere silvæ,
Et tua mœrentes expectant iubila tauri.
C. O piger, et duro iam durior axe Lycota
Qui veteres fagos, nova quam spectacula, mavis
Cernere, quæ patula iuvenis Deus edit arena.
L. Mirabar, quæ caussa foret tibi tanta morandi,
Cur tua cessaret taciturnis fistula silvis,
Et solus Stimicon caneret pallente corymbo;
Quem sine te mœsti tenero donavimus hœdo.
Nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis.
Iussit et arguta iuvenes certare cicuta.
C. Scilicet invictus Stimicon, et præmia dives
Auferat, accepto non solum gaudeat hœdo,
Verum tota ferat, quæ lustrat ovilia Thyrsis;
Non tamen æquabit mea gaudia: nec mihi, si quis
Omnia Lucanæ donet pecuaria silvæ,
Grata magis fuerint, quam quæ spectamus in urbe.
L. Dic age, dic Corydon, nec nostras invidus aures
Despice; non aliter certe mihi dulce loquere,
Quam certare soles, quoties ad sacra vocatur
Aut fecunda Pales, aut pastoralis Apollo.
C. Vidimus in cœlum trabibus spectacula textis
Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
Immensosque gradus, et clivos lene iacentes.
Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.
Nam quæcumque patent sub aperto libera cœlo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.
Qualiter hæc patulum contendit vallis in orbem,
Et sinuata latus, resupinis undique silvis,
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvæ sinus ambit arenæ,
Et geminis medium se molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quæ vix suffecimus ipsi
Per partes spectare suas? sic undique fulgor
Percussit: stabam defixus, et ore patenti,
Cunctaque mirabar, nec dum bona singula noram.
Tum mihi, tunc senior lateri qui forte sinistro
Iunctus erat, quid te stupefactum, rustice, dixit,
Ad tantas miraris opes? qui nescius auri,
Sordida tecta, casas, et sola mapalia nosti.
En ego tam tremulus, tam vertice canus, et ista
Factus in urbe senex, stupeo tamen omnia: certe
Vilia sunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, et sordet, quidquid spectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant; nec non, ubi finis arenæ
Proxima marmoreo peragit spectacula muro:
Sternitur adiunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rutilum, tereti qua lubricus axe
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras; auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus exstant,
Dentibus æquatis: et erat (mihi crede, Lycota,
Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum
Hic niveos lepores, et non sine cornibus apros,
Manticoram silvis etiam quibus editur, Alcen
Vidimus, et tauros, quibus aut cervice levata
Deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Iactantur per colla iubæ, quibus aspera mento
Barba iacet, tremulisque rigent palearia setis.
Non solum nobis silvestria cernere monstra
Contigit: æquoreos ego cum certantibus ursis
Spectavi vitulos, et equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,

Qui sata riparum venientibus irrigat undis.
Ah trepidi quoties nos descendentis arenæ
Vidimus in partes, ruptaque voragine terræ
Emersisse feras; et eisdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.
L. O felix Corydon, quem non tremebunda senectus
Impedit? o felix quod in hæc tibi secula primos,
Indulgente Deo, demittere contigit annos!
Nunc tibi si propius venerandum cernere numen
Sors dedit, et, præsens vultumque habitumq; notasti;
Dic, age, dic, Corydon, quæ sit modo forma deorum.
C. O utinam nobis non rustica vestis inesset!
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu
Obfuerunt, utcumque tamen conspeximus ipsum
Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
Et Martis vultus et Apollinis esse putavi.

CL. RUTILIUS NUMATIANUS

Claudius Rutilius Numatianus Gallus, vir consularis, urbique Præfectus, Theodosio iuniore imperante, anno post Christum natum 416, ad Venerium Rufium duplici libro *Itinerarium* scripsit. Posterioris libri maximam partem frustra desideramus, quæ culpa temporum fuit deperdita.

Cl. Rutilii Numat. Iter ad Venerium Rufium, ex edit. P. Burmanni

LIBER PRIMUS

* * * * * * * *

Velocem potius reditum mirabere, lector,
  Tam cito Romuleis posse carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus ævo?
  Nil umquam longum est, quod sine fine placet.
O quantum, et quoties, possem numerare beatos,
  Nasci felici qui meruere solo.
Qui, Romanorum procerum generosa propago,
  Ingenitum cumulant urbis honore decus.
Semina virtutum demissa, et tradita cœlo,
  Non potuere aliis dignius esse locis.
Felices etiam, qui proxima munera primis
  Sortiti, Latias obtinuere domos.
Religiosa patet peregrinæ curia laudi,
  Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio, collegarumque fruuntur,
  Et partem Genii, quem venerantur, habent.
Quale per ætherios mundani verticis axes
  Connubium summi credimus esse Dei.
At mea dilectis fortuna revellitur oris,
  Indigenamque suum Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis:
  Sed quam grata minus, tam miseranda magis.
Securos levius crimen contemnere cives,
  Privatam repetunt publica damna fidem.
Præsentes lacrimas tectis debemus avitis,
  Prodest admonitus sæpe dolore labor.
Nec fas ulterius longas nescire ruinas,
  Quas mora suspensæ multiplicavit opis.
Iam tempus, laceris post longa incendia fundis,
  Vel pastorales ædificare casas.
Ipsi quin etiam fontes, si mittere vocem,
  Ipsaque si possent arbuta nostra loqui,
Cessantem iustis poterant urguere querelis,
  Et desideriis addere vela meis.
Iamiam lassatis caræ complexibus urbis
  Vincimur, et serum vix toleramus iter.
Electum pelagus, quoniam terrena viarum
  Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger
  Perpessus Geticas ense vel igne manus,
Non silvas domibus, non flumina ponte coercet,
  Incerto satius credere vela mari.
Crebra relinquendis infigimus oscula portis,
  Inviti superant limina sacra pedes.
Oramus veniam lacrimis, et laude litamus,
  In quantum fletus currere verba sinit.
Exaudi, Regina tui pulcherrima mundi,
  Inter sidereos Roma recepta polos.
Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum:
  Non procul a cœlo per tua templa sumus.
Te canimus, semperque sinent dum fata, canemus,
  Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
  Quam tuus ex nostro corde recedat honos,
Nam solis radiis æqualia munera tendis,
  Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phœbus,
  Eque tuis ortos, in tua condit, equos.
Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
  Non armata suo repulit Ursa gelu.
Quantum vitales natura tetendit in axes,
  Tantum virtuti pervia terra tuæ.
Fecisti patriam diversis gentibus unam,
  Profuit iniustis, te dominante capi:
Dumque offers victis proprii consortia iuris,
  Urbem fecisti, quod prius orbis erat.
Auctorem generis, Venerem, Martemque fatemur,
  Æneadum matrem, Romulidumque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires.
  Convenit in mores numen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas;
  Quos timuit, superat: quos superavit, amat.
Inventrix oleæ colitur, vinique repertor
  Et qui primus humo pressit aratra puer.
Aras Pæoniam meruit Medicina per artem,
  Factus et Alcides nobilitate Deus.
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,
  Fœdere communi vivere cuncta facis.
Te Dea, te celebrat Romanus ubique recessus,
  Pacificoque gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quæ servant sidera motus,
  Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid simile? Assyriis connectere contigit [arva,]
  Medi finitimos quum domuere suos:
Magni Parthorum reges, Macetumque Tyranni,
  Mutua per varias iura dedere vices.
Nec tibi nascenti plures animæque manusque,
  Sed plus consilii, iudiciique fuit.
Iustis bellorum caussis, nec pace superba,
  Nobilis ad summas gloria venit opes.
Quod regnas, minus est, quam quod regnare mereris,
  Excedis factis grandia fata tuis.

Percensere labor densis decora alta tropæis,
Ut si quis stellas pernumerare velit.
Confunduntque vagos delubra micantia visus:
Ipsos crediderim sic habitare Deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes,
Tale gigantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.
Nec minus, et propriis celebrantur roscida venis,
Totaque nativo mœnia fonte sonant.
Frigidus æstivas hinc temperat halitus auras,
Innocuamque levat purior unda sitim.
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.
Si foret æternus, casum fortasse putarem:
Auxilio fluxit, qui rediturus erat.
Quid loquar inclusas inter laquearia silvas?
Vernula qua vario carmine ludit avis.
Vere tuo numquam mulceri desinit annus,
Deliciasque tuas victa tuetur hiems.
Erige crinales lauros, seniumque sacrati
Verticis in virides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum,
Contemtus solidet vulnera clausa dolor.
Adversis solemne tuis sperare secunda:
Exemplo cœli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus,
Lunam finiri cernis, ut incipiat.
Victoris Brenni non distulit Allia pœnam,
Samnis servitio fœdera sæva luit.
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti.
Flevit successus Annibal ipse suos.
Quæ mergi nequeunt, nixo maiore resurgunt,
Exsiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige victuras Romana in secula leges,
Solaque fatales non vereare colos.
Quamvis sedecies denis, et mille peractis,
Annus præterea iam tibi nonus eat.
Quæ restant nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cætera regna resolvit
Ordo renascendi est crescere posse malis.
Ergo age, sacrilegæ tandem cadat hostia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ,
Impleant Augustos barbara præda sinus.
Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.
Interea Latiis consurgant horrea sulcis,
Pinguiaque Hesperio nectare prela fluant.
Ipse triumphali redimitus arundine Thybris,
Romuleis famulas (usibus) aptat aquas.
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.
Pande, precor, gemino placatum Castore pontum:
Temperet æquoream dux Cytherea viam.
Si non displicui regerem quum iura Quirini,
Si colui sanctos, consuluique patres.
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit præfecti gloria, sed populi.
Sive datur patriis vitam componere terris,
Sive oculis unquam restituere meis,
Fortunatus agam, votoque beatior omni,
Semper digneris si meminisse mei.
His dictis iter adripimus, comitantur amici:
Non possum sicca dicere luce Vale.
Iamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius Albini gloria viva patris,
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.
Huius facundæ commissa palatia linguæ,
Primævus meruit principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos proconsule Pœnos.
Æqualis Tyriis terror, amorque fuit.
Sedula promisit summos imitatio fasces,
Si fas est meritis fidere, consul erit.
Invitum tristis tandem remeare coegi,
Corpore diviso mens tamen una fuit.
Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni,
Dividuus Thybris dexteriora secat.
Lævus inaccessis fluvius vitatur arenis:
Hospitis Æneæ gloria sola manet.
Et iam nocturnis spatium laxaverat horis
Phœbus chelarum pallidiore polo;
Cunctamur tentare salum, portuque sedemus,
Nec piget oppositis otia ferre moris:
Occidua infido dum sævit gurgite Plias,
Dumque procellosi temporis ira cadit,
Respectare iuvat vicinam sæpius urbem,
Et montes visu deficiente sequi.
Quaque duces oculi grata regione fruuntur,
Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
Qui dominas arces, et caput orbis habet.
Quamquam signa levis fumi commendat Homerus,
Dilecto quoties surgit in astra solo.
Sed cœli plaga candidior, tractusque serenus
Signat septenis culmina clara iugis.
Illic perpetui soles, atque ipse videtur,
Quem sibi Roma facit purior esse dies.
Sæpius attonitæ resonant Circensibus aures;
Nuntiat accensus plena theatra favor:
Pulsato notæ redduntur ab æthere voces,
Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi ter quinque diebus,
Dum melior lunæ fideret aura novæ.
Tum discessurus studiis, urbique remitto
Palladium, generis spemque decusque mei.
Facundus iuvenis, Gallorum nuper ab arvis
Missus Romani discere iura fori:
Ille meæ secum dulcissima vincula curæ,
Filius affectu, stirpe propinquus, habet.
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amare docet.
Leges restituit, libertatemque reducit
Et servos famulis non sinit esse suis.
Solvimus auroræ dubio, quo tempore primum
Agnosci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per litora proxima cymbis,
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Æstivos penetrent onerariæ carbasa fluctus,
Tutior autumnus mobilitate fugæ.
Alsia prælegitur tellus: Pyrgique recedunt,
Nunc villæ grandes, oppida parva prius.
Iam Cæretanos demonstrat navita fines,
Ævo depositum nomen Agylla vetus.
Stringimus [hinc exesum] fluctu, et tempore castrum,
Index semiruti porta vetusta loci.
Præsidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit.

Multa licet priscum nomen deleverit ætas,
  Hoc Inui castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala silvis,
  Sive sinus patrios incola Faunus init.
Dum renovat largo mortalia semina fœtu,
  Fingitur in Venerem pronior esse deus.
Ad Centumcellas forti deflectimus Austro,
  Tranquilla puppes in statione sedent.
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
  Angustosque aditus insula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoque meatu,
  Faucibus artatis pandit utrumque latus.
Nec posuisse satis laxo navalia portu,
  Ne vaga vel tutas ventilet aura rates.
Interior medias sinus invitatus in ædes,
  Instabilem fixis aera nescit aquis.
Qualis in Euboicis captiva natatibus unda
  Sustinet alterno brachia lenta sono.
Nosse iuvat Tauri dictas de nomine thermas,
  Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro,
  Lymphaque fumifico sulphure tincta calet.
Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem
  Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Credere si dignum famæ, flagrantia taurus
  Investigato fonte lavacra dedit.
Ut solet excussis pugnam præludere glebis,
  Stipite cum rigido cornua prona terit:
Sive Deus faciem mentitus et ora iuvenci,
  Noluit ardentis dona latere soli.
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
  Per freta, virgineum sollicitavit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios,
  Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas simili credamus origine lymphas,
  Musarum ut latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis spiracula comparat antris
  Carmine Messalæ nobilitatus ager.
Intrantemque capit, discendentemque moratur
  Postibus adfixum dulce poema sacris.
Hic est, qui primo seriem de consule ducit,
  Usque ad Publicolas si redeamus avos.
Hic et præfecti nutu prætoria rexit:
  Sed menti et linguæ gloria maior inest.
Hic docuit, qualem poscat facundia sedem,
  Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.
Roscida puniceo fulsere crepuscula cœlo:
  Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paullisper litus fugimus Minione vadosum,
  Suspecto trepidant ostia parva solo.
Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
  Quas premit æstivæ sæpe paludis odor.
Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,
  Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas nullo custode ruinas,
  Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.
Ridiculam cladis pudet inter seria causam
  Promere, sed risum dissimulare piget.
Dicuntur cives, quondam migrare coacti,
  Muribus infestos deseruisse lares.
Credere maluerim Pigmeæ damna cohortis,
  Et coniuratas in sua bella grues.
Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus,
  Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum vestigia sermo retexit
  Sardoam, Lepido præcipitante, fugam.
Litore namque Cosæ cognatos depulit hostes,
  Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior, civilibus armis
  Qui gessit sociis impia bella tribus.
Qui libertatem, Mutinensi Marte receptam,
  Obruit auxiliis, orbe pavente, novis.
Insidias paci moliri tertius ausus,
  Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæsareo, dum vult irrepere regno,
  Incesti pœnam solvit adulterii.
Nunc quoque: sed melius de nostris fama queratur,
  Iudex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores.
  Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
  Quod Lepidum toties recidit ense malum.
Nec dum decessis pelago permittimur umbris,
  Natus vicino vertice ventus adest.
Tenditur in medias mons Argentarius undas,
  Ancipitique iugo cærula curva premit.
Transversos colles bis ternis millibus artat,
  Circuitu ponti ter duodena patet.
Qualis per geminos fluctus Ephireius Isthmos
  Ionias bimari litore findit aquas.
Vix circumvehimur sparsæ dispendia rupis
  Nec sinuosa gravi cura labore caret.
Mutantur toties vario spiramina flexu:
  Quæ [nunc] profuerant vela, repente nocent.
Eminus Igilii silvosa cacumina miror,
  Quam fraudare nefas laudis honore suæ.
Hæc proprios nuper tutata est insula saltus,
  Sive loci ingenio, seu domini genio.
Gurgite quum modico victricibus obstitit armis,
  Tamquam longinquo dissociata mari:
Hæc multos lacera suscepit ab urbe fugatos,
  Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populaverat æquora bello,
  Contra naturam classe timendus, eques.
Unum, mira fides, vario discrimine portum,
  Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.
Tangimus Umbronem: non est ignobile flumen;
  Quod toto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis semper patet alveus undis,
  In pontum quoties sæva procella ruit.
Hic ego tranquillæ volui succedere ripæ,
  Sed nautas avidos longius ire sequor.
Sic festinantes ventusque, diesque relinquit,
  Nec proferre pedem, nec revocare licet.
Litorea noctis requiem metamur arena,
  Dat vespertinos myrtea silva focos.
Parvula subiectis facimus tentoria remis,
  Transversus subito culmine contus erat.
Lux aderat, tonsis progressi stare videmur:
  Sed cursum proræ terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis
  Qua nihil uberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior strictura camino,
  Nec quæ Sardoo cespite massa fluit.
Plus confert populis ferri fecunda creatrix,
  Quam Tartessiaci glarea fulva Tagi.
Materies vitiis aurum letale parandis,
  Auri cæcus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
  Virgineosque sinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas decipit urbes,
  Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contra ferro squalentia rura coluntur,
  Ferro vivendi prima reperta via est.
Sæcula semideum, ferrati nescia Martis,
  Ferro crudeles sustinuere feras.
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
  Si non sint aliæ, ferrea tela, manus.

His mecum pigri solabar tædia venti,
Dum resonat variis vile celeusma modis:
Laxatum cohibet vicina Faleria cursum,
Quamquam vix medium Phœbus haberet Iter.
Et tum forte hilares per compita rustica pagi
Mulcebant sacris pectora fessa iocis.
Illo quippe die tandem renovatus Osyris
Excitat in fruges germina læta novas.
Egressi villam petimus, lucoque vagamur:
Stagna placent septo deliciosa vado;
Ludere lascivos inter vivaria pisces,
Gurgitis inclusi laxior unda sinit.
Sed male pensavit requiem stationis amœnæ
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Iudæus agebat;
Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnaque libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obscenæ convicia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiæ, cui frigida sabbata cordi!
Sed cor frigidius religione sua est.
Septima quæque dies, turpi damnata veterno,
Tamquam lassati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta catastæ
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam numquam Iudæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.
Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis
Surgere certamus, cum tegit astra dies.
Proxima securum reserat Populonia litus,
Qua naturalem ducit in arva sinum.
Non illic positos extollit in æthera moles
Lumine nocturno conspicienda Pharos.
Sed speculam validæ rupis sortita vetustas,
Qua fluctus domitos arduus urguet apex.
Castellum geminos hominum fundavit in usus,
Præsidium terris, indiciumque fretis.
Adgnosci nequeunt ævi monumenta prioris,
Grandia consumpsit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris:
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.
Non indignemur, mortalia corpora solvi,
Cernimus exemplis oppida posse mori.
Lætior hic nostras crebrescit fama per aures,
Consilium Romam pæne redire fuit.
Hic Præfecturam sacræ cognoscimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu, Veneri carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies, pridemque meos dignata penates,
Poste coronato vota secunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami,
Provecta est animæ portio magna meæ.
Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas,
Per quem malueram, rursus honore fruar.
Currere curamus velis, Aquilone reverso,
Quum primum roseo fulsit Eous equo.
Incipit obscuros ostendere Corsica montes:
Nubiferumque caput concolor umbra levat.
Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu,
Defessisque oculis Luna reperta latet.
Hæc ponti brevitas auxit mendacia famæ,
Armentale ferunt quippe natasse pecus,
Tempore Cyrnæas quo primum venit in oras,
Forte secuta vagum femina Corsa bovem.
Processu pelagi iam se Capraria tollit,
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quænam perversi rabies tam stulta cerebri?
Dum mala formides, nec bona posse pati.
Sive suas repetunt ex fato ergastula pœnas,
Tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbus adsignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.
Nam iuveni offenso sævi post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.
In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
Ingressus dubii tramitis alta lego.
Despectat proræ custos, clavumque sequentem
Dirigit, et puppim voce monente regit.
Incertas gemina discriminat arbore fauces,
Defixasque offert limes uterque sudes.
Illis proceras mos est adnectere lauros,
Conspicuas ramis et fruticante coma:
Ut præbente algam densi symplegade limi
Servet inoffensas semita clara notas.
Illic me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis silvarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus sævos toleravimus imbres,
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,
Per quem iura meæ continuata togæ.
Non exspectatos pensavit laudibus annos,
Vitæ flore puer, sed gravitate senex.
Mutua germanos iunxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Prætulit ille meas, cum vincere posset, habenas:
Predecessoris maior amore fuit.
Subiectas villæ vacat adspectare salinas:
Namque hoc censetur nomine salsa palus.
Qua mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat.
Ast ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cum pallent herbæ, cum sitit omnis ager,
Tum cataractarum claustris excluditur æquor,
Ut fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æstivo crusta calore coit.
Haud aliter, quam cum glacie riget horridus Ister,
Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.
Rimetur solitus naturæ expendere caussas,
Inque pari dispar fomite quærat opus.
Iuncta fluenta gelu, conspecto Sole, liquescunt,
Et rursus liquidæ Sole gelantur aquæ.
O quam sæpe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram.
Victorinus enim, nostræ pars maxima mentis,
Congressu explevit mutua vota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris,
Et colere externos capta Tolosa lares.
Nec tantum duris nituit sapientia rebus,
Pectore non alio prosperiora tulit.
Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,
Et quicumque ferox arva Britannus arat.
Qua præfectorum vicibus frenata potestas
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tamquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmæ est, illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.

Illustris nuper sacræ comes additus aulæ,
  Contempsit summos ruris amore gradus.
Hunc ego complexus, ventorum adversa fefelli,
  Dum videor patriæ iam mihi parte frui.
Lutea protulerat sudos aurora iugales:
  Antennas tendi litoris aura iubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
  Mollia securo vela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon,
  Inter Pisanum Cyrniacumque latus.
Adversus scopulos, damni monumenta recentis,
  Perditus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper iuvenis, maioribus amplis,
  Nec censu inferior, coniugiove minor,
Impulsus furiis homines, divosque reliquit,
  Et turpem latebram credulus exsul agit.
Infelix putat illuvie cœlestia pasci,
  Seque premit læsis sævior ipse Deis.
Num, rogo, deterior Circæis, secta, venenis?
  Tunc mutabantur corpora; nunc animi.
Inde Triturritam petimus, sic villa vocatur,
  Quæ [iacet] expulsis insula pæne fretis.
Namque manu iunctis procedit in æquora saxis,
  Quique domum posuit, condidit ante solum.
Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
  Pisarum emporio divitiisque maris.
Mira loci facies, pelago pulsatur aperto,
  Inque omnes ventos litora nuda patent.
Non ullus tegitur per brachia tuta recessus,
  Æolias possit qui prohibere minas.
Sed procera suo prætexitur alga profundo,
  Molliter offensæ non nocitura rati:
Et tamen insanas cedendo interligat undas,
  Nec sinit ex alto grande volumen agi.
Tempora navigii clarus reparaverat Eurus,
  Sed mihi Protadium visere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoscere signis,
  Virtutis [speciem] corde vidente petat.
Nec magis efficiet similem pictura colorem,
  Quam quæ de meritis mixta figura venit.
Adspicienda procul certo prudentia vultu,
  Formaque iustitiæ suspicienda micat.
Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem,
  Testis Roma sui præsulis esse potest.
Substituit patriis mediocres Umbria sedes,
  Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
  Pro parvis animo magna fuere suo.
Exiguus regum rectores cespes habebat,
  Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Hæc etiam nobis non inferiora feruntur,
  Vomere Serrani, Fabriciique foco.
Puppibus ergo meis fida in statione locatis,
  Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes.
Præbet equos, offert etiam carpenta Tribunus,
  Ex commilitio carus et ipse mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magister;
  Armigerasque Pii principis excubias.
Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
  Quam cingunt geminis Arnus et Auser aquis.
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt:
  Intratur modico frons patefacta solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
  Et pontum solus scilicet Arnus adit.
Ante diu quam Troiugenas Fortuna penates
  Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas
  Nominis indicio testificata genus.
Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
  Pisani proprio quam posuere foro.
Laudibus amissi cogor lacrimare parentis,
  Fluxerunt madidis gaudia mœsta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
  Fascibus et senis credita iura dedit.
Narrabat, memini, multos emensus honores,
  Tuscorum regimen plus placuisse sibi.
Nam neque opū curam, quamvis sit magna, sacrarū,
  Nec ius quæsturæ grata fuisse magis.
Ipsam, si fas est, postponere præfecturam,
  Pronior in Tuscos non dubitabat amor;
Nec fallebatur tam carus et ipse probatis,
  Æternas grates mutua cura canit.
Constantemque sibi pariter, mitemque fuisse
  Insinuant natis, qui meminere senes.
Ipsum me gradibus, non degenerasse parentis
  Gaudent, et duplici sedulitate fovent.
Hæc eadem quum Flaminiæ regionibus irem,
  Splendoris patrii sæpe reperta fides.
Famam Lachanii veneratur numinis instar
  Inter terrigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet provincia mores,
  Dignaque rectores semper habere bonos.
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
  Per Corythi populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati,
  Felix tam simili posteritate pater.
Huius vulnificis, satyra ludente, Camenis
  Nec Turnus potior, nec Iuvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem:
  Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.
Non olim sacri iustissimus arbiter auri
  Circumsistentes repulit Harpyias?
Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,
  Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt.
Quæ luscum faciunt Argum, quæ Lyncea cæcum:
  Inter custodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareia præda fefellit,
  Totque simul manibus restitit una manus.
Iamque Triturritam Pisæa ex urbe reversus
  Aptabam nitido pendula vela Noto.
Cum subitis tectus nimbis insorduit æther,
  Sparserunt radios nubila rupta vagos.
Substitimus: quis enim sub tempestate maligna
  Insanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus navalia silvis,
  Sectandisque iuvat membra movere feris.
Instrumenta parat venandi villicus hospes,
  Atque olidum doctas nosse cubile canes.
Funditur insidiis, et rara fraude plagarum,
  Terribilisque cadit fulmine dentis aper.
Quem Meleagræi vereantur adire lacerti,
  Qui laxet nodos Amphitryoniadæ.
Tum responsuros persultat buccina colles,
  Fitque reportando carmine præda levis.
Interea madidis non desinit Africus alis
  Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occasibus udæ,
  Iam latet hiberno conditus imbre lepus.
Exiguum radiis, sed magnis fluctibus astrum,
  Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloso subiungitur Oarioni
  Æstiferumque canem roscida præda fugit.
Vidimus excitis pontum flavescere arenis,
  Atque eructato vortice rura tegi.
Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,
  Destituenda vago cum premit arva salo.
Sive alio refluus nostro colliditur orbe,
  Sive corusca suis sidera pascit aquis.

Liber secundus

Nondum longus erat, nec multa volumina passus,
  Iure suo poterat longior esse liber.
Tædia continuo timuit cessura labori,
  Sumere ne lector iuge paveret opus.
Sæpe cibis adfert serus fastidia finis.
  Gratior est modicis haustibus unda siti.
Intervalla viæ fessis præstare videtur,
  Qui notat inscriptus millia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
  Quem satius fuerat sustinuisse semel.
Tandem nimbosa maria obsidione solutis,
  Pisano portu contigit alta sequi.
Adridet placidum radiis crispantibus æquor,
  Et sulcata levi murmurat unda sono.
Incipiunt Apennini devexa videri,
  Qua fremit aerio monte repulsa Thetis.
Italiam rerum dominam, qui cingere visu,
  Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernæ similem procedere frondi,
  Artatam laterum conveniente sinu.
Millia per longum decies centena teruntur,
  A Ligurum terris ad freta Siculiæ.
In latum variis damnosa amfractibus intrat
  Tyrrheni rabies, Adriacique salis.
Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus,
  Triginta et centum millia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
  Qua fert atque refert Phœbus uterque diem.
Urguet Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
  Cærulaque occiduis frangit Etrusca iugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
  Consiliumque Dei machina tanta fuit,
Excubiis Latii prætexuit Apenninum:
  Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parumque putavit
  Arctois Alpes opposuisse minis,
Sicut vallavit multis vitalia membris,
  Nec semel inclusit, quæ pretiosa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
  Sollicitosque habuit Roma futura deos.
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
  Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
  Crudelis summis miscuit ima furor;
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
  Immisit Latiæ barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
  Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipsa Satellitibus pellitis Roma patebat,
  Et captiva prius, quam caperetur, erat.
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
  Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam consumti funere torris,
  Nisæum crimen flere putantur aves:
At Stilicho æterni fatalia pignora regni;
  Et plenas voluit præcipitare colus.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
  Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille:
  Hic mundi matrem perculit, ille suam;
Sed deverticulo fuimus fortasse loquaces,
  Carmine proposito iam repetamus iter.
Advehimur celeri candentia mœnia lapsu:
  Nominis est auctor sole corusca soror.
Indigenis superat ridentia lilia saxis,
  Et levi radiat picta nitore silex.
Dives marmoribus tellus, quæ luce coloris
  Provocat intactas luxuriosa nives.

* * * * * * *

Multa desiderantur.

C. PEDO ALBINOVANUS

Cum Carmen ad Liviam Augustam, in morte Drusi Neronis filii eius, sub incerti auctoris nomine, optima exemplaria sequuti, iam pag. 349 posuerimus, quod plurimi eruditi viri C. Pedoni Albinovano censent tribuendum; non ingratum fore Lectori nostro arbitrati sumus, si hic pauca quæ illius restant, quamvis non eadem scripta elegantia, ederentur. Floruit ille an. 16 l. C. Ovidio æquævus et amicus.

C. Pedonis Albinovani Elegiæ iuxta edit. Theod. Goralli

ELEGIA II. *In Obitum Mæcenatis.*

Defleram iuvenis, tristi modo carmine, fata
  Sunt etiam merito carmina danda seni.
Ut iuvenis, deflendus enim tam candidus, et tam
  Longius annoso vivere dignus avo.
Irreligata ratis numquam defessa carina
  It, redit, in vastos semper onusta lacus.
Illa rapit iuvenes, prima florente iuventa,
  Non oblita rapit sed tamen illa senes.
Nec mihi, Mæcenas, tecum fuit usus amici,
  Lollius hoc ergo conciliavit opus.
Fidus erat vobis nam propter Cæsaris arma,
  Cæsaris at similem propter in arma fidem,
Regis eras genus Etrusci, tu Cæsaris almi
  Dextera Romanæ tu vigil Urbis eras.
Omnia cum posses; tanto tam carus amico,
  Te sensit nemo velle nocere tamen.
Pallade cum docta Phœbus donaverat artes,
  Tu decus et laudes huius et huius eras.
Vincit vulgares, vincit Beryllos arenas.
  Littore in extremo quas simul unda movet.
Quod discinctus eras animo quoque, carpitur unum;
  Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
  Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.
Invide, quid tandem tunicæ nocuere solutæ?
  Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
Num minus Urbis erat custos, aut Cæsaris obses?
  Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
Nocte sub obscura, quis te spoliavit amantem?
  Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?
Maius erat potuisse, tamen nec velle triumphos;
  Maior res magnis abstinuisse fuit.
Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canoras,
  Paucaque pomosi iugera culta soli.
Pieridas Phœbumque colens in mollibus hortis,
  Sederat argutas garrulus inter aves.

Marmore Mæonii vincunt monimenta libelli;
Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.
Quid faceret? Defunctus erat, comes impiger, idem
Miles et Augusti fortis et usque pius.
Illum piscosi viderunt saxa Pelori
Ignibus hostiles tradere ligna rates.
Pulvere in Æmathio fortem videre Philippi;
Quam nunc ille tener, tam gravis hostis erat.
Cum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat circum, fortis et ante ducem.
Militis Eoi fugientis terga sequutus,
Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat, hæc illos laxarunt otia cultus;
Omnia victores, Marte sedente, decent.
Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
Postquam victrices conticuere tubæ.
Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
Dotalem stupri turpis habere sui.
Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.
Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
Potasti galea dulce iuvante merum;
Et tibi securo tunicæ fluxere solutæ
Te puto purpureas tunc habuisse duas.
Sum memor, et certe memini sic ducere thyrsos
Brachia purpurea candidiora nive
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro;
Serpentes hederæ vix habuere locum.
Argentata tuos etiam sandalia talos
Vinxerunt certe, nec, puto, Bacche, negas.
Mollius es solito mecum tum plura loquutus,
Et tibi consulto verba fuere nova.
Impiger Alcide, multo defuncte labore,
Sic memorant curas te posuisse tuas:
Sic te cum tenera lætum lusisse puella,
Oblitum Nemeæ, iamque, Erymanthe, tui.
Ultra numquid erat? Torsisti pollice fusos
Lenisti morsu lævia fila parum.
Percussit crebros te propter Lydia nodos,
Te propter dura stamina rupta manu.
Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes
Inter lanificas ducere sæpe suas.
Clava torosa tibi pariter cum pelle iacebat,
Quam pede suspenso percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret cū iam impiger infans
Hydros ingentes, vix capiente manu?
Cumve renascentem tereret velociter hydram,
Frangeret immanes vel Diomedis equos?
Vel tribus adversis communem fratribus alvum,
Et sex adversas solus in arma manus?
Fudit Aloidas postquam dominator Olympi,
Dicitur in nitidam procubuisse bovem;
Atque aquilam misisse suam, quæ quæreret ecquis
Posset amaturo vina referre Iovi.
Valle sub Idæa, dum te, formose sacerdos,
Invenit et presso molliter ungue rapit.
Sic est; victor amet, victor potiatur in umbra,
Victor odorata dormiat inque rosa.
Victorem victus metuat, metus imperet illi,
Membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensant usus et tempora cultus;
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aves.
Lux est, taurus arat; nox est, requiescit; arator
Liberat emerito fervida colla iugo.
Conglaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo;
Verberat egelidos garrula vere lacus.
Cæsar amicus erat, potarat vixisse solute,
Cum iam Cæsar idem quod cupiebat erat.
Indulsit; merito. Non est temeratius ille,
Vicimus; Augusto iudice, dignus erat.
Argo saxa pavens postquam Scylleia legit,
Cyaneosque metus iam religanda ratis.
Viscera directi mutaverat arietis agno
Æetis succis omniperita suis.
His te, Mæcenas, iuvenescere posse decebat,
Hæc utinam nobis Colchidos herba foret!
Redditur arboribus florens revirentibus ætas;
Ergo non homini quod fuit ante redit,
Vivacesque magis cervos decet esse paventes,
Si quorum in torva cornua fronte rigent.
Vivere cornices multos dicuntur in annos,
Cur nos angusta conditione sumus?
Pascitur Auroræ Tithonus nectare coniux,
Atque ita iam tremulo nulla senecta nocet.
Ut tibi vita foret semper, medicamine sacro,
Te vellem Auroræ complacuisse virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili,
Et modo puniceo rore levare sitim.
Illius aptus eras roseas tu iungere bigas,
Tu dare purpurea lora regenda manu.
Tu mulcere iubam, cum iam torsisset habenas,
Procedente die, respicientis equi.
Quæsivere tori iuvenem sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus;
Quem nunc infuscis, placida sub nocte nitentem,
Luciferum contra, currere cernis equis.
Hic tibi corycium, casias hic donat olentes,
Hic a palmiferis balsama missa iugis.
Nunc pretiū candoris habes, nunc redditus umbris;
Te sumus obliti, decubuisse senem.
Ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum,
Dicebant tamen hunc non satis esse senem.
Nestoris annosi vixisses sæcula, si me
Dispensata tibi stamina nente forent.
Nunc ego quod possum; Tellus levis ossa teneto,
Pendula librato pondus et ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores;
Non umquam sitiens, florida semper eris.

ELEGIA III. *Suprema Mæcenatis verba.*

Sic est Mæcenas, fato veniente, loquutus,
Frigidus, et iam iam cum moriturus erat.
Mene, inquit, iuvenis primævi, Iuppiter! ante
Abruptam Bruti non cecidisse fidem!
Pectore maturo fuerat puer integer ævo,
Et magnum magni Cæsaris illud opus.
Discidio vellemque prius... (Non omnia dixit,
Inciditque pudor quæ prope dixit amor.
Sed manifestus erat moriens, quærebat amatæ
Coniugis amplexus, oscula, verba, manus.)
Si tamen hoc satis est, vixi, te, Cæsar, amico,
Et morior, dixit; dum moriarque satis.
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Cum dicar, subita voce, fuisse, tibi.
Hoc mihi contingat, iaceam tellure sub æqua,
Nec tamen hoc ultra me potuisse velim.
Sed meminisse velim, vivam sermonibus; illic
Semper ero, semper si meminisse voles.
Et decet, et certe vivam tibi semper amicus,
Nec tibi qui moritur desinit esse tuus.
Ipse ego quidquid ero, cineres, interque favillas,
Tunc quoque non potero non memor esse tui.
Exemplum vixi, propter te, molle beate,
Unus Mæcenas teque ego propter eram.
Arbiter ipse fui, volui quod contigit esse,
Pectus eram vere pectoris ipse tui.
Vive diu, mi care Senex, pete sidera sero,
Est opus hoc terris, te quoque velle decet.

Et tibi succrescant iuvenes his Cæsare digni,
  Et tradant porto Cæsaris omne genus.
Sit secura tibi quam primum Livia coniux,
  Expleat amissi munere rapta gener.
Tum, Deus in terris Divis insignis avitis,
  Te Venus in patrio collocet alma sinu.

FRAGMENTUM. *De navigatione Germanici per Oceanum Septemtrionalem.*

Iampridem post terga diem, solemque relictum,
Iampridem notis extorres finibus orbis,
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperii metas, extremaque littora mundi.
Nunc illum pigris immania monstra sub undis
Qui ferat Oceanum, qui sævas undique pristes,
Æquoreasque canes ratibus consurgere prensis.
Accumulat fragor ipse metus, iam sidere limo
Navigia et rapido desertam flumine classem,
Seque feris credunt, per inertia fata marinis,
Iam non felici laniandos sorte relinqui.
Atque aliquis prora spectat sublimis ab alta,
Aera pugnaci luctatus rumpere nisu;
Ut nihil erepto, valuit dignoscere mundo,
Obstructo tales effudit pectore voces:
Quo ferimur? Ruit ipse dies, orbemque relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris.
Anne alio positas ultra sub cardine gentes,
Atque alium libris intactum quærimus orbem?
Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortales oculos; aliena quid æquora remis,
Et sacras violamus aquas, Divumque quietas
Turbamus sedes?

VIRGILII POEMATA MINORA

Culex AD OCTAVIUM.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus; hæc propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo
Notitiæ ducum voces: licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare iocos Musamque paratus,
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra: dabunt cum securos mihi tempora fructus:
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
  Latonæ magnique decus Iovis aurea proles,
Phœbus, erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor, sive educat illum
Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula prætendit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda,
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate Deum plaudente chorea.
Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aereos nemorum tractus silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.
  At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis allabere cœptis
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses;
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Iacta, meo quærent iam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum
Græcia cum timuit venientes undique Persas:
Mollia sed tenui percurrere carmina versu,
Viribus apta suis, Phœbo duce, ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, venerabilis, et tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos,
Grata bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur.
  Igneus æthereas iam sol penetrarat in arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru:
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat,
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit,
Lurida qua patulos velabant gramina colles.
Iam sylvis dumisque, vagæ iam vallibus abdunt
Corpora: iamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus:
Hæc teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Imminet in rivi præstantis imaginis undam.
  O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat et probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera: si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum;
Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet; nec pocula gratum
Alconis referent Boethique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu,
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ
Et nemus, et fœcunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis dum sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert.
Illi falce Deus colitur, non arte, politus;
Ille colit lucos; illi, Panchaia thura,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis: huc imminet, omnes
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Iucundoque liget languentis corpora somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu

Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas,
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Compacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo,
Qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et iam compellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantes repebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem residebant cœrula muscum.
Iam medias operum partes evectus erat sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Et procul aspexit luco residere virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave
Infandas scelerata manus e cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata iugis requievit in antro.
Posterius pœnam nati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naiadum cœtu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis sylvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu,
Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quis dabat, at dulci fessas refovebat in umbra:
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aereæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaeton luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ, navi decus, edita pinus
Proceras decorat sylvas hirsuta per artus;
Appetit aereis contingere montibus astra
Ilicis et nigræ species, et læta cupressus;
Umbrosæque manant fagus, hederæque ligantes
Brachia fraternos plangat ne populus ictus;
Ipsæque excedunt ad summa cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda:
Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem.
Et, quaqua geminas avium vox obstrepit aures,
Hanc querulæ referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aeris Echo;
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis:
At circa passim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisque super dumis: quos leniter afflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni fors incertos iussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret æstu,
Obvia vibranti carpens gravis aera lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbes.
Tollebant auræ venientis ad omnia visus.
Iam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Aspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca: cum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturæ comparat arma;
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus eversis torquetur corporis orbes;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ,
Spiritus et rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. Namque,
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit: cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem cominus: inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui casus sociaret opem, numenve Deorum.
Namque illi dederitne viam casusve, Deusve,
Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales.
Horrida squamosi volventia membra draconis,
Atque reluctantis, crebris fœdeque petentis
Ictibus, ossa ferit, cingunt qua tempora cristæ;
Et quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius aspiciens; timor occæcaverat artus:
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Iam quatit et biiuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab Œta:
Cum, grege compulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
Cuius ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque effuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: Quid meritus ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves iucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas;
Præda Charontis agor. Viden' ut flagrantia tædis
Lumina collucent infestis omnia templis;
Obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera pœnæ;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti iam limine ob ipso?
Præmia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices; et rure recessit
Iustitiæ prior illa fides; instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens,
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;
Pœna sit exitium; modo sit dum grata voluntas!
Existat par officium! Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ.

Nam vinctussedet immanis serpentibus Otos,
Devinctummœstus procul aspiciens Ephielten,
Consti cum sint quondam rescindera mundum;
Et Tityos Latona, tuæ memor enxius iræ,
Implacabilis ira nimis, iacet alitis esca.
Terror ab tantis insistere terreor, umbris,
Ad stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
Restat, nectareas Divumqui prodidit escas.
Gutturis areuti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quærentem frustra? Vos Ite puellæ,
Ite, quibus tædas accendit tristis Erinnys:
Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas;
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia solicitis meditantem vulnera natis;
Iam Peudionias miseranda prole puellas,
Quarum vox Ityn, et Ityn, quod Bistonius Rex,
Orbus epops mœret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Iam truculenta ferunt infestaque vulnera corpus
Alter in alterius: iamque aversatus uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Ehau! mutandus nunquem labor. Auferor ultra
In diversa magis: distantia limina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites Heroidas urget
Adversas perferre faces, Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti feta morata est.
Ecce, Ithaci coniux semper decus Icariotis
Fœmineum incorrupta decus; manet et procul illa
Turba ferox iuvenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto mœrore recessit,
Pœnaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquem
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit. Phlegethonta furentē ardentibus undis,
Nec mœsta obtentu diro et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac Tartera nocte cruenta
Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes,
Iudice qui vitæ post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Iam rapidi steterant amnes, et turba ferarum
Blanda voce sequax regionem insederat Orphei;
Iamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, steterantque amnes, sylvæq; sonoræ
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes biiuges etiem per sidere Lune
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,
Auditure lyram temuisti nocte ralicte.
Hæc eadem potuit Ditis te vincere coniux
Euridicenque ultro ducendam reddere. Non fas,
Non erat in vitam Divæ exorabile numen.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec retulit intus
Lumina, nec Divæ corrupit munera lingue.
Sed tu crudelis, crudelis, tu magis Orpheu,
Oscula cara petens rupisti iussa Deorum.
Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet Heroum contra manus. Hic et uterque
Æacides: Peleus nemque, et Telamonis virtus
Per secura patris lætantur numina, quorum
Connubis Venus et Virtus iniunxit honorem.
Hunc rapuit serva: ast illum Nereis emavit.
Assidet hac iuvenis, societ quem gloria, fortis,
Acer, inexcussus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritale repulsos.
O quis non referat talia divortia belli
Quæ Troiæ videra viri, videreque Graii!
Teucria cum magno manarat sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque præter
Littora cum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tele, neces, ignes inferre paratos.
Ipsa iugis namque Ida, potens feritatis, et ipsa
Æqua faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœthai littoris ora
Classibus ambustis flamma superante daratur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Obiectoque dabat clypeo certemina; et illinc
Hector erat, Troiæ summum decus: acer uterque,
Fulminibus cœlo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere navibus instet.
Hoc erat Æacides alter lætatus honore.
Dardaniæque, alter, fuso quod sanguine cempis
Hectoreo victor lustravit corpore Troiam. (huius
Rursus ecerba fremunt, Paris hunc quod letat, et
Abna dolis Ithaci virtus quod concidit icte.
Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade iem lætatur ovans; rursusque tremiscit
Iam Ciconas, iam iamque horret Læstrygonas atrox.
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Ætnæusque Cyclops; illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen: quo flemma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, gravius pœnas tibi, Troie, ruenti,
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copie quondam,
Ne quisquam propriæ fortunæ munere dives
Iret inevectus cœlum super; omne propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in eltum
Vis Argea petens patriam, ditataque præda
Arcis Erichthoniæ; comes huic erat eura secunde
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, para inflexis super acta carinis;
Cum seu cœlesti fato, seu sideris ortu
Undique mutatur cœli nitor, omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia. Iam maris unde
Sideribus certat consurgere; iamque superne
Corruere et sol iis, et sidera cuncte minantur.
Ac venit in terras cœli fragor. Hoc modo læte
Copia nunc miseris circumdatur enxie fatis,
Immoriturque super fluctus, et saxa Capharei,
Euboicas et per cautes Heræaque late
Littora: cum Phrygiæ passim vaga præde peremtæ
Fluctuet omnis in æquoreo iam naufraga tractu.
Hic elii sidunt pariles virtutis honore
Heroes mediisque siti sunt sedibus omnes:
Omnes Roma decus megni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli;
Curtius, et mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus;
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentis Regis.
Hic Curius claræ socius virtutis, et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammæ.
Iura igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces: devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.

Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo iam causam mortis me dicere vinctæ
Verberibus sævo cogunt ab iudice Pœnæ:
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis,
Sed tolerabilibus curis hæc immemor audis;
Quæ tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,
Digredior nunquam rediturus; tu cole fontes
Et virides nemorum sylvas et pascua lætus;
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi solicitum dimisit inertia vitæ:
Interius graviter mentem æger nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
(Quia tamem infestum pugnans devicerat hostem)
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit impiger: huncet in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem levi de marmore formans
Conserit assiduæ curæ memor. Hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est, et spartica myrtus,
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus ervo;
Laurus itē Phœbi surgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusque, hederæque nitor pallente corymbo,
Et Bocchus Libyæ Regis memor; hic amaranthus,
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus.
Non illinc Narcissus abest: cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Eulogium, tacita format quod litera voce;
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Ciris AD MESSALAM.

Etsi me vario iactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra; .
Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen?
Longe aliud studium atque alios accincta labores,
Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est ascendere collem:
Non tamen absistam cœptum detexere munus.
In quo iure meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.
[Quod si mirificum proferre valent genus omnes
Mirificum secli, modo sit tibi velle libido;]
Si me iam summa sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ heredibus est data consors:
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum;
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualia Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
T[illegible]daque confecto redeunt Quinquatria lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix ille dies, felix et dicitur annus;
Felices, qui talem annum videre, diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:
Magna Gigantæis ornantur pepla tropæis,
Horrida sanguineo pinguntur prælia cocco;
Additur aurata deiectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossæis consternens æthera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deæ velum solenni in tempore portant.
Tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida Lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis;
Æternum Sophiæ coniunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina seclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes;
Nunc primum teneros firmamus robore nervos:
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Accipe dona, meo multum vigilata labore,
Et præmissa tuis non magna exordia rebus:
Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novosque avium sublimis in aere cœtus
Viderit; et tenui conscendens sidera penna
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis;
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Complures illam, et magni, Messalla, poetæ
(Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura;
Scyllæum monstra in saxum conversa vocari;
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulyxi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicantur Homero.
Ipsi seu Lamia mater sit, sive Cratæis,
Sive illam monstro genuit Parsea biformi,
Sive est neutra parens: atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido;
Sive etiam est iactis speciem mutata venenis,
Infelix virgo: quid enim commiserat illa?
Ipse pater nudam sæva complexus arena
Coniugium caræ violaverat Amphitrites:
Attamen exegit longo post tempore pœnas,
Ut, cum cura sui veheretur coniugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes,
Et cupidos quæstu passim spoliaret amantes;
Piscibus et canibus rabidis vallata repente,
Horribiles circum vidit se sistere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare Deorum,
Edictum Veneri votorum vertere pœnam:
Quam, mala multiplici iuvenum quod septa caterva
Dixerat atque animo meretrix iactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse,
Docta Palæphatia testatur voce papyrus.
Quicquid, et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint: potius liceat notescere Cirin;
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis
Quare, quæ, cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis præmia, Divæ

Pierides: quarum castos altaria postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores, aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa: nunc age, Divæ,
Præcipue nostro nunc aspirata labori,
Atque novum æterno prætexit honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinæ sedibus urbes,
Actæos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentis littora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Actæi quondam munita labore
Alcathoi, Phœbique; Deus namque adfuit illi:
Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infestam populator remige Minos:
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito,
Carpathium fugiens et flumina Cæratea,
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretæa sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Ducere, et indomita virtute retundere mentes.
Responsum quoniam satis est meminisse Deorum.
Nam capite a summo regis, mirabile dictu,
Candida cæsaries; florebant tempora lauro;
At roseus medio fulgebat vertice crinis;
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro residebat cura capillo:
Aurea solenni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec vero hæc vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat: nisi Scylla, novo concepta furore,
Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Iupiter: ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires mansuescere tigris;
Ille etiam Divos, homines, sed dicere magnum est;
Idem tum tristes acuebat parvulus iras
Iunonis magnæ: [cuius periuria Divæ
Olim se meminisse diu periura puellæ
Non ulli liceat:] violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata Deæ lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum solemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ:
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa
Procurrit virgo: quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili solvisset corpora palla!
Omnia, quæ retinere gradum, cursumque morari
Possent, o tecum vellem tua semper haberes!
Non unquam violata manu sacraria Divæ,
Iurando infelix nequicquam iura piasses.
Et si quis nocuisse tibi periuria credat,
Causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.
At levis ille Deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum iniuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Sæva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe;
Non styrace Idæo fragrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens baccata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
Sæpe redit patrios ascendere prodita muros;
Aeriasque facit causam se visere turres.
Sæpe etiam tristes volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cœli speculatur amorem;
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit: carum nec respicit aurum.
Non arguta sonant tenui psalteria chorda:
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.
Nullus in ore rubor. Ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem:
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata;
Fertur et horribili præceps impellitur œstro:
Ut patris, ah demens, crinem de vertice ferret
Furtim, atque argutu detonsum mitteret hosti.
Namque hæc conditio miseræ proponitur una.
Sive illa ignorans, quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto scelere damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)
Nise pater: cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido,
Tu quoque, avis, moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides sylvas, lucosque sonantes
Incolitis: gaudete, vagæ blandæque volucres;
Vosque adeo, humani mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellæ
Dauliades, (crudele) venit carissima vobis
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater: vos o pulcherrima quondam
Corpora, cœruleas prævertite in æthera nubes,
Qua novus ad superum sedes Calcheius, et qua
Candida concessos ascendat Ciris honores.
Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat; vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio iactabat inani:
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat;
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur; ferroque manus armata bidenti
Evolat: at demtæ subita in formidine vires.
Cœruleas sua furta prius testatur ad umbras.
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur; et altum
Suspicit ad celti nutantia sidera mundi,
Non accepta piis promittens munera Divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo)
Corripit extemplo fessam languore puellam:
Et simul, O nobis sacrum caput, inquit, alumna!
Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas;
Nec levis, hoc faceres (neque enim pote), cura subegit
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fœtus?
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,

Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Iurabas nihil esse mihi, cum mœsta parentis
Formosos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam cui cepit ocellos,
Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastia,
Lædere utrumque uno studeas errore parentem.
Quod si alio quovis animo iactaris amore:
Nam te iactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo;
Si concessus amor noto te macerat igne,
Per tibi Dictynnæ præsentia numina iuro,
Prima Deum quæ te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus et scoria patiar tabescere tali.
Hæc loquitur: molli que ut se velavit amictu,
Frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miseræ causas exquirere tabis,
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam retulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi est : ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago:
Sed media ex acie, mediis ex hostibus. Heu heu,
Quid dicam? quove ipsa malū hoc exordiar ore?
Dicam equidem: quoniam quid tu tibi dicere, nutrix,
Non sinis; extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, nostris qui mœnibus assidet hostis,
Quem pater ipse Deum sceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi:
Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod te per Divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustū mihi pectus alumnæ,
Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ spes est incisa salutis;
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve Deusve tulisset;
Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat)
Purpureum patria dempsissem vertice crinem,
Aut mihi præsenti peperissem vulnere letum.
Vix hæc ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines,
Et graviter questu Carme complorat anili:
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos.
O iterum nostræ Minos inimice senectæ,
Semper et, aut olim nata, o te propter eundem,
Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Iam iam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. Ut quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meæ spes una salutis,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ
Venatus esses virgo sectata virorum,
Gnosia neu Partho contendens spicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aereis specula de montibus isses:
Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphææ
Virginis assignant; alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim: mihi certe, nata, peristi.
Nunquā ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret;
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meæ vivendi causa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequicquam capta sopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me (infelix) aut quæ me numina servant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentes prætexat purpura canos?
Quæ tenui patriæ spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem;
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum.
Sin est, quod metuo; per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miseræ mihi rebus amorem,
Per me, et sacra precor per flumina Ilithyæ,
Ne tantum in facinus tam molli mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere, amore, neque est cum Dis contendere no-
Sed patris incolumi potius te nubere regno, (strum:
Atq; aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum, exitio docta atque experta, moneo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere (sed poteris; quid enim non unica possis?)
Tunc potius tamen ipsa, pio cum iure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto,
Meque, Deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est quod texas, ordine longum.
His ubi solicitos animi relevaverat æstus
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat ægrum:
Paulatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo,
Incipit, ad crebros insani pectoris ictus
Ferre manum, assiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mœsta super morientis alumnæ
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus almum,
Et gelido veniens mani quatiebat ab Œta;
Quem pavidæ alternis, fugitant optantque puellæ:
Hesperium vitant optant ardescere solem:
Præceptis paret virgo nutricis, et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Tentantur patriæ submissis vocibus aures,
Laudanturque bonæ pacis bona; multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore,
Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere Deum; nunc regia amicos;
(Namque ipso verita est orbari mœsta parente)
Cum Iove communes qui quondam habuere nepotes;
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit et Divum terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis, nec desunt, omina quærit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates:
Ut, cum cæsa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Iungere, et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix patula componens sulfura testa,

Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes;
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; Fer in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo: numero Deus impare gaudet.
Inde Iovi geminat magno stygialia sacra,
Sacra nec Idæis senibus, nec cognita Graiis;
Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum, ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere Divi:
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi:
Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnæ,
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Cum longo quod iam captat succurrere amori:
Non minus illa tamen revehi, quod mœnia crescant,
Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto.
Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma sidonio florens succiditur ostro.
Tum capitur Megara, et Divum responsa probantur.
Tum suspensa novo ritu de navibus altis,
Per mare cœruleum trahitur Niseia virgo.
Complures illam Nimphæ mirantur in undis;
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores:
Illa etiam, iunctis magnum quæ piscibus æquor
Et Glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee, parvusque Dea cum matre Palæmon.
Illi etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Iovis soboles, magnum Iovis incrementum,
Tindaridæ niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces, atque hæc lamenta per auras,
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad cœlum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.
Supprimite o paulum turbati flamina venti,
Dum queror; et Divos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ
Vos matutina, si qui de gente venitis,
Cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla; quod, ah, salva liceat te dicere Procne;
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam:
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere coniux
Dicta tibi; tamen hæc, et si non accipis, audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio: quod sic patriam carosque Penates
Hostibus immitique addixi ignara tyranno.
Verum esto. Hæc, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset fœdera casus,
Facturos, quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
Te vero victore, prius vel sidera cursus
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui. Iam iam scelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? nec mirum, vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!
Non equidem ex istu speravi corpore posse
Tale malum nasci: forma, vel sidere fallor.
Non me deliciis commovit regia dives,
Coralio fragili, ac electro lacrimoso;
Me non florentes æquali corpore Nimphæ;
Non metus incensam potuit retinere Deorum.
Omnia vicit amor: quid enim non vinceret ille?
Non mihi iam pingui sudabunt tempora mirrha,
Pronuba nec castos accendet pinus odores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.
Magna queror; nec et illa quidem communis alumna
Omnibus iniecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene alias inter, famularum munere fungi,
Coniugis atque tuæ; quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses.
Iam fessæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit;
Marmorea adductisque labascunt brachia nodis.
Æquoreæ pestes, immania corpora Ponti,
Undique convenient, et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Iam tandem cases hominum, iam respice, Minos.
Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum:
Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis,
Vel casu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te læsisse, putabo.
Labitur interea revoluta ab littore classis,
Magna repentinu sinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessæ
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidæ magni florentia regna Corinthi;
Præterit abruptas Scironis protinus arces,
Infestumque suis diræ testudinis exit
Spelæum, multoque cruentas hospite cautes.
Iamque adeo tutum longe Piræea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Iam procul e fluctu Minoia respicit arva,
Florentesq; videt iam Cycladas, hinc Strophadasq;
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Ægæo.
Prospicit incinctam spumanti littore Cythnon,
Marmoreamque Paron, viridemq; allapsa Donusam,
Æginamque simul, sementiferamque Seriphum.
Fertur, et incertis iactatur ad omnia ventis:
Cymba velut, magnas sequitur cum parvula classes,
Afer et hyberno bacchatur in æquore turbo.
Donec tale decus formæ vexavit, et ægros
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus,
Cœruleo pollens coniux Neptunia regno.
Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit: nimium est avidum pecus Amphitrites.
Aereis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ cum primitus ovo
Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primum, et multis optata labella,
Et patulæ frontis species, concrescere in unum
Cœpere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioque infecta rubenti
Crura, nova macies obduxit squalida pelli,
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.

Et tamen hoc demum miseræ succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
Nunquam illam posthac oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullæ illam sedes. Quid iam cum sedibus illi?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cœlum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in æquore rorem;
Infelix virgo nequicquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit ævum,
Rupibus, et scopulis et littoribus desertis.
Nec tamen hoc iterū pœna sine; namque Deum rex,
Omnia qui imperio terrarum millia versat,
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater extinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe tepenti
Sanguine taurorum supplex resperserat aras:
Sæpe Deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit et in terris Haliæetus ales ut esset.
Quippe aquilis semper gaudet Deus ille coruscus.
Huic vero miseræ, quoniam damnata Deorum
Iudicio natique et coniugis ante fuisset,
Infesti apposuitque odium crudele parentis.
Namque, ut in æthereo signorum munere præstans,
Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona;
Sic inter sese tristia Haliæetus iras,
Et Ciris; memori servant ad sæcula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.

Catalecta

I. *Ad Tuccam.*

Delia, Tucca, tibi venit; sed sæpe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia sæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi; sed iam iam mihi nuntius iste
Quid prodest? illi dicito, quæ rediit.

II. *In C. Anninm Cimbrum rhetorem.*

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallicum apinæ ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

III. *In Noctuinum.*

Socer, beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa, rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet;
Gener socerque, perdidistis omnia.

IV. *In eundem.*

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, et hanc, et alteram, tibi dari.
Adeste, nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V. *In Lucium.*

Iacere me, quod alta non possim, putas,
Ut ante, vectari freta;
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor,
Et lingua, qua adsim tibi.
Et prostitutæ turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, et improbaude Cæsari?
Sed furta dicantur tua,
Et helnato sera patrimonio
In fratre parsimonia;
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super,
Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, fœmina? an ioci dolent?
An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos fascinos;
Nec deinde movere lumbos in crocotulam
Prensis videbo altaribus;
Flavum prope Tybrim et olentes nauticum
Vocare: ubi appulsæ rates
Stant in vadis cœno retentæ sordido,
Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, et uncta compitalia
Dapesque duces sordidas:
Quibus repletus ut salivosis aquis,
Obesam ad uxorem redis,
Et æstuantes docte solvis pantices,
Os usque lambis saviis.
Nunc læde, nunc lacesse, si quicquam vales!
Et nomen ascribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres et iratum Iovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos.

VI. *Ad Venerem.*

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,
Troius Æneas Romana per oppida digno
Iam tandem ut tecum carmine vectus eat.
Non ego thure modo aut picta tua templa tabella
Ornabo, et puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humiles, et maxima taurus
Victima, sacratos tinget honore focos:
Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea! tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini littoris ora, vocat.

VII. *Relictis aliis studiis Philosophiam Epicuream amplectitur.*

Ite hinc, inanes rhetorum manipli,
Inflata rure non Achaico turba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui,
Ite hinc inania cymbalon iuventutis.
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; iam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc, Camœnæ! [vos quoque limite sævæ,]
Dulces Camœnæ; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote; sed pudenter, et raro.

VIII. *De Sabino parodia Catulliana.*
Sabinus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus;
Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire; sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam:
Neque hoc negat Tryphonis æmuli domus
Negare nobilem, insulamve cœruli;
Ubi iste, post Sabinus, ante Quintio
Bidente dicit attondisse forfice
Comata colla, neque sordidum, iugo
Premente, dura vulnus ederet iuba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
Ait Sabinus: ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine,
Tua in palude deposuisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia
Iugum tulisse: læva, sive dextera,
Strigare mulas, sive utrimque cœperat.
Neque ulla vota semitalibus Deis,
Sibi esse facta, propter hoc novissimum
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere: nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

IX. *Ad Varium.*
Scilicet hoc sine frauda, Vari dulcissime, dicam:
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

X. *Ad villam Syronis.*
Villula, quæ Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ:
Me tibi, et hos una mecum, et quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

XI. *Ad M. Valerium Messalam.*
Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
Pauca mihi, doctæ, dicite, Pegasides.
Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.
Victor, qua terræ, quaque patent maria:
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ,
Magnus ut Œnides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, at sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis iactor magis, optima, curis:
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina, cum lingua, tum sale Cecropio.
Carmina, quæ Pylium, sæclis accepta futuris,
Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
Mœris pastores et Melibœus erant;
Dulcia iactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat iuvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida Divi:
Certatim Divæ munera quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior.
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus;
Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit;
Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti expectant fulmine et imbre Iovem;
Cuius et ob raptum pulsi liquere penates
Tarquinii patrios, filius atque pater;
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neque immeritis, donavit præmia alumnis;
Præmia Messalis maxima Publicolis.
Nam quid ego immensi memorē studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
Stertere vel dura posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere pontum?
Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem?
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes,
Communem belli nec timuisse Deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes:
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem;
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina Divi,
[Cynthius, et Musæ, Bacchus, et Aglaie.
Si laudes aspirem humili sed adire Camœna;]
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus; optatis plus iam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

XII. *In Pompeium magnum, vel in Mithridatem.*
Aspice, quem valido subnixum gloria regno
Altius et cœli sedibus extulerat,
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem:
Hic reges Asiæ fregerat, et populos.
Hic grave servitium tibi, iam tibi, Roma, ferebat;
Cetera namque viri cuspide conciderant;
Cum subito, in medio rerum certamine præceps,
Corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale Deæ numen; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

XIII. *Ad Antonium Musam.*
Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quosque videre homines:
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, Divi, Divumque sorores,
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona:
Cuncta, quibus gaudet Phœbus, chorus ipseq. Phœbi:
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari;
Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV. *In Octavii Mortem.*
Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quæ
Dicunt, an, nimio pocula dura mero?
Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata; quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed te nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

XV. *Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Cæsarem super Æneide sua scripsit.*

Ego vero frequentes a te literas accipio. *Et infra.* De Ænea quidem meo, si me Hercules, iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, impertiar.

Copa

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid iuvat æstivo defessum pulvere abesse,
Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa; tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et, Mænalio quæ garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula more sonans:
Est et vappa cado nuper diffusa picato.
Est strepitans rauco murmure rivus aquæ.
Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quæ virgineo libata Acheloia ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos iuncea fiscina siccat:
Sunt autumnali cerea pruna die,
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala.
Est hic munda Ceres; est Amor; est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis;
Est pendens iunco cærulens cucumis.
Est tuguri custos armatus falce saligna;
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc, Alybida, veni: fessus iam sudat asellus:
Parce illi: vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ;
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro;
Seu vis crystallo ferre novos calices.
Eia age, pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et gravidum roseo necte caput strophio.
Candida formosæ decerpes ora puellæ.
Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato via lapide ista legi?
Pone merum et talos: pereant, qui crastina curant!
Mors, aurem vellens: Vivite, ait: venio.

Moretum

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales:
Simulus, exigui cultor cum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens ieiunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato,
Solicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum, læsus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt;
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat, clausa quæ prævidet, ostia clavi.
Fusus erat terra frumenti pauper acervus:
Hinc sibi depromit quantum mensura patebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit, assistitque molæ; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat: geminos tunc veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosæ tergore capræ,
Præverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrimque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori:
Hæc rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,
Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem;
Pectore lata, iacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus iustum versatile finem,
Transfert inde manu fusas in cribra farinas,
Et quatit: at remanent summo purgamina dorso:
Subsidit sincera, foraminibusque liquatur,
Emundata Ceres. Lævi tum protinus illam
Componit tabula, et tepidas super ingerit undas.
Contrahit admixtos nunc fontes atque farinas:
Transversat durata manu, liquidoque coacto,
Interdum grumos spargit sale. Iamque subactum
Levat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, impressis æquo discrimine quadris.
Infert inde foco: Cybale mundaverat aptum
Ante locum: testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus Vestaque partes,
Simulus interea vacua non cessat in hora:
Verum aliam sibi quærit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas iungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria iuxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant;
Traiectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus astricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat iunctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi muniebat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
[Interdum locuples a paupere plura petebat.
Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curæ.]
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux: si forte labor cessabat aratro;
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ committere semina terræ,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fecundusque rumex, malvæque, inulæque, virebant:
Hic siser, et capiti nomen debentia porra:
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini, quis enim contractior illo?
Sed populi, proventus erat; nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem:
Inde domum, cervice levis, gravis ære, redibat;
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens, sectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque, et Venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat (hortum.
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,

Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem,
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem,
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim (hum
Spargit humi, atque abiicit. Servatum gramine bul-
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas: sale durus adeso
Caseus adiicitur; dictas super ingerit herbas:
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia: tum pariter mixto terit omnia succo.
It manus in gyrum: paulatim singula vires
Deperdunt proprias: color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer iaculator apertas
Spiritus; et simo damnat sua prandia vulto:
Sæpe manu summa lacrymantia lumina tergit,
Immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus: Non iam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes:
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum commiscet opus, mistumq; retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit; inque globum distantia contrahit unum:
Constet ut effecti species nomenque moreti.
  Eruit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem lætus recipit manibus: pulsoque timore
Iam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus; tectusque galero,
Sub iuga parentes cogit lorata iuvencos,
Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum.

FLAVIUS AVIANUS

Avienus, vel Avianus Flavius, Antoninis floruit imperantibus A. D. 160. Huius 42 Fabulæ supersunt, et illæ multis in locis interpolatæ, in quibus quamvis et ingenio et carminum arte minor Phædro appareat, laudem tamen meretur. Has quidam Rufo Avieno Astronomicorum scriptori in Pisauriensi Collectione tributos, Æsopi et Phædri Fabulis non raro adiunctas reperimus.

Flavii Aviani Fabulæ xlii iuxta edit. Cannegieteri.

PRÆFATIO. *Avianus Theodosio.*

Dubitanti mihi, Theodosi optime, quonam literarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit; quod in his urbane concepta falsitas deceat, et non incumbat necessitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poemate, loquatur, quum in utroque literarum genere et Atticos Græca eruditione superes, et Latinitate Romanos? Huius ergo materiæ ducem nobis Æsopum noveris, qui, responso Delphici Apollinis monitus, ridicula orsus est, ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit, et poemati suo Flaccus aptavit; quod in se, sub iocorum communium specie, vitæ argumenta contineant: quas Græcis iambis Babrius repetens, in duo volumina coarctavit. Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit. De his ergo ad quadraginta et duas in unum redactas fabulas edidi; quas, rudi Latinitate compositas, elegis sum explicare conatus. Habes ergo opus, quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudines leves, totumque vivendi ordinem cautus agnoscas. Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere, fecimus; ut, pro singulorum necessitatibus, vel ab ipsis animis sententia proferatur.

I. *Rustica et Lupus.*

Rustica deflenti parvo iuraverat olim,
  Ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
Credulus hanc vocem Lupus audiit, et manet ipsas
  Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimiæ dat membra quieti:
  Spem quoque raptori sustulit inde fames.
Hunc ubi silvarum repetentem lustra suarum
  Ieiunum coniux sensit adesse lupa:
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam,
  Languida consumtis sed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna,
  Vix miserum vacua delituisse fuga.
Nam, quæ præda, rogo, quæ spes contingere posset,
  Iurgia nutricis quum mihi verba darent?
Hæc sibi dicta putet, seque hac sciat arte notari,
  Femineam quisquis credidit esse fidem.

II. *Aquila et Testudo.*

Pennatis avibus quondam Testudo locuta est;
  Si quis eam volucrem constituisset humi;
Protinus e rubris conchas proferret arenis,
  Quis pretium nitido cortice bacca daret;
Indignans sibimet, tardo quod sedula gressu
  Nil ageret toto, perficeretque, die.
Ast, ubi promissis Aquilam fallacibus implet,
  Experta est similem perfida lingua fidem.
Et male mercatis dum quærit sidera pennis,
  Occidit infelix alitis ungue fero.
Tum quoque sublimis, quum iam moreretur, in auras
  Ingemuit, votis hæc licuisse suis:
Atque ait: Exosæ post hæc documenta quietis
  Non sine supremo magna labore peti.
Sic, quicunque nova sublatus laude tumescit,
  Dat merito pœnas, dum meliora cupit.

III. *Cancer et Mater.*

Curva retrocedens quum fert vestigia Cancer,
  Hispida saxosis terga relisit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens procedere gressu,
  Talibus alloquiis præmonuisse datur:
Ne tibi transverso placeant hæc devia, nate;
  Rursus in obliquos neu velis ire pedes.
Sed, nisu contenta ferens vestigia recto,
  Innocuos [prono] tramite siste gradus.
Cui natus, Faciam, si me præcesseris, inquit;
  Rectaque monstrantem certior ipse sequar:
Nam stultum nimis est, cum tu pravissima tentes,
  Alterius censor ut vitiosa notes.

IV. *Boreas et Sol.*

Immitis Boreas, placidusque, ad sidera, Phœbus,
  Iurgia cum magno conseruere Iove,

Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
  Carpebat solitum forte viator iter.
Convenit hanc potius liti præfigere caussam,
  Pallia nudato decutienda viro.
Protinus, impulsus ventis, circumtonat æther,
  Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
  Turbida summotos qua trahit aura sinus.
Sed teneros radios paulatim increscere Phœbus
  Iusserat, ut nimio surgeret igne iubar;
Donec, lassa volens requiescere membra, viator
  Deposita fessus veste resedit humi.
Tunc victor docuit præsentis numina Titan,
  Nullum præmissis vincere posse minis.

V. *Rusticus et Asinus.*

Metiri se quemque decet, propriisque iuvari
  Laudibus, alterius nec bona ferre sibi;
Ne detracta gravem faciant miracula risum;
  Cœperit in solitis quum remeare malis.
Exuvias Asinus Gætuli forte leonis
  Repperit, et spoliis induit ora novis.
Aptavitque suis incongrua tegmina membris,
  Et miserum tanto pressit honore caput.
Ast, ubi terribilis animo circumstitit horror,
  Pigraque præsumtus venit in ossa vigor;
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
  Turbabat pavidas per sua rura boves.
Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
  Correptum vinclis verberibusque domat.
Et, simul abstracto denudans corpora tergo,
  Increpat his miserum vocibus ille pecus:
Forsitan ignotos mutato tegmine fallas;
  At mihi, qui quondam, semper asellus eris.

VI. *Rana et Vulpis.*

Edita gurgitibus, olimque immersa profundo,
  Et luteis tantum semper amica vadis,
Ad superos colles herbosaque prata recurrens,
  Mulcebat miseras turgida rana feras.
Callida quod posset gravibus succurrere morbis,
  Et vitam ingenio continuare suo:
Nec se Pæonio iactat cessisse magistro,
  Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc Vulpes, pecudum ridens astuta quietem,
  Verborum vacuam prodidit esse fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
  Pallida cœruleus cui notat ora color?
Ne sibimet quisquam de rebus inaniter ullis,
  Quas nequit, imponat, fabula nostra docet.

VII. *Canis.*

Haud facile est pravis innatum mentibus, ut se
  Muneribus dignas suppliciove putent.
Forte Canis quondam, nullis latratibus horrens,
  Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pavidæ submittens verbera caudæ,
  Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
  Iusserat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus innexis crepitantia subligat æra,
  Quæ facili motu signa cavenda darent.
Hæc tamen ille sibi credebat præmia ferri,
  Et similem turbam despiciebat ovans.
Tunc insultantem senior de plebe superbum
  Adgreditur, tali singula voce monens:
Infelix! quæ tanta rapit dementia sensum,
  Munera pro meritis at cupis ista dari?
Non hoc virtutis decus ostentatur in ære;
  Nequitiæ testem sed geris inde sonum.

VIII. *Camelus.*

Contentum propriis sapientem vivere rebus,
  Nec cupere alterius, fabula nostra monet;
Indignata cito ne stat Fortuna recursu,
  Atque eadem minuat, quæ dedit ante, rota.
Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
  Et magnum precibus sollicitasse Iovem:
Turpe nimis cunctis irridandumque videri,
  Insignes geminis cornibus ire boves;
Et solum nulla munitum parte Camelum,
  Obiectum cunctis expositumque feris.
Iupiter adridens, postquam sperata negavit,
  Insuper et magnæ sustulit auris onus.
Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit;
  Et tua perpetuum, livide, damna geme.

IX. *Viatores.*

Montibus ignotis, curvisque in vallibus arctum
  Cum socio quidam suscipiebat iter.
Securus, quodcumque malum Fortuna tulisset,
  Robore collato posset uterque pati.
Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
  In mediam præceps convenit ursa viam.
Horum alter, facili comprendens robora cursu,
  In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille trahens nullo iacuit vestigia gressu,
  Exanimem fingens, sponte relisus humi.
Continuo, prædam cupiens, fera sæva cucurrit,
  Et miserum curvis unguibus ante levat.
Verum, ubi concreto riguerunt membra timore,
  (Nam solitus mentis liquerat ossa calor.)
Tunc olidum credens, quamvis ieiuna, cadaver,
  Deserit, et lustris conditur ursa suis.
Sed, quum securi paulatim in verba redissent,
  Liberior iusto, qui fuit ante fugax:
Dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa?
  Nam secreta diu, multaque, verba dedit.
Multa quidē monuit; tamen hæc quoque maxima iussit,
  Quæ misero semper sunt facienda mihi:
Ne facile alterius repetas consortia, dixit,
  Rursus ab insana ne capiare fera.

X. *Eques calvus.*

Calvus Eques, capiti solitus religare capillos,
  Atque alias nudo vertice ferre comas;
Ad campum nitidis venit conspectus in armis,
  Et facilem frænis flectere cœpit equum.
Huius ab adverso Boreæ spiramina perflant;
  Ridiculum populo conspiciente caput.
Nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
  Discolor apposita quæ fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quum risus millibus esset,
  Distulit admota calliditate iocum.
Quid mirum positos, referens, fugisse capillos,
  Quem prius æquævæ deseruere comæ?
Ridiculo cuiquam cum sis, absolvere temet,
  Opposita veri quum ratione stude.

XI. *Olla ærea, et Olla lutea.*

Arripiens geminas ripis cedentibus ollas,
  Insania pariter flumen agebat equis.
Sed diversa duas ars et natura creavit:
  Ære prior fusa est, altera ficta luto:
Dispar erat fragili et solidæ concordia motus;
  Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen allisam confringeret ærea testam,
  Iurabat: [sociam at] longius ire viam.
Illa timens (ne quid levibus graviora nocerent,
  Et quia nulla brevi est cum meliora fides.)
Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
  Non timor ex animo [decutiendus] erit.
Nam me sive tibi, seu te mihi, conferat unda,
  Semper ero ambobus subdita sola malis.
Pauperior caveat sese sociare potenti;

Namque fides illi cum parili melior.

XII. *Rusticus, qui thesaurum invenerat.*

Rusticus, impresso molitus vomere terram,
Thesaurum sulcis prosiluisse videt.
Mox indigna animo properante relinquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves.
Continuo supplex Telluri construit aras,
Quæ sibi depositas sponte dedisset opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
Admonet, indignam se quoque thure dolens.
Nunc inventa meis non prodis munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.
Sed, quum subrepto fueris tristissimus auro,
Me primam lacrymis sollicitabis inops.
[Non me ridenti, sed tristi, cernere vultu
Fas erit, et vacua sint tibi vota tua.]
Unius accepto peccat grave quisque talento,
Si, quod ab hoc sumsit, imputat hoc alii.

XIII. *Taurus et Hircus.*

Immensum Taurus fugeret quum forte Leonem,
Tutaque desertis quæreret antra viis;
Speluncam reperit, quam tunc hirsutus habebat,
Cinyphii ductor qui solet esse gregis.
Ast, ubi submissa meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper;
Tristis abit, longaque fugax de valle locutus,
(Nam timor expulsum iurgia ferre vetat)
Non te demissis setosum, putide, barbis,
Illum, qui superest, insequiturque, tremo.
Nam, si discedat, nosces, stultissime, quantum
Discrepet a Tauri viribus hircus olens.
Dum cupis illatum tibimet par solvere damnum,
Absque tuo damno hocce caveto fore.

XIV. *Simia et Iupiter.*

Iupiter in toto quondam quæsiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret.
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec squamigeri desunt ad iurgia pisces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
Iudicio tanti discutienda Dei.
[Hic] brevis informem traheret quum Simia natum,
Ipsum etiam in risum compulit ire Iovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpissima vocem,
Dum generis crimen sic abolere cupit:
Iupiter hoc norit, maneat victoria si quem,
Iudicio superest omnibus iste meo.
Ergo mos homini est: quidquid sibi fecerit ipse,
Vile licet maneat, comprobat ipse tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius nisi sunt ore probata prius.

XV. *Grus et Pavo.*

Threiciam volucrem fertur Iunonius ales
Communi sociam [continuasse] cibo.
Namque inter varias fuerat discordia formas,
Magnaque de facili iurgia lite trahunt:
Quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
Cæruleam facerent livida terga gruem.
Et, simul, erectæ circumdans tegmina caudæ,
Sparserat arcanum rursus in astra iubar.
Illa, licet nullo pennarum certet honore,
His tamen insultans vocibus usa datur:
Quamvis innumeras plumas variaverit ordo,
Mersus humi semper florida terga geris.
Ast ego deformi sublimis in aera penna,
Proxima sideribus numinibusque, feror.
Si quadam virtute nites, ne despice quemquam;
Ex alia quadam forsan et ipse nitet.

XVI. *Quercus et Arundo.*

Montibus a summis radicitus eruta Quercus
Decidit, insani turbine victa Noti.
Quam tumidis subter decurrens alveus undis
Suscipit, et fluvio præcipitante rapit.
Verum, ubi diversis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos grande resedit onus.
Tunc, sic exiguo connectens cespite ramos,
Miratur, liquidis quod stet arundo vadis.
Se quoque tam vasto necdum consistere trunco,
Ast illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando respondit canna susurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rabidos, inquit, ventos, sævasque procellas,
Despicis, at, totis viribus acta, ruis.
Ast ego surgentes paulatim demoror Austros,
Et quamvis levibus provida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus;
Motibus aura meis ludificata perit.
Hæc nos dicta monent magnis obsistere frustra,
Paulatimque truces exsuperare minas.

XVII. *Venator et Tigris.*

Venator, iaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rapidas per sua lustra feras.
Tum pavidis audax cupiens succurrere Tigris
Verbere commotas iussit adesse minas.
Ille tamen, solito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi, qualis eram, nuntius iste refert.
Et simul emisso transiecit viscera ferro;
Perstrinxitque citos hasta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret quum saucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dum rogat, unde foret, qui talia vulnera ferret;
Aut ubinam iaculum delituisset agens.
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit;
Nam solitas voces ira dolorque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quæque oculis olim sit repetenda meis.
Sed cruor, et validis in nos directa lacertis
Ostendunt aliquem tela fuisse virum.
Bruta licet soleant animalia iure timeri,
Omnibus est illis plus metuendus homo.

XVIII. *Iuvenci et Leo.*

Quatuor immensis quondam per prata Iuvencis
Fertur amicitiæ tanta fuisse fides,
Ut simul emissos nullus divelleret error,
Rursus et e pastu turba rediret amans.
Hos quoque, collatis inter se cornibus, ingens
Dicitur in silvis pertimuisse Leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et coniuratos horret adire boves.
Et, quamvis audax factisque immanior esset,
Tantorum solus viribus impar erat.
Protinus adgreditur pravis insistere verbis,
[Collisum] cupiens dissociare pecus.
Et, postquam dictis animos disiunxit acerbis,
Invasit miserum, diripuitque, gregem.
Tunc quidam ex illis: Vitam servare quietam
Qui cupit, ex nostra discere morte potest.
Neve cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deserat ante fidem.

XIX. *Abies et Dumus.*

Horrentes Dumos Abies pulcherrima risit,
Quum facerent formæ iurgia magna suæ;
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus consociaret honos.
Nam mihi deductum surgens in nubila corpus
Verticis erectas tollit in astra comas.
Puppibus et patulis media cum sede locatur,

In me suspensos explicat aura sinus.
At, tibi deformem quod dant spineta figuram,
Despectum cuncti præteriere viri.
Ille refert: Nunc læta quidem bona sola fateris;
Et nostris frueris imperiosa malis:
Sed, quum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas!
Nemo sua carnis nimium lætetur honore;
Ne, vilis factus, post sua damna gemat.

XX. *Piscator et Piscis.*

Piscator, solitus prædam deprendere seta,
Exigui Piscis vile trahebat onus.
Sed, postquam superas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit;
Parce, precor, supplex lacrymis ita dixit obortis;
Nam quanta ex nostro corpore lucra feres?
Nunc me saxosis genetrix fœcunda sub antris
Fudit, et in propriis ludere iussit aquis.
Tolle minas, tenerumque tuis sine crescere mensis:
Hæc tibi me rursum littoris ora dabit.
Protinus immensi depastus cærula ponti,
Pinguior ad calamum sponte recurro tuum.
Ille, nefas captum referens absolvere piscem,
Difficiles queritur casibus esse vices: (dam,
Nam miserum est, inquit, præsentem amittere præ-
Stultius et rursum vota futura sequi.
Incerta pro spe; non munera certa relinque,
Ne rursus quæras forte, nec invenias.

XXI. *Rusticus et Avis.*

Parvula progeniem terræ mandaverat ales,
Qua stabat viridi cæspite flava seges.
Rusticus, hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam supplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos,
Suaserat et laribus continuare fugam.
Cautior hos, remeans, prohibet discedere mater:
Nam, Quid ab externis proficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis.
At genetrix rursum tutior inde manet.
Sed, postquam curvas dominū comprendere falces,
Frugibus et veram sensit adesse manum;
Nunc, ait, o miseri, dilecta relinquite rura,
Quum spem de propriis viribus ille petit.

XXII. *Invidus et Cupidus.*

Iupiter, ambiguas hominum prædiscere mentes,
Ad terras Phœbum misit ab arce poli.
Tunc duo diversis poscebant numina votis:
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His sese medium Titan, scrutatus utrumque,
Obtulit, et, precibus ut peteretur, ait:
Præstabit facilis: nam, quæ speraverit unus,
Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed, cui longa iecur nequeat satiare cupido,
Distulit admotas in nova damna preces:
Spem sibi confidens alieno crescere voto,
Seque ratus solum munera ferre duo.
Ille, ubi captantem socium sua præmia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit, exstinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut, hoc duplicans, vivat utroque carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
Invidiæque malum retulit inde Iovi.
Quæ dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Lætior infelix et sua damna cupit.

XXIII. *Statuarius.*

Venditor, insignem referens de marmore Bacchum,
Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobilis hunc quidam funesta in sede sepulcri,
Mercari cupiens, compositurus erat.
Alter, adoratis ut ferret munera templis,
Redderet et sacro debita vota loco.
Nunc, sit, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum spes [in pretium munera] dispar agit.
Et me defunctis, seu malis tradere Divis,
Sive decus busti, seu velis esse Deum;
[Subdita nequitiæ est magni reverentia facti,
Atque eadem retines funera nostra manu.]
Convenit hoc illis, quibus est permissa potestas,
An prodesse aliis, vel nocuisse, velint.

XXIV. *Venator et Leo.*

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis atque Leo.
Hi quum perpetuum caperent in iurgia finem,
Edita continuo forte sepulcra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuisse Viri.
Scilicet affirmans pictura teste superbum
Se fieri: exstinctam nam docet esse feram.
Ille, graves oculos ad inania signa retorquens,
Infremit, et rabido pectore verba dedit:
Irrita te generis subiit fiducia vestri,
Artificis testem si cupis esse manum.
Quod si nostra novum caperet solertia sensum,
Sculperet ut docili pollice saxa Leo;
Tunc Hominem adspiceres oppressū murmure solo,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

XXV. *Puer et Fur.*

Flens Puer extremam putei consedit ad undam,
Vana supervacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrymis postquam Fur vidit obortis,
Quænam tristitiæ sit modo caussa, rogat.
Ille, sibi abrupti fingens discrimina funis,
Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora: sollicitam traxit manus improba vestem:
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus, exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immersus delituisse datur.
Sed, post fallaci suscepta pericula voto,
Tristior, amissa veste, resedit humi:
Dicitur his sollers vocem rupisse querelis,
Et gemitu summos sollicitasse Deos:
Perdita, quisquis erit, posthac sibi pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natat urna vadis.
Nemo nimis cupide sic res desiderit ullas,
Ne, plus quam cupiat, perdat et id quod habet.

XXVI. *Leo et Capella.*

Viderat excelsa pascentem rupe Capellam,
Comminus esuriens quum Leo ferret iter.
Et prior, Heus! inquit, præruptis ardua saxis
Linque; nec hirsutis pascua quære iugis:
Sed cytisi croceum per prata virentia florem
Et glaucas salices, et thyma grata, pete.
Illa gemens, Desiste, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare dolis.
Vera licet moneas, et magna pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam, quamvis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet.
Ne citius blandis cuiusquam credite dictis;
Sed, si sint fidi, respice quid moneant.

XXVII. *Cornix et Urna*

Ingentem sitiens Cornix adspexerat urnam,
Quæ minimam fundo continuisset aquam.
Hanc enisa diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret inde sitim;
Postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate dolos.
Nam brevis, immersis accrescens sponte lapillis,

Potandi facilem præbuit unda viam.
Viribus hæc docuit quam sit prudentia maior,
Qua cœptum volucris explicuisset opus.

XXVIII. *Rusticus et Iuvencus.*

Vincla recusanti, dedignantique Iuvenco
Aspera mordaci subdere colla iugo,
Rusticus obliqua succidens cornua falce,
Credidit insanum defremuisse pecus.
Cautus et immenso cervicem innectit aratro:
(Namque erat hic cornu promtior atque pede)
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Neve ictus faciles ungula sæva daret.
Sed, postquam, irato detractans vincula collo,
Immeritam vacua calce fatigat humum,
Continuo eversam pedibus dispergit arenam,
Quam ferus in domini ora sequentis agit.
Tunc sic, informi squalentes pulvere crines
Discutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ [dedat] iniquæ,
Qua fieri possem cum ratione nocens.

XXIX. *Satyrus et Viator.*

Horrida congestis quum staret bruma pruinis,
Vinctaque durato stringeret arva gelu;
Hæsit in adversa nimborum mole viator;
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.
Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
Exceptum Satyrus continuisse suo.
Quem simul adspiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus esse pavet:
Nam, gelidos artus vitæ ut revocaret in usum,
Afflatas calido solverat ore manus.
Sed, quum depulso cœpisset frigore lætus
Hospitis eximia sedulitate frui,
(Namque ille, agrestem cupiens ostendere vitam,
Silvarum referens optima quæque dabat;
Obtulit et calido plenum cratera Lyæo,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.)
Ille, ubi ferventem labris contingere testam
Horruit, algenti [rursus ab ore tulit.]
Obstupuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum silvis longius ire iubet.
Nolo, ait, ut nostris unquam successerit antris,
Tam diversa duo qui simul ore ferat.
Qui bene colloquitur coram, sed postea prave,
Hic erit invisus, bina quod ora gerat.

XXX. *Villicus et Dominus.*

Vastantem segetes, et pinguia culta ruentem,
Liquerat abscisa Rusticus aure suem.
Ut memor accepti referens monumenta doloris,
Ulterius teneris parceret illa satis.
Rursus in excepti depransus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora; prædictæ segeti caput intulit horrens;
Pœna sed indignum congeminata facit.
Tunc Domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed, quum consumti Dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur [cor] rapuisse coquus;
Rusticus hoc iustam verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum demens in damna redisset,
Atque uno toties posset ab hoste capi?
Hæc illos præcepta monent, qui, sæpius ausi,
Nunquam peccatis abstinuere manus.

XXXI. *Mus et Bos.*

Ingentem fertur Mus quondam parvus, oberrans,
Ausus ab exiguo lædere dente Bovem.
Verum, ubi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in anfractus conditur inde suos.
Ille, licet vasta torvum cervice minetur,
Non tamen, iratus quem petat, esse videt.
Tunc, indignantem iusto sermone fatigans,
Distulit hostiles calliditate minas.
Non, quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen, brevibus quæ sit fiducia monstris,
Ut faciat, quidquid parvula turba cupit.

XXXII. *Rusticus et Hercules.*

Hærentem luteo sub gurgite Rusticus axem
Liquerat, et nexos ad iuga curva boves,
Frustra dispositis confidens Numina votis
Ferre suis rebus, quum resideret, opem.
Cui rector summis Tirynthius infit ab astris,
Nam vocat hunc supplex in sua vota Deum.
Perge laborantes stimulis agitare iuvencos,
Et manibus pigras disce iuvare rotas.
Tunc quoque congressum, maioraque viribus ausum,
Fas Superos animis conciliare tuis.
Disce tamen, pigris non flecti Numina votis;
Præsentesque adhibe, quum facis ipse, Deos.

XXXIII. *Anser et Rusticus.*

Anser erat cuidam pretioso germine fœta,
Ovaque quæ nidis aurea sæpe darat.
Fixerat hanc volucri legem Natura superbæ,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed Dominus, cupidum sperans vanescere votum,
Non tulit exosas in sua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quæ tam continuo munere dives erat.
Postquam nuda minax egit per viscera ferrum,
Et vacuam solitis fœtibus esse videt;
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis retulit inde suis.
Sic, qui cuncta Deos uno male tempore poscunt,
Iustius bis etiam vota diurna negant.

XXXIV. *Formica et Cicada.*

Quisquis torpentem passus transire iuventam,
Nec timuit vitæ providus ante suæ;
Confectus senio, postquam gravis adfuit ætas,
Heu! frustra alterius sæpe rogabit opem.
Solibus [obreptos,] hiemi Formica labores
Distulit, et brevibus condidit ante cavis.
Verum, ubi candentes suscepit terra pruinas,
Arvaque sub rigido delituere gelu;
Pigra nimis, tantos non æquans corpore nimbos
In propriis laribus humida grana legit.
Decolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arva sono:
Se quoque, maturas quum tunderet area messes,
Cantibus æstivos explicuisse dies.
Parvula tunc, ridens, sic est affata Cicadam,
(Nam vitam pariter continuare solent)
En, quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis otia longa traho:
At tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

XXXV. *Simia et Nati.*

Fama est, quod geminum profundens Simia [natum,]
Dividit in varias pignora bina vices.
Namque unum caro genitrix educit amore,
Alteriusque odiis exsaturata tumet.
Cœperit ut fœtam gravior terrere tumultus,
Dissimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus vel pectore gestat amico,
Contemtum dorso suscipiente levat.
Sed, quum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte remittit onus.
Alter at, hirsuto circumdans brachia collo,

Hæret, et invita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris,
Servatus vetulis unicus hæres avis.
Sic multos neglecta iuvant; atque, ordine verso,
Spes humilis rursus in meliora refert.

XXXVI. *Vitulus et Bos.*

Pulcher et intacta Vitulus cervice resultans
Scindentem assidue viderat arva Bovem.
Non, pudet, heus, inquit, longævo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nosse iugis?
Quum mihi subiectas pateat discursus in herbas,
Et nemorum liceat rursus opaca sequi.
At senior, nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solitam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Admotum cultro comminus ire prope.
Hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri quæ facit esse iugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Est hominum sors ista, magis felicibus ut sit
Mors cita, quum miseros vita diurna regat.

XXXVII. *Canis et Leo.*

Pinguior exhausto Canis occurrisse Leoni
Fertur, et insertis verba dedisse iocis:
Nonne vides, duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis, [ducor post] otia, mensis,
Communem capiens largius ore cibum.
[Nec quod crassa nocet] circumdat guttura ferrum,
Ne custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se silvis obvia præda ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis;
Sic liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille, gravem gemitu collectus in iram,
Atque ferox animi, nobile murmur agit.
Vade, ait, et meritis nodum cervicibus infer;
Compescantque tuam vincula dira famem.
At, mea quum vacuis libertas redditur antris,
Quamvis ieiunus, quæ libet, arva peto.
Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem postposuere gulæ.

XXXVIII. *Piscis fluviatilis, et Piscis marinus.*

Dulcibus e stagnis fluvio torrente coactus,
Æquoreas præceps piscis obibat aquas.
Illic squamigerum despectans improbus agmen,
Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit expulsum patrio sub gurgite Phoca;
Verbaque cum salibus asperiora dedit:
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quæque refutari, te quoque teste, queant.
Nam quis erit potior, populo spectante, probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emtor;
Te simul ære brevi debile vulgus emet.
Quisquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut valit esse prior.

XXXIX. *Miles et Lituus.*

Voverat attritus quondam per prælia Miles
Omnia suppositis ignibus arma dare.
Vel quæ victori moriens sibi turba dedisset,
Vel quidquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors affuit; et memor arma
Cœperat accenso singula ferre rogo.
Tunc Lituus, rauco defendens murmure culpam,
Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus adfirmes quæ tamen acta meis.
Sed tantum ventis et cantibus arma coegi,
Hæc quoque submisso, testor et astra, sono.
Ille, resultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te maior, ait, pœna dolorque rapit.
Nam, licet ipse nihil possis tentare, nec ausus;
Sævior hoc, alios quod facis esse malos.

XL. *Vulpes et Pardus.*

Distinctus maculis et pulchro pectore Pardus
Inter consimiles ibat in arva feras.
Sed, quia nulla graves variarent terga Leones,
Protinus his miserum credidit esse genus.
Cetera sordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo [Vulpes dum gaudet] amictu
Corripit, et vanas approbat esse notas.
Vade, ait, et pictæ nimium confide iuventæ,
Dum mihi consilium pulchrius esse queat.
Miremurque magis, quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

XLI. *Imber et Testa.*

Impulsus ventis, et pressa nube coactus,
Ruperat hibernis se gravis Imber aquis.
Quumque per effusas stagnaret turbine terras,
Expositum campis fictile pressit opus.
(Mobile namque lutum tepidus prius instruit aer,
Discat ut admoto rectius igne coqui.)
Tunc Nimbus fragilis perquirit nomina testæ.
Immemor illa sui, Amphora dicor, ait.
Nunc me docta manus rapiente volumina gyro
Molliter obliquum iussit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat constare figura:
Iam te subiectam diluet Imber aquis.
Et simul, accepto violentius amne fatiscens,
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quæ, magna sibi cognomina sumens,
Ausa pharetratis Imbribus ista loqui.
Hæc poterunt posthac miseros exempla monere,
Subdita nobilibus ut sua fata gemant.

XLII. *Lupus et Hædus.*

Forte Lupum melior cursu deluserat Hædus,
Proxima vicinis dum petit arva casis.
Inde fugam recto tendens in mœnia cursu,
Inter lanigeros constitit ille greges.
Impiger hunc raptor, mediamque secutus in urbem,
Tentat compositis sollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
Immerita pecudum morte cruentet humum?
Quod nisi securo valeas te reddere campo,
(Hei mihi!) vittata tu quoque fronte cadis.
Ille refert: Modo, quam metuis, precor, exue curam;
Et tecum viles, improbe, tolle minas.
Nam sat erit sacrum Divis fudisse cruorem,
Quam rabido fauces exsaturare Lupo.
Sic, quoties duplici subeuntur tristia casu,
Expedit insignem promeruisse necem.

PERVIGILIUM VENERIS

Cras amet qui nunquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Ver novum, ver iam canorum, vere natus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus;
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione iura dicit, fulta sublimi throno.
Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Tunc cruore de superno, spumeo pontus globo
Cærulas inter catervas, inter et bipedes equos
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Ipsa gemmas purpurantem pingit annum floribus,
Ipsa surgentes papillas de Favoni spirito,
Urget in notos penates, ipsa roris lucidi, (quas;
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes a-
Lacrimæ micant, trementes de caduco pondere;
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos.
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ:
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa iussit mane, ut udæ virgines nubant rosæ.
Facta Cypris de cruore, deque amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris.
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico, marita, nodo non pudebit solvere.
Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Ipsa Nymphas Diva luco iussit ire myrteo,
It puer comes puellis; nec tamen credi potest
Esse amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite Nymphæ, posuit arma, feriatus est amor;
Iussus est inermis ire, nudus ire iussus est,
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen Nymphæ cavete, quod Cupido pulcher est,
Totus est in armis idem quando nudus est amor.
Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: cede Virgo Delia;
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret;
Ipsa vellet, ut venires, si deceret virginem:
Iam tribus choros videres feriantes noctibus
Congreges inter catervas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poetarum Deus.
Detinent, et tota nox est pervigilanda cantibus.
Regnet in silvis Dione: tu recede, Delia.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet.
Iussit Hyblæis tribunal stare Diva floribus,
Præses ipsa iura dicet, assidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quot, quot annus attulit,
Hybla florum super ut extet, quantus Ennæ campus (est.
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque silvas, quæq; lucos, quæque fontes incolunt.
Iussit omnes adsidere pueri mater alitis,
Iussit, et nudo puellas nil amori credere.
Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit, quo primus æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almæ coniugis.
Unde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipsa venas, atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cœlū, perque terras, perque pontum subditū,
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, iussitque mundum nosse nascendi vias.
Cras amet qui numquam amavit; quique amavit
cras amet.
Ipsa Troianos Nepotes in Latinos transtulit:
Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit.
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem.
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias:
Unde Ramnes, et Quirites: proque prole posterum
Romuli patrem crearet et nepotem Cæsarem.
Cras amet qui numquam amavit; quique amavit,
cras amet.
Rura fœcundat voluptas; rura Venerem sentiunt.
Ipse amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu,
Ipsa florum delicatis educavit osculis.
Cras amet qui numquam amavit; quique amavit
cras amet.
Ecce iam super genistas explicant tauri latus,
Quisque tutus quo tenetur coniugali fœdere.
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges:
Et canoras non tacere Diva iussit alites.
Iam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt:
Adsonat Terei puella subter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici musico.
Et neges queri Sororem de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus; quando ver venit meum?
Quando faciam, ut Chelidon, ut tacere desinam?
Perdidi Musam tacendo, nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium.
Cras amet, qui numquamamavit; quique amavit,
cras amet.



HUIUS OPERIS IMPRESSIO ABSOLUTA FUIT

XVII KAL. OCTOBRIS A. D. MDCCCXXXIX.